CARAMUELIS

METALOGICA DISPUTATIONES.

DE

LOGICÆ ESSENTIA, PROPRIETATIBUS, ET OPERATIONIBUS CONTINENS.



Cum gratia & Privilig. S. Cæsareæ Maiestatis:

ET

Regis Hispaniarum.

FRANCOFURTI,

Sumptibus JOANN. GODOFREDI SCHÖNWETTERI,

M. DC. LIV.

QUi Leges tulimus Logicas, qui jussimus illas
Summâ à Discipulis relligione coli.
Tendimus ulteriùs: quoniam extra septa Lycei
Dicere jam nulli sufficit, ΑΥΤΟΣ ΕΦΑ.
Ducimus in bellum Lectorem: invadere pulchra
Dogmata Aristotelis si velit, arma damus,
Si velit hæc potius defendere & agmine denso
Sistere se nostris hostibus, arma damus.
Si dubitas, mediumque tenens petis, Optime Lector,
Utrùm sectari prosit Aristotelem.
Consilium, auxiliumque tene. Furor arma ministret,
Nolis: & nolis, arma ministret Amor.
Dilige Aristotelem, magis autem dilige Vera:
Si hæc alibi inveniās, desere Aristotelem.

LIBER I.

PROOEMIALIS

De Nomine, Essentiâ, Divisionibus, Passionibus, & Accidentibus

LOGICÆ.

I. *Multis solët æquivocationibus quæstiones proœmiales implicari.*

CONtroversię Proœmiales ab universis præmittuntur, & tantâ nominum æquivocatione implicantur, ut post horas integras disputationis nihil aliud Oppugnatori respondeatur, quàm voces aliter ab illn quàm à Defendentibus accipi. Puto has quæstiones esse faciles, si benè tractentur, & tradantur; difficiles, si ita explicentur, ut totum Tractatum de Animâ, quem nondum didicerunt Logici, in resolutionibus singulis supponere jubeatur explicatio. Ut igitur à clarioribus & faciliotibus disputatio procedat, ab etymo vocis exordiamur.

DISPUTATIO I.

De hujus Scientiæ Nominibus.

II. *An nomina sint definitiones.*

MUlta illa sunt: & singula variè accepta in Scholis: non omnia, nimis multa enim sunt, sed pręcipua ad examen reducam: & eruam ex ipsis nominibus veritates, nec communes, nec tritas, dignas tamen notitiâ: & quia, ut docet Plato, *Nomina breves rerum definitiones sunt*, antequam ad uberiores meditationes descendamus, discuti accuratè debebunt.

Nomen Logicæ.

GRæcum est, & universis notum: atque hodie tam vulgare, ut præscripserit linguæ, nec intelligi valeas, si ejus loco voce aliqua Latinâ abuti placeat, Deducitur à voce græcâ Λόγος, quæ sermonem & rationem significat. Et meritò hoc notatur vocabulo, quia, ut vidimus superiùs, Logica triplex est; Vocalis, Scripta, & Rationalis. Nomen igitur Logicę, cùm Vocalem significat, à Λόγῳ, hoc est, *sermone*: & cùm Mentalem, à Λόγῳ, hoc est, ratione, etymon trahit.

Λόγος sermo & ratio.

Anagramma.

LOGICA.

CALIGO.

III. *An Logica caligo sit?*

AN non Logica est sciendi modus, & methodus fugandi tenebras? An non est ad obscura rerũ penetralia illustranda accensa diviniùs fax, quam studiũ & vigilantia perficit & emungit? Et si hoc: cur literarum exacto participio in caliginem incidit? Nulla est litera in Logicâ, quâ careat Caligo; nulla, quæ caligine careat: nulla est caligo, quæ careat logica: & ideò commune sunt sortitæ vocabulum. Sic posset aliquis discurrere: at ego paulò aliter philosophabor.

Logica Facultas est, quæ literas in linguâ, & ideas illis correspõdentes in mente coordinat: quamdiù servetur ordo à naturâ præfixus, & à magnis ingeniis illustratus, Logica scientiarum erit fax, controversiarum lux, disputationum sol, & transcendentalis quædam claritas. At, si vocum aut conceptuum vertatur ordo, si audacia exlex aut subjectum in prædicatum, affirmationem in negationem, majorem in minorem, consequentias in præmissas convertat, erit nox, erit obscuritas, & ut dicam convenienti vocabulo erit caligo tenebrosa.

Officium Logicæ.

Summa Ordinem servandi necessitas.

Hinc veniunt veritates Logicæ à Logicis erroribus discriminandæ: quantam enim lucem afferunt aliis scientiis illæ, tantam caliginem offundunt isti. Error Logicus fecundus est; millenos parturit; crescit, cùm in alias facultates se insinuat; & hoc tam uberâ fertilitate, ut illud vulgatum axioma, *Parvus error in principio, maximus est in fine*, dicatur æquipollere huic, *A parvo errore commisso seu permisso in Logicâ, maximi & intolerabiles in Theologiâ sunt nati*: quoniam Logica scientiarum omnium Philosophicarum est principium; & omnium est finis Theologiâ.

Perniciosissimi sunt errores Logici.

Scientiarũ janua Logica: Theologia terminus.

Nomen Dialecticæ.

ETjam & hæc Græca vox est, & dicitur ἀπὸ τοῦ διαλέγειν, hoc est, *à disserendo*: nam διαλέγομαι est *discepto* vel *dissero*. Hæc vox potest & solet sumi strictè, solet laxè; liberiore

Dialectica est Ars disserendi.

Bifariam sumitur acceptione usurpata toti respondet Logicæ trium intellectualium operationum (apprehensionis, judicij, & discursûs) directrici: ac *Quomodo distinguatur à Logicâ.* verò in acceptione rigorosa, non jam toti Logicæ, sed tertiæ tantum ejus parti respondet, & est Facultas argumentativa, quæ mentem in discursu dirigit, & methodum argumentandi edocet.

Nomen Metalogicæ.

IV. Quid sit Metaphysica: & unde dicta?

MEτὰ æquivalet præpositioni nostræ *trans*, & hanc ob rem Aristoteles Metaphysicam vocavit illam scientiam, in qua agitur de difficultatibus, quæ μετὰ τὰ φυσικὰ, quæ se subrigunt ultra quæstiones Physicas. Vim vocis clarissimè explicabo.

Quid Musica? Musica est Ars, quæ concinere docet. Est ars, quæ in cantu & concentu vocem dirigit: in cantu, cùm unus solus modulatur; in concentu, cùm plures. At Athanasij Kircheri *Quid Metamusica?* Musurgia universalis, sive Ars magna consoni & dissoni ultra Cantorum cothurnum eminet, & Metamusica debet vocari. Multi sunt hodie magni Musici, quæ omnia aut ferè ignorant, quæ edisserit in Musurgia Kircherus; illa omnia sunt ulterioris indaginis. Græci enim, Hebræi, *Arabum & Hebræorum Musica.* & Arabes, variis characteribus olim sunt usi, & etiam hodie utuntur in sonoris numeris repræsentandis, quos hodie impunè ignorant illi, qui à Musicâ eminentiâ laudantur. Est etiam *Poëtica soror Musicæ.* Poëticæ Musica soror: & qui contentus ultimâ priorem ignoret, adhuc poterit artificiosè modulari. *An Musica animum moveat?* An Musica animum movere, an perturbare, an rapere possit nesciunt plurimæ humanæ philomelæ, & tamen à vocis dulcore & gratia famam habent. Musica sæpè medicinalis *An corpus recuret? an inficiat?* est & nonnunquam pestifera: prodigiosa non rarò, interdum Magica: quæ omnia non debent rogari nostri Musici, sunt enim nobiliora & altiora, quàm possint ab ipsis tractari. Qui or*Organopæi.* gana fabricari sciunt, uti nesciunt: qui sciunt uti, nesciunt illa formare: artes enim diversæ sunt, (altera mechanica, altera liberalis) & tamen in Metamusicâ intertextæ. Parum aut nihil scit de Auditûs organo Cantorum vulgus: nihil de modo audiendi: nihil de organis vocis: nihil de sonì essentia: nihil de proprietatibus: nihil de causis internis & externis; nihil de effectibus: & tamen, non ideò illi Musicæ imperiti vocantur: hæc enim omnia, & alia multa, quæ à Kirchero & aliis ingeniosè illustrantur, ultra Musicæ cancellos sita, Metamusicæ subsunt, & à Metamusicis, hoc est, à Musico-philosophis debent tractari. *Quid sit Metamusica?* Est igitur Metamusica, Scholastica & Philosophica quædam Musica, quæ omnes alias permeat scientias, in materiâ, in quâ Musicæ servire possunt. Erit ergo Meta*Quid Metagrammatica?* grammarica, Scholastica & Philosophica quædam Grammatica, quæ in omnes Facultates se insinuat, jubetque singulas ancillari Grammaticæ. Erit & Metaphysica, Scholastica & Phi*Quid Metaphysica?* losophica quædam Physica, quæ ultra considerationes corporis, ad ideas remotiores se promovet, & cæteras connectit scientias, ut Physicam Naturalem exornet. [An-ne verè omnes *An non pervadat omnes scientias?* scientias? Verè: agit enim de corpore, de lapidibus, de metallis, de cœlis, de syderibus, de plantis, de animantibus, & de hominibus in prædicamento substantiæ: de continua & discreta; nec non de oratione & tempore, in prædicamento Quantitatis. De potentiâ & impotentiâ, habitu & dispositione, passione & passibili qualitate, forma & figura, in prædicamento Qualitatis. De æqualitate & inæqualitate, de similitudine & dissimilitudine, de unitate & numero, in prædicamento Relationis. De duratione, æternitate, ævo, & tempore, in prædicamento Quando. De actione & passione in cognominibus prædicamentis: ubi de creatione, generatione, alteratione, intensione & remissione, condensatione & rarefactione, fieri, motu locali, &c. De loco & corporum coordinatione in prædicamentis Ubi ac Sitûs. Et tandem de accidentibus extrinsecis in prædicamento Habere. Ergo Metaphysica præter Physicam, Lapidariam, Metallicam, etiam Meteorologiam, Astronomiam, Astrologiam, Rem Herbariam, Animasticam: &c. Geometriam, Arithmeticam, Oratoriam, Poëticam, Musicam: &c. Statuariam, Pictoriam, Architectonicam, &c. Rem Historicam &c. & multas alias Scientias & facultates concatenat, & in tantum edisserit, in quantum ad Prædicamentorum notitiam penitiorem cōducunt. Quam ob rem hominem alias subalternas facultates contemnere, & in Metaphysica eminere, impossibile judico.]

Ergo Metalogica excitabit & discutiet quæstiones & controversias, quæ ultra Logicam: *V. Quid sit officium Metalogicæ?* nempè illa, sine quarum notitia adhuc Logica potest subsistere, licet non in statu & gradu nobili seu eminenti. Agimus igitur in Metalogica de nominibus & hoc Grammaticè: de operationum mentis operationibus, & harum essentia, numero, objectis, connexione; & ista philosophicè, de distinctionibus, ut universalia intelligamus: de universalibus, ut intelligamus prædicabilia: de prædicabilibus, ut intelligamus prædicamenta: de prædicamentis, ut intelligamus judicia: de judiciis, ut intelligamus argumentationes: de argumentatione ut ad Demonstrationem, quæ inter argumentationes est perfectissima, veniamus. Et Scientiam, *Quid sit scientia?* quæ est Demonstrationis effectus, ejusque varias divisiones, abstractiones, & subalternationes contemplemur: & hæc omnia, non purè Logicè, non purè metaphysicè, adeòque metaphysicè simul & logicè, hoc est metaphysico-logicè, aut voce breviore metalogicè.

Dialectica secundum dici.

VI. An detur in Orbe literario Dialectica?

PUtant aliqui ex Scholâ Epicuri nullam esse Dialecticam; adeòque omnes voces, quas hucusque exposuimus esse significationis expertes, & totam facultatem, quam tanto molimine tradunt Authores esse *secundum dici*. Contrà ego pronuncio esse *secundum esse*: & ut per suadeam, juvabit me Scholasticus iste Casus, qui sequitur.

Me olim respondentem Lovanij rogavit quidam Argumentator, Senior, & Universitatis illius Doctor, qui personæ authoritate eminere volebat, An non sibi liceret uti ad placitum vocibus? & si ad placitum, An non posset candida dicere nigra, & nigra candida. Et verbo

An vocibus significatis ad placitum, ad placitũ possimus uti?

verbo illi & quæstioni nominali respondi; dicens nimirùm: *Si loquuturus benè sit, non licet: Si malè, licet.* Ergo ipsis vocibus significantibus ad placitum, ad placitum uti non debes, sed ad leges quas præscripserunt illi, qui res ad placitum denominarunt. Non enim licet benè & eloquenter loquuturo, novas fingere nominum declinationes; nova verborum themata & conjugationes fabricari: nova invenire genera, novam syntaxin, aut syllabarum quantitates diversas. Debet igitur dari & addisci aliqua scientia, quæ nos doceat benè formare voces, & benè formatis non abuti. Sed quæ? Grãmatica & Vocalis Logica: illa enim voces fabricatur, & hæc à Grammaticà fabricatis utitur.

An conceptibus etiã?

Hinc me doceo, & roganti, An non possim uti conceptibus, ut voluero? respondeo: *me, si malè philosophari placeat, posse: sed si benè, non posse.* Indigeo igitur aliquâ scientiâ, quæ me dirigat, in conceptuum formatione aut potiùs coordinatione, ne subertem. Et ut specialiter loquar, inquiro. An quodcumque nomen possit cuicumque cooptari? an quodcumque adjectivum possit cuicumque substantivo adscribi? An quodcumque nomen de quocumque valeat prædicari? An quæcumque propositio inferat quamlibet? Si asseras, admittes has apprehensiones esse bonas: *Ignis frigidus, Albedo nigra,* &c. item has propositiones esse veras, *Homo est lapis, Deus est corpus, Angelus est cadaver,* &c. item has cõsequentias, *Homo est animal, ergo baculus est in angulo: Angelus est spiritualis: Ergo cras ninget,* &c. Et, si has transglutire non vis, utriq; quæstioni negativè respondere debebis. Ergo siquidem determinato subjecto non omnia adjectiva appropriantur, ut me dirigã, & sciam quæ possim aut non possim adscribere, egebo scientiâ aut Arte aliquâ, quæ me instituat: & hanc *Logicam apprehensivam* appellant. *Logica apprehensiva.* Ergo siquidem de uno subjecto non omnia verè & congruè prædicata dicuntur, sed aliqua verificantur, & aliqua falsificantur, adquirere debeo scientiam vel Artem aliquam, quæ me doceat, quando possim veraciter unum terminum enunciare de alio, & quando id sine veritatis detrimento nõ possim: & hanc vocant *Logicam judicativã*. *Logica judicativa.* Ergo, siquidem à determinatis præmissis nõ possunt quælibet positiones inferri; sed aliquæ deduci queunt, aliquæ nequeunt: debeo etiam Scientiã vel Artẽ discere, quæ me doceat, quas possim positiones præmittere, & quas possim inferre: & hanc nominant *Logicam discursivã, seu Dialecticã*. *Logica argumentativa.*

An si ista scivero, potero adhuc proficere in Dialecticâ? Maximè. Quoniam, quæ semel logicè didici, potero philosophicè recogitare, & ad hoc indigeo aliâ facultate seu scientiâ, quam vel *Logicam Philosophicam*, vel breviùs *Metalogicam* volui appellare. *Logica Philosophica.*

DISPUTATIO II.

De essentia (hoc est, de Objecto) Logicæ.

VII. Unde specificetur habitus & actus scientiarum?

INtentionalium actuum & habituum essẽtiæ ab objectis sumuntur, nam vel actus identificantur intentionaliter ipsis objectis, vel ea repræsentant exactè: igitur ut Logicæ ingenium & naturam noscamus, de objecto sumus disputaturi.

Nominum explicatio.

HIc, sicut etiam ubique, Recentiores æquivocatione multâ & obscuritate laborant in re clarâ. Oportet igitur æquivocationem tollere, ut obscuritatẽ tollamus: & ut tollamus illam, sequentes lineas exarare.

Quid sit objectum?

Objectum nomen est ab *objicio* deductum, id significans, quod obiicitur actui vel habitui. Objectum actûs est, quod ille cognoscit: & objectum habitûs vel potentiæ, quod attingitur per ejus actus. Ergo scientiæ objectum est illud, quod illa percipit.

Quid subjectum?

Subjectum non debet cum objecto confundi; quoniam non omne objectum est subjectum, sed illud, cujus à Scientiâ passiones & proprietates explicantur: nec aliud voluit Aristoteles *libr. 1. post. cap. 23.* tametsi has voces confundere omninò videatur.

Objectum duplex, materiale & formale.

Objectum in materiale & formale dividitur. *Objectum materiale* est illud quod à potentiâ attingitur; & *Objectum formale* est ratio, sub quâ attingitur: modò enim, qui ista legis, hanc chartam oculis attingis, non verò quà frigidã aut calidam, non quà dulcem aut acidam, &c. sed quà coloratã tantũmodò. Ergo hujus visionis objectũ materiale est charta, formale color. *Objectum visûs.*

Hæc duo nomina *Objectum materiale & Subjectum*, videntur omninò æquipollentia, materia enim subjectũ dicitur, & subjectum materia.

Objectum iterùm est duplex: nimirùm totale & partiale (aut, ut alij loquuntur, adæquatum & inadæquatum. *Objectum totale adæquatum* illud est præter quod nihil attingit Scientia: & *Objectum partiale inadæquatum*, est totalis & adæquati pars. *Objectum totale & partiale.*

Et hîc obiter notandum venit unum & idẽ objectum posse esse totale & adæquatum respectu actûs, & tamen partiale & inadæquatũ respectu scientiæ. Nam si Arithmetica dicatur agere de utroq; numero (pari & impari) actus, qui versetur circa parem, non percipiet imparẽ, adeòque ferretur in parem tanquam inadæquatum suum objectum; & nihilominus numerus par est objectum partiale & inadæquatum Arithmeticæ. Sic similiter, si totale objectum Geometriæ omnem extensionẽ (hoc est, longitudinem, latitudinem, & profunditatem) complectatur, actus ille Geometricus, qui cognoscit lineam, habebit pro objecto suo totali lineam, & nihilominùs hæc erit objectum partiale Geometriæ. *An idem objectum adæquatũ & inadæquatum esse possit*

Objectum partiale & inadæquatum, in nobilissimum & minùs nobile (aut, ut alij loquuntur, in principale & minùs principale) dividitur. Illud nomen attribuitur objecto, quod inter partialia est præstantissimum; hoc verò cæteris. *Objectum principale & minus principale.*

PossPosset etiam ratione temporis & ordinis in primum & ultimum subdividi, posset aliis ex causis aliter; nullus enim est finis aut terminus, quando ad accidentarias divisiones venitur.

De objecto attributionis.

Sed quid *Objectum attributionis* est? Cum uno è dictis debet necessariò coincidere: sed quia variè nomen accipitur, hæc paucula notare placuit.

VIII.

Quid illud apud veteres fuerit? quid apud recentiores sit?

Hoc veteres nomine objectum totale intellexerunt, sed quia Juniores non percipiebant rationem etymi, aliter vocem usurparunt, volueruntque hoc vocabulo Objectum principale significari. Ita Hurtadus, Arriaga, & multi alij. Sed possent etiam ab his petere veteres, cur hoc nomen objecto principali imposuerint? & non facilè possent eis respondere. nam, si objectum attributionis nominatur, cui omnia attribuuntur, quæ tractantur in scientiâ, nec totali nec principali, sed materiali debet nomen istud imponi, huic enim soli attribuuntur omnia, quæ in scientiâ tractantur. Ergo abstrahamus ab istâ nominali quæstione; singulis, loqui, ut volunt, permissis, ulteriùs progrediamur.

Objectum generale & particulare.

Iterum ergo Objectum divido in Generale & Particulare. *Objectum generale* est una ratio universalis prædicabilis de omnibus objectis particularibus. *Objectum particulare* est pars potestativa objecti generalis.

Objectum generale Physicæ.

Sic Physicæ, nec corpus naturale, nec corpus mobile, est objectum generale, quia multa in ipsa sunt, de quibus corpus non potest prædicari, ergo alia est assignanda ratio, quæ Objectum generale dicatur.

Discrimen inter generale & totale.

Sed quæ erit differentia inter objectum generale & totale? quæ inter totum potestativum & totum actuale. *Objectum totale* & adæquatum entitativè & actu omnia partialia objecta continet: at *Objectum generale* potestativè tantum & ut sic complectitur omnia particularia.

Logicæ divisio.

IX.

Logica triplex: Vocalis, Scripta, Mentalis.

COnfundunt communiter Authores tres Logicas valdè differentes, quas distinctè tradidimus: Vocalem, Scriptam & Mentalem. non enim omnis Logica agit de vocibus, ut docere Nominales dicuntur: nec omnis de scripturis, ut possent asserere alij; nec omnis de operationibus mentis; nec omnis de Entibus rationis, sed debet haberi ratio & distinctio Facultatum, dicendumque, Vocalem Logicam agere de vocibus, Scriptam de Scripturis, Mentalem de conceptibus, & Paralogica, quam voco, de Entibus rationis, si dentur; aut saltem de Entibus linguæ, de quibus loco opportuno uberiùs disputavi.

Paralogica.

De Obiecto Generali Logicæ.

X. VOces, ut dirigibiles, pro objecto generali cognosco: nihil enim à totâ Logicâ vocali tractatur, quod vox non sit. Sed quo, quæso, distingui potest modo hæc Logica à Rhetoricâ? quo à Grammaticâ? Dicam. Voces, format Grammatica: ornat Rhetorica: dirigit Logica. Primæ debemus, quòd loqui possimus, secundæ, quòd eloqui: tertiæ, quòd ignota manifestare & illustrare. Grammatici castè & purè loquuntur: Rhetores ornatè loquuntur: & Logici manifestant ignota. Qui dicunt Rhetorum esse appositè ad persuasionem eloqui, Rhetoricam Logicamque aut confundunt aut jungunt: nam ad priorem eloquentia, & ad posteriorem pertinet efficacia.

Discrimen inter Grammaticam, Rhetoricã, & Logicã,

Differunt hæ tres Scientiæ à Metricâ, Rhythmicâ, & Musica, facultatibus etiam de voce agentibus: Prima enim vocum syllabas, & syllabarum quantitates considerat: Secunda consonantias & assonantias versuum: Tertia sonoras intensiones & remissiones vocum.

nec non inter Metricam, Rhythmicam, & Musicã.

His igitur præmissis sit Conclusio, *Objectum generale Vocalis Logicæ est dictio, ut dirigibilis ad ignotum aliquid manifestandum.*

Hinc oritur alia Conclusio: videlicet, *Objectum generale Scriptæ Logicæ, est scriptura; ut dirigibilis ad ignotum aliquid manifestandum.*

Et etiam hæc, *Objectum Mentalis Logicæ est operatio mentis, ut dirigibilis ad ignotum aliquid manifestandum.*

De obiecto materiali & formali.

OBjectum materiale Logicæ Vocalis est dictio (nimirum, vox significativa, aut potiùs significans) Logicæ Scriptæ est scriptura: Logicæ Mentalis est operatio mentis. Omnium respectu objectum formale est dirigibilitas ad ignotum manifestandum. XI.

Sunt, qui dirigibilitatem pro objecto formali constituant, & si hanc ipsam intelligant, quam nos, diminutè loquuntur & scribunt; non enim quæcumque dirigibilitas ad Logicam pertinet, sed quâ dirigimur ut ignotum manifestetur: omnes enim Artes & Scientiæ habent Regulas, quibus homo dirigitur, ne errare queat. Dirigitur lingua à Grammaticâ, ut voces formet: dirigitur à Metricâ lingua, ut illas coordinando condat carmina: à Rhythmicâ, ut assonantes & consonantes fundat versus: à Rhetoricâ, ut seligat voces cultiores & meliores; & ornatè & eloquenter dicat: à Musicâ, ut sonorè concinat: & à plurimis scientiis dirigitur lingua, dirigitur vox, sed diversimodè: ergo objectum Vocalis Logicæ non est vox, ut dirigibilis ut sic; sed vox, ut taliter dirigibilis: hoc est, ut dirigibilis ad ignotum manifestandum. Ergo analogicè de Scriptâ & Mentali debebimus philosophari.

An dirigibilitas sit objectum formale Logicæ?

An sint omnes scientiæ & artes directivæ?

De Obiecto Totali.

JAm exposuimus nomen, & quo differat modo à Generali declaravimus. Generale, est totum quoddam potestativum: & Totale, est quoddam totum actuale. Ergo pronuncio, *Nullum mentis actum vocari posse Objectum totale, si rigorosè & strictè loquamur.* Et ostenditur, Quia nullus adsignabitur actus, in quo omnia clauduntur, quæ tractantur in Logicâ. Si autem laxiùs loqui velimus, aio, *Demonstrationem esse objectum totale Logicæ*: nam in demonstrationa XII.

An demonstratio sit objectum totale Logicæ.

stratione reperiuntur, si non omnia, saltem præcipua, & ferè omnia, quæ tractantur in Logicâ. *Primò* enim in demonstratione reperitur ratio syllogismi, & argumentationis: *Secundò* reperiuntur Judicia, & tandem *Tertiò* termini & apprehensiones: *non tamen* necessariò definitiones, divisiones, & millenæ argumentandi formulæ, quas vel habuimus à veteribus, vel nos invenimus, & Mundo litterario tradidimus.

De Obiecto attributionis.

Quæstiones æquivocæ priùs sunt distinguendæ, quàm resolvendæ.

ÆQuivocam esse vocem jam dixi. Et si priùs exponatur, poterimus respondere: fortè voles hoc nomine objectum generale intelligere: fortè objectum totale: fortè principale: de duobus jam dixi: de hoc ultimo aliquid subiuncturus sum.

De Obiecto principali.

Quid sit objectum principale Logicæ?

An definitio ad apprehensionem, an verò ad judicium pertineat?

Quisnam actus clarissimus sit?

Quæ mentis operatio nobilior?

ACtus Logicæ nobilissimus, erit & principalis: Sed non statim scire poteris, cui primas deferas. An definitioni? an Judicio? an Demonstrationi? Inter apprehensiones, si definitio esse prædicatum dicatur, & nobilissimum dicetur. Sed quia definitionis nomine integram propositionem viri docti requirunt, ab hac ipsâ quæstione præscindamus. Actus, quo individuum cognuscitur, est clarissimus: quo Ens, obscurissimus, & si à claritate sumi debeat nobilitas, nobilissimus est singularis. Inter judicia principaliora sunt, quæ per se nota. Inter discursus, qui evidentes & demonstrativi: puto tertiam mentis operationem, quomodocumque procedere velimus, esse aliis duabus nobiliorem, & hanc ob rem concludo, *Principalissimum & nobilissimum inter objecta Logicæ syllogismũ demonstrativum esse.*

Notanda de Obiecto per se.

XIII. *Objectum terminorum est duplex: aliud per se, & aliud per accidens.*

MUtatis rerum definitionibus omnia mutari debent, ne æquivocatio subrepat. Audivi subdividi Objectum in objectum per se & objectum per accidens. *Objectum per se est*, quod per se & propter se tractatur in Scientiâ: *Objectum per accidens*, quod non per se, sed propter objectum per se in Scientiâ tractatur. Tractantur propter aliud, quæ ut causæ aut effectus illius, quod propter se tractatur.

An propositio sit objectum totale & per se Logicæ.

Sanè, si hæc semel doctrina admittatur, magna erit varietas in assignando objecto per se cujusque scientiæ: & ut alios dicendi modos, qui minùs arrident, omittam, possemus dicere Propositionem esse objectum per se Logicæ; & de apprehensionibus illam tractare tanquam de causis intrinsecis, quibus Propositio componitur: & de argumentationibus & syllogismis, tanquam de effectibus, quorum causæ intrinsecæ sunt propositiones.

An syllogismus sit objectum per se Logicæ?

Sunt, qui intelligant nomine syllogismi præmissas, & ipsi etiam possent asserere syllogismũ esse objectum per se, nam illativè producit conclusionem; & intrinsecùs componitur duabus propositionibus, quarum quælibet duabus apprehensionibus constituitur. Sed licèt id ab ingenio improbo posset defendi, melius esset asserere propositionem esse objectum per se: melius inquam, si hujus objecti definitionem datam acceptare vellemus.

Aliqua de dirigibilitate.

Quis debeat dirigi?

DIrigitur, qui errare potest, solet-ve; & quia homo in omnibus rebus aut ferè, potest & solet labi, ideò multis scientiis & artibus, ut dirigeretur, indiguit. Peccatur contra Orthographiam, cum vel ponitur litera, quæ non debet, vel omittitur quæ debet, vel ponitur quæ debet sed ubi non debet: ut si dicerem, *Vicessimus annus excurrerat*, cùm deberem dicere, *Vicesimus annus excurrerat*. Ergo dirigibilitas Ortbographiæ in linguâ aut calamo est quod non ponatur litera, quæ non debet: nec omittatur, quæ debet: nec locetur, ubi non debet.

Dirigibilitas Orthographia.

Dirigibilitas Logica vocalis.

Eodem omninò modo de Vocali Logicâ philosophabimur: eodem de scriptâ. Dirigit stilum hæc, linguam illa, ut non ponat dictionem, quam non debet; nec omittat, quam debet: nec ponat ubi non debet. Ponitur dictio, quæ non debet, in definitione hac, *Homo est animal rationale mortale*: non enim necessaria est ultima dictio. Omittitur dictio, quæ debet, in hac, *Homo est vivens rationale*: omittitur enim sensibilitas, est enim non solùm vivens, sed & animal, hoc est, vivens sensibile. Non servatur ordo, qui debet in hac propositione, *Omnis substantia est homo*, est enim falsa, & esset non solùm vera sed & quiditativa, si mutato ordine diceres, *Omnis homo est substantia.*

Dirigibilitas Logica mentalis.

De Conceptibus sicut de Dictionibus philosophamur: erramus enim aut eliciendo actum, quem non debemus: aut omittendo, quem debemus: aut eliciendo aliter quam debemus: & ne erremus à Logicâ mentali dirigimur.

De secundis intentionibus formalibus.

Intentionum secundarum vocabula.

SUbjectum, Prædicatum; Conversam, Convertentem; Antecedens, Consequens; Majorem, Minorem, Conclusionem; Medium, Majorem extremitatem, Minorem extremitatem, &c. denominari à secundis intentionibus constat ex traditis in Logicâ. quas ipsas secundas intentiones nominibus propriis vix in abstracto poterimus denominare: at necessitas olim coëgit Platonem academicasq; ut mensæ ideam vocarent *Menseitatem*, & sciphi ideam *Scipheitatem*, cur non poterimus & nos necessitate obstricti *Subjicibilitatem*, *Prædicabilitatem*; *Conversibilitatem*, *Convertibilitatem*; *Antecedentiam*, *Consequentiam*; *Majoritatem*, *Minoritatem*, *Conclusibilitatem*; *Medietatem*, *extremeitatem*, & similes alias multas voces admittere, ut possimus intentiones secundas explicare?

De Paralogicâ : & de eius Obiecto, quod est Ens rationis.

XV. *An Obiectũ Logica sit Ens rationis?*

POno dari Entia rationis; pono, inquam, doctrinæ uberiotis gratiâ si enim ista negentur, quæstio tollitur. Et suppono nullius Philosophi opiniune omne Ens rationis pertinere ad Logicam, sed tantùm Relationem rationis, quam *Secundam Intentionem* appellant. Et hinc infero Entia tationis, quæ dari dicuntur, & Entia linguæ, quæ dantur de facto, secundum omnem latitudinem sumpta non pertinere ad Logicam; quia sicut genetalissima Entis tealis consideratio non pertinet ad Geomettiam, tametsi hæc agat de relationibus æqualitatis, inæqualitatis, &c. ita etiam generalissima Entis rationis consideratio non pertinebit ad Logicam, tametsi hæc agat de relationibus rationis, &c. Sed quò tandem ponemus Entia rationis? In Metaphysicam? minimè. Agit hæc sublimis Facultas de Ente reali, & huic illud opponitur. At inquies: Ens reale & rationis sunt opposita, & oppositorum eadem est ratio & disciplina. Et respondeo, te vel debere hanc rationem omittere, vel Geomettiam, Metricam, & multas alias facultates delere: quia Arithmetica agit de qoantitate discretâ, cui opponitur quantitas continua, quæ à Geometriâ debet considerari: & Grammatica agit de sermone soluto, cui ligatus opponitur, quià Metricâ debet formari. Ergo sicut pro quantitate discretâ & continuâ duæ sunt scientiæ, Arithmetica & Geometria; duæ pro sermone soluto & ligato, Grammatica videlicet & Metrica: duæ debebunt dari in Scholis scientiæ, quarum altera Ens reale considerer, altesa Ens rationis. Primam vocamus *Metaphysicam*: secunda caruit nomine hucusque, & hæc ipsa carentia multas difficultates, & æquivocationes invexit, quas auferet à nobis assignata distinctio. Alteram ergo scientiam vocemus *Paralogicam*, & Entia rationis & linguæ appellemus *Paralogos*, hoc est, vocum aut conceptuum umbras, nec non linguæ aut mentis errores & operationes fallaces.

Quò spectent Entia rationis? — *Metaphysica.* — *Geometria & Arithmetica.* — *Grammatica & Metrica.* — *Paralogica.*

An secunda intentiones sint Entia rationis?

XVI.

COntemplerur igitur Paralogicus Entia rationis, & eorumdem passiones, proprietates, & prædicamenta latissima; nos ad secundas Intentiones, quas vocant, revertamur, & quæramus, An & ipsæ sint Relationes rationis?

Resolutio. Si agamus de Logicâ Vocali aut Scriptâ, has relationes esse reales, clarius est, quàm quod debeat probari: nam in hac propositione vocali aut scriptâ, *Homo est animal*, realiter distinguitur alterum extremum ab altero, realiter alterum psæcedit, & realiter alterum claudit & terminat propositionem. Ergo, si esse subjectum convenit extremo primo, esse prædicatum secundo, in propositâ propositione dictâ aut scriptâ, voci *Homo* realiter convenit esse subjectum, & voci *Animal* realiter convenir esse prædicatum. Ergo relatio subjecti & prædicati in hac propositione est sealis.

Secunda intentiones sunt relationes reales in Logicâ Vocali, & Scriptâ.

De relationibus Conversæ & Convertentis eodem modo debebimus philosophari: nam in istis propositionibus, *Aliquis homo est animal, Aliquod animal est homo.* alteram esse priorem & alteram posteriorem non est fictum sed reale & verum: utramque esse particularem, etiam est verum: subjectum unius esse prædicatum aliûs, & contra, etiam est verum: ergo priorem esse Conversam, & posteriosem Convertentem, etiam est verum. Ergo hujusmodi denominationes sunt reales; non ergo relationes rationis.

Eodem modo philosophari etiam oportet de relationibus Antecedentis & Consequentis; Majoris, Minoris, Conclusionis, & cæteris. Nam in hoc syllogismo, *Omnis homo est animal, Petrus est homo, Ergo Petrus est animal*, prima præmissa vocatur major, secunda minos: & si mutaretur ordo & ex *Darij* transferretur ad *Dimagni* & formaretur sic, *Petrus est homo: Omnis homo est animal: Ergo Petrus est animal*, tunc universalis illa præmissa, quæ erat major in *Darij*, esset minur in *Dimagni*: & particularis, quæ erat minor in *Darij*, in *Dimagni* esset major. Atqui alteram præmissam dici aut scribi priùs, & alteram posteriùs, non est res ficta, sed vera & realis: ergo relatio prioris & posterioris, sive quod idem est, Majoris & Minoris, erit sealis: non igitus selatio rationis. Hæc omnia tam clara & certa sunt, ut mires esse hominem, qui illa possit negare.

XVII. *Secunda intentiones sunt relationes reales in Logicâ mentali: maximè si propositio & syllogismus composita qualitates sint.*

Si agamus de Logicâ Mentali, de quâ nunquam egisse videtur Aristoteles, nisi fortè ut meliùs Vocalem explicaret, non video cur secundæ Intentiones debeant Entia rationis nominari. Primò enim, si propositio *Homo est animal*, componatur ex partibus, erit similis Vocali aut Scriptæ, adeòque inter partes realiter distinctas habebit relationes reales, & non rationis, & si istæ non dicantur coëxistere, aut saltem non incipere simul, erit & ratio realis denominandi alteram priorem, alteram posteriorem: ac propterea alteram subjectum, & alteram prædicatum. Conversa & Convertens, si dicamus distingui & sibi succedere realiter, etiam habese relationes reales consequenter dicentur. Si syllogismus non sit simplex qualitas, sed sit ex tribus qualitatibus compositus, non comparabimus præmissas inter se, aut cum conclusione fingendo Entia rationis, sed considerando relationes, aut si velis, denominationes veras & reales. Et si altera præmissa alterâ antecedat, prior realiter denominabitur Major; postesior, Minor.

Si qualitates simplices sint, deerunt multa intentiones secundæ; at nulla erit Ens rationis.

Secundò, si propositio & syllogismus sint qualitates simplices, nec habeant entitativas partes, & psopositio conversa & convertens non sint duæ, sed unica: nec dicemus in putâ mente dari subjectum & prædicatum, sed dari duorum terminorum identificationem, quorum lingua denominet subjectum quem priùs pronunciet, & prædicatum, quem posteriùs. nec dicemus dari Conversam & Convertentem in mente, sed unicam solam propositioné,

quam

quam bifariam possis proferre, & si altero tantùm modo proferas, sic prolatam nec Conversam nec Convertentem dices: Si utroque, priùs dictam vocabis Conversam, & dictam posteriùs Convertentem. Nec dicemus dari in intellectu majorem & minorem, sed unicam solum qualitatem æquivalentem tribus propositionibus, quarum conclusio petat ultimo loco dici, at præmissæ quocumque ordine proferri possint: è quibus illa erit in linguâ major, quæ proferetur priùs, & illa minor, quæ posteriùs.

Alia hypothesis. Si Propositio constet partibus distinctis realiter, si Conversa & Convertens realiter sint distinctæ, si syllogismus non sit simplex qualitas, & tamen habeant suas partes simul, eodem modo, ac de simplicibus qualitatibus philosophabimur. Dicemus enim denominationes subjecti & prædicati, conversæ & convertentis, majoris & minoris, &c. non pertinere ad intellectum, sed ad linguam aut calamum. *N. B.* Addemusque ex hac doctrinâ verissimâ & curiosissimâ oriri multas Ecthefes, quas in Logicâ Mentali illustravimus.

Resolutio. Manet igitur *Secundas Intentiones esse quasdam relationes reales, & non esse relationes rationis; adeòque Objectum formale Logicæ non esse Ens rationis.*

XVIII. *Objectio.* Dices actus ipsos mentis vocari rationes à multis, & hanc ob rem illorum actuum relationes fore rationum relationes: unde concludes, relationem unius actûs esse relationem rationis.

Respondeo hoc esse æquivocatione ludere, & voces in dissentaneâ significatione usurpare: non enim nego dari relationes reales inter *An dentur Entia rationum vera & realia?* actus intellectuales; nec improbo, si & hi nominentur rationes: & hoc sensu negaturus non sum relationes rationum in plurali; nec in singulari relationem rationis: Sed nego secundas intentiones esse relationes fictas, & impossibiles, quarum totum suum esse sit cognosci, quæ objectivè sint in intellectu, & subjectivè & realiter esse non possint.

Addo eâdem æquivocatione laborare aliquos Academicos, qui ex alterâ parte subscribentes Platoni docenti objectum Logicæ esse operationes intellectûs, & ex alterâ volentes adulari Thomistis & dicere Objectum Logicæ esse Ens rationis, ipsumet intellectû vocaverunt Rationem, & quia actus immanentes subjectosum sunt, actus intellectûs Entia rationis nominarunt, & sic Academicos & Thomistas ad concordiam seduxisse putabant.

De secundis Intentionibus objectivis.

XIX. *An secundæ intentiones objectivæ sint Entia rationis?* Fateris secundas Intentiones formales, sive versentur inter cogitationes, sive inter dictiones, sive inter scriptiones esse reales, & tamen adhuc non vis concedere omnem secundam Intentionem Logicam realem esse, quia putas inter conceptus objectivos inveniri nonnullas, quæ sint Entia rationis.

An inter genus & Respondeo inter Animalitatem & Rationalitatem; & generaliter loquendo, inter genus & differentiam, olim à Platonicis, & hodie etiam à multis distinctionem realem reperiri: *differentia sit distinctio realis?* & qui hanc admittant, negaturos intercedere ullam relationem rationis.

An distinctio formalis ex naturâ rei? Addo Scotistas ponere distinctionem ex natura rei, quæ non sit ficta ab intellectu, & consequenter debere inter partes, quæ habent distinctionem non fictam, ponere relationes non fictas; quas possent nominare Relationes formales, aut etiam Relationes ex naturâ rei.

Thomistæ inter eosdem terminos admittunt distinctionem factam. Et eos rogo, Sit-ne *An formalis facta?* idem facere ac fingere? Distinctio formalis Thomistica, quam rationis ratiocinatæ nominant, facta est, ficta non est: & semel positâ hac distinctione factâ, Animalitas & Rationalitas erunt duæ formales Humanitatis partes ab intellectu factæ, non fictæ: & resultabunt inter ipsas relationes congeneres cognominesque. Nam sicut in quanto reali, quod suppo- *An Continuũ ante divisionem habeat partes?* nunt Peripatetici, non habere partes realiter distinctas ante divisionem realem, positâ divisione reali reperiunt reales æqualitatis aut inæqualitatis relationes: sic etiam in quanto formali, quod supponunt Thomistæ, non habere partes formaliter distinctas ante formalem divisionem seu præcisionem, positâ divisione formali reperiunt formales universalitatis & particularitatis relationes. Ubi notandum est Scotistas & Thomistas in Physicâ post divisionem, & in Metalogicâ post præcisionem convenire, Quæris, An ante divisionem Continuum habeat partes realiter distinctas? & respondet (aut saltem respondere debet) asserendo alter, negando alter. Et requiris, An *An formalis distinctio sit ante operationem mentis?* post divisionem habeat Continuum partes realiter distinctas? & concedit uterque. Et in Metalogicâ inquiris, An Petrus ante præcisionem & operationem intellectûs habeat formales partes? Et respondet asserendo alter, negando alter. Et requiris, An post operationem illam intellectûs, quæ vocatur præcisio, idem Petrus habeat formales partes? Et concedet uterque. Ergo post præcisionem eodem modo de formalitatibus Scotisticis & Thomisticis erit Philosophandum; at inter Scotisticas formalitates nec debent poni relationes reales, nec fictæ, sed formales: ergo inter formalitates Thomisticas non aliæ relationes aut comparationes, quam formales ponentur. Ergo Universalitas, Particularitas, Ecceitas, Genereitas, *Resolutio.* Specieitas, Differentieitas, Proprieitas, Accidenteitas, & aliæ quæcumque intentiones secundæ, etsi sumantur objectivè & ad Scholam D. Thomæ restringantur, non sunt relationes fictæ, sed formales.

Confusistæ. Confusistæ, siquidem universale à particulari distinguunt penes actum clarum & obscurum, tenebuntur inter Universale & Singulare distinctionem realem extrinsecam concedere, & eo sensu quo realiter distinguuntur, habere etiam poterunt relationes veras & reales.

Connotatistæ. Connotatistæ, qui penes terminos realiter distinctos, gradus hos superiores & inferiores dividunt, debent etiam asserere eosdem gradus distingui realiter extrinsecè: & consequenter relationes reales extrinsecas concedere.

Non

Non igitur relationes fictas; non igitur relationes rationis.

Quo modo Logica Intentiones secundas contempletur?

XX. *An in aliis scientiis intentiones secundæ reperiantur?*

REperio secundas Intentiones in Grammaticâ, reperio in Metricâ, reperio in Rhetoricâ; &c. reperio in Arithmeticâ, Geometriâ, &c. reperio in omnibus Artibus & Scientiis, & pronuncio ita à Logicâ respici & examinari secundas intentiones Logicas, sicut respiciuntur & examinantur Grammaticæ à Grammaticâ, & Metricæ à Metricâ; &c.

Sed quæ sunt secundæ intentiones Grammaticæ, & quo modo & nomine discutiuntur ab ipsâ?

Secundæ intentiones Grammaticæ.

Respondeo ad primum, denominationes Nominis, Pronominis, Verbi Participij, Præpositionis, Adverbij, Interjectionis, & Conjunctionis: Item denominationes Singularis & Pluralis; Nominativi, Genitivi, Dativi, Accusativi, Vocativi, Ablativi: Item denominationes Vocis activæ & passivæ: Modi Indicativi, Imperativi, Optativi, Subjunctivi, Infinitivi: Temporis præsentis, Præteriti, Futuri: & alias similes esse secundas Intentiones Grammaticas.

Secundæ intentiones Poeticæ.

Si scire velles, quænam essent secundæ Intentiones Metricæ, dicerem, nomina quantitatum, pedum, carminum, (habent enim Poëtæ syllabas longas, breves, indifferentes: pedes dissyllabos, videlicet, Pyrrichium, Spondæum, Jambum, Trochæum: trisyllabos, nimirum, Tribrachum, Molossum, Anapæstum, Dactylum, Bacchium, Palimbacchium, Amphibrachum, Amphimacrum: &c. habent & polysyllabos, sed ab istis compositos: condunt diversa carmina, Dimetra, Trimetra, Tetrametra, Pentametra, Hexametra, &c. eadem variè immiscent, & conficiunt Disticha, Tristicha, Tetrasticha.

Secundæ intentiones Rhetoricæ.

Si secundarum Intentionum, quæ ad Rhetoricam pertinent, tibi ob oculos ponerem varia Declamationum genera: internas Orationis partes: earumdem apparatum, & figurarum & troporum colores, quibus ornatur dictio. Si ad alias Scientias converteris, in singulis propria nomina subministrarem, quæ secundas Intentiones innuerent.

Quo Artifex modo secundas intentiones consideret?

Respondeo ad secundum, Grammaticum (& idem dictum volo de Poëtâ, Rhetore, Arithmetico, Geometrâ, & quocumque alio, qui Artem aut Scientiam ullam scit) considerare declinationes, numeros, casus, &c. conjugationes, voces, modos, tempora, personas, &c. ut mente concipiens præcepta generalia, & formans communia paradigmata possit prodire in praxin, & grammaticè linguam movere.

Secundæ intentiones Logicæ recensentur.

Ergo eodem Ego modo de secundis Intentionibus Logicis philosophabor. *Dicam* inter earumdem censu reperiri Terminos, Extrema: Subjectum, Copulam, Prædicatum: Nomen, Verbum: &c. Propositionem; categoricam, hypotheticam: asserentem, negantem: veram, falsam: conversam, convertentem: universalem, particularem, indefinitam, singularem: subalternam, contradictoriam, contrariam, subcontrariam: syllogismum, formalem, figuralem; topicum, demonstrativum: Paralogismum. &c. Et syllogismi partes, nimirùm, antecedens, consequens: majorem, minorem, conclusionem: majorem extremitatem, minorem extremitatem, medium, &c. *Addam* Logicum considerare apprehensionum, judiciorum, & discursuum artificium, ut mente concipiens præcepta generalia, & formans communia paradigmata, possit prodire in praxin, & logicè mentem, linguam, & stylum (sunt termini mentales, vocales, & scripti: & inde oritur Logica mentalis, vocalis, & scripta) dirigere.

Quomodò Logicus suâ Arte secundas intentiones consideret?

De Modo sciendi.

XXI. *Quid modus sciendi sit & quotuplex?*

DEfiniunt Modum sciendi esse orationem ignoti manifestativam; & triplicem esse docent: nimirùm, Definitionem, Divisionem, & Argumentationem. Et quidem has tres Orationes esse modum sciendi facili negotio concessero, at nullam præter ipsas ignoti manifestativam esse, non admittam. Etiam apprehensiones clariores, licèt simplices, ignota illustrant & exponunt: [plus & meliùs intelligit, qui auditâ voce *Æthiops* concipit hominem, quàm qui animal: plus, qui elicit actum ita clarè rationalitatem exprimentem, ut bruto convenire non possit, quàm qui ita confusè & obscurè, ut rationalis & irrationalis nullam differentiam percipiat: plus qui concipit hominem-nigrum, quàm qui hominem: &c.] Etiam propositiones, tametsi non sint definitivæ, nec divisivæ, sunt ignoti manifestativæ: multa enim ignoramus & inquirimus, quæ nec ad definitionem, nec ad divisionem spectant: quoniam quando tu inquiris, An cœli sint liquidi, an solidi? aliquid ignoras, quod addiscere cupis; & cùm ego respondeo esse liquidum, ignotum manifesto, nec tamen definio, nec divido, nec argumentor.

An sint tres modi sciendi, & non plures?

Æthiops quid sit? & quomodo concipiatur?

Quid sit modus sciendi?

Dicamus igitur Modum sciendi esse lucem, quæ tenebras mentis excutit, & ignota dilucidat: *addamus* esse triplicem: videlicet, apprehensivum, judicativum, discursivum: *Subjungamus* inter apprehensiones excellentissimas definitionem & divisionem numerari: inter judicia non debere infimo loco recenseri Propositiones diffinitivas, & divisivas: inter discursus, nobilissimos esse evidentes & demonstrativos: & positis his *concludamus* Modum sciendi esse objectum generale Logicæ: nimirùm, Modum sciendi mentalem esse objectum Logicæ mentalis; Vocalem vocalis; & Scriptum scriptæ.

Objectum generale Logicæ.

DISPU-

DISPUTATIO III.

De Divisionibus Logicæ.

XXII. *Definitionū & Divisionum vis.*

RErum essentias definitione & divisione indagamus: quâ ob rem postquam de objecto Logicæ dissetvimus, & inde definitionem eruimus, quæ Logicæ naturam explicaret; ad illius divisiones venimus; & præcipuas commentario aut Scholio illustramus.

ARTICULUS I.

De Logicâ Naturali, Vsuali, & Artificiali.

XXIII. *Logica triplex.*

CEleberrima & notissima est illa divisio Logicæ, quâ in Naturalem & Artificialem dispescitur. inter utramque ego tertium membrum adjungo, & voco *Logicam Vsualem.* Aliqua enim videntur scire solius naturæ ductu, aliquâ consuetudine & usu: arte & regulis alia.

An dentur scientiæ naturales? Putant aliqui non dari Logicam Naturalem: sicut nec Arithmeticam Naturalem, Geometriam Naturalem, Musicam Naturalem, &c. nam cùm per actus adquirantur habitus, & nemo sit, qui non sæpè audiverit Cantores, Geometras, Arithmeticos impossibile erit non adquisivisse artificiales artes, ac ideò in nemine repertum iri naturalem.

De Naturali Grammaticâ.

An gentes barbara artibus & scientiis careant? FAteor esse difficile suadere divisionem hanc Logicæ: quia, cùm nemo sit, qui non sæpè homines eruditè discurrentes audiverit, nemo erit, qui Logicâ careat artificiali: nam etiam apud Brasilos, (Barbari sunt Americæ Regionis populi) non solùm acutè discurritur, sed etiam eloquenter dicitur; ut dicendum jam omninò sit, nullam esse tam stupidam gentem, quæ omninò artibus & scientiis careat. Interim recurrens ad Grammaticam, inde ad alias scientias argumenta desumo. Nascitur Petro puellus, & infans dicitur, quasi non-fans: & *Infans an dicatur?* inquiro, An omninò nobis loqui nesciat? An nos omninò nesciamus illi loqui? Nobis & illi nullum esse commune idioma artificiale, certum est. Sivè græcè, sive latinè, sive germanicè loquaris, perinde erit: has linguas non intelliget infans. Et nihilominùs, non solùm *Infantum idioma naturale quale?* cognoscit & optat ubera, sed & postulat, & intelligitur & accipit: matrem vocat, & venit: & quâ id linguâ faciat, inquiro. Et respondet Virgilius Ecloga IV. vers. 60.

Incipe parve puer risu cognoscere matrem:
Matri longa decem tulerunt fastidia menses.
Incipe parve puer: qui non risère parentes,
Nec Deus hunc mensâ, Dea nec dignata cubili.

Ingratos enim filios nec Deus (Genius) mensâ: nec Dea (Juno) cubili dignatur: & cùm Matri filius decem mensium fastidia & pericula debeat, ubi retributioni nondum locus, gratiæ ut minimum & habendæ & agendæ. Sed quo idiomate gratiæ, si nullum didicerit infans? naturali. Ridere potest, qui loqui non potest. *An risus & lachrymæ sint signa naturaliter significantia?* Agat cum Matre nutibus; illa favet, subrideat; illa jubet, arrideat: & sic linguâ naturali loquetur. Illâ etiam utemur & nos, ut doceamus vernaculam, & à facilioribus incipientes vocabulis *Mammam* atque *Tatam* advocare jubebimus, & posteà cùm linguam habeat expeditiorem, dicere *Matrem* & *Patrem.*

Et hîc obiter aliquid contra illos, *qui didicère minus, quàm potuère loqui,* esset dicendum: aliquid contra nonnullos Gallos, qui tunc putant eloquenter se loqui, cùm ad incunabula redeuntes, *Ma-ma,* vocant, quam *Mere,* hoc est, *Matrem* deberent: sed quia occlamat Martialis libr. 1. XXIV. *An corruptè proferrè literas sit cum gratiâ conjunctum.*

Mammas atque Tatas vocat Afra, sed ipsa Tatarum
Dici & Mammarum maxima Mamma potest.

non est cur digrediamur: sufficit enim nobis, quòd à Martiale fuerint, aut irrisi aut correcti. Hîc etiam contra Hispanos nonnullos, qui se putant dulciùs loqui, cùm blesiùs. Hîc contra alias nationes, omnes enim suas in eloquutione prærogativas & suas singulæ imperfectiones habent.

De loquutione Angelorum. Et hîc etiam obiter de Angelis (ut cœlos terris commisceamus) de quorum loquutione variæ sunt in Scholâ sententiæ: alij enim eos inter se signis, alij agere volunt conceptibus. Signa eorum, qui volunt Angelos per signa lo- *An utantur signis?* qui, sequuntur Ægidius *in 2. dist. 10. quæst. 2. in resol. art.* Argentina *ibid. art. 2.* Molina *quæst. 106. art. 2. concl. 2.* Rubio *in 2. dist. 9. quæst. 2. art. 2. in sec. parte art. concl.* 3. Ariminensis *quæst. 2.* Marsilius *quæst. 7. art. 2. not. 6.* Albertinus *coroll. 11. in princ. Philosoph.* ad quem inclinat Vasquez *disp. 211. cap. 10.* quos video reiici hodie, & impugnari, & impugnationis efficaciam aut probabilitatem non video. Non assero Angelos signis (sensibilibus aut spiritualibus) loqui aut non loqui; sed assero Communem Theologorum rationem, quæ contra ipsos ponitur, jam à Virgilio, & aliis antiquis, solutam. Amicus *tom. 2 qui de Angelis est, disp. 15. nu. 4.* Sic positam opinionem impugnat. [Vel hæc signa sunt *Signum duplex.* naturalia, vel ad placitum: si ad placitum, aut sunt instituta ab Angelis, aut infusa à Deo, ut fuit lingua infusa Protoparentibus. Non primum: quia ut potuissent Angeli talia signa instituere, debuisset in eis præcedere naturalis loquutio, quâ inter se convenissent ad hujusmodi signa instituenda, ut constat in hominibus

per

per nutus & signa naturalia, antequam voces rebus imponant. Quæ naturalis loquutio, quia in Angelis esset perfecta, ut potè, quæ fieret per manifestationem internuntium conceptuum, non indigeret aliis signis ad placitum, quibus ob sui imperfectionem indiget naturalis hominum loquutio. Non secundum, quia vel hæc signa essent eadem in omnibus Angelis, & tunc quia unusquisque haberet speciem repræsentantem signa aliorum; (non enim hæc essent entia libera, sed necessaria) unusquisque cognosceret quid alter loqueretur, atque adeò non posset inter eos esse secreta loquutio. Vel singuli Angeli haberent diversa signa, ut propria idiomata, quibus invicem loquerentur, ut censet Albertinus, & tunc idem sequeretur: quia deberent singuli habere omnia signa aliorum, ut unusquisque & loqui & audiri posset ab omnibus: proinde nullus posset ad alterum secretè loqui, quin ab altero audiri posset.]

Datur loquutio naturalis & artificialis in hominibus, & in angelis potest.

Sed hæc Amici ratio amica est, & ideò nocere aut urgere non potest: datur enim idioma naturale & artificiale in hominibus, & potest reperiri in Angelis. Et præter infantem, quem naturaliter loquêtem paulò ante vidimus, producam adhuc aliquos, qui idiomate naturali usi, nos doceant de Angelis philosophari.

Historia notabilis de duobus naufragis.

In Americanæ Indiæ Relationibus legimus navim Beticam naufragium passam plurimos viros submersisse, è quibus unus solus vivus ad montem adjacentem pervenit, & ibi Deo iterùm redemptori gratias egit. Magno ibi in altâ & desertâ insulâ labore vitam hanc uno aut altero anno toleravit, & dum oceanum procellosum despiceret, fluctuantem naviculam respicit; imò mox non respicit; nam absorpta ab undarum voragine defecit homines, qui frustrà nando contra ventorum & undarum impetum dimicabant. Perierunt omnes præter unum, eumque Hollandum, quem ventus in terram impegit. Accurrit ille Hispanus, congratulatur, invitat ad cœnam, hospitio recipit, tractat amicè: sed quâ linguâ? Hispanam ignorabat Hollandus, Hollandam Hispanus: & ideò debuit uti naturali. Nutibus sub initium, linguâ postmodùm cæperunt agere, & dum alter alteri se attemperat, & mutuò docent discuntque, novum idioma composuerunt, quod nec erat Hollandum, nec Hispanum. Manserunt multis annis ibi, habuerunt suas difficultates, suas rixas, suas pugnas: redacti ad amicitiam fuerunt: & posteà à navi Lusitanâ prænavigante audîti & liberati multa & mira narrarunt, quæ humani ingenii vires summas, & humanæ patientiæ fragilitatem summam demonstrarent.

Lingua naturalis. *Lingua nova.*

XXV. *Mutorum idioma.*

Hulsti (urbs Belgii est) habebat Bernardus Campmans, Abbas Dunensis, inter alios famulos mutum unum, qui cùm idioma nostrum non posset addiscere, suos cæteros famulos docuit, & ita exactè, ut de quibuscumque rebus loqueretur cum ipsis, & mirabiles historias narraret.

An infantes aliquod idioma sciant?

Ideis istis præventus sic discurro, Puellus infans & patres fantes habere debent aliquod idioma commune, quo se intelligant: nam si nullum signum extrinsecum intelligeret infans, nunquam vernaculum idioma adquireret. Ergo congenitum fuit illi aliquod idioma naturale. Illi naufragi, ut sibi mutuò loquerentur sub initium, idiomate artificiali carebant, & tamen loquebantur, & se intelligebant, licèt imperfectè & obscurè; & novo idiomate condito, perfectè & clarè. Hulstensis mutus antequam nos docuisset suum idioma, nobis dixit se velle nos docere, & quo id idiomate? naturali, non alio. Ergo posset aliquis de Angelis pariformiter philosophari. Posset dicere, Supremum Spiritum, tanquam aliorum omnium Principem, idioma composuisse, quod posteà omnes cæteros docuit: & fuisse similem vel Matri quæ suum infantem fari docet: vel muto Hulstensi, qui idioma à se factum docebat cæteros. Vel, si hoc non vellet, posset dicere Angelos communi consilio convenisse, & communi auxilio & concursu artificiale idioma conformasse, non secus ac fecerunt naufragi, quorum nuper meminimus. Et sicut apud homines naturale idioma quoad extensionem imperfectissimum (hoc est brevissimum) quoad intensionem perfectissimum in nobis est: multa enim vel oculorum motu, vel nutu aliquo simplici significamus, quæ vix multis verbis possemus: sic etiam idioma naturale Angelicum licet esset extensivè imperfectum, esset nihilominùs perfectum intensivè: & pauca illa, quæ exprimere posset, exactissimè repræsentaret.

Idioma naturale. *Quomodo potuerunt Angeli artificialem linguam componere?* *De naturali idiomatis perfectione, extensivâ & intensivâ.*

His positis ad Amici argumentum possent respondere adversarij, Angelos loqui inter se signis ad placitum (sensibilibus aut intelligibilibus) & hæc signa non fuisse infusa à Deo, sed ab ipsis inventa & instituta: & ut hæc ipsa instituerentur, præcessisse inter Angelos concordiam & communem consensum: & hunc sine loquelâ non præbuisse: sed habuisse ipsos, sicut & homines, concreatam quandam naturalem Grammaticam, quæ simul esset perfecta & imperfecta: perfecta quidem, quia clarissima, certissima & notissima; imperfecta autem, quia brevissima, & ad objecta paucula determinata. Et hanc ob rem indigere aliis signis ad placitum ut compleretur, sicut hominum naturalis Grammatica.

An Angeli utantur signis ad placitum, dum loquuntur? *An naturale Angelorum idioma extensivè & intensivè perfectum sit?*

Possent addere, errare Amicum, cum ait, protoparentibus (sic protoplastos nostros nominat) linguam divinitus infusam esse. Cum illis enim intellectualiter egit Deus, jussitque Adamo, ut singulis rebus nomina convenientia imponeret. Hoc significat illa periodus. *Adduxit ea Dominus ad Adam, ut videret, quid vocaret ea.*

An linguam hebræam cōposuerit Deus & Adamo infuderit: an eandem potius ex mandato Dei composuerit Adamus?

De Naturali Logicâ.

XXVI. *Grammatica triplex.*

E Grammaticâ ad Logicam securus transitus: illa est triplex; naturalis, usualis, & artificialis. Naturalis est hominibus universis congenita, quam paulò ante exposuimus. Usualis est, quæ usu adquiritur: qualem habent omnes, qui tantùm maternum idioma percallent: hoc enim non regulis, sed usu addiscimus. Artificialis est, quæ regulis & præceptis traditur, qualis est hodie Latina & Græca, & etiam peregrinæ omnes,

omnes, quarum Grammaticas Institutiones addiscimus, ut ejusmodi linguas exactè & perfectè sciamus. His tribus Grammaticis adhuc addenda est quarta, quam *Scholasticam* aut *Speculativam* vocamus, & *Metagrammaticam* possemus, cujus est regulas ab Artificiali datas altiore indagine examinare & propugnare; & sine hac securè & sine lapsu loqui potes, scientificè verò non potes. Sanè sine lapsu & securè: ut enim dicas *Quercum magnam* & non *Quercum magnum*, sufficit scire nomina Arborum juxta regulam generalem esse generis fœminini, & *Quercum* ab hac lege non eximi: licèt ignores, cur Arbores fœmininæ sint, & cur transfugiente ad marium censum *Oleastro*, & ad neutrorum classem *Acere*, *Subere*, & *Robore*, *Quercus* hæreat, & immunitatem à regulâ generali non requirat.

Metagrammatica, seu Grammatica speculativa.

An Quercus magnum sit necessaria.

Eodem omninò modo de Logicâ philosophabimur. Est enim triplex; naturalis, usualis & artificialis. Naturalis Logica est hominibus universis congenita, putamus enim hominem, si quem crearet Deus rationis compotem, antequam vel alium videret, aut audiret, apprehensiones, judicia, & discursus aliquos formaturum, etiam certissimos, sed paucos, quousque usu vel arte modum intelligendi addisceret. Usualis est illa Logica, quæ usu adquiritur: qualem habent innumeri Jurisperiti, qui non didicerunt Dialecticam; qualem Aulici & Politici plurimi, qui benè de plurimis rebus discurrunt, & tamen nunquam dederunt operam Præceptori Dialectico. Artificialis Logica est, quæ regulis & præceptis traditur, qualem habent hodie Philosophi, Theologi & Medici, & omnes, qui communes scholas frequentarunt. His tribus Logicis addenda est quarta, quam vel *Scholasticam*, vel *Speculativam*, vel *Metalogicam* vocamus, cujus est regulas ab Artificiali Logicâ traditas altiore indagine examinare & propugnare: & quidem sine hac securè & sine lapsu dialecticari potes, scientificè verò non potes. Sanè sine lapsu & securè; ut enim Universalem asserentem, in particularem, & non in aliam universalem convertas, sufficit illam regulam scias; nimirum:

Logica triplex. *Naturalis.* *Usualis.* *Artificialis.* *Metalogica.* *An sit necessaria & ad quid.*

Simpliciter FECI: *convertitur* EBA *per accid.*
ASTIO *per contrap. sic fit conversio tota.*

licèt, cur hæc sit ita pronuntiata, nescias; id enim Metalogica docet.

An Naturali, aut etiam Usuali Logicâ sit fidendum?

XXVII. *An naturalis lingua sola, aut etiam naturalis Logica, plus in aliquo?*

PUto nullum esse hodie in Europâ, qui solùm calleat naturalem Grammaticam; omnes enim usu, & multi etiam arte loqui sciunt. Et infero nullum esse hodie in Europâ, qui solùm calleat Logicam naturalem: omnes enim usu, & multi etiam arte sciunt definire, dividere, judicare, & argumentari. At, qui artificiali cares, seu usuali seu naturali orneris, ne fide ingenio nudo, ne fide usui, soli enim confiditur doctrinæ & arti. Hæc certa omninò; at nihilominùs Authorum testimoniis firmanda.

Cicero *lib. IV. de bonorum & malorum finibus.* [Etsi ingeniis magnis præditi, quidam dicendi copiam sine ratione consequuntur, Ars tamen est dux certior, quàm Natura: aliud est enim Poëtarum more verba fundere, & aliud ea, quæ dicas, ratione & arte distinguere.] Sed neque ipse Poëtarum spiritus, si arte & exercitatione careat, carmen aliquod perfectum conficit.

An rhetoricari quis possit sine arte? an versus fundere?

Rhetoricâ minus videtur arte egere, & tamen Plato in Phædro introducit Socratem sic loquentem: [Consentaneum est, ô Phædre, fortè etiam necessarium, quemadmodum in cæteris rebus, ita & in hoc certamine peragendo perfectum esse. Quippe, si tibi natura, ut sis Orator, tribuerit, accedente doctrinâ & exercitatione, excellens eris Orator: siquid verò horum tibi defuerit, mancus eris.] Ecce triplicem Socrates cognoscit Rhetoricam; naturalem, quam tribuit tibi natura ut sis Orator: usualem, quam peperit exercitatio; & artificialem, quæ à doctrinâ & institutione dependet.

Rhetorica triplex: naturalis, usualis, artificialis.

Consentit & Quintil. *lib. 2. Oratoriarum Institutionum.* Consummatos, inquiens, in arte, plus doctrinæ debere, quàm naturæ putabo: sicuti in solo fœcundo, plus cultor, quàm ipsa per se bonitas soli efficiet.

Pulchro quoque hac de re generali sermone, quantum ad omnes artes, differuit Vir eximius, Hugo à S. Victore *libro primo Didascalicæ eruditionis*, cujus eo in loco hæc sunt verba: [Omnes scientiæ priùs erant in usu, quàm in arte. Sed considerantes deinde homines usum posse in artem converti, & quod vagum fuerat ac licentiosum priùs, certis regulis & præceptis posse restringi, cœperunt consuetudinem, quæ partim naturâ, partim usu exorta fuerat, ad artem reducere; quod pravum habebat usum, emendantes; quod minus habebat, supplentes; quod superfluum habebat, resecantes, & de cæteris singulis certas regulas ac præcepta præscribentes. Hujusmodi fuit origo omnium artium. Priusquam esset Grammatica, & scribebant & loquebantur homines. Priusquam esset Dialectica, ratiocinando verum à falso discernebant. Priusquam esset Rhetorica, Jura Civilia tractabant. Priusquam esset Arithmetica, usum numerandi habebant. Priusquam esset Musica, canebant. Priusquam esset Geometria, agros mensurabant. Priusquam esset Astronomia, per cursus stellarum temporum discretiones capiebant. Supervenerunt artes, quæ licèt ab usu principium sumpserunt, usu tamen meliores sunt.]

Scientia qualibet triplex: naturalis, usualis, & artificialis. *Natura, Usus, Ars.* *An Ius Civile possit esse ad Rhetoricam?*

Hanc etiam quæstionem Rodolphus Agricola *lib. 2. de Inventione cap. 5.* cujus verba sunt hæc. [Quid ergo? dicit aliquis. Nonne & ante inventam Dialecticen fuerunt artes, & disputatum est & inventum est verum? Et nunc quoque quotusquisque eorum qui disputant, Dialecticen tenet? Deinde quæstioni respondet: Non est, inquiens, quod negem hæc ita esse. Illi tamen quod Dialecticè XXVIII.

An Artes omnes à Dialectica pendeant?

docent, & faciunt & fecerunt, multò commodius si hanc didicissent, fortassè facturi. *Rhetorica naturalis.* Quemadmodum & ante traditam Rhetoricen diserti viri fuerunt; & priusquam litteris comprehensa est, musicè cecinerunt homines. *Medicina naturalis.* Nec Hippocrates, ut primus in artis imaginem medicinam coëgit, sic & primus cognovit morbum, pro futura meditatus est, ægrum levavit. Facta sunt hæc, antequam artes fierent, & ob ipsum quòd crebrò sunt facta, *Quo modo enata fuerint artes?* longa rectè secùsque factorum annotatione artes esse cœpere. Provenêre deinde præclara ingenia, quæ dispersa colligerent, confusa disponerent, explerent imperfecta, rudia perpolirent, & omnia complecterentur, non modò quæ facta essent, sed quæ fieri etiam possent. Sic quod casus ante fuerat, cœpit deinde ratio esse. Et sequutum est, ut non quia factum jam esset aliquid debere fieri, sed quia deberet fieri, crederent esse faciendum. *Aliqui faciunt artis opera & nil ex arte.* Qui priores ergo fuerunt artibus, similia his ipsis, quæ nunc præcipiuntur, si quando rectè fecerunt, securi sunt, sicut hodie plerique faciunt, quod artis est, sed non ex arte: quippè quam nullam habent, sed vel longâ observatione, vel ingenij quodam præstanti vigore. Quantò rectiùs tamen, quantò meliùs expedirent illa, si certâ artium ratione ducerentur? Dursiuta enim sæculis ingenia, & quibus non præsentes solùm plaudant, sed *Quo modo inventa & perfecta Dialectica sit?* quæ omnis posteritas miretur, ea tum demum fiunt, quoties cum optimâ naturâ ars perfecta conjungitur. Sic quod Dialectices est, invenerunt argumenta homines, & errore malè inventorum aliquando deprehenderunt, antea quàm essent omnia præcepta illius in artis formam collecta. Aristoteles tamen, quique post eum illâ instructi fuêre, facilè libris suis ostendunt, quàm magnus sit usus ejus, & quàm tractandis omnibus rebus accommodatus: utque sine eâ non solùm singula, de quibus in artium decursu dubitaretur, explicari nequirent, sed ne artes quidem colligi possent; & in hanc, quam acceperunt, redigi formam.]

ARTICULUS II.

De Logica Universali & Particulari.

XXIX. HAnc divisionem tradidit Averroës *Præfatione in libros Posteriorum.*

Quæris quid intelligat Hispano-Maurus Commentator istis nominibus?

Zabarella *libr. 2. Logicæ cap. 1.* ait, sub universali contineri librum categoriarum, & de *Expositiones duæ.* interpretatione, prioresque Analyticos; at sub particulari, seu propriâ, posteriores Analyticos, & alios, qui de speciebus syllogismorum agunt. Vallius verò *part. 2. proleg. quæst. 4. cap. 21.* per universalem eam intelligit, quæ tradit præcepta universalia: per particularem, quæ ea ad particulares materias restringit.

Sed utra est melior expositio? Lalemandetius *disp. 3. part. 2. de divis. Logicæ §. Secunda* meliorem esse sensum Zabarellæ ex eo concludit, quod stando expositioni Vallij idem esset Logicam dividere in Universalem & Particularem, ac in Docentem & Utentem. *Logica docens & utens.* Sed unde scit Lalemandetius has ipsas divisiones non coincidere? & quidem me judice Zabarellæ expositio nimis videtur materialis & arbitraria.

Posset igitur Averrois sententia aliter & *Tertia expositio.* multò commodiùs explicari, si Grammaticam, quam scimus, recognoscamus, & rationis paritatem servemus. Datur generalis Grammatica, datur Particularis: prior Regulas *Grammatica generalis & particularis.* universales & generales docet: posterior exceptiones adjungit: qui priorem sciat, ratò errabit: qui posteriorem, nunquam. Hanc ob rem Etymologiam (Grammaticæ nobilissimam partem: Nominum genera, & Verborum præterita, & supina explicantem) Paulus Conupæus Augustinianus in duas partes distinxit: nimirùm in Universalem & Particularem: primam tradidit cap. 4. libri primi, quod inscribitur, *Continens faciliora præcepta Etymologiæ generalia*: secundam toto libro secundo, qui inscribitur *Etymologia Latina Grammatices, in quâ præcipua Nominum & Verborum proprietates facili methodo explanantur.* Ergo *Logica generalis & particularis.* eodem omninò modo potest & solet primâ die studiosis tradi aliqua brevior & universalior methodus disputandi, vi cujus rariùs errare possint: & posteà sensim Dialectica Artificiosa traditur, quæ securo tramite eos manuducat.

ARTICULUS III.

De Logica Apprehensiva, Indicativa, & Discursiva.

OLim Plato Logicam esse dixit operationum intellectualium directricem; & eum XXX. sequutus, imò assequutus D. Thomas *1. Periherm. lect. 1.* Logicam juxta tres mentis operationes dividit; Et quidem celebris & recepta *Academicorum & Thomistarũ divisio.* est hæc divisio, licèt eam reiciant Conimbricenses, *in appendice ad quæstiones proœmiales*, ex eo quòd divisio debeat fieri in partes proximas; illa autem fit in partes remotas. Nam *An sola argumentatio sit objectũ Logicæ?* prima & secunda operatio sunt tantùm materia remota objecti Logicæ. Quæ ratio non esset omninò inefficax, si objectum Logicæ esset argumentatio sola: at quia illud omnes sciendi modos complectitur, claudicat & vacillat. Et ideò non nulli, & meritò, asserunt D. Thomæ divisionem præferendam esse ei, quam adinuenere Conimbricenses, scilicet in modos differendi, illa enim D. Thomæ ultimatè omnem materiam, omnesque Logicæ partes explicat: at ista Conimbricensium non nisi aliquas; nimirùm, quæ ad tertiam mentis operationem pertinent.

Hanc Platonis, hanc suam, hanc nostram Logicæ divisionem D. Thomas *opusc. 48.* ex ipsamet naturâ hominis hunc in modum deducit. Nam, cum nobis insitus sit naturalis quidã sciendi appetitus, frustrà esset talis appetitus, nisi

nisi aliquando scientiam essemus assecuturi; Sed ut habeatur scientia, cùm sit effectus demonstrationis, debet haberi demonstratio; demonstratio autem, cùm sit species syllogismi, non habebitur nisi habeatur syllogismus; non enim habetur species, nisi habito etiam genere: nec cognoscetur syllogismus, nisi cognitis ejus partibus materialibus, quarũ alię sunt proximę, aliæ verò remotæ; Propinquæ sunt propositiones; Remotæ autem res omnes, quæ omnia sigillatim omnibus Dialecticæ partibus respõdent. De partibus remotis syllogismi in libris prædicabilium & prædicamentorum agitur: ubi enim res omnes in suas classes distribuuntur: de partibus propinquis libri Periher. seu de interpretatione disseruut; de ipso syllogismo libri Priorum, de demonstratione libri Posteriorum; ubi quoque mentio fit de ejus effectu, qui est scientia actualis.

An omnis demonstratio sit syllogismus? Cur non posset fieri argumentatio evidens, quæ non sit syllogistica?

Ubi Aristoteles singulas mentis operationes exposuerit?

ARTICULUS IV.

De Logica Antiquissimâ, Antiqua Novâ & Novissimâ.

XXXI. ET hîc etiam multæ sunt controversiæ de vocibus. Multi *Veterem* vocant, quæ de argumentationis partibus, tum proximis (hoc est prædicamentis & enunciatione) disserit; Novam quæ de ipsâ argumentione. Vallius illam Logicæ partem dicit veterem, quæ à Philosophis Aristotelem præcedentibus adinventa est: novam verò, quam Aristoteles invenit. At Joannes Major *quæst. 3. prædicabilium* ait, illam esse veterem, quæ de partibus argumentationis disserit, ut sunt prædicabilia, prædicamenta, & periherm. novam verò, quæ circa totam argumentationem versatur, & quia totum partes supponit, posterior nova vocatur, non quòd posteriùs adinventa sit. Undę apertè contradicit Vallio Joannes Major. Lalemandetius illam veterem nominat, quæ apud multos parva Logicalia pro nomine suo obtinuit; suntque ea, quæ in introductionibus ad Dialecticam traduntur; Novam autem, quæ quæstiones Logicales ad amussim discutit. Sed hoc esset confundere hanc divisionem, cum alterâ, quâ Dialecticam dividimus in Logicam & Metalogicam.

Exponuntur hæc nomina.

Ego Vallio subscribo; & puto panem voce *panis*, & vinum voce *vini* esse significanda; nec in re seriâ & difficili tropos & metaphoras admissum iri: & sic discurro. Puto apprehensiones & judicia ad Logicam antiquissimam pertinere; nec reperio multa à Recentioribus inventa, quibus caruerint olim Prisci: & in Dialecticâ (ultimâ Logicæ parte) hanc præcipuè divisionem inveniam. Inductio & Dilemma sunt argumentationes antiquissimæ; Syllogismi prisco ævo vix noti. Ergo jam scimus qui & quales discursus ad antiquissimam Logicam spectent. Ad antiquam pertinebunt Syllogismi formales, quos Plato invenit: illi, inquam, quos malè exploratos habent recentiores nonnulli, sive ipsos rejiciant, sive ad quartam figuram reducant. Ad novam Syllogismi omnes figurales, qui nihil aliud sunt, quàm quædam formalium transfigurationes, quas summo ingenio formavit Aristoteles. Cujus discipuli in hoc displicent, quòd tanti transfigurationes istas faciant, ut formas ipsas, quarum transfigurationes sunt, non curent. Ad novissimam spectant omnes illi arguendi & concludendi modi, quibus naturâ duce usi sunt illustrissimi viri, & inter ipsos majore ingenij gloriâ D. Thomas: quos ego primus ad regulas & leges reduxi, & scientificè part. V. Logicæ Vocalis illustravi.

Propria sententia.

Antiqua & nova argumentationes.

Syllogismi formales.

Syllogismi figurales.

Syllogismi novissimi.

ARTICULUS V.

De Logica Docente & Utente. Item de Metalogica.

XXXII. EST hæc celebris in Scholis divisio, & à cunctis aut ferè, tanquam specialis tractatur; cùm tamen omnibus Artibus & Scientiis practicis communis sit. Sicut enim Logica, sic etiam Grammatica, sic Rhetorica, sic Poëtica, sic Arithmetica, sic Geometria, sic Musica, sic Architectura, sic aliæ possunt in Docentes & Utentes dispesci. Grammatica docens regulas & leges considerat; utens observat: illa docet exempli gratiâ, Insularum nomina esse generis fœminini, & utens hâc regulâ Martialis ait, *Cum te Flacce mihi reddet Cytheria Cypros.* Rhetorica docens agit de Orationis partibus & eloquutionis attributis, & Cicero præceptis Rhetorices usus scripsit tùm Orationes alias, tùm præcipuè Philippicas, quæ cum plausu leguntur. Metrica docens agit de quantitate syllabarum, de pedum syllabis, de versuum pedibus, & interim in re aliud est has leges scire, & aliud versus condere, & illas ad praxin reducere. Eodem de Arithmeticâ modo, eodem de Geometriâ, Musicâ & cæteris Artibus practicis philosophabor. Manifestum est ergo dari Logicam docentem & utentem: illamque contemplari leges & regulas: hanc verò actus suos ad easdem formare & efformare.

An omnes Scientiæ & Artes in docentes & utentes dividantur?

Grammatica docens, & utens.

Rhetorica docens, & utens.

Metrica docens, & utens.

Artes aliæ docentes & utentes.

Logica docens & utens.

Hîc jubet Lalemandetius *disput. 3. Logicæ partis. 2.* adverti primò, Logicam Utentem sumi posse dupliciter: primò pro habitu faciente instrumenta sciendi; definitionem, divisionem, syllogismum, &c. Secundò pro ipsis modis & instrumentis sciendi. Sed quando dividimus Logicam in Docentem & Utentem, per hanc ipsum habitum, non verò instrumenta ab illo habitu fabricata intelligimus: in architecto similes habitus dignoscere possumus, in quantum enim considerat domum, an benè vel malè exstructa sit, vel quatenus tradit in universum præcepta de rectâ domo faciendâ, dicitur architectus docens, & prout ea ipse applicat in particulari, architectus utens.

Logica docens duplex.

Architectura docens & utens.

Jubet adverti secundò hanc divisionem ad omnes Logicæ partes & species extendi; nam sicut datur Analytica docens; ita & Analytica utens: sicut datur Topica docens; ita & Topica utens: demùm Sophistica docens & Sophistica utens; ubi enim est traditio præceptorum in universum, ibi dabilis est illorum præceptorum ad usum reductio; sed pro omnibus partibus Logicæ dantur præcepta in universum, ergo & pro omnibus partibus Logicæ illorum præceptorum dabitur usus, qui nihil est aliud, quàm Logica utens.

Analytica, Topica, & Sophistica docentes & utentes.

Monet tamen servandam à Dialectico sinceritatem: quam ob rem sciri vult, quòd, licèt pro parte sophisticâ dentur, & præcepta & usus, non tamen id fiat, ut Sophismatibus inhæreamus, sed potiùs ut illorum fallacias, devitare possimus. An-ne non dabitur casus, in quo liceat Sophisticâ possimus uti? Dabitur & datur frequentissimè. Attende. Inceperunt Anabaptistæ adulari Nestorio, & Christi divinitatem negare. Produitque Author quidam Anonymus sophismatum formâ servatâ suadens Mulieres non esse homines. An huic licuit veritatem tam certam sophisticâ subtilitate invadere? licuit-nam sic discurrit. [Eodem argumentantur modo Anabaptistæ, ut probent Christum non esse Deum, quo ego ut suadeam mulieres non esse homines: at hoc non obstante meorum argumentorum apparatu, nemo mortalis credet: ergo nec illud prius admittere aliquis vix sincerus poterit?]

An Sophistica utens sit licita?

An mulieres sint homines? Cur scriptus libellus de hac materiâ sit?

An Logica Docens & Utens realiter distinguantur?

XXXIII. VAriæ sunt in Orbe litterario Scholæ, & in singulis consentaneæ sententiæ. Si consulantur Reales, Modales, Formales, Negativi, Expressivi, Nominales, respondebunt singuli ex propriis principiis, sed inter se nullo modo convenient. Reales asserent Docentem ab Utente distinctione strictè reali distingui; non minùs quàm Petrus à Paulo. Tantisper minùs Modalistæ, has duas Logicas dicent esse unum & eundem realem habitum, sed diversimodè modificatum: differentiamque totam non se tenere ex parte potentiæ vel habitûs, sed ex modo tendendi: si enim tendat in objectum suum speculativè, vocatur docens; si operativè, utens. Formalistæ ex his duabus sententiis sument fundamentum ad dividendum hujus habitûs realitatem in duas formalitates, quæ distinguentur formaliter ex naturâ rei ante mentis operationem in Scotistarum Scholâ: formaliter post mentis operationem in Thomistarum Lyceo. Schola negativa utriusque Logicæ discrimen ad aliquam negationem reducet, dicetque unam & candem Logicam, si perveniat ad exercitium, esse Utentem; & si non perveniat (nota hoc *non*) esse Docentem. Expressivi seu Connotatistæ omnia ad terminos & extrinsecas denominationes reducent, asserendo unam & eandem entitativè qualitatem, prout Logicæ leges contemplatur Docentem; & prout illas reducit ad praxim Utentem nominari. Et tandem Nominales stando suis principiis & phrasibus dicent Logicam docentem & utentem esse duo nomina, eandem verò rem.

Variæ Scholarum & Authorum sententiæ.

XXXIV. Omnes in hâc controversiâ Latinos esse Nominales Lalemandetius jam citatus existimat: *Communis, ait, opinio Latinorum est, quòd sint unus idemque realiter & formaliter habitus:* at multi sunt hodie Latini, qui illas distinguant realiter; multi qui illas modaliter. Sanchez *quæst. 6. proœm.* vult distingui formaliter, non realiter: hæc ipsius sunt verba, *in preambulis ad quæstionem*. [Non distinguitur realiter ut res à re: sed realiter formaliter.] At Græci illas volunt distingui realiter, ut rem à re, & fundamentum eorum est: Quia Logicam Docentem esse à rebus avulsam, id est, separatam, asserunt: Utentem verò esse rebus conjunctam, seu cum aliis scientiis immixtam. Sed hæc ipsa verba adhuc indigent expositione. Dicunt igitur Græci, Logicam Utentem in Physicâ confundi, & conjungi cum habitu Physico: & in Metaphysicâ cum Metaphysico: & ista distinctio Græcorum potest hoc modo exemplificari: Aliud est senarius numerus, prout abstrahit à sex hominibus, sex lapidibus, &c. & aliud senarius numerus, ut importat sex homines, sex lapides, &c. Primo modo dicitur senarius numerus à rebus avulsus, secundo modo dicitur rebus conjunctus. Juxta primum modum ex opinione Græcorum, debet considerari Logica docens: juxta secundum Logica utens: & quia senarius numerus importans sex homines non est distinctus à sex hominibus, sed cum illis conjungitur & confunditur: ita Logica utens confunditur cum rebus, in quibus syllogismos facit: unde si syllogismi fiat in materiâ physicâ, ipsa utens tunc cum Physicâ, & si in materia Metaphysicâ, cum Metaphysicâ confundi dicetur.

Quæ sit Latinorum sententia?

Qua Græcorum?

Logica alia à rebus avulsa; & alia rebus conjuncta.

Lux ex Arithmeticâ.

An Logica cum aliis Scientiis confundatur?

Sed ratio hæc Græcorum est debilis: quia sex homines bifariam possunt considerari, videlicet, quâ sunt sex; & quâ sunt homines: sub primâ consideratione pertinent ad Arithmeticam & non ad Physicam; sub secundâ ad Physicam & non ad Arithmeticam. Statuendum igitur contra Græcos tam Arithmeticam docentem quàm utentem differre à Physicâ: etiamsi homines aut corpora mobilia numerentur: Logicam docentem & utentem differre à Theologiâ; etiamsi de Trinitate syllogismi formentur. Sed quia adhuc manet duplex Logica, adhuc manet quæstio, quæ supponens utramque Logicam à cæteris scientiis distingui, inquirat, An inter se adhuc distinguantur realiter.

Græcorum argumentum enervatur.

Resolutio.

Reiicitur distinctio realis.

XXXV. LAlemandetius *disp. 3. Log. partit. 2. num. 9. column. 54.* sententiam asserentem tuetur, quam probat primò: Quia illi habitus, quorum propriæ actiones sunt diversæ & distinctæ realiter, distinguuntur inter se: sed propriæ & veræ actiones docentis & utentis sunt

Unde sumatur habituum distinctio?

Quid Logica docens importet? & quid utens?

ſunt diſtinctæ realiter, ergo docens & utens diſtinguuntur realiter. Minorem ſuadet; nam actio docentis eſt conſiderare naturam ſyllogiſmi, aliorum modorum ſciendi, ſecundariò verò tradere præcepta in univerſum; non verò de illis in particulari formandis; at actio utentis eſt dictos modos ſciendi in particulari efficere.

An ignis plures actiones habeat?

Negat majorem Maſius *quæſt.* 4. illamque negationem putat ſe patefacere exemplo ignis ſimul duas actiones omninò diverſas producentis, cùm videlicet ſuo calore indurat lutum, & ceram liqueſacit, cùm ſit tamen idem ignis. Sed hanc ſolutionem reiicit Lalemandetius aſſerens majorem illam intelligi de actionibus propriis & primariis: exemplum verò de igne indurante & liqueſaciente, eſt de actionibus ſecundariis. Eſto enim diverſitas actionum ſecundariarum non poſtulet diverſitatem cauſæ, diverſitas tamen actionum propriarum & primariarum diverſitatem in cauſâ indicat v.g. Si una pars parietis ſit alba, & altera nigra, ſignum eſt in eodem pariete ſecundum diverſas partes, eſſe albedinem & nigredinem, quia in eo ſunt effectus primarij albedinis & nigredinis; docentis autem propria actio eſt, aut tradere præcepta in univerſum, aut naturam modorum ſciendi conſiderare: & propria actio utentis eſt in particulari illos ſciendi modos efficere, quæ duæ actiones nequeunt convenire ſimul docenti, neque ſimul utenti: ſed unaquæque ſuam ſibi vendicat, ergo etiam unaquæque peculiarem habitum poſtulabit.

Actio duplex primaria & ſecundaria.

XXXVI. At ego Lalemandetij probationem, & quæ reponit contra Maſium, conſidero, & multa reperio quæ non placent. *Primò* enim illam majorem poterunt negare Scotiſtæ, qui dicunt Intellectûs & Voluntatis actiones primarias & proprias eſſe diverſas, nec tamen concedunt Intellectum realiter diſtingui à Voluntate: dicunt etiam Senſibilitatis & Rationalitatis actiones primarias & proprias eſſe diverſas, nec tamen cõcedunt Senſibilitatem realiter diſtingui à Rationalitate.

An intellectus & voluntas: an etiam animalitas & rationalitas realiter diſtinguantur?

Secundò fallitur, cùm dicit Logicam docentem primariò contemplari naturam ſyllogiſmi, &c. & ſecundariò tradere præcepta, &c. Fallitur, inquam, quia docere non eſt conſiderare, meditari, &c. ſed præcepta tradere: quam ob rem, ſi contemplatio debeat à regularum traditione diſtingui, tres venirent ponendæ Logicæ; Conſiderans, quæ ſyllogiſmum meditatur; Docens, quæ leges fert & præcepta pronuntiat: Utens, quæ obedit, & præceptis de facto ſatisfacit.

Quid ſit docere?

An tertia ſit addenda Logica?

Tertiò fallitur dicens Logicam docentem tradere præcepta in univerſum, non verò de illis in particulari formandis: aliud enim eſt docere quomodo debeat fieri ſyllogiſmus in *Barbara* datis his tribus terminis, Animal, Homo, Rationale; & aliud hunc eundem ſyllogiſmum formare: illud autem prius pertinet ad docentem, & ad utentem hoc poſteriùs. Fallitur, inquam, quia Artes docentes, non ſolum dictant quo debeant modo fieri artefacta in communi, ſed & quodlibet in particulari.

An artes docentes cõcurrant ad effectum in particulari?

Quartò fallitur, dicens hanc eſſe bonam conſequentiam, Paries in unâ parte habet albedinem, in alterâ nigredinem: ergo habet duas partes realiter diſtinctas: nam poſſet utramque qualitatem habere in eâdem parte: & poſſet in partibus diſtinctis formaliter.

An diverſa accidentia inſinuent partes realiter diſtinctas?

XXXVII. Realem diſtinctionem intercedere inter Logicam docentem & utentem, probat iterùm Lalemandetius; Quoniam docens eſt ex dicendis ſcientia, utens verò eſt ars; ſed ars & ſcientia ſunt habitus intellectûs inter ſe diſtincti realiter, quia ab invicem ſeparabiles; ergo docens & utens ſunt duo habitus inter ſe realiter diſtincti. Si dicas, ſufficere diſtinctionem rationis, producet Ariſtotelem, qui dum quinque actus intellectûs aſſignat, illos ut verè inter ſe diſtinctos enumerat, alioquin non diceret eſſe quinque; quia res, quæ non diſtinguitur ab aliâ, non auget numerum; ſi ergo ars & ſcientia eſſent una res, eſſent ſolùm quatuor habitus intellectûs, ſunt autem quinque, iique realiter diſtincti, nam Numeratio qualitatum eſt inter qualitates realiter diſtinctas. Sed non urgeor: quoniam etiam formalitates augent numerum; nam ſicut Petrus, Joannes & Fridericus ſunt tres realitates, ita Animalitas, Rationalitas, & Ecceitas, ſunt tres formalitates: & neſcio, quomodo id poſſit negare iſte Author. Prætereà, eſto dixerit Ariſtoteles quod voluerit; reſpondebo eum, ſi fortè loquitur contra nos, erraſſe. Addo ſæpè nomina Artis & Scientiæ coincidere, nec intercedere inter ipſas diſtinctionem realem vel formalem: omnes enim facultates practicæ, quæ regulis & præceptis nos dirigunt, vocantur *Artes*; &, ſi has regulas eſſe legitimas demonſtrent, *Scientiæ*: ergo ut plurimum in Logicâ ratio Artis & Scientiæ diſtinguentur penes diverſa connotata.

An ars realiter diſtinguatur à ſcientiâ?

An augeãt aut faciãt numerum formalitates?

An Ariſtoteles neceſſariò ſit ſtãdum?

An eadem interdum facultas ſit ſimul ſcientia & ars?

Eamdem realem diſtinctionem probat Lalemandetius tertiò: Si enim utens & docens eſſent unus habitus, quod verificaretur de docente realiter, verificari deberet de utente: ergo ſicut dicimus, quod docens ſit ſcientia, ita & poſſemus dicere, quod utens ſit ſcientia, ſicque eſſet contradictio.

An de eâdẽ realitate duo poſſint contradictoria verificari?

Reſpondeo pro Recentioribus, *primò*, utrumque habitum eſſe ſcientiam: reſpondeo *ſecundò*, etſi altera ſcientia non eſſet, hoc argumento nihil probari, eſt enim, ut benè notat Maſius, fallacia in illo; quoniam ex eo quòd habitus ille, qui eſt Logica docens & utens habeat duas rationes diverſas, & ſub unâ dicatur docens, ſub alterâ verò utens, fit mutatio in argumento, & mutatio unius rationis in aliam, quod fieri non debet ut legitimum ſit.

Sed Lalemandetius non adquieſcit, jubet enim accipi totum illum habitum, quem dicunt ſcientiam & artem, ſupponamuſque in eo recipi duas rationes, ſeu conſiderationes, ſic arguit. Illæ duæ conſiderationes pendent à noſtro intellectu, nec ſunt realiter in ipſo habitu, quia eſſent duo habitus reales: quòd, ſi dependere à noſtro intellectu dicantur, infert;

Ergn ille idem realiter habitus continebit rationem scientiæ & artis, eritque unius solummodò; repugnat autem, quòd ars & scientia non sint duo habitus specie, & per consequens numero inter se distincti; specie inquam, quia habent diversas definitiones & essentias. Numero etiam; quæ enim differunt specie essentiali, differunt numero: sed ars & scientia differunt specie essentiali; cùm habeant diversas definitiones; Scientia enim dicitur, Habitus certus, evidens, &c. at Ars est Habitus cum rectâ ratione factivus: quas definitiones manifestum est esse omninò diversas. Quare habitus docentis erit realiter & numericè ab intrinseco distinctus ab habitu Logicæ utentis; Consultò dixi, ab intrinseco, quia ab extrinseco possunt dici convenire numero, ex eo quòd habeant idem subjectum, subjectantur enim in eodem intellectu.

Quid sit scientia? quid ars?

Distinctio duplex: intrinseca & extrinseca.

Ergo argumentum Lalemandetij recognosco, & nego rotundè antecedens: ad probationem transeo, & miror assertum tam clarè & evidenter falsum à viro aliàs docto defendi. Non solùm distinctio formalis, quam ponit Masius, sed multò minor sufficit, ut unum & idem prædicatum de eâdem realitate verè dicatur & negetur; minùs enim distinguitur species subiicibilis à prædicabili, quàm Animal à Rationali, & tamen illa quà subiicibilis non prædicatur, & quà prædicabilis prædicatur. Video clarè aliquam distinctionem inter docentem & utentem Logicam à Lalemandetio probari: at video realem non probari.

Quantane requiratur distinctio ut verificentur duo termini contradictorij?

An species subiicibilis prædicetur?

Reiicitur distinctio formalis obiectiva.

XXXVIII. Sententia, quæ Logicam docentem & utentem duas esse formalitates objectivè distinctas asserit, sive hanc distinctionem dicat esse Scotisticam & ante mentis operationem reperiri, sive dicat esse Thomisticam, & à mente conformari, non placet.

Distinctio formalis duplex.

Sed illam probas primò [Ubi non est nova difficultas, ibi non est de novo constituendus habitus; sed habitâ Logicâ docente, potest quis absque ope alterius condere syllogismos, ergo non est ponendus novus habitus ad faciendos syllogismos, fiunt autem per Logicam utentem, ergo Logica utens non est novus habitus, nec destinctus ab habitu docentis.] Sed hæc ratio non tam videtur distinctionem formalem adstruere, quàm omnem omninò negare. Sed qualiscumque illa sit discutiatur.

Concessâ majore minorem negat Lalemandetius. Nam etsi aliquis apprimè calleat Logicam docentem, nisi tamen habeat novum habitum, qui sit Logica utens, syllogismos quidem, sed per intellectum tantùm, non promptè & facilè efficiet, quia illam promptitudinem & facilitatem Logica utens intellectui subministrat; unde sæpiùs viros alioquin doctissimos ad argumentandum tardos experimur ex eo quòd non ita intensum habeant habitum Logicæ utentis, licèt ritè teneant Logicam docentem; ergo habitâ docente, restat adhuc nova difficultas ad efficiendos novos syllogismos, quam tollit Logicæ utentis habitus. Sic ille.

An viri docti soleant tardè argumentari?

Sed unde probabit hanc in argumentando tarditatem, quam ait in viris etiam doctis & eruditis inveniri, procedere ex eo quòd habitus Logicæ utentis non sit intensus? Quid si diceret aliquis illam provenire ex eo tantùm, quòd non sit ita intensus habitus Logicæ docentis? quò enim Philosophus meliùs & promptiùs callet argumentandi regulas, meliùs & promptiùs illis utitur, meliùs & promptiùs arguit. Quid si diceret Masius qualitatem quæ habet duas formalitates posse intendi quoad unam quin necessariò intendatur quoad alteram?

An Logica utens sit docentis intensio?

An una possit intendi qualitas, quin intendatur altera?

Probas iterum Masij sententiam, sed non magis directè, quam antè. [Quia, quæ idem habent objectum, sunt idem; atqui Logica docens & utens habent idem objectum, ergo sunt idem habitus. Clara est major, quia unitas habitûs desumitur ab unitate objecti, minor etiam patet, quia si essent plura objecta in Logicâ, essent plures Logicæ.] Sed hæc etiam ratio potiùs conatur omnem tollere distinctionem, quam formalem probare.

An habituũ distinctio ab objectorũ pluralitate desumatur?

Ad hanc dicit Lalemandetius, esse unum objectum in Logicâ, non quidem unitate specificâ, sed unitate ordinis, id est illa objecta, ex quibus conflatur unum totale objectum in Logicâ, habere ordinem inter se, proindeque vocari unum unitate ordinis, unde in formâ distinguit minorem. Quæ habent idem objectum, sunt idem habitus, concedit de identitate naturæ & specificâ, negat verò de identitate ordinis. Ad minorem verò, sed Logica habet unum objectum; unitate ordinis, concedit; unitate specificâ, negat. His sic præmissis concludit unitatem ordinis non impedire, quin sint duo habitus Logica utens & docens, subalternari tamen inter se; ita ut Logica utens quasi subalternetur Logicæ docenti, in quantum regulas universales ab ipsâ accipit, non tamen est ibi propria subalternatio, sed potiùs quædam subordinatio. Addit duos habitus esse posse circa idem specie objectum, dummodò possint distingui diversæ rationes in illo objecto; sic in eodem realiter pomo assignantur plures rationes, quo fit ut plures potentiæ idem pomum respiciant, illud enim, quatenus habet saporem, respicit potentia gustativa, quatenus odorem, olfactiva, &c. ita licet syllogismus sit objectum Logicæ, potest tamen sub diversis rationibus considerari, scilicet in quantum cognoscibilis, vel in quantum factibilis, primo modo ab habitu Logicæ docentis, secundo modo ab habitu Logicæ utentis respicitur. Sic ille: & adversarij contra sic. Distinctio Logicæ docentis & utentis sumitur ab objecto; sed objecti rationes non distinguuntur realiter; sed formaliter; aut vix formaliter: non ergo majori illæ Logicæ distinctione inter se distinguentur, Probabunt minorem ad hominem; quia ratio cognoscibilis & factibilis non distinguuntur realiter; omne enim factibile cognoscibile est. At nos addimus, objectum qua cognoscibile cognoscitur ut est (nam aliàs malè cognosceretur) ergo cognoscitur ut factibile: ergo ut praxis. Ergo Logica cognoscitiva, est factiva; Ergo docens est utens; non solùm realiter, sed etiam formaliter. XXXIX.

Qualis est unitas Logicæ?

An utens subalternetur docenti Logicæ.

An plures habitus versentur circa idem objectum?

Probas

XL.

An unus & idem habitus sit scientia & ars?

Probas tertiò eandem distinctionem formalem argumento, quo utitur Rovius: & ais. Evidens est habitum Logicæ esse scientiam, sed etiam est ars; nam sicut est scientia, quia procedit per demonstrationem; ita & ars, quia est habitus cum ratione factivus; nam ope intellectûs dirigit & facit syllogismos in particulari; ex quo infert Ruvius, quòd sit scientia & ars; sed idem habitus non potest esse simul scientia & ars: ergo sunt duo habitus non distincti realiter: ergo ut minimùm distincti formaliter. Verum ista ratio non urget: ut enim idem habitus sit scientia, & ars, non requiritur ut habeat duas formalitates objectivas, sufficit enim si habeat duo externa connotata.

An Logica utens sit attributum docentis?

Probas quartò. Quia cùm habitus Logicæ docentis primâ demonstratione adquisitus habeat pro objecto modum sciendi; eo ipso quòd doceat efficere syllogismos, habet virtutem eos efficiendi etiam in particulari. Ergo Logica utens erit quædam docentis virtus & attributum, & ut plurimum ab illâ distinguetur formaliter.

Respondet hîc Lalemandetius maximè decipi Ruvium, quando ex Theoriâ praxin, ex contemplatione operationem infert: aut ex praxi universali praxim singularem per eundem habitum faciendam: sed cur ille decipitur? Rationem dat Lalemandetius; in eam intendo.

Sicut de cæteris omnibus artib., sic de Logicâ debebimus philosophari.

[Videmus, ait, contrarium, tum in artibus Mechanicis, tum in Liberalibus. In Liberalibus quidem, v.g. in Rhetoricâ videmus plures Rhetores notitiam habere de Rhetoricis præceptis maximam, cùm tamen in publicum dicendi causâ illa promere non audeant: ergo signum est scientiam, & reductionem præceptorum ab illâ scientiâ traditam prodire à diversis habitibus: item in Musicâ multi præcepta novêre, nec tamen conformiter ad illa cantare possunt, aut ob defectum vocis, aut quia nō assueverunt, nec habitum artis comparaverunt: in Mechanicis plures Perspectivam scientes dicunt, imago sic & sic facienda est, collum cum capite ita proportionandum, &c. attamen illi nequidem ducere penicillum poterunt; habent, inquam, habitum scientificum, non tamen habitum artis. Ita dicendum de Logicâ, quòd sicut in allatis exemplis duo ponendi sunt habitus, ita & in Logicâ, unus pro docente, & alter pro utente.]

XLI.

Logica docens & utens distinguuntur secundum diversa connotata.

Differimus Lalemandetius & Ego: ille enim majorem formali distinctionem desiderat: Ego minorem. Respondeo igitur tibi unam & eandem virtutem prout manet in meditatione vocari *Logicam docentem*, prout transit ad exercitium, *utentem*. Et sufficere ad distinctionem illud *prout*; nec plus requiri. Addo tamen illud *prout* importare distinctionem extrinsecam penes diversa connotata. Respondeo etiam Lalemandetio, sæpè Rhetores, etiam doctissimos, non audere declamare pro rostris; sed hoc non evenire, quòd careant habitu Logicæ utentis, sed quòd habeant pudorem, qui illos impedit. Addo Musicam pendere ab aure,

Unde proveniant impedimenta in praxi?

pendere à gutture, pendere à linguâ; unde si excellentissimus cantor, surdus fiat, concinere cum aliis non poterit, non quod Musicam utentem, sed quòd instrumenta ad usum necessaria perdiderit.

Natura compendiū amat.

Probas quintò. Quia non sunt multiplicanda Entia sine necessitate: sed sufficit una realitas divisibilis in duas formalitates, ut Logicam docentem & utentem salvemus: ergo non sunt ponendæ duæ realiter distinctæ qualitates.

XLII.

Ubinam sint plures entitates, in unâ an in duabus realitatibus?

Respondeo primò plures entitates esse in duabus identificatis, quàm in duabus realiter distinctis: & hoc non assequuntur multi, quia conceptum verum identificationis positivæ non habent. In continuo Aristotelico, quod ante divisionem partes realiter distinctas non habet, ante divisionem reperio guttam A, & guttam B, & unionem, quæ dicitur illas identificare: post divisionem autem manent guttæ, non manet unio: multiplicantur ergo entitates cùm positivè identificantur: Ergo hoc argumentum claudicat primo pede. N.B.

Respondeo secundò, quidquid de primâ solutione sit, concedendo majorem. Ad minorem dico, non esse multiplicanda entia sine necessitate; cum autem nulla sit necessitas multiplicandi formalitates, concludo nec illam qualitatem divisibilem in duas formalitates requiri, sed sufficere unicam omninò indivisibilem, modò à duobus connotatis extrinsecùs denominetur.

An possit Deus Logicam docentē ab utente separare?

Probas sextò. Quia si essent duo habitus realiter distincti posset Deus unum ab alio separare: atqui has Logicas nequit: ergo non sunt habitus realiter distincti. Sed sunt duo: Ergo, si non sunt realiter distincti, erunt distincti objectivè & formaliter.

Sed respondebunt aliqui concedendo majorem & negando minorem: & dicent has duas Logicas realiter distingui; realiter posse separari. Sed quomodo operarentur separatæ? Docens contemplaretur syllogismos, nec tamen illos conderet: Utens, conderet cæco modo, non tamen eos scientificè meditaretur. N.B.

An omnia quæ realiter distinguuntur possint separari?

Respondebunt alij negando majorem: multa enim sunt realiter distincta, quæ non possunt ab invicem separari. Primò enim, illa quæ sunt subordinata, non possunt separari ab invicem, nequidem divinitùs: sic pater formaliter sumptus non potest existere occiso filio, licèt distinguatur realiter ab illo, nec filius formaliter sumptus manere poterit sublato patre, quia pater est subordinatus filio, & filius patri: unde si habitus utentis docenti sit subordinatus, non poterit à docente separatus existere, licèt ab eo realiter distinguatur; non enim semper est vera illa propositio: *Quæ distinguuntur realiter, possunt separata remanere*; hoc enim in relativis & subordinatis fallit. Secundò, illa quæ sunt necessariò connexa separari non possunt, licèt realiter distinguantur. Sic in divinis personæ Trinitatis realiter distinguuntur, & tamen realiter non separātur: nō enim est assignabilis locus, in quo sit una persona, sine aliâ. Et in humanis multi docēt substantiā non posse carere omni quādo, omni ubi; & tamen illam ab omni duratione & ubicatione distingui (realiter vel formaliter; intrinsecùs vel extrinsecùs) manifestum est.

Loquor hîc de relativo quà tali.

An divinæ personæ separabiles sint?

An res ubicatione & duratione carere possint?

Resolutio.

Admittitur distinctio expressiva.

XLIII. UT igitur omnia, quæ dicta sunt & quæ dici potuerunt, in unum colligas, & inde veram doctrinam eruas, sequentes Conclusiones subscribo. Sit

An omnes sint scientiæ directivæ? An directrices? Prima. ***Omnis Scientiæ docentis meditatio est directiva.*** Patet; quia ipsa regularum cognitio est apta, ut hominem dirigat ad operandum. Sed cur non semper actu dirigit? Respondeat Conclusio

Secunda. ***Interdum hæc dirigendi & operandi potentia, quam esse in Scientiâ docente fatemur, manet in actu primo, nec ad secundum transit: & hoc bifariam: vel liberè vel necessariò. Liberè, cùm voluntas non vult. Necessariò, cùm est aliquod impedimentum quod tunc tolli non potest.*** Corollarium.

Quomodo scientia docens fiat utens? ***Scientia igitur docens, ut fiat utens, requirit tanquam conditionem sine quâ non voluntatis imperium, & impedimentorum amotionem.*** Et, ut omnia optimè intelligas, ob oculos pono Titium excellentissimum pictorem. Habet artem pictoriam docentem, & per plateas deambulat, & interrogo, Cur non pingat & exerceat suam artem? cur non utatur regulis, quas ab arte docetur? & respondetur, quia non vult. Accidit interim illi unum infortunium & visum perdidit, & interrogo iterùm, Cur non pingat? & respondetur, Quia cæcitas est ipsi impedimento, & ideò non potest. Ergo, qui habet exactam rei faciendæ notitiam, si nullum sit impedimentum quod eum retardet aut præoccupet, modò velit, statim prorumpet in opus.

Exemplum ab arte pictoriâ.

Sicut de Pictore, sic de aliis artificibus, sic etiam præcipuè de Logico philosophabimur. Logica enim docens est directiva in actu primo, licèt non semper dirigat actu. Est, inquam, semper directiva, nulla enim est regularum & legum Logicalium cognitio, quæ non juvet, nulla quæ non possit concurrere ad aliquem actualem actum.

Cur non semper dialecticetur Logicus? Et cur non semper prorumpit in actum secundum? Interdum se continet liberè: interdum verò necessariò. Liberè se continet & hæret in actu primò, quamdiu Logicus non vult dialecticari: & necessariò se continet, quamdiu non potest: & tamdiu ille non potest, quamdiu debitâ notitiâ caret. Nam si jussus dialecticari in Physicis, quæ scis, hæres, & non discurris, incusanda est voluntas: si verò jussus dialecticari in Politicis, quæ nescis, etiam hæreas, non tam noluntas, quàm ignorantia est incusanda: fortè enim te liberè impediret noluntas, at Politicarum Positionum inscitia te impedit necessariò.

Omnium Opinionum cum nostrâ conciliatio.

XLIV. *Possumus nostram conclusionem tenere, &* HAnc veritatem tene: nec velis aliter mente discurrere: cætera enim omnia, quæ de distinctione docentium & utentium Scientiarum dici solent, sunt falsa. Sed semel benè veritate perceptâ, quo loqui modo poteris, aut debebis? quocumque: modò servetur consequentia & proprietas. Sic igitur Assertio *loqui cum Realib.*

Prima. ***Logica docens & utens distinguuntur realiter.*** Hanc tueri Reales debent: & possunt, quin nobis absint, si dicant utentem Logicam præter nudum Logicæ habitum dicere intrinsecè & essentialiter voluntatis impetum, & impedimentorum, quæ ex parte actûs secundi reperiuntur, absentiam: cùm igitur actus voluntatis sit qualitas, & multa impedimenta contrariâ qualitate tollantur, negari non debebit realis harum Logicarum distinctio.

Modalib. Secunda. ***Logica docens & utens distinguuntur modaliter.*** Hanc Modalistæ propugnare debebunt, & poterunt, quin à nostrâ resolutione abcedant. Primò, si dixerint actus voluntatis liberos esse modos, aut etiam potentias impeditas & expeditas distingui modaliter. *An actus vitales sint modi?* Secundò etiam poterunt concedere volitiones & nolitiones esse veras & reales qualitates, & potentiam ab impotentiâ realiter & verè distingui, modò dicant illas non ingredi essentialem harum Logicarum conceptum, sed se habere per modum conditionum, & circumstantiarum adjacentium: & addant Logicam, prout dicit ordinem ad meditationem, vocari *docentem*; & prout dicit ordinem ad operationem, *utentem*, & hos ordines esse duas entitates relativas modales. *An relationes modi sint?*

Possumus cum Formalistis loqui. Tertia. ***Logica docens & utens distinguuntur formaliter.*** Et hanc, si ad Formalistarum scholam venerimus, sine nostræ Resolutionis præjudicio propugnabimus. Nam, si ineamus viam, quam Assertione secundâ secundus modus aperit, dicemus Logicam docentem ab utente relatione distingui, eundemque habitum affectum relatione ad meditationem vocari *docentem*, & affectum relatione ad operationem, *utentem*. Unde, si relationes sint res, hæc istarum Logicarum distinctio erit verè realis: si sint modi, erit verè modalis: si formalitates distinctæ ex naturâ rei, erit distinctio harum Logicarum formalis ex naturâ rei: si formalitates distinctæ ratione ratiocinatâ, earumdem scientiarum distinctio erit rationis ratiocinatæ, quam *formalem objectivam* vocamus. *Quomodo relationes à suo fundamento distinguantur.* Quòd, si relationes nihil aliud, quàm expressiones puræ sint, distinctio harum scientiarum erit expressiva, realis extrinseca, secundum diversa connotata.

An loqui possimus cum uno & loqui cum altero? Hæc dicta sint, ut videas sæpè Authores adversarios videri, qui sunt asseclæ; ut notes licere interdum homini sentire cum albis, & cantare cum nigris: ut non nimiùm verbis nudis confidas, sed in Authoribus, quos legis, rationes penetrare satagas; si enim positionum fundamenta percalleas, nec æquivocatione poteris, nec adulteris nominum hallucinari.

De distinctione Logicæ & Metalogicæ.

XLV. Logica prout contemplatur Regulas dicitur *Docens*: prout ad illas dirigit intellectum, *Utens*: & prout illas edisserit, probat, examinat, & demonstrat, *Metalogica*. Distinguuntur igitur istæ Scientiæ relativè: adeòque mihi expressivè tantummodò penes diversa connotata. Et nec video, cur majorem distinctionem debeamus admittere, nisi fortè relationem majore distinctione à suo subjecto seu fundamento distinguamus.

DISPUTATIO IV.

An Logica sit Scientia.

XLVI. *Resolutio.* AGo de Docente, de Utente, de Topicâ, de Demonstrativâ; ago de Metalogicâ: & uno verbo me expedio, & *istas Logicas, quomodocumque distinguantur inter se, omnes esse Scientias pronuntio.* Conclusio est mihi clara, sed quæ non carebit invidiâ: illam verbo probabo, sed priùs majoris claritatis gratiâ nonnulla necessaria præmitto. Dico igitur

Quid scientia sit? Primò. *Scientiam esse notitiam certam & evidentem natam à præmissis certis dispositis modo legitimo.* Hæc dixero, ut etiam præter syllogismum, alias argumentationes Demonstrationum censui adnumerem: qui enim admittant præmissis hujus dilemmatis

An sola argumentationes syllogisticæ sint demonstrativæ?

Petrus, vel est animal vel non-animal:
At non est non-animal:
Ergo Petrus est animal.

& qui præmissas hujus syllogismi concedant,

Omnis homo est animal:
Petrus est homo;
Ergo Petrus est animal.

æquè tenebuntur consequentiam admittere.

Scientia duplex: actualis & habitualis. Secundò. *Scientiam duplicem esse: actualem & habitualem.* Actualis est effectus demonstrationis: v.g. dum sic demonstro risibilitatem de homine: *Omne rationale est risibile; Omnis homo est rationalis, Ergo omnis homo est risibilis*: per illam demonstrationem dicor habere scientiam actualem de homine, quòd sit risibilis. Habitualis est genita ex actuali, & remanet in nobis etiam de eâ non cogitantibus; actualis autem non remanet in nobis, sed peractâ demonstratione ipsa quoque transit, in nobis tamen aliquod sui vestigium relinquens, generaturque posteà habitualis.

XLVII. *Exponitur quid scientia propriè sit?* Putat Lalemandetius *disp. 3. Logicæ partis. 3. num. 11. column. 58.* eos, qui interrogant, An Logica sit scientia, agere de habituali; quam docet esse *habitum certum & evidentem rei necessariæ per propriam causam* Sed ego non video, Cur non possit quæstio eadem de actuali exercitari: & nolo scientiam taliter definiri. Scientia enim habitualis est *habitus, actualis actus, certus & evidens rei infallibiliter veræ (sive ista sit necessaria, sive, libera, sive contingens) adquisitus per demonstrationem.* Quod sic intellige, ut scientia actualis sit ipsa demonstrationis conclusio; habitualis verò, sit habitus genitus à scientiâ actuali. Habitum dico, non verò qualitatem, non speciem, non unionem, non relationem; quoniam dari in rerum naturâ habitus, certum est; an autem isti sint qualitates à speciebus distinctæ; an debita specierum collectio & ordinatio: an verò aliquæ uniones, relationes, aut radicationes, incertum.

An dentur habitus, & quid ipsi sint?

ARTICULUS I.

Authorum placita explicantur.

HIc dantur duæ sententiæ extremæ, multæ mediæ. Prima extrema docet utramque Logicam, (docentem nimirùm & utentem) esse scientiam. Secunda, extrema docet neutri convenire Scientiæ nomen. Intersunt plurimæ, quæ vel Logicam distinguunt à Logicâ, vel scientiæ nomen jam rigorosè & jam laxè suscipiunt, & existimant uno sensu posse aut debere responderi quæstioni assertivè, & alio negantivè. Et ut rem fatear, tam variè & obscurè Recentiores loquuntur (hanc enim quæstionem apud veteres vix obscurè reperias) ut omnes aut ferè advocari debeant pro mediâ sententiâ: vix unus aut alter pro extremâ. Lalemandetius ubi suprà *num. 16. column. 68.* agit de docente, non de utente, & hanc conclusionem pronuntiat. [Logica docens est scientia, non tamen vera, sed tantùm secundum quid & analogicè.] & addit priorem Resolutionis hujus partem esse contra Græcos, & contra Latinos posteriorem. Petrus niger *quæst. 11.* affirmat Logicam non esse propriè dictam scientiam, sed modum sciendi, nec Logicas debere dici scientes, sed tantùm habere modum sciendi, & cognita exprimendi, loquiturque de docente, huic proxima est opinio Vally *2. part. proleg. quæst. 4. cap. 15.* dicentis Logicam esse Habitum instrumentarium, deservientem omnibus scientiis, & tradentem illis modum definiendi, demonstrandi & procedendi: unde commodè potest dici Organum vel Instrumentum sciendi, vel scientiarum, vel Modus sciendi. Græci unanimiter asseverant Logicam utentem esse veram scientiam, non

XLVIII.

Scientiæ nomen sumitur rigorosè & laxè.

Logica modus sciendi.

Logica organum seu instrumentum sciendi.

An Logica cum aliis scientiis cofundatur?

non verò docentem; fundanturque in eo, quòd velint utentem confundi cum aliis scientiis; proindeque esse scientiam, sed ab aliis scientiis indistinctam: docentem verò aiunt esse instrumentum. Ex Latinis Græcos sequitur Zabarella *lib. 1. de naturâ Logicæ cap.* 10. Balphoreus *quæst.* 5. *sect.* 6. *in organum* etiam docentem esse artem opinatur: & ex parte consentit Aversa *quæst.* 1. *sect.* 5. *assert.* 3. licèt *assert.* 4. dicat esse propriè scientiam. Magis tamen communis sententia, quæ est D. Thomæ 4. *Metaphys. lect.* 4. Scoti *quæst.* 1. *prædicabilium*, Faventini, Masij, Sanchez, Ruvij, Comnb. &c. Logicam docentem verè & propriè esse scientiam affirmat.

Resolutio. Ego in extremo positus nec à docente utentem, nec ab acceptione acceptionem distinguo, sed sumi jubeo voces in sensu stricto & rigoroso, ut debent, & pronuntio utramque Logicam (Docentem, & Utentem) seu de Mentali, seu de Vocali, seu etiam de Scriptâ disseramus, esse scientiam: & hanc conclusionem cùm ad Logicæ partes: nimirùm Apprehensivam, Judicativam, & Discursivam, tùm etiam ad hujus ultimæ partes, videlicet Topicam, Demonstrativam, & Sophisticam, imò ad Metalogicam ipsam extendo: puto enim à Metalogicâ habere Logicam, quòd scientia sit, quæcumque enim præcepta Logica docens ponit, & Logica utens exsequutioni mandat, Metalogica esse certa & secura rationibus claris demonstrat.

ARTICULUS II.

Nostra sententia demonstratur.

XLIX. Consultò *demonstratur* dixerim; ratio enim, si quam probabiliter esse bonam eviceris, non est demonstratio nec ingenerat scientiam. Et ut clariùs & apertiùs procedam, quæ in ultimâ Decisione collegi dividam & subdividam, & paulatim singula demonstrabo. Sit igitur

Logica definitiva. Assertio I. *Logica docens benè apprehendere (hoc est benè definire, benè dividere, &c.) est scientia.* Ostenditur.

Conditiones definitionis. Et primò de Definitione. Hæc est oratio explicans naturam, (essentiam) rei; & quatuor requirit. Primum, ut suo definito sit clarior; Secundum, quod definitum non ingrediatur definitionem: Tertium, ut non sit superflua nec diminuta: Quartum, ut constet genere & differentiâ: vel aliquo communi & aliquo particulari, quorum illud gerat vices generis & istud vices differentiæ. At hæc omnia demonstrantur: Ergo Logica definitiva est scientia. Probatur minor. *Primum.* Obscurum per obscurius explicari non potest, nam conclusio sequitur debiliorem partem: ergo oratio aut non explicabit naturam rei, aut debet esse clarior nomine rei. *Secunda.* Si definitum ingrediatur definitionem, non solùm non explicat rem, sed audientes in errorem inducit, nam qui dicit, homines nigros habitare Æthiopiam, videtur docere homines albos esse alibi: adeòque qui diceret hominem esse hominem rationalem, videretur docere esse alicubi homines irrationales: ergo hâc viâ naturam hominis non explicaret. *Tertia.* Si definitio haberet particulam superfluam, aliquid adfingeret definito quod illud non haberet: aut saltem repetendo quæ haberet, audientes perturbaret: si careret aliquâ necessariâ, esset diminuta, nec totum dilucidaret definitum, sed partem. *Quarta.* Ergo stabit definitionem speciei debere fieri per genus & differentiam, qui enim clarè cognoscit prædicata, in quibus Homo convenit cum aliis, & illa in quibus distinguitur ab aliis, hic clariùs eum cognoscit, quàm qui audit simplicem vocem *Homo*. Stat ergo singula, quæ de Definitione dicuntur, evidenter probari. Ergo & stabit Logicam definitivam scientiam esse.

Conditiones divisionis. Secundò agam de Divisione. Ipsa est oratio totum potestativum in suas partes distribuens. Et fundatur his regulis. Primâ nempè; quòd membra dividentia sint distincta. Secundâ; quòd sint inferiora & minùs pateant, quàm divisum. Tertiâ; quòd ista nec sint plura, nec pauciora quàm debeant. Et demonstratur; non enim totum dividi in partes distinctas potest per differentias indistinctas; nec per differentias æquè extensas ac universales quàm divisum: nec adæquatè dividitur per pauciores differentias, quam habet. &c. Pono calamum; esset enim singula demonstrare totam huc Logicam sine causâ reponere.

L. *Logica judicativa.* Assertio II. *Logica docens benè judicare est scientia.* Patet; nam conclusiones quæ in hâc Logicæ parte ponuntur, & præcipuè, quæ de conversione & oppositione dicuntur, evidenter probantur.

Logica discursiva. Assertio III. *Logica docens discurrere est scientia.* Patet etiam. [Quoniam illa est bona argumentatio, quæ ita concludit, ut nemo, qui præmissas admiserit, possit consequentiam negare: At nulla est in totâ Logicâ discursivâ argumentatio, in quâ concessis præmissis possis impunè consequentiam negare: ergo nulla est, quæ non sit bona.] Hanc ego rationem demonstrativam dico, & quia nec de majori, nec conclusione dubitas, si judices minorem difficilem, produc syllogismum aliquem in modo & figurâ communi; aut argumentationem aliquam admissam à Dialecticis, cujus antecedens sit verum, & consequens falsum.

LI. *Logica Topica.* Assertio IV. *Logica docens condere syllogismos topicos est scientia.* Putaret aliquis hic nos hallucinari, quia syllogismus topicus est idem qui probabilis. Ergo Logica, quæ docet conficere syllogismos topicos, erit Logica topica, hoc est, probabilis: non ergo erit Logica demonstrativa: non ergo erit scientia. Respondeo occasionem æquivocationis amovendo. *An, & quo modo de probabilitate detur scientia?* Notari volo aliud esse unam opinionem esse falsam, & aliud notitiam quâ ego ejus falsitatem cognosco, falsam esse: aliud illam esse probabilem, & aliud notitiam, quâ ejus probabilitatem cognosco, esse probabilem. Dixit insipiens in corde suo, *Non est Deus.* hæc positio falsa est, impia est, blasphema est. At hæc positio, *Falsum, impium & blasphemum est docere, Deum non esse;* vera est.

vera est, pia est, religiosa est, & sancta est. Hæc positio, *Essentia realiter distinguitur ab existentiâ*, est probabilis: at hæc, *Probabile esse essentiam realiter distingui ab existentiâ*, est certam. Sic etiam conclusio syllogismi topici est probabilis: at eam esse probabilem, & ex antecedentibus comprobabilibus inferri consequentiam probabilem, non solùm est probabile, sed certum. Quam ob rem, istum syllogismum: [Quidquid sequitur ex præmissis comprobabilibus est probabile: at essentiam existentiamque distingui realiter, sequitur ex præmissis probabilibus: Igitur est probabile:] demonstrativum censeo: est enim forma legitima, præmissa utraque certa, adeòque consequentia secura.

Logica demonstrativa.

Assertio V. *Logica docens conficere syllogismos evidentes est scientia.* Hanc universi admittunt: aut enim non dabuntur syllogismi evidentes, aut erunt ad regulas demonstratas constructi.

Logica fallax.

LII. Assertio VI. *Logica docens conficere syllogismos sophisticos est scientia.* Patet ex dictis in Assertione IV. nam sicut verè possum cognoscere mendacium, impietatem piè, peccatum sanctè, sic etiam sophisma evidenter. Et ne multis te gravem, hunc syllogismum produco: [Quicumque syllogismus constat quatuor terminis, & videtur habere tres, est sophisticus: At ille, qui laborat æquivoco, tametsi videatur tres habere, habet quatuor vel plures: Ergo est sophisticus.] Hic est fundamentum totius fallacis Logicæ: & tamen est demonstrativus.

Differentia syllogismi mali & sophistici.

Ubi obiter noto, in hoc differre syllogismum fallacem & materialiter malum, quod tametsi uterque laboret materiâ, alter (nempè, malus) cognoscitur esse æger, & alter (nempè sophisticus) sanus esse videtur.

Logica mentalis, vocalis, & scripta.

LIII. Assertio VII. *Ubi Logica Mentalis scientificè procedit, ibi etiam Vocalis & Scripta scientificè.* Patet, quia syllogismus, qui mente conceptus est demonstrativus, etiamsi proferatur linguâ, aut scribatur calamo, manebit semper demonstrativus: nemo enim unquam dixit hanc positionem *Homo est animal*, in mente esse veram, in linguâ vel chartâ esse falsam.

Logica docens & utens.

Assertio VIII. *Ubi Logica docens scientificè procedit, ibi etiam utens.* Patet; Quia si ego scientificè cognosco, quod utendo talibus regulis confecturus sum unum syllogismum sophisticum, ex. g. non perdam hanc scientificam scientiam in usu; sed utar eisdem regulis & præceptis scientificè: & hoc etiam si Logica utens à docente distinguatur realiter.

ARTICULUS III.

Aliorum pro nostra opinione argumenta.

LIV. Minùs distinctè multi, & minùs etiam efficaciter aliqui, hanc sententiam suadent: prodent uberioris doctrinæ gratiâ etiam eorũ argumenta proponere.

Habitus speculativus triplex.

Primum desumere possumus ex Masio, qui *sect. 1. quæst. 5. conclusione 1.* Sic discurrit: [Habitus speculativus est vel intelligentia, vel sapientia, vel scientia: sed Logica est habitus speculativus, nec est intelligentia, nec sapientia, ut patet: Ergo est Scientia. Major est Aristotelis: minor probatur; Logica dirigit actiones definiendi, dividendi & argumentandi, quæ sunt actiones speculativæ. Sed cur se inducit Masius in eam quæstionem, quæ inquirit, An Logica sit speculativa? hæc enim, quam examinamus ab illâ nullo modo dependet. Quòd si respondeas Logicam, neque esse habitum speculativum, neque dirigere actiones speculativas: Instabit: Dialectica est instituta ut dirigat actiones intellectûs: nempè simplicium apprehensionem, judicium & discursum: hæ autem actiones sunt speculativæ in intellectu; cùm igitur certum sit dari actiones speculativas, in intellectu has esse credendum est. Respondet Zabarella ultra illos tres habitus intellectûs Intelligentiam, scilicet, Sapientiam, Scientiam, & præter Artem & Prudentiam, dari alios quosdam, quos vocat *Instrumentarios*, de quibus non meminit Aristoteles, quia meminit solùm de famosioribus, qui sunt illi quinque, sub quibus tamen nõ continebitur Logica; sed sub instrumentariis habitibus. At hoc gratis, & absq; fundamento fingit Zabarella, omnes enim habitûs intellectûs ad illos quinque revocantur. Ecce quanto molimine discutitur, cùm circumcurritur: nos à priori processimus, & verbo fuimus expediti.

An Logica sit speculativa.

Habitus instrumentary.

Secundum sit. Ubi reperiuntur principia, subjectum & proprietates, ibi reperitur scientia: sed in Logicâ dicta tria reperiuntur: ergo Logica est scientia. Subjectum quidem, quod dicetur esse Ens rationis, aut secundæ intentiones: principia verò, nempè definitiones syllogismi, universalium, prædicamentorum, &c. proprietates, v. g. quòd *Universale sit prædicabile*, quòd *syllogismus topicus generet opinionem*, &c.

An objectũ Logica sit Ens rationis?

Hoc argumentum inefficax omninò est: ut enim Logicam esse scientiam probemus, nihil debemus dicere quod certum non sit: & multa hîc argumentator aggerit, quæ certa non sunt. LV.

Solet triplicem illud solutionem habere. *Prima* est dicentium præter illa tria requiri insuper, ut objectum fiat à naturâ, non autem ab arte; at objectum Logicæ fit ab arte. *Secunda* dicentium, præter illa requiri, ut objectum sit de rebus necessariis, quales non sunt res Logicæ. *Tertia* aientium, objectum scientiæ debere esse de vero ente & reali. Sed singula non ponuntur scientificè, imò nec probabiliter: solutioni enim claræ & manifestæ sunt obnoxia. Meritò enim respondet Masius, Ad primum dicendo res Logicales in universum esse à naturâ, non verò ab arte: Ad secundum negando Logicam non esse de necessariis: Ad tertium dicendo, sufficere ad veram scientiam, ut objectum sit ens secundum quid, proindeque licèt ens rationis sit ens secundum quid, non desinet Logica esse vera scientia, si dicatur versari circa Ens rationis: nam sicut accidens est ens secundum quid, & tamen de accidente vera datur scientia, scilicet Arithmetica, Geometria, &c. illa enim est de numero, ista verò de quan-

An de artificialibus detur demõstratio? an etiam de contingentibus? an de chimæricis?

An etiam de accidentibus?

de quantitate, quæ sunt vera accidentia: ita etiam de Ente rationis (sit Logicæ objectum, aut non sit) poterit dari vera scientia. Addit Entis secundum quid (accidentia, modos, &c. Entia rationis. &c.) esse scibilia simpliciter: suas enim essentias & definitiones, suas causas intrinsecas & extrinsecas, & suas passiones & proprietates habent. Sic Masius contra tertium modum dicendi, cui ex majori ego parte consono affirmans, posse de artificialibus & naturalibus, contingentibus & necessariis, chimæricis & realibus, accidentalibus & substantialibus, & c. dari scientiam.

Ratio efficax. Tertium. Habitus certus & evidens acquisitus per demonstrationem est scientia: Sed huiusmodi est Logica: ergo est scientia. Major vera est, minor probatur: sunt multæ demonstrationes in Logicâ: v.g. *Omnis syllogismus constans ex necessariis parit scientiam: sed demonstratio est syllogismus constans ex necessariis: ergo parit scientiam*: Item *syllogismus constans ex probabilibus propositionibus generat solùm opinionem: Sed syllogismus topicus est huiusmodi: ergo generat tantùm opinionem*; Item Logica passionem de suo subiecto demonstrat. Hæc est ratio, quâ usus sum præcedente articulo, quam dilucidavi, & ad omnes Logicæ partes extendi: hæc quæ sola sufficeret, non enim ullâ indiget confirmatione.

LVI. *An ex concretis valeat consequentia ad abstracta?* Quartum. In prædicationibus per se, *A concretis valet consequentia ad abstracta*: Sed hæc propositio est per se vera: *Logicus est sciens*: benè igitur infertur, *ergo Logica est scientia*. Major patet, minor probatur; dum aliquid benè fit, & aliquando malè, redditurque causa cur benè, & cur malè fiat, qui talem causam novit, dicitur sciens: sed Logicus novit causam cur aliquando benè, & cur aliquando malè discurramus, ergo Logicus est verè sciens. Sic aliqui: & ego existimo probari idem per idem: *Nota hoc.* qui enim negat Logicam esse scientiam, etiam negaturus est Logicum esse scientem, eodem ratiocinio persuadebit Logicam esse sciētiam. Cur ergo gyri fiunt, cùm expediret immediatè quæstionem ingredi, & Logicam scientiam esse, probare.

Quintum: Objectum, de quo possunt fieri propositiones necessariæ, & æternæ veritatis, est scientificum: sed de objecto Logicæ possunt fieri tales propositiones, ergo Logicæ objectum est scientificum; ideòque Logica est scientia; v. g. Syllogismus est *Oratio constans ex tribus, eisque taliter, aut taliter dispositis propositionibus*; Definitio est *Oratio explicans naturam rei per genus & differentiam*; quæ propositiones sunt æternæ veritatis, atque immutabiles. Sic multi. Sed quid, si darentur propositiones *Quid requiratur ad demonstrationē?* veritatis æternæ, & tamen demonstrationes non datentur? Et quid, si istæ darentur, etsi illæ desiderarentur? Ad demonstrationem veras præmissas requiro; necessarias autem non requiro: & malè ab aliis requiri per præmissas necessarias demonstro.

LVII. Sextum fundatur hoc dilemmate. Quoniam, si Logica non esset scientia, id contingeret, vel quia non haberet objectum reale, *An Ens rationis sit scibile?* vel quia esset ordinata ad alias scientias: primum non impedit, quia scientia *specificatur* quidem *ab objecto in esse scibili*: sed tam ens rationis, quàm ens reale est scibile: non etiam secundum, nam Logica primariò est ad se, & propter se, ad alias verò Scientias ordinatur secundariò: imò, si per impossibile non darentur aliæ scientiæ, non desineret esse Logica. Sed hoc totum argumentum vacillat: nam Logica, si sua asserta demonstrat scientia est, si non demonstrat scientia non est; & hoc, seu habeat objectum reale aut non; seu ordinetur ad alias scientias, seu non.

Septimum à rationis paritate conficis, & convertens ad voluntatem oculos, sic arguis. *An Ethica sit scientia?* Facultas tractans de operationibus voluntatis, est scientia, nempè scientia moralis; ergo & quæ tractat de functionibus intellectûs, erit scientia: & hæc est Logica: ergo &c. Non enim deterioris conditionis sunt operationes intellectûs, quam voluntatis.

Rerū moralium & naturaliū differentia. Sed quid, si aliquis paritatem negaret, & disparitatem ostenderet? dicendo moralia omnia pendere à voluntate, realia à rerum naturâ, & illam nobis esse notam, hanc ignotam: quid enim velimus aut nolimus, sentimus; quid verò scimus aut non simus, non scimus.

LVIII. Octavum videretur fortissimum, & tamen sicut alia vacillat. Illud proponis sic. Nisi *Propter quòd unūquodque tale & illud magis.* Logica esset scientia, nulla esset scientia firma, & stabilis: nam scire est rem cognoscere per causam, seu per demonstrationem, & nisi scias demonstrationem esse infallibilem, illudque scientificè noveris, quomodo assensum securū præbebis? oportet ergo ut Logica scientificè agat de demonstratione, aliisque instrumentis sciendi, alioquin in aliis scientiis nesciretur, an illa instrumenta sint infallibilia, sicque nulla scientia foret firma, eo quòd non esset secura de validitate instrumentorum, quibus utitur, & quæ scientiam in alienis disciplinis generare debent.

Sed hoc argumentum nihil evincit. Primò, nam si Logica esset certitudo intuitiva, aut divinitùs revelata, etiam esset secura, & certissimâ lege concluderet. Secundò, quia supponit cæteras alias facultates, aut saltem *An præter Logicam sint ulla scientia?* multas ex ipsis esse scientias, cùm tamen posset, quicumque auderet dicere Logicam esse scientiam, etiam voce elatiore scientias universas aut saltem plerasque negare: & contra illum nihil hoc ratiocinium valeret.

ARTICULUS IV.

Eorum, qui Logicam esse scientiā abnegant, argumenta solvuntur.

LIX. SI directè possent procedere, & nostram impugnare doctrinam, vellent etiam: at quia id non possunt, circumloquuntur, & nos potiùs vexant, quàm oppugnant. Primò igitur loco ponam rationem à priori, ut ex illâ ad cæteras judicium fiat; cæteræ universæ rationes tantùm à viâ verâ discedent, quantum devient ab ista. videlicet

[Ubi

[Vbi non dantur demonstrationes, nec scientiæ dantur: At in Logicâ nulla est demonstratio: Ergo in Logicâ nulla erit conclusio evidens & demonstrata: Ergo Logica non est scientia.]

An sint demonstrationes in Logicâ?

Hæc est unica ratio, quâ uti deberent adversarii: cujus formam admitto, cujus consequentiam esse bonam, & majorem per se notam confiteor: at nego consequens, quia debeo minorem negare. Verùm enim reperiantur in Logicâ demonstrationes, jam vidimus articulo secundo & tertio. Procentigitur minorem adversarii, & novas rationes texere non debebunt. Ponatur igitur

An modus sciendi sit scientia?

Secundo loco hæc ratio: Modus sciendi non est scientia, Logica ex secundo Metaph. est modus sciendi: ait enim ibi Aristoteles absurdum esse simul quærere scientiam & modum sciendi; ubi Averroës *comment.* 15. per modum sciendi vult intelligi Logicam. Confirmatur, modus saltandi non est saltatio, modus ambulandi non est ambulatio, ergo modus sciendi non est scientia.

Respondeo modum sciendi esse scientiam, si demonstratur: & si non demonstratur, non esse. Cùm igitur illum demonstrari ostenderimus; etiam ostenderimus cum esse scientiam.

LX. An fortis sit ratio à paritate sumpta?

Confirmatio non urget: tum quia paritas non caret æquivocatione: tum quia multa sunt, quæ non semper fluunt, ut velle adversarii videntur. Rem exemplis illustro. Sit primum: Vox *equus*, non est equus: vox *lapis* non est lapis, vox *leo* non est leo: ergo vox *nomen* non est nomen. Sit secundum. Differentia, quam addit rationale supra animal, non est animal; quam sensibile supra vivens, non est sensibile: ergo quam addit species supra universale, non est universalis: ergo quam addit species supra prædicabile non est prædicabilis. Sit tertium. Id quod addit homo supra animal non est homo; id quod equus supra animal, non est equus; ergo illud quod addit differentia supra universale, & quo differt à cæteris prædicabilibus, non est differentia. Et in omnibus istis exemplis concessis omnibus antecedentibus, semper consequentiæ negantur.

LXI. An Logica ordinet proprium objectum?

Tertiò. Habitus, qui docet modum speculandi universaliter & particulariter ipsas res, & non proprium subjectum: qui docet ordinare ipsas res: & non ordinat proprium subjectum: qui docet syllogissare ipsas res, & non syllogissat proprium subjectum, non est scientificus: sed illud facit Logica, ergo non est habitus scientificus: quæ ratio unum est ex fundamentis Petri Nigri, coïnciditque cum hoc argumento communi. [Omnis scientia debet habere determinatum objectum: sed Logica non habet: quia est circa alias res, non verò circa proprium objectum: ergo &c. Confirmatur. Dicitur Logica ab antiquioribus Philosophis scientia communis, quòd non est esse veram scientiam; scientia enim est de propriis, non verò de communibus; at Logica est de communibus: ergo &c.

Sed hoc est saltare extra chorum, non enim hinc vel inde colligitur, An sit scientia, aut non sit? sed solùm ex eo capite, quod primo loco constituimus. Nam, si regulas suas demonstret, est scientia; &, si non demonstret, non est scientia.

Cum lego has rationes, & alias similes, quas Græci adjungunt, puto illos tam directè procederes, ac si probaturi aves esse homines, dicerent: substantias bipedes, substantias vocales, viventia erecta, animalia cælum respicientia, &c. esse homines: cùm tamen hæc non constituant hominem, sed jam constituto adjaciant, & aliis plurimis communia sint.

An scientia de contingentibus sit?

Quartò. Omnis scientia debet esse de rebus necessariis, sed Logica non est de rebus necessariis, ergo non est scientia. Putant majorem esse veram, quam tamen condono, tametsi falsam sciam, minorem probent. Sic procedunt. Agit Logica de secundis intentionibus; sed secundæ intentiones non sunt necessariæ, ergo &c. Major supponitur ex dicendis, minor verò probatur: Quæ arbitratu nostro fiunt, non sunt necessaria; sed secundæ intentiones nostro arbitratu fiunt, ergo non sunt quid necessarium; sed quid contingens, possunt enim fieri vel non fieri; at quod est necessarium, non potest non esse, nec objecta scientiarum possunt non esse. Confirmatur: Res arte factæ sunt contingentes: sed Logicales sunt arte factæ: ergo &c. Vnde & ipsa Logica artificialis dicitur; de contingentibus verò non datur scientia. Et hoc est totum fundamentum Zabarellæ, propter quod verissimam esse Græcorum scientiam, Latinorum verò falsissimam affirmat. Sed quis non videat hic evidenter essentias & existentias confundi? Existentia rerum Logicalium est contingens, at essentia necessaria est. Vel interrogo, An ab arbitrio meo habeat demonstrativus syllogismus, quòd scientiam generet? an à natura suâ? si enim à meo id arbitrio, probabilitatem ipse aut etiam errorem me id præcipiente generaret. Sanè physica non postulat quod homo existat: at postulat, ut, si existat, non possit non esse animal rationale. Sic etiam Logica non postulat, ut demonstratio existat; at postulat, ut si existat, non possit probabiliter, sed debeat necessariò concludere.

Arbitrium opponitur necessitati.

An de artificialibus detur scientia?

An Ens rationis sit scibile.

Quintò. Omnis scientia est de objecto scibili: sed Logica non est de objecto scibili, ergo non est scientia. Major patet: minor probatur. Logica est de Ente rationis, seu secundis intentionibus, quæ certæ non sunt scibiles, cùm omne scibile sit per propriam causam scibile; Ens autem rationis non habet propriam causam; neq; etiam habet proprietates, seu proprias passiones, quia illæ essent ejusdem rationis cum suo subjecto; ideòque ex illis & subjecto fieret prædicatio idemtica, prima autem passio debet prædicari de suo subjecto prædicatione verâ & directâ, sicut si risibilitas esset ejusdem rationis cum rationabilitate, non fieret hæc prædicatio directa & vera; Rationale est risibile, quia esset idem per idem: ergo cùm proprietates

An passiones & proprietates habeat?

entis rationis foret ejusdem rationis cum ipſo ente rationis, prædicaretur proprietas de ſuo ſubjecto prædicatione identica, non enim poſſet eſſe diverſæ rationis, alioquin eſſet proprietas rei: at ens rationis nequit habere proprietatem rei.

Confirmatur; Ens rationis non eſt ens ſimpliciter; ergo neque eſt ſcibile ſimpliciter; in tantum enim res eſt ſcibilis, in quantum eſt ens; ergo Logica, quæ eſt de ente rationis, non eſt ſcientia ſimpliciter. Quale enim eſt objectum, talis eſt ſcientia.

LXII. An objectū Logicæ ſit Ens rationis.

Sed hæc ratio, & ejus confirmatio duo ſupponunt, & falſum utrumque. Primò enim falſum eſt Logicæ objectum eſſe ens rationis. Et ſecundò falſum Paralogicam, cui objicitur Ens rationis & linguæ, non eſſe ſcientiam. Quoniam Ens rationis, ſi detur; & Ens linguæ, quod datur, eſt ſcibile: habet propriam cauſam, fit enim à mente illud, ſi fit; hoc à lingua: habet proprias & congeneres paſſiones proprietatesque, ſicut ens reale.

An Paralogica ſit ſcientia.

Ad confirmationem poſſet aliquis dicere, Primò Ens rationis eſſe Ens ſimpliciter: quis enim hucùſque demonſtravit non dari Entis conceptum communem enti reali & linguæ, aut etiam rationis, ſi detur? Secundò Ens rationis aut linguæ non eſſe Ens ſimpliciter, adeoq; nec eſſe intelligibile ſimpliciter, ſed eſſe ens fictum, & intelligibile fictè. At nihilominùs illud eſſe Ens fictum & fictè intelligi poſſe vera demonſtratione probari:

LXII. An Ens ſit univocum reſpectu realis fictiq.

Teſtimonia Ariſtotelis.

Sexto loco ponuntur aliquæ authoritates, varia enim ſunt loca Ariſtotelis indicantia Logicam non eſſe ſcientiam 6. *Metaph.* enumerans ſcientias nullam facit mentionem de Logica 1. *Top. cap.* 9. vocat res Logicas Problemata Dialectica inſtrumentaria, & neutrius generis: & 1. *Rhet. cap.* 2. ait, non debere Dialecticam & Rhetoricam ut ſcientias tractari.

LXIII. Solvuntur.

Sed hæc teſtimonia non urgent. Poſſemus enim *Primò* dicere Ariſtotelem erraſſe, & ſic nos à magna controverſia expedire. *Secundò* eum non erraſſe, ſed de ſui temporis Logica aut Dialectica egiſſe, quæ non erat tam perfecta, quam nunc. *Tertiò*, ſi deberemus admittere egiſſe de perfecta Dialectica, poſſemus dicere, in loco Methaphyſicæ citato neutrum dici, adeoque teſtimonio negativo nil probari. Poſſemus adjungere in loco Topicorum dici à Logica fieri problemata, quod etiam docemus & nos; addimus tamen artem, qua illa conduntur, regulis demonſtratis fundari.

Et tandem poſſemus laudare Ariſtotelem, quod dixerit non debere Rhetoricam Dialecticamque tractari ut ſcientias; nam & ego, qui eſſe ſcientias affirmo, cùm pueros docere volo, non illas tanquam artes tracto. Et ideò, antequam in hunc locum Ariſtotelis incidiſſem, Logicam à Metalogica diſtinxi, & in priore Dialecticam, ut artem, in poſteriore ut ſcientiam tradidi: in illa regulas edixi, in iſta earundem regularum veritatem & ſecuritatem demonſtravi.

An ad Ens rationis ſint relationes reales.

Septimò. Omnis ſcientia refertur ad ſuum objectum relatione reali: ſed Logica non poteſt referri ad ens rationis relatione reali: ergo non eſt ſcientia. Major probatur: Relatio ſcientiæ ad ſuum objectum eſt relatio menſurati ad menſuram; ſed relatio menſurati ad menſuram eſt realis: ergo omnis ſcientia refertur ad ſuum objectum relatione reali.

Sed cur non poterit Logica referri ad ſuum objectum relatione reali? An quia hoc eſt Ens rationis? At hoc nec eſt verum, nec ad rem. Non verum, quia centies diximus objectum Logicæ eſſe Ens reale. Non ad rem, quia actus ille qui realiter cognoſcit Ens rationis eſt realis, & capax relationis realis: actum enim illum, quo cognoſcitur ens rationis (ſi cognoſcitur) realiter attingere & cognoſcere ens rationis, certum & manifeſtum eſt.

Octavò. Multæ partes Logicæ nequeunt eſſe ſcientificæ; quomodo enim Topica diceretur ſcientia, cùm agat ſolùm de probabilibus? quomodo Sophiſtica, quæ omnibus exoſa eſſe debet? Imò à SS. Patribus repudiata atque damnata eſt ipſa Logica? Omnis autem ſcientia laudabilis ac bona eſt, ergo Logica non eſt ſcientia.

An Logica damnata ſit.

Sed hæc ratio non urget: nam eſt enervata ſuperiùs *art.* 2. *aſſertione* 4. & 6.

LXIV. Artis & Scientiæ diſferentia.

Nono. In hoc præſertim differunt ſcientia & ars, quod ſcientia ſit circa id quod eſt; & ars circa generationem; at Logica non eſt circa id quod eſt, ſed eſt circa generationem, ſeu ſyllogiſmorum effectionem, ergo eſt ars, & non ſcientia: major eſt Ariſtot. *cap. ult.* 2. *poſteriorum*, minor verò patet.

At ego hanc differentiam nego: ars enim circa factibilia verſatur, & ſcientia circa demonſtrabilia; unde ſi eadem veritas ſit factibilis & demonſtrabilis, ad artem & ſcientiam pertinebit.

An ſcientia invariabilis ſint.

Decimò. Principia ſcientiarum debent eſſe invariabilia; ſed Logicæ principia ſunt variabilia: ſunt enim ſyllogiſmus, propoſitio, &c. quæ dependent à noſtra voluntate, poſſuntque fieri vel non fieri: at quæ ſic ſe habent, ſunt variabilia, ergo &c. Adde quòd Logica tota occupatur circa fabricationem ſyllogiſmorum, efficere autem ſyllogiſmos non eſt opus ſcientificum, ſed arte factum: ergo Logica non eſt ſcientia, ſed ars: unde & meritò ſolet dici artificialis. Confirmatur ex eo quòd Ariſt. 1. *Priorum* ait, ſe generatione ſyllogiſmorum docere.

Hæc ratio non urget: quid enim ad illam dici poſſit, aut debeat, conſtat ex ſolutione quarta.

Logica docens & utens diſferunt.

Vndecimò. Si Logica docens eſſet ſcientia, utens quoque eſſet ſcientia: ſed hoc non, ergo neque illud. Minor patet, major probatur: ſicut ſe habet actus primus & ſecundus, ita Logica docens & utens; ſed actus primus & ſecundus non differunt niſi ratione, ergo docens & utens non differunt niſi ratione, & per conſequens, ſi utens non eſt ſcientia, neque docens erit ſcientia.

Et ego omnia concedo: & quia alteram Logicam dico esse scientiam, alteram esse scientiam assero.

An demonstrationes fiant in Logicâ?

Duodecimò. Si Logica esset scientia, fierent in eâ demonstrationes: sed hoc non, ergo neque illud. Major patet; minor probatur: Illa tantùm dicuntur demonstrari, quæ sunt ignota: sed res Logicæ non sunt nobis ignotæ: ergo de eis non fiunt demonstrationes. Minor probatur: quod fit ab intellectu, est nobis notum, res logicæ fiunt à nostro intellectu, ergo sunt nobis notæ.

Respondeo negando minorem; & ut me meritò illam negare probem, te ad articulum II. hujus disputationis remitto. Ad probationem nego etiam minorem; tam enim ignotæ nobis sunt res Logicæ, ut multi hodie viri aliàs eruditi illas ignorent, multi illas oblivioni mandaverint.

DISPUTATIO V.

An Logica sit speculativa?

LXV. Multa hic esse controversias de nomine.

VAde ad Scholas; argumentare, aut responde, si vis: Lege in Musæo Philosophos, & percipies summam hic concordiam animorum, summam differentiam linguarum. Vt ergo certa ab incertis separem, aliqua præmittere debeo.

Quid sit facultas speculativa?

Dico primò eam facultatem, quæ in solâ consideratione occupatur, & nullo modo operatur, vocari *Speculativam*. Sic Astronomia est scientia merè speculativa; metitur enim cœlos, astra, & eorundem periodos; cùm tamen nec illos fabricetur, nec ista tornet, nec hæc perficiat, sed cognoscat.

Quid practica?

Dico secundò eam facultatem, quæ opus externum producit, esse practicam. Sic Architectonica & omnes aliæ mechanicæ (artes aut scientiæ sint) dicuntur practicæ.

An operationes interna sint praxes?

Dico tertiò scientias, quæ nec manent in merâ consideratione, sed intrinsecùs aliquid operantur, præcipuè si opus non sit extra intellectum, ab aliis vocari speculativas & ab aliis practicas. Et quia operari intrinsecùs, operari est, maneat in debitâ significatione vocabulum, & scientia, cujus objectum ab intellectu est operabile, dicatur *Practica*.

Hinc oriuntur aliquæ Conclusiones, quas proderit dilucidare. Sit

Omnis Logica est practica.

Prima. *Logica docens est practica, Logica utens practicans.* Aliter: *Logica docens est operativa, utens verò est operans.* Subscribo Aristoteli 5. *Met.* Fonsecæ 2. *Metaph.* conimbricensibus *quæst.* 3. *Proœmiali.* Et ostenditur. Quia nulla est in tota Logica docente regula quæ non possit ad opus concurrere: ergo docentis Logicæ regulæ sunt concursivæ, ergo & operativæ, ergo & practicæ.

Secunda. *Scientiarum speculativarum actus sua objecta respiciunt speculativè, & tamen sunt praxes & objecta Logica, & ab ipsa respiciuntur practicè.* Rem exemplo dilucido. Hæc definitio *Animal rationale*, bifariam potest considerari, ut actus & ut objectum. Vt actus, est speculativus, ad partem illam Physicæ pertinens, quam *Animasticam* vocamus: & habet pro objecto suo hominem, quem non producit, sed contemplatur. Vt objectum est, est praxis, seu objectum practicum, & productum à Logicâ practicè: est enim quædam definitio facta secundum bonæ definitionis leges.

Tertia. *Ens rationis, si datur, est praxis mentis: & actus, quo cognoscitur est practicus.* Patet, quia entia rationis, si dantur, fiunt ab intellectu, & non nisi quando cognoscuntur. Ergo actus quo cognoscitur est operans. At Paralogica est scientia agens de objecto practico & de actibus practicis.

ARTICULUS I.

Solvuntur argumenta, quæ Logicam esse merè speculativam viderentur probare.

LXVI. Quid sit habitus practicus?

SIt primum. Ille habitus est tantùm speculativus, qui nullo modo ordinatur ad operationem. Sed hujusmodi est Logica, ergo &c. Major patet, minor probatur. Praxis est factio, sed docens nihil facit, quia tantùm cognoscit, ergo non est practica.

Respondeo majorem esse veram: at minorem omninò esse falsam. Peto enim, quid doceat Logica, quæ *docens* dicitur? Non-ne facere definitiones, divisiones, judicia, & argumentationes? Ergo tota ipsa ordinatur ad praxim.

An syllogismi fiant à Logicâ?

Secundum. Si Logica esset practica, esset, quia faceret syllogismos, sed hoc non, ergo neque prius. Minor probatur. Ipse intellectus facit syllogismos, ergo non ipsa Logica, saltem docens.

Confirmatur, illius facultatis est efficere syllogismos, cujus est ratiocinari, sed pertinet ad intellectum ratiocinari, ergo & facere syllogismos, non ergo ad hoc inventa est Logica, ut faciat syllogismos, sed potiùs ut ipsa cognoscat, an syllogismi sint rectè facti, licèt ipsa utens faciliter intellectum ad promptè, facilè, & absque errore syllogisandum.

Logica est directiva.

Et respondeo Intellectum facere syllogismos, at Logicam illam dirigere ne erret, & esse

Quo modo [illegible] dirigat? & esse scientiam directivam, & hoc genere practicam: & addo illam demùm concurrere, sicut cæteri habitus dicuntur cum potentiis concurrere: nimirùm, aut cooperando, aut prædeterminando, aut facilitando, juxta diversas opiniones, quas non debemus nunc examinare.

An secundæ intentiones sint praxes? Tertium. De secundis intentionibus agit principaliter Logicus: sed illæ sunt merè speculabiles; ergo & Logica erit merè speculativa. Minor declaratur, licèt enim, ens rationis sit, antequam illud directè agnoscat intellectus, secundæ tamen intentiones non sunt, nisi quatenus eas directè cognoscit intellectus, ergo habent tantùm esse cognoscibile, & ideò merè speculabile, ergo habitus, qui de illis agit, erit merè speculativus.

At ego putarem hoc argumento contrariũ omninò probari. Si enim secundæ intentiones antequam cognoscantur non sunt, & cùm cognoscuntur incipiunt esse: sanè ipsæ cùm cognoscuntur fiunt: ergo ipsæ praxes sunt, & actus à quibus fiunt sunt practici.

ARTICULUS II.

Solvuntur argumenta, quæ Logicam esse simul speculativam & practicam, viderentur probare.

LXVII. *Quid sit perfectionẽ continere eminenter?* RVuius *quæstione 5. proœmiali* docet Logicam esse eminenter & speculativam & practicam: at illum Lalemandetius *disp. 3. Logicæ* impugnat,

Primò. Quia quando aliquid continetur eminenter in aliquo superiori, ibi est nobiliori modo, quàm si esset tantùm in se formaliter, sed ratio *practici*, & *speculativi* non potest esse nobiliori modo in Logica, quàm in aliis scientiis, ergo Logica non est dicenda speculativa, & practica eminenter. Major ostenditur, Gradus vegetandi, & sentiendi v. gr. sunt multò nobiliori modo in animâ rationali, quia in eâ continentur eminenter, quàm extra animam rationalem, id est, quàm si gradus sentiendi consideretur in bruto, & gradus vegetandi in plantis, hoc enim est omninò apparens: Minor quoque videtur ab omnibus concedenda, nam Logica est scientiarum minima, unde à pluribus vocatur non scientia absolutè, sed *scientia diminuta*, ergo non potest dici nobilior aliis scientiis.

Ego autem cum *eminentia* nomen audio, omnia suspecta judico: nescio enim cur sit nobilius continere perfectionem eminenter, quàm continere illam formaliter: quià non semper vocem ipsam intelligo, nec omnes eam exponunt eodem modo. Sed neque existimo Animam rationalem esse sensitivam aut vegetativam eminenter; puto enim me formaliter esse sensitivum, & formaliter vegetativum. Sed omissis meis scrupulis, quid soleant Ruvii nomine juniores respondere, videamus.

Dicunt Logicam esse nobiliorem aliis scientiis secundùm quid, non tamen simpliciter, alias verò scientias esse nobiliores simpliciter Logicâ. Sed nulla est hæc responsio: displicet Lalemandetio, nam ea est nobilitas simpliciter, quæ petitur ex genere, & differentia, at illa nobilitas Logicæ esset desumpta ex ejus genere, & differentia, ergo Logica esset simpliciter nobilior aliis scientiis. Major patet, minor probatur: Nam desumeretur ab habitu Logico scientifico, qui habitus est genus Logicæ: peteretur item ab objecto, quod est differentia Logicæ, ratio enim practici, & speculativi petitur ab objecto, & proinde cùm nobilitas intrinseca alicujus scientiæ petatur ab objecto, si ratio speculativi, & practici petatur ab objecto, utramque rationem eminenter continente, erit simpliciter nobilior illa scientia; quæ sic habebit utramque rationem, quàm illæ, quæ eam non habebunt, sed nemo dicit Logicam esse simpliciter nobiliorem aliis scientiis, ergo nemo debet dicere rationem speculativi, & practici eminenter Logicæ convenire.

An unum & idem habitus sit speculativus & practicus? Secondò impugnatur eadem Ruvii sententia: Quia differentiæ dividentes genus non continentur actualiter in una specie. Sed speculativum, & practicum sunt differentiæ essentiales dividentes habitum scientificum, ergo non possunt actualiter simul sub eodem habitu scientifico contineri: Minor est communis in Philosophia; major patet, quia in animali, v. gr. rationale, & irrationale, quia sunt differentiæ dividentes animal, ideò nulla dabitur animalis species, quæ sit simul rationalis & irrationalis.

Hæc ratio non est magni momenti, & potest facili negotio enervari, & hanc ob rem non est cur ei nimium confidam. Sed quo dissolvi potest modo? Aliqui Ruvii nomine dicunt illas duas diversas differentias posse convenire uni scientiæ universali, sicut & conveniunt Theologiæ, quæ dicitur & speculativa & practica, & sicut vegetativum, & sensitivum non possunt convenire uni formæ particulari, possunt tamen convenire uni formæ eminentiori: ita speculativum, & practicum non poterunt convenire uni scientiæ particulari, benè tamen universali, qualis est Logica, quæ habebit duas partes inadæquatas, unam speculativam, alteram verò practicam.

Sed ista solutio non placet: & eo debemus recurrere, ut ostendamus unicum solum actum in tota Logica (docente, utente: apprehensiva, judicativa, discursiva: mentali, vocali, scriptâ) qui non sit operativus: hoc est, qui non sit directivus, qui non possit ad operationem modi sciendi concurrere. Nam si talis adsignatur actus, Logica erit simul speculativa & directiva, simul theorica & practica: at verò, si talis actus non succurrit, manebit purè theorica, seu speculativa.

Nota.

UT omnis æquivocatio tollatur, has ad [illegible] hæc

hæc lineas scribo. Sæpè enim scientiæ quæ docent, hoc est, quâ sunt operativæ & tamen non sunt operantes, dicuntur *speculativæ*: & quæ sunt operantes, hoc est, quâ regulas, de facto exercent, nominantur *practicæ*. Et, si hoc sensu loquamur, omnes Facultates docentes erunt speculativæ, & omnes utentes erunt practicæ.

Hæc bene debent percipi: quoniam varia terminorum acceptio in causâ, ut sæpè disputemus & toto cœlo dissentire putemus, ubi summo concentu concordamus.

DISPUTATIO VI.

De necessitate Logicæ.

LXVIII. *Varia opiniones recensentur.* Magna est hîc opinionum varietas: sunt enim, qui summè necessariam dicant Logicam; sunt, qui hoc dogma non negent, sed remittant; sunt, qui necessariam esse audacter negent; sunt, qui & utilem; & tandem eò venerunt nonnulli, ut illam nocivam & perniciosam asserant. Hos ego Authores, quos lingua ad varias classes videretur reducere, in duas pono. Nam vel indocti sunt, & privatis præjudiciis præventi, vel docti sinceri & amici: si primum, disputare non volo, ubi enim affectibus luditur, quis poterit rationibus agere; si secundum, disputabo libentèr, affirmabo liberè omnes ad unum etsi vario loquantur, eodem modo sentire. Ergo, ut & corrigatur Lingua, & æquivocationes tollantur, præmittatur

ARTICULUS I.

De nominum significatione.

LXIX. *Necessarium* dicitur, quod non potest non esse, & *Impossibile* quod non potest esse. *Quid sit necessitas?* Quam ob rem impossibile est ut necessaria non sint; ac necessarium ut impossibilia non sint.

Quotuplex? Multæ sunt Necessitatis divisiones; sed quia non omnes impræsentiarùm necessariæ videntur, paucas explicabo.

Necessitas absoluta: & secundum quid. Dividitur igitur Necessarium in id quod est necessarium simpliciter & absolutè, & in id quod est necessarium secundum quid & datâ aliquâ suppositione. Prioris generis si agamus de necessitate infinitâ & omnimodâ, est solus Deus; cujus essentia, cùm infinitè necessaria sit, ante omnem hypothesin aut considerationem à se habet, quod non possit non esse. Posterioris sunt creaturæ, *Deus est absolutè necessarius: & creaturæ non necessariæ.* quorum essentia & existentia sunt finitæ, & nullam omninò absolutam & simplicem necessitatem habent, sed solùm possunt vocari necessariæ interdum, si agamus de necessitate finitâ, hypotheticâ, & secundum quid.

LXX. *Necessitas naturalis & supernaturalis.* Necessitas hypothetica est duplex; altera naturalis, & altera supernaturalis. Est necessarium naturaliter, quod stando legibus naturæ aliter esse non potest, at de absolutâ Dei potentia aliter potest. Sic Solis nivèrsæ periodi necessariæ sunt naturaliter; at hæc ipsa earum necessitas finita est, subjecta Deo; qui illas potest impedire, si velit, & etiam impedivit de facto à Iosue & aliis oratus hominibus. *Deus Solis motum impedivit.* Et si forrè hoc exemplum absolutam aliquàm finitam potiùs, quàm hypotheticam illustrare dicatur, aliud subscribo. Cibos ob oculos pono, & ipsos absolutè necessarios non esse ajo; etiamsi agamus de necessitate absolutâ finitâ: esse necessarios ex hypothesi dico, nam si vita conservanda sit, cibis utendum nobis est. At hæc ipsa necessitas est naturalis, quoniam miraculosè multi sine cibo & potu multis annis vixerunt, supplente Deo, quod natura non posset. At necessitas supernaturalis, tametsi absoluta non sit, sed hypothetica, talis est tamen, ut conditione aut hypothesi stante nequidem miraculosæ Dei potentiæ cedat. Sic dicimus non esse necessarios homines; ipsos omnes ad unum posse non esse: at ex hypothesi quod sint, sequi necessariò esse animalia rationalia, nec posse fieri divinitùs, ut aliquis in mundo homo sit, & tamen nullum animal rationale sit.

LXXI *Necessitas simplex & ad meliùs.* Necessitas finita & hypothetica iterum duplex est; altera ad simpliciter esse, & altera ad meliùs esse. Sic dicimus cibos esse necessarios ad conservandam vitam: & convenientiores & salubriores cibos ad conservandam meliùs: aliud est enim vivere, & aliud sine ullo morbo vivere.

Necessitas Physica & moralis. Et iterùm eadem Necessitas est duplex; physica & moralis. Physicè necessaria dicuntur, quæ revera sunt talia: physicè etiam impossibilia, quæ reverà esse nequeunt. At moraliter aut etiam virtualiter necessaria dicuntur, quæ reverà necessaria non sunt, at considerata hominum voluntate & fragilitate ita se habent, ac si essent necessaria reverà. Et consequenter dicuntur moraliter aut virtualiter impossibilia, quæ reverà possibilia sunt, at prudentum opinione & judicio ita se habent, ac si impossibilia verè essent. Doctrinam exemplis illustro. Habes ephœbos pueros, ministrant tibi scyphos vitreos, & dico hos scyphos in eorundem manibus effringi, realiter necessarium non esse; at esse necessarium moraliter, aut ut meliùs loquar, virtualiter; nam considerata ætatis puerilis petulantia & fervore, etiam negli-

negligentiâ & ignavia, impoſſibile eſt vitreos illos ſcyphos longo ſervire tempore & non frangi. Eodem modo de venialibus peccatis philoſophamur. Carere omni peccato veniali phyſicè impoſſibile non eſt; at eſt moraliter & virtualiter impoſſibile: quoniam conſiderata hominum fragilitate (plusquam vitrea) longo tempore ſine ſpeciali privilegio omnia vitare venialia impoſſibile eſt. Ergo impoſſibilitas moralis, ſi benè examinetur, eſt quædam ſumma difficultas, quæ infert non neceſſariò ſed infallibiliter rem non eſſe: unde contra moralis neceſſitas erit ſumma non eſſendi difficultas, quæ infallibiliter inferat rem eſſe,

An poſſit aliquis vitare omnia venialia?

Quid ſit moralis neceſſitas & impoſſibilitas?

ARTICULUS II.

An & qualiter Logica ſit neceſſaria?

LXXII. *Tolluntur æquivocationes.*

EXplicatis vocibus, me omnibus viris doctis conſonaturum ſpero: eſt enim una & apud omnes eadem veritas, quæ ſi æquivocationibus nudetur, illibata & integra manſura ſit. Hoc ipſum doctè & eruditè animadvertit Lalemandetius *diſp. 3. de neceſſitate Log. part.* 1. in ipſa diciſione, in qua ait. [Quamvis referatur diverſitas opinionum, attamen in idem coïncidunt, quod apertè ſic oſtendimus. Communiter citant Iandunum 2. *Metaph. quæſt.* 12. Fonſecam 2. *Met. in cap.* 3. *quæſt.* 4. *Sect.* 2. Iabellum *tract. Log. cap.* 4. quod ſcilicet teneant Logicam non eſſe neceſſariam ſimpliciter, ſed tantùm utilem: at certè prædicti nihil aliud dicunt, quàm quod dicit Toletus, Rubius, Maſius, Conimbricenſes, Sanchez, Vallius, &c. qui pro opinione communi loquuntur: nam Fonſeca & Iabellus ajunt, quòd poteſt haberi aliqua ſcientia ſine Logica; ſed illa erit ſubjecta multis erroribus, maximo labore adquiretur, multiſque ambagibus erit referta: quare ex ſuppoſitione, quod quis aliquam ſcientiam velit perfectè adquirere, indiget Logica: ſuppoſito ergo, quod quis velit ſine erroris periculo aliquam ediſcere ſcientiam, id præſtare nequit ſine Logica.] Sic ille: & quidem meritò: puto enim hunc eſſe, omnium, omnium, Virorum doctorum ſententiam. Quam ut dilucidem

Pono primò Logicam non eſſe ſimpliciter & abſolutè neceſſariam, poſſet enim Deus omnes homines adnihilare, & in tali caſu nulla eſſet Logica.

Quid Logicæ nomine intelligendum ſit?

Pono ſecundò nomine Logicæ à nobis hanc intelligi ſcientiam, quæ ſi Mentalis ſit, tres dirigat mentis operationes: ſi Vocalis, tres linguæ operationes illis correſpondentes: & tandem ſi Scripta, tres correſpondentes linguæ & menti.

His poſitis ſit noſtra Concluſio. *In ordine ad adquirendas alias ſcientias eſt Logica neceſſaria ſimpliciter.* Quam ſic intellige, ut non poſſis vel unam ſcientiam in gradu excellenti callere, quin & Logicam in gradu etiam excellenti percalleas: ut non poſſis illam in gradu mediocri adquirere, ni fueris imbutus mediocri rerum Logicalium notitia: & tandem ut ne quidem imperfectè illam poſſis addiſcere, ſi Logicæ nullam notitiam habeas. Et, ſi in hoc ultimo videar à communi diſcedere opinione, oro ut iterùm rogentur Authores, An poſſit apprehenſiones formare in Phyſica, qui omninò formare apprehenſiones non ſciat? Poterit quidem, quando malos characteres aureas exarare, qui nullo modo ſcribere ſcit.

Conſideretur hæc probatio.

LXXIII. Probatur igitur noſtra Concluſio: Quia nemo eſt perfectè ſciens, niſi perfectè ſciat ſe ſcire; ſed nemo perfectè ſcit ſe ſcire, niſi beneficio demonſtrationis, nec poteſt certò cognoſcere ſe habere demonſtrationem, niſi perfectè ſciat, quid ſit demonſtratio: Quid verò ſit demonſtratio, ſola edocet Logica. Ergo nemo poteſt adquirere perfectè aliquam ſcientiam, niſi perfectè præſciat Logicam. Idem argumentum formari poterit de notitia mediocri, idem de notitia remiſſa.

LXXIV. *Logica in eſſe reflexo.*

Infert hinc Lalemandetius Logicam eſſe neceſſariam pro aliarum ſcientiarum acquiſitione, & uſu in eſſe reflexo: vocat eſſe reflexum, quando v. g. Phyſicus fecit demonſtrationem, & advertit, an illa ſit ex primis, veris, immediatis &c. id eſt, an habeat demonſtrationis conditiones? & hoc non præſtat Phyſicus in quantum Phyſicus, ſed in quantum Logicus; quia Logici eſt, conditiones demonſtrationis agnoſcere, quin imò ſecundum hoc eſſe reflexum (quod & regulativum poſſumus nominare) non modò ad ſcientias in eſſe perfecto, id eſt, ſecundum omnes concluſiones, & demonſtrationes, ſed etiam in eſſe imperfecto, id eſt, quoad aliquas demonſtrationes, & ſi ſint deductæ ductæ ex ipſis principiis, erit neceſſaria; quia ſemper erit recurrendum ad regulas Logicales, ut cognoſcatur, an vera ſit demonſtratio? quia id non efficit lumen naturale; regulæ enim Logicales de demonſtratione, aliiſque inſtrumentis ſciendi, ſunt quid artificiale, ergo ad quamcumque demonſtrationem etiam in alienâ materiâ factam erunt neceſſariæ regulæ, & inſtrumenta Logicalia, proindeque ipſa Logica. Sic ille. At puto vera omnia eſſe, ſi debito modo intelligantur: nam prius *eſſe reflexum* vocat, quod *regulativum* poſterius: cùm tamen certum ſit latere hîc nonnihil æquivocationis, nam regulæ debent præcedere, & reflexio ſubſequi. Dico igitur non habere ſcientiam hujus veritatis phyſicæ, *Homo eſt animal,* qui caſu & inconſideratè dixit, *Omne ſenſibile eſt animal, omnis homo eſt ſenſibilis, Ergo omnis homo eſt animal.* Nam tunc loqueretur ut pſittacus; ſed qui ſcienter; ergo ſive prævideat quid dicturus ſit, ſive quæ dicat recognoſcat, ut demonſtrationem hanc ſcienter proferat, indiget Logicâ. Logica igitur eſt facultas præveniens, concomitans & ſubſequens, ſine quâ nulla formalis poteſt reperiri evidentia.

Quid ſit eſſe reflexū?

An reflexio & regulatio idem ſint?

Logica præveniens, concomitans, & ſubſequens

LXXV. Addit Lalemandetius, ſcientias poſſe conſiderari ſecundùm ſuum eſſe directum perfectum, & juxta hoc indigere ſimpliciter Logica

An ad adquirendas scientias imperfectè Logica naturalis sufficiat?

Logicâ artificiali: secundùm verò suum esse directum imperfectum non indigere, sed hoc esse directum imperfectum acquirere posse per lumen naturale, seu Logicam naturalem: at secundùm suum esse reflexum tam in esse imperfecto, quàm perfecto, indigere Logica artificiali, licet enim aliquando aliqua demonstratio appareat vera demonstratio, deductaque videatur ex principiis, attamen sæpè est paralogismus, quare reflexione ad regulas Logicales opus est, v. g. ista apparet vera demonstratio, quæ tamé est fallax syllogismus, *Omnes lineæ ductæ à centro sunt æquales; sed lineæ rectæ, & lineæ curvæ sunt ductæ à centro, ergo sunt æquales*, attamen linea curva non est æqualis lineæ rectæ, licèt ille syllogismus ex principiis Geometricis deductus videatur, edocet Logica, quòd termini debeant sumi eadem ratione in majore, & minore, & quòd in illo paralogismo non sumantur; nam major intelligitur de lineis ejusdem rationis, minor verò loquitur de lineis diversæ rationis scilicet rectis, & curvis. Sic ille. Sed non placet illa Logicæ naturalis & artificialis distinctio: nam illa in aliquibus valdè est eminens, & hæc in multis valdè hebes. Et hoc accipiendo nomine *Naturalis*, illam quam experientia & usu extra scholas didicimus: nam omnis Logica esse adquisita, & nulla purè naturalis esse videtur: sed de hoc alibi. Prætereà, si Logica purè naturalis detur, non differet ab artificiali quiditate, sed modo: & ideò dicendum est ad Physicam perfectè adquirendam requiri notitiam perfectam Logicæ, sive hæc sit indita, sive adquisita: & ad imperfectè adquirendam, sufficere Logicæ imperfectam notitiam. Et hìc obiter notari volo, me, cùm dico Logicæ perfectam notitiam ad Physicam perfectè adquirendam requiri, non agere de perfectione Physicæ extensiva, sed intensiva; pronuncio etiam totius Logicæ perfectam cognitionem requiri ad unam veritatem alterius cujuscumq; scientiæ scientificè & benè cognoscendam. At semper admitto eminentiore Logicæ notitia indigere, ut quis scientiam adquirat de omnibus conclusionibus Physicis, quia illæ debent esse ordinatæ, & debent reduci ad prima principia illius scientiæ aliis pluribus demonstrationibus mediantibus, ideò hæc omnia præstare nequeunt sine clariore & exercitatiore Logica, quæ ad hoc instituta est, ut ordinet scientias, reducatque conclusiones ad sua principia; & ut ostendat, an sint veræ, vel apparentes demonstrationes.

An detur Logica purè naturalis?

LXXVI. Ex istis nonnulla infert Lalemandetius Corollaria, & inter alia, Imponi Iavello, & Fonsecæ, quòd à communi opinione discrepent; tam benè enim eam tuentur, ac cæteri omnes, quod ipsum persuadet clarissimè. Nam Iavellus ait, quòd non possit haberi ulla scientia promptè, expeditè, ordinatè, resolutè, & absq; admixtione multorũ errorum sine Logicâ, ergo nulla scientia ex mente Iavelli erit perfecta scientia sine Logica; non enim erit perfecta scientia, si sit cum admixtione multorum errorum: at ait Iavellus non posse haberi scientiam nisi cum prædictâ multorum errorum admixtione sine præsidio Logicæ, ergo nulla scientia perfecta sine Logicâ, imò nulla scientia imperfecta adquiri poterit sine Logicâ: aliud enim est rem inadequatè scire, aliud cum erroribus scire: ubi enim aliquis errori obnoxius est, nequidem imperfectam habet scientiam: omnis enim scientia etiam imperfectissima, omni debet errore carere (aliàs non erit scientia) nam cùm novas veritates addiscimus, non intenditur perfectio scientiæ, sed extenditur tantùm. Fonseca etiam id expressissimè fatetur, cujus sunt hæc verba; *Dialectica non est simpliciter necessaria ad cæteras scientias comparandas, sed ex hypothesi, si quis, inquam, facilè & absque erroris periculo breviter & ordine reliquas scientias assequi velit.* Quæ omnia quid aliud volunt, quàm quòd Logica sit necessaria ad alias scientias in esse perfecto consideratas, & ut nulli errori obnoxias?

An imperfecta scientia omnis debeat errore carere?

ARTICULUS III.

An Logica sit necessaria ad se ipsam?

Ut probent Logicam non esse necessariam nonnulli, hanc objectionem centies repetunt. [Si Logica est necessaria ad adquirendas scientias, cùm & ipsa etiam scientia sit, indigebit alia Logicâ: & cùm hæc ipsa etiam scientia sit, alia Logicâ; & sic in infinitum. Vel aliàs erit necessaria ad se ipsam adquirendam; ac propterea debet sciri, antequam sciatur, & antequam adquiratur supponi. Quidquid ex his duobus admittatur absurdum est: Ergo Logica non est ad adquirendas scientias necessaria.] LXXVII.

An debeat admitti processus infinitus, aut circulus?

Ratio est unica, sed quæ plurimas solutiones sortiatur: do præcipuas. *Alii* dicunt quòd Logica sit necessaria ad seipsam, in esse reflexo: postquam enim intra latitudinem sui ipsius elicuit aliquam conclusionem, seipsam supra suas regulas reflectit, ex qua reflexione cognoscit, an tales conclusiones sint legitimæ? sed hoc pacto non erit necessaria ad se ipsam in esse perfecto directè, sed tantùm in esse reflexo. Sed hæc opinio falsa est, quia ut paulò antè vidimus, non solùm supra demonstrationes suas reflectitur Logica, sed prævio etiam concursu mentem dirigit, ut format demonstrationes Logicas. Ego enim si jubear facere unum syllogismum in Logica, ut illum benè faciam prævio concursu manuducor à Logica. *Alii*, ne admittant progressum in infinitum, & ne ad se ipsam esse Logicam necessariam concedant, pronunciant Logicam adquiri posse sine Logica: quod sic suadent. Modi non datur modus: at Logica est modus sciendi, ergo Logica non est necessaria ad Logicam, bene tamen ad alias adquirendas scientias: ipsæ enim non sunt modi sciendi. Sed non benè discurrunt hi Authores: primò quia laborant & ludunt æquivoco, alio enim sensu accipitur vox *Modus*, cùm dicimus, *Sessionem esse modum*, ac cùm dicimus, *Logicam esse modum*. Secundò quia etiam si æquivocationis abusum toleremus, adhuc

Quo modo Logica dirigat mentem ad suos actus?

An detur modi modus?

Modus dupliciter accipitur.

urget; quia ſicut dicimus unionem ſe ipſa uniri, actionem ſe ipſa fieri, ſic etiam poſſemus dicere Logicā (quæ modus ſciendi eſt) ſe ipſa addiſci. *Alii* exiſtimant, quod una pars Logicę

An una Logicæ pars dirigat alteram?

alteri inſerviat, ex habitis enim bonis definitionibus, & propoſitionibus, recta conficitur demonſtratio, ex vera autem cognitione prædicabilium, & prædicamentorum nativas fabricabis definitiones, propoſitiones &c. habebis autem primò notitiam rudem de his per Logicam naturalem, deinde perfectior generabitur notitia per exercitium, & artem. Sed hæc etiam ſententia diſplicet, quia licèt alicubi locum habere queat, ad generalem regulam promoveri non poteſt. Peto enim quid ſit definitio & quo modo quiditativè definiatur? Peto ſecundò, quo modo dividatur diviſio? Peto tertiò, An hæc oratio, *Omnis propoſitio eſt aſſerens vel negans*, ſit propoſitio? & ſi ſit, quæ? quanta? & qualis ipſa ſit? Peto quartò, An non iſte ſyllogiſmus ſit in Darii: nimirùm: *Omnis ſyllogismus in Dario eſt bonus* [*Omnis homo eſt animal: Petrus eſt homo: Ergo Petrus eſt animal*] *eſt in Dario: ergo eſt bonus*? Et volo mihi oſtendi quomodo una pars Logicæ ad aliam compartem concurrat. Non poterit aliter Definitio definiri, quàm definitione, nec aliter dividi Diviſio quam diviſione. Et *Omnis propoſitio eſt aſſerens*, eſt propoſitio aſſerens: Et hic ſyllogiſmus, *Omnis ſyllogiſmus in Dario eſt bonus: Hic eſt talis: Ergo eſt bonus*, eſt in *Dario*.

Putant aliqui hanc eſſe ſpecialem diffi-

LXXVIII. *An & quo modo ſit neceſſaria Grammatica?*

cultatem in hac ſcientia, cùm tamen in multas ſe inſinuet, quod uno aut altero exemplo illuſtrabitur. Dico Grammaticam eſſe neceſſariam ad adquirendas ſcientias: quo enim modo illas poſſet addiſcere, qui non intelligeret docentis verba? Et inquiro, An etiam ad ſeipſam ſit neceſſaria? Reſpondes unam Grammaticam eſſe neceſſariam ad adquirendam aliam: puta maternam & vernaculam ad addiſcendam Latinam, & hanc ad addiſcendam Græcam. Sed requiro: An addiſcere Grammaticam poſſit, qui nullam præcognoſcat Grammaticam? Et ne multis me graves, unum infantem recèns natum ob oculos pono. Caret omni Grammatica, (niſi fortè ea loquutio, quæ per nutus &

Loquutio per nutus & ſigna.

ſigna fit, Grammatica naturalis dicatur.) & tamen paulatim addiſcit Grammaticam. Quando dicimus nomen eſſe primam orationis partem: dictionem eſſe vocem ſignificativam: vocem latiùs patere quàm dictionem: vocabulum habere latiſſimam ſignificationem: negare non poteris vocem *Nomen* eſſe nomen: vocem *Dictio* eſſe dictionem: vocem *Vox* eſſe vocem: & vocem *Vocabulum* eſſe vocabulum. Ergo ſine Grammatica intelligi non poteſt Grammatica. Ergo ſicut Grammatica indigemus, ut diſcamus Grammaticam: ſic Logica, ut diſcamus Logicam.

Grammatica naturalis.

Dedit Deus hominibus neſcio quam naturalem Grammaticam, quæ arte & labore poteſt perfici; nam, ſi omninò ſe non intelligerent homines, infantes doceri non poſſent. Et ideò ingenuit Deus neſcio quam naturalem Logicam; nam ſi omninò carerent homines Logica, non poſſent addiſcere Logicam. Supponit ergo Artificialis & adquiſita Logica, Logicam uſualem, & hæc Logicam naturalem & inditam, quæ nos juvat ut artificialem adquiramus.

ARTICULUS IV.

De neceſſitate Dialecticæ magnorum Virorum Iudicia.

A Ratione diſſerui: & aſſerui ne os quidem hominem ſine Logica aperire poſſe ſine erroris periculo: & ne nimia hæc videatur cenſura ſumma hùc ingenia advoco, & eorundem Iudicia & Cenſuras ſubſcribo. LXXIX.

Zeno

Qualis fuerit Athenis habitus

SVmo à Zenone initium, quem Citius, Cypri urbs, literato orbi dedit: quem tanti fecerunt Athenienſes, ut apud eum urbis claves deponerent, & corona aurea & ærea ſtatua decorarint. Stoicæ ſectæ Conditor, diſcipulos celeberrimos habuit. Multa iſte doctè aſſeruit, quæ noſtram doctrinam confirmant.

LXXX. *Logica & Rhetorica clauſa & aperta manus ſimiles.*

Quintilianus *libro II. Oratoriarum Inſtitutionum* duo eſſe Orationis genera docet: altera enim oratio eſt perpetua, & Rhetorica; altera conciſa & Dialectica dicitur: atque has ita à Zenone conjunctas, ut hanc compreſſæ in pugnum manui, illam explicitæ diceret ſimilem. Ergo, ſiſtemus huic cenſuræ, ſicut aperta & clauſa manus in ſubſtantia non differunt, ſic etiam Rhetorica & Dialectica. Dicam igitur Rhetoricam uberiorem & copioſiorem Logicam: & Logicam eſſe Rhetoricam conciſam & brevem. Ergo rudis Dialecticæ Rhetoricam profiteri non poteſt.

Placuit Ciceroni iſtud ſimile: & illo, Zenonem adlegans, utitur *libro de finibus bonorum & malorum ſecundo*, ubi ait. [Zenonis eſt, inquam, hoc Stoici, omnem vim loquendi, in duas tributam eſſe partes dicere, Rhetoricam palmæ, Dialecticam pugno ſimilem eſſe dicebat: quòd latiùs loquerentur Rhetores, Dialectici autem contractiùs.] Idem *libro de perfecto Oratore*. [Zeno quidem ille, à quo diſciplina Stoicorum eſt, manu demonſtrare ſolebat, quid inter has artes (Dialecticam & Rhetoricam) intereſſet. Nam, cum compreſſerat digitos, pugnumq; fecerat, Dialecticam ajebat ejuſmodi eſſe: cùm autem diduxerat, & manum dilataverat, palmæ illius ſimilem eſſe eloquentiam dicebat.] Conſonat Ariſtoteles, qui in principio artis Rhetoricæ, dicit illam artem quaſi ex altera parte reſpondere Dialecticæ: ut hoc videlicet differant inter ſe, quòd hæc ratio dicendi latior ſit, illa loquendi contractior.

Stoici.

LXXXI. *Stoici quare & unde dicti?*

SEquuntur Præceptorem diſcipuli, Zenonem Stoici priùs dicti Zenonii à ſectæ authore, poſteà στωϊκοὶ, à στοᾶ nempè *porticu*: quia, cùm carerent ſchola, eo confluere, & ibi ſolebant diſſerere.

Isti igitur meam confirmant sententiam afferentes nonnulla, quæ exscribi debere videntur. In Historiographia hæc lego, [Ajunt Stoici absque dialecticæ speculatione, sapientem in oratione sine lapsu non futurum. Quippe ex illa dignosci verum atque falsum, probabile item, & quod ambiguè dicatur intelligi. Ea remota, jam non licere ritè interrogare atque respondere, sed pertingere eam quæ in negationibus est temeritatem, ad ea etiam quæ fiunt, adeò ut in absurditatem ac vanitatem vertatur, qui phantasias minimè exercitas habet, neque aliter acutum & ingeniosum cautumque omninò in dicendo & fore & visum iri sapientem. Ejusdem enim esse, rectè loqui, recteque cogitare, ejusdemque ad ea, quæ proponuntur disserere, & ad ea quæ interrogantur respondere, quæ sint omnia viri Dialecticæ periti.] Et iterùm [Hujusmodi sunt in Logicis Stoici, ut maximè asserant Dialecticum solum esse sapientem. Omnes enim res per eam, quæ in verbis est speculationem cerni, quæque ad naturam pertineat, & quæ rursùm ad mores Logicæ egère adminiculo.] Et rursùs: [Enimverò philosophiam animanti similem dicunt, ossibus ac nervis Logicen, carnibus Ethicen, animæ Physicen conferentes. Sive rursus ovo: esse quippe superficiem (id est, testam) Logicen, sequentia Ethicen, intima & penitus abstrusa Physicen. Sunt qui agro frugifero: quippè circumiectam sepi Logicen: fructum Ethicen, humum ac arbores Physicen. Nonnulli civitati optimè septæ ac pulchrè ex dignitate administratæ.] In qua Stoicorum comparatione illud est diligenter notandum, Dialecticam ubique comparari iis per quæ alia continentur, corroborantur, sustentantur, finiuntur, muniuntur, & definiuntur, utpote ossibus & nervis, testæ, ovi, sepi agrum, aut muro civitatem circumdanti. Videlicet, ut indicetur his comparationibus, quòd apertè asserit Rodolphus, Dialecticam esse ducem, directricem, atque stabilitricem cæterarum artium & sine cujus præsidio tueri fines suos reliquæ non satis commodè possent.

An soli Logici sapientes fiant?

Animali similis Philosophia.

Etiam Ovo: necnon Agro, Civitati &c.

Cato etiam apud Ciceronem *libri III. de finib.* à Stoicis Dialecticam in censu Virtutum constitui asserit per hæc verba. [Ad eas virtutes de quibus disputatum est Dialecticam etiam Stoici adjungunt & Physicam, easque ambas virtutum nomine appellant. Alteram quod habeat rationem, ne cui falso assentiamur, nève unquam captiosa probabilitate fallamur, eaque quæ de bonis & malis diceremus, tenere tuerique possimus; nam sine hac arte, quemvis arbitramur à vero adduci fallique posse. Rectè igitur, si omnibus in rebus temeritas, ignorantioque vitiosa est, ab his ea, quæ tollit hæc, virtus nominata est, Physicæ quoque non sine causa idem tributus est honor.]

An Logica sit virtus?

LXXXII. Volo adhuc addere unicam periodum Ciceronis, qui *in Topicis ad Trebatium* sic scribit: [Cum omnis ratio diligens disserendi duas habeat partes, alteram inveniendi, alteram judicandi, utriusque princeps (ut mihi quidem videtur) Aristoteles fuit. Stoici autem in altera laboraverunt. Iudicandi enim vias diligenter perscrutati sunt, eam scientiam quam Dialecticen appellant. Inveniendi verò artem, quæ Topica dicitur, quæ ad usum potior erat, & ordine naturæ certè prior, totam reliquerunt.] Et iterùm *libr. IV. de finib.* Catoni, qui & Stoicus erat, respondens inquit. [Cùm duæ sint artes quibus perfectè ratio & oratio compleatur, una inveniendi, altera disserendi, hanc posteriorem & Stoici & Peripatetici: priorem autem hi egregiè tradiderunt, illi omninò ne attigerunt quidem. Nam è quibus locis, quasi è thesauris argumenta depromerentur vestri ne suspicati quidem sunt, superiores autem artificio & via tradiderunt.] Hæc ille. An-ne hic Cicero nostræ videtur opinioni favere, qui duas Logicas Moralem & Scholasticam cognoscimus: hæc est Iudicativam & Inventivam: quarum hæc sit ad usum potior, imò & prior: illa in tribunalibus necessaria, & Inventivâ posterior? Tu verba relege, & utrùm in tribunalibus olim usi fuerint speciali Dialectica, quam Iudicativam dicerent, judica.

Ratio disserendi duplex.

Dialectica. Topica.

Logica duplex: Scholastica, Moralis.

Plato

LXXXIII. Eius lingua, asserente Augustino, purgatissima, & ingenium lucidissimum fuit: & tamen ingenii vires, & linguæ suavitatem exserit, ut Dialecticam summè esse necessariam persuadeat. Sæpè ipse, & præcipuè in Dialogo, qui *Phædrus* inscribitur, Socratem Præceptorem suum, quem calamo ipse suo æternum reddidit, introduxit dicentem. [Harum ego divisionum collectionumque ò Phædre amicus sum, ut & intelligendi & loquendi sim compos. Ac si quem alium posse arbitror tum ad unum, tum ad multa, pro rerum natura respicere, hujus à tergo tanquam Dei vestigia sequor. Atque eos qui id facere possunt, hactenùs voco Dialecticos.]

Opinio Socratis.

Dialectici ut Dii.

Divisionis & Collectionis nomine omnem modum sciendi complectitur: nam qui definit, dividit totum in formalitates seu particulas entitativas: qui dividit, distribuit totum in partes subjectivas seu potestativas: & qui colligit, argumentatur. Ecce Plato eam scientiam amat, quæ docet definire, dividere, & argumentari. Et ut quid illam amat? ut possit intelligere & loqui. Hæc ergo scientia mentem dirigit, ut bene intelligamus & Mentalis dicitur: dirigit etiam linguam, & vocatur Vocalis: adde stylum, & invenies Scriptam, nam qui hanc facultatem sciunt, etiam scribendi sunt compotes. Sed quo nomine insignitur hæc scientia? Dialectica. Ecce hoc nomen non soli argumentativæ Logicæ parti, sed toti Logicæ attribuitur, nam non Collectores (hoc est, Argumentatores) modò, sed & Definientes & Divisores, ait esse Dialecticos.

Logica mentalis & vocalis.

Et

Et ipsos quanti facit? Quanti Deos: cujuscunque enim Logici, à tergo, tanquam Dei, sequi se vestigia protestatur.

Et in eodem Dialogo de Pericle (fuit insignis Orator) hæc Phædro Socrates. [Videtur mihi, inquit, non injuriâ Pericles Oratorum omnium perfectissimus extitisse. Magnæ enim quælibet artes, exercitatione dialecticâ, contemplationeque sublimium in natura rerum, indigent. Ipsa enim mentis sublimitas, & vis efficax in qualibet re perficienda hinc quodammodo proficisci videntur; quod Pericles ad ingenii acumen adjunxit. Anaxagoræ namque hujusmodi rerum indagatoris familiaritate fretus contemplationi se tradidit, unde ad dicendi artem quod ipsi videbatur traduxit.]

Pericles Auditor Anaxagoræ.

Ecce hîc, ut probet Rhetoricam sine Dialectica esse inermem, & hac contentiosa facultate indigere, hoc utitur analogismo: [Quælibet artes, ut sint magnæ, ut sint perfectæ, ut sint in gradu excellenti & sublimi, egent Dialectica: Oratoria est Ars: Ergo ut fuerit in illa magnus, perfectus, & excellens Pericles, Dialectica eguit. At fuit in Oratoriâ eruditissimus & exercitatissimus: Ergo in Dialecticâ magnus, perfectus, & excellens.]

LXXXIV. *Artes omnes comparantur cum Logicâ.*

Iterùm Plato Dialogo septimo, qui vel de Republicâ, vel de Iusto inscribitur, inducit Socratem non solùm Mechanicas Artes, sed Scientias Mathematicas etiam cum Dialecticâ conferentem: & dicentem Glauconi, [Nemo autem adversabitur nobis dicentibus quod differendi facultas duntaxat conatur ordine certo circà unumquodque quid ipsum sit invenire. Si quidem ceteræ artes (id est mechanicæ) aut ad opiniones hominum cupiditatesque respiciunt, vel ad culturam eorum quæ generantur & corrumpuntur. Reliquæ verò, quas diximus verarum rerum quoquo modo participes esse, Geometria scilicet ejusque comites, circa ipsam essentiam quodam modo somniant; syncerè autem quidquam ab illis cernere, impossibile est, quousque suppositionibus hærent, easque tacitas & immobiles adeò servant, ut illarum rationem reddere nequeant. Dialectica verò sublatis suppositionibus omnibus ad ipsum principium confirmandum pergit, ac reverà animi oculum cœno barbarico obrutum, paulatim sursum trahit ac ducit tanquam adiutricibus ac ministris quibusdam utens his artibus quas narravimus.] Sic ibi: ac deinde nonnullis interpositis, legem statuit esse ferendam in republicâ, qua jubeantur discentes, eam potissimùm disciplinam capescere, ex quâ ad interrogandum & respondendum, ut scientem decet, aptissimi sint, quæ est Dialectica. Postremò (consentiente in idem Glaucone) Dialecticam doctrinis omnibus velut apicem esse præpositam dicit, nec ullam doctrinam ulterius aut eminentiorem reperiri, sed hîc doctrinarum omnium esse finem.

Artium omnium objecta.

Philosophi, cùm agunt de rerum quidditatibus, somniant.

Quantum valeat & possit Dialectica?

Dialectica scientiarũ apex.

Artes Mechanicæ.

Ecce hic Plato linguam Socratis movet, ut Artes, quæ lucrum splendoremque (ejusmodi sunt Camptoria & Sartoria) quæ generationes (qualis est Pastoritia) quæ compositionem (ut est Pictoria, Architectonica, &c.) quæ culturam (ut est Rustica &c.) concernunt, ait Mechanicas esse: Artes autem veras, Mathematicas nominat: quasi sentiret Mechanicas omnes esse falsas. Ecce hic sentit Mathematicarum omnium Principem esse Geometriam: cæteras esse ejusdem comites & pedisequas. Ecce Mathematicas somniare circa essentiam docet, quod multa supponunt, quorum rationem dare nequeunt: Ecce solam Dialecticam in scientiarum dormiturientium classe esse vigilem asserit, quod nihil supponat, sed omnia examinet, & ad prima fundamenta reducat. Quod ipsum à Socrate & Platone didicit Aristoteles: & nos docuit in Topicis, asserens omnium Methodorum Principia reperiri in Dialecticâ, illamque ad omnes scientias & Facultates aperire securissimam viam.

Liberales:

Artes falsæ

Mathematicarum Princeps.

An aliquid supponat Dialectica?

LXXXV.

Vt ponat ob oculos Hipponensis Episcopus summam Logicæ necessitatem *libri contra Academicos tertii capite XVI.* Sic ait [Plato, vir sapientissimus & eruditissimus temporum suorum, qui & ita loquutus est, ut quæcunque diceret magna fierent: & ea loquutus est, ut quomodocunque diceret parva non fierent, dicitur post mortem Socratis magistri sui, quem singulariter dilexerat, à Pythagoricis etiam multa didicisse. Pythagoras autem Græca Philosophia non contentus, quæ tunc aut penè nulla erat, aut certè occultissima, postquam commotus Pherecidæ cujusdam Syri disputationibus, animum esse immortalem credidit, multos sapientes etiam longè lateque peregrinatus audierat. Igitur Plato adjiciens lepori subtilitatique Socraticæ, quam in moralibus habuit, naturalium, divinarumque rerum peritiam, quam ab iis quos memoravi diligenter acceperat, subjungens, quasi formatricem illarum partium judicemque Dialecticam, quæ aut ipsa esset, aut sine qua sapientia omninò esse non posset, perfectam dicitur composuisse Philosophiæ disciplinam.] Ecce Physica & Ethica teste Platone & Augustino, si careant Logicâ, sunt informes. Ecce hæc est non modo forma, sed illarum formatrix. Ecce Dialectica omnium scientiarum est Arbitra, omnium judex. Ecce est, per quam in aliis scientiis omnia facta sunt, & sine qua factum est nihil. Ecce non solùm requiritur, ut aliæ scientiæ in sublimi & excellenti gradu sint, sed ut sint: hoc enim significant illa verba ultima *sine qua* (Logica) *sapientia. Omninò esse non posset.*

Qualis & quantus fuerit Plato?

An fuerit Pythagoricus?

An anima immortalis sit?

Scientiarũ conformatrix Logica.

Nota bene.

LXXXVI. *Inventor Dialecticæ Plato.*

Platonem additâ Dialectica complevisse & perfecisse Philosophiam attestatur Diogenes Laërtius *libro de vitis Philosophorum*, in Platone enim ait. [Vt olim in Tragœdia, priùs quidem solus chorus agebat, postmodum verò Thespis unum invenit histrionem, ut chorus interdum requiesceret: secundum posteà Æschylus adjecit, & tertium Sophocles, atque in hunc modum tragœdia

Tragœdia inventio.

gœdia

gœdia consummata est: ita & Philosophiæ ratio dudùm circa unam tantum Physicæ speciem versabatur. Accessit Socrates & adjecit Ethicen. Tertiam Plato Dialecticen addidit, & consummato Philosophiæ operi extremam manum apposuit.] Sic Laërtius. Ecce Philosophiæ basis est Physica; columna, Ethica; & capitellum, Logica. Frustrà tractantur Moralia à multis hodie, quia extremis carent: frustrà, quia carent Physica: frustrà, quia Logica. Nam Ethica, si caret fondamento physico est fabula, & moralitates sunt rationis aut linguæ Entia. Et si caret directione Dialectica est præceps, & impotens definire, judicare aut discurrere.

Physica fundamentum est Ethica.

Ego Platone teste ad omnes scientias Logica est necessaria. An etiam ad ipsam Grammaticam? etiam. In Dialogo, qui *Cratylus* dicitur, & disputat de recta Nominum etymologia Dialectici esse officium, ait, imponere rebus nomina. Et hoc ad Dialecticum pertinere suadet, quod is sciat dividere, & colligere, quod alii ignorant. Vt igitur Platonem intelligas, scire debebis primò, multa nomina imposita fuisse casu, multa summo consilio: secundò duas esse Grammaticas, alteram practicam, alteram Scholasticam & Speculativam [Illam in meo cursu liberali tradidi: hanc in hoc Philosophico.] Non agit Plato de nominibus casu impositis, non de Grammatica practica, quæ illis utitur: sed agit de impositis summo consilio, & de Grammatica speculativa & scholastica, quæ hujus consilii rationes indagat, & ostendit. Et ait Grammaticum quamdiù careat Dialectica, tamdiù carere consilio ut benè imponat nomina: & scientia, ut eorumdem etymon explicet, & rationes exhibeat.

An ad Grammaticam Logica necessaria sit?

Nominum impositio.

Grammatica duplex.

Et multò adhuc clarius *lib. 7. de Republ.*

LXXXVII. (pag. 531. ex editione Ioannis Serrani) necessitatem usumque hujus scientiæ commendat: affirmatque ad veram scientiam, quæ in explorata rerum cognitione] consistit neminem] perventurum, nisi qui possit δοῦναί τε καὶ ἀποδέξασθαι λόγον, dare & recipere sermonem, hoc est, intelligentiæ suæ καταλήψεις *firmis rationibus munire, easque commoda, & opportuna ratione edisserere atque explicare, aliorum vicissim sensa intelligere, & ea vel approbare si vera sint; vel improbare, si falsa.* Paulò post affirmat, *non aliam esse viam & rationem præter Dialecticam, quæ in rerum omnium generibus, rei uniuscujusque propriam definitamque naturam conetur certo ordine eruere.* Subjungit: *Dialectices rationem solam ita progredi, ut sublatis hypothesibus ad ipsum simplex, impermistumque principium pergat, ut & firmum fundamentum sibi substernat, oculumque animi cœno quodam barbarico reverà demersum atque defossum sensim trahat deducatque sursum.* Noto illud, *sublatis hypothesibus*, & duo addisco: *alterum* Disputatores milites esse; mercatores non esse. Licitatur mercator, aitque si mihi hoc concesseris, hoc & tibi concedam; at miles nihil cedit, nihil concedit, sed omnia vult armis evincere. *Alterum* paucos hodie esse in Europa veros Dialecticos, multos qui multa supponunt, pauca examinant, quorum sublatis hypothesibus, omnia penitiùs examinarentur. Sed hoc alibi tracto: nunc placet audire Platonem adhuc, qui paucis interjectis, hæc addit. *Legem ergo perferes* (tuis Libetis) *qua jubeantur eam potissimùm disciplinam capessere, ex qua interrogare & respondere possint scientissimè. Nonne igitur tibi videtur Dialectica esse veluti culmen & apex in summo fastigio collocata? Neque ulla disciplina hac esse superior: sed illa omnium disciplinarum finem in se omninò habere?* Idem in Parmenide ait: *Exerce te ipsum in ea arte* (nimirùm Dialectica,) *quæ multis inutilis esse videtur; & à multis appellatur Ars nugatoria, dum adhuc juvenis es: quod si non feceris, veritatem nunquam assequeris.* Noto illud *nunquam*: non ait Plato sine Dialectica hominem rarò veritatem assequuturum, sed nunquam. Quia tametsi non repugnet, ut Adialecticus aliquando verum inveniat: at ignorabit prorsùs se veritatem invenisse, nisi oneretur, aut potiùs, armetur Dialectica.

An Dialecticus hypothesibus adhibere debeant?

An sint mercatores, an milites?

An multi?

Apex & culmen Logica.

An Logica sit inutilis & nugatoria?

Aristoteles

LXXXVIII. DIscipulus Platonis fuit, & Artem hanc ad magnam perfectionem promovit; & tametsi centena ex eo possem testimonia excerpere, unum tantum producam, quod videtur sufficere: libri enim primi Topicorum capite II. agens de necessitate & utilitate Dialecticæ, eam requiri docet ad exercitationem, ad congressus, ad philosophicas disciplinas; maximè ut ejus adminiculo facilè in singulis perspiciamus verum & falsum: & cùm sit indagatrix, ad omnium scientiarum Principia viam continere.

Pericles

LXXXIX. ELoquentissimus fuit, & tanta dicendi efficacia polluit, ut quadraginta annis Athenienſem Rempublicam gubernaverit. Sed unde tanta vis eloquentiæ? à Logica. Quintilianum attestor qui Oratoriarum Institutionum libro XII. ait [Quæ denique intelligi saltem potest eloquentia hominis optima nescientis; Hæc si ratione manifesta non essent, exemplis tamen crederemus. Siquidem & Periclem, cujus eloquentiæ, etsi nulla ad nos monumenta venerunt, vim tamen quandam incredibilem, tum historici, tum etiam liberrimum genus hominum Comici veteres tradunt: Anaxagoræ Physici constat auditorem fuisse, & Demosthenem principem omnium Græciæ Oratorum dedisse operam Platoni. Nam M. Tullius non tantum se debere scholis Rhetorum, quantum Academiæ spatiis, frequenter ipse testatus est. Neque se tanta in eo unquam fudisset ubertas, si ingenium suo conceptu fori, non ipsius rerum naturæ finibus terminasset.]

Qualis & quantus apud Græcos fuerit?

Nulla opera Periclis extant.

An ingenia sint vel rei alligenda?

Quod

Quod hic ultimo loco dicit Quintilianus, ipse de se Cicero vetum esse testatur, in præfatione libri de Oratore. [Ego autem, inquit, & me sæpè nova videri dicere intelligo, cùm pervetera dicam, sed inaudita plerisque: & fateor me Oratorem (si modò sim, aut etiam quicunque sim) non ex Rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis extitisse. *Oratores egent Dialecticâ.*

Eodem in loco, & quæ de Pericle dicta sunt atque Demosthene, confirmat his verbis.
XC. [In Phedro Platonis hoc Periclem præstitisse cæteris dicit Oratoribus Socrates, quod is Anaxagoræ Physici fuerit auditor, à quo censet eum, cùm alia præclara quædam & magnifica didicisset, uberem & fœcundum fuisse, gnarumque (quod est eloquentiæ maximum) quibus orationis modis, quæque animorum partes pellerentur. Quod idem de Demosthene existimari potest, cujus ex epistolis intelligi licet quam frequens fuerit Platonis auditor.]

In libro vero de claris Oratoribus, cum Bruto suo colloquens, etiam præceptoris sui nomen exprimit, quo in Dialecticâ est usus. [Erat, inquit, cum Stoico Diodoro; *Diodorus Stoicus.* qui, cùm habitavisset apud me, mecumque vixisset, nuper & domi meæ mortuus, à quo cùm aliis in rebus, tum studiosissimè in Dialecticâ exercebar, quæ quasi contracta & astricta quædam eloquentia putanda est, *Logica est stricta eloquentia.* sine quâ etiam tu Brute judicavisti te illam justam eloquentiam, quam Dialecticam dilatam putant, consequi non posse. *Rhetorica est dilata Logica.*

CICERO.

XCI. Tyro Tullius, ejus libertus, vitam ejus tribus voluminibus scripsit asserente Pædiano: fuit summus Orator, quoniam summus Dialecticus: quid autem de Logicâ senserit videamus. *Qualis fuerit?*

Igitur agens de claris Oratoribus hic Orator Clarissimus Dialecticam in Sulpitio suspiciens, ait. *Sic enim Brute existimo Iuris Civilis magnum usum, & apud Scævolam, & apud multos fuisse: artem in hoc uno* (nota hic à Cicerone distingui facultates in Naturales, Vsuales, & Artificales) *quod nunquam effecisset ipsius Iuris scientia, nisi eam præterea didicisset artem, quæ docet rem universalem distribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primùm videre; dein distinguere: postremo habere regulam, quâ vera & falsa judicarentur; & quæ quibus propositæ erant consequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quasi lucem ad ea, quæ confusè ab aliis aut respondebantur, aut agebantur.* *Praxes dialectica.* Et hic Cicero verbis brevissimis, sed fortissimis eorum juvenum reprehendit ignaviam, qui ex Prisciano ad Iustinianum immediatè conscendunt, cùm priùs deberent Dialecticis fundamentis institui, & in agone Logico exerceri. *An qui Iura addiscere volunt, debeant priùs studere Dialecticæ?* Quorum nuper audaciam in Bavariâ compescuit Serenissimus Dux Maximilianus claudens ad promotionem omnem vias Iuris quibuscunque peritis, qui non studuerunt Dialecticæ.

Et iterum *lib. I. de perfecto Oratore* ait: [Platonis & aliorum Philosophorum disputationibus, & exagitatus maximè orator est, XCII. & adjutus. Omnis enim ubertas, & quasi sylva dicendi, ducta ab illis est.] Rursùm: [Positum sit igitur in primis, quod post magis intelligetur, sine Philosophiâ non posse effici, quem quærimus eloquentem. *Logicam vocat Philosophiam absolutè?* Nam nec latiùs, nec copiosiùs de magnis variisque rebus sine Philosophiâ potest quisquam dicere. Nec verò sine Philosophorum disciplina genus & speciem cujusque rei cernere, neque eam definiendo explicare, nec tribuere in partes possumus, nec judicare quæ vera, quæ falsa sint, neque cernere consequentia, repugnantia videre, ambigua distinguere.] Expressiùs etiam & distinctiùs postmodum illa declarat, cùm post multa eodem in libro de Oratore tractata, ista subjungit: [Esse igitur perfectæ eloquentiæ puto, non eam solùm facultatem habere quæ sit ejus propria, fusè lateque dicendi, sed etiam vicinam ejus, atque finitimam Dialecticorum scientiam assumere.] *Rhetorica & Logica vicinæ.* Et rursum post pauca: [Nam & ipse Aristoteles tradidit præcepta plurima differendi; & posteà, qui Dialectici dicuntur, spinosiora multa pepererunt. Ergo cùm censeo, qui eloquentiæ laude ducatur non esse earum rerum omninò rudem, sed vel illâ antiquâ, vel hac Chrysippi disciplina institutus noverit primùm vim, naturam, genera verborum & simplicium & copulatorum. *Logica vocalis.* Deinde quot modis quidque dicatur: quâ ratione verum falsumve sit, judicetur; quid efficiatur è quoquo, quid cuique consequens, quodque contrarium. Cùmque ambiguè multa dicantur, quomodo quidque eorum dividi explanarique oporteat. Hæc tenenda sunt Oratori, sæpè enim occurrunt, sed quia spontè suâ squalidiora sunt, adhibendus erit in his explicandis quidam orationis nitor. Et quoniam in omnibus, quæ ratione docentur & via, primùm constituendum est quid quidque sit (nisi enim inter eos, qui disceptant convenit, quid sit illud, de quo ambigitur: nec rectè disseri, nec unquam ad exitum perveniri potest) explicanda est sæpè verbis mens nostra de quaque re, atque involutæ rei notitia definiendo est aperienda. *Disputantes debent quæstionem intelligere bene.* Siquidem definitio est oratio, quæ quid sit id, de quo agitur, ostendit brevissimè. *De definitione* Tum, vt scis, explicato genere cujusque rei, videndum est, quæ sunt ejus generis, sive formæ, sive partes, vt in ea distribuatur omnis oratio. Erit igitur hæc facultas ei, quem volumus esse eloquentem, vt definire rem possit: *& divisione.* Idemque etiam cùm res postulabit, genus vniversum in species certas, vt nulla prætermittatur, neque redundet, partietur, ac dividet.]

Quin-

Quintilianus

XCIII. *Philosophia triplex.*

APertè Ciceroni ſubſcribit: libro enim XII. Oratoriarum Inſtitutionum ait: [Quæ quidem, cùm ſit in tres diviſa partes, naturalem, moralem & rationalem, quæ tandem non eſt cum oratoris opere conjuncta? Nam (ut ordinem retrò agamus) de ultimâ illâ, quæ tota verſatur in verbis, nemo dubitaverit, & proprietates vocis cujusque noſce, & ambigua aperire, & perplexa diſcernere, & de falſis judicare, & colligere ac reſolvere quæ velis, oratoris eſſe, quanquam non eſt tam minutè atque conciſè in actionibus utendum, quàm in diſputationibus.] Et mox, quam velit artem proprio nomine apertiſſimè explicans, ſubjungit. [Pars hæc (inquit) Dialectica, ſive illam dicere malimus, diſputatricem, utilis eſt ſæpè, & definitionibus, & comprehenſionibus, & ſeparandis quæ ſunt differentia, & reſolvenda ambiguitate, & diſtinguendo, dividendo, illiciendo, implicando.] Et iterum: [Quid? Non-ne quæſtio juris omnis, aut verborum proprietate, aut æqui diſputatione, aut voluntatis conjecturâ continetur: quorum pars ad rationalem (Dialecticam dicit) pars ad moralem tractatum redundat. Ergo natura permixta eſt omnibus iſtis oratio, quæ quidem oratio eſt verè. Nam ignara quidem hujuſce doctrinæ loquacitas erret neceſſe eſt: ut quæ vel nullos vel falſos habeat duces.]

An tota Logica vocalis ſit?

Differentia actionum & diſputationum.

Omnes Iuris quæſtiones ad quæ capita debeant reduci?

Eruditio Logices ignara eſt loquacitas.

Craſſus

XCIV. *Artium inſtitutrix Dialectica.*

EIus dogmata magni fecerunt Veteres, & Cicero primo de Oratore, ſic eum eloquentem inducit. [Nihil eſt quod ad artem redigi, niſi ille priùs qui illa tenet, quorum artem inſtituere vult, habeat illam ſcientiam, ut ex iis rebus quarum ars nondum ſit, artem efficere poſſit. Hoc video, dum breviter voluerim dicere, dictum à me eſſe paulò obſcuriùs. Sed experiar, & dicam, ſi potero, planiùs. Omnia ferè, quæ ſunt concluſa nunc artibus, diſperſa, & diſſipata quondam fuerunt: ut in muſicis, & numeri & voces & modi: in Geometria, liniamenta, formæ, intervalla, magnitudines: in Aſtrologia cœli converſio, ortus, obitus, motusque ſyderum: in Grammaticis, Poëtarum pertractatio, hiſtoriarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam ſonus: In hac denique ipſa ratione dicendi, excogitare, ordinare, diſponere, meminiſſe, agere, ignota quædam omnibus & diffuſa latè videbantur. Adhibita eſt igitur ars quædam extrinſecùs, ex alio genere quodam, quod ſibi totum Philoſophi aſſumunt, quæ rem diſſolutam convulſamque conglutinaret, & ratione quædam conſtringeret.]

Brevitas obſcura.

Artium promotio.

Logica unde & qualis?

Servius Sulpitius

XCV.

ETiam fuit olim celeber, & à Cicerone magni factus: & Bruto interroganti reſpondet. [Sic enim Brute exiſtimo, Iuris civilis magnum uſum, & apud Scævolam & apud multos fuiſſe, artem in hoc uno: quod nunquam effeciſſet ipſius Iuris ſcientia, niſi eam prætereà didiciſſet artem, quæ doceret rem univerſalem diſtribuere in partes, latentem explicare definiendo, obſcuram explanare interpretando; ambigua primum videre, dein diſtinguere. Poſtremò habere regulam qua vera & falſa judicarentur, & quæ quibus propoſitis eſſent, quæque non eſſent conſequentia. Hic enim attulit hanc artem omnium artium maximam, quaſi lucem, ad ea quæ confusè ab aliis aut reſpondebantur, aut agebantur. Dialecticam mihi videris, inquit. Rectè, inquam, intelligis.] Ita apud Ciceronem libr. de Oratoribus claris Sulpitius. *Ethnicis adnumeremus Chriſtianos (Patres; Philoſophos: imò etiam articulo ſequente Hæreticos) ut ex omnium hominum & ætatum conſenſu meliùs cognoſcatur hujus ſcientiæ neceſſitas.*

An Logica ſit Iuriſtis utilis aut neceſſaria?

Clemens Papa

XCVI. *Sunt, qui Clementis libros judicent non eſſe authenticos: ſed de hoc alibi.*

SVcceſſor Petri fuit; ſummusque ante converſionem Philoſophus. Et libro Recognitionum primo, ubi à Petro interrogatus reddidiſſet ea, quæ pridie ab eodem audierat, eaque tam evidenter narraſſet, ut Petrus gaudio perfuſus, teſtaretur à Clemente illa evidentiùs eſſe reddita: quàm à ſe expoſita fuerant: ita præceptori ſe collaudanti reſpondit: [Narrandi ordinem, ut lucidiùs ea, quæ res expetit proferendi, eruditio nobis contulit liberalis; qua, ſi utamur in antiquitatis erroribus, in perniciem vitæ verborum decore ac ſuavitate decidimus. Si verò ad aſſerendam veritatem, eruditionem ſermonis, & gratiam conferamus: puto ex hoc non parum utilitatis acquiri.]

Logicâ poſſumus abuti & uti.

Clemens Alexandrinus

XCVII.

MVlta præclarè de Dialectica ſcripſit, & inter alia *libr. 1. Strom.* (pag. 138. juxta editionem Græcam Cammelinianam) ait Dialecticam *cooperari, ne proſternamur ab Hæreſibus, quæ faciunt incurſiones.* Vbi illo verbo *cooperari* conſultò utitur: non enim Theologia ſola Hæreticos, non Dialectica ſola proſternit: ſed utraque. Et iterum ſub finem ejuſdem libri eamdem Logicam his fortiſſimis verbis commendat. [Hæc reverà Dialectica eſt prudentia prædita vi dividendi ea quæ percipiuntur intelligentia, & purè ac ſincerè citraque omnem miſtionem oſtendendi ſubjectum eorum quæ ſunt: aut facultas quæ verſatur in rerum generibus dividendis, deſcendens uſque ad ea quæ ſunt maximè ſpecialia, (nimirùm uſquè ad individua) præbens unumquodque eorum quæ ſunt, intuendum quale ſit. Quocirca ea ſola veluti manu-ducit ad veram ſapientiam, &c.] Libro verò 6. pag. 278. dicit:

An Dialectica cum aliis Scientiis cooperatur?

Quid ſit? quid præſtet?

An ſine eâ ad veram poſſit aliquis ſapientiam pervenire?

dicit: [Sed neque astutas & callidas pertimescet orationes (sive rationes), qui instructus est ad eas discernendas, aut ad interrogandum rectè & respondendum. Est enim Dialectica veluti vallum quoddam, ne veritas conculcetur à Sophistis.]

Logica est veritatis vallum.

Hieronymus

XCVIII. Eruditissimè & eloquentissimè scripsit: & tametsi in adolescentiâ Rhetoricæ videretur favere, in senectute Dialecticus severissimus fuit: & hanc artem *in Comm. super Ezechielem* commendat his verbis. [Verè quidquid in sæculo perversorum dogmatum est, quidquid ad terrenam scientiam pertinet, & putatur esse robustum, hoc Dialectica arte subvertitur, & instar incendii in cineres favillasque dissolvitur: ut probetur nihili, quod putabatur esse fortissimum.]

Dialectica prosternit Hæreses.

In disputationibus contra Luciferianos de Arriana hæresi hæc habet. [Arrii Hæresis magis cum sæculi sapientia facit, & argumentationum rivos de Aristotelis fontibus mutuatur.] Idem in enarratione Psalmi 143. secundum mysticum sensum versum illum *Non est ruina maceriæ neque transitus*, enarrans & expendens, sic inquit: [Difficile hæreticos invenies imperitos. Omnes enim magistri instructi sunt scientia sæculari, non habent rete Apostolicum, sed catenulas Dialecticas. Non est ruina maceriæ neque transitus. Si quando sunt in disputationibus, si quando tecum cœperint disputare, sic verba eorum brevia sunt, sic artifici sermone conclusa, ut evadere inde difficilè sit. Cùm enim ligaverint te syllogismis suis, & te clauserint, & quasi maceriem tibi syllogismum texuerint, & ædificaverint, non potes convertere, non potes transire, teneris inclusus. Cùmque te tenuerint, quasi quodam gyro inclusum, tunc non eris in angusta via, quæ ducit ad vitam; sed in lata, quæ ducit ad mortem.] Idem super illo Psalmi. *Et cyniphes in omnibus finibus eorum.* [In Cyniphe, inquit, Dialecticæ artis stimulus intelligitur, quæ licet parvum habere videatur seductionis aculeum, gravissimè tamen sauciat mentes humanas.] Et quidem, si Hieronymi tempore tam erant Dialecticæ periti hæretici, Logica indigebant Catholici, ne ab illis deciperentur & interciperentur. Et hodie, quia omnes Novatores Dialecticam universam contemnunt, debemus facultatem hanc scire, ut veritatem, quam illi negant, efficacius probemus.

An Arrius fuerit Peripateticus?
An hæretici sint imperiti?
An abundantur Logicâ?
Semper fuit est & erit necessaria Dialectica.

Augustinus

XCIX. Divino ingeniô præditus, quia in Philosophicis excelluit, in Theologicis etiam magnus fuit. Dialecticam exactissimè calluit, etiam juvenis, antequam fuit Catholicam religionem amplexus, & in defendendis suis erroribus tam erat vehemens, ut multi è nostris dicerent: *A Logicâ Augustini, libera nos Domine.* Multa frequenter scripsit dixitque in commendationem hujus artis: pauca hæc exscribo. Tom 3. libr. 2. de doctrin. Christ. cap. 31. ait: *Disputationis disciplina ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sunt penetranda & dissolvenda plurimum valet.*

Quantus fuerit Dialecticus?

Libro de Ordine [Illo modo perfecta depositaque Grammatica, admonita est ratio quærere hanc ipsam vim quæ pepererat artem. Nam definiendo, distribuendo, colligendo, non solùm digesserat Grammaticam atque ordinaverat, verumetiam ab omni falsitatis irreptione defenderat. Quando ergo ratio ad alia fabricanda transiret, nisi sua ipsa priùs machinamenta distingueret, notaret, digereret, proderetque ipsam disciplinam disciplinarum, quam Dialecticam vocant? Hæc docet docere, hæc discere. In hac seipsam ratio sibi demonstrat, quæ sit, quid velit, quid valeat. Scit autem scire, vult sola scientes facere: nec solum vult, sed etiam potest.] C.

Artium parens.
Intellectus instructus Logicâ se dirigit.
Nota singula verba.

Vberiùs lib. 1. contra Cresconium Grammaticum ubi ait. [Hanc artem, quam Dialecticam vocant, quæ nihil aliud docet, quàm consequentia demonstrare, seu vera veris, vel falsis, nunquam doctrina Christiana formidat: sicut eam in Stoicis non formidabat Apostolus, quos secum volentes conferre non respuit, et ipsa enim fatetur, & verum est, neminem disputando ad conclusionem falsam consequenter impelli, nisi priùs consenserit falsis, quibus eadem conclusio, velit nolit, efficitur. At per hoc, qui cavet, ne se loquente consequantur falsa, quæ non vult, volens falsa caveat quæ præcedunt. Si autem præcedentibus veris inhæserit, quæcumque consequentia perspexerit, quæ falsa existimabat, vel de quibus dubitabat, admonitus amplectatur, si veritati est pacatissimæ amicitior quàm contentiosissimæ vanitati.] Et eodem in libro per multa capita ostendit, & Christum & Apostolum Paulum, ac cæteros, usos esse Dialectica in disputando, neque quemquam Dialecticè volentem agere cum Christianis esse respuendum. Donatistas quoque illos non rationabiliter agere ostendit, qui dicerent se nec velle, nec debere cum eo in disputationem congredi, eò quod esset Dialectica arte instructus, eâque inter disputandum uteretur, ac proinde fugiendum magis & cavendum, quàm refellendum revincendumque censerent. [Et Dialecticam, inquit, mihi objicere voluisti, quasi Christianæ non congruat veritati, & ideò me doctores vestri velut hominem Dialecticum meritò fugiendum censuerunt. Quod cùm tibi non persuaserint (nam te adversus nos etiam scribendo disputare non piguit) tu tamen in me Dialecticam criminatus es, quo falleres imperitos, illosque laudares qui disputando mecum congredi noluerunt. Sed tu videlicet Dialectica non uteris, cùm contra nos scribis? Vt quid te ergo in tan-

Dialecticâ Veritas Orthodoxa non timet.
E veris non sequitur falsum.
An Christus & Apostoli fuerint Dialectici?
An inter Catholicos & Hæreticos agendâ dialecticè sit?

in tantum disputandi periculum projecisti, cùm disputare non noveris? Aut si nosti, cur Dialecticus Dialecticam criminatis? ita vel temerarius vel ignarus (ingratus) ut aut peritiam qua vinceris, non retinenes, aut doctrinam qua juvaris, accuses. Inspicio sermonem tuum istum ipsum, quem ad me scripsisti. Video te quædam copiosè ornatèque explicare, hoc est, eloquenter, quædam verò subtiliter arguteque differere, hoc est, dialecticè, & tamen Eloquentiam, Dialecticamque reprehendere. Si noxia sunt, quare hoc facis? Si non sunt, cur arguis?] Et iterùm: [Neque enim pro patria non est miles armandus: quia contra patriam nonnulli arma sumpserunt; aut ideò uti non debent boni doctique Medici medicinalibus fertamentis ad salutem, quia his ad perniciem etiam indocti pessimique abutuntur. Quis enim nescit; sicut utilia vel inutilia fuerint, quæ quæruntur, ita peritiam facultatemque dicendi sic esse utilem vel inutilem, ut fuerint utilia vel inutilia quæ dicuntur?]

Abusus sunt tollendi, & non res ipsa, quibus abuti solent mali.

Libro 2. de doctrina Christiana cap. 31. [Disputationis disciplina, ad omnia genera quæstionum, quæ in literis sacris sunt penetranda, & dissoluenda plurimum valet. Tantùm ibi cavenda est libido rixandi, & puerilis quædam ostentatio decipiendi adversarium.] Et iterùm cap. 37. [Scientia conclusionum, plurimùm Lectorem Scripturarum adjuvat: tantùm absit error, quo videntur homines sibi ipsam beatæ vitæ veritatem didicisse, cùm ista didicerint.] Et cap. 36. ejusdem libri agit de Eloquentia & hæc habet. [Sunt etiam quædam præcepta ulterioris disputationis, quæ jam eloquentia nominatur; quæ nihilominùs vera sunt, quamvis ea possint etiam falsa persuaderi. Sed quia & vera esse possunt, non est facultas ipsa culpabilis, sed ea malè utentium perversitas.]

Disputationis disciplina. Quid Logico cavendum sit?

An Logica prosit studentibus sacra Scriptura?

Sæpè Rhetorica in Dialecticam: & Dialectica in Rhetoricam transit.

CI.

Potentia Logica.

Libro de cognitione veræ vitæ ait [Dialectica differendi potens, potenter dubia quæque definiens, cunctas scripturas evibrans, & eviscerans, cunctam humanam sapientiam annihilans, cùm in divinitatem intendit, tantæ majestatis luce pavidum caput tremefacta reflectit. Hoc ipsum videtur velle Lactantius Firmianus, cùm libro quarto Divinarum institutionum dicit, Philosophiam humanam suis armis esse confectam, quia nimirùm disputandi officio (quod ipsa docet) quidquid à Philosophia humana non rectè, id est, non consonè ad Christianam sapientiam dicitur, potenter destruitur, & falsum esse Dialectica disputatione convincitur.

Severinus Boëtius

CII.

Boëtius pro fide catholicâ occisus.

ADdi Augustino debuit, quia religionem Catholicam, quam contra Hæreticos Augustinus defendit, usque ad sanguinem ipse propugnavit. Multa subtili scripsit calamo, quæ utiliter leguntur à doctis, & inter ipsa quos super Topica Ciceronis composuit, Commentarii laudantur. Et in ipsis nostro intento satisfaciunt hæc verba; [Cùm Philosophia maximis in rebus operam studiumque consumat, cùmque & in naturalibus inspectionem speculationemque adhibeat, & in moralibus actionem, & sic formare gestat mores, ut vera vitæ ratio persuaserit, evenire necesse est, ut secundum id quod ratio tenendum, omittendumque, faciendum quoque aut non faciendum esse decreverit, vel judicium constituatur, vel exercendæ vitæ dirigatur intentio: erit igitur necessarium, vel in naturali speculatione, vel in moralium actionum cogitatione, ut certa ratio, vel quod in rebus speculandum est inveniat, vel quod in actuum vivendi duci oporteat ante perpendat. Hæc autem ratio nisi viâ quâdam processerit, sæpè in multos necesse est labatur errores. Quod ne passim fieret, atque ut certis regulis tractatur insisteret, visum est antiquæ Philosophiæ ducibus, ut ipsarum ratiocinationum quibus aliquid inquirendum esset, naturam penitùs antè discuterent, ut his purgatis atque compositis, vel in speculatione veritatis, vel exercendis virtutibus uteremur. Hæc est igitur disciplina, quasi disserendi quædam magistra, quam *Logicen* veteres Peripatetici appellaverunt, quam Cicero definiens disserendi diligentem rationem vocavit. Stoici verò, *Dialecticam* eam nuncupaverunt.]

Quid sit & fiet Philosophia?

Quid Logica?

Cur inventa sit Logica?

Hugo de S. Victore

CIII.

VIt fuit in divinis & humanis literis eruditissimus; & libro I. Didascaliccæ scribit in hunc modum: [Cùm veteres multis sæpè lapsi erroribus, falsa quædam & sibi contraria in disputatione colligerent, atque id fieri impossibile videretur, ut de eadem re contrariâ conclusione facta utraque essent vera, quæ sibi discentiens ratio conclusisset, cuive ratiocinationi credi oporteret, esset ambiguum: visum est prius disputationis ipsius veram atque integram considerare naturam: qua cognita, tum illud quoque quod per disputationem inveniretur, an verè esset comprehensum posset intelligi. Hinc igitur profecta Logicæ peritia disciplinæ, quæ disputandi modos, atque ipsos ratiocinationes internoscendi vias parat: ut quæ ratiocinatio nunc quidem vera, nunc autem falsa: quæ verò semper falsa, quæ nunquam falsa possit agnosci. Hæc tempore quidem est postrema, sed ordine prima. Hæc enim inchoantibus prima legenda est, propterea quòd in ea docetur vocum atque intellectuum natura, sine quibus nullus Philosophiæ tractatus rationabiliter explicari potest.]

Cur veteris solemnis anteclarat?

An aliqua forma inferre possit semper falsa? Vellem illam videre.

Logica Vocalis & Mentalis.

Rodolphus Agricola

CIV. NOstro ferè tempore scripsit, & ab ingenio commendatur: & *libr. 2. de Inventione* sic ait: [Aristoteles, quique post eum alii Dialecticâ instructi fuère, facilè suis libris ostendunt, quàm magnus sit usus ejus, & quàm tractandis omnibus rebus accommodatus: utque sine eâ non solùm singula, de quibus in artium decursu dubitaretur, explicare nequirent; sed ne artes quidem colligi possent, & in hanc quam acceperunt redigi formam. Hæc est illa scientia, quam apud Ciceronem Crassus necessariam formandis artibus putavit, quamque cupit esse in Iureconsultis, quòd non essent apud eos omnia actorum similia. Quæsitum est à Titio, & Labeo, ait, etiam Celsus respondit, & apud Trebatium scriptum est.]

An sit necessaria: & ad quid?

An sine eâ Iuris-prudentia sciri possit?

Et iterum: [Dialecticen utilem esse certum est, si falli, decipi, vera pro falsis, falsa pro veris accipi, inutile putavimus. Fallitur tamen nonnunquam Dialecticus, & pro veris falsa tradit. Evenit id quidem, sed & navem aliquando gubernator evertit, & ægrum Medicus aliquando perimit. Hominum sunt ista, non artium. Atque vel eò magis fatendum erit utilem Dialecticen, cùm & qui oratione seducunt, astu persæpè, nulla etiam instructi arte id faciant, & qui fallitur, si artem calleret, vel nequaquam id, vel minus utique pateretur. Sanè sicut reliquæ artes, quæ remedio sunt inventæ humanis necessitatibus, non potuerunt succurrere incommodis, nisi priùs ea detegerent; sic Dialectica, cùm magna ex parte in eo sit posita, quo pacto laqueos captionum fraudumque in dicendo vitemus, necesse habuit aperire insidias, & ostendere quàm variè quis capi posset: quæ si quis inde deprompta utenda sibi putavit, non artis hoc est culpa vitare fugienda monstrantis, sed improbitatis sectari fugienda cupientis. Aperienda enim sunt ut caveantur mala, & nemo artifex tantum remedia novit.]

An fallatur Dialecticus? an Navarchus? an Medicus?

Mala sunt scienda, ut vitentur.

Rupertus Abbas Tuitiensis

CV. VIr fuit humanarum pariter & divinarum literarum peritissimus, cujus multa extant in divinas Scripturas præclara volumina: & *libro VII. de operibus Spiritûs-sancti*, ita scribit: Paulus Apostolus non studia condemnat, vel scholas Grammaticorum, Dialecticorum, Rhetorum, Arithmeticorum, Geometricorum, Musicorum, Astronomorum: sed hoc in eis culpat, quòd non quæsierunt ex eis sapientiæ fructum, propter quem artes istæ à Deo datæ sunt, id est, in notitia habere Deum, & glorificare sicut Deum.] Et rursùm: [Reverà Dialecticæ ars veritatem non persequitur, nec verbo Dei nectit vinculum, sed potiùs veritatem sequitur, & verbum Dei verum fidis argumentationibus comprobat, si quis legitimè utatur illâ. Procellum sacræ Scripturæ diligenter aspiciat Dialecticæ simul & Rhetoricæ studiosus pariter & benevolus: & videbit, quod eam tanquam dominam famulæ prosequuntur.]

An Philosophos, & præcipuè Dialecticos condemnet Paulus?

An Dialectica militet contra veritatē?

Libro 7 *de operibus Spiritus-sancti cap. 13.* [Primùm hoc asserere licet, quia genus & differentia, species & proprium, atque accidens, quæ sapientes sæculi pro magnis atque arduis habent, quasi prima divinæ Scripturæ incipientis elementa sunt.] Vbi versus aliquot ex primo capite Geneseos proferens, in quibus generis & speciei fit mentio, sic prosequitur: [Genera ista & species sine dubio sunt, de quibus apud Philosophos sermo est:] Ac deinde. [Dicamus ergo, quòd in ipsa sancta Scripturæ litera, & simplices sit ut mulceat, & sapientes, aut Philosophos quod exerceat. Arbitramur enim non minus ad hanc Scripturam quàm ad eam, quæ est apud Aristotelem prædicamentorum doctrinam esse necessariam, scire quid sit genus, & quid differentia, & quid proprium, & quid accidens.] Quæ deinde particulatim auctor iste prolixo sermone prosequitur. Postremo hujus capitis sermonem ita concludit: [Hujus artis utilitas & virtus tota ostenditur in syllogismis, quorum conclusio plurimùm lectorem adiuvat ad veritatem investigandam: tantùm ut absit illi error decipiendi adversarium, per sophismata falsarum conclusionum. Quis autem omnium sæcularium ita ut hæc sancta Scriptura fortiter aut suaviter novit, aut potuit nodosum texere aut stringere syllogismum?]

CVI. *An prosit intellectui sacram paginam?*

In Bibliis multa sunt pro doctis, & multa ad captum simplicium. Notent hæc Lutherani, & quotquot Sacram-scripturam esse clarissimam & ab omnibus æquè intelligi dicunt.

De omnibus verò artibus liberalibus, quòd earum sit in scripturâ sancta bonus usus, generalem sententiam, *cap. decimo*, in hæc verba: [Ingressæ sunt ergo septem artes liberales, tanquam famulæ in sacrum & reverendum dominæ suæ sapientiæ triclinium, & quasi, de triviis licentiosis, ad districtum & severum verbi Dei magisterium dispositæ, & assidere jussæ sunt. Vagabantur enim priùs per circuitum, lasciva, garrulæ, & verbosæ puellulæ, nihil operantes, sed curiosè agentes solummodò, ubi negotiosæ magis esse videbantur circa creaturam discutiendam cursitantes, ipsum autem creatorem negligentes. Missæ sunt ergo in opus, ut non jam quod superfluum erat, de creatura mundi fabularentur, sed seriò, fideliterque quod expediret, de creatore loquerentur, bonumque ad honorem ejus sermonem opere splendido texentes operarentur, id est, ut jam non res verbis, sed verba rebus ornarentur.]

Artes liberales sacræ Scripturæ & Theologia ancillantur.

Epicurus

CVII. LActantius Firmianus eum *fœdissimæ voluptatis assertorem* appellat: & hoc nomen meritò illi adproprîat Titelmannus *in prologo apologetico pro Dialecticâ* affirmat: alii de illo clementiùs; putant enim corpo-

Qualis fuerit?

Quæ sit vera voluptas?

corporeas eum omnes voluptates rejecisse, & animi tranquillitatem *voluptatem* vocasse: quæ vox ab aliis perperàm intellecta magnæ invidiæ & dedecoris fuit seminarium. Sed hoc alibi examino: nunc malo Lactantium audire.

An contemni possit Dialectica?

Libro igitur secundo de Finibus sic inquit. [Dum Dialecticam, Torquate, contemnit Epicurus, quæ una continet omnem & perspiciendi quid in quaque re sit, scientiam, & judicandi quale quidque sit, hac ratione & via disputandi ruit in dicendo, ut mihi quidem videtur, nec ea quæ dicit, ulla vult arte distingui.]

CVIII. *Logica ars loquendi. Cur & quando inventa?*

Confirmant hanc Ciceronis sententiam, quæ ab Hugone à S. Victore scribunt *lib. 1. didascalica eruditionis* in hunc modum. [Cæteræ artes priùs repertæ fuerant, sed necesse fuit Logicam quoque inveniri, quoniam nemo de rebus convenienter differere potest, nisi priùs rectè loquendi rationem agnoverit. Nam sicut dicit Boëtius, cùm primitùs antiqui circa rerum naturas & morum qualitates investigandas operam impenderent, necesse fuit sæpè falli eos, quia vocum & intellectuum discretionem non habebant: ut in multis evenit Epicuro, qui atomis mundum consistere putat, & honestum voluptate metitur. Hoc autem, idcirco huic atq; aliis accidisse manifestum est, quoniam disputando quidquid ratiocinatione comprehenderant, hoc in res ipsas quoque evenire arbitrabantur. Hic verè magnus est error. Neque enim quidquid sermonum decursus ratiocinando invenerit, id in natura fixum tenetur. Quare necesse est falli eos, qui abjecta scientia disputandi, de rerum natura perquirerent. Nisi enim priùs ad scientiam venerit, quæ ratiocinatio veram teneat semitam disputandi quæ verisimilem agnoverit, & quæ fida, & quæ possit esse suspecta, rerum incorrupta veritas ex ratiocinatione non poterit inveniri.]

An mundus componatur atomis?

An omnia, quæ mente concipimus, sint à parte rei?

CIX. *Contemptores Dialectica non carebant Dialectica.*

Atque illud etiam magis Dialecticæ in veri investigatione necessitatem indicat, quòd hi quoque, qui ejus videri volebant contemptores, aliquid ipsi simile confingebant, quo ejus loco se uti dicerent, Id quod de Epicureis apertè testatur Divus Augustinus *libro primo contra Cresconium Grammaticum, c. 13.* [Nosti, inquit, quàm maximè apud Stoicos viguisse Dialecticam, quamvis & ipsi Epicurei, quos imperitia liberalium disciplinarum non solum pudebat, verumetiam delectabat, quasdam quasi disputandi regulas, quibus quisque usus minimè falleretur, se potius tenere & docere jactabant. Quid enim est aliud Dialectica, quàm peritia disputandi?]

Epicuri doctrina.

Errores autem Epicurei, in quos per inscitiam ratiocinandi videtur incidisse, Lactantius Firmianus *libr. 3. divinarum institutionum* summatim enarrat his verbis: Archipirata quisquam, vel latronum ductor, si suos ad grassandum cohortetur, quo alio sermone uti potest, quàm ut eadem dicat, quæ dicit Epicurus? Deos nihil curare; non ira, non gratia, tangi: inferorum pœnas non esse metuendas, quòd animæ post mortem occidant, nec ulli omninò sint inferi: voluptatem summum esse bonum, nullam esse humanam societatem, sibi quemque consulere, neminem esse qui alterum diligat, nisi sua causa. Est planè cur quispiam putet hanc vocem esse viri sapientis, quæ potest aptissimè latronibus accomodari?]

ARTICULUS V.

De necessitate Logicæ Hereticorum Censura.

CX. *An doctrina Catholica implicari debeat Dialecticis?*

PAtribus Hæreticos Scriptores adjungo quorum hac in parte plurimum nos juvat authoritas; non enim contra Catholicos, sed contra Heterodoxos in hac arena velitamus. Sacram paginam & Theologiam Christianam debere simpliciter tradi, dedecereque doctrinam orthodoxam, omni demonstratione certiorem, syllogisticis fundamentis substrui illorum ab ipsomet Ecclesiæ exordio est pronunciatum. Torquebantur à sanctissimis & doctissimis viris, cùmque respondendo non essent, inclamabant se non Logicos esse sed Christianos. Multæ in eorumdem scriptis adhuc extant adversus Dialecticos maledicentiæ, quas videtur collegisse Calvinus, cùm in Institutionibus suis Theologiam Philosophicam à Theologia Christiana audacter & periculosè distinguit. Omnia naturalia fundamenta, omnemque Dialecticam disciplinam contemnit, quas ne quidem admissum aut contemptum iri sine veritatum naturalium notitia & exacta Dialectices peritia persuaderet; Sed quia Hæresiarchæ hujus exorbitantiæ nimis multæ & claræ, frequenter & liberè à Calvinistis suis deseritur, qui Calvini sententias à Calvinistarum opinionibus frequentissimè solent distinguere. Nos tamen, quia Dialecticæ necessitatem commendamus, quam Calvinus condemnat, operæ precium judicavimus etiam adjungere aliquot Hæreticorum (Lutheranorum, & præcipuè Calvinistarum) Iudicia, ut vel inde constet eisdem testibus I. Calvini institutiones impingere in prima principia.

Cur Hæretici contemnant Dialecticam?

An Theologia sit duplex: Christiana & Philosophica?

Ingnitius

CXI. *Quis fuerit?*

HEidelbergensis Academiæ Publicus & Ordinarius fuit Professor Zachariæ Vrsini (uterque Calvinianus) Dialecticam anno M D LXXXVI Neustadii in Palatinatu apud Matthiam Harinsch edidit, & Principi Friderico, Ludovici VII. Electoris Palatini filio dedicavit, asserens fatuos illos qui Dialecticam à Theologia non prærequiri affirmant; multa in tota epistola dedicatoria severa & fortia contra homines, qui cùm se profitentur alogicos, se alogos nesciunt. Prodesset universam subjungere, sed brevitatis causa paucissimas

timas periodos subscribam. *Si quis opinetur,* ait, *posse etiam rudem philosophia vera eruditi nomen Theologi tueri, omnino fallitur.* Et statim; *Novit ille* (nempè controversias orthodoxas) *qui & Theologiam etiam Philosophia cognitionem accuratiorem adjunxit.* Et agens de rationibus è naturâ petitis, *Eo nomine rejicere,* infit, *quod Philosophica seu Physica sint, fatuitas est; quasi philosophicum quod est idem continuò sit mendacium; Vera enim Philosophia ex principiis naturâ notis exeructa Dei sapientia est, & veritas cum veritate Theologicâ minimè pugnans, quod verum vero nunquam adversetur.* Et post pauca. *Quod quidam Logicam scribunt à solis philosophis, ex sola Philosophia potuisse generari, ac proinde solius Philosophia instrumentum esse, non etiam Thelogia & aliarum disciplinarum, nisi secundariò & & per accident, erronea est opinio;* Et, ne solus videretur, hujus censuræ authorem subdit & addit; *modis omnibus corrigendam ipse Ursinus judicabat.* Fortè & ipse ille Vrsinus in cujus catechismum David Paræus explicationes Neostadii 1593 edidit; sed hoc, quia non exanimavi, non definio. Et quia exemplis quæstiones obscuræ illustrantur, ad libros veteres & recentiores recurrens, sic inquit: *Neque enim Hebrea gens, & Dei populus, destituebatur viris sapientibus, qui ingenii excellenti doctrina varia & multa, judicio acri, usu longo instructi de rebus variis dissererent sapienter: neque in Prophetarum Christi Apostolorum concionibus aut scriptis, neque in Theologorum, qui vel ante vel post Aristotelem aut Philosophos Gracos vixerunt, monumentis ac disputationibus quisquam Logicam verè ac piè desideraverit.* Et post aliquot lineas; *Finem illum* (nimirùm Logicæ) *certum est esse hunc, ut subsidio Logices verum à falso discernamus, idque non minus nec magis in Theologia, quam in Philosophia, omnibus enim aquè ancillatur.* Et post duas paginas; *Methodus cujus adminiculo Theologus ex principiis suis bona atque necessaria consequentia aliud aliquid extruit & ex eisdem judicat quid ἀναγκαῖον sit, quid ἔνδοξον, quid orthodoxum, quid hareticum, non est diversa ab illa quam Philosophi sequuntur, cùm ex principiis Philosophicis & naturaliter notis demonstrationes conficiunt Philosophicas.* Hæc ille, & omninò similia, quamplures Authores Calviniani, quamplures Confessionis Augustanæ studiosi; ita ut jam videatur Logica esse Theologiæ necessaria omnium doctorum Christianorum sententiâ. Vt mirum omninò sit innumeros hodie prædicantes artem syllogisticam contemnere, vera falsis intermiscere, & extra Dialecticæ arenam floridè & eloquenter delirare. Videntur voluisse viri cauti extra stadium confligere, nec provocare Dialecticos, à quibus nnn vinci non possent. Sed de hoc alibi uberiùs.

Quid & qualis sit Philosophia?

An Theologi indigeant Logicâ?

Vrsinus.

An Hebræi veteres sciverint Logicam?

Eadem Logica servit Philosophiæ & Theologiæ.

Philippus Melanchton

CXII. LVtheri discipulus fuit, & tametsi Magister parvi Logicam penderet, ipse maximi eam fecit, & inter alia in præfatione Erotem. Dialect. hæc scripsit. *Hos & adhortor, & propter gloriam Dei, ac propter Ecclesiæ salutem obtestor, ne Dialecticen negligant, nec adplaudant insulsis sermonibus eorum qui vituperant eam & Ecclesiæ inutilem esse, &c. Imò Dialectica opus est, non solùm ut doctrina lucem habeat, sed etiam ut sit concordia vinculum.*

Quàm sit necessaria Dialectica?

Ioannes Sturmius

CXIII. ACademiæ Argentinensis Professor in Epistolis Classicis scribit: *Sapientia instrumentum discipulis tuis in manus trades: & quibus illud ex rebus confectum sit ostendes: & quomodo uti debeant, indicabis. De Dialectica loquor, quam nemo sapiens unquam neglexit. Sine qua nihil praclarum & sempiternum, & quod genium habeat, confici potest literarum monumentum.*

Ergo qui contemnit Dialecticam non est sapiens.

Iacobus Scheckius

CXIV. TVbingensis Professor. *Ego quidem,* inquit, *sic judico, tum demùm fore quietas & beatas Ecclesias, si aut Philosophi veri* (qui non possunt non esse Logici) *dent operam Theologia: aut Theologi philosophentur pie: nec sum illorum sum sententia, qui Philosophiam* (quæ sine Logica constare non potest) *Theologico studio obesse arbitrantur. Vera pietas docentium & discentium est in causa, ut amba disciplina & honestissimè & utilissimè conjungi possint. Nec recusat divinorum oraculorum pedissequa esse nostra, hoc est, sincerior Philosophia, qua tum demum vera est, si verbo Dei se subjiciat, eique famuletur, siquidem autore etiam Aristotele Philosophi sit* θεραπεύειν καὶ θεωρεῖν τὸν θεόν, hoc est, *colere & contemplari Deum.*

Nec Theologia sciri potest sine Philosophiâ: nec hac sine Logicâ.

An Deus sit objectum Philosophia?

HInc patet Dialecticam ad omnes & singulas scientias & artes perfectè adquirendas necessariam; eosque, qui contendunt contrà, non posse aliter aut contendere, aut theologizare quàm secundum Dialecticas regulas, vel qui dissentiat vel unam Theologicam aut Moralem rationem proponat, quæ fortis videri queat, nec tamen ad leges Dialecticæ Institutionis elimatam. Ad Theologicam quàm multi normam totam reduxerunt Dialecticam; ac ejus usum in Iuris prudentia viri magni tradi docerique desiderarunt: quorum satisfecisse votis creditur Franciscus Otomannus, qui Logicam Iuridicam edidit.

Conclusio.

LIBER II.

PARALOGICUS:

Differens de Entibus rationis & lingua.

CXV. Quid sit chimæra?

CHIMÆRA, mons Lyciæ ignivomus, celeberrimus & notissimus est. In ejus fastigio leones habitant, in clivo capræ triferæ, & serpentes in vallæ. Hinc orta fabula inculcans Chimæram esse monstrum horribile, flammas fumumque eructans, capite & jubis leoninis, ventre caprino, & cauda serpentina præditum. Et quia Bellerophon, Glauci Regis Ephyræ filius, hunc montem habitabilem reddidit, Chimæram fingitur occidisse. Placuit vox; & omnis rerum incompossibilium vocalis aut mentalis fyntaxis *Chimæra* à Græcis & Latinis fuit dicta, & *Ens rationis* à Philosophis; quòd ejusmodi Entia, non à natura (impossibilia enim facta sunt) sed ab intellectu (nam vulgò possibilia cogitatu creduntur) fabricari asserantur.

Bellerophon chimæram occidit: quo sensu?

Ens rationis.

Multum hæc Entia debent ingenio aliquorum Iuniorum, qui de ipsis plurima. Mittuntur ad Academias pueri, & statim Entia rationis audiunt, & quia Thomistæ docent objectum *LOGICÆ* esse Ens rationis, anno integro in ejus examine impendunt. Ibi jubentur discere, denominationes Subjecti & Prædicati; Majoris, Minoris, Conclusionis; Vniversalis, Particularis; Generis, Speciei, Individui; & sexcentenas alias esse Ens rationis. *PHYSICA* sine Entibus rationis non solet tradi: nam è tribus Principiis naturalibus (Materia, Forma, & Privatione) Privatio esse Ens rationis dicitur; Materia ita exponitur, ut non multum differat à Nihilo: & Forma, ut multum differat à Chimæra. In libris de Anima etiam multi intelligendi actus Rationis Entia vocitant, nec aliter quàm per Chimæras volunt in divinis procedere. Deum distinctionis rationis virtute in formalitates discerpunt, & hanc ipsam distinctionem esse Ens rationis asserunt; nam formalitates illæ, nec distinctionem realem nec modalem admittunt. Actus liberos Dei aut Entibus rationis constituunt aut complent; illos inter se rationis etiam interventu coordinant, & tam absolutum Deum esse volunt, ut omnes relationes ad creaturas, quas dicit, esse Entia rationis affirment. Et ut verbo omnia exponam, nihil est in cœlo aut in terra (increatum, creatum) quod Entibus rationis non onerent, existimantes universas optimè res per chimæras exponi.

Entia rationis Logica.

Entia rationis Physica.

Entia rationis Animastica.

Entia rationis Theologica.

Sed nihil omninò illa debent Pico Mirandulano, nihil multis Doctoribus, nihil Mihi. In diversis Academiis vidi illa aut rejici aut limitari saltem: & Viennæ anno 1647. hanc Propositionem defendi, *Ens rationis, quod habeat tantùm esse in intellectu, non datur.* Lovanii eamdem pluries propugnavi, & Doctores audivi se nihil aliud intelligere posse, quàm quod nos appellamus *Ens lingua.*

Ens rationis non datur: datur tamen Ens linguæ.

Vt igitur Linguæ & Rationis vires benè intelligas, hunc Librum Secundum subscribo, quem in *Principia*, sicut Priorem subdivido, & non in Capita aut articulos: me enim judice tam certa sunt omnia, quæ de Rationis Entibus dicturus sum, ut debeant nominari *Principia*. Negando Entia rationis multum in Logica, multum in Physica, multum in Metaphysica; plurimum in Theologia proficio. Me audi, & si volueris exuere Narcissum, & singula accuratè perpendere, necessariò Veritati demonstrandæ subscribes.

Negata Entia rationis multum prosunt: multum nocent concessa.

PRINCIPIUM I.

N*omine* Entis chimærici *intelligimus id, quod objectivè attingitur ab aliqua potentia intentionali, & tamen repugnat esse in rebus.* Corollarium, *Ens rationis (si datur) est quod objectivè est intellectu, & subjectivè esse in rebus non potest.*

PLurimi in præsenti, laborant æquivocatione, quia Entis-rationis nomine intelligunt id quod revera est reale. Aliqui hoc utuntur nomine, ut indigitent rationis opera effectusque. Sic in horum sententia Verbum mentis est Ens-rationis. Hæc acceptio nominis CXVI.

Æqui vocatio vocis ascriptio.

 dalusi-

plausibilis est. Sic inter alios sæpè Vasquez, qui operationes Intellectus non rarò nominat Entia-rationis. Hinc conciliandi veniunt, Sophus Angelicus atque Divinus, nempè Thomas, Plato. Iste asserit Logicum tractare de dirigendis mentis operationibus; ille ait, ad Dialecticam pertinere Entia-rationis: quid si Entis-rationis nomine, D. Thomas intelligat operationes mentis? Dicendus erit Thomas esse Platonicus, Divinus Plato esse Thomista.

S. Thomas, & Plato conciliantur.

Communis autem Entis-rationis acceptio comprehendit solummodò actuum intellectualium objecta, quæ non solùm in rebus non sunt, sed nec esse possunt. Ens sub istâ acceptione potest sic definiri. *Ens-rationis est, quod existit obiectivè in mente, & in rebus non potest existere.*

Quid sit propriè Ens rationis?

Hinc corrigenda venit communis Entis-rationis definitio. Ea est: *Rationis-ens dicitur, quod obiectivè est in Intellectu, & subiectivè nullibi.* Ideò non admittenda, quòd conveniat pluribus â definito. Admittitur ab aliquibus contrà quos analogismus efficax. Cesset Angelus ab operatione extrinsecâ, & in Thomistarum opinione erit nullibi. Cognoscitur â semetipso necessariò, â nobis contingenter: ergò in datâ hypothesi Angelus erit Ens-rationis. Patet consequentia; quia esset objectivè in Intellectu (nostro, vel suo) & subjectivè nullibi.

Communis definitio rejicitur.

Angelus potest esse nullibi.

Dices. Hanc definitionem debere intelligi non solùm de existentiâ in loco, sed etiam de possibilitate, ac proinde Rationis-ens esse quid cognitum, quod neque sit, nec possit esse alicubi. Sed nec hoc sufficit. Non enim reperio claram & evidentem repugnantiam propter quàm Deus non possit producere substantiam aliquam spiritualem, quæ ad extrà non sit operativa. Hujuscemodi in Thomistarum sententiâ nec in loco esset nec esse posset, quia juxta ipsos spiritualia sunt in loco per operationem.

An creari possit substantia non operativa? An ßulla cui ubicatio repugnet?

Ditissimo consequentiarũ apparatu Ideæ rerum Impossibilium (quas Chimæras & Entia rationis appellitant) controvertuntur & defenduntur, supposita cognoscibilitate. Qui severiore stylo utor, non arbitrarias antiquorum hypotheses sed meras rationes admitto. Quamobrem *Entia rationis*, non obstante multorum annorum præscriptione proscribo. Volui Entia chimærica ante realia discutere, ne hæreret intellectus, qui existimare posset Metaphysicam totam & Logicam; imò Physicam & Theologiam ab Entibus rationis pendere.

Cur, antequàm de Realibus, agimus, de Entibus rationis.

QVÆSTIO INCIDENS.

An Entia rationis, si dentur, ad Metaphysicam pertineant?

AVthores, qui asserunt se Entia chimærica concipere multifariam procedunt, indigeo duabus ideis, ut exponam meam mentem. *Aliqui* putant se verè posse simplicem formalitatem apprehendere quæ realis non sit, imò tales dicunt esse negationes & privationes cognitas. *Alii* credunt humanam mentem nullam formalitatem posse apprehendere quæ realis non sit, sed chimærica; posse tamen veras & reales formalitates chimæricè connectere, vel apprehendendo, vel judicando, vel etiam discurrendo; Vt si conciperes Κακοθεὸν, judicares *Deum esse malum*, aut discurreres sic, *Christus Deus est, ergò malus est.* Tunc enim Deum & malitiam, terminos veros & reales, contradictorios tamen, chimæricè intellectus connecteret, essetque *Ens-rationis*, non quidem Deus, qui est ens verum positivum & reale; non malitia, quæ sive positiva sive negativa sit, realis itidem est: sed tertium ex utroque coalescens; illud enim objectivè esset in intellectu & subjectivè nullibi. His positis sit.

Ens rationis simplex.

Ens rationis compositum.

I. Conclusio. *Si Ens-rationis in formalitatum realium chimærica conjunctione consistit, non pertinet ad Metaphysicam.* Demonstratur, Metaphysica non examinat artificiales res, sed rerum non-artificialium essentias: atqui accidit Entibus realibus chimæricè connecti, & posse chimæricè connecti non includitur in eorum prædicatis quidditativis; ergò hæc chimærica connexio (sive sumatur per modum actûs primi, sive per modum actûs secundi) artificialis est & non magis pertinet ad Metaphysicam, quàm Navis, Domus, aut quodcumque aliud Artefactum.

CXVII. An Meta-physica ... aminet Entia ... posita, ... artificialia?

II. Conclusio. *Si Ens-rationis est formalitas chimærica & indivisibilis mente concepta, pertinet ad Metaphysicam.*

Hinc patet Hurtadum inconsequentia laborare, *prima* enim *disp. Metaph. sect. 2. à nu. 9.* tuetur *Ens-rationis* esse partiale objectum Metaphysices, & posteà *disputationis 19. sect. 5. num. 79.* affirmat *Ens-rationis* fieri per actum falsum, quo judicamus aut existere posse id quod repugnat esse, ut hominem esse brutum: vel cùm dicimus esse aliquid impossibile quod reverà possibile est. Contra Hurtadum militat ratio robusta quam attulimus, ut prima Conclusio suaderetur.

Rejicitur Hurtadi ... primo.

Vt probet Hurtadus *rationis-Entia* esse contemplationi Metaphysico, citat verba Aristotelis desumpta *ex libro quarto & nono Metaphys.* sed & eadem assumit Pater Suarius *disp. 2. Met. sect. 1. num. 5.* ut *Entia-rationis* eliminet

Exponitur Aristoteles.

minet; cæterum ut judico citatus Philosophus favere potest. Ejus verba, quæ alleguntur, sunt hæc. *Ratio autem eadem manifestat & rem & privationem, nisi quod non similiter; & quodammodo quidem eadem est, quodammodo vero ejus magis quod existit.* Hic non disputat Stagirita, utrùm formæ & privationi detur commune prædicatum; non inquirit, utrùm privatio concepta conveniat in aliquo cum Ente: examinat tamen, qua ratione possimus cognoscere Formæ seu Privationis existentiam, quæ ab effectibus cognosci debent. Vel esto, Privationis cognitio asserente Aristotele pertineat ad considerationem Metaphysicam, non inde sequitur hinc Aristotelem agere de *Ente-rationis*, privatio enim Ens reale est, non chimericum, ut explicabitur suo loco.

Quomodo cognoscatur Privatio?

Privatio non est Ens rationis, sed Ens verò & realiter negativum?

Ab Ente reali & rationis abstrahi rationem aliquam communem multi judicant: hoc supposito assero etiam hanc ad Metaphysicam scientiam spectare: & probo primò sic. Metaphysica est universarum scientiarum princeps, unde communiùs *Sapientia* nominatur: ergò objectum Metaphysices est omnium primum. Patet Consequentia, quia ut se habet Metaphysica ad alias scientias, sic ipsius objectum ad aliarum objecta. Tunc sic. Objectum omnium primum ad Metaphysicam spectat: ergo Ens prout abstrahitur à reali & rationis, quia hâc Entis formalitate nihil est prius.

An detur conceptus Enti reali & rationis communis? An, si daretur, pertineret ad Metaphysicam?

Secundò: Ens prout abstrahitur ab Ente-rationis & reali est cognoscibile? ergo ab aliquâ mentis virtute: non à virtute Logicâ, ergo à Metaphysicâ.

CXVIII. Dices mentis virtutes seu habitus à naturâ esse inditos, vel acquisitos arte ut faciliùs & meliùs objecta cognoscantur; atqui Ens in latissimâ illâ acceptione non potest meliùs & faciliùs ab uno concipi quàm ab alio: ergo sufficit nudum lumen naturæ ut cognoscatur. Ergò ille conceptus ad nullam scientiam pertinet.

An potiùs ad intellectum nudum?

Resp. Scientiarum (seu ipsæ distinguantur realiter ab Intellectu, sive non) munus esse facilitare intellectum, undè rationales facultates meliùs *Facilitates* dicerentur. Scientiarum finis, est demonstrare objecti proprietates: effectus formalis, physicè perficere intellectum. Ista omnia reperiuntur in principio cognoscendi Ens prout abstrahitur ab Ente-reali & rationis. *Primò*, talis notitia facilitat intellectum. Probo. Quia si lumen naturale sufficeret, nullus esset rusticus qui non posset hanc cognitionem efformare; atqui experientia docet magnâ instructione tyrones indigere ut hunc actum eliciant: ergò est per se difficile hunc actum efformare. Atqui sapientes, qui *Entia-rationis* admittunt, asserunt se facillimo negotio illa concipere: ergò acquisiverunt facilitatem. Igitur præter naturale lumen datur facilitas habitualis in mente intellecturâ ens prout abstrahitur à reali & rationis. Hæc facilitas non est Logica, Ergò Metaphysica. PROBATUR minor. Quia Logica ut plurimum considerat Relationem-rationis, non alia *rationis-Entia* in particulari;

Quid sint habitus? Quid facultates?

ergò à fortiori nec Ens secundùm conceptum communissimum prout abstrahitur à vero & ficto. SECUNDÒ; Ens ut sic etiam habet passiones & proprietates: ergo sunt demonstrabiles ab aliquâ scientiâ.

An Ens ut sic passiones & proprietates habeat?

Negas Enti ut sic tales passiones & duceris sorti ratione. Passiones, ais, prædicati competere debent subjecto; sic hominis passio risibilitas competit Petro. Atqui Enti-ficto non competunt passiones Entis ut sic, ergò Ens ut sic nullas habet passiones. Probas. Quia si Ens ut sic aliquas passiones haberet, maximè unitatem, bonitatem, veritatem; Bonitas, Veritas Enti ficto non competunt: ergo.

Respondeo, Enti ut sic convenire bonitatem & veritatem prout abstrahuntur à veris & fictis; Enti reali veras: Enti rationis fictas. *Præterea* esto Ens ut sic sit expers bonitatis & veritatis, cur unitatis? Licet demonstraretur impos bonitatis & veritatis etiam fictæ, unitate deberet affici saltem negativâ, quia cùm *Ens-rationis* sit objectivè, & objectivè non sit plura Entia, necessariò est non plura; ergò & objectivè est unum-negativè. Nihilominùs concedemus contrariis Ens ut sic prout abstrahitur à vero, & ficto, carere proprietatibus, habet tamen aliam à quâ nulla industria potest exui; hæc est potentia ut contrahatur. Ergò jam est aliqua Entis proprietas cognoscibilis & demonstrabilis ab aliqua mentis facilitate. Datur igitur scientia, quæ examinet, qualis sit contrahibilitas quæ Enti secundùm suam ultimam abstractionem competit; hæc non est Logica: igitur non potest non esse Metaphysica,

Sic rem intelligo. Quodsi aliquis mordicùs velit asserere, dari tres scientias, quarum prima, sit universalissima, & agat de Ente reali & rationis præciso; secunda de Ente rationis; tertia de reali; & hanc ultimam vocari *Metaphysicam*: de vocibus non disputabo. Ad scire volam, qualis sit illa scientia, quæ Ens rationis considerat? Et doceri, quo jure scientia Ens reale meditans possit vocari Metaphysica, seu Ulterior Physica, (si sit plus ultra) si ultra ipsam adhuc detur alia scientia altior universaliorque, quæ examinet & contempletur Ens à reali & rationis abstractum.

Cavendũ ne hæc quæstio ad nomina & voces reducatur.

Objectiones.

Objectio I. CXIX. Plentissimus Suarius *rationis-Entia* à Metaphysices objecto eliminat ductus ista ratione. De Entibus hujusce modi agimus potiùs, ut probemus illa non habere essentias, quàm ut eorum essentias cognoscamus; atqui Metaphysicæ finis est essentias cognoscere; ergò *ficta Entia* non pertinent ad Metaphysicam.

Responderem *Entia-rationis* esse Entia, sed ficta, ac proindè habere proprias essentias licet fictas, & has posse Metaphysicum speculari.

An Ens rationis habeat essentiam?

Object. II. Idem Suarius. De Ente-rationis agimus non propter se, sed propter aliud: ergo ad nullam scientiam pertinet. Patet; quia scientia agit de objecto propter se.

An-ne ad nullam omninò scientiam Ens

Respon-

Rationis pertineat? An de illo agamus propter aliud?

Responderem primò negando Antecedens. Quia si ens rationis daretur, etiam esset cognoscibile propter se. Secundò licèt assumptum Suarii esset verum, nihil convinceret. Probo sic: Metaphysica agit de *Ente ficto* propter verum: ergo *Ens fictum* saltem propter verum est objectum Metaphysicæ. Igitur propter hanc vel illam causam, quod mihi esset perinde, *Ens fictum* maneret objectum Metaphysices. Confirmatur responsio.

An Materia aliena existat propria existentia?

Materiam existere existentiâ formæ asserit D. Thomas: si inferres, ergo materia non existit, negaret consequentiam, quia materiæ sufficit aliena existentia ut revera existat. Ergo similiter, si ab Ente vero habet chimæricum ut Metaphysicæ considerationi subjaceat, non potest dici non subjacere contemplationi Metaphysicæ: *Ens* igitur *rationis* est objectum partiale Metaphysicæ, quæ illud considerat ut meliùs percalleat veras & reales quiditates.

Objectio III.

Arguitur ex Fonsecâ. Objectum scientiæ non debet assignari sub tali latitudine, ut nihil remaneat extra scientiam; atqui si Ens ut abstrahitur à vero & ficto esset objectum Metaphysicæ, nihil maneret extra hanc scientiam: ergo Ens ut tale non pertinet ad Metaphysicam, cujus objectum debet breviori limite comprehendi. Probatur Major: quia relinquenda sunt attributa, quæ de scientię subjecto prędicentur, ideò Aristoteles *initio lib. 7.* eliminat accidentia ab objecto Metaphysices.

An detur scientia, qua consideret omnia?

CXX. Responde in hoc distinctum iri scientias particulares ab universalissimâ, quod istæ particularium subjectorum inquirant proprietates, illa examinet omnium essentias. Major Fonsecæ analysis si ageret de scientiis particularibus esset vera; quia agit de Metaphysicâ Sapientiâ, est falsa. Objectum illius scientiæ ita debet esse universale, ut omnia comprehendat. Nec sufficit illud quod adducitur ex Aristotele, *primò* quia is Philosophus accidentia rejicit à subjecto Metaphysicæ non adæquato, sed principali; nam ut colligitur ex ipsius verbis, hæc scientia principaliùs disputat de substantiâ quàm de accidente; non autem inde sequitur, quòd de Accidente non disputet, saltem tanquàm de objecto minus principali. *Secundò*, Aristotelem non cognovisse Accidentia realiter aut modaliter à substantiâ distincta verosimilius est. (sed neque nos metaphysica; nam quæcunq; realiter à substantia distinguuntur, illa *Physica accidentia* nominamus) quod si accidentia non sint realitates, non incongruè dici potuit ab Aristotele, objectum Metaphysicæ esse solam substantiam (hoc est, essentiam) secundum se & secundum conceptus varios consideratâ. *Tertiò*, si adhuc tibi videatur Aristoteles asseruisse Accidens ne quidem inadæquatè pertinere ad hanc scientiam facillimo negotio satisfaciam. Idem dixero de Aristotele, quod de Fonsecâ; utrumque Thesin falsam, ac propterea à nobis negandam, assumpsisse.

Accidentia sunt partiale objectum Metaphysicæ.

An metaphysica Accidentia realiter distinguantur à substantia?

Optimus modus satisfaciendi testimoniis.

Arguitur quartò. Si *rationis-Entia* à Metaphysico cognoscerentur ex eo maximè quod illa & realia in aliquo conceptu convenirent; atqui non datur conceptus communis *Enti* reali & ficto: ergo hoc ultimum non pertinet ad Metaphysicam. Obj. IV.

An detur conceptus vero & ficto communis?

Hæc objectio potiùs destruit hypothesin, & *Entia-rationis* à mente eliminat, quàm à facultate Metaphysicâ. Quia si nihil commune *Enti* reali & rationis est, *Rationis-Ens* non potest concipi; quia si hoc posset, jam haberet prædicatum aliquod sibi & reali commune, nempè *cognosci posse*.

Maneat igitur, Entia rationis, si darentur, non iri eliminatum ab objecto & consideratione Metaphysicâ. *Resolutio.*

NOTA.

Entia rationis, si darentur, ad Metaphysicam pertinerent, ut suasi. Sed hic occurrit nova difficultas. An-ne in tali casu addi deberet undecimum Prædicamentum, quod Entia rationis comprehenderet? CXXI.

De undecimo Prædicamento.

Negativè respondeo; & affirmo in ejusmodi hypothesi Ens reale & chimæricum fore analoga, & utramque eodem modo subdividi in decem sua Prædicamenta. Considera subjectum Paradigma.

Decem chimærica Prædicamenta.

Possem hic, analogiâ servatâ, omnes quæstiones physicas et metaphysicas ad chimæricas reducere. Sed quo ad fructu, maximè cum Entia rationis omnia negem?

ENS RATIONIS, *hoc est*, Chimæricum: *cujus proprietates sunt*, Veritas *seu* Cognoscibilitas chimærica, Bonitas *seu* Amabilitas chimærica, *&* Unitas *etiam* chimærica.	Substantia chimærica.	*Posset assignari Substantia rationis simplex; posset composita, ex materiâ chimerica & forma chimarica coalescens.*
	Accidens chimæricum.	Quantitas rationis. *Et hæc dupliciter posset intelligi; nimirùm, si realis poneretur in subjectum incapax; vel aliis impossibilis conciperetur.*
		Qualitas rationis. *Et etiam dupliciter intelligi posset.*
	Modus chimæricus; *seu* Relatio rationis.	Relatio æqualitatis & inæqualitatis, ponderis & mensuræ, similitudinis & dissimilitudinis chimærica, *aut in subjecto chimærico, aut etiam reali & incapaci.*
		Actio chimærica: *puta ad impossibilem terminum.*
		Passio chimærica: *puta ab agente impossibili.*
		Ubicatio chimærica: *ad quam spatia imaginaria, si vulgari expositioni stetur, facili negotio reduces.*
		Duratio chimærica. *ut cùm fingitur Deus durare tempore.*
		Situs chimæricus; *ut cùm Anima, Angelus aut Deus fingitur habere partes, hoc vel illo modo dispositas.*
		Habere chimæricum. *cùm impossibilia ambimus, & jamjam illa nos habituros deliramus.*

Hæc breviter ad notasse sufficiat, quia varias singula persequi & perficere porteris.

Hæc & sexcenta alia similia possent de Ente rationis dici fingi-ve proportione servatâ. Singula deinde Prædicamentorum Capita possemus in analoga & parallela membra subdividere; quia, si in Prædicamento substantiæ realis Deus, Angeli, Lapides, Plantæ, Animan-

Animantes, & Homines ponendos judices, debebis consequenter asserere, Homines chimæricos, Animantes & Plantas fictitias, Lapides falsos, Angelos fabulosos, & Deos gentilitios spectare ad Substantiam rationis. Et debebis de Quantitatis, Qualitatis, & Relationum speciebus pariformiter philosophari.

PRINCIPIUM II.

N*on dantur Entia rationis* (hoc est, *mentis*) *Angelicæ aut Divinæ.*

CXXII. LAudo aliorum Ingenia; insufficientiam & tenuitatem mei cognosco, fateorq; tantam esse, ut non potuerim vel unicum Ens rationis aut facere, aut factum ab alio invenire. Prolixo foliorum apparatu multi examinant, An-ne faciat cognoscat-ve Deus Entia rationis: alii reverentius ad Angelos quæstionem dirigunt, at ego contrahens contemplationis alas investigare incipiam, utrùm *Entia* hujuscemodi cognoscat homo. *Ens fictum*, ut omnes asserunt, est objectivè in intellectu, ergo alicujus: Verè Dei, Angeli, Hominis; aut saltem in aliquâ potentiâ irrationali, si nomine abutentes per *intellectum* intelligamus sensum aut corporeum aut spiritualem; Atqui *rationis-Ens*, nec à Deo, nec ab Angelo, nec ab homine, nec à Bruto percipitur; ergo non dantur *Entia* talia. Minor difficultates involvit satis multas, sed singulari examine explicandas.

Non omninò negari debent, quæ experientiâ probantur.

Cùm asseto Deum non cognoscere *rationis-Entia* subscribo doctissimo Viro Cajetano 1. *p. quæst.* 13. Capreolo *in* 1. *dist.* 8. *quæst.* 4. *art.* 3. Vasquez disp. 118. *cap.* 3. Rubio *Tract. de Ente rationis num.* 34. qui licet variis fundamentis innitantur, ad mea principia sub his terminis reduci possunt.

I. Cognitio & cognitum in sententia Thomistarum sunt idem, in aliorum simillima; ergo cognitio *Entis rationis* est ens fictū seu fictioni simillima. Atqui cognitio divina neque est ens fictum, neque habet similitudinem cum fictione, ergo cognitio divina non extenditur ad *Entia-rationis*. Hæc ratio tantum valere poterit, quantum voluerint adversarii, scio enim Mendacia & Falsitates hominum cognosci à Deo, non obstante hac ratione, quæ contrarium videretur probare. Ergo hac intermissâ ad efficaciores transeo.

An cognitio & objectum sint idem intentionaliter? Mendacia & falsitates noscit Deus.

II. Magna est imperfectio cognoscere *non-Ens* ac si esset *Ens*; in Deo nulla imperfectio reperitur: ergo non potest cognoscere *non-Ens* ac si esset *Ens*.

III. Duo contradictoria in eodem instanti non sunt vera: atqui in hoc instanti Deus cognoscit res ut sunt in se: ergo in hoc instanti non cognoscit res ut sunt in se: ergo in hoc instanti non cognoscit res ut non sunt in se, hoc est, aliter quàm sunt in se.

Contradictoria sunt incomponibiles.

IV. Deus non potest spiritualia ad instar corporalium cognoscere, ergo pari ratione non poterit *non-Entia* concipere ad modum *Entis*. Patet consequentia, quia nulla est disparitatis ratio. Antecedens est evidens.

Spiritualia ad instar materialium.

Ex his rationibus elicio duas conclusiones. Prima sit: *Intellectus divinus non potest concipere non Ens ad instar Entis*, Correspondet titulo & omnibus rationibus immediate expensis. Secunda sit: *Intelligentia Angelica non potest cognoscere Entia rationis*. Hanc conclusionem omnes rationes illæ edisserunt, quæ adductæ sunt pro prima. Præterea argumentor sic. Deus cognoscit omnia ut sunt in se, non quia infinitè intellectivus est, sed quia intuitivè intellectivus est; atqui etiam Angelus est intuitivus: ergo omnia cognoscit ut sunt in se, nulla aliter quàm sunt in se.

Conclus. I. *Conclus. II.*

CXXIII. NOster Lorca apud Complutenses primarius Cathedraticus, t. 2. *disp.* 2; *memb.* 1. Ioannes Martinez *in sua Logica, de Universalibus disp.* 2. *quæst.* 2. Didacus de Iesu *disp.* 2. *quæst.* 4. Molina & alii ut probent *Entia-rationis* à Divina & Angelica mente cognosci, arguunt authoritate D. Thomæ 1. p. q. 14. art. 9. *Deus*, ait S. Doctor, *scit omnia quæcumque sunt quocumque modo. Nihil autem prohibet ea quæ non sunt simpliciter, aliquomodo esse. Simpliciter non sunt, quæ actu non sunt. Ea verò quæ non sunt actu, sunt in potentia vel ipsius Dei, vel creaturæ; sive in potentia activa sive in passiva, sive in potentia opinandi, sive imaginandi, vel quocumque modo significandi. Quæcumque igitur possunt per creaturam fieri vel cogitari, vel dici, & etiam quæcumque facere potest, & omnia cognoscit Deus etiamsi actu non sint.*

Modi essendi. *Esse simpliciter; aliquomodo; actu, potentiâ; divinâ, angelicâ, humanâ; activâ, passivâ; factivâ, cognoscitivâ, significativâ.*

Respondeo ex verbis D. Thomæ solùm colligi Deum cognoscere non solùm ea quæ sunt, sed ea quæ non sunt, dummodò sint possibilia: impossibilia autem sicut nec esse queunt, ita neq; cognosci. Illud quod additur à Deo cognosci quidquid à creatura est cognoscibile, non refert, creatura enim non potest cognoscere *rationis-Entia*, ut inferiùs probabo.

bilibus. Hanc ipsam responsionem confirmo; quia cùm Angelicus Doctor Peripateticus sit, & omnes ejus partes ad mentem Aristotelis elimatæ, bene exponitur cùm juxta fundamenta Aristotelis. At Aristoteles lib. 1. Post cap. 7. *omnia à Deo cognosci ait, exceptis impossibilibus*: ergo consequentia doctrinæ postulat, ut putemus sensisse S. Thomam omnia possibilia cognosci à Deo, non verò impossibilia.

Entia rationis non pugnant contra veracitatem, sed contra infallibilitatem.

ARGUUNT iterùm. Si ob aliquam rationem Deo negamus *Entium-rationis* cognitionem, maximè propter fictionem & mendacium, quod *Ens-rationis* necessariò includit; atqui hæc ratio non urget: ergo. Probatur minor. In Entis rationis fabrica nullum mendacium committitur, fit enim primâ operatione mentis, quæ mentiri non potest.

Respondeo rationem propter quam Deus non potest cognoscere rationis entia, non esse summã veracitatem quæ nequit fallere neq; mentiri; sed esse rationem intuitivi quæ nequit falli. Si cognosceret rem aliter quàm in se esset, mendax non esset, cæterùm falleretur.

Cujus sit imperfectio, cùm cognoscitur, Non-ens per modum Entis?

ARGUUNT præterea: Cognosci *Non-ens* adinstar Entis, est imperfectio objecti, non verò cognitionis: ergo Deus cognoscere potest *rationis Entia*. Patet consequentia, quia Deus intellectione perfectissimâ cognoscit etiam imperfecta.

Respondeo negando primum Antecedens; quia cognoscere *Non-ens* adinstar *Entis*, est cognoscere objectum aliter quàm est in se, qui cognitionis modus, potiùs arguit imperfectionem intellectûs quàm intellecti.

An sit perfectio cognoscere rem perfectiùs, quàm ipsa sit?

ARGUUNT iterùm. Cognoscere rem imperfectiori modo quàm est in se, indigitat imperfectionem cognitionis; ergo cognoscere objectũ perfectiori modo quàm est in se, indigitabit intellectionis excellentiã. Atqui, quando concipitur *Non-ens* adinstar *Entis*, concipitur objectũ perfectiori modo quàm est in se: ergo indigitatur excellẽtia aliqua in cognitione: sed excellẽtiæ intellectuales omnes reperiũtur in Deo; ergo & *Entiũ-ratiõis* fabricatio.

Respondeo cognitionẽ perfectam esse quæ percipit objectum ut est in se; ideò spiritualia imperfectè concipimus, cùm cognoscimus imperfectiori modo, quàm in se sunt, nempe adinstar rerũ corporalium. Non aliter possibilia imperfectè cognoscimus si concipimus perfectiori modo quàm in se sũt, videlicet adinstar existentium. His positis ad formã syllogisticã respondeo admittendo antecedens enthymematis primi, atq; negando consequentiã.

An distinctio rationis sit Ens rationis?

VLTERIÙS Deus cognoscit distinctiones rationis: hæ sunt rationis Entia; ergo. Probatur major. Deus cognoscit Verbum divinũ per intellectum procedere, non per voluntatem; Spiritum sanctum esse voluntatis pondus & non procedere per intellectum; Personas procedentes esse ipsi idem in naturâ, distingui in relationibus: atqui intellectus Divinus & voluntas, natura & relationes distinguuntur rationis distinctione: ergo rationis distinctio intellectui Divino est cognita.

Quo modo distinguatur intellectus & Voluntas in Deo? Quo modo Relationes?

Respondeo negando Deum cognoscere rationis distinctionem. Ad probationem dico, Relationis (fortè eodem modo de Voluntate, Intellectu, & Attributis philosophandum est: fortè hæc multò minus quàm à naturâ distinguuntur) non distingui chimæricè & fictè, hoc est, rationis distinctione, sed distingui verè ante operationem intellectûs, non quidem distinctione physicâ, sed virtuali, ut loquitur D. Thomas, vel ex rei natura, ut loquitur Scotus: si nomine distinctionis ex natura rei, solùm præcisiva distinctio intelligatur. Sed de hoc uberiùs alio in loco.

An omnipotentia ad creaturas sit Relatio rationis?

ARGUUNT denique. Deus cognoscit relationem rationis, quæ est in omnipotentia ad creaturas, ergo cognoscit *Ens-rationis*. CXXIV.

Respondeo, alias Creaturas asseri habituras existentiã in aliqua differentia temporis, alias nunquàm esse exstituras, alias dici purè possibiles. Addo omnipotentiam Dei esse ipsam Dei voluntatem. Hæc creaturas futuras respicit actu approbationis, nunquàm exstituras actu reprobationis; præcisè possibiles realiter dari non possunt, omnis enim creatura aut est exstitura aut non-exstitura. Actus autem approbationis & reprobationis, quibus Deus his creaturis decernit existentiam, illis non-existentiam, non sunt chimærici sed reales.

PRINCIPIUM III.

NOn dantur Entia rationis humanæ.

Ex eo quod Entia rationis fiant ab homine, non requiritur ea iri factum à Deo.

CXXV. PRobavi Deum non posse cognoscere *Entia-rationis*; ex hoc non solùm sequitur talia ab Angelo non posse concipi, sed nec ab homine. Probo illationem. SOLENT ALIQUI hanc certissimam veritatem incertissimo argumento suadere. [Si homo, inquiunt, conciperet *Ens rationis*, vel Deus sciret quid homo conciperet, vel Deus nesciret. Primum non potest asseri, quia ut probatum supponitur, Deus non cognoscit talia *Entia*, & quin ea cognosceret non posset scire quid cogitaret ille, qui similia *Entia* fabricaretur. Probatur Scire quid cogitas, est cognoscere objectum tuæ cogitationis: ergo si *Ens rationis* concipis, tunc Deus sciet quid cogites quando cognoscet *Ens-rationis* quod est objectum tuæ cogitationis. Dicere autem hominem posse dicere conceptum, cujus objectum non innotescat Deo, impium est: ergo sicut ex eo quod homo cognoscat *Entia-rationis*, necessariò sequitur hujusmodi cognosci à Deo; etiam erit consequentia necessaria hominem non cognoscere *rationis-Entia*, eò quod Deus illa concipere non possit.

Sed

non possit

Sed hæc ratio non urget: quâ stante nec entia linguæ posset Deus cognoscere, quæ tamen ab illo cognosci certum est. Sanè si homo ens rationis fabricaretur, cognosceret Deus quid ille cogitaret, nec tamen ens rationis faceret. Rem dilucido exemplo. Homo concipit *Brutum rationale*; & quia hæc duo extrema incompossibilia posse coniungi putat, cognoscit illa aliter quàm reverà sunt, & facit ens rationis. At tunc Deus cognoscit primò irrationalitatem & rationalitatem esse à parte rei repugnantes & inconiungibiles: secundò easdem coniungi in mente Hominis putantis coniungibiles esse; & utrumque est verum: adeòque Deus concipiendo utrumque, non concipit rem aliter quàm est in se, nec dicitur ens rationis facere.

Effi. aciter probatur Resolutio. Omissâ igitur hac ratione, quam esse valdè debilem iudico, positivè & efficaciter sic argumentor. Omnes operationes intellectûs reduci debent ad apprehensionem simplicem, judicium, & discursum; atqui nulla ex his operationibus attingere potest *Ens rationis*, ergo tale *Ens* non est ab intellectu cognoscibile. Probo minorem, nam constat experientiâ non posse hominem concipere *Album carens albedine*; nec judicare *Album carere albedine*: nec formare hunc discursum, *Est album: ergo caret albedine*: quia hoc esset concipere contradictoria, & temerare Principia, quæ libro posuimus præcedenti.

NOn posse ab intellectu etiam humano fieri entia rationis ostendi; subscripsi Vallesio quæst. 10. Bernardino Mirandulano in Prædicam. exposit. Mayronio quæst. 7. quodl. & aliis, & hanc ipsam Resolutionem firmo & roboro per omnes intellectûs operationes discurrendo.

Entia rationis ab apprehensione nunquam concipi.

ENtia rationis fabricati ab apprehensione species, ut communiter assignantur, sunt Chimæra, Negatio, Relatio; atqui hæ omnes sunt entitates reales: ergo *Entia rationis* non dantur.

Primò igitur, si existimes aliquod ens rationis simplex te posse concipere, triumphabis, si sufficiat dixisse: si velis id probare, nos attentos & benevolos auditores habebis; & si neutrum velis aut possis, ne insistas nostris experimentis, oraberis: homines enim etiam sumus, & nunquam concipere potuimus aliquam simplicem & repugnantem entitatem.

CXXVI. *Ens rationis simplex. Ens rationis compositum. Non repugnat mons aureus, imo nec Hirco r-* Secundò, si ens rationis in compositione consistat, chimæram exhibe, quæ possit concipi; & sit nihilosecius impossibilis. Mons aureus potest fieri divinitùs, imò & Potosi (mons est Americæ) tributavit Hispaniæ, tot pondera purbi argenti, ut mons argenteus humanitùs effici posset. Hircocervus chimæra non est, quoniam Hircocervus possibilis est; *Primò*, quia nulla est repugnantia ne ex Hirco & Cerva per commixtionem resultet tertia species, quæ participet utriusque naturam. [illegible]ò hoc plurimùm contingeret, si adhiberetur cura & diligentia necessaria. *Præterea* si absolutæ potentiæ leges consulimus, cur non & hirci so[illegible] potentia poterit naturam cervi terminare? Doceat igitur quid involvat impossibilitatis Hircocervus, ut chimæra appelletur.

Dicis chimæram in hoc esse, quod concipiantur duæ naturæ diversæ Cervi & Hirci interse identificatæ.

Respondeo primò talem indentificationem esse possibilem, si asseramus has duas animantes esse æqualis perfectionis, vel si neges ostendas impossibilitatem. Etiam in sententiâ, quæ docet rationem sensitivi & rationalis identificari in homine, etiam naturæ Hirci & Cervi possent identificari.

Respondeo secundò admittendo illam identificationem esse impossibilem, nego autem posse has naturas concipi ut identificatas. Ratio deberet à conceptu identificationis desumi: sed quia ille est varius, juxta aliquos ingeniosissimos authores discurro sic. Illa identificantur, quæ adæquatè uniuntur; atqui hæ naturæ non possunt concipi ut adæquatè unitæ; ergo neque ut identificatæ. Major est certa, quia illa sunt identificata quæ magis uniri non possunt: Minor probatur: natura unius animantis si distinguitur ab aliâ, est ut numerus à numero, hoc est, ut species à specie, atqui non potest concipi ternarius implens quaternarium: ergo non potest concipi natura ignobilior adæquatè unita nobiliori, ergo neque identificata. *Quid sit identificatio?*

Cæterùm nec exemplum positum favet adversariis si subscribas illorum opinioni, quæ asserit species animantum non differre substantiâ, sed solùm proprietatibus; & irrationalis divisionem in Leonem, Canem, & Equum, non esse generis in species, sed subjecti in accidentia characterica, seu in constitutivas proprietates; & consequenter rationem substantialem specificam Hirci & Cervi esse de facto eandem. Longè abest igitur à definitione Entis-rationis illud, quod non solùm potest esse, sed & de facto existit. *An bruta distinguantur specie?*

Denique esto Hircus distinctus specie à Cervo, & esto impossibilis talis identificatio; his positis assero Hircocervum eo sensu quo impossibilis est, ipsissimo concipi non posse. Ratio est; quia vel est essentiale Hirco non posse identificari Cervo, vel est accidentale: *An, quæ identificari nequeunt possint concipi ut identificata?*

ri accidentale abeſſe poterit, & per conſequens ſublato hoc quod eſt non poſſe identificari Cervo remanebit ejus contradictorium, nimirùm poſſe identificari. Si non poſſe identificari Cervo eſſe Hirco eſſentiale aſſeratur; Hircus ſine iſtâ impoſſibilitate quiditativè concipi non poterit: ergo qui dicet ſe Hircocervum concipere, debebit aſſerere ſe concipere Hircum affectum impoſſibilitate identificationis & nihilominùs actualiter ipſimet Cervo identificatum: ergo quando dicet *Hircus eſt cervus*, dicet *Hircus, qui cervo identificari nequit, eſt illi actu identificatus*. Quis non videat eſſe impoſſibile ſimul concipere talem identificationē hirci & cervi eſſe ſimul & impoſſibilē & exiſtentem.

An privatio ſit Ens rationis?

Si ad conceptum *Privationis* confugias, non proficis; Privatio enim non eſt *Ens-rationis*, ſed relatio poſitiva ad formam abſentem quæ fundatur in ſubjecto & terminatur ad prædictam formam, cùm hanc relationem intellectus concipit, non efformat *Ens-rationis*, quoniam illa relatio reverà in rebus eſt, non ſecùs ac diſtantia in corpore quanto.

An Relationes Logicæ ſint Entia rationis?

Relatio Logica verè à mente concipitur, ſed eſt ens reale; nempè intentio Generis & Speciei, Subjecti & Prædicati, ut conſtat ex D. Thomâ 4. *Metaph. lect.* 4. Probo. *Quia ſi agamus* de Logicâ vocali, (quæ eſt communiſſima & receptiſſima, tametſi alio ipſa nomine circumferatur) certum eſt hujuſmodi denominationes non eſſe Entia rationis, ſunt enim Relationes inter extrema realiter diſtincta: quis enim dubitet in excurſu vocali realiter diſtingui Subjectum à Prædicato, Antecedens à conſequenti, Majorem à Minori, Genus à ſpecie, &c. *Si agamus* de Logicâ mentali, & dicamus intellectualem Propoſitionem, & Syllogiſmum ex partibus realiter diſtinctis coaleſcere, eodem omninò modo debebimus philoſophari, quoniam inter realiter diſtincta extrema (vocalia aut mentalia ipſa ſint) Relatio tatinnis interponi non poteſt. *Si tandem dicatur* Propoſitio eſſe ſimplex qualitas, & ſyllogiſmus etiam carere omni reali compoſitione, adhuc poterimus reſpicere ipſamet objecta; & quia Genus & Differentia (& cæteræ denominationes Logicæ) ante intellectûs operationem diſtinguuntur virtualiter aut ex naturâ rei, dicere hanc relationem eſſe veram formalem ſeu virtualem, eodem omninò ſenſu quo diſtinctio admittatur.

Hæc omnia ſupponere videntur gradus ſuperiores ab inferioribus diſtingui ante mentis operationē, quod cum indigeat examine, clariùs & uberiùs inferiùs demonſtrabitur.

Rationis-Entia non percipi à iudicio componente ſeu dividente.

CXXVII. *Entia poſſibilia non ſunt Entia rationis.*

Eſt contra Suarezium *diſp.* 19. *Metaph. n.* 78. ſed antequam hujuſmodi concluſionem probem, ad memoriam revocandum eſt, *Ens-rationis* non eſſe, quod objectivè eſt in intellectu & ſubjectivè non exiſtit; ſed illud, quod objectivè eſt in intellectu, ſubjectivè autem nec de potentiâ abſolutâ Dei poteſt exiſtere: ideò hæc propoſitio, *Adamus vivit*, non eſt *Ens-rationis*, quia eſt de materia poſſibili.

Addo me nomine ſubjecti intelligere, non rem prout exiſtit a parte rei, ſed prout concipitur, ſicut nomine prædicati intelligimus etiam formalitatem aliquam objectivam.

Deus & Angelus non poſſunt cognoſcere rem aliter quàm eſt in ſe.

His poſitis, aſſero non poſſe humanum intellectū attribuere ſubjecto prædicatū quod ei repugnet. Conſultò *Humanum intellectum* dixi, quia de Divino & Angelico nullus huc uſque dubitavit, vel quia non judicant, vel ſaltem quia intuitivè judicant, hoc eſt, judicant ut debent judicare.

Natura leonina & humana hypoſtaticè poſſunt uniri.

Non poſſe humanam mentem tribuere ſubjecto prædicatum quod ſit impoſſibile, infero primò ex abſolutiſſimâ potentiâ Dei, quæ plura poteſt, quàm vulgò creditur. Hæc propoſitio, *Homo eſt leo*, eſt falſa; non eſt *rationis-Ens*, quia poteſt fieri vera. Si natura Divina & Humana ab eâdem perſonalitate terminantur, cur non poterunt Leonina & Rationalis ab eâdem ſubſiſtentiâ Humanâ terminari? Tunc eſſet verum dicere, *Homo eſt leo*, non ſecùs atq; eſt verum dicere, *Deus eſt homo*.

Doctrina valde neceſſaria.

Vel eſto. Repugnet Hominis & Leonis, nec non Albedinis & Riſibilitatis identificatio, adhuc non erunt *Rationis-Entia*, quia prædicationes impoſſibiles non quidē mentis, ſed ſolius linguæ inſolentiâ formantur. Fateor enim poſſe aliquas propoſitiones vocales ſeu ſcriptas dari, quæ appareant impoſſibiles, & non ſunt, ſi juxta mentis Ideas examinentur. Tene hanc. *Deus non intelligit*. Hæc propoſitio extrinſeca cùm ſit, debet uno aut altero modo, (ſcio enim varias hîc eſſe Philoſophorum opiniones) exprimere aliam intrinſecam immanenter exiſtentem in intellectu; quia ut doceor à Stagiritâ, ſcripturæ eorum quæ ſunt in lingua, verba eorum quæ ſunt in mente ſunt ſigna. Peto igitur; quid nomine *Dei* intelligas, quando aſſeris talem propoſitionem, debes enim alterutrum concipere; nempè, vel ſubſtantiam intelligentem infinitè, vel ſubſtantiam præciſam ab intellectualitate & intellectualitatis negatione. Si nomine *Dei* intelligas ſubſtantiam intelligentem infinitè, lingua aſſerit quæ mens concipere non poteſt, videlicet *ſubſtantiam infinitè intelligentem non intelligere*, hæc enim enunciatio æquivalet his contradictoriis, *Hæc ſubſtantia infinita intelligit*, & *Hæc ſubſtantia infinita non intelligit*, unde huic tenebitur contradictioni aſſentiri, qui propoſitæ affirmationi: atqui oſtenſum eſt non poſſe mentem duabus contradictoriis aſſentiri: ergò & oſtenſum non poſſe impoſſibili propoſitioni.

Vide lib. 1. Princip. XII.

Cæterùm, ſi cùm prædicas *Deum non eſſe intelligentem*, nomine Dei non concipis ſubſtantiam intelligentem infinitè, ſed ſubſtantiam *ut ſic*; efferes propoſitionem veram, non enim repugnat ſubſtantiam *Ut ſic*, non eſſe intellectivam; lapis enim ſubſtantia eſt & intellectivus non eſt. In tali ergo caſu nullum *rationis-Ens* cognoſcitur: *Primò*, quia judicium eſt de re poſſibili. *Secundo*, quia neque appre-

apprehensio, quæ nomine *Dei* intelligit substantiam, aut finitam, aut ab infinitate & finitate abstractam, facit *Ens-rationis*. Ratio est: quia substantia aloga sive intellectu carens non solùm est objectivè in intellectu, sed subjectivè alicubi; lapides enim, & elementa, & omnia tandem materialia supposita, veræ substantiæ sunt & nihilominùs non sunt intellectivæ. Sed hoc intelligetur altiùs, cùm *Entia-linguæ* edisseremus.

Tertia Mentis operatio non attingit rationis-Entia.

C XXVIII. Bifar[illegible] posset dici *Entia ficta* concipi à Discursu, Intellectûs ultimâ operatione. Primò directè, quando infert consequentiam chimæricam; Secundò reflexè, quando cognoscit relationes Logicas Majoris, Minoris & Consequentiæ. Dico nullatenus *Entia-rationis* fieri à Discursu. Ratio est, quia consequentia chimærica in hoc distinguitur à malâ, quòd mala sit possibilis sed non legitima, & chimærica sit impossibilis. Dabo exempla, *Petrus est homo, ergo animal*, est bona consequentia; mala hæc *Est Roma, ergo est albus:* hæc autem chimærica, *Est animal, ergo insensibilis.*

[illegible] triplex: bona, mala, chimærica

Dico ergo primò: Homo directè non potest elicere consequentiam chimæricam; ratio est quia impossibile est quod concipiat idem simul esse & non esse; & magis impossibile est quod concipiat Petrum esse album ex eo quòd non sit albus, quia conciperet non solùm dari contradictorias simul veras, sed alteram esse alterius causam.

Dico secundò: Actus ille reflexus, qui cognoscit relationem Antecedentis & Consequentis, apprehensio simplex est, non Discursus. Præterea nec hæc apprehensio attingit *Ens-rationis*, quia sicut relatio Subjecti & Prædicati est vera & realis in propositione, sic relatio Antecedentis & Consequentiæ in syllogismo.

Denominationes Logicæ sūt relationes reales.

Voluntas non tendit in Entia-rationis.

Apud Philosophos facilis est istius difficultatis resolutio, difficilis apud Contemplativos. Nihil Volitum quin sit præcognitum asseritur à Scholasticis; ab Ecstaticis sæpè audimus Intellectum in contemplatione quiescere, & Voluntatem operari. Si Philosophus sis, considera pondus istius syllogismi. Voluntas non potest attingere quod non concipit intellectus, is non concepit *rationis-Ens*, ut hucusque probavimus; ergò id non potest attingi à voluntate.

[illegible] aliquid [illegible]tum, quin præcognitum?

Voluntas non fabricatur Entia chimarica ad instar Entium rationis.

Petis. Vtrum ex hypothesi, quod Voluntas feratur in incognitum, possit efficere *rationis-Entia?* Respondeo ineptam esse hanc interrogationem, quia si *Ens-rationis* objectivè est in intellectu, & cessante intellectu non est, sic deficienti mentis operatione non potest Voluntas efficere aut attingere *rationis-Entia*. Meliùs inquireres, utrùm voluntas possit facere *Entia-Voluntatis*: Ens-Voluntatis dicerem, quod objectivè esset in voluntate, & subjectivè non posset esse alicubi.

Entia voluntatis adinstar Entium rationis.

Videtetor affirmandum. Quia quando voluntas amat malum sub specie boni, illa bonitas est *Ens-Voluntatis*, cùm objectivè sit in Voluntate, & subjectivè non existat in re amatâ, quæ mala supponitur.

Nihilominùs ex eisdem principiis *Entia-Voluntatis* nego, ex quibus negavi *Entia-rationis*. Nec illa probatio contrarium sufficit convincere, *Primò*, quia plurimi, præcipuè ex Scotistis, asserunt voluntatem posse eligere malum quà malum, quam sententiam esse judico valdè probabilem. *Secundò*, quia illa bonitas quæ amatur à Voluntate, reverà reperitur in illâ re malâ quæ eligitur. Iacet Saul exspes salutis, vulneribus multis perfossus, timet incidere in manus populi incircumcisi, mortem appetit verè malam, sed sub ratione bonæ; Hæc, autem bonitas non erat fictitia aut apparens sed vera; quia licèt mors naturalis plurima mala inducat, & conjuncta desperationi pejora; realiter tamen loquendo bona erat & utilis ipsi Sauli, ut intentum suum consequeretur. Ecce in ipsâmet morte, quæ mala verè est, bonitas vera reperitur, quia illa vitæ carentia Sauli erat utilis, ne ab inimicis caperetur, contemneretur, vexaretur. Mors decernitur à Magistratibus scelerato viro, non quà patienti mala, sed quâ bona Reipublicæ: excidium enim hominum perditorum licet ipsis quodammodò sit mala, est bona & utilis toti Reipublicæ. Maneat igitur res formaliter & intrinsecè malas posse habere bonitatem finalem & extrinsecam, & propter hanc amari à voluntate.

An Voluntas possit amare malum?

Mors verè est bona & utilis, ut interdum intentum habeat.

PRINCIPIUM IV.

NOn dantur Entia Sensûs communis, Phantasiæ, Æstimationis, Imaginationis, & Memoriæ, adinstar Entium rationis.

ENs *Phantasiæ* posset appellari, quod objectivè esset in phantasiâ & subjectivè nullibi esse posset. Talia entia admittit Suarius *2. tom. Metaph. disp. ult. sect. 2. n. 18.* & probat hâc ratione. Dantur sæpè phantasmata rerum impossibilium merè chimærica, ut accidit

[illegible], deliri & dormientes nihil cognoscunt impossibile.

accidit in somnio & phrenesi, tunc enim sensus interiores corporei imaginantur montem aureum, poma argentea, hyemen floridam, purpureos adamantas, & his similia. [Et de reliquis sensitivis potentiis pansormiter philosophabimur.]

Respondeo Phantasiam (& idem de reliquis sensibus interioribus,) sæpè imaginari res nusquam existentes; immò non extituras; non autem impossibiles & repugnantes: omnia enim illa quæ Suarius expendit, si benè consideres, sunt possibilia.

Sensus interni quot? & quales? SVpponit Resolutio Animam sensitivam interioribus quinque sensibus præditam; illi sunt Cōmunis, Phantasticus, Æstimativus, Imaginativ⁹, Memorativus: at ipsos aut inter se, aut ab ipsâ Animâ realiter distingui non supponit. Sunt qui numerum augeant, sunt qui contrahant; sunt qui identificent, sunt qui distinguant; & tamen omnes tenentur subscribere huic Principio; qu[illegible]am[illegible]-possibile est, dari ens, quod objectivè sit in sensu interno, & tamen repugnet existere.

PRINCIPIUM V.

N*On dantur Entia Oculorum, adinstar Entium rationis.*

CXXXI. *Quæ sit Ens visûs?* ENs visûs posset definiri, quod nullibi potest habere existentiam, & tamen in oculo animalis est objectivè.

Talis à nonnullis asseritur imago, quæ in aquâ, vitro, lapide, aut metallo lævigato conspicitur. Cùm enim Narcissus juvenem in fonte vidit, chimæricam visionem elicuit; nam infra aquas homines habitare non possunt. *In undis & in speculis visa imagines.* Arbores, turres, cœlum, sydera, videntur in stagnis, cùm certum sit immensas eorumdem moles nec illis capi, nec sub illis splendere posse. *Sol unde dictus.* Tres Soles nonnunquam in cœlo ipsomet visi, cum unus sit: Sol enim quod solus sit vocatur. Ergo experimentis sexcentenis convincitur, dari Entia, quæ objectivè in oculis & subjectivè nullibi: oculi igitur sua efformant entia adinstar entium rationis.

Multa hîc breviter objiciuntur, quæ indigerent examine diligentiore. Supponam inferiùs disputanda & difficultati respondebo. Visio, si Platoni, Augustino, & Bernardo credimus, fit radii visualis emissione; si Aristoteli, D. Thomæ, & Scoto, speciei transmissæ ab objecto receptione; *Quo modo fiat visio? Neutram sententiam sequor, sed hæc responsio etiam in nostrâ opinione erit efficax.* alterutro modo Philosophemur tenendum est Narcissum, non alium iuvenem, sed se ipsum in fonte conspexisse; cùm enim coram speculo sistimur, vel radius ab oculo dimanans in lævi illâ superficie refringitur, & resilit in nosmetipsos; vel specierum fluxus à nostro corpore radians in eâdem superficie fractus ad oculos nostros regreditur. Eâdem de causâ arbores, turres, cœlum, & sydera in aquis concipere videmur, quia radii, sive ab oculo, sive ab objecto emanent, refringuntur. Considera subsequentem figuram. Si utamur perspicillis ex multis angulis compositis objecta multiplicari videmus, radius enim visualis in illis superficiebus non solùm inflectitur, sed & dividitur; & siquando Soles plures fuerunt observati, nubes in angulos actæ hujusmodi meteoron exhibuerunt. *Tres & plures interdū simul visi.* Cùm pila contra murum exploditur, resilit, refringitur, frangitur; & quod pilæ, id ipsissum accedit radio visuali; *Motus pila refringitur* Specula enim radios dividendo, inflectendo, invertendo millenas apparentias exhibent, quæ ad chimæras & entia visûs ineptissimè reducerentur.

CXXXII. OMittunt aliqui optica speculorum miracula, sciunt enim omnia illa consistere in visibilium radiorum refractione; at rapiuntur contemplatione iridis, colli columbini, & sericei quod Hispanus nominat *tornasolado*. Iris enim

Multi-

De Iride.

Multicolor picto per nubila devolat arcu,
Mille trahens varios adverso sole colores,

cùm reverà nec unum verum habeat; apparet enim colorata, quæ aëreaest, & multiplex color conspicitur in aëre coloris experti. Et ut ex Homero transtert iunior Poëta,

De caudâ Pavonis, & collo Columbæ.

Decipit intentos oculos depicta columbe
Pluma radiis solaribus. &c.

illi igitur milleni colores sunt objectivè in oculis, & subjectivè nullibi; dantur ergo Entia-visus simillima entibus rationis.

Respondeo nun esse in Iride [eodem prorsus modo de collis columbinis & versicolore serico philosophabimur] colorem fictum objectum oculo, sed verum existentem in nube: quia hæc variè densata & radijs picta, varios colores in subtilissimo corpore continet. Constat liquid, quia si esset ille color objectivè in oculo, & subjectivè nullibi, non daretur causa illius *Entu visûs* effectiva, visus enim non operatur liberè, sed intuitivè & necessariò. Atqui Philosophi in libris Metheoron exponunt Iridis naturales & necessarias causas: ergo. Prætereà; si ille color non esset à parte rei à diversis in locis diversis videretur; atqui ab omnibus, plùs minùs, videtur in eodem loco, in eâdem distantiâ, sub eâdem figurâ: ergo signum est, quod color ille non est tantùm objectivè in oculis, sed subjectivè in nubibus.

De Circulo, qui igneo bacillo formatur.

Difficilior est alia coloris apparentia quæ non in rebus. Bacillo ignitu forma circulum, & quantum visus percipit est ignea & continua circuli totius peripheria: ergo ille circulus igneus est objectivè nullibi. Patet consequentia: quia nullus est, qui non in bacillo, & is nusquam est in duobus locis simul, sed successivè.

Hoc argumentum malè torsit Philosophos alij convicti *visûs-Entia* admiserunt, alij ad specierum tarditatem confugientes dixerunt omnes illas species simul imprimi, sed hoc nec verum, nec sufficiens. Non verum, quia color prior priùs imprimeret speciem, quam posterior: non sufficiens, quia inde sequitur esse ignem objectivè in sensu, qui subjectivè nullibi.

In mea doctrinâ facilis est istius difficultatis satisfactio. Dico igitur primò, aliud esse videre rem, quæ nusquam est, & aliud videre rem impossibilem: addo illud prius urgeri ab argumento, & hoc posterius, ut fiant Entia visûs, requiri. Dico secundò, omnes res materiales durare Instantibus successivis, & perfectiores perfectioribus. Rem expono, Nobiliores Angelos Thomistæ dicunt paucioribus speciebus intelligere, quàm ignobiliores; & consequenter possent addere illos durare paucioribus instantibus. Ratio est, quia sicut species nobilior plurium specierum minùs perfectarum perfectiones complectitur; sic similiter unum instans perfectiùs æquivalet multis imperfectioribus. Ideò durationum atomos dispono sic.

Species intelligibiles Angelorũ esse dicuntur inæquales.

Multæ prioritates seu instantia durationis corporeæ non viventis conficiunt unum indivisibile vegetativæ persistentiæ; multæ vegetabiles atomi respondent unico instanti Entis sensibilis, & multa Entis-sensibilis uni & individuo instanti Entis rationalis. Si Angeli durant tempore interminabili, dicendum est spiritûs infimi durationem Humanâ nobiliorem esse; ipsius enim simplex atomus æquivalet pluribus humanis instantibus. Si Angeli distinguantur specie, in duratione Angeli superioris reperies instantia æquipollentia pluribus atomis durationis Angelicæ Angeli inferioris. Tandem in Deo reperitur unum instans durationis indivisibile, quod est æternitas, cui correspondent omnes spirituales atque corporeæ dimensiones. Hæc doctrina est inferius latiùs examinanda; sed hic sufficiat tetigisse.

Instantia sunt inæqualia. Uni nobiliori multa ignobiliora correspondent.

Ævum & Æternitas.

Rogas quot instantia durationis inferioris correspondeant uni indivisibili instanti superioris.

Quot instantia inferiora respondere possint superiori?

Respondeo juxta Hebræorum Rabbinorum & Cabalæorum scholam inferiora se habere ad immediatè superiora ut 22. ad unum. Hic enim numerus ipsis est sacer, Alephbethi literis contentus, viginti duobus operibus in Mundi genesi, totidem Generationibus manifestatus Iacobo Patriarchæ, ut notat Cyprius Epiphanius, & alij. Iuxta Platonicorum mentem res habent solum octo gradus: & juxta Pythagoricos decem.

Resolutio
1: 22: 484.
1: 10. 100.
1: 8. 64.

His positis ut argumento satisfaciam, assero illum igneum circulum, qui successivè delinearur, atque simul conspicitur, habere partes successivas in duratione propriâ hoc est in mensurâ corporeâ non-vitali, esse tamen omnes simul in hoc *nunc* durationis sensibilis atque visualis; quia juxta Cabalistas unico instanti visibili respondent 484. instantia ignea: juxta Pythagoricos 100. juxta Platonicos 64. Ergo si tanto tempore circulus fiat quamlibet successivè, ab oculo in uno & eodem ordinis sensibilis instanti conspicietur.

Sed hæc meliùs intelliges cùm radicitùs temporis essentiam percalleas, quam suo loco explicabo.

PRINCIPIUM VI.

NOn dantur Entia Auditûs, adinstar Entium Rationis.

ENtreoir verbum Hispanum est, significat audire inadæquatè & confuse, hoc est vocem aliter quàm in se sit, Latine *subaudire* dicerem, sed minûs proprie. Talis audiendi actus videtur formare *Ens-rationis*, vel saltem *Ens-auditûs*, quia vocem percipit quæ objective est in sensu, CXXXIII.

Entreoir apud Hisp. quid?

& subjectivè nullibi. Nec valet, si dicas esse in corpore sonante illam vocem, quia si à parte rei existeret, ab omnibus eodem modo audiretur, quod experientiæ contradicit, quia sæpè quando iste audit, is vel alius subaudit.

Quid sit subjectum soni?

Respondeo aërem fractum, esse in opinione probabili subjectum soni, hic diversimodè motus revera variat & in causâ est, ut nec omnes eodem tempore, nec eodem modo audiant; proximi statim sonitum percipiunt, distantes posteriùs & remissiùs, atque sæpiusculè inconstantiùs. Tonitrua & fulgura fiunt simul, ista statim videntur, seriùs audiuntur illa, quia vegetior auditu visus est; habet brevem sphæram sensibilitatis vox, & nî ipsa admoveatur à distantibus non percipietur.

Fulgur & tonitru fiunt simul. illud prius videtur, hoc posteriùs auditur.

Ex dictis instas; & ut fulminare syllogismos dicaris, asseris nubes esse tormenta cœli bellica, & tormenta esse terrarum nubes, & quia eadem experientia utrobique est, sic discurris. Exploditur tormentum bellicum, video fulgorem fulminatricis machinæ, atque post longum intervallum subaudio; ergo tunc formo *Ens-auditûs*. Probas: Tormentum exploditur instanti A, instanti B à te videtur, instanti G auditur; instantia C D E F metiuntur intervallum inter actum videndi & subaudiendi: ergo instanti G est in auditu objectivè strepitus, qui subjectivè nullibi.

Sed cur?

Respondeo aërem successivè frangi, & si sphæra activitatis auditivæ est centum passuum, verbi gratiâ, nihil audies quousque aër frangatur in minori distantiâ. Hanc responsionem confirmat experientia, quia adspirante vento meliùs omnia audiuntur, quàm in parte contrariâ. Sæpè audis cymbali talis sonitum Zephyro flante quem non Favonio: cur? quia aër ille fractus, qui resonat, illo admovetur vento, hoc amovetur.

Entia possibilia non sunt Entia chimarica.

Vel omnia (si vis) sint alia; & aliter dilucidanda. Non ideò *Entia auditûs* concedam; quoniam illa, si darentur, deberent esse objectivè in aure, & realiter esse non posse: quod de sono quem examino, verificari non potest; ille enim exstiterit, existat-ve, saltem existere actualiter potest; quod sufficit, ne chimæricus esse dicatur.

C XXXIV.

Posset sensu accommodo Ens visûs & auditûs admitti.

POssemus admittere *Entia auditûs* sed alio sensu; nam, si dantur *Entia linguæ* (quæ inferiùs demonstrabimus) hæc eadem *Auditûs Entia* dici poterunt, dictiones enim signa sunt quà sensibiles, & voces percipiuntur ab aure. Eodem omninò sensu admittere possemus *Entia visûs*; nam si hæc scriptura *Homo est irrationalis*, est chimærica; erit chimærica ut visibilis, & hanc ob rem *Ens visûs* poterit nominari. Sed hos sensus & controversias non urgemus, sed solummodò inquirimus, An-ne possit oculus colorem aliquem, An-ne auris sonum aliquem (simplicem aut compositum) percipere, quem Deus producere non possit?

An ab antiquis admittantur.

Ego de utroque sensu eodem modo philosophor; videntur tamen veteres distinxisse, & oculos fideles & aures infideles vocasse. Nam ut benè notat Horatius 1. Epist. 18. *Non retinent patulæ commissa fideliter aures.* Vnde referente Maximo serm. 35. Thales rogatus ab amico, Quantum veritas à mendacio distaret? Quantum, inquit, oculi distant ab auribus.

Veritatis & mendacij discrimen.

Sensit ergo prudentissimus vir, non dari entia visûs, & tamen aurium entia negari non posse. Et ego non adquiesco illationi; nam moraliter intelligo apophtegma, non philosophicè: & politicè loquendo certum est vel unum oculatum testem centenis auritis anteponendum esse.

Testis auritus & oculatus.

PRINCIPIUM VII.

NOn dantur Entia Olfactûs nec Gustûs adinstar Entium Rationis.

C XXXV.

An sæpiùs fallantur sensus externi, quàm interni.

MUlti entium rationis fabricam concedunt homini sed negant Deo, qui propter intellectûs infiniti præstantiam falli non potest. Et consequenter viderentur admissuri frequentiùs errare sensus externos, quàm internos; & si hi frequentiùs, procul dubio Olfactus frequentissimè, & præcipuè in homine, in quo remississimus & imperfectissimus est. Sæpè fortes odores non percipimus, aliquando fastidimus

Fallacia Olfactûs

dimus suaves, & recreamur acerbis: fallitur ergo Olfactus aut non percipiendo odorem, ubi est, aut percipiendo ubi non est, aut percipiendo aliter quàm est. Id ipsissimum dici de saporibus potest. Ægro saccarum amarum, aqua acida, & carnes fordidæ videntur. Optima condimenta insipida esse crudi judicant; & diligenti linguæ expertissimæ librâ examinati, insipidi censenitur cibi. Fallitur ergo sensus; & si fallitur, entia Olfactûs aut Gustûs ad entium rationis similitudinem molitur.

Gustûs-q;

Sed facili negotio respondebo. Si vitro viridi oculi armentur omnia apparebunt viridia; & si armentur purpureo, purpurea. Sunt morbi, quibus Christallinus oculorum humor inficitur, & si flavescat, omnia objecta erunt flava; at tunc Visus non fallitur, sed respicit vitum & objectum. Sic similiter, cùm Olfactus aut Gustus qualitatibus acerbis inficitur, objecti & organi sentit commixtas qualitates; & ideò tametsi æger percipiat, quod tu percipere non potes, illius sensus non fallitur, cùm enim qualitates organum suum inficientes persentit, non diluditur.

An oculus, qui omnia viridia aut flava respecit, fallatur?

CXXXVI. Olfactus omnium est sensuum infidelissimus.

FAtemur Olfactum esse sensum imperfectissimum: fatemur illum frequentissimè decipi in Homine (scimus enim esse potentissimum atque certissimum in Cane) at illum Entia chimærica formare negamus: semper enim veros reales odores persentit: esto & possibiles: nunquam verò chimæricos & impossibiles; quidquid enim Olfactu percipimus, aut est in rerum naturâ, aut esse potest: Non ergo datur Odor, qui objectivè fit in Olfactu & non possit à parte rei produci.

PRINCIPIUM VIII.

NOn dantur Entia Tactûs, adinstar Entium Rationis.

MIrabilis est subreptæ benedictionis illa Historia, quæ legitur Genes. XXVII. ubi Iacob matris consilio fratrem mentitur, Patrem decipit, & impetrat benedictionem. Senex Iacob oculorum testimonio carebat, & cùm dixit Iacob, *Ego sum primo-genitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge & sede, & comede de venatione meâ, ut benedicat mihi Anima tua*: quem audiret, videre non poterat. Sed non omninò discretione carebat; habebat enim Tactum Auditumque, testes superstites, quorum inductu poterat iudicare. Dixitque pueto. *Accede huc, ut tangam te, & probem, utrùm tu sis filius meus Esau.* Accedit puer; & senex pelliculas hædorum superpositas manibus palpat, & ait, *Vox quidem, vox Isaac est; sed manus, manus sunt Esau.* Illam audiebat, tangebat has; & quia Tactui credidit, deceptus est. Fallax igitur Tactus, Entia chimærica adinstar entium rationis fabricatur.

CXXXVII. Auditui præferendus est Visus, an etiam Tactus?

At hæc ratio, Tactum falli posse & solere evincit, sed dari Entia Tactûs non probat, Iacob enim manus pilosas non habebat, habere tamen potuit; & ubi dignoscitur falsitas, nulla impossibilitas potest dignosci.

Tactus fallitur Isaac, non tamen qualitates chimaricas sentit.

Torqueamus chordam, ut audiatur subtiliùs; Naturam ipsam examinemus, & an dentur Tactûs chimæricæ sensationes quæramus: sunt enim experimenta plurima, quæ videntur probare *Entia Tactûs.* Sit plurium loco, id quod ante multos annos casu quidem, sed cum stupore observavi, & ante paucos ab aliis etiam observatum reperi, imò & typis mandatum lugduni Batavorum apud Ioannem Maire anno M. DC. XXXVII. in libro, qui inscribitur *Discours de la methode pour bien conduire sa raison & chercher la verité dans les sciences plus la Dioptrique, les Meteores, & la Geometrie*, vetè aureo, ubique manu accuratâ scripto, quem esse Renati Cartesij posteà didici, cùm Latinè editus præse tulit Authoris nomen. Ibi enim Diopticæ pag. 64. attingitur Tactûs fallacia, quam proderit uberiùs expendere.

Mirabilis Tactûs deceptio.

Digitis indice & medio manûs finistræ sic coactis, ut in delineatione conspicitur, tangatur globulus pollicis ungui æqualis, ita ut contactus oculis non videatur. Postuletur tunc à personâ tangente, an tres globos contingat, turabit & pejerabit se non ternos sed solummodò binos contingere. Hinc argumento vis. Petrus v. g. iudicat se tangere duos globos atqui in rebus unicus solus est; igitur ille alter objectivè fuit in tactu & subjectivè nullibi; tactus igitur fabricatur sua entia adinstar entium rationis.

Sed Tactus, cum decipitur, non percipit Entia chimærica, sed possibilia.

De Aquâ, Speculo, & Iride. De igniro Circulo.

Multa involvunt hæc argumenta, quæ egerent maiore expositione. Sanè non est ens chimæricum, quod objectivè est in perceptivâ potentiâ & subjectivè nullibi, sed quod objectivè in potentiâ perceptivâ est, & subjectivè existere non potest; unde dato, tametsi falso, Narcissum non se, sed alium iuvenem in liquido fontis speculo vidisse, & nos in solidis rerum non existentium videre simulachra; admisso etiam nubem in qua Iris pingitur carere colore; condonato instantia potentiæ visivæ & inanimorum esse æqualia ac propterea non esse circulum igneum ardenti bacillo descriptum, quando cernitur, adhuc non probaretur dari entia visûs; sed convinceretur hanc divinissimam potentiam non esse intuitivam, hoc est, non determinari à solâ objecti præsentiâ, sed & posse absentia & possibilia etiam percipere. Quia sicut intellectus non facit Ens rationis, quando Cæsarem concipit, sic nec oculus Ens visûs faceret, si illum videret. Igitur, cùm omnia illa, quæ in speculis, nubibus, fontibus, & perspicillis conspiciuntur, tametsi non existerent, existere realiter possint, non probabitur Visum posse sua entia moliri, nempè quæ objectivè sint in oculis & existere nequeant subjectivè. Idem dicendum etiam est de Auditu; nunquam enim impossibilia subaudimus, sed verba quæ proferri potuerunt. Hinc adinstantiam præsentem dico non convinci dari entia Tactûs tametsi condonentur assumpta. Ille enim secundus globus, qui tangitur, præsens non sit, si hoc unum contendat argumentator, at impossibilis non est. Malè igitur infert tactum elicere sua entia adinstar Entium-rationis, cùm deberet, aut tactum percipere absentia, aut possibilia.

Tactus decipitur An absentia, an merè possibilia percipiat.

Sed neque purè possibilia Visus, Auditus, aut Tactus percipit; si absit objectum sensus externus non dıluditur, sed cessat ab operatione, qui solùm
C. XXXVIII. circa præsentia versatur. Visum objecta verè existentia percipere ostendimus superiùs, cùm radios visuales fractos reflexosque exposuimus; & nunc ad reflexionem tactûs ut satisfaciamus argumento recurrimus.

De refractione.

Vide figuram vigesimam tertiam.

Visus non percipit visualem lineam aut fractam aut inflexam esse; quia cùm colorata ipsa non sit videri non potest. Et ostenditur: Nam, si in præsenti figura AD sit visûs horizon, cùm Petrus conspicit turrim DE in aquâ, illam conspicit radio ABD, atqui angulum B non percipit. Ergo putabit se illam infra horizontem visualem videre angulo DAB ac propterea in C.

Exponitur cur & quomodo decipiatur manus in experientiâ positâ.

Vide figuram vigesimam-tertiam huic probationi correspondentem.

Non aliter de tactu philosophor. Manus sinistra talibus insuefueta violentiis, percipit se tangere globum digitis indice & medio, & angulo BAC. cùmque radius tangibilis AB reflectatur in B versus E, hanc illa reflectionem non percipit, & iudicat se tangere linea ABI. Alius radius similiter in C reflexus versus D causâ est, ut manus percipiat tactum indicis radio ACK. Ergo manus, cùm habet indicem ACD, videtur habere ACK. & cùm medium ABE, videtur habere ABI. atqui digito ABI sinistrorsum, & digito ACK dextrorsum non posset tangere eumdem globum: ergo posito tali contactu mens inexpetta, manu duplicem globum contingi iudicabit. Non igitur contingitur globus, qui esse non potest, nec qui non est, sed qui verè est, sed radiis tangibilibus refractis. Tactus igitur globum chimæricum non percipit, ubi enim possibilitas existendi conceditur, chimærica proscribitur. Igitur Tactus nec possibilia, nec præterita, nec futura, nec absentia percipit; sed præsentia solummodò; in hoc similis Visui, imò etiam Auditui (cur non item Gustui & Odoratui?) quod per radios sensuales fractos, reflexos, inclinatos, nonnunquam præsentia contingat objecta percipere.

Sensus externi sæpè lineis refractis & obliquis objecta præsentia pertingunt

Sufficiant

Universalissima decisio.

SUfficiant dicta, ut concludamus nullo posse sensu interno vel externo formari Entia chimærica ad instar Entium rationis.

Hæc videntur certissima & facillima. At difficiliorem putamus illam esse Quæstionem, quæ inquirit, Vtrùm signis ad placitum fabricari possint *Entia-signi*, nempè quæ objectivè sint in signo, atque existere nequeant. Nomine Signi intelligo Vocem, Scripturam, (actum etiam mentis) & his similia. Hæc difficultas gravissima est, & in sequentibus foliis radicitùs examinanda.

An conceptus significent ad placitum?

Cùm *Signum artificiale* dilucidare instituo, notari obiter volo conceptus ipsos præter significationem naturalem, quâ realiter carere non possunt, habere posse aliam artificialem ab arbitrio pendentem, & & in hoc significandi genere, eâdem lege qua Voces, esse dijudicandos. Nam si semel ponamus conceptus significare ad placitum, non erit cur nolimus asserere alios esse significativos, & alios significationis expertes: alios esse univocos, alios æquivocos, & alios analogos: alios esse imediatos, alios mediatos, metaphoricos, & translatitios. Sed quia hæc clariùs & manifestiùs in dictionibus videri poterunt, de earumdem chimæricâ significatione disputabimus.

An sint univoci, æquivoci? metaphorici? &c.

PRINCIPIUM IX.

DAntur Entia Linguæ, adinstar Entium Rationis.

CXXXIX. *An lingua sit Mentis vicaria?*

LIngua vicaria mentis est, expressiva conceptuum humanorum; imò plusquam vicaria: multa enunciat, quibus non sufficit mens judicandis. Omnia *Entia-linguæ* sunt propositiones impossibiles. Propositiones dico formales aut virtuales, quia consequentiæ virtualiter sunt propositiones. Consequentia hæc, *Est homo ergo est rationalis*, æquivalet isti judicio, *Ex eo quòd sit homo sequitur quod sit rationalis.* Voces compositæ quodammodò propositiones sunt, quia *Equiferus* æquipollet huic, *Equus qui est ferus*, sic hæc *Equiferus currit*, correspondet huic, *Equus, qui est ferus, currit.* Cæterùm intelligendus ex prædictis majoris claritatis gratiâ in voce tres operationes dividam, menti correspondentes. Prima, quæ correspondet apprehensioni *Denominatio* dicitur, quod nomenclatrix vocabulis distinguat res. Secunda *Prædicatio* dicitur, & asserit vel negat. Tertia dicitur *Syllogismus* ab eo quod est σὺν *cum* & λογισμὸς *locutio*, quasi *Argumentativa collocutio:* quia licet vox Græca λόγος atque Latina *Verbum* ad mentem transferantur, linguæ potiùs conveniunt. Potentiorem linguam mente esse demonstrabo brevissimè; & ut faciliùs intelligar, sequar ordinem operationum vocis. Sic inquam. Mente concipere non possum *Hominem irrationalem*, *Nigrum disgregativum visûs*, *Deum mortalem* (ago de subjectis quà talibus, & non ratione naturæ comitis) mente non possum judicare *Hominem esse irrationalem*, *Nigrum disgregare visum*, *Deum esse mortalem*; mente non possum inferre *Ex humanitate irrationalitatem*, *Ex nigredine disgregationem visus*, *Ex divinitate mortalitatem*: & tamen hæc omnia, cùm volo & qualiter volo, facio linguâ, (quod evidens experientia demonstrat.) Dantur igitur *Entia linguæ*, Et hæc unica Iuniorum veterumque rationes & argumenta probant; at *Entia rationis* non probant.

Omnes terminorum compositio potest ad Iudicium reduci.

Tres sunt operationes Mentis. tres Linguæ.

Hi actus Mente elici nequeunt, Linguâ possunt.

Huc pertinent omnia, quæ diximus de Ente rationis.

Quàm certa sit sententia, quæ Entia rationis reijcit, & Entia linguæ admittit?

NOn dari Entia rationis sed linguæ, persuasimus breviter & efficaciter: & multos in nostram opinionem traximus, Viros doctos, qui sincerè fatentur se nihil unquam aliud intelligere *Entis rationis* nomine quàm Ens linguæ. Ex his fundamentis summo plausu P. Casparus Odervvolff negabat Entia rationis in Germaniâ, & in publicis Thesibus sub illo defendendis legimus ann. 1647. num. 19. *Ens rationis, quod habeat tantùm esse objectivum in intellectu non dari.* Legimus alibi: & legemus ubiq; olim (sic spero) tam enim certa hæc doctrina est, ut ab homine libero & nulli Scholiarchæ obnoxio non posse negari videatur. Entia linguæ loco Entium rationis supposuimus; proderit illa uberiore calamo dilucidare.

Denominatio plurima Entia chimerica fabricat.*

§. 1. De vocibus non-significantibus.

CXXXX. *Non dantur conceptus nihil significantes: voces dantur.*

PRimò in hoc mente liberior lingua est quod non solùm rebus vocabula imponat, sed & non rebus. Intellectus non potest sine objecto operari; lingua potest. Nullum verbum mentale datur significationis expers; repetimus in linguâ voces plurimas, quæ objecto carent: tales sunt *Blictri*, &

Syn-

Syndapsus, & aliæ quæ in schola admittuntur.

An hæ sint nomina? Dicis hujusmodi voces non esse nomina, quia nil significant; nomen autem est, teste D. Thomâ *libr. 1. Periherm. lect. 5.* quod significat rem aliquam quasi per se existentem.

Respondeo Doctorem Angelicum intelligendum esse de nomine significativo, non verò de experte significationis. Has voces esse verè nomina constat; tum quia non solùm sumptæ materialiter, ut quando dicimus *Blictri est vox*, possunt esse subjecta aut prædicata in Propositione; sed etiam sumptæ formaliter: vel considera istas enuntiationes: *Blictri est equus, Syndapsus est leo, Blictri non existit in rerum naturâ*, & istis similes. *Propositiones de subjecto non supponente.* Nota tamen ejusmodi propositiones dici *de subjecto non supponente*; quia vocales quædam propositiones ipsæ sunt quibus nulla mentalis correspondet: cùm enim *Blictri est equus* dicis, voci *Blictri* nullus conceptus in mente, nullum objectum in rebus correspondet; & copula non datur sine subjecto, & sine hoc & illâ nulla propositio mentalis.

An conceptus possint significare ad placitum? Nullum conceptum carere posse significatione asserui & assero, & ago de significatione naturali: quia Verbum mentis essentialiter est imago objecti, & tunc dabitur verbum mentis, quod imago non sit, quando Homo, qui non sit rationalis. Scio conceptus præter naturalem quam habent significationem, posse humanitùs donari significatione ad placitum (quod & superiùs in Logicis ostendisse me memini) sed de illâ in præsenti non ago; quoniam de ipsâ, ubicumque inveniatur, pariformiter philosophandum est.

§. 2. *De AEquivocis.*

CXXXXI. *Non datur conceptus æquivocus.* Sicut non datur in intellectu expressa species quæ objecto careat; nulla etiam datur, quæ sit æquivoca, hoc est, indifferens ut significet hoc vel illud objectum: quod demonstro bifariam. PRIMÒ ex dictis. Nulla mentis apprehensio objecto caret; atqui si esset aliqua æquivoca, deberet objecto carere saltem aliquandiu: ergo nulla est æquivoca. Probatur minor, vel demonstratur potiùs ex ingenio æquivocorum. *Nomen æquivocū, antequam contrahatur, nihil significat.* Hæc sunt quorum nomen est idem, ratio verò significata est omninò diversa. Demus ergo apprehensionem aliquam mentalem æquivocam: sit *Aries*, significabit machinam bellicam, animantem, atque constellationem. Dico igitur quando formo istum conceptum *Aries*, vel concipio hæc tria objecta simul, vel aliquod in particulari, vel nullum; Non omnia simul. quia hæc propositio *Aries est constellatio*, esset falsa, quia haberet hunc sensum, *Machina bellica, ovium pater; & signiferi dodecatemoria princeps, sunt constellationes.* Nec dici potest eundem conceptum ideare aliquid in singulari: vel da terminum, quem singulariter respiciat. Esto indigitet *astrum* utpotè subliniorem terminum; ergo hæc propositio *Aries est animal* est falsa, primum enim Zodiaci signum non est animal. Præterea, non est ratio, cur potiùs significet hoc quàm illud, atqui omnia simul significare nequit: ergo nulla significat. Hic iterùm: Atqui ostendi superiùs non dari mentis apprehensiones, quæ objecto carerent: igitur non est possibilis conceptus aliquis intellectualis, qui sit æquivocus. Ita præter alios Ioannes à S. Thomâ *lib. 1. Summularum c. 6. & in log. q. 13. De antepradic. art. 2. §. insurgunt.*

Æquivoca priùs sunt dividenda, quàm diffinienda. Hinc constat aptè Platonem, & ex eo recentiores docere Æquivoca priùs esse dividenda, quàm diffinienda. Quia Æquivocum nomen ante distinctionem in actu non habet actualem significationem, sed illam à prædicato tanquam à conditione recipit.

An Angeli habeant species mentales æquivocas? Dices: Intellectus Angelicus habet cognitiones æquivocas; Ergo saltem lingua nil potest operari, quod non præstet Intelligentia Angelica. Probas assumptum: Angelus unicâ cognitione expressâ cognoscit plura: Ergo. Probas antecedens: species impressa Angeli plura repræsentat: ergo & expressa.

An universales? An potiùs nullas species habeant? Hæc ratio non militat contra humanam mentem quæ non donatur Angelicis prærogativis. Sed nec Angeli habent cognitiones æquivocas; primò, quia fortassis nullas habent species: secundò, quia cognitio æquivoca illa est quæ simplex & indivisibilis cum sit, habet objecta omninò diversa. Nec sufficit quòd Angelus habeat species impressas quæ multa repræsentent, quia istæ nec dicuntur nec sunt æquivocæ, sed universales: unam Thomistæ Angelis superioribus magis universales species concedunt & non magis æquivocas. *An-ne universaliore specie possint cognosci minus universalia?* Specie universali Animalis verbi gratiâ gravida mens Angelica concipit Animal & per extensionem suæ perfectionis rationale, & bruta quæ sub eo continentur; hic autem nulla est æquivocatio.

An-ne Intellectus possit plura ut plura cognoscere? Probatur secundò mea sententia ex naturâ ipsius intellectûs. Is non potest cognoscere plura ut plura, benè plura per modum unius; atqui univoca possunt concipi per modum unius, ut homo, leo concipiuntur ut convenientia in ratione animalis; æquivoca per modum unius concipi non possunt, quia supponuntur esse omninò di-diversa: ergo juxta Thomistas intellectus Angelicus (& fortè Humanus aliquando) potest cognoscere univocata simul; neuter æquivocata.

§. 3. *De nominibus compositis.*

Componit lingua ex duobus nominibus tertium, nunquam mens. Lingua dicit *Equum ferum* & hinc *Equiferum* conservatâ CXXX
An den… conce… compositi? utriusque vocis entitate: ac Mens juxta Peripateticos format tertium conceptum cum ideat *Equiferum*, qui sit indivisibilis, & non

coalesc-

coalescat ex aliis. Sed hoc ipsum non urgeo, sunt enim aliqui, qui contrarium defendant. Horum tamen sententiâ non obstante inter linguam & mentem certissimum discrimen invenio: nam dari voces compositas (tales sunt *Respublica, Jusjurandum, Equiferus*, &c.) est evidens: illis correspondere conceptus simplices aut compositos non est evidens: manet ergo inter voces conceptusque satis magnum discrimen.

——— *Namque Diespiter*
Igne corusco nubila dividens.

Concipio *Jovem, diem, patrem*, tribus conceptibus distinctis. *Diespitrem* non possum concipere, nec conceptu qui coalescat his tribus, quia conceptus semper est indivisibilis, ideò apprehensio simplex nominatur: nec conceptu tertio distincto à prioribus, quia nescio eodem conceptu conjungere contradictoria. Paternitas supponit originem viventis à viventi in similitudinem naturæ, ergo concipis diem esse viventem, & naturâ esse similem Iovi, quia aliàs non esset Iovis filius. Concipias, per me stat; ego tamen concipere non possum, quia diem esse lucem & qualitatem & esse substantiam viventem non solùm non comprehendere, sed nec apprehendere sufficio.

An Figuræ, Tropi, & Metaphoræ reperiantur in Mente? Dices *Patris* nomen sumendum esse non propriè sed translatitiè. Hoc tamen non sufficit, quia mens non potest translationes efficere, ut jam videmus.

§. 4. *De tropis.*

Tunc eloqueris cùm figuratè, quia conducunt translationes vocum ad splendorem orationis. Voces transferimus non solùm ad res analogas & similes, sed ad contrarias. Quidam de ignavo milite.

——— *Sine nomine corpus*
Supponis generose pedi, tibi maxime Gygantes
Subsistunt hostes ———

Hic dicendi modus à Græcis dicitur *Antiphrasis* seu *Ironia*, à Latinis *Illusio* sive *Dissimulatio*. Causam pro effectu sæpè ponimus, pro toto partem, inventorem pro invento, casum pro casu, tempus pro tempore, personam pro personâ.

Mens non didicit ironias, metaphoras, nec translationes, quia cùm mentis verba habeant significationes necessarias, nullus est locus translationi.

Dantur chimæricæ Prædicationes.

Nulla sunt impossibilia, quæ non contradictoria formaliter, aut in radice. Ideò De[illegible] ego concedo quàm veteres, quàm recentiores. Non posse mentem de subje[illegible] prædicare superius vidimus; [illegible] mente insolentior non potest modò, [illegible] frequentiùs facit. Considera prædicationes [illegible], *Homo est irrationalis. Deus [illegible]. Ternarius est quaternarius, Quadratum est sphæricum*, atque istis similes.

Omnes istæ sunt prædicationes chimæricæ atque *Entia-linguæ*, nullam nuntiantes veritatem possibilem aut existentem. Hinc collige non vocari chimæricas omnes propositiones falsas, sed illas solùm quæ impossibiles; quia si sint possibiles, non sunt chimæricæ, sed reales.

Dantur chimæricæ Illationes.

Distinxi propositiones in veras, falsas & chimæricas. Veræ sunt quæ asserunt CXXXXIIII.
rem esse non solùm ut esse potest, sed etiam ut reverà est; illas dixi falsas quæ enuntiabant rem ut esse quidem potest, non tamen ut est: illas chimæricas, quæ enuntiant impossibilia. Eodem nunc modo illationem distinguo in bonam, malam, & chimæricam. Illatio bona est quæ necessaria, atque juxta legitimam Logicæ legem, ut cùm dicimus *Currit ergo movetur*; mala quæ disparata, ac inconnexa, tales hæ, *Dies est, ergo Petrus legit; Sol lucet, ergo Saturnus oritur*. Sunt malæ consequentiæ, sed de re possibili. Dicerentur Chimæricæ si inferretur contradictorium in re vel in radice, tales sunt, *Petrus currit, ergo Petrus non currit: Joannes est, ergo non est*. Quæ sunt contradictiones formales; contradictiones in radice proximâ vel mediatâ; sunt hæ. *Omnis homo currit; ergo aliquis homo non currit: Omnis homo est albus, ergo Petrus non est albus: Si omnis homo vivit, nullus homo vivit*; quia ex illo principio *Dici de omni* sub illâ propositione *Omnis homo vivit* continetur hæc *Aliquis homo vivit*, hæc autem est contradictoria illius consequentiæ *Nullus homo vivit*.

Propositionum alia vera, alia falsa, alia chimærica.

Illationum alia bona alia mala, alia chimærica.

Contradictionum alia formales, & alia radicales.

Peris: qualis sit hæc illatio: *Omnis homo est albus, ergo aliquis homo est irrationalis*. Dico in hac illatione consequentiam esse malam & consequens chimæricum. Consequentiam à consequenti distinguere necessarium est: illud est propositio quæ infertur, & illa modus quo infertur. Dixi illationem hanc esse malam non chimæricam, quia si per impossibile consequens esset verum, non contradiceret antecedenti: ratio est, quia albedo & rationalitas, nec se inferunt nec se mutuò excludunt, sed sunt extremitates disparatæ.

Quo modo differat consequens à consequentiâ?

Inquiris etiam, qualis sit illatio hæc; *Homo est irrationalis, ergo homo caret mente*. Respondeo consequentiam esse bonam & consequens & antecedens falsa: ratio est, quia positâ irrationalitate in homine necessariò ponenda est carentia mentis rationalis.

Vocales omnes chimæræ ad secundam operationem pertinent formaliter vel reductivè.

Distribui sermonum monstra, atque vocum chimæras in tres classes, majoris CXXXXV.
gratiâ claritatis. Addo nunc ad judicium universa reduci. Ratio est, quia hæc vox *Diespiter* ex eo habet chimæricam significati-

Diespiter. Καιχθοῖς

ficationem, quòd æquivaleat huic Iudicio *Jupiter est dei pater.* Ideò Κακόθεος est vocale monstrũ, quia conjungit malitiam cum Deo, ut in hac enuntiatione *Deus est malus.* Cum dicimus *Currit, ergo non movetur* etiam iudicamus virtualiter, quia illa consequentia æquivalet huic asserto *Cursus est causa nonmotûs.* Hinc constat nullam vocem chimæricam asseri posse, quæ non sit aut enuntiatio formaliter, aut virtualiter, hoc est ipsi æquipollens: quia in vocibus simplicibus, ut *Homo, Equus, Leo* chimæricum nil potest esse.

An propositio sit objectum adæquatum Logicæ?

Notari tamen volo hanc non esse specialem doctrinam; id enim ipsum possumus dicere de correspondentibus internis actibus; nam omnis conceptuum compositio potest ad judicium reduci. Vnde qui diceret mentem in conceptu rei simplicis errare non posse; nec dari scientiam, ad quam pertineant isti actus; omnem compositionem esse propositionem; dari unicam solam Mentis operationem dirigibilem, & hanc esse Iudicium, juxta doctrinam positam; non posses facilè impugnari.

QUÆSTIO I. INCIDENS.

De intellectualibus operationibus, quas voco, Malas.

CXXXXVI. *Exponitur, quid sit mala operatio.*

OPerationes chimæricas illas dixi, quæ ad objecta chimærica & impossibilia spectant: has negavi Deo, Angelo; & Hominis concessi non intellectui, non voluntati, non phantasiæ, non sensibus quinque exterioribus; sed uni linguæ. Operationes malas illas dixi, quæ concipiunt rem ut potest esse, non tamen, ut est. Sic apprehensio mala illa quæ concipit Æthiopem album, Adamum hoc anno existentem. Iudicium malum est quod similia affirmat, vel vera contingentia negat, ut *Æthiops est albus, Adamus nunc existit, Mundus nunc non est.* Consultò malas Propositiones ex negativis vocavi illas, quæ contingenter existentia negant, quia si negarent necessaria, non jam malæ, sed chimæricæ deberent esse, ut sunt hæ; *Deus non est æternus, Homo non est rationalis.* Consequentia mala illa est in quâ inferuntur disparata, sed possibilia: ut, *Quiescit, ergo legit.*

Deus, & Angelus non possunt apprehensionem malam formare; Homo potest.

Potentia intuitiva non potest cognoscere rem aliter quàm est in se.

COnstat, quia de ratione intuitivi est, quod cognoscat rem sicuti est; ergo quicunque fuerit intuitivus, non poterit apprehendere Adamum ut existentem nunc, cùm reverà non existat: nec Æthiopem ut album, cùm reverà sit niger. Atqui Deus & Angelus sunt intuitivi: ergo non possunt malè apprehendere.

An dentur species sensibiles & intentionales?

Homo cognitione suâ abstractivâ conjungit omnium rerum notitias seu species, quas vult, & ex speciebus impressis existentiæ, Adami, & hujus temporis, exprimit unum verbum mentis, quod cognoscat Adamum existentẽ nunc. Consultò posui illud *notitias seu species*; nolo enim hic controvertere aut definire sensibiles aut intentionales, quoniam nostra resolutio ab hac quæstione non dependet, quia sive species admittantur sive non admittantur, eadem veritas teneri debet.

Nec Deus, nec Angelus potest judicium malum elicere; sed potest Homo.

CXXXXVII. *Deus falli non potest.*

MAlè judicare est falli, Deum autem falli non posse est de fide, ita certum, ut contradicentem non hæreticum dicerem, sed atheum. Ratio est, quia natura Divina consistit in intellectione infinita (formali aut radicali, juxta diversas opiniones) qui autem fallitur non habet notitiam infinitam; ac propterea non est Deus. Patet quia infinita notitia illa est, quâ major nulla potest esse infinito enim nil majus est; atqui si Deus falleretur, posset dari notitia Divinâ præstantior, nempè illa quæ non falleretur: ergo Deus falli non potest.

Quid sit divina essentia. Nil infinito majus.

Intuitivum falli non potest.

Deus non solùm quia infinitè sapiens est, sed quia intuitivus est, non potest decipi; & hæc ratio enim probat intelligentias Angelicas falli non posse. Assumptum suadeo. Iudicium intuitivum judicat de rebus; ut sunt, quia cognoscit res, ut sunt; in hoc enim intuitiva mens distinguitur à rationali.

Homo sæpè fallitur; sæpè malè apprehendit, & temerariò judicat. Imperfectio mentis suæ in causâ, quia nesciens se heri erravisse, hodiè miserius errat.

Deus & Angeli non discurrunt, cognoscunt tamen res esse propter res. Falluntur nunquam. Homo discursu fallitur.

Deus non cognoscit unũ quia cognoscit alterum.

DEus non est discursivus, qui omnia simul cognoscit in semetipsis, ac ideo non cognoscit consequentiam ex eo quòd præmissas antè cognoverit; cognoscit tamen consequentiam esse à præmissis. Ita etiam Angeli & quæcumque sine discursu operantur personæ intellectuales. Tunc in discursu dicerentur errare, cùm simplici intuitione cognoscerent, aut judicarent consequens oriri à præmissis, quod infertur in malâ consequentiâ. Ideò pleræque illæ propositiones disparatæ connexionis, quæ assumuntur à propugnantibus scientiam Dei mediam, meo Iudicio sunt vanæ ac à Deo efformari non possunt. Tales sunt *Si pluat Madriti, Turca venabitur Constantinopoli. Si essem Romæ, dormirem; Si Petrus esset hic, Maurus ex lecto surgeret.*

Propositiones disparata Conditionales.

De

Has Deus & Angelus non potest discere. De his propositionibus assero primò à Deo non posse effici, imò nec ab Angelo; Ratio est, quia sunt discursus, & neuter discurrit, sed simplicissimo actu, non cognoscit consequens quia antecedens cognoverat, sed cognoscit esse consequens quia antecedens erat.

Quo illas modo cognoscat? Assero secundò in similibus hypothesibus & rationalibus enunciationibus, in quibus ex malà illatione seu conditione contingente consequens oritur, Deum & Angelos non cognoscere esse consequens quia fuerat antecedens; nec præmissas inferre conclusionem, nec connexionem inter illas. Ratio est, quia Deus & Angeli cognoscunt res ut sunt in se: illa autem quæ malà consequentiâ inferuntur, non habent connexionem cum præmissis, ac ideò cognoscuntur à Deo vel Angelo ut disparata, hoc est ut sunt; non ut connexa, quoniam talia non sunt, ut de se patet.

Discursus humanus sæpè exorbitat. Homo sæpe ex ignorantia, sæpiùs ex levitate & inefficaci fundamento elicit consequens toto cœlo distinctum, ut patet in disputationibus, quia sæpe est opus negare consequentias.

Consequentia probabilis. Anne datur? Præterea non rarò summa probabilitate inferimus, quæ reverà non pendent ab antecedenti, sed dependere apparent: & tunc etiam licèt appareat bona, est tamen mala consequentia, quia ad hoc ut sit bona petit connexionem & dependentiam naturalem.

Consequens probabile. Etiam ex antecedentibus probabilibus per bonam illationem deducimus consequens probabile.

Deus & Angeli non habent notitias probabiles. Deus, & Angelus, nihil cognoscunt probabiliter, & ideò nequeunt cognoscere hoc probabiliter deduci ex alio, quia cognoscunt realem atque sinceram veritatem, hoc est reverà deduci aut non deduci. Deus etiam & Angelus non cognoscunt hanc veritatem probabiliter, quod in bona consequentia oriatur ex assertis merè probabilibus, quia cùm ipsis nullæ præmissæ sint probabiles, sic nec quæ ex eis dimanant consequentia. Ipsi nihil probabiliter judicant, sed certò: certò tamen cognoscunt hanc propositionem v.g. quæ reverà est vera & illam quæ reverà est falsa, esse Petro probabiles, & Paulo erroneas, Francisco temerarias, &c. & ratio est; quia hæ denominationes sunt extrinsecæ, quæ non oriuntur à prædicatis essentialibus Propositionum, sed à notitia proferentium. *Una & eadem propositio potest esse simul evidens, probabilis, temeraria & erronea diversorum respectu.* Pono exemplum. Videat Petrus à Ioanne homicidium committi; Ioannem inveniat Cassiodorus fugientem & aspersum sanguine: eumdemque Ioannem hoc perpetrasse scelus à viro fide digno audiat Paulus, & à mendaci Richardelius: interim omnes simul hoc homicidium commissum à Ioanne contestentur. Dicam in ejusmodi casu, hanc unicam propositionem *Joannes est homicida*, certò sciri à Petro; probabiliter à Cassiodoro; probabiliter etiam, sed authenticè à Paulo; eamdemque dicam temerè asseri à Richardelio; quoniam licèt unica sit, diversimodè cognoscitur à singulis; & hæ denominationes (nimirum; certitudinis, probabilitatis, temeritatis, &c.) qualitatem cognitionis important.

QUÆSTIO II. INCIDENS.

An Deus, Angelus, Homo, cognoscant Entia Linguæ, hoc est, Chimærica, quæ Lingua profert.

Cur Deum & Creaturas conjunxero? EAdem de Deo & creatura intellectuali difficultas est, ideò simul conjunxi, quia rationes ferè omnes, quæ convincunt Hominem cognoscere *Entia-linguæ* demonstrant etiam illa cognosci à Deo. Sunt tamen aliquæ difficultates peculiares conducentes ad hujus expositionem controversiæ, quæ excitabuntur & donabuntur claritate.

Resolutio pro parte affirmativa.

PRobo primò authoritate sacræ Paginæ, CXLVIII.
Entia linguæ cognoscit Deus. quia *sapientiæ* 8. legitur de Deo: *Scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum, signa & monstra scit antè quàm fiant.* Hoc testimonio utitur Ioannes de S. Thomâ *in Logic. quæst. 2. De Ente rat. art.* 5. ut probet Deum cognoscere *rationis Entia*, sed minùs aptè; Spiritus enim Sanctus non de versutiis, argumentis, signis & monstris mentis loquitur, sed de sermonum, ut constat clarissimè ex litterâ. *Monstra sermonum apud Salomonem quæ?* Ergo Deus sermonum monstra, vocum contradicentium chimæras intelligit; adeòque cognoscit Entia linguæ, quæ à Sapiente loco citato *versutia & monstra sermonum* nominantur.

Quo Deus modo Entia linguæ cognoscat? Modum quo Deus cognoscit *Entia linguæ* exponam breviter, ut difficultatem percalleamus. Cognoscit Deus in semetipsis illa, quæ dicunt aut inferunt contradictionem, & suâ scientiâ infinitâ comprehendit esse realiter incompossibilia; cognoscit posteà vocabula contradicentium harum partium: cognoscit tandem hæc vocabula conjungi in prolatione ab homine. Magis in singulari. Asseritur à Petro hæc propositio *Homo est irrationalis*, cognoscit comprehensivè Deus essentiam hominis, & essentiam irrationalitatis, scit esse contradicentes terminos; cognoscit posteà utrumque significari humanitùs proprio vocabulo: percallet illa vocabula esse per copulam *Est* vocaliter conjungibilia, ac proinde in linguâ illa conjungi, quæ in se ipsis non possunt. *Deus nec cognoscit nec facit Ens rationis.* Hinc autem non sequitur Deum facere *Entia Rationis* aut cognoscere. Certè non cognoscit Ens-Rationis ab alio factum quia non *Rationis*, sed *linguæ Ens* præsupponitur factum à Petro. Verè quando cognoscit Deus Hominem & irrationale, *Ens-Rationis* non format, quia cognoscit res ut sunt in se, cognoscit enim hæc extrema datæ prædicationis esse in se ipsis incompossibilia, actualiterque in prolatione copulari. Hæc autem omnia sunt vera.

Eodem

Nomina chimærica. Eodem modo philosophor de connexione vocum repugnantium factâ à Denominatione simplici, ut videre est in hac voce Κακόθεὸς, hoc est, *Malus-Deus.* Cognoscit suam bonitatem Deus, atque malitiæ essentiam, comprehendit mutuam repugnantiam: videt vocaliter in nomine Κακόθεὸς conjungi, quæ in se ipsis non possunt.

Consequentia chimærica. Hæ consequentiæ sunt chimæricæ: *Currit, ergo non movetur*; *Sol lucet, ergo dies non est*; *Est homo, ergo insensibilis.* In istis eodem modo cognitis extremis atque ipsorum oppositione, videt Deus in se ipsis alterum ab altero excludi, & in vocali ratiocinio inferri. Non tamen *Ens-rationis* efficit, quia veta concipit, lingua enim reverà infert insensibilitatem ex essentiâ Hominis à qua à parte rei infertur sensibilitas.

Omnia cognoscit Deus bifariâ. Ex his (ut verbo dicam) liquet Deum cognoscere extrema contradictoria bifariam; in se ipsis, & in prolatione chimæricâ: in se ipsis sine connexione, immò cum oppositione; in linguâ autem connexa copulâ aut illatione, ac proinde cognoscere illa ut sunt in se.

Argumenta Thomistarum examino.

CXLIX. ENtia rationis S. Thomas admittit, de Linguæ Entibus ne verbum quidem audit; ejus discipuli illa in Logicam, Physicam & Metaphysicam, imò & in Theologiam protrudunt; quamobrem operæ pretium erit eorumdem rationes recognoscere & ostendere illis plurimùm Entia linguæ probari, Entia rationis non probari. Sed quos in medium producemus? *Complutenses laudati.* Complutenses Collegii S. Cyrilli Ordinis Carmelitani, Professores, quibus doctiores & severiores Thomistas nunquam vidimus, nec videre speramus: Ipsi *disp.* 2. *Logicæ* de Ente rationis disserunt, & illa sic exponunt & probant,

Nomen Entis rationis, sumitur Primò agunt de ipsomet *Entis rationis* nomine & licèt *disp.* 1. *num.* 11. illud benè exposuerint, nihilominus pro majori ejus notitia & controversiæ intelligentia jubent sciri ex D. Thoma *Opusc.* 48. *tract.* 2. *c.* 1. quod Ens in *effectivè,* anima, seu rationis dicitur multipliciter. *Primò* effectivè: ut arca (inquit) est in mente artificis, antequam fiat: & generaliter omnes effectus intellectûs, sive naturales, sive artificiales appellantur hoc modo Entia rationis. *subjectivè,* *Secundò*, subjectivè; sicut scientia, aut quilibet habitus, vel actus, aut etiam species intelligibiles: quæ omnia sunt in intellectu tanquam in subjecto. *objectivè,* *Tertiò*, tandem objectivè: per modum scilicet objecti cogniti, sicut sunt res omnes, quæ intellectui præsentantur. Quæ adhuc sunt in duplici differentia. Nam vel tales res habent esse extra intellectum; & hæc sunt Entia realia; vel nullum aliud esse habent, quàm obiici ipsi intellectui; ita ut intellectûs cognitione cessante statim evanescant: & hæc propriè appellantur *Entia rationis*: De quibus inquirit difficultas, An sint admittenda, nec ne?

Secundò suam Resolutionem statuunt, quæ affirmativa est, & omnibus Peripateticis & præcipuè Thomistis consentanea; quam docuit Aristoteles 4. *Metaph. text.* 13. & 14. & *lib.* 6. *tex.* 8. D. Thomas *tum locis à se disp.* 1. *n.* 17. *adductis*; *tum etiam in* 1. *dist.* 26. *q.* 2. *art.* 1. 1. & *part. q.* 28. *art* 1. ubi Cajetanus, & communiter expositores.

Hanc ipsi Resolutionem probant; [quia Ens rationis est per se, & directè scibile; ergo etiam est intelligibile, & per consequens possibile. Consequentiæ patent; quia scibilitas est quædam specialis & perfecta intelligibilitas.] *An Ens rationis sit directè scibile?* At ego nego rotundè antecedens, & ejusdem probationem exspecto. Illud ipsi non probant, sed supponunt latè fuisse ostensum *disp.* 1. *Logicæ.* ubi se probavisse asserunt objectum Logicæ esse Ens rationis. Sed hic ego etiam audiri volo. Si antecedens supponi permittitur, frustrà inquam disputamus, illorum enim admittere debemus sententiam, non discutere: quod si disputate adhuc licet, illud antecedens non debet supponi, sed probari. *Et noto obiter*, etsi admitterentur Entia rationis, objectum Logicæ Ens rationis non esse; *An objectum Logicæ sit Ens rationis.* & hoc mihi tam videri evidens, ut mirer esse vel unum hominem, qui audeat obloqui contrà. Rem uberiùs tractavi alibi, nunc eam perstringo; quia si objectum Logicæ est Ens rationis, maximè quia tractat de Relationibus subjecti & prædicati, antecedentis & consequentis, majoris minoris & conclusionis, generis speciei & individui, &c. at istæ non sunt denominationes fictæ, sed veræ & reales; ergo objectum Logicæ non est Ens rationis. Probatur minor, quia præscindendo ab omni fictione intellectûs dantur apprehensiones, judicia, discursus, conceptus universales, particulares, &c.

CL. *An negationes et privationes concepta sint Entia rationis?* Probant iterùm suam Resolutionem Complutenses & ad experientiam recurrunt: quia privationes & negationes cognoscimus: sed non ut in se sunt; quia sic sunt nihil: ergo cognoscimus eas ac si essent aliquid: ergo tunc, quia nullam esse habent à parte rei, habent esse objectivè in intellectu; quod est Ens rationis.

Sed hæc ratio non urget; tum quia plurimi judicant eadem ducti experientia, se ipsasmet negationes privationes & carentias cognoscere, & non per modum Entis positivi; qui, si audiantur, fundamentum Complutensium evertunt. Sed esto, erret Magnificus Dominus Ioann. Guill. Maunagetta, qui privationem Ens esse positivum contendit; errent illi, qui se ipsasmet negationes concipere posse gloriantur: omnes ipsæ Entia positiva non sint, & nihilominùs cognoscantur ut Entia positiva: an-ne ideò erunt Entia rationis? An-ne Deus est Ens rationis, quia per modum Patris naturalis concipitur? an-ne & Angeli sunt Entia rationis, quia per modum Iuvenum pinguntur & intelliguntur? An-ne Ego si loco Petri conciperem Paulum facerem Ens rationis? non putant, & tamen in eorumdem sententia tam repugnat Pe-

ttum

rum esse Paulum, quàm privationem esse Ens positivum.

An secundæ intentiones sint Entia rationis?

Probant adhuc suam Conclusionem illi, & ad secundas intentiones recurrentes hanc propositionem, *Animal est genus*, discutiendam producunt. Nos illam esse veram dicimus, & illi inferunt. Ergo de Animali enuntiatur aliquid, quod illi convenit. Sed non enuntiatur aliquod prædicatum, aut esse reale, ut patet: ergo enuntiatur aliquod prædicatum, aut esse illi per rationem conveniens.

Confirmant: quia quando distinguimus, quæ à partè rei sunt idem; quando jungimus, quæ à parte rei sunt distincta; & quando comparamus ea, inter quæ nullus est ordo realis (quod in reb. tractandis sæpè necessarium, sæpiùs autem utilissimum esse experientia ipsa testatur) cognoscimus illa, ac si verè essent distincta, vel haberent veram unionem aut relationem: ergo cognoscimus, quod non est, ac si esset: & per consequens tunc est in intellectu aliquod esse objectivè, quod non est in rebus. Hoc autem vocamus *Ens rationis*: ergo possibilia sunt, & de facto dantur Entia rationis.

CLI.

Genereitas Platonica est realis.

Respondeo Genereitatem non esse Ens rationis, sed denominationem veram & realem; & hoc in quacumque sententia. PRIMÒ enim, si sequamur Platonem, (cui ipsi Complutenses agentes de singularitate & universalitate Materiæ primæ *quæst.* 2. & 3. & 4. subscripserunt in Physicis) dicemos esse habitudinem inter Genus speciesque; cumque teste Platone species realiter distinguantur à Genere, inter extrema realiter distincta, relatio rationis non dabitur.

Genereitas Scotica est realis.

SECUNDÒ, si cum Scoto Genus à differentiis formaliter ex natura rei distinguamus, sicut ipsa distinctio non est ficta, ita nec erit ficta Genereitas, quæ est Relatio concomitans.

Genereitas Thomistica est realis.

TERTIÒ, si cum D. Thoma ad distinctionem rationis ratiocinatæ recurramus, certum erit (nimirùm, ex hypothesi) dari præcisiones objectivas; certum quando *Animal* concipitur, *Rationale* non concipi, & hoc realiter contra omnem fictionem; quod si *Animal* realiter concipitur, & *Rationale* realiter non concipitur, in hoc accidente differunt realiter; & ut possunt huic accidenti subiacere, potentialiter realiter; & hanc ob rem omnes denominationes, quæ hac reali extrinseca distinctione fundantur, erunt reales.

Genereitas expressiva est realis.

QUARTÒ, si cum conceptistis ad rationem ratiocinantis recurrendum sit, clariùs monstrari poterit Genereitatem esse realem; conceptus enim formales (hos *rationes ratiocinantes*, & objectivos *rationes ratiocinatas* appellamus) Complutensium & omnium Thomistarum sententiâ distinguuntur omninò realiter: & inter extrema realiter distincta dantur relationes reales.

Genereitas confusa est realis.

QUINTÒ, si Universalitas est multorum individuorum confusio, verè & realiter dabitur actus confusus, verè & realiter clarus; & eadem res prout clarè concepta; realiter extrinsecè distinguetur à se ipsâ quà concepta non clarè: & in hoc nulla interveniet fictio aut falsitas.

Genereitas connotativa est realis.

SEXTÒ, si Universalitas in connotatione consistat, hæc ipsa connotatio erit realis; & quia varia, dabit Universalitates varias realiter.

Genereitas similitudinaria est realis.

ET TANDEM, si in similitudine, hæc non erit ficta; nec ficta denominatio Genereitatis quæ in illâ fundatur.

Argumenta pro nostrâ sententiâ censurantur.

Tertiò Complutenses nostram sententiam proponunt, & impugnant; sed quia nec illud benè, nec hoc efficaciter faciunt, debent omnia quæ dicunt in examen vocari. Sic nostram opinionem proponunt.

Partem negativam, inquiunt, defendunt Balles *quæst.* 1. *Philosophiæ*, & Bern. quidam Mirand. (non Picus Mirandul. ut citat Murcia nominum similitudine deceptus) Mairon, & alii quos refert Araux. *l.* 3. *Metaphys. qu.* 1. *art.* 2. Quam etiam reputant probabilem plures moderni.

Primum. CLII.

Objicimus pro nostrâ sententiâ; Quoniam omnia præter Deum causas habent; sed Ens rationis nullas habet: ergo ipsum non est possibile, seu factibile. Consequentia patet: quia repugnat aliquid creatum habere esse, & non ab aliqua causa. Antecedens verò probatur: quia remota causa efficienti, removentur etiam aliæ causæ: siquidem efficiens est, quæ respiciens finem educit formam ex materia: sed nulla datur causa efficiens Entis rationis; quandoquidem intellectus, à quo solùm poterat procedere, causat media efficientia, seu actione reali, quæ necessariò terminatur ad effectum realem: ergo Ens rationis nullas habet causas.

Solutio.

An præter Deum omnia Entia habeant causam efficientem & finalem?

Respondent negando antecedens, & ad probationem Suario *disp.* 54. *Metaphys. sect.* 2. subscribentes concedunt quidem Ens rationis, eo modo quo est ens, habere causam efficientem sui: & quia id Suarius de aliis causis, & maximè de finali renuit concedere, inconsequentiæ illum accusant. Non est enim cur in Entibus rationis causæ efficienti non correspondeat sua finalis, juxta generalem doctrinam de connexione harum causarum. Maximè cùm intellectus sæpè formet Entia rationis, ut res rectè & sine errore cognoscat: ad quem finem ex natura sua ordinantur intentiones Logicales: ergo non solùm cognitio ipsa intellectûs, qua formatur Ens rationis, habet causam finalem, ut inquit Suarez; sed ipsi etiam Enti rationis correspondet, causa finalis sibi proportionata.

CLIII.

An etiam materialem?

De naturali etiam constat: nam Ens rationis non est pura denominatio extrinseca sed ad modum formæ quasi intrinsecè subjecta denominat: unde res ipsæ denominatæ habent rationem causæ materialis respectu illius. Ipsumque consequenter erit quasi causa formalis illarum, & sic non indigebit alia causa formali.

Quare solùm restat respondere ad id, quod de causa efficienti adducitur in argumento. Concedunt ergo Ens rationis non habere causam efficientem propriè dictam; quæ scilicet verè & realiter influat in effectum. Sicut enim Ens rationis non habet esse verum & reale, ita enim non potest esse effectus causæ verè & realiter influentis. Et ideò non fit per propriam actionem realem,

aut etiam per veram, & realem emanationē. Sed sicut est Ens secundum quid, & quasi umbra & similitudo Entis realis: ita etiam secundum quid dicitur fieri, aut esse effectum per similitudinem ad Ens reale, quatenus ex operatione intellectûs res aliter, quàm sunt in se, concipientis, intelligitur in illis resultare quoddam esse fictum, quod tantùm habet esse objectivè in intellectu.

CLIV. *Efficientia intellectualis duplex.* Quomodò autem hoc fieri possit, explicat benè Didacus à Iesu *disp. 3. quæst. 1.* distinguens in intellectu duplicem quasi efficientiam: aliam, qua dicitur facere effectum, & aliam, qua dicitur facere objectum. Sit exemplum in verbo mentis: quod quando intellectus primò format per actum directum, dicitur facere effectum: quia tunc verè & realiter producit illud. Quando verò per cognitionem reflexam cognoscit idem verbum, dicitur facere illud objectum; quia tunc facit, ut id quod erat effectus intellectûs, objiciatur cognitioni ejus, quod est esse objectum. Efficientia ergo, qua intellectus dicitur facere effectum, exigit actionem aut emanationem realem; quia per illam communicatur effectui verum esse reale. Efficientia verò, qua intellectus dicitur facere objectum, prout sic, non terminatur ex naturâ suâ ad communicandum aliquod esse reale: & ideò non exigit similem actionem, aut emanationem:

Sic Patres Complutenses discurrunt, & ut existimo, efficaciter: & consideratâ illorum responsione pronuncio objectionem hanc nostram esse benè solutam, & nos alia fortiore, ut teneamus Conclusionem, egere.

CLV. Ioannes Poncius *disp. 1. Logicæ num. 15.* hanc eamdem objectionem ponit, & respondet primò omnia Entia debere habere causam sui, adeòque & Entia rationis suam proportionalem habitura. Sed quia subsumebatur, *quidquid producitur per causam realem debere esse Ens reale*, hanc ipsam positionem distinguit. *Productio realis, & intentionalis.* Quidquid producitur per causam realem quoad aliud esse quàm intentionale, conceditur: quoad esse intentionale, negatur. Itaque sicut potest intellectus cum determinatis speciebus producere Antichristum quoad esse intentionale, intelligendo ipsum pro hoc instanti, licèt Antichristus non habeat esse reale actuale, quia actualiter non existit extra intellectum; ita potest intellectus mediantibus determinatis speciebus dare esse intentionale Entibus rationis intelligendo ipsa, quamvis non habeant aliud esse existentiæ non actuale, nec possibile.

Sed puto Objectionem à Poncio non dissolvi; quoniam non potest intellectus impossibilia cognoscere, ut superiùs ostendi, & ideò negatur allata à Poncio paritas, quam jubemus probari.

CLVI. *Argumentum secundum.* Objicimus iterum: Quia veritas seu cognoscibilitas est passio Entis? at Ens rationis antequam cognoscatur, nullo modo est ut supponimus: ergo non est cognoscibile; ergo neque ens. Patet & hæc ultima consequentia; quia eo modo, quo aliquid est ens, est cognoscibile; sed id quod appellatur *Ens rationis*, ante cognitionem est omninò nihil: ergo est incognoscibile: & per consequens non potest terminare cognitionem. Quando enim cognoscetur, quod antequam cognoscatur, non erat cognoscibile.

Confirmamus, & explicamus hanc rationem: quia id, quod in actu secundo intelligitur, debet præsupponi intelligibile in actu primo: sed Ens rationis, antequam actu cognoscatur, non præsupponitur cognoscibile, ut probatum est; ergo nullum potest habere esse per ipsam cognitionem. Probatur major: quia objectum non fit intelligibile per ipsam cognitionem intellectûs possibilis: sed per actionem intellectûs agentis, quæ illi præsupponitur: ergo quidquid in actu secundò cognoscitur, sive cognoscatur ut objectum primarium, sive ut objectum secundarium, proportionabiliter præsupponitur factum cognoscibile ab intellectu agente. *Confirmatio.*

Solutio. Et hanc etiam rationem valdè debilem judico: quo illam dissolvant modo Complutenses videamus. Respondent concedendo antecedens. Inde tamen non sequi ajunt Ens rationis, antequam cognoscatur, absolutè non esse cognoscibile; sed quòd non sit priùs cognoscibile, quàm cognoscatur. Hoc autem ideò est: quia actu cognosci est de essentiâ Entis rationis. Quando verò actus est de essentiâ entis; potentia ad illum actum non antecedit in illo ente, ut patet in Deo, in quo quia actu existere, aut intelligere est de essentia ejus, non antecedit istos actus possibilitas existendi, aut potentia intelligendi. *Dixi* objectionem levem esse, & modo addo eamdem licèt levem à Complutensibus non solvi. Et eos interrogo: An-non actus, quo aliquis hodie concipit Ens rationis, (si concipit) fuerit erit futurus & possibilis? Ergo eodem sensu quo *cognoscere* fuit futurum aut possibile, eodem etiam futurum aut possibile est *cognosci*. Et quidem inter Deum & Ens rationis latum est discrimen, quia ideò Deus est æternus, quia est essentialiter existens, & contra: & cum complectatur omnes perfectiones possibiles, & esse sit perfectio, repugnat concipi Deum sine existentia, quia si illa careret, haberet omnem perfectionem, & haberet non omnem. At Ens rationis incipit esse, & quando est existens cognoscitur, & quando potest cognosci potest existere; & hoc videtur tam clarum, ut non sit cur multiplicemus tot verba. Stat ergo Complutenses non satisfecisse Objectioni;

Videamus ergo an meliùs illi ad Confirmationem respondeant. Vt nobis satisfaciant suum Didacum producunt, qui distinguit duplex intelligibile: aliud respectu cujus intellectus cognoscitivus comparatur ut passum; unde etiam passibilis denominatur: & hoc est, quod fit proximè intelligibile ab intellectu agente, supponiturque actioni intellectûs possibilis. Aliud verò est intelligibile, respectu cujus ipse intellectus possibilis potiùs comparatur ut agens: & hoc non potest supponi illius actioni, ut patet; siquidem pro-

producitur per illam. Et hujusmodi est *Ens rationis.* Quod consequenter, non tam ratione sui, quàm ratione objectorum realium, præsupponit operationem intellectûs agentis. Sed hæc etiam solutio eodem morbo laborat: non enim aliter poterunt nostræ objectioni respondere, quàm dicendo Ens rationis ante quam sit esse possibile: quidquid enim fingitur, antequam fingatur, est fingibile.

CLVII. Argumentum tertium. Objicere dicimur tandem, Quod si daretur Ens rationis consequenter concedendum esset posse dari genus absq; speciebus; essentiam absque passionibus, & passiones absque essentiâ, quæ omnia videntur absurda. Probatur sequela: quia si daretur Ens rationis, totum suum esse esset cognosci: sed posset cognosci gradus genericus Entis rationis v. g. gradus universalitatis, qui invenitur in quinque prædicabilibus, absque eo quòd actu cognoscantur propriæ rationes uniuscujusque: similiter posset cognosci universale absque prædicabilitate, quæ est passio ejus; & prædicabilitas absque universali: ergo actu daretur genus absque speciebus; essentia absque passionibus, & passio absque essentiâ.

Solutio. Et Complutenses respondent concedendo sequelam, in quâ nullum est inconveniens: quia sicut in entibus realibus prædicata superiora possunt optimè cognosci absque inferioribus; & essentia absque passione; & è contra: ita in his entibus unum potest esse absque alio: quia in eis idem est esse, & cognosci; utpotè quæ recipiunt esse per ipsam cognitionem. Ratio autem utriusq; est: quia inferiora non sunt de essentiâ superiorum; neque essentia est de essentiâ passionis, vel è contrà: & ideò in entibus realibus superius potest intelligi absque inferiori, &c. Et in Entibus rationis unum potest absque alio esse. Quia tamen superius est de essentiâ inferioris: ideò repugnat, quod in Entibus realibus inferius intelligatur absque superiori; & quod in entibus rationis sit absque illo. Ex quo tandem fit, quod licet genus possit esse absque specie, non tamen species absque genere.

Ego autem puto obiectionem esse levem, & Complutensium solutionem insufficientem. Haberet enim Ens rationis, si daretur, suas species, suas passiones, etsi illæ non conciperentur. Nam Genereitas, si Ens rationis dicatur, erit una & non plures, erit vera & non metaphorica genereitas (sicut huius propositionis *Circulus est quadrangulus* est vera & non ficta falsitas) erit bona ad aliquid; etiam quando non cognoscerentur, aut exprimerentur hæ passiones. Vel faciamus huius veritatis periculum. Consideras Genereitatem ab omni attributo præcisam, & interrogo, an non in illo conceptu obiectivo reperiuntur omnes passiones, quæ transcendentales dicuntur. Ille quidem non est duo conceptus, ergo est unus. Verè est rationis: ergo est verus conceptus Entis rationis. Est utilis ad benè intelligendas prædicationes, ergo & bonus. Est præsens, fuit futurus, erit præteritus: durat tanto tempore; sit in tali loco: &c. Ergo est error dicere, Ens rationis non habere attributa, nisi ea cognoscantur, cum enim illud cognoscitur, ista circumstant, & sunt cognoscibilia; &, si velimus, cognoscenda.

Scotistarum Argumenta dissolvo.

Duo erant in orbe litterario admiratione digna, alterum Opera Scoti nunquam magnificè fuisse impressa; alterum ad ejus mentem nullum prodiisse cursum, sed evulgatas fuisse à variis varias Philosophiæ partes, Sed nostro ævo utrumque fœliciter præstitum, nam & P. Lucas Wadingus editionem Scoti pulchram & opulentam exornavit, curavitque edi Lugdu ni ann. 1639. & P. Joannes Poncius (uterque Hibernus) cursum integrum edidit ad mentem Scoti: in cujus *tom. 1. disp. 1.* Logicæ, agit de Ente rationis, & *Quæst. 2.* postquam quæsierat, *An dentur?* sic ait. CLVIII. Wadingus, & Poncius laudati.

[Negativam partem huius Quæstionis tenet absolutè Vallesius *quæst. 10. Philosophiæ,* & Bernardinus Mirandulanus *in expositione prædicamentorum*; quam etiam sententiam probabiliter sustentat noster Mayronius *q. 7. quodl.* Oppositum tenent Doctores communiter cum Doctore nostro *1. d. 39. 4. d. 1. q. 2.* & alibi sæpè, ac D. Thomâ *1. par. q. 28.* Advertendum autem pro resolutione, non controverti, An dentur Entia rationis à parte rei? aut An possint sic dari? omnes enim id debent negare; quia aliàs non essent Entia rationis, ut hîc accipimus Entia rationis: sed sensus proprius controversiæ est, an dentur ulla huiusmodi Entia, quæ saltem ab intellectu concipi possint;]

Sic semel controversiâ propositâ Ioannes Poncius ad mentem Scoti pronuntiat. *Dantur,* ait, *huiusmodi Entia rationis ab intellectu conceptibilia.* Nota illud *conceptibilia,* ut videas Entia rationis esse possibilia: quod Thomistæ negabant. Conclusionem audivi: probationem exspecto. At ipse [Probatur, inquit, experientiâ, constat nos sæpè intelligere impossibilia, ut aliquod unum per se ex equo & homine, Angelos per modum formarum positivarum: sed huiusmodi non sunt entia realia, cùm repugnet ipsis esse à parte rei, aut efficere aliquid, aut inexistere alicui potenti quidpiam efficere nisi per considerationem intellectûs.] Ecce Scotistæ etiam sicut Thomistæ ad experientiam recurrunt; & si Ego iuxta experientiam debeam loqui, dicam hic ab ipsis sicut & sæpè alibi multa dici, pauca aut nulla probari, constare experientiâ frequenti.

Respondere posset aliquis cum Mayronio, [quòd quando aliquis intelligit chymæ-

iam (v.g. aliquod rotum conflatum ex homine & asino) nihil aliud intelligit præter hominem, asinum, & unionem realem. Similiter quando intelligit Angelum per modum corporei, intelligit Angelum & corporeum & identitatem realem, quam percipit inter Angelum & corpus. Denique quando intelligit negationes & privationes per modum formarum positivarum, intelligit negationes & formas positivas & identitatem negationum ad illas formas: sed hæc omnia sunt entia realia; ergo non dantur entia rationis.] Hac ego solutione non utor, volo tamen tantisper hærere, & audire qualiter eam Ioannes Poncius impugnet.

Sic ipse occurrit. [Quando intelliguntur impossibilia, intelligitur aliquid sub aliquâ ratione impossibili, ergo intelligitur aliquid, vel quod secundum se directè non est reale, nec possibile; vel sub ratione aliquâ, quæ ipsi repugnat à parte rei, licet non repugnet ipsi sic concipi.] Sed, ut satisfaciat, id ipsum quod negamus supponit. Dicimus repugnare cognosci rem aliquam impossibilem sub ratione Entis possibilis, & hoc impugnari debet omninò, non assumi.

CLIX. *An experientia probet dari Entia rationis?* Respondeo igitur totam rationem Poncii producere experientiam communem, quæ suadet, ut putat, nos concipere, Equum humanum, Angelum corporeum, & Privationem positivam: quorum singula considerationem propriam postulant.

Ad experientiam dico Poncium esse hominem similem nobis, nosque testari de experientiâ contrariâ; unde resumi non debet experientia, quæ experientiâ impugnatur. Fateor tamen subesse rationem aliquam ob quam nonnulli existiment se formare Entia rationis, quoniam formant frequenter Entia linguæ, & quia nesciunt illa ab Entibus rationis distingui, putant se Entia rationis facere.

An possibilis sit Homo equinus, aut Equus humanus? Ad Equum humanum inferiùs sum responsurus; dico nunc obiter unionem Equi & Hominis esse multis modis possibilem, & quo sensu impossibilis est, non posse concipi ut actualem.

Angelus an corporeus? Ad Angelum corporeum respondeo in ipso Arriagam & multos alios Entium rationis propugnatores nihil omninò reperire, quod sit chimæricum.

Ad negationes venio, miror que Ioannem Poncium tam debili memoriâ præditum, debebat enim illas in responsione excludere, quia Quæstione sequente inquirit, *Vtrùm Negationes & Privationes sint Entia rationis?* & num. 19. hanc Resolutionem negativam pronuntiat.

An negationes & privationes sint Entia rationis? Secunda Probatio, in favorem Entium rationis ista est, quam nonnulli frequentissimè assumunt. [Quoties Intellectus intelligit aliquod objectum, aut prædicat unum de alio, resultat in re intellecta ac prædicata aliquis respectus: sed ille respectus non est realis, ergo est rationis, & consequenter dantur Entia rationis.] Sed cur tempus teram ut respondeam, cùm ipse Poncius, qui hanc rationem allegat, indignam responsione judicet. Hac ipse eam censura inurit. [Hæc probatio, ait, dependet ab incertissimis principiis, aut enim major est falsa, aut minor, ut quæstione sequenti ostendetur.] Sed à quibus Principiis? Ab istis. Supponit primò denominationes extrinsecas esse Entia rationis, quod evidenter falsum est; nam præscindendo ab omni fictione est verum parietem esse visum, coronidem esse superiorem, & alteram columnam esse dexteram. Et secundò Relationes & Denominationes Logicas esse chimæricas, quod etiam falsum est; quia cùm in Intellectu distinguimus Apprehensionem a Propositione, & utramq; à Discursu, nil fingimus. Sed de hoc uberiùs.

Obiectio prima.

PRæter has duas rationes nullam aliam adducit Pontius, & tamen sententiam tuetur. Fortè, quia commentatorem agit, & non dicit quod sentit, sed quod sentit Scotus, qui me judice aut aliis utebatur rationibus, aut temerè rationis Entia admisit. Hinc ad solvendas Objectiones progreditur: sed ipsæ ex fundamentis probatis solvi deberent, & cùm nulla sint probata à Poncio, qui enodari illæ possunt non video. CLX.

Prima objectio contra Poncium hæc est. [Nihil est intelligibile quod non sit Ens reale, Ergo non datur aliquod Ens rationis intelligibile. Probatur Antecedens; quia omne intelligibile necessariò est antequam intelligatur; sed omne quod est antequam intelligatur, est ens reale, ergo omne intelligibile est ens reale.

Confirmatur primò authoritate Philosophi 1. *poster.* 2. asserentis impossibile esse, ut id quod non est, (actu vel potentiâ nimirùm: nam multa cognoscimus, quæ non sunt actu) sciatur, ergo si Ens rationis non sit, non potest sciri: sed absolutè & simpliciter verum est de ipso dicere quod non sit, nam esse absolutè & simpliciter solùm competere potest enti reali, ergo non potest cognosci.

Confirmatur secundò, quia intelligibilitas est proprietas Entis realis, ergo nequit competere Enti rationis, & consequenter Ens rationis non datur.

Respondet Poncius esse negandum antecedens: & hic nobis opponitur directè. Nos dicimus Omne possibile esse cognoscibile; & contrà. Ille latius patere cognoscibile quàm cognoscibile, adeòque impossibile posse cognosci. Ad antecedentis probationem juxta Complutenses *quæst.* 1. *de Ente rationis*, quos videtur sequi Mastrius *hic quæst.* 1. CLXI.

negat

negat majorem, quia putat Ens rationis non prius eſſe cognoſcibile, quàm cognoſcatur actu, quia ſecundum ipſos actu cognoſci eſt de eſſentiâ Entis rationis; quando autem actus eſt de eſſentiâ entis, potentia ad illum actum non antecedit actum, ut patet, inquiunt, in Deo, in quo quia actu exiſtere aut intelligere eſt de eſſentiâ ejus, non antecedit iſtos actus poſsibilitas exiſtendi aut poteſtas intelligendi. Sed hæc omnia militant contra Poncium, & nil valent. Militant omnia contra; quia, ut paulò antè vidimus, Poncius admittit Entia rationis conceptibilia: & quid obſecro aliud eſt Ens rationis conceptibile, quàm Ens rationis poſsibile? Et profectò nihil valent, quæ dicuntur; quia malè Ens rationis comparatur cum Deo: hic enim æternus & neceſſarius eſt, illud temporaneum & contingens: quod, ſi dicatur hodie exiſtere, heri fuit futurum, & cras erit præteritum.

Complutenſium contradictio.

Sed hæc ipſa Complutenſium ſolutio non placet Poncio omninò; inquit enim, [Hi Authores videntur ſibi contradicere; nam in eodem ipſo loco fatentur Ens rationis eſſe cognoſcibile antequam cognoſcatur: quæ autem poteſt eſſe major contradictio, quam quòd ens rationis ſit cognoſcibile antequam cognoſcatur, & non ſit priùs cognoſcibile quàm cognoſcatur? niſi fortè ſit aliqua differentia ponenda inter antequam & priuſquam. Sed præter hoc, omninò falſum videtur quod Ens rationis non ſit priùs cognoſcibile quàm cognoſcatur: nam quemadmodum ex eo quod verum ſit dicere hodie quod Antichriſtus ſit producibilis, & non ſit verum dicere quod ſit productus, optimè colligitur quod ſit priùs producibilis quàm producatur; ita ſimiliter optimè colligi poteſt chimæram eſſe priùs intelligibilem, quàm intelligatur, ex eo quod verum ſit dicere, illam eſſe intelligibilem jam, licèt non intelligeretur actu jam. *Rurſus* falſum eſt actu cognoſci eſſe de eſſentiâ Entis rationis: nam actu cognoſci dicit formaliter ipſam cognitionem, per quam cognoſcitur Ens rationis, ergo non poteſt eſſe de eſſentiâ alicujus, de cujus eſſentiâ non ſit illa actualis cognitio: ſed evidens videtur actualem cognitionem, quâ cognoſcitur chymæra v.g. compoſitum ex homine & equo, non eſſe de eſſentiâ illius chimæræ; tum quia aliàs cognitio terminaretur ad ſeipſam & cognoſceret ſeipſam, cognoſcit enim chimæram & partes eſſentiales ejus, quod eſt abſurdum: tum quia experientiâ conſtat nos dum cognoſcimus entia rationis non cognoſcere ipſammet cognitionem, nec habere ipſam objectivè nobis propoſitam, quod tamen eſſet falſum, ſi cognitio illa eſſet de eſſentiâ Entis rationis. *Illud autem* exemplum de Deo, quo utuntur Complutenſes, ipſiſmet officit; nam ſi verum eſſet dicere de Deo pro hoc inſtanti quod eſſet potens exiſtere & intelligere, & non eſſet verum dicere pro hoc eodem inſtanti quod exiſteret & intelligeret, profectò poſſibilitas exiſtendi & potentia intelligendi antecederent in Deo actus illos exiſtendi & intelligendi; unde ſi iſta poſſibilitas aut poteſtas de facto non antecedunt iſtos actus, ideò ſaltem partialiter id verum eſt, quia pro nullo inſtanti verum eſt, quod poſſit exiſtere aut intelligere Deus, pro quo non ſit verum dicere quod de facto exiſtat & intelligat; ergo quandoquidem verum ſit dicere pro hoc inſtanti quod Ens rationis ſit intelligibile, licèt pro hoc inſtanti non intelligeretur, ſequitur potiùs ex illo exemplo quod ſit priùs intelligibile, quàm actu intelligatur.] Hæc omnia contra Complutenſes pro Scotiſtarum doctrina Poncius additque obiter falſum ſupponi à Complutenſibus, potentiam intelligendi divinam non eſſe priorem intellectione divinâ; ſed hoc militat contra Thomiſtas: quia, ſi intelligere Dei eſt eſſe Dei, ut Doctor Angelicus ſtatuit, tunc concipiemus Deum exiſtentem & potentem intelligere, cùm Deum non eſſentem, aut non-exiſtentem.

An in Deo prius ſit poſſe intelligere, quàm intelligere?

Sed progreditur ulterius Poncius, & ad mentem Scotiſtæ cujuſdam recentioris jubet majorem, quam negarant Complutenſes, negari, ſed ex aliis principiis; Quia inquit, non eſt neceſſarium ad hoc ut aliquid ſit cognoſcibile per alienas ſpecies (prout Ens rationis intelligi debet) quod ante actualem cognitionem habeat eſſe proprium & formale, ſed ſufficit quod illud habeat eſſe proprium & formale, per cujus ſpeciem cognoſci debet. At etiam hunc Scotiſtam optimè impugnat idem Poncius: Quia quamvis non eſſet neceſſarium ut Ens rationis, quod per alienas ſpecies debet intelligi, habeat eſſe proprium antequam intelligatur in ordine ad producendam ſpeciem ſui, tamen id eſt neceſſarium ex alio capite, quia ſcilicet non ſemper debet intelligi, & ſemper poteſt intelligi.

Maſtrius negat Ens rationis ſecundum CLXII.
eſſe proprium & formale eſſe priùs intelligibile, quàm intelligatur, licet ſecundum eſſe fundamentale ſuum ſit priùs intelligibile. Sed hæc etiam ſententia eodem argumento convellitur, quo præcedens: quia de illo ipſo Ente rationis formaliter loquendo, quod intelligitur in hoc inſtanti, verum erat dicere in inſtanti antecedenti, quod erat intelligibile, imò quod erat intelligendum: & non ſolùm id verum eſt de fundamento ejus, ut eſt manifeſtum: ergo quoad eſſe etiam formale priùs eſt intelligibile, aut etiam intelligendum, quam intelligatur de facto.

CLXIII. Impugnaverat Complutenses & alios Thomistas, imò etiam aliquos Scotistas Poncius, & rejectis eorumdem responsionibus ait [Melius itaque respondetur ad majorem prædictam, nimirùm, *Omne intelligibile prius est, antequam intelligatur*, eam distinguendo: prius est quoad esse intelligibile & possibile, seu quoad esse essentiæ, concedo: prius est quoad esse existentiæ, nego; quia de facto ipsam & entia realia sæpè priùs intelliguntur quàm existant realiter: cur ergo esset necesse quod priùs esset Ens rationis quoad esse existentiæ, quàm intelligeretur?] Sic ille; & hæc est unica & vera solutio: nam si darentur Entia rationis, non aliter essent defendenda. Unde in Poncii responsione deleo illud *melius*, non enim hæc Poncii responsio est melior cæteris, quia ipsa sola est bona, & cæteræ bonæ non sunt.

Examinavimus hucùsque Objectionem hanc primam; ad Confirmationes veniamus. Prima erat desumpta ex Aristotele; quam efficacissimam dixi: quo illi modo Poncius respondeat, videamus. Asserit locum illum non esse ullo modo ad propositum, quia loquitur de propositione objectivâ falsâ, quam dicit non posse scientificè cognosci ut veram, unde sensus genuinus est: illud quod non est verum, v. g. Deum non esse bonum, non potest scientificè cognosci. Sed non adquiesco Poncio, Philosophus enim generaliter loquitur; & ejus verba generaliter sumpta, sunt vera, nec alio ex capite limitantur à Poncio, quàm quia aliàs negari non posset Aristotelem omnia Entia rationis negavisse.

Hinc patebit non solvi Confirmationem alteram: negat enim antecedens Poncius, & si causam inquiras, illam, ait, desumendam à posteriori ex experientiâ, quâ constat plura intelligi, quæ non sunt entia realia; & a priori, quia nulla est ratio, unde sola entia realia habeant intelligibilitatem terminativam, de quâ loquimur, hoc est potentiam ad terminandam cognitionem, licet sola entia realia habeant intelligibilitatem motivam, hoc est virtutem effectivam seu productivam cognitionis per modum objecti motivi. At nos etiam ad experientiam & rationem appellamus. Ad experientiam quidem, quia nullum nos impossibile ut possibile posse cognoscere experimur. Ad rationem autem, quia nullum ab adversariis cognosci demonstravimus; quos ideò hallucinari ostendimus, quia Entia vocis & linguæ experiantur, nec unquam fuerint moniti illa differre toto cœlo ab Entibus rationis & mentis.

Objectio secunda.

CLXIV. ARguis secundò contra Entia rationis. [Quia si darentur deberent produci per aliquam causam realem, sed nequeunt sic produci, quia quidquid produci potest per causam realem, debet esse reale.] Sed ego quid de hac ratione sentiam, & quid de responsione Poncii, superiùs exposui.

Objectio tertia.

OBjicis iterùm. Nihil est in intellectu, hoc est nihil intelligitur ab intellectu) quod non priùs fuit in sensu; hoc est, quod non priùs fuit perceptum à sensu aliquo materiali corporeo, vel interno vel externo, ut communiter à Philosophis tenetur; & patet ob dependentiam intellectûs in intelligendo à phantasmatibus, de quo suo loco: Sed Ens rationis non potuit esse in sensu ullo materiali, Ergo non potest percipi ab intellectu.

Ad magnas tricas nos reduceret præsens objectio, si examinare radicitùs vellemus, an esset verum hoc Axioma. Nam si illud adversarii negarent, non facilè illud negotio probaremus. Sed urbaniores illi sunt, & nobis respondent distinguendo; putant enim, Nihil esse in intellectu, quod non fuit in sensu, vel formaliter, vel occasionaliter: non tamen quod non fuit formaliter. Et ad minorem subveniendo jubent illam eodem modo distingui. Tametsi enim existiment Entia rationis non posse esse in sensu formaliter, putant eadem in illo esse posse & solere per accidens & occasionaliter.

Si terminos exponi desideres sic discurrunt. [Esse in sensu aliquo formaliter & secundum se, est illam ipsam rem secundum se percipi à sensu; esse autem occasionaliter in sensu, est aliquid aliud percipi à sensu, ex cujus occasione intellectus devenit in cognitionem istius rei, quæ dicitur esse in sensu occasionaliter. Et sanè non alio modo substantiæ tam materiales quàm immateriales & accidentia spiritualia, ac relationes sunt in sensu occasionaliter, licèt nemo dubitet, quin intelligantur ab intellectu: unde non debet videri mirum, quod Entia rationis intelligantur ab intellectu, quamvis non sunt in sensu alio modo, quàm occasionaliter, hoc est, quatenus aliqua alia percipiuntur à sensibus, ex quibus mediante negotiatione intellectûs formantur species repræsentativæ Entium rationis.] Sed hic multa assumuntur, quæ sunt falsa, & inter illa, illud ultimum maximè, quod occasione sumptâ ab entibus realibus mens Entia rationis fabricetur.

Objectio quarta.

SEd instas iterùm. Si darentur Entia rationis, possent dari prædicata superiora sine inferioribus, sed hoc videtur absurdum, CLXV.

ergo

ergo & antecedens unde sequitur. Probatur major, quia quando aliquis cognosceret rationem entis rationis absque speciebus ejus, daretur ista ratio generica, & non darentur species. Probatur etiam minor, quia prædicata superiora identificantur realiter inferioribus, & sunt partes metaphysicæ totius entitatis conflatæ ex prædicatis superioribus & differentiis contrahentibus: illa autem est differentia inter partes metaphysicas & physicas, quòd hæ possint separati ab invicem, & una existere sine alterà, illæ verò non possint, ut patet in animalitate & rationalitate, quæ sunt partes metaphysicæ hominis, & nequeunt separari quoad existentiam; & in animâ ac corpore, quæ sunt partes physicæ hominis, & in morte separatur ab invicem quoad existentiam.

Hæc objectio Platonicos & quoscumque alios Reales Philosophos urgere non poterit; nam condonabunt omnia, quæ de distinctione & existentiâ graduum superiorum assumpta. Sed neque urgere posset Thomistas, si vellent semel animadvertere Materiam primam D. Thomæ prout à Complutensibus exponitur esse Platonicum universale. At urgebit Scotistas, qui respondent distinguendo majorem. Concedentes posse dari Prædicata superiora sine inferioribus in rerum intentionalium censu, & negantes eadem posse dari in censu rerum realium. Addunt hoc absurdum non esse, cùm certum sit quod prædicata metaphysica superiora & & inferiora entium realium possint separari quoad esse intentionale, quandoquidem experientia constet intelligi sæpè Animal, non intellecto Homine nec Rationali.

Sed nobis respondet Poncius. An & satisfacit? non puto. Concedit enim saltem Vniversalia Platonica in Entium rationis systemate. Nam si objective potest genus separari à specie, & Ens rationis nullum aliud esse habet, quam objectivum; erit totaliter separatum genus à specie, & nullo modo identificatum. Ergo id notent Reales, ut vel hinc argumenta desumant, ut Academicam doctrinam de Vniversalibus & Prædicabilibus tutari possunt.

Argumentis Patrum Societatis occurro.

CLXVI. FLorent hodie libris doctissimis, habentq; Viros Maximos, & Ego binos eligam (Vazquezium & Arriagam) ut eorumdem discussis fundamentis Scholæ huic tertiæ, quæ Thomisticâ & Scotisticâ non est ignobilior, satisfaciam.

Gabrieli Vazquèzio respondeo.

VAzquez *tom.2. part.1. disp.128. cap.12.* imparicos invehitur contra hujusmodi resolutionem: non agit expresè de *Ente-linguæ*, sed cùm de chimæris disputet, intelligi debet de universis. Argumenta quibus *Entia-rationis* non posse cognosci à Deo suadet, etiam contra nos militabunt, si reducantur ad aptiorem formam.

Ratio prima. Asserit Vazquex Deum cognoscere realia illa extrema, quæ sunt objecta chimærica pronunciationis, inde tamen non sequi cognoscere chimæras, quas Homo profert, quia chimæra non consistit in extremis (puta Homine & Insensibili) sed in horum ideotificatione. Hanc autem non cognosci à Deo probat, quia est impossibilis, & quæ non sunt non cognoscuntur. Prætereà; quia Prolatio chimærica dicit ordinem ad extrema realia, non autem ad unionem. Hoc modo philosophatur de *Entibus rationis*, quæ admittit & fieri & cognosci ab Homine; negat tamen ex his principiis fieri aut cognosci à Deo.

Si homo faceret Entia rationis, illa cognosceret, non tamen illa faceret Deus. *Entia-rationis* non cognosci à Deo asserit Vazquez, assentior, non quod illa dentur & Divinam intelligentiam fugiant, sed quia talia non dantur; unde etiam adjungo ea si à nobis fabricarentur, à Deo non posse non cognosci. Cæterùm licet *Entia-rationis* non dentur, *lingua Entia* dantur, de quibus ipsissima est difficultas.

Vt negemus Deo *Entium linguæ* notitiam, annotaro inter Hominem & Insensibile posse bifariam considerari unionem, vel prout existentem à parte rei, vel prout significatam à linguâ: primo modo est impossibilis, confiteor; est tamen possibilis secundo modo. Ideò Deus qui cognoscit Hominis & Insensibilis identificationem esse impossibilem in semetipsis, videt etiam non solùm esse possibilem, sed esse reverà vocaliter existentem in hâc chimæricâ prædicatione *Homo est insensibilis.*

Omnis propositio essentialiter dicit copulam seu unionem. Illud autem, quod & Vaxquex supponit, nempè hanc propositionem *Homo est insensibilis* essentialiter respicere extrema, non unionem, debuisset probari, non supponi. Imò non solùm unionem extremorum indigitat, sed principaliter; ex eo enim est chimærica, quia extrema unit vocaliter, quæ realiter jungi non possunt: atqui Deus cognoscit hanc propositionem esse chimæricam; ergo cognoscit connecti à lingua quæ à natura contradictoriæ separantur.

Ratio secunda. Non potest Deus cognoscere *Entia chimærica*, quin facit & fabricet *rationis-Entia*, hæc Deus efficere non potest: Ergo nec chimæras cognoscere. Majorem probat. Quia si Deus mente sua retinet (aut primariò aut secundariò) chimæram, licèt fictam ab Hominis linguâ *Sermonis monstrum*, virtute sui intellectûs conservat: Ergo *Ens-rationis* facit, & fingit. Patet consequentia, quia illud esse objectivum quod tunc habet, habet à solâ mente Dei. CONFIRMATUR: Si requiritur illud monstrum priùs fingi ab homine, quàm à Deo cognoscatur, sequitur à Deo fingi non tamen primariò, sed solùm secundariò: fingere autem nec secundariò potest Deus, quia fingere dicit vilissimam imperfectionem. *Deus fingere & fallere non potest.*

Respon-

Respondeo negando assumptum primum: ratio est, quia ut constat ex dictis, Deus sua scientia infinita non conservat, sed destruit chimæram, quam asseruit homo. Conservare est dare rei esse simile primo, quia dare aliud esse dissimile est corrumpere, & reducere ad statum alium. Fallitur Petrus dicens *Homo est viridis*; si audis & idem cum Petro judicas, etiam tu falleris: si intelligis ab illo dicta & dissentis, cognoscis veritatem: cognoscis enim primò, hominem & colorem viridem non conjungi à parte rei: secundò conjungi in linguâ Petri: tertiò Petrum enunciare rem aliter quam est in se, ac propterea vel mentiri vel falli. Hæc autem tria judicia quæ efformas de hac propositione, *Homo est viridis*, verissima sunt, tuque certissima enunciando & judicando cognoscis Petri mendacia & falsitates. Non aliter, chimæram profert homo, audit Deus: homo aut fallitur aut reverà mentitur: Deus verò non assentitur homini, ac ideò non decipitur, nec *rationis-Ens* format: non asseverat, & ideò non mentitur nec decipit: cognoscit hominem mentiri, & hoc est verum: ergo cognoscit veritatem. Mente sua chimæram non conservat, quia mens Dei non exprimit monstrum hoc ut lingua. Hæc assertivè enunciat *Hominem esse irrationalem*, Deus apprehendit assertum hoc, & apprehendit extrema in se incomponibilia, in lingua vocaliter conjungi, & judicat vocalem illam Hominis & irrationalitatis connexionem dissonare ipsis rebus: quæ universa sunt vera. Hinc etiam satisfactum est confirmationi, quia chimæræ consistunt in judicio, Deus autem nec primariò nec secundariò malè judicat.

Deus non conservat sed destruit chimæram.

Nec primariò, nec secundariò fallitur.

CLXVII. *Ratio tertia.*

Et ipsa adulterinum æternitatis conceptum præsupponit.

Non potest Deus cognoscere chimæram ab homine assertam, quin illam ab æterno cognosceret, ante-quam à lingua creata realiter fingeretur; ergo ab æterno erat chimæra objectivè in intellectu divino, & subjectivè impossibilis: ergo ab æterno habuit esse objectivum; ergo à Deo: quia ab homine non habuit esse ab æterno. Ergo illud esse, quod habuit chimæra ab æterno, recepit à Deo, Deus igitur, si chimæras nostras cognoscit; etiam fabricat.

Oro, ut Theologi dignentur videre quid sit æternitas, hic enim Vazquez illam cum tempore, quod principio & fine careat, confundit; quod & multi faciunt cum magnâ veritatis (ne dicam religionis) jacturâ.

Respondeo concedendo assumptum, primam, atq; secundam consequentiam; nego tamen tertiã si loquamur, ut loqui debemus, de præsentia æternitatis. Ratio est quia omnia fuerunt Deo ab æterno præsentia præsentiâ æternitatis. Ideò chimæra ab homine nunc asserta non fuit præsens toti tempori, sed toti æternitati: & illud esse recepit ab Homine, is etenim mentitur, & verba mendacii in hac differentia temporis prolata hoc *nunc* æternitatis sunt Deo præsentia; hoc autem *nunc* æternitatis est tota æternitas, & sic nil probat argumentum, nascitur enim ex falsa hypothesi quia supponebat Gabriel Vazquez creaturas omnes non esse Deo æternùm præsentes in immensa mensura æternitatis.

Prætetea supponamus Creaturas non esse toti Æternitati præsentes adhuc argumentum non urget, quia ab æterno cognovit Deus propositionis chimæricæ terminos realiter conjungi non posse, posse tamen vocaliter, & hoc sua simplici intelligentiâ imò & scientiâ visionis intuetur illos ab homine vocaliter conjunctum iri, ergo cognoscit rem ut est in se, nec de notitiâ chimærica arguendus venit Deus, quando cognoscit illos terminos, qui realiter sunt inconjungibiles, vocaliter jungendos esse.

Facere & cognoscere Entia chimærica est simpliciter idem; Deus cognoscit? ergo facit. Consequentia est legitima consequens est falsum ergo & antecedens; quia falsum ex vero non sequitur. Atqui major est certa; ergo minor fuit falsa. Probo illam majorem certam esse, quia *Entis-rationis* fieri est cognosci.

Ratio quarta.

Nota hunc modum arguendi à formâ Lyco.

Respondeo distinguens primam propositionem. *Idem est fabricari chimæras, ac cognoscere* terminos chimæricos & incomponibiles, conjungi in rebus concedo: idem ac cognoscere eosdem in rebus esse inconnexibiles, conjungi tamen actualiter in linguâ, nego. Subsumebatur, *Atqui Deus cognoscit chimæras*, distinguo minorem. Extrema chimærica, cognoscit priori modo, nego; cognoscit posteriori, concedo: *Ergo facit*, nego consequentiam. Ad probationem dico *Entis-rationis* seu chimærici fieri, esse cognosci priori modo, non verò posteriori.

His quatuor positis rationibus, & pluribus aliis quæ adduci possent satisfaciet instantiæ robustissima, desumpta ex naturâ mendacii & falsitatis.

Instantia universalis.

CLXVIII. *Discrimen inter Veritatem, Veracitatem, Errorem, & Mendacium.*

Esto Rex Catholicus Vallisoleti, & credatur residere Madriti; hæc enunciatio *Monarcha Catholicus est Vallisoleti*, vera est, sed mendax; vera quidem, quia enunciat rem ut est in se; mendax autem, quia dicit rem esse aliter quàm in mente est: fallitur enim qui mente sequitur errantem, mentitur qui contra mentem loquitur. Cognoscit Deus præter extrema enunciationis, quæ sunt Rex & Vallisoletanum *Ubi*, etiam connexionem & copulam esse non solùm possibilem à parte rei, sed & actualem: cognoscit præterea eadem extrema in asserentis mente separari, & in linguâ conjungi. Ecce Deus cognoscens mentem falli non fallitur, & videns linguam mentiri non mentitur.

Ergo sicut Deus cognoscit Regem & Vallisoletum esse ibidem realiter, & in Petri mente separari, & sicut in hac propositione *Adamus vivit*, videt extrema vitam & Adamum, quæ non uniuntur realiter, in lingua uniri & ideò esse propositionem falsam; sic etiam poterit in hac propositione *Deus est irrationalitas* cognoscere irrationalitatem quæ realiter Den nequit competere, vocaliter cum Deo conjungi. Atqui quando cognoscit falsa Deus; non fallitur; & quando mendacia, non mentitur, ergo licèt cognosceret *Entia-rationis*, illa non fabricaret; ergo non efformat chimæras, cùm cognoscit chimærica, quæ profert lingua. Et hæc sint solutioni primo & secundo objecto.

Hinc singulis rationibus Vazquezii sterum satisfacio.

Solvitur prima, &

Secunda.

Ob-

Utrorque-tur Tertia.

Objectum tertium paritur etiam instantiam mendacii & falsitatis, Dicit Petrus *Nullus homo est albus*, & ad hominem argumentor sic. Non potest Deus cognoscere hanc assertionem falsam & mendacem, quin eam ab æterno cognosceret, antequam, à linguâ humanâ proferretur: ergo ab æterno erat hæc propositio in mente Divina, ergo ab æterno habuit esse objectum falsum; non ab homine, quia homo ab æterno non est; ergo à Deo. Deus igitur cognoscit res aliter quàm sunt in se, ac proinde fallitur.

Ecce exorbitantem consequentiam, ortam tamen à ratiocinio parallelo. Respondeamus igitur excursui & remanebit tertiæ objectioni satisfactum. Ab æterno cognoscit Deus extrema hujus propositionis *Nullus homo est album*, præter quæ etiam cognoscit ab æterno eadem realiter esse conjungibilia, non tamen realiter conjungenda, cognoscit prætereà eadem extrema vocaliter conjungenda esse à Petro dicturo tali die *Nullus homo est album*, quæ omnia, cùm vera sint, dicenda sunt cognosci à Deo intelligente res ut sunt in se,

Satisfit Quartæ.

Hinc etiam manet satisfactum rationi ultimæ, quia sicut cognoscere esse falsum assertum hoc *Homo est viridis.* non est falli; sic cognoscere chimærica non est ea fabricari.

Roderico Arriaga satisfacio.

CLXIX. Arriaga quantus?

Eius ingenium magni facio; pollet enim eximio, & nihil aliud omninò agit, quàm meditari, docere, disputare, & scribere. Claret libris impressis, quibus ab annis multis totus Orbis litterarius applaudit. Philosophicum cursum edidit anno 1632. & in ipso multa valdè ingeniosa & rara; & tandem lassus folio 883. iam iam calamum positurus, disputatione, quæ est de Ente rationis, totam Metaphysicam claudit; & me docet Entia ipsa rationis, etiam si darentur, non esse superstitiosè examinanda, potest enim sine illis tota Logica, tota Physica, & tota Metaphysica tradi. Sed quia ille se torrenti permisit, quibus inductus fundamentis hæc Entia admittat, discutiamus.

Potest sine Entibus rationis Humana & Divina Philosophia explicari.

Sectione igitur secunda num. 8. sic inquit. [Non desunt multi Auctores, qui omninò negant talia entia rationis, ut Vallesius & alii; ex his verò, qui nobiscum ea concedunt, opinantur nonnulli, illa non posse efficaciter persuaderi, & probabilem satis esse Vallesii sententiam. Verum censeo, vel non posse esse dissidium ullum, explicatis terminis; vel si sit, apertissimè rejici sententiam Vallesii; Quod sic ostendo: Nam primum negari nequit, actus aliquos esse falsos, aliquos esse veros; [Concedo id negari non posse] Secundò negari nequit actus falsos ideò esse falsos, quia objectum illorum non est à parte rei, sicut per ipsos affirmatur. [Hoc etiam libenter admitto.] Hæc duo de re certissima sunt, nec possunt ab aliquo negari; ex quibus infero: Ergo aliqui actus sunt quorum objecta non sunt à parte rei. Pono Exemplum: *Equus rationalis*; objectum hujus actus est Equus identificatus cum rationali, seu Equus rationalis, hic autem Equus non est à parte rei (quis hoc neget?) est tamen per intellectum, id est cognoscitur ab intellectu, fingente talem Equum, seu reputante ita esse à parte rei (quis etiã hoc neget?) [Picus Mirandulanus, Vallesius, Odervvolfius, Caramuel, & illi multi Authores, qui teste eodem Arriagâ Entia rationis negant.] Ergo Equus rationalis non habet esse à parte rei, sed solùm esse objectivè in intellectu, (hâc de re arbitror à nemine negatum, nec posse) talem ergo Equum fictum, dicimus non esse *Ens rationis*, non ergo potest esse, explicatis terminis, ullum de re dissidium. Quod si negas talem equum fictum esse *Ens rationis*, erit dissidium de sola voce, si verò neges eum posse fingi, fatenr erit dissidium de re, manifesta tamen experientia, ratione ac consensu etiam rusticorum redarguêris.] *Sic ille.* At ego, si stemus eidem vocabulorum acceptioni, puto me demonstravisse, repugnare, ut aliquis *Equum qua equum, esse rationalem* concipiat; & existimo in hoc decipi Arriagam, quòd existimet *Ens lingua* etiam formari mente.

Multi negant Entia rationis: & multi tametsi ea concedant, judicant nostram opinionem probabilẽ.

Alii actus sunt veri, alii falsi.

Qui dicit equum esse rationalem nescit quid significat vox Equus.

Repugnat concipi hinnibilitatem quà talem esse rationalitatem.

Sic discurro. Cùm dicimus, *Equus est rationalis*; vel intelligimus Naturam Equi & & Hominis hypostaticè unitas, ut cùm dicimus *Deus est mortalis*, *Deus est passibilis*; hic enim concipimus Deum Hominem, & in ipso duas naturas hypostaticè: & hoc sensu nihil impossibile dicimus. [Quia sicut Deus qui ratione propriæ naturæ impassibilis est ratione humanitatis assumptæ debet dici passibilis; sic etiam Equus, qui ratione propriæ naturæ est irrationalis, ratione humanitatis [hypostaticè unitæ, deberet dici rationalis.] Vel intelligimus Naturam Equi & Hominis identificatas; & hanc ipsam identificationem, quis demonstrauit esse impossibilem? sanè si possibilis sit hæc identitas, nihil impossibile dicimus; si impossibilis, illam linguâ pronuntio, & non mente. Non est cur dicta repetam. *Equivirum*, seu *Equum rationalem* in medium producit Arriaga; nos superiùs examinavimus *Hircocervum*; & quia de utroque uno & eodem omninò modo philosophandum est, ad Principium III. meum candidum Lectorem remitto.

Homo-Deus. Homo-Equus. Duæ naturæ possunt hypostaticè uniri.

An Humanitas & Equinitas possunt identificari?

CLXX. An possimus spiritualia concipere?

Diffidens suo primo ratiocinio Arriaga, secundum his verbis molitur. [Contra negantes se apprehendere res spirituales, arguimus, ipsi sibi contradicere; nisi enim res spirituales apprehendissent, non possent aliquid certi de illis affirmare vel negare; ita similiter in præsenti dico, eos qui negant Entia rationis sibi ipsis contradicere; cum enim esse Entium rationis nihil aliud sit, quàm ea cognosci aut apprehendi, eo ipso quod illa negant, illa apprehendunt; aliàs negarent, & non tamen scirent quid negarent, quod est ridiculum. Ergo admittunt entia rationis, id est, ea apprehendunt.] *Hæc est illius ratio fortissima.* Et tanti à multis facta, ut audiverim illã centenis vicibus à variis personis proponi.

An & Entia rationis?

Sed

Hoc consequentia, Cognosco quid sit Ens rationis: Ergo illud facio: nihil valet.

Sed non tangor, cùm ontrui dicor: quoniam si res emunctis oculis consideretur, ridiculum est *Ens rationis* ab illo fieri, qui illud negat. Hanc ego veritatem jam superiùs exposui, cùm contra Gabrielem Vasquez naturam mendacii discussi. Vide instantiam illam universalem, & me audi. Dico enim me scire, quid intelligi debeat *Entis rationis* nomine; sed illud ipsum, quod jubeor intelligere, ut Ens rationis formem, dico me intelligere nullomodo posse. Sic discurro. *Si duos terminos contradictorios & incompossibiles à parte rei (quales sunt Rationalitas & Irrationalitas) jungeret Petrus intentionaliter & objectivè, faceret Ens rationis; si vocaliter tantùm Ens linguæ.* Hanc ego totam conditionalem, prout scripsi, dico mente; hanc ego dico linguâ; & quia nihil falsi dico, *Ens rationis* non formo, Ens linguæ non pronuntio, & tamen utrumque actu intelligo, & utrumque actu disertissimis verbis expono. Arundineum igitur est illud telum, *Cognosco quid sit Ens rationis: ergo illud facio.*

An in Equo rationali, Equinitas & Rationalitas sint formalitates veræ, an fictæ?

Vt tertiò nos oppetat Arriaga ad suum *Equum rationalem* revertitur; quem eo sensu, quo impossibilis dicitur, esse *Ens linguæ* assero, quem esse *Ens rationis* contendit. Dicunt aliqui Intellectum nostrum veram & realem rationalitatem, quam in aliis rebus cognoscit, connectere intentionaliter cum Equo, quin per eum actum aliquid fictum concipiat; & inferunt, non esse necessarium tale ens rationis, quod respondeat ex parte objecti actui fingenti. Hanc instantiam proposuerat Arriaga, & subjungit; *Ob hanc solutionem arbitrantur nonnulli, oppositam sententiam esse probabilem*; Et sanè, si hæc sunt mea fundamenta, mea sententia probabilis non est. Sed videatur, an benè ab Arriagâ impugnentur. Facilè & efficaciter eam rejicio: ait, nam quando intellectus dicit, *Equus est rationalis*, non prædicat de Equo eandem numero rationalitatem Petri, hanc enim certò cognoscit intellectus non esse in Equo: ideòque si rogetur, quam rationalitatem prædicet, respondebit non illam numero, sed aliam quæ non sit in Paulo, Ioanne & aliis individuis, illis tamen similem, quam supra numerum earum, quæ sunt possibiles, ipse intellectus fingit, seu ponit: At qui alia rationalitas, distincta ab omnibus rationalitatibus individuorum humanorum, & supernumeraria, illisque similis, non est rationalitas vera & realis, Sed Chimærica & ficta; ergo non prædicat intellectus, seu non correspondet illi ex parte objecti rationalitas, quæ sit vera & realis, sed Chimærica, hæc autem est *Ens rationis.*] Sed tota hæc Replica nascitur ex quodam gravissimo errore, quo præventus Arriaga hanc difficultatem edisserit: nam Vniversalia ipse nomine tenus admittit, siquidem putat in hac prædicatione *Equus est rationalis* (idem dicit de his, *Petrus est homo*; *Joannes est animal*) verificari aliquam naturam singularem. At illi extra Chorum tripudiare ipsum dicent; addentque *rationalitatem*, quam prædicant de Equo, non esse aliquam individuam, Petro Paulo, aut Ioanni correspondentem; sed esse rationalitatem illam universalem, quæ pertinet ad tertium Prædicabile Porphyrii, & est una in multis, ab omni individuatione abstracta. Et hanc dicent esse veram & realem rationalitatem, non chimæricam. Sic eluditur argumentum Arriagæ, qui hypothesin evidenter falsam, non aterat; imò nec verberat.

Arriaga negat omnia universalia, etsi se illa admittere dicat.

CLXXI. Dicunt alii rem esse diversam concipere unum individuum realiter pro alio, & concipere unum individuum realiter impossibile. Addunt in illo casu, quo quis dicat *Equus est rationalis*, concipere unum individuum pro alio: non verò aliquod individuum repugnans. Hæc est, ut dicitur, solutio ad salvam Arriagæ, qui contra omnes veteres & juniores Vniversalia universa proscribit. Hoc ipsum esse absonum rationi jam dixi, & alibi demonstraturus sum: nunc transeat, ut audiatur ille. [Fateor, ait, id non contingere in omnibus fictionibus; nam quando de animali eminus viso prædico esse Petrum, quem alias noveram, non correspondet ex parte prædicati aliquid fictum, sed ipse Petrus realis, quem agnosco, & tunc fictio erit in unione juxta dicenda statim. Cæterùm (*non* certum) quoties fallor, non quia unum reputo esse aliud ex individuis realibus, sed quando fingo aliud individuum novum distinctum ab eis quæ vera sunt possibilia necessario etiam, ex parte prædicati concipio aliquid, quod non est nisi intellectu.] At Ego rotundè nego, me posse concipere aliquod individuum impossibile; & sic funditùs everto quidquid Arriaga aut dixit, aut dicturus est.

Aliud est unum pro alio, & aliud unum esse aliud concipere.

An concipere possim entitatem simplicem impossibilem?

Videt ille cardinem controversiæ eò venisse, ut teneatur probare Entitatem simplicem impossibilem concipi posse. Et ut id faciat ad Thomistarum Scholam, quam magni non facit, recurrit. [Demus, inquit, veram esse Thomistarum sententiam, ajentem, sub specie Gabrielis solum esse possibile unicum individuum: quando ego oppositum sentiens dico, *Ultra hoc individuum est possibile aliud simile*, tunc ex parte prædicati non concipio individuum Gabrielis (expressè enim dico, *aliud à Gabriele*) ergo tunc ex parte prædicati correspondet aliud distinctum simile, hoc autem aliud est quid fictū & repugnans, ergo saltem in eo casu respondet ex parte objecti & ex parte prædicati aliquid fictum, ergo tunc fit Ens rationis, non præcisè (ut tu contendebas) quia extrema realia intentionaliter inter se intellectus connectit, sed quia verè concipit extrema ficta. Et hæc est demonstratio omninò destruens solutionem adversariorum; nam licèt actus intellectûs possit sortiri rationem unionis inter extrema realia, non tamen rationem extremi, ergo extremum cognitum est aliquid fictum. Ex quâ impugnatione infero non solùm Ens rationis fieri per copulam, sed per prædicata & subjecta, quod clarè probatum est hucusque, & malè negatum ab aliquibus, admittentibus Entia rationis.] Ecce demonstrationem

An possint dari duo Angeli ejusdem speciei?

Demonstratio-ne? Sic libet, sed non licet hanc arundineam rationem nominare.

TIONEM vocat, quam demonstrabo, ne topicam quidem rationem debere dici. Volo igitur audiri; mihi enim conscius sum, quod loquor bene.

CLXXI. *Multiplicatio duplex: materialis, formalis. An irrationalitas sit positiva?*

Respondeo primò, totam illam Quæstionem, quæ inquirit, *An-ne plures Angeli distincti numero sint in eâdem specie?* non esse de re. Quod sic ostendo. Ratio communis duobus potest modis multiplicari: vel per differentias intrinsecas & formales, vel per extrinsecas & materiales. Hoc materiali modo multiplicatur Albedo; nam in totâ hac chartâ, quæ una est, est una albedo; divide chartam, & eò ipsò quòd habeas duas chartas, habebis etiam duas albedines. Illo modo multiplicatur ratio superior cùm per intrinsecas & veras differentias: ut animal, cùm in Hominem & Brutum dividitur; dicunt enim contrahi rationalitate & brutalitate, quæ sunt intrinsecæ differentiæ; quarum prior in opinione omnium, & posterior in opinione multorum positiva est.

Non datur distinctio materialis in Angelis: datur verò formalis.

Hæc est veritas, quæ rem ipsam concernit, & ab omnibus admitti debet. Progredior. Dico Angelos non multiplicari materialiter per differentias extrinsecas subjectorum, quæ informent; sed per intrinsecas, quæ sint formalitates rationem communem intrinsecùs contrahentes & determinantes. Hoc admittunt Thomistæ, Scotistæ, & reliqui. Modò ingreditur quęstio de nomine. Omnes dicunt Angelos non contrahi materialiter sed formaliter: verùm Peripatetici, quia contractionem materialem vocant *numericam*, & formalem *specificam*, debent necessariò dicere Angelos non multiplicari numero, sed specie: alii autem contrà, quia infimam contractionem formalem vocant *numericam*, & reliquas *specificas*, debebunt dicere, Angelos puro numero multiplicari. Et tamen ubi videbunt toto cœlo differre, different unîus aut alîus solùm acceptione vocabuli. Nec hoc ipsum negare Arriaga potest; nam in 1. part. tractatu de Angel. disp. 4. sect. subsect. 1. num. 2. impugnat Thomistarum sententiam asserens, *plane gratis & sine ullo fundamento dici sumendam esse individuationem in ordine ad solam materiam.* At illi respondebunt primò, *Æque gratis, & æquè sine fundamento dici individuationem non sumi in ordine ad solam materiam.* Secundò se Individuationis vocabulo materialem multiplicationem intelligere, & voces ad placitum significare. Tertiò se non passuros, quòd nomine *Individuationis* multiplicatio formalis intelligatur; quia loquendum cum multis est, & omnes ante Thomistas Scotistas, & Iesuitas, cognoverunt duas multiplicationes; materialem, formalemque: & priorem vocarunt Individualem, & posterioris omnes gradus, (etiam infimos) Specificos: adeoque nihil aliud facere, qui dicunt Angelos multiplicari numero, quàm præscriptas vocum significationes mutare: posseque eodem jure cràs dicere Equum esse animal risibile, quo jubeant illam differentiam, quâ contrahitur animal ut fiat Equus, vocari *Risibilitatem.* Nolo hîc plura scribere; sed quia habeo præ oculis Clementis Timpleti Metaphysicam, ex ipso unam vel alteram lineam exscribam, ut dicta clariùs intelligantur. Ipse igitur lib. 3. cap. 5. problem. 11. inquirit, *An-ne Individua propriè dicantur species infimæ?* & respondet, *Statuitur Thesis negativa.* &c. *Sed in contrariam partem objiciunt Ramei hæc argumenta.* &c. Ecce eamdem quæstionem agitari de Hominibus, eamdem de brutis: & tamen agitari, ut quæstionem de nomine.

Quid significet vox Individuatio?

CLXXIII. Attentè me discurrentem audivisti, & quia jam negare non potes hanc quæstionem esse de mero nomine, ne putem me liberum ab argumento, mutatis terminis Arriagæ ratiocinium resumis. Maneant Angeli, ais, possint multiplicari numero, aut non possint: ad Deum veniamus. Saltem à nemine negari poterit dari unicum Deum, & plures omninò esse impossibile. Et tamen inquit Ethnicus, *Ultra hunc Deum, alii etiam dantur Dii.* Ergo qui alios Deos existentes dicit, rem simplicem & impossibilem intelligit. Ergo stat argumentum: cui non fuit satisfactum per meram ablationem materiæ.

Deus est unus. An Deorum pluralitas sit Ens rationis?

Respondeo, de Deo simpliciter, & de Angelis ex hypothesi, quòd repugnent duo distincti numero, pariformiter esse philosophãdum. Dicit Arriaga, *Præter Gabrielem datur aliud individuum ejusdem speciei:* dicit Gentilis, *Præter Deum Christianorũ, datur alius Deus ejusdem divinæ speciei:* & nego aliquid concipi fictum præter exercitium unionis; quoniam singula verba seorsim sumpta suam significationem habent veram realemq;, & chimæra in sola cõnexione consistit. *Ens quoddã datur*, ait Gentilis; & hucusq; nil fingit; progreditur, *Ens distinctum à Christianorum Deo.* Et neque hucusque aliquid finxit. Sed suam sententiam claudit his verbis, *Et hoc Ens habet Divinitatem.* Et hîc relucet chimæra; non in aliquo vocabulo, nam singula sunt notæ significationis (scimus enim quid significet *Ens?* quid *habere?* quid *Divinitas?*) sed chimærica compositione. Stat ergo non suaderi ab Arriagâ posse concipi aliquem terminum repugnantem; sed omnem repugnantiam in duorum verorum terminorum mutuò se excludentium compositione consistere. Quæ quidem compositio, non fit à naturâ, non ab intellectu, sed à lingua: & ideò *Ens linguæ*, & non *Ens rationis* nominatur.

Non datur Ens rationis, sed linguæ.

Hanc rejicit solutionem Arriaga; quia licèt extrema sint realia, unio tamen affirmata non est realis, sed ficta; ergo facit unionem rationis. Quod unio affirmata sit ficta suadet, quia licèt extrema dentur à parte rei seorsim, non tamen identificata inter se, ergo talis identitas est ficta, ergo est Ens rationis. CLXXIV.

Respondeo hos actus, *Deus est malus, Deus est multiplex, Equus est non-hinnibilis, Homo est irrationalis, Hi duo Angeli sunt unius speciei* (si stemus Thomistarum hypothesi) & alios similes, esse vocales, non mentales; eosdemque, si essent mentales

fore Entia rationis & non linguæ; & in tali casu chimæricam in terminorum incompossibilium compositione consistere, non verò in alicujus termini fictione. Termini enim reales & noti sunt, & unio etiam est realis, quæ ab aliis rebus hac mentis vi transfertur.

Hæc responsio certissima & verissima est. Illam tamen Arriaga tribus rationibus impugnat. *Prima est.* Quia non affirmat eandem numero unionem quæ est in aliis, sed aliam distinctam (ut supra in simili dixit de extremis) alia autem unio distincta, est prorsus Chimærica, Ergo. Probat majorem, tum quia Vnio seu identitas est diversa pro diversitate extremorum, unde cùm affirmet unionem diversorum extremorum, necessarium est affirmet etiam diversam Vnionem: tum quia expressè intellectus excludit eam unionem, & affirmat aliam distinctam.

Secunda est, quia licèt Vnio affirmata sit realis, eam tamen affirmat non utcumque, sed esse hîc & nunc, seu inter hæc extrema inter quæ non reperitur ea Vnio, ergo saltem facit Ens rationis in existentia Vnionis hîc.

Duo modi uniendi intentionaliter. Primus.

Tertia & ultima est, quia dupliciter potest intellectus intentionaliter unire aliqua duo, vel quasi formaliter, non quidem cognoscendo aut affirmando eam Vnionem illorum, sed quia ipse actus est ita confusus, ut non distinguat inter illa duo: & hoc modo dixit in Logicâ fieri Vniversale. Per hunc modum uniendi intentionaliter, fatetur nullum fieri Ens rationis, neque fingi aliquid, ideoque talem actum esse verum, quantumvis prædicto modo uniat res incapaces Vnionis. Quod si hunc modum uniendi præcisè volunt ponere adversarii in actu fingente, omninò falluntur; aliàs enim omnis actus fingens esset verus, nec ullus posset esse falsus, quod ipsi non admittent. Aliter ergo unit ille actus ea prædicata (& hic sit secundus modus uniendi intentionaliter) apprehendendo & affirmando ex parte objecti expresè unionem illorum, quod est quasi intentionaliter objectivè unire, quod patet ex ipso actu ajente expresè, ea extrema uniri inter se; & constat ex differentiâ inter actum confusum non distinguentem Petrum ab Equo, in conceptu scilicet Animalis, & inter actum, quo diceret quis, *Petrus est Equus*; ille enim prior non apprehendit Vnionem, nec illam affirmat, sed ob suam obscuritatem non distinguit inter Petrum & Equum, ideoque non est falsus, sed obscurus. Hic verò secundus expresè attingit & affirmat Vnionem, ideò est falsus, quia non datur talis unio, ergo ex parte objecti per istum actum, cognoscit quis unionem eam fingendo: & talem unionem vocat *Ens rationis*. Et statim jubet, ne ex proximè dictis intelligas, cur quando concipimus Angelum per similitudinem juvenis, &c. non faciamus Ens rationis, nam non affirmamus nec apprehendimus ex parte objecti, Angelum esse juvenem, ideoque non concipitur objectivè esse juvenis, sed solùm quasi formaliter, id est præcedente cognitione juvenis, ex quâ quasi manu-ducimur ad cognoscendum Angelum esse quasi juvenem sublaris proprietatibus materialibus juvenis; (sed quid pulchritudinis decoris & splendoris manebit in illo objecto ipsis sublatis?) sic autem certum est non cognosci *equum esse rationalem* per actum fingentem, sed objectivè, quapropter per eum fit Ens rationis modo dicto, licèt non per cognitionem Angeli. *Sic ille.*

Secundum.

An qui Angelum concipit per modum juvenis faciat Ens rationis?

At leves omninò sunt rationes istæ, nec poterunt tueri opinionem Arriagæ. Ergo

CLXXV. *Quod sit Animal, quod prædicatur?*

Ad primam respondeo in hac propositione *Petrus est animal*, nec prædicari animal rationale nec animal irrationale; nec hoc animal quod est tantùm in Petro, nec illud quod est tantùm in Ioanne, aut tantùm in hoc Equo; sed animal ut sic, præcisum & abstractum: animal enim universale est, & unum in multis: & me judice melius esset negare omnia universalia, quàm dicere, prædicari de Petro hoc individuum animal. Quod sic urgeo. In his duabus enuntiationibus *Homo est animal*, *Equus est animal*, vel est unum & idem prædicatum, vel duplex. Si unum, illud non erit hoc animal quod est tantùm in homine, quia id de Equo prædicari non potest; nec hoc animal quod est tantùm in Equo, quia non potest de homine prædicari: sed erit animal ut sic, præcisum ab homine & equo. Si sint duo prædicata, non datur genus universale; quia animal, si esset genus, esset unum in multis. Sat ergo *animal* sumi ut sic & abstractim. Ergo eodem modo philosophabimur de copulâ. Cùm dicimus *Homo est animal*, illa unio, quæ significatur voce *est*, non est hæc unio, nec illa unio, sed unio ut sic. Quam ob rem nego pro diversitate extremorum diversam unionem affirmari (fortè etiam à parte rei eadem numero unio extrema diversissima copulare posset, si daretur ab extremis distincta; sed hoc non refert) nam sicut idem animal affirmatur de homine & equo, tametsi à parte rei homo sit animal rationale, & equus animal hinnibile; sic etiam eadem unio ut sic dici potest de diversis compositis, licèt in ipsis sint uniones contractæ. Certum est enim has tres propositiones non esse æquipollentes; videlicet, *Hæc Albedo unitur subjecto*, *Hæc Albedo unitur inhæsivè subjecto*, *Hæc Albedo hac unione inhæsivâ unitur subjecto*: & tota differentia in unione est; quæ in primâ sumitur genericè, in secundâ specificè, & numericè in tertiâ. Ergo quando dicimus *Deus est malus*, aut aliud repugnans huic simile, voce illâ *est* non intelligimus unionem aliquam numericam determinatam, sed unionem ut sic.

An Arriaga deberet Universalia omnia negare?

Qualis sit copula propositionis?

Ad

Contradictoriis intellectus simul assentiri non potest.

Ad secundam respondeo, concedendo antecedens, & concedendo etiam hoc actu formari Ens chimæricum; nimirùm, *Ens rationis*, si sit intellectualis; & *Ens linguæ*, si sit merè vocalis. At hunc eumdem actum mente non posse formari jam superiùs ostendi.

Ad tertiam respondeo condonando omnia; que de Vniversali dicuntur; contra quæ, aut saltem aliquas eorumdem circumstantias multa occurrunt, quæ huc non spectant. Ad secundum modum uniendi intentionaliter venio; & præscindendo ab hac propositione *Petrus est equus*, quæ est multis modis possibilis, hanc *Petrus non est rationalis* suppono; & dico eum, qui illam eliciat, facturum esse Ens chimericum, videlicet, *Ens rationis*, si illam formet mente; *Ens linguæ*, si voce; & *Ens scripturæ*, si calamo. At nego illam mente formari posse; & ideò concessis Linguæ & Scripturæ Entibus, Rationis Entia universa negabo.

Homo potest fieri Equus.

An Angelus habeant figuram?

Ad illud, quod subsumitur de Angelo juvenis specie concepto, dico, Angelum esse in spacio determinato, & illud esse alicujus figuræ, nec repugnare esse hominiforme; & quia specie juvenum Angeli nonnunquam sunt visi, ideò posse concipi tanquam juvenes, nec in hoc impossibilitatem aut repugnantiam dari. Si similitudo in idemtitatem duceretur, & qui diceret *Angelus est puer*, diceret, quod est possibile: cur enim non possent hypostaticè uniri Homo & Angelus? Præterea puto sicut statuæ ligneæ Dei Patris & Angelorum hieroglyphicæ sunt, & nobis significant sua objecta ad placitum (tametsi detur, sicut in nominibus etiam suppositionis & acceptionis aliqua ratio) sic etiam hæ mentales imagines, possunt dici Deum & Angelos ad placitum significare; aut saltem significare naturaliter illas statuas aut pictutas, quæ Deum & Angelos significant ad placitum. Et in hoc nullus error, nulla falsitas, nulla chimæta est.

Angelus potest esse homo.

Actus mentis possunt etiam ad placitum significare.

CLXXVI. *Objectiones.*

Addam nonnullas instantias, quibus æquè illi, qui admittunt Entia rationis, ac nos qui admittimus Entia linguæ sumus obnoxii. Examinabo, quo modo responderit Arriga, & quo debuerit. Objicitur igitur

An sit priùs rem esse quàm cognosci? cognosci quàm dici?

Primò. In omni objecto prius est esse, quàm cognosci; & prius esse possibile, quàm posse cognosci, seu quàm esse cognoscibile; quod non potest intelligi in Ente rationis: cùm enim nullam aliud habeat *esse* actuale quàm cognosci, & possibile quàm posse cognosci, non potest intelligi ante actum intellectûs, ergo non poterit esse objectum illius. [Hæc ratio æquè militat contra Entia linguæ, & potest ad hanc formam reduci. In omni objecto prius est rem esse, imò & cognosci, quàm dici, & posse esse & cognosci quàm posse dici. Et tamen id non potest intelligi de Entibus linguæ, quæ cùm nullum aliud *esse* actuale habeant quàm dici, & possibile quàm posse dici, non possunt intelligi existentia antequam dicantur, nec possibilia antequam dici possint.] Huic Obiectioni respondet Arriaga negando illud antecedens, *Prius est esse, quam cognosci:* quia si id contingat interdum esse verum, falsum est universaliter loquendo, ut patet in actu reflexivo supra seipsum, in quo non est prius esse quàm cognosci, cùm Vtrumque sit idem realiter, nec possit esse priùs quàm possit cognosci: [*Sed quid, si actus idem dicatur non posse reflectere supra se ipsum?*] Et ob eamdem rationem idem dicit in Ente rationis [*seu linguæ.*] At Ego non video, cur debeamus recurrere ad actum reflexivum, cùm manifestum sit, multas res prævideri & prædici, antequam sint; & multas fuisse, quæ nulli hominum notæ, à nullo dictæ: quam ob rem nolo hic multum disputare, sed statuo, *Esse*, *Cognosci*, & *Dici*, esse disparatos omninò terminos: & falsum antecedens, quod assumitur. Sed illud, si velitis, condonabo. Quid inde contra nostram sententiam? Dicam Humanitatem & Irrationalitatem priùs debere esse (nimirùm, exercitio essentiæ non verò existentiæ: quod [*esse*, 4.] vel [*esse*, 5.] significat) quàm possint cognosci, quàm possint dici. Addam hos duos terminos realiter esse incompossibiles, at esse inconjungibiles vocaliter. Subdam eos esse inconjungibiles mentaliter; quodsi illi mentaliter conjungi possent, esse *Entia rationis* admittenda.

An idem mentis actus supra se reflecti possit?

Esse, Cognosci, & Dici disparati sunt termini.

Secundò. Objectum debet esse causa sui actûs. At nec Ens rationis (imò nec Ens linguæ, quod adstruimus) cùm nihil sit simpliciter, potest esse causa sui actûs, quo cognoscitur; Ergo nec objectum. Respondet Arriaga eodem modo quo præcedenti, negando, omne objectum debere esse causam actûs cognoscitivi ipsius, quod se ostendisse asserit Disputat. VI. de Anima, Sect. 3. & præcipuè verum esse in objectis, quæ per discursum cognoscuntur ex aliis, qualia sunt Entia rationis, eam enim cognitionem causant species aliorum objectorum, vel acquisitæ per discursum, vel immutatæ ex aliquâ qualitate contrariâ, ut in objecto visûs. [Et quidem me judice meritò negat Arriaga causalitatem debere concedi omni objecto, multa enim fiunt à suis actibus, omnia terminant; & pauca assignari poterunt, quæ suos actus producant: fortè nulla.

An objectum sit actûs causa?

Tertiò. Si actui, quo dico, *Equus est rationalis* [intellige assertionem sensu, quo id realiter sit impossibile: nam si Equus esset homo, esset rationalis; eumque hypostaticè posse esse hominem manifestum est.] ex parte objecti corresponderet Vnio ficta, esset actus verus; quia affirmaret, quod verè daretur; inter Equum enim & rationale datur unio ficta; Ergo illi actui non correspondet ex parte objecti Vnio ficta, sed realis; quæ quia non datur, ideò actus est falsus; Ergo non potest correspondere actui falso aliquid fictum ex parte objecti. Huic objectioni responsurus Arriaga

Equus esse homo potest

An-ne actus, qui affirmat dari unionem fictam sit verus?

Hoc argumentum, ait, *nonnullis facessit magnum negotium, sed immeritò.* Immeritò? Frustrà igitur ipse integram paginam consumpsit, ut eidem satisfaceret. Frustrà tam multa in illo notat, si illud est tam notum & facile. Hæc ipse observat. *Primò, inquit* involuit implicantiam in terminis, dicis enim, ex una parte, non dari talem unionem fictam; aliunde autem addis, quod si ea affirmetur per illum actum, actus esset verus, quia datur talis unio ficta; Ergo jam admittis unionem fictâ, alioquin licèt eam affirmaret actus, esset non verus, quia non daretur quod affirmat. *Secundò* licèt actus affirmaret dari unionem fictam, adhuc non esset verus, quia illa unio ficta datur formaliter per ipsum actum, qui non est supra se reflexivus; ante actum autem non datur talis unio ficta, ergo esset falsus. *Tertiò* ostendo apertè ex hoc argumento, ait, ipsa Entia rationis, quæ impugnas: tu enim dicis, quia ego affirmo unionem realem, quæ non datur, ideò actum esse falsum, futurum verum, si affirmarem unionem fictam, quæ datur; Ergo quando è contrario dico, *Inter Petrum & rationale v. g. datur unio Chimærica*, tunc ex parte objecti non attingo unionem realem. Cùm enim hæc detur à parte rei inter Petrum & rationale actus esset verus, si eam attingeret juxta tuum argumentum, ergo saltem nunc attingitur & affirmatur unio ficta: quæ quia datur, actus est falsus, ergo saltem in his propositionibus probo ex tuo Argumento evidenter, dari Entia rationis. Vide ergo quam rectè ea impugnes, hoc argumento, cui absolutè respondeo unionem quam affirmo, in se non esse realem, & consequenter non habere aliud esse quàm cognosci, imò implicat me attingere unionem realem, & non esse talem unionem realem, eo enim quod non sit unio realis recipere denominationem tactæ per intellectum. Attingo ergo unionem non realem in se, nego tamen, inde sequi, actum esse verum; nam ad actum verum requiritur ut detur objectum eo modo quo affirmatur, & quia licèt unio tacta & affirmata in se sit ficta, intellectus tamen eam fingit realem, & dicit realiter dari, ideò fallitur: sicut è contrario licèt unio correspondens ex parte objecti sit vera, quia tamen eam intellectus fingit Chimæricam, ideò fallitur, & facit Ens rationis. Nam id, quod attingit per actum, fingit esse aliud quam sit in se, de fictâ affirmando esse veram, & de verâ esse fictam. Quod si roges, quid sit, unionem fictam fingere veram, & veram fingere fictam? Respondeo, nihil aliud esse quam dicere falsam esse veram, & dicere veram esse falsam. Quid autem sit hoc dicere? Respondeo esse ipsam essentiam actus intellectûs, cognitam experientiâ actuum falsorum, quæ non potest ulteriùs explicari; sicut non potest ulteriùs explicari, quid sit cognoscere albedinem, quàm id reducere in talem essentiam actus cogniti experientia seipso manifestantis potentiæ albedinem] *Hucusque Arriaga.*

An unio sit chimærica?

Quid sit unionem fingere?

Tantæ molis erat satisfacere objectioni, quæ immeritò (sic dixerat) nonnullis negocium facessit. Ego brevissimè respondeo, assereudo in actu, quo dico, *Equus, quâ equus est rationalis*, (hac enim reduplicatione chimæricum sensum propono) exprimi linguâ (hunc enim actum mente non posse fieri, jam ostendi superiùs) unionem veram & realem inter terminos veros & reales, quos tamen uniri repugnat. Addo falsitatem non consistere in aliquo termino aut copulâ, sed in copulandi exercitio; Pono exemplum. Cùm dico, *Oculus olfacit sonum*, tres reales terminos concipio; oculum, olfactum, sonum; ipsi non sunt chimærici, sed eorumdem compositio est chimærica. Et ad mores veniendo, *Amor Virtutis* & *Odium Vitii*, nihil reale dicunt, quod non dicant etiam *Odium Virtutis* & *Amor Vitii*: & interim prima connexio est bona, & peccaminosa posterior: non enim in ipsis apprehensionibus simplicibus, sed in compositione peccatur. Ens igitur chimæricum est Entitatum realium incomponibilium compositio; quæ si fit cogitata, resultabit *Ens rationis*, & si pronuntiata *Ens linguæ*. At illa compositio mente affirmari nequit, & tamen potest voce dici; Ergo non datur *Ens rationis*; Ergo datur *Ens linguæ.*

Vera solutio.

Quid sit Ens chimæricum?

QUÆSTIO III. INCIDENS.

Pertineant-ne Entia linguæ ad contemplationem metaphysicam?

HÆc controversia simillima est illi, quæ inquirit, *An Entia rationis ad hanc scientiam spectent?* Et eodem modo aut saltem proportionato respondebo. *Si darentur Entitates chimæricæ, vel entitatum realium aliqua connexiones chimæricæ, naturales tamen & non artificiales, ipsa clauderentur objecto Metaphysicæ. At quia repugnat concipi entitatem chimæricam, quæ sit simplex, etsi darentur Entia rationis, quæ in compositione artificiali consisterent, non spectarent ad Metaphysicam.* Et demonstratur; quoniam artificiales Entium compositiones ad hanc simplicissimam scientiam non pertinent, dantur enim speciales Artes & Facultates, ad quas spectet Navis, Domus, Horologium: & alia. Sed jam ostendimus has ipsas incompossibilium compositiones artificiales impossibiles esse adeoque Entia rationis non dari, sed universa, quæ credebantur hucusque esse rationis, fuisse Entia linguæ.

CLXX VIII.

De Entibus rationis.

Et de istis analogo discursu philosophor. DICO ERGO PRIMÒ. *Si dentur Entia linguæ simplicia, ad istam scientiam pertinebunt.* At illa non dari demonstro; quia significatio mentem sequitur, & quæ non cognoscuntur mente,

De Entibus linguæ.

mente, non possunt vocibus significari: nam non dari entitatem simplicem chimæricam cognoscibilem ex superiùs demonstratis suppono.

Dico Secundò, *Dantur Entia realia incomponibilia* (nimirùm, *contradictionem involventia*) *quæ vocaliter conjungi possit; ita ut chimara in incomponibilium realium Entium compositione pronuntiata consistat.* Et ostenditur; quia in hac propositione, *Deus est impius*, reales termini, qui nec re nec mente conjungi queunt, vocaliter conjungi audimus.

In quo-nã consistat chimara formaliter.

Dico tertiò, *Hæc compositio chimærica non est naturalis, sed artificialis.* Patet; non enim illæ voces, *Deus est impius*, naturæ necessitate, sed liberâ hominis voluntate junguntur.

Dico quartò, *Entia linguæ directè non pertinent ad Metaphysicam.* Et ostenditur: quia est extra conceptum quiditativum vocum significantium quod possint chimæricè uniri; cùmque Metaphysica tantùm contempletur formalitatum quiditates, hinc est quod *artificiosa Monstra-linguæ* ad Metaphysicam sapientiam non spectent per se: indirectè tamen exigitur illorum cognitio, defectu cujus multi verborum lenocinio adlecti, dum lascivienti phrasi student, à scopis veritatis aberrant.

Cur Entia linguæ à Metaphysico debeant tractari?

Dico quintò, *Debet assignari specialis scientia, quæ agat de Entibus linguæ, & illa Paralogica vocari poterit.* Patet, quia illa sunt revera, habent suas passiones & proprietates; ergo ab aliquâ scientia tradi poterunt. Et hanc vocari voluimus *Paralogicam*, de quâ hæc pauca scripsisse sufficiat.

LIBER III.

De Distinctionibus.

CLXXIX. *Modus loquendi addit novas difficultates.*

PAuca de hac subtilissima materiâ apud veteres, aut saltem pauca clarè & dilucidè, multa confusè; & quod mirabilius videri debet, pauca, in quibus obscuritati Philosophicæ non addat novas & multò majores Grammatica. Voces ad conceptus explicandos inventæ, hîc desunt proprio muneri, & conceptus alias intricatos intexunt, & tantâ illos æquivocatione confundunt, ut verba sæpè audiamus aut legamus, quo tamen illa sensu accipienda sint, ignoremus. Hanc ob rem specialissimâ hodie curâ claritati studebimus, & quidquid de vocibus sit, rem ipsam accuratè explicabimus. Librum igitur totum in varias Disputationes dividemus: in prioribus agemus de distinctione reali, & formali: & quia hæc aliter à Scoto, & aliter exponitur à D. Thomâ, de utriusque mente accuratè tractabimus, & trademus non pauca paucis nota. Differemus de distinctionibus intrinsecis, extrinsecisque; veris & fictis; & factis: virtualibus, actualibusque: & an aliquis sit in illis terminus, an verò in infinitum procedendum sit, examinabimus. Et quia doctrina de Identificatione est præsenti connexa, subscribemus adhuc unicam disputationem prioribus consentaneam, in quâ edisseremus Identitatis essentiam, Geniumque; & ejus species, passiones, & proprietates enucleabimus.

Distinctio Thomistica & Scotistica & ficta: intrinseca & facta: actualis & virtualis.

Identificatio.

Caramuelis Metalog. Lib. III.

Sed antequam descendamus ad ista, ne in singulis hæreamus notitiarum generalium defectu, communia aliqua, & quæ à nemine poterunt negari præmittam. *Dico igitur primò* aliam esse Distinctionem adæquatam, aliam inadæquatam: nam in dictione DEVS, literæ DE adæquatè distinguntur à literis VS: & à literis EV inadæquatè. Illa igitur dicuntur adæquatè distingui, quæ eo genere, quo distinguuntur, nihil habent commune; ut in exemplo posito, nulla Litera est communis his partibus DE, & VS. Illa dicuntur distingui inadæquatè, quæ eo genere, quo distinguuntur, aliquid retinent commune, ut patet in sequentibus ejusdem dictionis DEVS, partibus, videlicet DE, EV, VS. In quibus prima pars & ultima distinguuntur adæquatè, ut diximus: media ab alterutrâ extremâ inadæquatè, habet enim E commune cum primâ; & V commune cum secundâ. Vt igitur, cùm mentem dirigere docemur, linguam etiam gubernare discamus, adnotato, *diversa dici*, quæ adæquatè distincta: *differentia* autem, quæ inadæquatè.

Distinctio inadæquata & adæquata.

Me juvant exempla Grammatica.

Differentia & diversitas.

Distinctio adæquata propriè etiam vocatur *Condistinctio*; & quæ adæquatè distinguuntur, dicuntur *Condistincta*. Cæterùm Distinctio inadæquata, adhuc subdividitur in eam, quæ est includentis & inclusi, & in eam quæ est excedentis & excessi. Particula DE, à literâ E, distinguitur primo modo: nam litera includitur in particulâ. Et particula DE à particula EV, secundo modo; utraque enim habet literam E communem;

Condistinctio.

Distinctio includentis & inclusi: excedentis & excessi.

ſed prima excedit ſecundam, nam prima habet literam D, quâ caret ſecunda; & ſecunda excedit primam, nam habet literam V, quâ caret prima.

Hæc doctrina vera facilis & communis, tam in realitatibus, quàm in modis, aut in formalitatibus ſeu conceptibus verificatur, Homo enim & Animal, (quâcumque dicantur diſtinctione diſtingui: nempè reali, formali, &c.) ſe habent ſicut includens & inclùſum; Homo & Equus ſicut excedens & exceſſum: Rationalitas & Senſibilitas ſunt condiſtincta.

His ergo præmiſſis, quæ tam clara & certa ſunt, ut illuſtratione non indigeant, ad alia paulò remótiora, aut etiam obſcuriora, veniamus.

TOTIUS LIBRI SYNOPSIS.

CLXXX. *Quo modo Diſtinctio & Idemtificatio opponantur?*

EXtra eſſentialem conceptum rerum eſt, diſtingui & idemtificari. Diſtinctio & Idemtificatio opponuntur, ſed non eodem modo apud omnes. In multorum ſententiâ ſunt termini contradictorii, ita ut idem ſit diſtingui quod non idemtificari. Alii aliter philoſophantur, apud quos illæ non ſunt termini contradictorii; &, ſi abeſſent duabus formalitatibus, illæ nec eſſent una & eadem, nec eſſent diverſæ, ſed eſſent diſparatæ. Hæc apud ipſos eſt bona conſequentia, *Hoc diſtinguitur ab illo: Ergo hoc non eſt illud.* Mala, ſi inferret contrà. Diſtinctio eſt duplex Realis & Formalis.

Quid ſit realis diſtinctio? & quo triplex?

Diſtinctio realis eſt Phyſica, qualis inter Petrum & Paulum: & plerumque inter ſeparata reperitur. Et eſt triplex, Poſitiva, Negativa, & Mixta. Poſitiva verſatur inter terminos poſitivos. Negative inter negativos: mixtaque inter alium poſitivum, & alterum negativum. Poſitiva in Realem, Modalem & Mixtam ſubdividitur. Purè realis ponitur inter duas res; purè modalis inter duos modos: at mixta inter rem & modum. Vocamus Modos, entitatulas quaſdam accidentarias, (aut etiam interdum ſubſtantiales, ſi velis) ſine quibus ſubjecta eſſe poſſunt & ſolent, quæ ſine ſubjectis non poſſunt conſervari divinitùs. Et tandem Realis in Hippophyſicam, Phyſicam, & Integralem ſubdividitur. Prima eſt inter ſubſiſtentiam & naturam: ſecunda inter materiam & formam: tertia inter partes continuas.

Quid modi ſint?

Quid diſtinctio formalis?

Diſtinctio formalis reali eſt minor, poteſtque compari cum idemtificatione reali. Et illa diſtinguuntur formaliter, quæ definitione, quiditate & concepta. Eſt-ne hæc Diſtinctio pendens ab intellectu, an reperitur in rebus ante mentis operationem? Hoc ultimum propugnavit Scotus; Angelicus Doctor illud prius: & in ipſis ſummam doctrinæ conſequentiam reperio, quam in eorumdem diſcipulis quæro & deſidero. Pendet hæc Reſolutio à Controverſiâ phyſicâ, quæ inveſtigat, an in Continuo ante diviſionem ſint realiter diſtinctæ partes? Negat Doctor Angelicus eſſe in Continuo partes realiter diſtinctas ante diviſionem: & conſequenter in objecto eſſe formalitates diſtinctas ante præciſionem. Aſſerit Scotus eſſe in Continuo partes realiter diſtinctas ante omnem diviſionem realem, & conſequenter infert dari in objecto formalitates objectivas formaliter condiſtinctas ante omnem mentis operationem. [Sic D. Thomam, ſic Scotum intelligo: ſi tu aliter, illis notam inconſequentiæ adfingis.]

An ab intellectu dependeat?

An Continuum ante diviſionē habeat partes?

Diſtinctio Formalis, ſive Thomiſtas, ſive Scotiſtas, ſequi placeat, Reali eſt analoga: & tot habet ſpecies & membra dividentia, quot altera. Dantur enim Negationes formales, Modi formales, Hypoſtaſes formales, Actus & Potentiæ formales: & Continua formalia. Rationalitati realiter idemtificatur Animalitas: & ſtando D. Thomæ, aut etiam Scoti ſententiæ, formaliter non idemtificatur: eſt igitur ibi quædam negatio, quæ non eſt realis, ſed formalis. Si entis attributa (Veritas, Bonitas, Vnitas,) non poſſunt concipi ſine ente, & tamen Ens poteſt ſine illis concipi, illa erunt Modi rationis ſeu formales. Hypoſtaſes formales contemplor & adoro in Deo: licet enim illæ realiter reperiantur in Deo, à naturâ divinâ non diſtinguuntur realiter. Actum & Potentiam formalem etiam in Deo, ſi ſequamur Thomiſtarum ſententiam, quæ in ipſo eſſentiam à naturâ formali diſtinctione diſtinguit: etiam in Angelis, ſi ex potentiâ & actu idemtificatis componantur. Et in Peripateticorum Continuo ante diviſionem partes integrales formales: & ſicut realiter quantum Phyſicum, ſic & formaliter quantum formale & objectivum, aut ex ſemper dividuis cum Ariſtotele, aut ex indiviſibilibus cum Zenone compono.

Diſtinctionis realis formalisq; analogia.

N. B.

Negatio formalis.

Modi formales.

Subſiſtentia formales.

Partes formales.

An formalitates in infinitum dividantur?

Diſtinctio virtualis, eſt quæ reverà non eſt Phyſica & realis, at Divinæ Angelicæ, aut Humanæ voluntatis virtute ita ſe habet, ac ſi eſſet realis. Hæc ipſa diſtinctio Moralis eſt. Et ſiquando illam extra Ethicam ponimus, nominibus abuti convincimur, & eamdem *Virtualem* dicere, quam deberemus *potentialem* aut *fundamentalem.*

Diſtinctio virtualis quid ſit? quid potentialis aut fundamentalis?

Potentialis eſt diſtinctio in potentiâ? & reperitur inter extrema, quæ non diſtinguuntur de facto, ſed poſſunt de facto diſtingui: & tot habere ſpecies debet, quot actualis. Admitti enim debet Realis potentialis, & etiam Formalis potentialis.

Quotuplex ſit potentialis?

Fundamentalis, ideò ſic dicta, quod præbeat fundamentum formali: & eſt duplex proxima & remota. Hæc, eſt diſtinctio realis ſenſibilis: ideò enim formamus diſtinctiones rationis, quia ſenſu reales dari cognovimus. Illa, eſt objecti ipſa capacitas; aut

Et quotuplex fundamentalis?

N. B.

aut non repugnantia, ut distinguatur formaliter: & hæc posset etiam *Distinctio potentialis* vocari.

Quid sit distinctio extrinseca? Extrinseca distinctio est penes diversa connotata: quam ob rem, duæ formalitates distinctæ extrinsecùs, taliter distingui dicentur, qualiter connotata distinguantur: unde si respiciant connotata realiter distincta, dicentur distingui realiter extrinsecè: & si connotata formaliter distincta, dicetur distingui formaliter extrinsecè, &c.

Quid confusa? Confusiva distinctio extrinseca est, non tamen à connotatis pendens. Contingit enim rem ipsam modò confusè, modò distinctè concipi, & ipsa prout concepta confusè distinguitur à semetipsâ prout clarè conceptâ. Sic Petrus potest ita confusè concipi, ut non distinguatur à Paulo, aut etiam ab Equo, vel Arbore.

Quid abstractiva? & quotuplex? Abstractiva distinctio illa est, quæ per abstractionem fit, & est duplex: Negativa & Præcisiva. Hæc concipit aut asserit alterum, altero non concepto, aut negato. Illa concipit utrumque, & alterum abstrahit asserendo, & alterum rejicit negando. Ut has distinctiones benè intelligas, adnotatu aliter opponi silentio, aliter negationi affirmationem: Qui abstrahit præcisivè, alteram formalitatem mente dicit, alteram mente tacet; qui negativè, alteram mente adserit, alteram mente removet & proscribit.

Distinctio inventa: facta: ficta: & concepta. Distinctio inventa, facta, ficta, & concepta, nomina sunt quæ exponi debent. Inventa dicitur, quæ ante mentis operationem reperitur: Facta, quæ non erat in rebus, sed ab intellectu conficitur. Ficta, quæ nec erat in rebus ante mentis operationem, nec ab intellectu ipso fit, sed fingitur. Concepta, quæ concipitur: &, si fit & concipiatur, tunc concipitur conceptu vero: si non sit, sed esse possit, & tamen concipiatur ut existens, erit sicut rosa concepta in hyeme, quæ concipitur conceptu falso, si concipiatur ut existens. Quod si concipiatur, ubi esse non possit, erit Ens rationis: sed putamus non posse talem reperiri conceptum. *Ens rationis an possibile sit?*

Reales ampliationes & contractiones, imò etiam multiplicationes videmus. Hinc ad sensus transimus, & objecta visibilia percipimus vitrorum interventu ampliari, contrahi & multiplicari, & transeundo ad mentem, posse hanc ampliare aut contrahere objecta, ipsamque formaliter ampliari & constringi affirmamus: & progrediendo ulteriùs posse idem objectum intellectualiter replicari, posse & multiplicari: & nullam intervenire fictionem, aut ens rationis in hac ipsâ replicatione aut multiplicatione defendimus. *De ampliatione, contractione, & multiplicatione.*

Distinctioni opponitur identificatio: & in positivam & negativam distinguitur. Negativè identificatur Petrus sibi ipsi: non enim à se ipso distinguitur positivè. Animal & Rationale, in communi D. Thomæ & Scoti sententiâ, distinguitur positivè, sunt enim duæ formalitates positivæ, inter quas positiva identificatio ponitur. Sed quid est Identificatio positiva? Unio perfectissima. Nimirum duorum extremorum infinitorum vinculum infinitum; sic nonnulli pronunciant; & in creaturis nullam identificationem positivam admittunt. Alii etiam in creaturis spiritualibus positivam identificationem admittunt, & ipsi debent asserere, identificationem esse unionem spiritualem inter duas formalitates spirituales congeneres: & consultò illud *congeneres* addunt, ut dicant habitus supernaturales & potentias naturales non identificari, quia non sunt congeneres, sed diversorum ordinum vel systematum. Alii etiam inter formalitates corporeas, veras identificationes admittunt. *De identificatione. Est duplex: positiva & negativa. Quid sit identificatio, & an reperiatur in creaturis?*

DISPUTATIO I.

De Distinctione reali.

C LXXXI. Distinctionis divisio. Ut unico intuitu percipere possit mens Lector, quid sum impræsentiarum discussurus, ponam ob oculos Distinctionum realem Categoriam, quam gradatim percurram. Subsequens schema contemplator.

Distinctio
- Negativa
- Mixta
  - Modalis
  - Mixta
  - Realis
    - Non separatorum
    - Separatorum
      - Hippophysica.
      - Physica.
      - Integralis.
- Positiva

Singula breviter dilucidemus. Si Distinctio & Identitas contradictoriè opponuntur,

De identitate & distinctione oppositione. tur, Distingui erit unum non esse aliud: quam ob rem, quo genere aut sensu unum non sit aliud, illo genere aut sensu unum distinguetur ab alio. Ergo Distinctio erit ratio, propter quam unum non est aliud. Cæterùm, si Distinctio & Identitas extrema positiva credantur; erit oppositio inter illas contrariæ similis, & aliter debebunt exponi. Dicemus igitur unam & unam formalitatem [& nota hunc loquendi modum; aliud enim est una & una, aliud altera & altera qui enim alteram dicit, distinctionem edicit.] se habere disparatè, quamdiu concipiuntur absolutè: adeoque nec in eandem realitatem coincidere, nec ad diversas pertinere: esse tamen capaces duarum oppositarum habitudinum (distinguentis videlicet & Identificantis) quæ incompossibiles sunt; & tametsi utraque fortè simul abesse possit, utraque simul eadem extrema afficere & denominare non potest.

Quotuplex distinctio realis sit? Realis Distinctio est duplex Positiva, & Negativa. Positiva versatur inter duas entitates positivas, ut inter Petrum & Paulum, Album & Nigrum: Negativa inter duas entitates negativas, ut inter Cæcitatem & Tenebras. His adde Mixtam inter duas entitates, quarum altera positiva & altera negativa est: ut inter Aërem, & Tenebras, Mentem & Ignorantiam.

Distinctio realis & modalis. Distinctio putè positiva est duplex, Modalis, & Realis: illa versatur inter duos Modos: ista inter duas Res. Adde mediam, seu Mixtam, quæ sit inter Modum & Rem. *Quid sit modus? quid res?* Sed quid modus? quid Res? Id alibi uberiùs, nunc breviùs. Quando duo adhærent, si possint separari & in statu separationis existere, saltem miraculosè, sunt res. Quod si alterum possit existere sine altero, & non contrà, illud prius erit Res, posterius Modus. Plura possent addi, multa objici, multa adfirmari; Sed hæc pauca sufficiunt, ut Modorum & Rerum natura & ingenium cognoscantur, si dentur.

An dentur modi? Consultò hanc conditionem addidi, sunt enim multi viri doctissimi, qui modos negent apud Suarez *disp.* 7. *Met. Sect.* 1. *num.* 9. Et ipse Suarez, licèt plurimos Modos admittat, in exponendâ Modali hac distinctione varius est. Et tametsi alibi distinctionem & claritatem amet, hîc summo vult nisu confundere distinctionem Modalem cum *An distinctio modalis coincidat cum distinctione ex naturâ rei?* distinctione ex naturâ rei, & in expositione utriusque exorbitat: si enim distinctio ex naturâ rei, est qualis asseritur à Suario, blasphemæ sunt pleræque Scotistarum Theologorum sententiæ in sanctissimæ Trinitatis materiâ. Et si castè & sanctè dici potest à Relationibus Divinitatem distingui formaliter ex naturâ rei, errat Suarez, hanc distinctionem cum Modali confundens. Dicuntur negavisse Modos Durandus *in* 1. *dist.* 2. *quæst.* 2. Ochamus *quæst.* 3. Hervæus *quodl.* 3. Ioannes de Gandavo 6. *Metaph. sect.* 10. Soncinas 7. *Metaph. quæst.* 36. Cajetanus 1. *p. quæst.* 54. *art.* 2. Scotus *quæst.* 3. *Univers. cap. de Proprio quæst.* 2. VVadingus *de Incarnatione libro integro*, & alii qui putant pro se habere Aristotelem, & omnes prisci ævi Philosophos, & Scholasticos, apud quos istorum Modorum nulla mentio: at hinc tutiùs inferrent Modos fuisse antiquis ignotos, quàm *An veteres cognoverint modos?* negatos. Sed de hoc uberiùs in mea Modali Philosophiâ, in quâ omnia per modo salvo; & in expressiva etiam, in qua modos universos proscribo.

CLXXXII. *An quoddam Axioma sit verum?* Duæ res separatæ etiam distinctæ sunt at illud Recentiorum Axioma, *Quæcumque possunt separari realiter, distinguuntur realiter* non valet in illorum sententiâ, qui identitatem & distinctionem contradictoriè opponi negant: sed neque in illorum, qui distinctionem ipsam à distinguibilitate distinguunt: nam si darentur duæ formalitates disparatæ, essent una & una, non verò altera & altera: possent distingui & separari, non tamen essent actu distinctæ: &, si darentur duæ formalitates, quæ non distinguerentur realiter, sed possent realiter distingui; in tali casu darentur duæ, quæ possent separari realiter, nec tamen distinguerentur realiter. Distinctionem esse actum, quem *An omni actu sit prior potentia?* nulla potentia præcedat multi Iuniores dicunt, sed à communi doctrinâ recedunt, & se habere causam recedendi non probant. Recedunt, inquam, à doctrinâ communi; nam commune est omni actui secundo esse post actum primum; ergo ne dicamus hanc Regulam generalem improbatæ subjacere exceptioni, sicut seperationi separabilitatem præponimus, sic etiam Distinctioni Distinguibilitatem præmittamus; dicamusque esse realiter distinguibile, quæ tametsi realiter distincta non sunt, possunt nihilominùs distingui realiter.

De distinctione physicâ, metaphysicâ, & integrali. Non separata possunt distingui Physicè, Metaphysicè, et integraliter. Physicè dividuntur Materia & Forma: Metaphysicè (aut si placeat sic loqui Hypophysicè) Natura & Suppositum: & integraliter, Partes Continui. Forma est duplex, Substantialis & Accidentalis. Et ideò duplex etiam est partium Physicarum Compositio & Distinctio. Sed *Forma substantialis & accidentalis.* inquirn. An præter Compositionem & Distinctionem Materiæ, & Formæ, sit alia Physica? Respondet Oviedus non apparere repugnantiam. Fortè Distinctio Hypophysica, non differt à Physicâ: fortè differt: sed hoc alibi examinabimus.

De continuo & contiguo. Partes integrales, etiam reales sunt, & specialiter considerandæ. Earum aliæ sunt discretæ, aliæ continuæ. Continuæ sunt unitæ: Discretæ mente saltem distinctim separatimque considerantur.

De partibus homogeneis & heterogeneis. Adhuc partes Continui possunt & solent in Homogenias & Heterogenias subdividi; illæ sunt, quæ similes; & istæ, quæ dissimiles. Et hæc pauca de reali Distinctione sufficiant.

DISPUTATIO II.

De Diſtinctione formali.

CLXXX III. INter formalitates, quæ realiter non diſtinguuntur, ſolet adhuc reperiri diſtinctio, quæ vocatur *Formalis*: Et quia Diſtinctionis realis umbra eſt, tot habet ſpecies, quot altera. Singulas expendamus.

Diſtinctio { *Negativa*; *Mixta*; *Poſitiva* { *Realis*; *Mixta*; *Modalis* } } — *Realis* { *Non ſeparatorum*; *Separatorum* } — { *Hypophyſica*; *Phyſica*; *Integralis* }

Diſtinctio negativa; poſitiva; & mixta. Negativa diſtinctio eſt inter formalitates negativas: Poſitiva inter poſitivas: Mixta verò, inter poſitivam & negativam. Formalitates dicimus conceptus objectivos pertinentes ad eamdem entitatem realem. *Quid ſit formalitas.* Difficile erit oſtendere negationes rationis, & hanc ipſam diſtinctionem à Reali negativâ diſtinguere: ſed nihilominùs videtur non eſſe impoſſibile. Quoniam in conceptu Rationalitatis, nec clauditur Animalitas, nec *An dentur negationes formales?* Hæcceitas; & hæ duæ ſunt carentiæ formales; realiter enim nec ſine Animalitate, nec ſine Hæcceitate Rationalitas in ſcholâ Angelici Doctoris reperitur.

Diſtinctio formalis poſitiva dividitur in eam, quæ eſt ſimilis Reali; & eam, quæ ſit ſimilis Modali. Prior eſt inter duas formalitates independentes, quarum alterutra ſine alterâ concipi poteſt. Tales in Thomiſtarum opinione ſunt Animalitas & Rationalitas: poteſt enim Animalitas concipi non *Modi formales.* conceptâ Rationalitate: & poteſt Ratinnalitas non conceptâ Animalitate. Poſterior eſt inter Modos formales, quales ſunt Paſſiones Entis in multorum Iuniorum opinione: cui ſtando Veritas, & Bonitas diſtinguuntur formaliter; nimirùm, purè modali diſtinctione. Et Ens Veritaſque (aut Ens *An Ens concipi poſſit ſine attributis? An attributa ſine Ente?* Bonitaſque) diſtinctione mixtâ, ut Res à Modo: quia licèt ens poſſit concipi & abſtrahi à veritate & Bonitate: non autem poteſt Veritas aut Bonitas ſine Ente concipi. Hæc doctrina vera eſt, à paucis verò ſcita, à paucioribus dilucidata. At inter paucos D. Edmundus Schnider Ciſtercienſis in Philoſophiâ Rationali *pag.* 74. agens de Categoriâ *Ad aliquid*, ſic inquit. [Relatio prædicamentalis *eſt modus accidentalis realis metaphyſicus, cujus totum eſſe eſt eſſe ad aliud:* conformaliter Ariſtoteli, qui cap. 7. de Relatis ait, *Ad aliquid ea dicuntur, quæcumque id quod ſunt, aliorum eſſe dicuntur, vel quocumque alio modo ad aliud referuntur.* Hoc eſt: Relativorum eſſentia eſt aliud reſpicere, quocumque tandem caſu ille reſpectus exponatur. Sed cur *Modus metaphyſicus* dicitur? Quia ſubjectum, ſine relatione concipi poteſt, non è contra relatio, ſine ſubjecto, quod refert; quemadmodum enim modus phyſicus eſt is, qui realiter à ſuo ſubjecto ſeparari poteſt, ita tamen, ut ſeorſim ab ipſo perſiſtere nequeat, ſic metaphyſicus, per conceptum quidem ſejungi poteſt à ſubjecto, nequit tamen concipi ſine ipſo; Et quod in phyſico fit per realem ſeparationem, in metaphyſico, ſolus conceptus & ratio facit. *An attributa Entis ſint modi Entis?* Eſt verò *accidentalis modus*, quia ad eſſentiam fundamenti, vel ejus complementum, non pertinet, ſed *in eſſe* perfectè conſtituto, metaphyſicè accidit: quo differt, à relatione tranſcendentali, quæ entitatis, quam afficit eſt eſſentialis differentia, vel proprietas.] Hucuſque ille. *Quid ſit modus realis? quid formalis?*

Diſtinctio formalis reali ſimilis, iterùm eſt duplex; nam aliæ formalitates ſunt ſubſtantiales formaliter, & aliæ accidentales. In homine enim animalitas & Rationalitas ſunt ſimiles Materiæ & Formæ phyſicis et radicalis Riſibilitas, non diſtinguitur realiter ab eſſentiâ, & tamen non clauditur in eſſentiâ, ſed eſt ejus quoddam formale accidens. *Subſtantia formalis & accidentia formalia.*

Diſtinctio formalis aliàs eſt ſeparativa, & aliàs non ſeparativa: nam ſicut ſunt aliqua *CLXXX IV. De ſeparatione & diſtinctione. N. B.* diſtincta realiter, quæ tamen non ſunt ſeparata, ut Anima & Corpus in commnni ſententiâ: & aliqua quæ non ſunt ſeparabilia ut Perſonæ Divinæ: ſic etiam, ſunt aliqua diſtincta ratione, quæ non ſunt ſeparata ratione. Rem dilucido exemplis. Quando concipio Animal & Rationale diverſis actibus illa ratione præſcindo, abſtraho & ſeparo. Quando conſidero Petrum, quâ Hominem differentem ab Equo, & quâ Animal convenientem cum Equo, diſtinguo Hominem ab Animali, non tamen ſeparo vel abſtraho. Et quando in Divinis Infinitam & Aſeitatem concipio, fortè duas formalitates concipio; non tamen duas, quæ poſſint mente ſeparari vel abſtrahi.

Diſtin-

Genus est materia & differentia forma.

Distinctio formalis, quæ dicitur similis Physicæ, est inter Materiam formalem, & Formam formalem, hoc est, inter genus & differentiam; nam Genus in D. Thomæ Scholâ est Materia quædam intellectualis & contrahibilis, & Differentia est Forma quædam intellectualis contrahens & perficiens. Consultò exemplum à Scholâ Angelici Doctoris postulavi, quoniam in Platonis Academicâ Scholâ genus est materia quædam realis, & differentia est forma quædam realis, ut inferiùs videbitur.

An detur materia prima formalis?

Sicut datur Materia prima realis, & talis dicitur, quæ nullam Formam realem habet: sic etiam dari debet Materia prima formalis seu intellectualis, quæ nullam Formam intellectualem habet: & talis Materia est Genus supremum, quod non componitur Genere, & Differentia.

De formalitatibus subordinatis.

Si una Differentia cadit supra alteram, non est cur negemus unam Formam realem & physicam cadere super alteram. Et, si nulla Materia realis plures Formas, ne subordinatas quidem, recipit; nullum erit genus quod subordinatas differentias recipit.

Categoriæ cōstitutio.

Schola formalis.

Si sis Philosophus Formalis & dicas: [Conceptus substantiæ ut sic, est in Prædicamento substantiæ Genus supremum & primum, & contrahitur differentiâ Corporeitatis, quâ constituitur Corpus. Corpus est Genus secundarium seu subalternum, & contrahitur differentia vegetabilitatis, & constituitur Vivens. Vivens est genus subalternum, & contrahitur sensibilitate, quâ constituitur Animal. Et Animal est genus subalternum, & contrahitur Rationalitate, quâ constituitur Homo.] cur etiam non poteris dicere: [Conceptus universalissimus substantiæ est Materia-prima intellectualis quæ actu corporeo contrahitur ad esse corporis. Et totum hoc, quod est Corpus & componitur ex conceptu substantiæ & corporeitatis, est materia secundaria intellectualis, quæ constituitur Vegetabilitate, quæ est Forma intellectualis, & constituit Vivens. Vivens est iterùm alia Materia formalis subalterna, quam perficit & contrahit sensibilitas, quæ est quædam Forma intellectualis & constituit animal. Et tandem Animal est Materia intellectualis, quæ Rationalitatem recipiendo perficitur. Et est Rationalitas Forma intellectualis, quæ Hominem constituit & à Bruto distinguit, &c.]

Schola realis.

Et, si hoc teneas & dicas in Scholâ Formalium, cur auderes reprehendere Philosophum Realem, qui supponeret [Eodem omninò modo de Realitatibus & Formalitatibus esse philosophandum: eodem de Materiis & Formis intellectualibus, quo de realibus:] & posteà diceret [Materia-prima est prima Realitas in genere & censu substantiæ. Hæc recipit subordinatim varias Formas substantiales: primò formam Corporeitatis, quâ constituitur corpus. Corpus (seu Materia-prima affecta Formâ Corporeitatis) recipit secundò Formam Vegetabilitatis, quâ constituitur Vivens. Et tertiò Formam sensibilitatis, quâ constituitur animal. Et quartò Formam Rationalitatis, quâ constituitur Homo?]

CLXXXVI. Physica & Metaphysica analoga.

Si in Composito physico non possunt reperiri duæ Formæ, consequentia doctrinæ postulat, ut eodem modo philosophemur de formali: [Ergo si corpus realiter & physicè dicit Materiam-primam & Formam Corporeitatis: & Vivens dicit non jam Materiam-primam, & Corporeitam & Vitam; sed Materiam-primam & Vitam, quæ est Forma quædam realis quæ formaliter est Vivens & corporea eminenter: Et, si in Animali non ponuntur tres Formæ (videlicèt, Corporeitatis, Vitalitatis & Sensibilitatis) sed unica tribus ipsis æquivalens: Et tandem si in Homine non componuntur quatuor Formæ, (videlicet, Corporeitatis, Vitalitatis, Sensibilitatis & Rationalitatis) sed unica, quæ est Anima rationalis omnibus istis æquipollens.] doctrinæ consequentia postulabit omninò, ut ad formalitates & conceptus objectivos venientes, aliter, quàm hucusque est præstitum, genera contrahamus: discurramus igitur sic. [Corpus est substantia corporea: constat genere & differentiâ. Genus est ratio substantiæ, & differentia est ratio Corporeitatis. Vegetabilitas constituit Vivens: at non est differentia, quæ contrahit corpus, sed quæ immediatè contrahit substantiam, & eminenter Corporeitatem continet: quam ob rem Vivens non definietur *Corpus vegetativum*, sed *Substantia Vegetativa*. Sensibilitas constituit Animal; at non est differentia, quæ contrahit Vivens, aut Corpus, sed substantiam, & nihilominùs Corporeitatem & Vitalitatem eminenter complectitur; quam ob rem definire Animal justius, ne dic, *Animal est vivens sensibile*: ne dic, *Corpus vivum sensibile*: ne dic, *Animal est substantia corporea vivens sensibilis*, sed dic, Animal est substantia sensibilis, nam sensibilitas in conceptu suo complectitur Corporeitatem & Vitalitatem. Et tandem Rationalitas constituit Hominem; at stando isti doctrinæ physicæ, non est differentia, quæ immediatè contrahit Animal, aut Vivens, aut Corpus, sed Substantiam, & eminenter imbibit Corporeitatem, Vitalitatem, & Sensibilitatem, quam obrem rejiciendæ sunt istæ definitiones, *Homo est animal rationale. Homo est vivens sensibile rationale. Homo est corpus vegetativum sensibile & rationale. Homo est substantia corporea vegetativa, sensitiva, & rationalis*: & admittenda erit ista, *Homo est substantia rationalis*, nam rationalitas substantiam immediatè contrahit, & corporeitatem, vegetabilitatem, & sensibilitatem eminenter complectitur.

Quales esse debeant definitiones?

Nota hæc omnia.

De formali aliâ compositione ignotâ.

Si præter istam, quam cognoscimus, & ex Materiâ & Formâ coalescit, est, ut tenet Oviedus, alia compositio Physica (repugnantiam non facili negotio ostendes) poterit analogicè alia compositio & distinctio formalis eidem respondens designari.

Hypostasis formalis.

Hypophysica (quam aliqui Metaphysicam vocant) etiam inter formales reperitur cum dici-

dicimus, *Deus est persona habens Divinitatem* Aut etiam stando Divi Dyonisii Fundamentis, *Albedo est Parypostasis habens albedinitatem.*

Parypostasis.

Distinctio partium integralium nescio cur necessariò debeat rebus spiritualibus negari. Multi admittunt accidentia spiritualia integraliter divisibilia, & aliqui in substantias spirituales ausi, asserunt animas rationales, imò etiam Angelos esse entitativè & integraliter divisibiles; quorum sententiam condire videbitur ille, qui dicat, omnem entitatem materialem esse realiter in partes integrantes divisibilem: & omnem entitatem spiritualem esse divisibilem etiam in partes integrantes: at non esse divisibilem realiter, sed solummodò formaliter intellectualiter.

An res spirituales sint indivisibiles?

An detur continuum formale?

Animas Brutorum esse realiter divisibiles & heterogeneàs multi dicunt; & sic se expediunt ab illâ difficultate, quæ inquirit, cur aliter illa anima pedem & aliter caput conformet? Ergo non erit reus capitis, qui, si semel posuerit, Animam rationalem formaliter esse divisibilem, addat, partes illas, quæ formaliter Animam rationalem adintegrant, esse heterogeneas; & hanc ob rem etiam in homine pedem & caput ab eâdem Animâ aliter conformari.

An brutorum animæ heterogeneas partes habeant? An humana etiam?

DISPUTATIO III.

De Distinctione Inventâ & Factâ.

CLXXXVI *De distinctione Animæ & corporis.*

Est ardua & difficilis Quæstio, quæ inquirit, An Materia & Forma ante corruptionem Totius distinguantur realiter? An Corpus & Anima Hominis, aut saltem alîus Animalis, quamdiu vivit, distinguantur realiter: an tunc demum incipiant distingui, cùm illud moritur? Illud prius asseritur ab omnibus, quibus subscribo. Et quidem, ut subscribam, ratione ducor gravi; sequi enim communem omnium Doctorum opinionem rationi consentaneum est: at nihilominùs libenter viderem rationem, quæ omnes in hanc sententiam impulit. Et ut ad clariora subveniamus, producam aliam Controversiam huic gemellam: videlicet illam, quæ inquirit, *An in Continuo ante actualem divisionem sunt partes realiter distincta; an tantummodo realiter distinguibiles?* Has Quæstiones uberiùs dilucidabo in Physicis; sed quia modò earum decisione indigemus, respondeo breviter, esse in Continuo ante divisionem partes actuales, probabiliter à multis dici, & probabiliter à multis negari. Et præscindendo à Rationali Animâ, quæ sicut altioris est ordinis, sic etiam altioris indaginis, qui dicat Brutorum omnium animas identificari corporibus vivis, & tunc demùm distingui, cum corrumpuntur, aut separantur, non ita exorbitabit ut possit erroris convinci. His positis Hypotheses duas subscribamus.

Sententia quæ omnibus ... sunt.

Quæstio incidens.

Prima sit. Si separatio realis & physica, quâ Anima separatur à Corpore; aut Aqua in duas guttas dividitur, reperit partes realiter distinctas, quas segreget, rationis paritas postulare videtur, ut vel invitis Thomistis audiantur Scotistæ, qui dicunt, per separationem intellectualem, seu Abstractionem mentalem, non fieri partes formales, sed quæ erant ante omnem operationem intellectûs, mentis vi dividi, separari, præcidi, & abstrahi. Ergo stando huic doctrinæ ante mentis operationem, dabuntur tres Distinctiones; nimirùm Realis, Modalis, & Formalis, quæ etiam dicitur Realis ex naturâ rei.

Consonantia opinionum.

Secunda: Si separatio realis & physica, quâ materialis Anima (materialis videlicet & irrationalis) separatur à Corpore, non reperit extrema realiter distincta, sed realiter identificata, quæ ipsamet separatio distinguit; quod sine evidenti errore dici poterit: aut, si Continuum non habet partes actuales ante divisionem, sed potentiales tantùm, quæ ab eodem realiter activè distinguentur, à quo dividentur: Consequenter dicendum est, Entitatem simplicem realem, cùm in duas formalitates dividitur ab intellectu, non dividi in formalitates, seu partes formales, quæ erant formaliter distinctæ ante operationem intellectûs, sed quæ formaliter erant idem, at poterant in plura dividi. Stando huic Hypothesi subsistit Thomistàrum doctrina, & rejicitur distinctio formalis ex naturâ rei, quam propugnat Scotus.

Sed utra hypothesis debet admitti? In Physicis paucissimos habet defensores posterior, ut mirum sit summâ doctrinæ inconsequentiâ multos aliter de Reali & aliter de Intellectuali Distinctione Philosophari. Ergo tametsi utraque sit defensabilis, & secunda videatur subtilior, prima est & facilior & verior.

Iudicium de S. Thomæ & Scoti doctrinâ.

Nota.

Vidisti distinctionem formalem, tam Thomisticam, quam Scotisticam habere fundamentum in re, adeoque etiam in viâ illo- CLXXXVII.

illorum, qui admittunt Entia rationis non esse Ens rationis, sed veram quamdam distinctionem formalem inventam in rebus ante operationem intellectûs; & hoc ad mentem Doctoris subtilis: vel factam ab ipso intellectu; & hoc ad mentem Doctoris Angelici. Consultò factam dico, non fictam; sicut enim, qui frangit acie gladii continuum physicum in opinione Aristotelis non fingit partes, sed revera facit: sic etiam qui acie mentis (qualiter docet D. Thomas) realitatem objectivam exscindit, non fingit partes, seu formalitates, sed findit & facit. Et quidem ut clarissimè videas, quàm sint consequentiæ immemores nostri Philosophi, & quàm studiosi esse possint, utramque sententiam ad Physica fundamenta reductam ostendamque debere curiosos Philosophos, sicut de divisione reali physicè, sic de præcisione intentionali formaliter philosophari.

De distinctione fictâ & factâ.

Aliud est findere & aliud fingere.

ARTICULUS I.

Reducitur ad sua fundamenta physica Distinctio formalis ex naturâ rei, quam tuentur Scotici.

CLXXXVIII. *An in continuo ante divisionem sint partes?*

DIlingæ anno 1618. mense Aprili, sub P. Iacobo Bidermano D. Ioannes Fridolinus Rösler Benedictinus Theses de Physico extenso propugnavit; & quia existimat ante omnem divisionem & separationem esse veras, reales, & realiter distinctas partes in Continuo Physico: infero ante omnem mentis consignationem considerationem, aut præcisionem, fore partes veras formales, easque formaliter sive ex naturâ rei (si placeat sic loqui) distinctas, in continuo formali, quas *formalitates* nominamus. Vt ergo amet Lector meus consequentiam doctrinæ; ostendam omnia, quæ Fridolinus de physicâ distinctione dixerat, posse & debere à Scotistâ dici de formali. Et ut meam fidem liberem, singulas ejus Theses præmittam, & subscribam Parallela Moralia.

FUNDAMENTVM I. PHYSICUM.

De Quantitate molis: & eiusdem ingenio & quiditate.

CLXXXIX. *Quæ sit quantitatis essentia?*

VEtus est inter Philosophos contentio; cùm in *rebus Quantis* multa simul inveniantur, in quo tandem vera *Quantitatis* essentia constituatur! Et fuêre qui eam in ipsâ *divisibilitate totius in partes homogeneas quantas* formaliter positam dicerent: nixi Aristotele, qui lib. X. Metaph. text. 18. *Quantum* per *divisibile* definit. Quibus etiam rationes adstipulantur. Id enim quod cuique per se primò convenit, ejus formalis essentia est: Sed *Quantitati* soli per se primò convenit, cùm esse, tùm facere rem divisibilem in partes quantas: ergo. VERUM hi jure multis improbantur. Vel enim *divisibilitas* illis, est proxima solùm aptitudo ad divisionem; & sic nihil aliud erit, quàm quædam quasi proprietas Quantitatis. Vel est prima aptitudinis hujus radix; & sic, ut rectissimè sentiant, malè tamen loquentur: æquè ac si *Risibilitatem*, formalem Hominis rationem appellarent.

An in divisibilitate consistat?

An in mensurâ?

Alii porrò censuêre essentiam *Quantitatis* sitam esse in ratione *Mensuræ*, quâ proximè apta sit aliquid mensurare. At nihilo magis hi probantur: cùm hæc etiam *aptitudo* posterior sit ipsâ *Quantitate*; ita, ut ne proprietas quidem videatur, talis, quæ rem modumvè realem ei superaddat; sed potiùs *attributum*, quod præter rationem propriam *Quantitatis*, connotet aliquid in ordine ad intellectum. Sin autem velint *Quantitatem* remotè solùm aptam esse, ut mensura fiat: fatemur eam ex suâpte natura talem esse; æquè ac apta est ut dividatur: Verùm ex eo non impetrabunt, *Mensuram* aut *Divisibilitatem*; sed hujus utriusque radicem, *Quantitatis* essentiam esse.

An in extensione?

Minus ii persuadent, qui *Quantitatem* formaliter arbitrantur esse *Extensionem entitativam*, quâ substantia materialis partes extra partes habeat, & capitis entitas à pedis entitate distinguatur. Quod illi nunquam credent, qui meminerint; Primò, Materiam in priori Naturæ habere suam entitatem, quàm habeat Quantitatem; Secundò, Fieri hodieque divinitùs posse, ut quemadmodum Quantitas sine Materiâ, ita hujus tota entitas sine illâ conservetur (quid enim implicaret?). Tunc autem tota Materiæ Entitas æquè ac modò, in easdem partes entitativas distinguetur. Partes enim Entitativæ, sunt entitates substantiales: quas Quantitas ut conferre formaliter non potest, ita neque auferre. Tertiò, In capite aliam esse entitatem substantialem; aliam in pede: quarum unaquæque ut per se ipsam Ens, ita etiam per se ipsam est transcendentaliter una; & per consequens ab omnibus aliis distincta: ergo ejusmodi entitativa distinctio non provenit à Quantitate.

An materia habeat entitativas partes?

Quid tandem sit quantitas?

Quare reliquum videtur ut Quantitas sit formaliter Extensio partium in loco. Verùm & hic laborabitur. Nam formalis ratio cujusque, est inseparabilis: atqui extensio partium in loco, separabilis est à quantitate; prout fieri in Mysterio Eucharistico videmus; ubi partes SS. corporis, servatâ omni quantitate suâ, non extenduntur per locum; sed totæ sunt in qualibet eius parte: ergo. Huic tamen rectè occurrimus cum iis, qui extensionem molis in loco duplicem faciunt. Alteram *Actualem*; & hanc Quantitatem accidentalem esse; & ab eâ divinitùs separabilem; quod ipsum objectio contendebat. Alteram *Aptitudinalem*; & in hac formalem *Quantitatis* essen-

Extensio duplex: actualis & aptitudinalis.

essentiam consistere, eamque formalem effectum esse affirmamus; quam proinde nulla vis ab eâ possit separare.

Sed explicandum est, quid per hanc ipsam *aptitudinalem extensionem* intelligatur? Dicimus, Esse illam formalem rationem, per quam partes quantæ, primò ac radicaliter aptæ fiunt actualiter extendi ac situari in loco; ita ut quamdiu connaturali modo sinantur existere, una pars alium locum, alia alium debeat occupare. Vnde quamvis in *Corpore quanto* actualis hic modus connaturaliter existendi, interdum divinitùs impediatur; semper tamen retinet sibi *Quantitas* jus ad ejusmodi modum existendi, ex vi naturæ suæ sibi debitum, æquè ac Anima retentâ Rationalitate, vendicat suum sibi jus ad Risibilitatem, suâpte Naturâ sibi congruentem; quantumvis actualiter eâ possit privari.

An actualis extensio sit modus?

Parallelum Formale.

CXC. PRæter Quantitatem molis datur Quantitas etiam virtutis: illa reperitur in divisibilibus corporibus, hæc in rebus realiter indivisibilibus. Eam S. Augustinus *Bonitatem* appellat; quia, in rebus spiritualibus (de istis agebat specialiter) idem est magnum esse, ac bonum esse. Quæris igitur, in quo consistat formalis Quantitatis essentia? Et respondeo sciendum esse priùs in quo consistat essentia Quantitatis realis seu corporeæ, nam de utrâque debemus analogicè philosophari. Discurram igitur per quatuor illas sententias, quas Bidermanus enumerat, & quid in singulis debeat dici, si ametur consequentia, monstrabo.

Quantitas virtutis & molis.

Quantitatis formalis & materialis analogia.

Prima, ut vidimus, asserebat opinio, Quantitatem molis in physicâ divisibilitate consistere; citabatque Aristotelem, qui videtur clarè hanc sententiam tenere: libri enim quinti Metaphysicæ textu 18. sic ait. *Quantum est divisibile in ea quæ insunt, quorum utrumque vel unumquodque aptum est esse unum quid, & hoc aliquid.* Distinctio physica singularium est, & hæc divisione physicâ multiplicantur: & distinctio formalis universalium est, & hæc divisione formali (quam *præcisionem, præscissionem*, aut etiam *abstractionem* dicimus) multiplicantur: nam sicut lapis singularis cùm physicè exciditur, dividitur in alias duas formalitates universales, videlicèt genus & differentiam. Igitur analogiâ servatâ hanc definitionem subscribo, videlicet. *Quantum formale est divisibile in partes seu formalitates, quæ ante mentis operationem distinguuntur ex naturâ rei: quarum utraque, vel saltem altera apta est esse una formalitas universalis.* Definitio est clara, & potest illustrari hoc exemplo. Concipio Petrum: & dico eum esse quantum formale; & divisibile in formalitates distinctas ex naturâ rei. Sed in quas? in Hominem & Petreitatem: quarum altera saltem (nempe prior) est universalis. Progredior. Concipio Hominem, eumque etiam dico quantum formale, & divisibilem in formalitates distinctas ex naturâ rei. Sed in quas? In animal & Rationale: quarum utraque est universalis. &c.

De divisibilitate.

Secunda hodie sententia nulli Physico, qui mihi placeat, placet; & ideò non est cur multum adlaborem, ut illam ad Metalogicam considerationem reducam: interim sicui arrideat, poterit illam transmutare in formalem, si dicat res quantas, eo sensu, quo quantæ dicuntur, esse æquales aut inæquales, adeòq; commensurabiles: & hanc ob rem quantitatem formalem consistere in ratione mensuræ formalis.

De mensura.

Tertia & quarta sententia videntur subalternari primæ. Prima enim docet Quantitatem molis, in divisibilitate consistere, & reddere substantiam divisibilem in partes: sed in quas? in entitativas, an verò in quantitativas? an in partes in ordine ad se, an verò in partes in ordine ad locum? An in actuales, an verò in aptitudinales? Tertia sententia docet Quantitatem nancisci à substantiâ partes entitativas: & quantitativas easque aptitudinales secunda. Et ut hanc ego doctrinam physicam transferam ad Metalogicam debeo priùs audire Bidermanum, & Fridolinum, & videre, quo illi modo Divisibilitatem quantitativam ab entitativá distinguant.

De extensione.

FVNDAMENTVM II. PHYSICVM.

De Extensionis Entitativæ & Quantitativæ distinctione.

CXCI. POrro magnum discrimen est inter hanc *Quantitativam & Entitativam Extensionem.* Nam *Entitativa* oritur ex ipsâ entitate materialis substantiæ; & per illam ita ponitur pars extra partem, ut tamen altera alteri penetrabilis relinquatur. Ideò partes vi *entitativæ extensionis* indifferentes manent ad id ut plures in eadem loco sint, vel in diversis. Ex quo patet; quid futurum esset; si à Materia *Quantitas* divinitùs separaretur? Quippe, si tunc neque motus localis, neque alterum præterea miraculum accederet, dicimus naturaliter mansuram materiam in eodem toto loco, & partes ejus in iisdem partibus loci, in quibus anteà fuerat. Neque enim necessariò conflueret in punctum; (quanquam & hoc ipsum posset, novo motu locali interveniente) neque sine novo miraculo maneret tota in singulis partibus.

Extensionis entitativæ & quantitativæ differentia.

Quæstio de materia sine quantitate?

Extensio autem Quantitativa reddit partes impenetrabiles partibus; ita ut naturaliter repugnet, esse unam quantitatem cum alterâ. Vnde intelligitur, non supervacaneam esse duplicem hanc *Extensionem* in Materiâ. Neque enim utraque ejusdem est rationis; & insuper diversis officiis funguntur. Quanquam, si de nomine solo quæratur, litem non movemus; dum in re conveniamus. Quam enim alii *entitativam extensionem* nobiscum solent appellare; aliis *partium multitudinem* aut *distinctionem entitativam* licebit appellare.

De impenetrabilitate.

Parallelum formale.

CXCII. *Diversi modi habendi partes.* *De partibus corporis Christi in Eucharistiâ.*

IN Continuo physico aliud est substantiam habere partes, aliud habete unam extra aliam, aliud habere impenetrabiles, aliud impenetratas. Sanè Christi corpus in Eucharistiâ habet partes realiter distinctas, non tamen unam extra aliam, nulla enim est specierum particula sub quâ non sit tutum; ita nimirùm replicatum, ut ubi est pes, sit etiam caput, manus, & membra cætera. Materia hujus folii, si illam Deus privaret quantitate, haberet partes, esset extensa, & tamen careret impenetrabilitate. Lapis sepulchri, & januæ clausæ, cùm à corpore Dominico permeabantur, habebant partes distinctas, & extensas: & affectas impenetrabilitate per modum actûs primi; sed quia caruerunt impenetratione per modum actûs secundi, potuerunt à Christo permeari. Et tandem omnia corpora naturalia habent partes realiter distinctas, realiter extensas, alias extra alias, omnes & singulas impervias & impenetratas.

Quomodo Christus in resurrectione penetraverit lapidem? quomodo ad discipulos accesserit januis clausis?

Eodem modo de Quanto formali philosophor: habet partes seu formalitates; unam extra definitionem alterius: impenetrabiles, & impenetratas. De facto sunt impenetratæ, cùm de facto una est extra definitionem alius: & de facto una est extra definitionem alius, quando cognoscuntur expresè: nam sicut ejusdem corporis membra physicè penetrantur in Euchatistiâ, & diversa corpora in Resurectione, sic etiam duæ realitates penetrantur metalogicè, cum duo homines v.g. concipiuntur per modum unius: & duæ formalitates conceptu confuso objiciuntur. In tali enim casu sunt sub eodem loco formali (etiam Metalogica suos locos habet) hoc est sub eodem conceptu, & possunt transire ad diversos, si clarè & determinatè concipiantur: & tunc (nimirùm, quando diversis conceptibus intelliguntur) sunt distincta formaliter. Quantitas igitur formalis ex naturâ rei est analoga illi physicæ, quam quarta sententia propugnat: illi inquam, quæ non solùm habet formalitates, sed unam extra definitionem alterius, ita utâ suâ definitione singulæ non solùm compartes, sed quamcumque aliam formalitatem peregrinam excludant.

De formalibus partibus.

Penetratio formalis.

FVNDAMENTVM III. PHYSICVM.

An Quantitas sit simplex Entitas partibus carens.

CXCIII. *Averrois Hispanoarabis Scriptoris opinatio.*

VOluit nescio quis, Arabs, *Continuam Quantitatem* esse entitatem simplicem, & ex nullis partibus conflatam. Sed eum Philosophi omnes consensu damnarunt. Quid enim aliud est compositio, quam pluralitas diversarum entitatum unita? Atqui talis in omni Continuo Quanto reperitur. Nam certè in lineâ bipedali duæ pedalitates insunt; quæ ut inter se sunt diversæ entitates, ita sunt uno communi termino inter se continuatæ: quare linea & quævis alia Quantitas necessariò ex partibus componitur. An verò actu, an potentiâ solùm in continuo insont, magna dissensione pugnatur.

An partes sint actu, an potentiâ?

Parallelum Formale.

CXCIV. *An Dentur præcisiones objectivæ.*

SAraceni hujus somnium (non enim nomine opinionis est dignum) militat contra sensum: videmus enim propriis oculis Continuum dividi & subdividi in partes. Cæterùm, qui sic vellet errare in Physicâ, ut cum Arabe assereret Quantum reale nec habere reales nec potentiales partes, si consequentiam doctrinæ amaret, deberet hunc eumdem errorem ad Metalogicam transferre, & asserere, Quantum formale non posse in diversas formalitates præscindi.

Hic obiter videbit meus Lector, quam securo & gravi fundamento inniti Authores omnes (vulgus illos *Nominales* appellitat) qui Scotisticas, aut etiam Thomisticas præscissiones objectivas rejiciunt; ut enim possint partes formales negare substantiæ Metalogicæ, debent negare reales Physicæ, & contra sensuum experientias fundamenta suæ doctrinæ protrudere; aut aliàs sine fundamento Physico de formalitatibus vociferari.

Continuũ habet partes.

Relicto igitur hujus Arabis errore Physico, asserimus credendum esse oculatæ experientiæ, & negari nõ posse præscisiones reales in Physicâ, frangi enim vitra & cætera corpora videmus: & consequentiâ doctrinæ rejicimus alium errorem illi gemellum, & asserimus negari non posse præcisiones objectivas in Metalogicâ: experimur enim frequentissimè nos cogitare aut loqui de homine ut sic, quin in mentem aut linguam subveniat, Petrus, Paulus, aut aliquis in singulari. Pronunciabimus igitur utrumque Quantum (Physicum & Metalogicum: reale & formale) habere partes: & tamen, an illas habeat actu, an tantùm potentiâ? inquiremus. Sequor Bidermanum & Fridolinum duces; videbo igitur, quid ipsi de hac materiâ habeant in Physicis, & ego analogicè in Metalogicis Philosophabor.

FVNDAMENTVM IV. PHYSICVM.

De Quanti partibus. An actuales sint, an potentiales?

CXCV. *Partes in continuo sunt distincta, non divisæ.*

VErior sententia est, quæ partes, easque omnes, actu docet esse in Continuo; ita, ut omnes inter se, à parte rei, & nemine designante, sint distinctæ; etsi non item divisa. *Distinctas* dicimus eas, quæ habent diversas entitates; etiamsi interim sint maximè conjunctæ. *Divisas* eas, quæ ita diversas entitates habent, ut simul etiam sint disjunctæ. Quare ad partes actu constituendas, quàm necel-

ſtacia & *diſtinctio ućtualis*, & *unitio*; tam ſupervacanea eſt *diviſio*.

Quid intelligendū ſit nomine Partium?

Quod autem adverſariis placet, eas demum *partes* dicere, quæ actualiter ſunt à ſuo toto diviſæ; in eo vehementer errant. Nam ſive de *heterogeneis* loquantur, quis neſcit manum, caput, pedes, veras Corporis humani partes eſſe ac dici, dum maximè Corpori conjunguntur? ſive de *homogeneis*, (quas etiam ſolas propriè hic ſpectamus) eas longè certius eſt nunquam poſſe *partes* appellari, niſi dum toti ſuo ſunt conjunctæ: tunc enim entia ſunt incompleta; quod in *partibus* requiritur. Simul autem atque actualiter ſeparantur, deſinunt eſſe partes, fiuntque ipſæ ſingulæ entia per ſe completa. Neque enim *partes homogeneæ* ita tranſcendentaliter referuntur ad ſuum totum; ut *homogeneæ* ſolent.

De mente Ariſtotelis.

At enim Ariſtotele ſe adverſarii tuentur. Nam 8. phyſ. t. 68. *In continuo*, inquit, *inſunt quidem infinita dimidia; at non ućtu, ſed potentiâ.* Idem ferè totidem verbis repetit in 7. Met. t. 49. Inſuper in 3. an. t.23. vocat *longitudinem ućtu indiviſibilem; diviſibilem tantùm potentiâ.* Et in 5. Met. t. 31. *Continuum*, ait, *unum eſſe è pluribus inexiſtentibus: potentiâ non actu.* Verùm hæc omnia unicâ reſponſione ſolventur. Quippe dicimus Ariſtotelem aliud non velle, quàm partes Continui, non actu, ſed potentiâ ſolùm inter ſe *diviſas* eſſe. Id quod de *diviſione* veriſſimum eſt: Eo tamen interim minimè negatur, quin eædem partes jam ante ſint *diſtinctæ*.

CXCVI.

An ſequatur infinitum actu?

Rationibus; & pugnant I. Multitudo partium actu, facit ens per accidens, ut liquet in acervo lapidum: atqui Continuum non cenſetur ens per accidens: ergo. Reſpondemus id de multitudine *diviſionis* verè dici: falsò de multitudine ſolius *diſtinctionis*. II. Si omnes partes inſunt *ućtu*, eæ vel finitæ ſunt, vel infinitæ. Non primum; quia naturaliter daretur infinitum actu, idque; vel in magnitudine; quòd repugnat ſenſui; vel ſaltem in multitudine; quod negat philoſophia: ergo. Reſpondemus eſſe infinitas *proportionales*; ſed indiviſas. Eæ autem, quà proportionales, non faciunt magnitudinem infinitam, ad hanc enim requirunt æquales: quà Indiviſæ, non faciunt infinitam multitudinem ſimpliciter, hæc enim debet fieri ex entibus diviſis, quam nullam de facto agnoſcit philoſophia; ſed infinitam ſecundum quid, quæ fit ex entibus tantùm diſtinctis.

Videtur nō eſſe ſufficiens hæc ſolutio: totidem enim ſunt partes diſtinctæ quot diviſæ eſſe poſſunt: & diſtinctæ ſunt omnes actu.

Si partes loci v.g. ſunt actu infinitæ; etiam ſi ſingulæ ſint minimæ, fiet tamen inde. III. ut nullum Corpus moveri localiter poſſit, quia per infinitas partes actu nunquam pertranſitur. IV. Fiet indidem, ut Linea cubitalis, tot habeat partes actu, quod habet Linea ducta per diametrum Cœli. Vtramque objectionem ſolvimus ex diſcrimine partium tum *proportionalium* & *æqualium*, tum *diſtinctarum* & *diviſarum*. V. Denique fiet ut communis uſus philoſophorum repudietur; qui ſemper dicunt, *Continuum eſſe infinitum tantùm potentiâ.* Verùm neque iſtud obſtat; nam reſpectu *diviſionis* ſemper eſt in potentiâ: reſpectu *diſtinctionis* ſemper eſt in actu.

De proportionalibus & determinatis partibus.

An continuum ſit infinitum actu?

Parallelum formale.

CXCVII.

DVas eſſe opiniones oppoſitas & illuſtres me docent: aliam, quæ affirmat partes in continuo eſſe actuales, realiter diſtinctas inter ſe: aliam, quæ docet in illo eſſe partes potentiales, realiter diſtinguibiles. Addunt priorem eſſe opinionem veriorem: & poſteriorem ita ſolere à plurimis explicari & defendi, ut videatur in priorem incidere, aut ab illâ ſolis verbis differre, quæ omnia me judice ſunt manifeſta. Et noto obiter ſecundam ſententiam, nempè quæ negat eſſe in Continuo partes actu, videri Bidermano & Fridolino veram: nam vocant veriorem oppoſitam, & comparativi leges poſtulant, ut utrumque terminum poſitivum afficiat.

An ſit bona conſequentia hæc. Talis ſententia eſt verior, ergo altera eſt vera?

Tranſeo igitur ad Metalogicam, & aſſero duas eſſe opiniones adverſas, ſed illuſtres: aliam, quæ docet, in quanto formali eſſe partes formales, quas *formalitates* vocamus, diſtinctas formaliter, & ex naturâ rei inter ſe, & hoc, ante omnem operationem intellectûs: aliam verò, quæ docet partes easdem non eſſe actu in objecto ante mentis operationem, ſed potentiâ ſolummodò. Adeòque ante operationem intellectûs in Petro Animalitatem, Rationalitatem & Petreitatem, non eſſe tres formalitates formaliter diſtinctas, ſed tres formalitates formaliter diſtinguibiles (ſeu diſtinctas potentialiter & fundamentaliter) quæ tunc primùm actu diſtinguentur, cùm ab intellectu efficienter præcidantur & abſtrahantur. Et ſubjungo has duas opiniones eſſe probabiles, & hodie in orbe literario plauſibiles, at priorem in Scoticâ ſcholâ veriorem & clariorem eſſe.

Quid ſint formalitates?

An ſint ante mentis operationē?

FVNDAMENTVM V. PHYSICVM.

De Compoſitione Continui.

CXCVIII.

QVantum ex *partibus ućtu* componi vidimus: at ex qualibus illis, nondum oſtendimus. Multi opinari *mera indiviſibilia* ineſſe Continuo, non ludicris id argumentis confirmant: Quorum unum ac præcipuum eſt iſtud. Corpus perfectè ſphæricum non poteſt tangere planum niſi in indiviſibili puncto. Faciamus ergo illam ſphæram continuo motu trahi per planum longum; tunc utique illud non aliter tanget, quam iisdem in puncto; ergo illa tota plani longitudo conſtat meris punctis indiviſibilibus. Atque eaden erit ratio, ſi Cylindrus, per planum tranſverſum ducatur; ſicut enim non poteſt illud tangere niſi indiviſibili Lineâ; ita tractus per planum tranſverſum, tanget ſemper in Lineâ: ergo tota ſuperficies habet meras Lineas, &c.

An Continuum ex indiviſibilibus componatur?

De globi & plani contactu, & motu globi ſuper planum.

An linea componatur punctis, an ſuperficies lineis?

Quæ ſententia, quamvis & Ariſtoteli repugnat, & per ſe magnis rationibus confutatur; fatemur tamen, argumenti ſolutionem

Nota id bene.

 nullam

nullam adhuc fuisse, quæ liquidò satisfaceret. Alii quidem ita responderunt, ut elevare potiùs argumentum, quàm solvere viderentur. *Per. 10. c. 14. ad 3.* Alii, ut nodum expedirent, penitùs ruperunt.

An globus planum possit tangere?

Negarunt enim, sphærici planiq; corporis contactum dari; sed utriq; aërem intercedere. Verùm isti haud dubiè creduli sunt, qui persuadere sibi possunt, globum æneum Cælo delapsum, aut è balista violenter excussum, in molli aëre hæsurum, nullo fulcro subnixum, neque ad plani contactum penetraturum. Alii probabiliùs respondere se censent; dum dicunt, Globum quidem *quiescentem* in unico plani puncto consistere: *tractum* verò, nunquam unicum plani punctum, sed semper lineam inadæquatè tangere.

An instans possit toto anno durare?

Quod declarare se Toletus 6. *ph. c. 1. ad 4. fol. 3.* putat, exemplo *unius instantis*. Hoc enim si divinitùs toto anno conservaretur, certè toti anno coexisteret; adeòque *indivisibile durationis* in *duratione divisibili* maneret: ita & *punctum Globi* per lineam tracti, tangeret *divisibile spatium*. Alii rem declarant per *Corpus*, quod licet quiescens, non possit habere nisi locum sibi æqualem; tamen idem si moveatur, semper erit inadæquatè in loco majori. *Vide Occam. 1. quodl. q. 9. Greg. 2. d. 2. q. 2. a. 1. Ægid. 1. gen. q. 8. ad 3. Aver. 1. cal. com. 32. Per cit. Eust. tract. 3. q. 3.*

An globus tangat planum in parte proportionali?

Aliter nonnemo (nempè Hurtadus *d. 15. l. 2. num. 20. & 22. lib. 5. num. 28.*) occurrit, qui Globum putat semper tangere planum, simul *in puncto & parte proportionali interminatâ*; ita ut nunquam assignetur aliqua pars tam parva, quin alia minor in infinitum assignari queat, in qua tangat. Negat interim sequi, *aliquam in globo planitiem esse*; aut *duo corpora sese penetrare*; Istud enim ait non fieri nisi cum contactûs fit in parte determinatâ: qualem hîc dari negat. Et hoc ipsum æquè valet,

An tempus præsens sit pars proportionalis?

in *Instanti temporis*; neque enim unquam *unum instans* per se solùm, sed semper *cum aliquâ parte proportionali* existit.

CXCIX. *Resolutio.*

Nos tamen, etsi fatemur hæc omnia captu difficilia esse, nihilominùs cum Aristotele contrariam sententiam amplexi, dicimus: *Continuum ex divisibilibus quidem, seu partibus integrantibus: ex indivisibilibus autem, seu partibus formalibus componi.*

N. B. *Non est ratio evidens, contra quam multas argumenta, quod solvi non potest: quidquid dicat Toletus.*

Nam, quod rectè monet ex Aristotele Toletus 6. *ph. q. 1. fund. 1.* [*Imbecillis & ignari ingenii est, opinionem, quam evidens ratio persuadeat, ideo solùm deserere, quod alicui argumento plenè satisfacere non possit.*] Multis autem rationibus doctrina Peripatetica fulcitur: è quibus hic attingimus paucas & communes.

An indivisibilia essent infinita?

Nàm si indivisibilia mera essent, eaque infinita; quomodo lineam continuare aut extendere possent? *Certè enim indivisibile additum indivisibili, rem non facit majorem; neque si dematur, minorem.*

An indivisibile additum faciat majus?

Quippe, vel utraq; contingent se mutuò; & tunc adæquatè totaliterq; se tangent, cùm nullas habeant partes; eruntque simul in eodem loco; (prout fieri etiam in superficiebus contiguis solet; quicquid adversarii inaniter repugnent.) Mendoza *d. 15. l. 15. n. 88. & 72.* Vel sese mutuò non tangent; & tunc continuum non facient.

An totum omni sint æqualia? [illegible]

Sin autem indivisibilia essent finita, sequeretur, spacium decem punctorum, aut quodvis intervallum non posse celeriùs tardiùsve pertransiri ab uno, quam altero. Atque ita volantem Aquilam, & currentem cervum, pigerrima testudo assequeretur. Quæ sequela, ut evidenti ratione demonstratur, ita consequens evidenter & ratione & sensu refutatur. Prætereà, ponamus lineam conflari ex undecim punctis, nequiret illa in duas æquales partes dividi. Quid, quod non minus absurdè efficeretur, duos circulos concentricos adæquari? Et hoc genus alia plura; quæ in nostra sententiâ ne fiant, non timemus.

Imò verò, inquiunt, etiam in vestrâ. Punctis enim in utroque circulo omnes partes esse actu: Eæ autem vel sunt totidem utrobique, vel non; si totidem; igitur ambo circuli sunt pares. Si non totidem, quid fiet, si à centro per interiorem circulum, ad singula puncta exterioris circuli, singulæ lineæ ducantur?

An in continuo sint partes infinitæ? An plures in uno, quam in altero?

Respondemus; in majori circulo esse materialiter plures partes, etiam proportionales licèt utrobique infinitas; posse autem ad omnia puncta exterioris concentrici distributivè duci singulas lineas, non collectivè. Ex quo proinde nunquam fit, tot esse partes aut puncta collectivè in minori circulo, quot in majori: Sed solùm toties distributivè punctum & partem assignari in minori, quoties in majori. Quæ responsio positis indivisibilibus finitis, non valet.

An costa hypothenusæ sit æqualis?

Sed graviùs premuntur à Mathematico Achille. Si indivisibilia finita totum continuum integrant, latera quadrati, aut etiam parallelogrammi, erunt æqualia diametro, Scientiâ & experientiâ reclamante. Ponemus enim latus decem punctis constare; tunc si à latere ad latus totidem parallelæ ducantur, secabunt totidem puncta diametri; & simul exhaurient totam multitudinem punctorum diametri; quia illæ decem lineæ implebunt totam aream, in quâ est diameter. Igitur non nisi decem puncta erunt diametro; ceteroqui longè majori.

An lineæ possint [illegible] censeri?

Hoc argumentum ita nonnemo alludit, ut neget posse lineam obliquam à rectâ secari, in unico puncto; sed semper in spatio divisibili. Atque ita diametrum nihilominùs fore majorem. Verùm hoc & in Mathematicâ est novum: & re ipsâ vanum effugium. Nam si linea diametrum non secat in unico puncto; tunc vel in sesquipuncto, vel in duobus punctis secabit. Si primum, fiet punctum divisibile; si secundum; fiet diameter duplo longior latere: Quod utrumque est manifestò falsum. Sin autem lineæ secantis duo puncta, per totidē puncta lineæ sectæ dicantur transire; jam intentum habebimus, videlicet, lateralem quadrati lineam diametro æqualē fore.

Quæ [illegible] puncta [illegible] continuo inveniantur?

His ita constitutis dicimus; In lineâ (si quæ separata daretur) actu dari, duo solùm puncta terminantia; etsi multò plura ibi sint in potentiâ; quæ per realem divisionem quantitatis actuentur. In medio autem continuo, actu

dantur

dantur continuantia omnium partium. Eadem est ratio aliorum indivisibilium, è quibus de facto sola superficies est terminativa. Indivisibilia censemus omnia, saltem distributivè, posse separari divinitùs, seorsimque existere. Sunt enim entia realia, realiterque tum inter se omnia, tum à continuo distinguuntur cum quo non se ipsis, sed per quendam indivisibilem modum unionis uniuntur.

An indivisibile possit separari?

An præter puncta sint uniones etiam admittenda?

Parallelum formale.

CCI. Docent nos hi Philosophi, esse duas opiniones in Physica; Aristotelis alteram, Zenonis alteram: ille enim continuum componebat ex partibus in infinitum divisibilibus, & iste ex indivisibilibus punctis, quæ Zenonistæ etiam hodie nomine græco vocant *Atomos*. Physici hodiè dividuntur in classes, & alii Zenoni, & alii Aristoteli student, & quia Metalogica Physicæ est imago perfectissima, sicut de Quanto Physico, sic etiam de Formali philosophabimur.

Zenonis & Aristotelis sententia.

Atomus, quid?

Quid ergo nos docuisset Zeno, si in cathedrâ Metalogicâ se reponeret, & edissereret formalitates? Quantū formale & objectivū cōponi atomis, constitui punctis, compingi partib9 indivisibilib9. In præscissionib9 & abstractionib9 veniendū esse ad terminū: & reperiendas esse statim ab initio multas formalitates divisibiles; & si progrediamur quousq; perveniamus ad ens, totam substantiā in formales atomos solutū iri. Doctrinam ipse suam exemplo clarissimo illustraret. Poneret ob oculos Petrum, & ostensurus eum formalitatibus indivisibilibus componi, loco novaculæ, mentis acie uteretur, & nos ad anatomiæ Metalogicæ inspectionem & contemplationem invitaret: Petrumque primò in Hominem & Petreitatem scinderet. Et statim primo ictu abstraheret unum indivisibile; nam Petreitas quædam est objectiva atomus, quæ in partes subdividi nequit. Secundò conceptum hominis divideret in Animal & Rationale; & iterùm Rationalitatem esse indivisibilē formalitatem contenderet. Tertiò conceptum Animalis incideret, & reperiret Vivens & Sensibile: & assereret Sensibilitatem subdividi ulteriùs non posse. Ex Vivente ad substantiam finiti gradus reperiuntur, imò paucissimi, & hanc semel abstractā in Ens & Perseitatem succideret: & diceret hanc esse indivisibilem: illud posse adhuc passionibus nonnullis expoliari: nimirùm Veritate, Bonitate, Vnitate; & harum singulas esse indivisibiles: & tandem Ens ab his præcisum esse supremum conceptum omnium categoriarum, & esse formaliter indivisibile: ad quod ubi perventum sit, NON PLUS ULTRA. Ecce Zenonicam doctrinam ad Metalogicam translatā: Ecce Petrum (formaliter & objectivè quantus est) in omnes suas formales partes, in omnes suas objectivas atomos, in omnes suas formalitates dissolutum. Ergo Quantum Metalogicum (hoc est formale aut objectivum) nō componitur ex semper dividuis, sed ex indivisibilibus formalitatibus.

An dentur indivisibiles formalitates?

An differentiæ sint indivisibiles?

An conceptus Entis sit indivisibilis?

CCII. Sic philosophari deberet in hoc gymnasio Zeno: quo tamen Aristoteles modo? Audiamus illum otiùs edisserentem Physica: & statim audiemus Metalogica dilucidantem.

Aristotelis de continuo sententia.

Sanè in Physicis ille Continuum ex semper dividuis componit, docetq; nunquā veniendū esse ad tantillam particulam, quæ non possit in alias intercidi. Et cur ex labyrintho integrali nō potuerit ad physicum transire, non video. Hoc est, nescio, cur non etiam asseruerit totum physicum componi ex partibus physicè divisibilib9 in infinitum. Cur non pronunciaverit, vel utramq; partem (Materiam & Formā) esse compositam è Materiâ & Formâ: aut saltem, si Formam esse simplicem diceret, omnem Materiam coalitam ex aliâ Materiâ & aliâ Formâ. Subjectum Animæ rationalis nonnulli ex corpore vivo & formâ sensitivâ componunt: corpus vivū, è corpore & animâ vegetativâ: corpus à materia primâ & formâ corporeitatis, &c. Animam ipsam rationalem aliqui ex potentiâ & actu constituunt, & sic possunt singulas ejus partes, si vellent; ità ut nulla esset materiæ aut formæ pars, quæ non constaret potentiâ & actu.

An totum physicum sit in infinitum divisibile?

Difficilis est benè video, hæc infinita divisibilitas: at non percipio cur totum materiale in partes integrantes possit semper dividi, & non semper in physicas. Ego enim tanti consequentiam doctrinæ & tanti rationis paritatem æstimo, ut vel utroque modo dicerem substantiam corporeā esse in infinitum divisibilē, vel neutro.

Et quia neutro modo hanc infinitatem multi admittunt & Aristotelis vestigia prementes affirmant in resolutione integrali non dari ultimas partes: dici posset, aut fortassis deberet, in Scholâ Zenonis, siquidem divisio integralis nō potest ultra puncta progredi, resolutionē physicam non progredi ultrà materiam primam: in Scholâ autem Aristotelis, siquidē divisio Continui nunquam perveniet ad partem, quæ non sit continua, sic etiam resolutionē Physicā nunquā perventuram ad partem, quę non sit totū quoddam Physicum compositū ex materiâ ex formâ.

CCIII. Hinc ad mentem & distinctionem rationis. Dicunt Metalogici Entitatem quamcumq; realiter indivisibilem, ratione divisibilem esse. Sed quo modo? An-ne in partes physicis, an verò integralibus similes? An-ne in partes, quarum altera est potentia, altera actus; an verò in partes entitativas, quarum neutra potentia sit, neutra actus? Et, si in entitativas, An in homogeneas, aut etiam in heterogeneas? Omnia & singula probabiliter possent admitti, & exemplis communissimis dilucidari. *Primò* enim Homo in animal & rationale, Animal in vivens & sensibile, Vivens in corpus & mobile ab intrinseco, &c. & generaliter loquendo, quoties dividitur species in genus & differentiam, in partes simillimas physicis dividitur, nam genus est materiæ simile, & differentia formæ. Et in hoc genere (siquidem innumerabiles materias & innumerabiles formas Physica reprobat) ut analogicè loquar, non dari processum infinitum existimo; cùm enim venitur ad substantiā ut sic, non plus ultra in Prædicamento Substantiæ; & quando ad Ens purū venitur, in omnibus Prædicamentis non plus ultrà. Sic argumentari quis posset ex Principiis Zenonis. At posset etiam ex Aristotelicis contra Zenonem, imò contra Aristotelem (non enim semper doctrinæ consequentiā observat Aristoteles) invertere argumentū, & discurrere sic. [Genus est Materia Metalogica; Atqui nō datur Materia-prima Metalogica;

Quo objectum modo in formalitates dividatur?

Ergo nec Materia prima Physica. Atqui omnis Materia Metalogica componitur Materiâ & Formâ Metalogicis, (quia omne genus componitur alio superiore genere & differentiâ: nam sicut homo componitur ex Animali & Rationali, sic Animal ex Vivente & Sensibili, sic Vivens ex Corpore & Vitâ, & sic in infinitum) Ergo omnis Materia Physica componitur ex Materiâ & Formâ; & hoc in infinitum. Nec juvat dicere conceptum Entis esse summum & primum, & Metalogicæ terminum resolutionis, quia illum ipsum subdividâ adhuc in plurimas formalitates. Rogabo enim, an supra hanc rationem Entis addas aliquid Substantia vel non? Addere dices, meritòq; conceptũ transcendentalem à non transcendentali distingues, Scotista enim es, & tenes Ens, quod supremũ genus est, non esse transcendens. Nunc progredior. Ens contrahitur Perseitate & Inalietate tanquã veris & immediatis differentiis. Sic loquimur, sic vulgo sentimus; & benè. Ergo si comparemus Ens cum differentiâ alterutrâ; vel una differentia cum alterâ, reperiemus formalitates in infinitũ posse dividi. Nam Ens & Perseitas (aut etiam Perseitas & Inalietas) vel sunt conceptus similes, vel omninò diversi. Non hoc: ergo illud. Ergo præcisâ ratione, in quâ erant similes, manebunt differentiæ: ergo conceptus ille Entis, qui dicebatur summ9 & indivisibilis, potuit dividi, & subalternari. Ergo progredior ulterius: & quia nunquam veniendũ est ad differentias, quæ omninò sint similes, nec omninò dissimiles, nunquam veniendũ erit ad indivisibiles: Ergo divisio formalis secat objectum in formalitates in infinitũ divisibiles. Hanc eamdẽ rationem clariùs iterùm terminis mutatis repono.

An conceptus Entis possit dividi?

An differentia sint divisibiles?

Considero Equum & Hominem. Sunt-ne similes? Esse ais in ratione Animalis. Ergo illum abstraho. Manent primæ differentiæ. An-ne omninò dissimiles? minimè: sunt enim vitales, sunt differentiæ, sunt primæ. Ergo abstraho rationem similitudinis & coïncidentiæ, & manebunt aliæ duæ differentiæ. Sunt-ne omninò dissimiles? minimè. Ergo iterùm similitudinis rationem abstraho; & sic procedo in infinitum; protestans, me nunquam repertur*um* esse duas differentias, quæ sint omninò similes (si enim essent omninò similes, non essent differentiæ, non essent duæ: non dividerent nec contraherent superiorem conceptum) nec omninò dissimiles non esset utraq; divisa, non esset utraque contractiva, non utraq; vitalis, non utraq; realis, &c.) ergo semper reperturus sum differentias, quæ sint partim similes & partim dissimiles: ergo semper differentias scissibiles in ulteriores & ulteriores formalitates. Ergo Quantum formale dividitur in infinitum.

An objecta habeant formalitates integrales? an has in infinitum divisibiles?

An Anima sit divisibilis? An constet partibus homogeneis, an verò heterogeneis?

Secundò, præter compositionem formalem & intellectualem ex actu & potentiâ, quam exposui; non implicat objectũ qualecumq; dividi in partes formales integrales, & hoc sine ullo dissolutionis termino. Vt assertionem hanc exponam & dilucidé, considero Animã rationalẽ diffusam per corpus Humanũ, illamq; ajo, tametsi realiter indivisibilis sit, nihil vetare, si ratione partes integrales, quarum aliæ aliis partibus corporis, & aliæ aliis respondeant, dividatur: & consequenter nihil vetare, si omnes Animæ partes, quæ correspondent corporis partibus homogeneis dicantur homogeneæ; & omnes illæ, quæ correspondent heterogeneis, heterogeneæ. An autem erunt in infinitum divisibiles: Cùm occasio dividendi formaliter Animam, sumatur a corporis Physica divisibilitate, pronuncio talem & tantam foro divisibilitatem rationis, quæ in Anima, qualis & quanta est divisibilitas realis, quæ est in corpore: Quamobrem, si istud cum Aristotele in semper-divisibilia dividamus, debebimus consequenter asserere Animam rationalem posse ratione dividi in infinitum: quòd si subscribamus Zenoni, & demus terminos divisioni reali, eosdem concessuri sumus divisioni rationis: ratiocinamur enim cum fundamento in re, & si quid mente audemus, quod à parte rei exemplum manifestum non habeat, exorbitamus potiùs, quàm discurrimus; erramus & somniamus potiùs, quàm philosophamur.

FVNDAMENTVM VI, PHYSICVM.

De Quantitate infinitâ.

CCIV.

INfinitum bifariam in Physicis dicitur. Alterum *in potentiâ*, sive *syncategorematicum*: Alterum *actu*, sivè *categorematicum*: utriusque discrimen est; quod illud in solas *proportionales*; hoc etiam in *æquales* partes, ita possit dividi (sive per realem separationem, sive per designationem,) ut semper tamen partes aliæ atq; aliæ supersint dividendæ; ex illo quidem *proportionales*; ex isto autem etiam æquales. Atque ita Aristoteles lib.3. Physic. text.63. ait, *Infinitum esse id, cujus secundum quantitatem sumentibus, semper est aliquid extra accipere.*

Quid infinitum sit?

Dari tale *infinitum* possit, nec ne, valdè contenditur. Nos ita censemus. 1. Præter Deum opt. Max. nullum ens neque est neque esse potest in *essentia infinitum*. Consistit autem hoc *infinitum* formaliter in eo, *ut à nulla causa habeat suum esse*; adeoq; ut sit penitùs independens. Quo ipso liquet, fieri a Deo tale ens non posse. Neque proinde linea infinitè longa, quamvis longitudo sit ejus essentia, tale infinitum dici potest.

Duæ negationes negant. N. B.

Nec *magnitudo* quidem, aut *multitudo* actu simpliciter infinita de facto datur. Neq; enim ullum jus indicium luculentum, vel è philosophiâ sumitur; vel è scripturâ supponitur, vel ab experientiâ conjicitur. Certè Corpus jam nusquam ullum extra cœlum porrigitur; cùm igitur cœli ipsius terminus sit exploratò finitus; necesse est ut aliorum omniũ *moles* intra ipsum contenta, perindè finiatur. Vnde neq; *corporum multitudo*, infinita jam ulla est; nam ex hac etiã moles infinita consequeretur. Quid si autem de *spiritualium substantiarum multitudine quæratur*? Dicimus, ejus nullum argumentum dari; cùm universim asseratur, Deum *omnia in numero, pondere & mensura fecisse*. Sap. 11.

An detur infinitum à parte rei?

An ultra cœlum sit aliquid?

Omnia Dei opera finita.

Idem de *intensione infinita* judicium est, Si quod enim accidens ejusmodi jam daretur, id vel *Naturale* esset, vel *Supernaturale*. Non primum. Quia *Naturalia* accidentia, sunt naturales virtutes, & dispositiones proportionatæ essen-

An detur intensio infinita?

essentiis corporum vel formarum; Horum autem essentiæ sunt finitæ: ergo. Non secundum. Quamvis enim *supernaturalia* hoc non spectent; tamen è Theologiâ (vide Vasquez *1. part. quæst.* 38. *num.* 15.) supponit Physicus, & santificantem Christi Domini gratiam; & Beatificam aliorum visionem de facto, terminis quibusdam circumscribi: Quam tamen utramque maximè deceret infinitam esse, si quod usquam accidens infinitè intensum foret.

An Christi gratia: an beatorum gloria sit intensa infinità?

CCV.

An detur infinitum potentiâ?

Quapropter certum est, *ut solius Naturæ, nullum infinitum actu simpliciter dictum, ne possibile quidem esse.* Quod si quæ rationes pro illo videantur pugnare; eæ, si propiùs inspiciantur, vel de solo *infinito potentiâ*; Vel certè de *infinito actu, secundum quid*, concludent. Quod utrumque dari, ultrò cum aliis fatemur. Ita enim multitudo partium proportionalium, & punctorum, est infinita actu secundum quid, id est secundum distinctionem realem; entium incompletorum: Non autem simpliciter, & secundum realem etiam divisionem entium completorum. Vide Rub. 3. *ph. num.* 74. & Suar. &c.

An Deus cognoscat infinitum actu?

Quin Deus opt. Max. cognoscat *infinitum actu increatum*, videlicet *se ipsum*; res item omnes æquè *possibiles* ac *futuras*, non est dubium. An verò etiam cognoscat distinctè, *multitudinem actu infinitam* entium completorum possibilium, id quæritur. Nos cum magnis auctoribus affirmamus. *Vasq. 1. p. d. 26. Rub. 3. ph. nu. 78. cum S. Thom. Cajet. Fere Rona. Rich. Vald.* Nam multitudo actu infinita est, in cujus partibus actu divisis non est ultima: Sed in collectivâ multitudine rerum, quas Deus objectivè simul cognoscit, sibi possibiles, non est ultima: alioquî perveniret aliquando ad talem determinatam partem, ultra quam nullam aliam neq; producere, neque cognoscere posset: ergo.

Quo modo illud cognoscat?

Ex eo autem, quod S. Aug. 18. civit. c. 12. dicit, *Deum totam multitudinem rerum possibilium ineffabili modo per suam comprehensionem finire*; Non sequitur finitam esse aut partem ultimam habere. Vult enim solùm, illam multitudinem totam ita intra scientiam Dei concludi, ut nulla pars extra scientiam illius sit. Quod verò est intrà scientiam Dei id analogicè dicitur ab eâ tanquam à quodam termino claudente, finiri. Neq; dicas, Deus videt distinctè omnes partes illius multitudinis: ergo etiam ultimam. Quia inter illas nulla est, quæ sit ultima: ac proinde mirum non est, si Deus illam non videat. Sicut ex communi sententiâ, neque primam *proportionalem partem in motu, & quanto* videt; ob eandem caussam.

An in infinito Deus videat ultimam partem? An in motu & quanto proportionalem primam?

Objectio.

His autem non obstat, quod Deus cognoscat res, sicut ipsæ sunt, aut erunt, &c. nunquam autem sunt actu infinitæ: ergo neq; cognoscit actu infinitas.

Satisfactio.

Respondemus; Deum eas non ita cognoscere, tanquam habeant simul omnes realem existentiam extra suas caussas; sed quod ei simul omnes objiciantur, ut possibiles. Quare, licèt etiam per *scientiam visionis* cognoscat tantummodò res futuras: in nullo autem tempore designatè futuro, verum sit dicere, *jam esse infinitas*; cùm usque ad quodlibet signatum tempus futura multitudo sit tantummodò finita: tamen in totâ durationis congerie futura est multitudo infinita, sed talis, quæ nunquam sit ad actum ita reducenda, ut tota simul aliquando sit præterita. *Vasq. 1. p. d. 63. num. 12.*

Stricte positio, quæ cohærent hæc omnia.

CCVI.

Quanta sit authoritatis sententia, quæ negat posse à Deo produci creaturas infinitas?

Ex istis porrò conjecerit aliquis: Deo igitur possibile esse ut infinitum actu, vel in multitudine, vel in mole faciat: Cui tamen paradoxo communiter reclametur. Et certè si sola gravitas auctorum, & numerus ac vetustas doctorum censeatur, (quibus omnia jure deferimus) necesse erit, fateamur, *infinitum actu*, defendi nec posse, nec debere. Quanquam, si solûm rationum pondera examinentur, quibus *infinitum* damnarunt; non desunt auctores, qui palàm dicant, nondùm se ullis esse manifestò convictos: ita ut videantur pleraque ferè argumenta, non improbabiliter posse dissolvi.

Primò, si Deus *infinitum* faceret; faceret utique omnia, quæ posset. Sic autem nihil superesset Deo ulterius possibile; & consequenter exhausta ejus omnipotentia esset: ergo. Peccat argumentum bifariam Primò: Quia etiamsi faceret infinitum unius speciei; restarent & ejusdē & aliarum specierum plura individua adhuc possibilia: Neque hæc ex illis, sed illa tamen ex his inferuntur. Secundò; Quia etiamsi omnia possibilia Deus simul produceret. Sicut cognoscit simul; ideò tamen omnipotens esse non desineret: tum quia eadem destruere, iterùmque de novo posset producere: tum quia ipsa conservatio esset perpetua productio: tum demùm, quia sicut heri productum Petrum, Deus non potest hodie primum producere (posito quod illum non iterùm destruxerit) & tamen non dicitur amisisse suam omnipotentiam: sic, etiam si omnia simul produceret; Quia par est ratio.

An exhauriri possit omnipotentia?

Conservatio est productio permanens.

An unum infinitū sit majus altero?

Secundò. Faciat Deus infinitos homines, si potest; fient simul bis infiniti pedes; decies infiniti digiti; millies infiniti capilli. Verùm hæc sequela vulgo magis quam rationi absurda est. Quid enim à philosophiâ abhorrens concesserit, qui alterum infinitum altero *materialiter* majus minusve dixerit? ita, ut si per impossibile utrumque infinitum absolveretur, citiùs *infiniti homines*, quam eorundem *infiniti digiti* numerarentur. Sufficit enim, ut *formaliter* alterum altero majus non sit: quod quidem semper habebitur. Nam utrumque carebit termino: in quâ carentiâ, formalitas infiniti consistit. *Rub. 3. ph. t. 2. num. 94.*

Hæc instantia multis modis proponi, & solvi solet.

Tertiò. Infiniti sint homines, qui singulos lapides in unum cumulum conjiciant: quæritur, quot indidem singuli possint recipere? Non utiq; singulos duntaxat; quia numerus infinitus, quantumcumq; singuli tollant, debebit sufficere. Non etiam singuli multos; quia posuerunt illic tantùm singulos: ergo. Respondemus: Singulos successivè tollere posse quantumcunq; numerum; & nunquam tamen exhaustum

hauſtum iri cumulum: ſi autem univerſi ſimul tollant, tunc à ſingulis non niſi ſingulos tolli poſſe, &c. Plura hoc genus alia objiciuntur; v.g. quod multitudo infinita, non poneretur in aliquâ ſpecie numeri; quod moles infinita non haberet figuram, nec locum, &c. verum hæ finiti tantùm corporis affectiones ſunt: ab infinito abſunt, ſinè abſurdo.

An multitudo infinita ſit numerus?

De Circulo, & Triangulo infinito.

Sed præ aliis inſolubile iſtud unum putant. Si ab eodem puncto duæ lineæ obliquæ in infinitum protenderentur, aut Circulus infinitus duceretur; tunc ſpacium tam inter lineas obliquas, quam inter circuli circumferentiam eſſet ſimul infinitum (quippe inter lineas infinitè diſtinctas;) & ſimul eſſet finitum; (quippe duabus lineis, vel lineâ circulari, terminatum.) Hæc autem eſt contradictio: ergo. Sudant aliqui maniter in hoc labyrintho: dum & fieri tale infinitum poſſe defendunt; & contradictionem ſubeſſe inficiantur.

Nos libenter damus, impoſſibile hujuſmodi *infinitum* eſſe; ſicut & multa *alia infinita*; quæ ingenioſè ad caſus Metaphyſicos excogitantur.

Quia tamen hæc impoſſibilitas non ex *ratione infiniti*, ſed ex capite alio, per accidens annexo, oritur; ideò non ſequitur inde, per ſe nullum aliud *infinitum* fieri poſſe. Si enim Deus unam lineam rectam, aut plures parallelas in infinitum extenderet, prædicta contradictio minimè ſequeretur. Quare indicium eſt; eam non oriri ex ratione *infiniti*; alioqui perindè in unâ etiam lineâ oſtenderetur. Simili ferè modo, ſi velit Deus facere duos montes, nihil implicabit. Si velit eoſdem facere abſque mediâ valle jam implicabit, &c.

An poſſunt eſſe duo montes ſine valle? Poſſunt: ut oſtendam inferius.

Parallelum formale.

CCVII. *An in uno objecto ſint aut eſſe poſſint infinitæ formalitates?*

POſitâ Categorematici & Syncategorematici Infiniti diſtinctione inquiris. *An ſit in Mundo aliqua realitas, quæ coaleſcat è formalitatibus categorematicè infinitis?*

Reſpondeo, præter Deum nullam dari. Sanè in Deo ſunt de facto innumerabiles perfectiones: adeòque infinitæ, non ſyncategorematicè & potentiâ, ſed categorematicè & actu.

An-ne ſaltem divinitùs creari entitas poterit, quæ contineat infinitas actu formalitates?

Negativè reſpondeo, ut Phyſicæ doctrinæ conſonem: puto autem eos, qui contendunt poſſe creari Subſtantiam infinitam, Quantitatem immenſam, Qualitatem infinitè intenſam, Creaturam æternam, &c. debere neceſſariò admittere formalitates infinitas. Nam ſi Angelú v.gr. Deus, infinitæ perfectionis produceret, ille haberet infinitas perfectiones realiter identificatas, ideòq; formalitates infinitas. Si hominem infinitum Deus, quot partes phyſicas corpus, tot metalogicas haberet Anima: quod reales illud, tot hæc objectivas & formales. Si vel Gratiam infinitã animæ, vel Fidem intellectui infinitam, aut infinitam Charitatem voluntati Deus inderet, & intenſio fieret per additionem partis ad parté, tunc forma intenſa haberet infinitas particulas reales, quibus totidem in ſubjecto reſponderent formalitates receptivæ. Si autem intenſio fieret per radicationem profundioré, tunc iſtæ ſupernaturales formæ dicerentur realiter indiviſibiles, at haberent infinitos grad9 radicationis, qui qualitercumq; exponantur, debebunt diſtingui formaliter.

De Angelo infinito.

De homine infinito.

De qualitate infinita.

An intenſio per radicationẽ fiat, an per additionẽ partis ad partem?

ARTICULUS II.

Reducitur ad ſua fundamenta phyſica Diſtinctio formalis, quæ non præcedit ſed ſequitur mentis operationem, & defenditur hodie à Thomiſtis.

CCVIII. *Analogia Phyſica & Metalogica.*

DIſtinctionem formalem, qualẽ debent propugnare Scotiſtæ, illuſtravi ſupponens in Continuo antè realem diviſionem & menti: quamcumq; conſignationem eſſe actuales partes: ratio enim videbatur exigere, ut de Quanto formali ſicut de phyſico philoſophemur. Sed quid dicemus, ſi ponamus contrarium? Quid, ſi ſtatuamus nullas eſſe partes actuales in Continuo ante diviſionem aut deſignationem? Poſtulat conſequentia doctrinæ ut pariformiter philoſophando inferamus in Quanto Metalogico ſeu objectivo nullas eſſe partes formales, nullas formalitates diſtinctas formaliter actu antè mentis operationem, ſed ſolummodò diſtinguibiles, adeòq; diſtinctas potentialiter, aut fundamentaliter, ut alii loquuntur. Vt ergo conſequentia innoteſcat, proponam doctrinã Phyſicam ad literam, quam Præſide Andreâ Capittel P. Petrus Martini Franciſcanus propugnavit Dilingæ Idibus Martiis añi 1619. à quâ Metalogicas Ecthèſes inferam. Ponam illam ad literã (quod & feci præcedente articulo in quo verba formalia Iacobi Bidermani & Ioannis Fridolini propoſui) ne ſi meis utar, in Phyſicis videar illa meis dogmatibus attemperare: ſumma enim in intentionalibus & formalibus libertas eſt, & quid de Continuo molis dicat Phyſicus, id ſtatim poterit Metalogicus adſcribere Quanto formali.

FVNDAMENTVM I.

PHYSICVM.

An Continuum habeat actuales partes.

CCIX. *Quid ſenſerit Philoſophus?*

IN Continuo non dari partes actu apud Ariſtotelem, nobis videtur certum: è pluribus pauca accipe. Octavo Phyſicorum textu 68. ait, *in Continuo multa eſſe dimidia, non tamen actu, ſed ſolùm potentiâ:* ſicq; ſoluit argumentũ Zenonis tollentis motũ, eo quod infinitũ non poſſit pertranſiri. Reſpondet enim infinitas partes, ſi actu exiſtant, non poſſe pertranſiri: poſſe tamen, ſi exiſtant ſolùm in potentiâ. Tertio de Anima text. 23. *in longitudine ſeu lineâ, ſi nõ ſit actu diviſa, non eſſe dimidia, niſi potentiâ.* Septimo Metaphyſicæ text. 49. *Duplum eſſe duo dimidia in potentiâ.* Et libro de Senſu, & Senſibi. c. 6. *in bipedali non eſſe duas pedalitates niſi in potentiâ.*

An Ariſtoteles agat de diſtinctione?

Nec nos latet effugiũ Gregorii & Sequaciũ; nimirùm partes in Continuo ſecundũ Ariſtotelem, non eſſe actu diviſas, vel ſeparatas, non verò, non eſſe actu diſtinctas: adeòque eſſe in potentiâ, in ordine ad diviſionem, nõ in ordine ad diſtinctionem. Nimirùm non ſatis eſt, Ariſtotelis apud inferos torqueri animum; niſi in terris libri etiam torqueantur. An non t. 68. 8. phyſ. ait, *eum, qui numerat dimidia in Continuo, ea facere?* & ibid. t. 63. *Si mobile motum interrumpat, iterumque movere incipiat, facere duo ipſum continuum, perindè, ac ſi cogitaret?* id eſt, perinde ac facit is, qui cogitat.

Paral-

Parallelum formale.

CCX. *An formalitates ante mentis operationem sint distinctæ?*

ERgo in Quanto objectivo non dari partes, aut formalitates actu ante mentis operationem debent asserere Peripatetici, aut suum Magistrum deserere, & aliter loqui in Physicis, & aliter in Metalogicis. Nam si in Continuo physico multa sunt dimidia apud Aristotelem; non tamen actu sed potentiâ: in Quanto metalogico (nimirùm formali & objectivo) antè mentis operationē multæ erunt partes formales; non tamen actu, sed potentiâ: & ut hæc ipsa doctrina aliquo illustretur exemplo, in quâcumq; specie erunt duæ formalitates (in Homine Animal & Rationale) utraq; ante mentis operationem; non tamen antè mentis operationem distinguentur actu formaliter, sed potentialiter & fundamentaliter. Quamobrem, sicut in lineâ partes fiunt, cùm dividitur: sic in conceptu Hominis formalitates Generis & Differentiæ, non præexistunt distinctæ formaliter actu, sed fiunt & distinguuntur, cùm mentis acie præcinduntur.

An datur motus. Argumentum Zenonis de motu, quod exercuit Veteres Physicos, potest & solet vexare Metalogicos Scotistas, qui admittunt formalitates distinctas ante mentis operationem. *Sic argumentabatur Zeno physicè.* Linea A B C. habet partes infinitas; At infinitæ pertransiri non possunt: ergo corpus A non poterit moveri ab A in B, vel C; Confirmatur. Vt moveatur corpus A. & motu suo describat lineā A B C. debet incipere à primâ & à minimâ parte: sed non datur prima, non datur minima (nam quâcumq; assignatâ semper erit alia anterior & minor) ergo nunquam poterit incipere: ergo non datur motus. *Figuram habet lamina tertiâ logicâ, num. 25.* *Cur non & Metalogicè, probaret non dari doctrinam?* Cur non diceret; Ordo doctrinæ postulat, ut à superioribus, prioribus & universalioribus incipiamus, & inde singula percurrendo ad particularia deveniamus: at antequam veniamus ad conceptum Hominis sunt formalitates infinitæ: & infinitæ pertransiri non possunt: ergò nemo discursu mentis ad hominem pervenire poterit. Igitur non datur discursus. Igitur nec doctrina. *An datur doctrina?* Confirmatur. Vt moveatur mens, & à nihilo ad Hominem discurrat, debet incipere à formalitate simpliciore, superiore, universaliore & priore: sed talis formalitas non reperitur: Ergo neque mens discurrere poterit. *An datur formalitas universalissima?* Majorem supponeret Zeno, & minorem probaret: quia quæcumque assignabilis formalitas, esset bonâ veniâ Aristotelis, partibilis in binas alias; adeòq; nulla esset simplicissima, nulla suprema, nulla universalissima, nulla prima.

Respondet Aristoteles argumento physico asserendo illud benè fluere, si darentur in Quanto physico partes distinctæ actu: & nunc malè procedere, quia non dantur distinctæ actu, sed potentiâ. Ergo respondere poterit argumento metalogico asserendo illud benè procedere, si darentur in Quanto formali formalitates & præcisiones objectivæ distinctæ formaliter actu ante mentis operationem: at illud nunc malè formari, quia antè mentis operationem in Homine verbi gratiâ duæ formalitates (Animal & Rationale.) & sic etiam cæteræ, in quas infinitum poterunt istæ dividi & subdividi, non dantur actu sed potentiâ.

Præterea. Si partes reales in Continuo physico non sunt antequam mensurentur & numerentur; sed illas ille facit, qui mensurat & numerat: quod Aristoteles, ut vidimus, docet octavi Physicorum textu 68. sequentur dubio procul partes formales non esse in Quanto formali, antequam cogitentur, præscindantur, & abstrahantur: quod nunc docemus.

FUNDAMENTUM II. PHYSICUM.

Eadem Assertio confirmatur.

ET libri noni Metaphysices textu XI. ait, (nempè, Aristoteles) *in toto esse dimidia in potentiâ, sicut in ligno est Mercurius.* Hinc argumentor. Eo modo Negat Aristoteles partes actu in Continuo, quo affirmat eas actu poni ab eo, qui cogitat, qui numerat dimidia; & eo modo eas esse in potentiâ, quo Mercurius est potentia in ligno; certum autem est, quod neque is, qui numerat & cogitat partes, eas actu dividat aut separet divisione reali, per quam quævis existat, ut aliquod totum: certumque est Mercurium, dum è ligno educitur, ab eo non dividi aut separari. Ergo actualitas, quam negat Aristoteles partibus; & potentialitas, quam affirmat, non est solùm divisionis, aut separationis, sed distinctionis quoque. CCXI. *Quo modo in continuo sint partes?*

Parallelum formale.

IGitur genus est in specie, Animal in Homine, &c. sicut Mercurius in ligno, sicut Phœbus in lapide. An-ne in ligno ille, in saxo iste actu ante dedolationem & excisionem? minimè. Opus est priùs expungantur partes superfluę, & illis excisis apparebūt Mercurius & Phœbus, qui latebant. An-ne in Homine Animal, in Animali Vivens ante mentis operationem? minimè actu. Opus est enim, ut priùs exscindantur & abstrahantur formalitates superfluæ, (Rationalitas ab Homine, & Sensibilitas ab Animali) & his præcisis & abstractis concipietur Animal quod in Homine fuerat potentiâ, & Vivens quod in Animali similiter fuerat potentiâ. *Quo modo genus & differentia sint in specie?*

FUNDAMENTUM III. PHYSICUM.

Eadem Assertio probatur à priori.

NEc (præter Authoritatem Aristotelis, locis citatis, Alexandri, Simplicii, Themistii, Auerrois, Alberti, &c.) desunt conclusioni nostræ efficaces rationes, & primo à priori Distinctio entis unius ab altero, solùm provenit ex illius entis finitate; sed partes continui non habent eam finitatem; quæ nihil aliud est, quàm negatio ulterioris extensionis; CC.XII. *Vnde nascatur distinctio realis?*

nis; quàm certè pars in medio Continui antè operationem intellectûs distinguentis vel agentis dividentis, non habet; falsum enim est, quòd lignum u. gr. bipalmare in medio sui non ulteriùs protendatur.

Parallelum formale.

CCXIII. *Vnde formalis?* HÆc eadem ratio physica ad metalogicam transire potest, & probare non dari in Quanto formali formalitates distinctas actu ante mentis operationem. Sic argumentor. Distinctio unius formalitatis ab alterâ, solùm provenit ex illius finitate: Sed in Petro u. gr. formalitates istæ, Petreitas, Rationalitas, Animalitas, ante mentis operationem non habent eam finitatem: Ergo non distinguuntur. Probatur minor: nam finitas in Animali nihil aliud est, quàm negatio ulterioris perfectionis & contractionis; quam certè Animalitas ante operationem intellectûs præscindentis, distinguentis, & abstrahentis non habet: falsum est enim, quod in Petro Animalitas non ulteriùs protendatur contrahatur & perficiatur realiter.

FVNDAMENTVM IV. PHYSICVM.

Eadem Assertio à posteriori roboratur.

CCXIV. *An detur infinitum actu?* A Posteriori etiam probari poterit ex absurdorum sequela. Nam, si partes Continui ponantur actu distinctæ; sequitur enim Continuum componi ex indivisibilibus, & dari infinitum actu. Si enim quælibet pars est extra aliam, tanta erit omnium multitudo, & magnitudo cujusque, quanta esset, si omnes essent divisæ: cùm enim non uniantur nisi per indivisibile; non potest quælibet earum esse major, dum est unita cum alterâ, quam si esset divisa: copula enim indivisibilis, non facit eas majores: atqui, si omnes essent divisæ, nulla esset divisibilis, ut patet ex terminis: ergo similiter, si omnes actu sint distinctæ, omnes erunt indivisibiles. Item omnes erunt actu infinitæ; quia actu distinctæ & æquales; quia omnes indivisibiles. Sed finge partes esse divisibiles, actu tamen distinctas: cùm enim omnes sint actu & infinitæ; vel erunt æquales & sic asseris proprium infinitum; vel inæquales; & tunc tolle à majori excessum fietque æqualis minori, & remanebunt infinitæ æquales actu.

Infinitum actu non requirit partes infinitas æquales (nota id bene) sed infinitas determinatas.

Parallelum formale.

ET quidem hæc ratio etiam ad Metalogicam reduci poterit, & Scotistas petere. Si enim formalitates Quanti objectivi ponantur distingui actu ante mentis operationem, sequitur Quantum formale componi ex formalitatibus indivisibilibus, & dari infinitum actu. Esse indivisibiles probatur: quia omnes sunt actu distinctæ, ergo omnes actu divisæ. Patet consequentia: quia formalis divisio nihil aliud est, quàm distinctio. Esse infinitas persuadetur: quia non sunt numerabiles & finitæ, & tamen sunt omnes actu, ergo actu infinitæ.

FVNDAMENTVM V. PHYSICVM.

Eadem Assertio contrà adversarios propugnatur.

OPpones tamen *primò*. Quantum est divisibile in ea, quæ insunt. Continui partes copulantur termino communi. Ergo partes insunt in Continuo. *Secundò.* Objicit Hurtadus. Continuum, utpotè totum, dicit relationem ad partes. *Tertiò.* Ex duabus aquis palmaribus fit una composita ex utrâque actu manente. *Quartò.* Non-ne palmus cœli ad orientem, est distinctus à palmo, qui est ad occidentem? Non-ne ejusdem bacilli hæc pars nigra, est distincta ab hac albicante? combusta à viridi, & vegetâ? existens in aqua, ab existente in aëre? CCXV. *Objectiones.*

Ad primum. Respondeo Definitionem illam potiùs traditam esse ex usu loquendi, & concipiendi Mathematicorum, quam ex vigore rei definitæ. Sed esto. Non intelligitur de partibus actu distinctis, sed potentialibus, & assignabilibus. Per divisionem autem, tam mentalem, seu designativam, quàm realem, & Physicam partium, nihil reale positivum de novo producitur, sed sola terminatio, & finitas, id est, negatio ulterioris protensionis. *Quantum est divisibile, non quod habeat partes, distinctas, sed distinguibiles.* N. B.

Ad secundum Nego assumptum. Continuum enim dicitur totum, non à pluribus entitatibus actu distinctis; non in rigore, & prout ratio totius dicit unum aliquid ex pluribus verè pluribus; sed similitudinariè tantùm ab una entitate determinabili in plures entitates, communi loquendi modo appellatas partes: quo pacto palmum abscissum à bipalmari quantitate vocamus partem; cùm tamen amplius non exerceat munus partis. *An verè sint partes in toto?*

Dixi consultò; *Continuum homogeneum*; quia totum heterogeneum habet partes entitativas, & essentiales heterogeneas actu distinctas; u. gr. formam, & materiam: partes tamen materiæ, & formæ secundum se, & inter se non sunt distinctæ. Organa item heterogenea, ut manus, pes, oculi, inter se actu distincta sunt, non ratione quantitatis, aut materiæ, quæ est una continua per totum corpus; sed ratione formarum substantialium partialium diversarum, carnis, ossis, nervi, &c. Vndè jejuna est hæc illatio; Continuum est una entitas, ergo caput erit pes; quia hæc Organa involuunt formas substantiales diversas actu distinctas. Rectiùs sic inferres. Ergo quantitas, aut materia, aut etiam forma totalis capitis, anima, u. gr. Leonis, eadem est per continuationem, non per indivisibilitatem, cum illa, quæ est in pede. CCXVI. *Distinctio partium ratione diversarum formarum.*

Ad Tertium. Negamus assumptum: Nam in aquâ bipalmari non est vera compositio

ex plu-

ex pluribus actu distinctis, qualis E. C. formæ, & materiæ; sed similitudinaria solùm & virtualis. Neque enim duæ illæ aquæ unitæ retinent finitatem, & terminationem: consequenter nec distinctionem; distinctio enim, sicut & individuatio, non sequitur ad entitatem aut existentiam quomodolibet; sed ut habentem rationem ultimi termini terminantis rem in suâ specie. Neque Deus cognoscit illas, ut actu, sed ut potentiâ distinctas: quod sufficit ad hoc, ut eas possit denuò saparare ab invicem.

Quo Deus modo cognoscat contentas partes?

Ad Quartum respondeo primò jam ab Adversario designari certas partes; respectu cujus designationis, dedero esse distinctas actu. Secundò. Nego partem ejusdem Cœli Orientalem, & Occidentalem antè designationem esse actu distinctas; verè enim pars cœli Orientalis protenditur ulteriùs, neque ibi terminatur; ubi autem non est terminus, ibi nec distinctio. Et ut ait S. Doctor 7. Meta. in tract. 49. quidquid in cœlo est, concluditur sub unâ formâ, & extensione. Bacillus autem partim in aëre, partim in aquâ; partim niger, partim albus, non dicit distinctionem partium quantitatis, aut propriæ entitatis; sed loci tantùm, & accidentium, sicut ramus dimidio virens, & dimidio aridus, formæ substantialis, non verò partium quantitatis distinctionem.

An ubi, qui dicit partem orientalem & occidentalem designando distinguat?

Parallelum formale.

CCXVII. Quatuor istæ objectiones etiam Metalogicè proponi possunt: nimirùm pro distinctione formali Scoti contrà distinctionem formalem D. Thomæ. Posset enim argumentari aliquis *primò*. Quantum formale est quod potest dividi in partes formales: ergò habet antè divisionem partes, in quas potest dividi. Confirmatur. Quanti formalis partes identificantur: habet ergo ante mentis operationem partes formales, quæ identificantur. *Secundò*. Quantum formale est totum quoddam & dicit relationem ad partes: nam Species dicit relationem ad Genus & Differentiam, quibus componitur. *Tertiò*. Ex perfectione Animalis & perfectione Angeli fit una realitas, quæ est Homo, utrâque perfectione actu manente: ergo ante omne mentis beneficium Animalitas & Rationalitas distinguentur formaliter. *Quartò*, Non-ne in Leone ex. gr. id, in quo est similis Homini antè mentis operationem est distinctum ab eo, in quo est dissimilis Homini? An-non in plantâ, antè mentis omnem operationem est formalitas corporis communis metallis & lapidibus, & formalitas vitæ non communis: ergò istæ distinguentur formaliter. *Et tandem* aqua & aër, non-ne conveniunt in ratione elementi, & differunt in taleitatibus: istæ igitur antè mentis operationem à ratione elementi (pono esse illa substantias) distinguentur.

Objectiones contra Thomisticam formalitatem.

CCXVIII. Sed hæ rationes sincerum Thomistam non urgent. *Non prima*: quia vel illa Quanti formalis definitio infert aliquid contrà doctrinam D. Thomæ, vel non infert: si non infert, frustra assumitur ab Adversariis: si infert, poterit rejici: non enim est dogma fidei, quod debeat admitti necessariò. Sed re benè examinatâ nihil infert: cùm quia nomen partis non importat actualem distinctionem, sed distinguibilitatem: tùm quia divisibilitas nullum importat actum: nam, ut res sit realiter aut formaliter divisibilis, non debet habere partes actu distinctas; sed sufficit, si habeat distinguibiles.

Quid potius nomine intelligendum sit?

Non secunda: quia Quantum, tàm reale, quàm formale, est totum potentiale, habens partes potentiales; adeòque vel dicet relationem etiam potentialem: vel si mavis, actualem ad partes verò potentiales. Non enim in specie antè abstractionem intellectûs reperitur formaliter Genus & Differentia; sed potentialiter tantummodò: adeòque nec in Homine ante mentis operationem reperitur actualiter Animal & Rationale, sed tantùm potentialiter & fundamentaliter.

An detur actualis relatio ad terminos potentiales?

Non tertia: quia posset aliquis negare perfectionem Angelicam reperiri in Homine, quem diminuit Deus paulò minùs ab Angelis: sed ego non scio utrùm ille locus de omnibus Angelis, qui de facto sunt, debeat intelligi: &, si debeat, an Angelorum minimus Homine dicatur nobilior ob dotes supernaturales, an propter naturales tantummodò: tàm enim stupidos & ignorantes introducit B. Richalmus, Pulchræ vallis Abbas, aliquos Dæmones, ut in naturalibus Homini concedere videantur. Sed quidquid fit de Angelis, qui sunt de facto, ego non video, cur non possit Deus creare Angelos Hominibus imperfectiores? & ideò condono priorem antecedentis partem; nego tamen Angelicam & Animalem (Rationalem & Sensibilem) perfectionem manere formaliter distinctas: quià cùm non retineant finitatem, quam antea habebant, neque distinctionem retinebunt. Si roges, An-non Deus cognoscat Animalitatem & Rationalitatem esse duas formalitates? nam, si Deus illas duas esse cognoscat, illæ erunt duæ; non enim res cognoscit Deus aliter, quàm sunt in se. Respondeo Deum vitrum antequam frangatur à me, cognoscere ut frangibile, & si à me frangitur, ut fractum: adeòque Hominem, antequam mentis acie præscindatur à me in formalitates objectivas, cognoscere ut divisibilem & præscissibilem; & post operationem mentis meæ, ut divisum, præscissum & dissolutum in suas formalitates.

An perfectio Angelica inveniatur in homine?

An omnes Angeli sint nobiliores homine?

An Deus cognoscat formalitates, ut plures?

Non quarta: quià omnis similitudo creata est similitudo imperfecta, atque ideò nonnihil dissimilitudinis imbibens. Et hanc ob rem ante mentis operationem non distinguitur, ne formaliter quidem, ratio in qua Leo est Homini similis, ab illâ in quâ est dissimilis: sed hoc habet ab intellectu omnem dissimilitudinem excidente, & similitudinem meram observante. Et idem de plantâ & elementis dicito.

Similitudo imperfecta.

FVN-

FUNDAMENTUM VI. PHYSICUM.

Satisfit rationi scrupulosæ.

CCXIX. *Explicatur Textus Concilii Tridentini.*

FOrtiorem admovet arietem Rub. 6. phys. tract. de composit. contin. num. 45. è SS. Concilio Tridentino quod sess. 13. c. 1. & 3. definit totum & integrum Corpus Christi, verè realiter & substantialiter contineri in Hostiâ consecratâ, & in singulis ejus partibus, etiam antè divisionem. Respondeo (ait P. Andreas Capitel) SS. Concilii definitionem optimè consistere cum partibus in potentiâ. Non enim definivit, Corpus Christi Domini esse sub singulis partibus actu distinctis; sed absolutè ait. sub singulis partibus: ità videlicet, ut nulla sit pars assignabilis, in quâ non sit actu etiam antè divisionem, totum Christi Domini Corpus. Quod si aliam sciremus SS. Concilii mentem, eam nos, calcatâ etiam nostrâ, exosculare mur: valeant enim rationes omnes, & momenta Phylosophorum, ut Ecclesiæ, Fideique constet authoritas.

Quantâ submissione debeamus sanctuliterum mentem subjicere?

Parallelum formale.

CCXX. SIcut in Physicam Adversarii, sic etiam in Metalogicam Religione abutuntur, & argumenta ex ipsis articulis Fidei desumunt: sed utraque unâ solutione expediuntur. Sic illi arguunt. Ante mentis operationem dantur Genera, Species, Differentiæ, &c. Sed non distincta realiter: ergò formaliter. Consequentia legitima: minor apud utrosque certa: majorem probant. Quia antè mentis operationem aut fictionem est verum dicere Christum esse Hominem: & assumpsisse naturam ejusdem speciei cùm nostrâ. Et ut hoc sit verum, non est necessaria aliqua mentis nostræ fictio aut operatio; esset enim id verum, si cætera immutata manerent, etsi nullus intellectus rationalis operaretur. Præterea: si antè mentis operationem non habet majorem unitatem Christus cum Paulo, quàm cùm Leone, quàm propriè nominatur Homo, tàm propriè posset Leo vel Elephas. Ergò ne irreverenter, & impiè de Christo loquamur admittere formalitates independentes à mentis præscissione debebimus.

An Christus sit verè homo?

Sed hæc ratio non urget: cùm enim dico Genus, Differentiam: &c. cùm Animal, Rationale, &c. aliquid intelligo: non Petrum: ergo aliquid abstractum à Petro. Ergo repugnat, ut loquamur de ejusmodi formalitatibus, antequàm illas faciamus, easdem à singulari præscindendo. *Ad confirmationem dico* Christum habere majorem connexionem & unitatem possibilem & fundamentalem cùm Paulo, quàm cum Leone; quia tametsi antè mentis operationem nulla formalitas sit utrique communis, nihilominùs potest à Christo & Paulo abstrahi ratio Hominis, quæ non poterit a Christo & Leone.

Nota id bene.

Satisfeci objectioni sumptæ ex articulis Fidei: nunc eisdem opinionem D. Thomæ corroboro. Nàm de Fide est animam rationalem esse formam humani corporis; (itcum Occhamo sentit Lalemandetius *in Physicâ disp. 15. par. 2. pag. 553.* & alii multi, docti à Clementinâ de summa Trinitate & Fide Catholicâ.) at si in realitate Animæ antè mentis operationem distingueretur formalitas Corporis à Vitalitate, Sensibilitate, & Rationalitate, rationalitas non informaret corpus, tametsi formæ corporis identificaretur: ergo antè mentis operationem nulla datur distinctio graduum. Probo minorem. Quia in hoc syllogismo, *Corporeitas est forma corporis: Rationalitas est corporeitas: ergo Rationalitas est forma corporis:* nihil concluditur, si antè mentis operationem (informatio est causatio realis & physica & ab abstractione nostrâ non dependens) Corporeitas distinguitur formaliter à Rationalitate: est enim similis huic; *Divinitas communicatur Filio; Paternitas est Divinitas: ergo Paternitas communicatur Filio.* Ergò antè mentis operationem Corporeitas & Rationalitas in Animâ Hominis non sunt duæ formalitates distinctæ formaliter ex natura rei: sed sunt unica simplicissima formalitas, divisibilis tamen ab intellectu in duas formalitates.

An sit de fide Animam esse formam corporis?

An illud Principiũ, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, verum sit?

ARTICULUS III.

Probatur positivis rationibus dari distinctionem ex naturâ rei.

MAgna diligentia & studio Scotistarum & Thomistarum opiniones exposui: video enim multos hodiè gloriari Scotistarum nomine, qui subtilitates Scoti intelligere nolunt, aut non possunt: multos sub D. Thomæ labaro ejus mentem adsequi: multos, qui conciliare oppositas Scholas volũt, undâ arenas miscere, & opiniones adversarias confundere. Hodiè, ut video, distinctio formalis Thomistica communior est, imò & Scotistica sublimior, & majoribus difficultatibus & tricis exposita: sed quià Scotisticam clariorem & veriorem existimo, volo illam speciali studio propugnare. CCXXI.

Vera sententia (Divi Thomæ, aut Scoti) verior sit?

Sanè distinctio ista formalis ex natura rei rejicitur omninò à Thomistis, Iesuitis, Nominalibus: defenditur à Scotistis, & curiosè à Fonseca tom. 2. *Metaph. lib. 5. c. 6. q. 6.* Hurtadus *Metaph. disp. 6. sect. 3. §. 51.* conqueritur, qoòd non viderit apud Scoticos Distinctionis istius aliquam aut diffinitionem, aut expositionem. Ergò ad cœlum priùs ivit Hurtadus, quàm Thomistas & Scotistas intellexerit. Iàm in Verbo (sic spero) omnia videns, non eget nostris Commentariis: qui aliis plurimis proderunt, ne cùm Hurtado conquerantur. Fonseca *loco citato* eam diffinivit sic: *Distinctio ex naturâ rei est, quà aliquid ab alio distinguitur præcisivâ mentis operatione,* habent alia exemplaria, *præcisâ mentis operatione:* hoc est, *præscindendo à mentis operatione.* Si pri-

Quid sit distinctio ex naturâ rei?

Si primæ lectioni stetur, definitio hæc non distinctioni Scotisticæ, sed potiùs Thomisticæ competet: si secundæ potiùs illa conveniet distinctioni physicæ actuali: ac ideirco quærenda alia, quæ meliùs exponat essentiam diffiniti. Asseritur à Fonsecâ, & Scoticis media inter realem & rationis, & tamen non exponitur nec propugnatur. Conviciis eam tuetur non rarò, qui notitiâ caret; & ut se doctum esse demonstret (sic solent multi) in dissentientes invehitur verba effulminans & injurias explodens: quid mirum? quotidiè experior. Multi loquuntur lapides, cùm primum carent syllogismis.

Cùm non suppetit ratio, ad injurias venitur.

Cæterùm ipsa Scoti doctrina indigitat satis clarè hanc distinctionem formalem sivè ex naturâ rei non esse aliquam actualem distinctionem in rebus: sed esse meram non repugnantiam remotamq; capacitatem, quam habent naturæ rerum (hinc nomini occasio) ut distinguantur, aut identificentur.

CCXXII. Hinc constat definitionem suprà ex Fonsecâ positam non competere distinctioni ex rei-naturâ seu formali, sed distinctioni physicæ: ratio est, quia distinctio ex naturâ rei non est actualis distinctio, sed solummodò potentialis aut illativa: illa enim dicuntur ante mentis operationem distingui formaliter ex naturâ rei, quæ post mentis operationem inferunt definitiones diversas.

Distinctionem ex naturâ rei diffinio sic: *Illud distinguitur ex rei naturâ ab alio, quod ex naturâ suâ nec est aliud neque distinguitur actualiter ab alio.* Hæc est genuina hujus Distinctionis expositio, juxtà quam hostium argumentis facillimo negotio satisfacies.

CCXXIII. *Collige hinc primò*, malè ab aliquibus Scoticis quæ ex natura rei distinguuntur, dici debere esse idem realiter: quia omnia, quæ distinguuntur positivè realiter, etiam ex rei naturâ distinguuntur. Equus realiter distinguitur à Leone. Cæterùm ex naturâ suâ Equus nec petit esse idem cùm Leone, nec distingui à Leone; sed ille ex naturâ suâ petit esse animal hinnibile, hic esse animal rugibile: quod autem aliter distinguatur ab alio non est de conceptu suo essentiali. Hodiè distinguuntur realiter distinctione reali superadditâ, si poneretur identitas, essent unum animal: si deficeret distinctio & identificatio, essent duo disparata supposita, videlicet nec eadem, neq; diversa. [Sed nota hîc obiter, aliud esse *distingui ex naturâ rei*, & aliud *distingui purè ex naturâ rei*: hæc enim ultima distinctio rebus realiter distinctis non competit.]

An omnia quæ distinguuntur realiter, etiam distinguantur ex naturâ rei?

Collige secundò. Perperam asseri à Fonsecâ esse separabilia, quæcumque ex rei naturâ distinguuntur. Quia, ut optimè expendit Hurtadus *Met. disp. 6. §. 54.* multa sunt ex rei naturâ distincta, quæ nequeant separari.

An distincta ex naturâ rei sint separabilia?

In divinis datur distinctio ex rei naturâ, velit nolit Fonseca, in nobiliû Theologorum sententiâ voluntas ex naturâ suâ nec est intellectus, nec distinguitur ab Intellectu: Cæterùm nec Voluntas Divina ab Intellectu, nec à Divinâ essentiâ est separabilis, nec distinguibilis realiter.

An intellectus & voluntas divina distinguantur ex naturâ rei?

Collige tertiò. Distinctionem hanc esse fundamentalem & non semper possibilem; oppositæ enim relationes divinæ distinguuntur realiter, & non possunt identificari: identificantur Paternitas & Divinitas, quæ actualiter distingui nequeunt. Ideò Scotus *in 1. dist. 2. q. 7. §. Sed hic restat ulterior difficultas:* asserit non esse hanc Distinctionem realem potentialem, hoc est extremorum, quæ possint de facto identificari, aut distingui. Aliud est ex naturâ suâ non esse idem cum alio realiter & absolutè. Voluntas Divina, verbi gratiâ ex naturâ suâ non est Natura Divina: nihilosecciùs actualiter est Natura Divina: quoniam præter suam quiditatem habet unam identificationem infinitam, quâ infinitè identificatur Naturæ Divinæ. Explico clariùs. Æthiops ex naturâ suâ non est niger, sed reverà est niger, non quia habet hominis naturam, sed quia habet nigredinem; sic similiter: Voluntas in Deo ex naturâ suâ non est idem cum Divinitate; licèt reverà sit idem cùm illâ. Ratio est quia Divinitati identificatur, non quia voluntas est, sed quia præter suam quiditatem habet unam unionem identificativam, qua Divinitati ipsi conjungitur.

An hæc distinctio sit potentialis?

An & cur voluntas identificetur divinitati?

Verbum Divinum & Pondus Divinum distinguuntur ex naturâ rei, quia ex naturâ suâ nec Verbum petit esse idem cum Pondere nec ab illo distingui. De facto autem distinguuntur realiter ratione processionis; quia Spiritus sanctus, si à Verbo Divino non procederet, nec esset idem cum Verbo, nec ab ipsissimo distingueretur, sed essent duæ personæ disparatæ. Hanc veritatem curiosè expendo in materiâ de Trinitate: sufficiat pro nunc adnotavisse.

Spiritus sanctus distinguitur à Verbo, & cur?

Quid, si ab eo non procederet?

His positis argumentor contrà aliquos Scoticos. Attributa & proprietates Divinæ distinguuntur ex naturâ rei (hoc est definitione) & nihilominùs actualiter nec re, nec ratione distinguuntur. Personæ distinguuntur ex naturâ rei (hoc est definitione), & actualiter nequeunt identificari & fieri una Persona realiter; quia Deus est immutabilis. Ergo non omnia, quæ distinguuntur ex naturâ rei, possunt distingui actualiter, actualiterve identificari. Ergo Distinctio ex naturâ rei non est distinctio potentialis seu potentia ad distinctionem & identitatem actuales. CCXXIV.

Resolutio.

Collige quartò. Distinctionem ex naturâ rei sufficere ad hoc, quòd una formalitas concipiatur ab intellectu, non conceptâ alterâ. Ratio est, quia, cùm una non sit de quiditate alteriùs, benè possum unam sinè alterâ concipere, u. gr. animal sine rationali, & Leonem sinè Equo, Essentiam Divinam sinè attributis, & sic similia. Intellectus respicit cognoscibile, Leo autem non magis cognoscibilis est proprio conceptu, si distinctus sit ab Equo, quam si cum Equo esset identificatus; identitas enim nec auget nec tollit cognoscibilitatem. Confirmatur. Candor eodem modo videtur in hostiâ consecratâ, quo anteà, quia color non est visibilis per panem, sed per suam visibilitatem. Ergò eodem modo potero concipere Paternitatem sinè Divinitate;

Positâ distinctione ex naturâ rei potest fieri formalitatû abstractio.

qu ıpossem, ſi realiter diſtinguerentur. Patet; quia cognoſcibilitas Paternitatis non eſt identificatio neque diſtinctıo à Divinitate, ſed attributum ipſius Paternitatis, quod naturâ ſuâ non petit, quod Paternitas ſit idem cum Divinitate, nec quod ab eâ diſtinguatur.

Nota hoc. Hinc patet diſtinctionem formalem ex naturâ rei non conſiſtere in hoc, quòd una formalitas concipiatur ſine alterâ; præcedit enim ante mentis operationem, & in ſuo genere eſt actualis; infert tamen capacitatem, ut una formalitas concipi poſſit ſine alterâ, & in hoc genere aut potentialis poteſt dici, aut ſaltem præcedere & inferre potentialem.

CCXXV. *Conclusio.* Maneat igitur Diſtinctionem illam, quam Scoticus nominat ex naturâ rei, competere rebus, quæ ſecundum ſua prædicata eſſentialia nec diſtingui poſtulant nec identificari: licèt realiter non poſſint identificari aut non poſſint diſtingui propter aliam rationem. *De intellectu & voluntate Dei.* Ratio intellectûs in Deo & ratio infinitatis diſtinguuntur ex naturâ rei, quia intellectus ex ſe nec petit eſſe infinitus, nec non eſſe. Scientia & Voluntas Divinæ, in quantum Divinæ ſunt, non diſtinguuntur ex naturâ rei, quia includunt eamdem numero divinitatem; ſpecificativè tamen ſumptæ, ex naturâ rei diſtinguuntur; quia mens ex ſe & ex prædicatis ſuis eſſentialibus non poſtulat aut identificari, aut non identificari voluntati. Quia ſi ex ſe talem identificationem peteret, non poſſet in homine diſtingui: & ſi ex ſe diſtinctionem peteret, non poſſet in Deo identificari.

De hac diſtinctione legendus eſt Scotus *in 1. diſt. 2. q. 7. §. ult. & diſt. 5. q. 1. & diſt. 8. q. 4. & in 2. diſt. 3. q. 1.* Eam non rarò admittit Durandus *vide in 1. diſt. 1. & in 2. diſt. 5. q. 2. ad 4. & diſt. 33. quæſt. 1.* cui ſubſcribere authores tot affirmat Suarius *tom. 1. Metaph. diſp. 7. ſect. 1. num. 13.* ut judicet prolixum recenſere.

ARTICULUS IV.

Argumenta contra Diſtinctionem Scoticam ponuntur diſſolvunturq́.

CCXXVI. *Hujus diſtinctionis vocabula.* PLurimi argumentantur contra iſtam Scoticam Diſtinctionem ex naturâ rei, & poſt prolixas vociferationes eò deveniunt, ut aſſerant impropriè talem dici: ergò erat quæſtio ſolùm de examinando nomine. Non vacat ediſſerere utrùm ſic aptè nominetur; ſed ſuppono in Scoti ſcholâ has eſſe æquivalentes poſitiones, *Diſtinguuntur formaliter: Diſtinguuntur ex naturâ rei: Diſtinguuntur definitione: Diſtinguuntur objectivè:* &c. (& tu etiam Objectivum ab Objecto diſtinguas) Ergo quidquid ſit de nomine ad rem veniamus.

Primum.

An ſit ante mentis operationem? DIſtinctio ex rei naturâ vel eſt antè mentis operationem, vel poſt; ſi poſt operationem mentis, eſt diſtinctio rationis: ſi antè, eſt realis phyſica. Nec juvat dicere eſſe realem ex naturâ rei, quia hoc eſt ludere verbis; ratio eſt, quia illud *ex naturâ rei* quod additur, non tollit, quod antè operationem intellectûs realiter reperiatur.

Reſpondeo aſſerendo diſtinctionem ex naturâ rei eſſe ante mentis operationem. Inferebatur, *Ergò realis & phyſica,* Et ego nego conſequentiam; non enim eſt realis phyſica, ſed realis ex naturâ rei. Addo ſic loqui, non eſſe ludere verbis, ſed mediam quamdam diſtinctionem inter realem phyſicam, & diſtinctionem rationis ſignificare. Et, ſi putes non tibi ſatisfieri, pono aliud argumentum tuo ſimile. Sic inquam: [Omnis perſona Divina vel eſt productiva vel non: ſi primum, erit Pater: ſi non, erit Spiritus ſanctus: ergo Verbum non erit Perſona Divina.] *De perſonâ divinâ productivâ & non productivâ.* Quid dices? Præter Patrem etiam Verbum eſſe perſonam productivam: ergò à te docebor & dicam præter diſtinctionem phyſicam, etiam diſtinctionem ex naturâ rei eſſe ante operationem intellectûs.

Secundum.

DIſtinctio ſequitur rationem Entis; ſed implicat dari Ens, quin ſit vel reale phyſicum, vel Ens rationis: ergo ſimiliter repugnat diſtinctio, quæ non ſit realis aut rationis. CCXXVII. Probatur major; quia Unum & Multa conſequuntur Ens: ergò qualia erunt multa, talis erit diſtinctio, quia hæc non niſi inter plura. Non dari Entia præter realia & rationis conſtat ex Ariſtotele 5. *Met. text. 14. & ibid. libr. 6. text. 6.*

Reſpondeo dicendo Entia rationis non dari, ut ſuperiùs probavi ſatis fusè. *An dentur Entia rationis?* Addo omnia Entia eſſe realia. Concedo repugnare diſtinctionem, quæ non ſit realis. Et hanc ob rem, ſi tot genera diſtinctionum debent aſſignari, quot ſunt Entium genera: omnis diſtinctio realis erit, nulla dabitur rationis diſtinctio, ſi quidem Ens rationis nullum datur. Primò igitur nego tot genera Diſtinctionum dari, quot Entium: datur enim rationis Diſtinctio, & tamen Entia rationis reprobantur. Secundò condono tot Diſtinctionum eſſe genera, quot Entium: & aſſero Diſtinctionem realem phyſicam eſſe inter realitates, formalem realem inter formalitates reales, formalem rationis inter formalitates rationis. Voco formalitates reales, quæ mentis operationem antecedunt, quales Scotiſtæ tuentur: & formalitates rationis, quæ mentis operationem ſequuntur, quales Thomiſtæ admittunt: *An diſtinctio rationis ſit realis?* & quidem hæ ipſæ formalitates etiam ſunt reales, non enim fictæ ſunt, ſed factæ ab intellectu.

Tertium.

HVrtadus *Met. diſp. 6. §. 56.* Eandem Scoticam diſtinctionem impugnat ſic. Illorum, quæ ex naturâ rei diſtinguuntur, unum habet negationem alterius: ergò unum non

eſt aliud,

est aliud, neque enim potest esse medium inter identitatem & negationem illius. Si ergò una natura habet negationem alterius, sunt duæ naturæ realiter & physicè distinctæ.

Respondet sibi, hanc esse distinctionem modalem, hanc responsionem impugnat ut verè insufficientem; & meritò, nam insufficiens est quæcumque solutio, quæ illegitima: & solet iste Author suis argumentis solutiones exorbitantes adfingere, ut illas impugnet evidentiùs. Hæreat igitur tantisper Hurtadus, quousque ipsi respondeamus, suum erit nostram censere responsionem, non autem, quid essemus dicturi, divinare.

Quæ ex naturâ rei, conceptu, aut definitione distinguuntur, ex hoc capite non petunt distingui aut identificari.

Satisfacio breviter negando illorum, quæ distinguuntur ex naturâ rei, unum habere negationem alterius. Ad probationem dico posse dari medium inter identificationem & distinctionem realem duarum rerum, videlicet si distinguantur merè ex natura rei: quia ex vi istius distinctionis erunt omninò disparatæ & præcisæ ab identificatione, & distinctione actuali. Ratio est, quia sicut inter essentialiter album & essentialiter non album, datur medium, nempè neutrum essentialiter exigere: ita inter actualiter identificata, & actualiter distincta: illa enim quæ nec identitatem nec actualem distinctionem ex se postulant, dicuntur distingui formaliter aut ex naturâ rei.

Quartum.

CCXXVIII. *An attributa divina distinguantur ex naturâ rei? Theologia expressiva distinguens attributa divina penes diversa connotata.*

ADdit §. 57. *Misericordia Dei ex naturâ rei non est Justitia Dei*, &c. Est propositio Scoti, & tamen ab Ecclesia damnatur: Ergò.

Stando expressivæ Philosophiæ Principiis, quæ interdùm admittit Scotus, possem negare illam propositionem, quia Misericordia Dei, Iustitia & omnes virtutes affectivæ & effectivæ, quæ in Deo sunt, non distinguuntur ab ejus voluntate; quæ prout se nobis amat, vocatur *Amicitia*; prout obstinatos odit, vocatur *Justitia*; prout pœnitentium miseretur, vocatur *Misericordia*, prout causis secundis se accomodat & operatur secundum illarum exigentiam, vocatur *Causa prima*, *Natura naturans*; & à Gentibus *Fatum*; prout ultrà leges communes operatur, *Omnipotentia* vel *Potentia absoluta*: & nihilominùs est una & eadem voluntas, quia hæ omnes virtutes non distinguuntur intrinsecè ex naturâ rei, sed intrinsecè secundùm varia connotata. Conservatâ igitur formâ argumenti, aut retineamus Misericordiam & Iustitiam, &c. illas inter se, & ab essentiâ distinguentes ex naturâ rei, quod plerique Scotistæ ruentur: aut saltem si communiorem viam inire volumus, loco Misericordiæ & Institiæ, ponamus Intellectum & Voluntatem; sunt enim attributa, quæ inter se, & ab essentiâ distinguuntur ex naturâ rei. Hac observatione propositâ argumentetur sic.

An voluntas divina, & sapien-

Intellectus Dei ex naturâ rei non est Voluntas Dei: Intellectus ex naturâ rei non est Natura Dei: ergo ex naturâ rei non est Deus.

tia divina sint Deus?

Falsum est ergò dicere, *Deus est sapiens Sapientiâ, quæ est ipse Deus*, & consequenter etiam est falsum dicere; *Deus est volens voluntate, quæ est ipse Deus.* Hæ omnes consequentiæ condemnatæ sunt in Concilio Rhemensi celebrato anno 1148. sub Eugenio III, cujus symbolum publicavit Vazquez 1. *p. d.* 120. *num.* 10.

CCXXIX. *Concilia agunt de rebus, & non de metalogicis subtilitatibus.*

Respondeo Concilium non agere de sensu formali metaphysico, sed de sensu physico actuali. Deus enim est sapiens Sapientiâ, quæ realiter est ipse Deus, non verò Sapientiâ, quæ formaliter sit ipse Deus. Concilia enim semper respiciunt sensum realem actualem: aliud enim est dicere intellectum ex se non esse divinum, aliud non esse de facto Divinum, imò & Deum. Sanè intellectus secundū sua prædicata essentialia Deus non est, quia aliàs meus etiam intellectus esset Deus: habet enim eadem quiditativa prædicata. Intellectui tamen reverà convenit quod divinus sit, & quia divinus etiam Deus est realiter; sed esse Deum non habet intellectus à suis prædicatis essentialibus, sed à Divinitate sibi infinitè unitâ, & identificatâ.

Quintum.

CCXXX. *An formalitates in Deo sint inæquales?*

ILla voluntas Dei, quæ ex naturâ rei non est Deus, vel est major, vel minor, vel æqualis Deo. Non potest Deo major asseri, quo nihil majus: non est Deo minor, quia quicquid Deo minus, creatura est: Voluntas autem Divina, quia externa est, creatura non est, ergò nec minor Deo. Superest ergò quod dicamus Divinam Voluntatem esse Deo æqualem. Tunc sic. Ergò vel dabuntur plures Dii, quod est idolatricum; vel illa Dei Voluntas ex naturâ rei est Deus, quod fuerat denegatum.

Gilberti error.

Hoc argumentum olim habuit virtutem summam contrà Gilbertum Porretanum Pictaviensem Episcopum, asserentem attributa & naturam inter se & à personis realiter actualiter distingui. Componebat is Episcopus Deum partibus realiter distinctis, non secùs atq; homo componitur: erat enim ipsius princeps assertio *Naturâ Divina, quæ Divinita dicitur, Deus non est, sed forma, quâ Deus est: quemadmodum humanitas homo non est, sed forma quâ est homo.* Hoc argumento usus Sapientissimus Bernardus noster convicit Gilbertum: qui propter hujus argumenti efficaciam (teste Hurtado §. 57.) à Concilio damnatur.

Sequor D. Bernardū: scio enim alios eum aliter explicare.

Cùm autem hic ex sensu reali ad formalem retorqueatur, perdit vires, & redditur omninò inefficax. *Respondeo* Voluntatem Divinam ex naturâ rei distingui à Naturâ Divinâ; addo quà voluntatem, nec esse æqualem neque majorem Naturâ Divinâ; quia voluntas secundum se, hoc est qua voluntas, nec est magna, nec parva, nec finita, nec infinita, sed est principium appetendi spiritualiter: addo eandem voluntatem quà Divinam includere Naturæ infinitatem, ac propterea esse plus quàm æqualem ipsi Naturæ Divinæ;

non enim solùm utraque est infinita, æterna, immensa, sed & utraque habet eandem numero infinitatem, æternitatem, immensitatem; æqualitas autem debet esse inter duas magnitudines realiter distinctas. Subjungo illam revera esse Deum. Nego tamen voluntatem etiam quà Divinam ex naturâ rei esse Deum.

CCXXXI. *An in Deo fint multa immensitates, magnitudines, aeternitates, &c.* Sed dices, saltem realiter voluntas divina est Deus: ergò saltem realiter dantur plures Dii. *Respondeo* negando consequentiam; quia Voluntas est magna, Essentiæ magnitudine, immensa Essentiæ immensitate, Divina Divinitate Essentiæ: cùmque non dentur in Divinis formaliter, nec duæ Infinitudines, nec duæ Immensitates, nec duæ Æternitates, nec duæ Divinitates; sic nec poterunt dari nec concipi, plures Infiniti, nec plures Immensi, nec plures Æterni, & per consequens nec plures Dii. Hinc venit intelligendus Athanasius in Symbolo, dum inquit: *Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus. Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus. Et tamen non tres æterni, sed unus æternus: sicut nec tres increati, nec tres immensi, sed unus increatus & unus immensus.* Et cur unus? *Quia* Patris & Filii & Spiritus sancti una est divinitas, non tres: adeòque una immensitas, una æternitas, &c.

Dixi Voluntatem Divinam ex naturâ rei non esse Deum, esse tamen realiter. Contra insurgit Hurtadus §.58. Si voluntas Divina, ait, ex naturâ Dei, non est Deus: ergò ex naturâ rei habet negationem Deitatis, quia quâ ratione aliquid non est aliud, habet negationem illius. Atqui Deus habet hanc negationem realiter actualiter: ergò Divina Voluntas realiter actualiter distinguitur ab ipso Deo.

Hæc instantia iterùm nascitur ex eo quod Hurtadus non percalluerit quid nomine *distinctionis ex naturâ rei* intelligamus. Ipsa non dicit negationem identitatis ut is author supponit, sed quidditativè non includit distinctionem aut identitatem. Vndè quæ ex naturâ rei distinguuntur, non dicuntur realiter distingui aut non distingui, sed abstrahuntur ab utroque. Hæc dicta obiter sint de errore Porretani, secutus sum communem sententiam: Vasquez re meliùs examinatâ observavit Gilbertum non posuisse in formalitatibus divinis distinctionem realem actualem, sed distinctionem minorem reali, hoc est modalem, quam ipse cum multis alis abusivè nominat ex naturâ rei: [Ego vero, ait quidam Author junior, quantùm possum ex Concilii historiâ eruere verôsimiliùs judico Gilbertum non asseruisse distinctionem ullam realem actualem antè mentis operationem; sed solùm dixisse, paternitatem debere concipi ut condistinctam intrinsecè à naturâ divinâ. Hanc fuisse ejus mentem, hoc sensu à Bernardo impugnatum, & à Concilio condemnatum suo loco persuadebo.] Omnia argumenta, quæ objiciuntur contra distinctionem præter actualem realem: deberent probare extrema hujus actualis distinctionis sublatâ hâc distinctione & non additâ identificatione esse identificata. Mea enim mens in eo consistit, quod afferar sublatâ à Corpore albedine & nigredine adhuc remanere corp⁹, quod nô sit album nec nigrum; & sublatâ similitudine & dissimilitudine, adhuc manere subjectum, quod nec simile sit nec dissimile: ac per consequens sublatâ identitate & distinctione, adhuc manere fundamenta, quæ non sint eadem neque distincta. Cæterùm ipsum *non esse ex naturâ suâ eadem neque distincta* vocatur à Scoticis *Distinguus ex naturâ rei*.

An Gilbertus Porretanus posuerit in Deo distinctionem realem an modalem an formalem? an ex naturâ rei inter essentiam & personalitates?

Inter distincta & identificata datur medium.

DISPUTATIO IV.

De Distinctione Fundamentali & Potentiali.

CCXXXII. *An coincidant nomina?* Solent multi Distinctionem Formalem, jam Fundamentalem, jam Potentialem nominate, & interrogas an benè loquantur? An hæc tria nomina, *Formale, Fundamentale, Potentiale*, sint synonyma; an etiam significatione differant: & si differant, qualiter? Respondeo semper uni & eidem distinctioni omnia hæc tria nomina appropriari posse, sæpè non; est enim inter illa aliqua differentia, quam breviter dilucidabo.

ARTICULUS I.

De Distinctione Fundamentali.

CC XXXIII. Hoc nomen illi congruit, quæ præbet fundamentum, ut vel Scotista timetur Distinctionem formalem, quæ, ut putat, existit in re antè omnem mentis operationem, non autem à nobis non fecernetur, si fundamento caretemus. Hoc etiam nomen æquè convenit illi, quæ præbet fundamentum Thomistæ, ut formalitates, quæ antè mentis operationem, (sic existimat) non distinguuntur, ipse mentis acie præcidat, dividat & distinguat. Et hæc Fundamentalis Distinctio in proximam & remotam dividitur.

Quid sit distinctio fundamentalis: & quotuplex?

Remotæ distinctionis fundamentalis nomine intelligenda venit illa realis physica, quæ invenitur inter materiam formamque; & etiam integralis, quæ inter Continui partes: hæ enim secundùm se consideratæ sunt distinctiones reales (actuales videlicèt aut potentiales, juxtà diversas opiniones,) & prout præbent fundamentum Scotistæ, ut suspicetur esse in rebus etiam distinctiones quasdam

Quid sit Remota?

dam formales seu ex naturâ rei illis physicis & realibus similes: & prout præbent fundamentum Thomistæ, ut mentis suæ activitate formales quasdam illis similes faciat, *Fundamentales* nominantur: remotè tamen. *Et quid Proximum?* Proximum enim fundamentum, est ipsa entitatis capacitas; quâ nimirùm una entitas simplicissima potest distingui in duas vel plures formalitates; vel formaliter ab ipsâ naturâ, vel ab Intellectu efficiente: & hoc sensu distinctio fundamentalis erit quasi actus quidam primus passivus distinctionis formalis; quæ in suo genere actualis est.

ARTICULUS II.

De Distinctione Potentiali.

CCXXXIV. *Quid sit Potentia & quotuplex?* Potentia dicitur in ordine ad aliquem effectum vel actum, & hanc ob rem distinctio potentialis illis rebus aut formalitatibus conveniet, quæ distingui possunt. At obiter hîc notare oportet potentiam esse duplicem, logicam & physicam, præcisivam & negativam: illamque dicere potentiam præcisam ab actu, hanc carentem actu. *An Deus habeat intellectũ & voluntatẽ per modum actûs primi?* Illam Theologi Deo adscribunt, cùm dicunt eum habere intelligendi & volendi potentias: negant hanc, quia istæ Dei potentiæ nunquam caruerunt propriis actibus.

Potentia ad distinctionem realem. Primò igitur *distinctio potentialis realis* reperietur inter duas formalitates, quæ tametsi realiter identificentur de facto, sunt distinguibiles realiter. Talis est inter partes Continui distinctio: quia de facto illæ identificantur; & tamen factâ distinctione distinguentur de facto realiter. Nimirùm stando opinioni Aristotelis & Veterum Philosophorum, quam exposui superiùs & resumam inferiùs, ubi de partibus Continui tracto.

Secundò *distinctio potentialis modalis* reperietur inter rem & modum, si illum suo subjecto identificari dicamus: nam authores plurimi sic loquuntur, nec putant ante modi corruptionem distingui actualiter; sed tunc (nimirùm, post modi corruptionem) res à modo, sicut ens à non-ente distinguetur. *Potentia ad modalē.*

Tertiò *distinctio potentialis formalis*, si agamus in sensu physico seu negativo, hoc est, si agamus de potentiâ, quæ caret actu in Scoti gymnasio non admittitur: nam realitas, quæ habet duas formalitates distinctas formaliter, nunquam fuit in potentiâ ad hanc distinctionem & formalitates habendas, nam illis nunquam caruit. At admittitur à Scholâ Doctoris Angelici, Homo enim habet distinctionem formalem potentialem, non enim habet ante excisionem genus & differentiam, sed potest in has formalitates ab intellectu activè incidi: & si hoc objectum de facto in duas formalitates ille excidat, tunc erunt duæ formalitates de facto. *Potẽtia ad formalem.*

Quartò *distinctio potentialis extrinseca*, est potentia ut res exprimatur pænes diversa connotata. *Potẽtia ad distinctionẽ extrinsecam.*

Possem alias potentiales distinctiones subscribere, sed quia minùs sunt necessariæ, & facili negotio poterunt sciri, intermittantur.

DISPUTATIO V.

De Distinctione Virtuali.

CCXXXV. *Quid sit Virtualitas?* Virtualitates, quædam sunt morales hypotheses, & si vocibus abuti nolimus in Scholasticâ Philosophiâ, aut etiam Theologiâ reperiri non possunt. At hodiè, ut video, egregiè hoc nomen torquent & etiam retorquent Recentiores; & quia exemplis Majorum non carent, indignos reprehensione se judicant. Hanc igitur disputationem in tres articulos dividam: agam in primo de Distinctione virtuali secundum Thomistarum dialectum: in secundo de eàdem Distinctione secundùm dialectum Scotistarum: in tertio de vero Virtualis Distinctionis conceptu: & hîc multa Theologis & Ethicis valdè necessaria explicabo.

ARTICULUS I.

De Distinctione Virtuali Thomistarum.

CCXXXVI. Formalitates secundùm se nec distinguuntur, nec identificantur, prout jàm vidimus. *Formalitates secundùm se.* Animalitas secundùm se est vita sensibilis: secundùm se nec est idem cum rationalitate, nec distinguitur à rationalitate: cæterùm secundùm se non repugnat illi talis distinctio, neque talis identificatio. Probo, quia si Animalitas essentialiter exigeret esse idem cùm rationalitate, illa exigentia vel esset de conceptu animalitatis vel non. Si non, ergò non est exigentia essentialis. Si est de conceptu animalitatis, ergò malè diffinitur animalitas esse vita sensibilis, quia diminutè proceditur: animalitas enim juxtà dicta esset vita sensibilis exigens identificari cum rationalitate. *Quid sit essentialiter animal?* Hanc autem diffinitionem authores universi condemnabunt: condemnabit & ratio; nam si animalitas essentialiter petit identificari rationalitati, non poterit reperiri in Bruto; illa enim animalitas, quæ in Bruto, non petit uniri & identificari cum rationalitate. *An una & eadem animalitas in homine & bruto reperiatur?* *Virtualis distinctionis* nomine intelligunt communiter Authores habitudinem duarum formalitatum identificatarum inter se. *Distinctio Virtualis.* Dicitur virtualis, quia res virtualiter

Fundamentalis.

distinctæ ita se habent ac si realiter distinguerentur. Vocatur etiam *Fundamentalis*, quia præbet fundamentum intellectui, ut abstrahat unam formalitatem ab alterâ. Nonnunquam appellatur *Distinctio potentialis extrinseca*, sivè quod idem est, rationis præcisivæ; quia formalitates virtualiter Distinctæ habent potentiam, ut distinguantur extrinsecè, hoc est, ut actibus intellectualibus realiter distinctis concipiantur.

Potentialis extrinseca.

An istæ distinctiones reperiantur in Deo?

Præter istas *Distinctionis Virtualis* acceptiones, quæ competunt Deo & Creaturis, datur specialis acceptio, quæ de creaturis solùm verificatur; Illa enim, quæ in creatis identificantur, realiter & mentaliter distingui possunt: ideò dicuntur distingui virtualiter vel potentialiter, hoc est, realiter esse identificata, posse tamen dividi & separari realiter aut intellectualiter.

Virtualis potentialis.

An sit positiva?

Virtualis igitur distinctio in hac ultimâ acceptione, nimirùm Virtualis potentialis nihil est positivum in rebus ante mentis operationem; est enim quædam non repugnantia, quæ ante omnem operationem intellectûs realiter est in animalitate u. gr. ad hoc ut realiter distinguatur à rationalitate. Ideò benè dicimus, animalitatem habere non repugnantiam, ut distinguatur à rationalitate: meliùs tamen, animalitatem non habere secundùm se repugnantiam, ut differat à rationalitate, quâcum secundùm se nec est idem nec aliud.

Explico clariùs. Corpus secundùm se nec est album, nec nigrum; nec habet essentialem exigentiam inferentem hunc vel illum colorem; habet tamen non repugnantiam, ut dealbetur, quia si ipsi repugnaret albedo, nunquam isto colore affici posset. Dicitur radicaliter esse album, hoc est, radix recipiendi albedinem. Simili etiam sensu dicitur virtualiter album, hoc est, habens virtutem saltem remotam ad recipiendam albedinem. Ergo eodem modo Animalitas, cui secundùm sua prædicata essentialia non repugnat distingui à rationali (quoniam ipsa absoluta sunt, & à rationali præciduntur) dicetur radicaliter & virtualiter à rationali ipso distingui, hoc est, habere potentiam remotam, ut distinguatur.

Distinctio radicalis.

Coincidentia vocum.

Hinc constat esse idem *distingui virtualiter*, *distingui radicaliter*, & *distingui remotè*. Dico hanc distinctionem non esse positivam, sed esse quandam non repugnantiam; quia præcisis quibuscumque attributis, modò maneant Animal & Rationale, debebit illa distinctio repetiri.

Distinctio fundamentalis.

Hæc eadem distinctio virtualis iterum Fundamentalis dicitur, & benè; quia est non repugnantia, quam habet fundamentum, ut distinguatur à termino nudè sumpto, antequam ponatur distinctio actualis relativa.

Quo modo formalitates distinguantur in Deo?

Hæc sunt *Virtualis distinctionis* acceptiones, quæ in creatis sine periculo confundi possunt, in divinis autem cautè usurpandæ sunt; quia inter Deitatem & Paternitatem u. gr. nulla distinctio potentialis aut actualis etiam rationis ratiocinatæ potest admitti: quia hæ duæ formalitates, cùm infinitè identificatæ sint, nec realiter distinguuntur, nec realiter distingui possunt; imò nec possunt concipi ut distinctæ, quia conciperentur aliter quàm sint in se. Possunt distingui præcisivè & extrinsecè, hoc est, potest Paternitas concipi non conceptâ Deitate, aut potest concipi uno actu Paternitas & alio Deitas.

Sint hæc satis: & si vis meam audire sententiam in Quæstione de nomine *Distinctionis Virtualis* nomen à totâ Philosophiâ & Theologiâ Scholasticâ expungere desiderarem, est enim morale vocabulum, nec aliud præstare poterit à proprio loco extractum & alieno implantatum, quàm mentem confundere & Ethica immiscendo Physicis scientias speculativas perturbare.

An nomen Virtualitas ad Ethicâ solam pertineat?

ARTICULUS II.

De Distinctione Virtuali Scotistarum. An eadem sit virtualis Thomistica, ac Scotistica ex naturâ rei?

CCXXXVII.

De Scoti mente.

SEmper credidi Scotum non differre à sententiâ communi; quoniam experientia me docet hodiè plurimos Thomistas, Scotistasque idem sentire omninò, & solummodò labio differre. Huic suspicioni firmiùs hæsi, cùm vidi Suarium *de Trin. c. 4. n. 2. & 5.* & *Met. d. 7. num. 13.* Aureolum *in 1. dist. 8. part. 3. art. 4. §. Responsio ad prædic.* & aliquos, quorum meminit Gregorius *in 1. dist. 8. q. 8. art. 1.* asserere ex mente Scoti distinctionem ex naturâ rei non esse aliquam actualem, sed merè virtualem sivè fundamentalem. Vndè Cajetanus *3. p. q. 3. art. 3. §. Et per hoc patet*, asseruit proprietates & attributa Dei distingui virtualiter, & addit *hoc abusivè ab aliis vocari distingui formaliter ex naturâ rei.*

Distinctio realis actualis.

Realis potentialis.

Considera hæc Scoti verba: agit de Distinctione ex naturâ rei, & ait. *Num hæc Distinctio est Realis? Respondeo, Non est propriè realis actualis, intelligendo sicut communiter intelligitur, realis actualis illa, quæ est differentia rerum & in actu: quia in una persona non est aliqua differentia rerum propter simplicitatem Divinam: & sicut non est realis actualis, ita non est realis potentialis. Potest autem vocari differentia rationis, non quod ratio sumatur pro differentiâ formatâ ab intellectu, sed ut ratio accipitur pro quiditate: Secundum quod quiditas est objectum intellectûs.* Ecce paucis verbis desumptis ex Doctore subtili *in 1. d. 2. q. 7. §. sed hic restat ulterior diff.* continentur per modum Synopseos omnia, quæ de utraque Distinctione dicebamus. Ecce utraque Distinctio formalis, etiam rationis est, & hoc nomine vocari potest, ut à reali actuali, aut reali potentiali distinguatur. Hucusque pergunt Thomistæ & Scotistæ simul: sed æquivocationem pauci intelligunt. Apud Thomistas vocatur *Distinctio rationis*, hoc est, facta à ratione: apud Scotistas verò dicitur *distinctio rationis*, hoc est, quidicatis essen-

Distinctio rationis.

Thomistarum & Scotistarum consensus & dissensus circa distinctionem formalem.

Quid quidditas?

Essentiæ, seu definitionis: nam hæc omnia consignificat *Ratio*.

Distinctio virtualis.

Præterea nec Scotum tædet nominis *distinctionis virtualis*, quia deinde exponit quid sit Distinctio ex natura rei. *Alio modo*, ait Scotus, *potest vocari Differentia virtualis, quia illud quod habet virtualem distinctionem, in se non habet rem & rem, sed est una res habens virtualiter, sive Eminenter, quasi duas realitates: quia utrique realitati, ut est in illa re, competit illud proprium, quod inest tali realitati ac si ipsa esset res distincta.*

Distinctio Eminens.

Hæc legunt Thomistæ inferuntque vel ex ipsomet constare Scoto nullam dari distinctionem mediam minorem reali, ac majorem *rationis*, quæ vere actualis sit: sed eam quam vocat ex natura rei esse naturarum, seu objectivarum rationum fundamentalem distinctionem, quæ à Thomistis apto etiam nomine *Virtualis* appellatur.

An possint Thomistæ & Scotistæ conciliari?

Respondeo id ipsum opinione multorum, qui utramque Scholam conciliare nituntur, verum esse. Addo idipsum plausibiliter & summa olim cum facilitate à nobis defensum: & posse liberè propugnari à quocunque, quin obnoxius sit alicui objectioni evidenti. *Subjungo* opinionem D. Thomæ & Scoti, tametsi videantur simillimæ, latissimo discrimine dispelci, juxta ea, quæ diximus disputatione 3. Et quia hæc duarum Scholarum confusio ex abusu nominis *Distinctionis Virtualis* suboritur, suaderem Philosophis & Theologis, ne hoc nomine extra cancellos Ethices abuterentur: in Morali enim Scientia hoc Distinctionis genus locum habet, & in Metalogicis aut Metaphysicis non habet.

Rejicitur nomen Virtualitatis.

ARTICULUS III.

De vero Virtualis Distinctionis conceptu.

CCXXXVIII. *Distinctio hæc est moralis. Quid sit moraliter distingui. Quid moraliter identificari? Quid sit matrimonium? Ejus materia & forma quæ? Virtualis identificatio.*

DIstinctio virtualis, sicut & virtualis identificatio, moralis quædam res est, non realis. Porrò distinguuntur virtualiter, *quæ verè & realiter non distinguuntur, at prudentum opinione & decreto ita se habent ac si realiter distinguerentur*: & identificantur virtualiter, *quæ tametsi vere & realiter distinguantur, nihilominus prudentum judicio & decreto ita se habent ac si realiter identificarentur.* Rem exemplis illustro. Matrimonium, contractus Sacramentalis est, & in probabili multorum sententia dicit pro materiali utriusque corpus, quod traditur, & pro formali utriusque contrahentis consensum, signis exterioribus significatum. Et tamen tam ex parte formæ, quam ex parte materiæ multa dicit, quæ realiter distincta sunt, & tamen moraliter aut virtualiter identificantur; est enim unicum Sacramentum, & unica illud materia & unica forma debet confici. Corpus igitur utriusque Conjugum transit moraliter in simplex corpus, et unusque duo in carne una; non quidem realiter sed moraliter. Et utriusque consensus constituit virtualiter unum consensum, qui est forma unici Sacramenti. Vidisti Virtualem Identificationem: virtualem Distinctionem expendo. Pono ob oculos Ferdinandum III. Archiducem Austriæ, Regem Ungariæ, Regem Bohemiæ, & Imperatorem Romanorum: qui unicus realiter est, & virtualiter multiplex; prudentum enim æstimatione & judicio ita se habet, ac si multiplex esset: nam est unica persona realiter & virtualiter multiplex: ita enim se habet, ac si multi homines ille esset.

Unum Ens unica est forma & unica materia totalis.

Virtualis Distinctionis exemplum.

Ferdinandus est moraliter multiplex.

CCXXXIX. *Confessarius virtualiter est Deus.*

Confirmat totam istam doctrinam Confessionis Sacramentum, in quo non semel virtualis Identificatio, & non semel virtualis Distinctio reperitur. Primò enim Sacerdos, qui authoritate legitima exponitur, & nomine Dei, pœnitentium peccata excipit, virtualiter loquendo est Deus; solius enim Dei est peccata hominum remittere, & tamen Sacerdos ait, *Ego te absolvo ab omnibus peccatis tuis.* Et, si dicat non-nemo, *Quis est hic, qui etiam peccata remittit?* Respondebo hunc Sacerdotem esse Deum, non quidem realiter, sed virtualiter. Hinc est quod eo sensu, quo Sacerdos Deus est, illo non est creatura, & hanc ob rem Sacerdos, quà Deus, distinguitur à se ipso quà Homine; non quidem realiter, sed virtualiter: undè nascitur, peccata dicta Confessario quà Deo, non posse revelari ab eo quà Homine; quia quà Homo Petrus nullius confessionem audivit, & quà Homo nullius peccata sacramentaliter confessa scit; &, si diceret se illa audivisse vel scire, mentiretur: illa enim quæ scit quà Deus, nescit quà Homo; & peccaret omninò, si participatione idiomatum (terminus Theologicus est, & agentibus de Incarnatione Verbi notus) abuteretur. Nam Christus realiter est Homo Deus, & tamen quà Deus sciebat diem judicii, quem quà Homo ignorabat, & ideò dixit Marci 13. 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cælo, neque Filius, nisi Pater.* Et hanc ob rem Petrus, tametsi peccata sibi concredita sciat quà Deus, eadem nescit quà Homo, & extra Pœnitentiæ Sacramentalis tribunal, si agatur de illis, veraciter dicit, *Ea nescio*, & mendaciter diceret, *Ea scio.* Eadem enim & scit & nescit, quia à se ipso distinguitur virtualiter, & hanc distinctionem sufficere, ut duo contradictoria prædicata verificentur, certum est: quoniam hæ duæ propositiones, *Ego quà Deus illa scio, & Ego quà Homo illa nescio*, non sunt contradictoriæ: quoniam tametsi sint affirmatio & negatio, & quidem ejusdem omninò prædicati, non sunt de eodem omninò subjecto, nam inter me quà Deum & me quà Hominem datur Virtualis & moralis distinctio.

Distinguitur à se ipso virtualiter.

Peccata cur possint à Confessario revelari; & cur?

Christus quà Deus distinguitur à se ipso quà homine.

Examinantur duæ contradictoriæ.

An Distinctio virtualis sit in Deo?

Quæris igitur primò, *An in divinis virtualis distinctio reperiatur?* Et respondeo quæstionem hanc sensum triplicem habere posse: nam vel supponimus Hominum libera decreta, vel solum Dei, vel tandem ab omnibus

abstrahimus & præscindimus. Et concludo distinctionem hanc virtualem dari in Deo beneficio Humani & Divini decreti; at præscindendo ab utroque non dari.

Distinctionem virtualem ortam à decreto divino, ob oculos universorum pono. Deleverat universam terram Deus aquis diluvii, eduxerat ex arcâ Noham & ejus filios, & ait Genes. 9. 11. *Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquam ultra interficietur omnis caro aquis diluvii*: &c. & considero Deum ante pactum, & post pactum; ante illud poterat aquis diluvii omnem carnem submergere, & post pactum non potest. Ergo-ne distinguitur à semetipso? est mutatus? undè hoc? Idem est realiter, qui fuerat: tantus est quantus fuerat: talis est, qualis fuerat: at illud

An Deus mutabilis virtualiter?

pactum infert distinctionem virtualem: hujus enim pacti virtute, tametsi Deus nihil perdiderit realiter, perdidit virtualiter terram totam omnemque carnem aquis inundandi potentiam, & à se ipso distinguitur ipse virtualiter: homines enim olim omnes aquis delere potuit, jam non potest: & hæc ipsa impotentia non nascitur ab aliquo defectu reali, sed à pacto; quo posito, Deus habet quidem potentiam realem inundandi & diluvio perdendi omnes homines, ità tamen se habebit, ac si ejusmodi careret potentiâ aut potestate.

Impotentia virtualis.

CCXL.

In Deo est dominium generale & speciale.

Progredior, & virtualem expono distinctionem ortam ab humano decreto: nam alio titulo Deus Ecclesiam, alio Urbem possidet: nam nomine generalis dominii omnia possidet, quæcumque fecit: at Ecclesiam præter generale & infinitum dominium, etiam speciali, nato ex consecratione & donatione; undè si per impossibile Deus careret dominio infinito, adhuc in Ecclesiis haberet proprium & speciale, quale à donatione & consecratione suboritur. Ergò si hodiè consecratur Deo templum, hodiè habet speciale in eo dominium (nimirùm quale exposui) speciale inquam, quod heri non habuit. Ergo Deus quà specialis templi dominus distinguitur à semetipso quà non dominus, & hoc non distinctione reali, sed virtuali; ab humano decreto & devotione dependente.

Distinctio rationis, & Distinctio voluntatis: quæ?

Hinc patet virtualem distinctionem non esse distinctionem rationis, sed distinctionem voluntatis. Quamobrē, sicut datur distinctio rationis ratiocinatæ, & distinctio ratiocinantis, debebit analogiâ servatâ dari distinctio voluntatis volitæ, & voluntatis volentis; & quia nec distinctiones priores benè tibi exponuntur, nec unquam posteriores audiveris, me quæso sustine, & omnia reddam tibi. Distinctio rationis ratiocinatæ, est distinctio formalitatum objectivarum (nam & formalitates & mentis objecta, *rationes* etiam nominantur) hanc stando fundamentis Scoti, mens non facit, sed reperit, & repertam considerat, & non opponitur reali, nisi dicatur vel subintelligatur *solùm rationis*; quæ enim realiter distinguuntur, etiam ratione ratiocinatâ distinguuntur, non tamen solâ ratione ratiocinatâ, sed etiam distinctione reali. [Consultò posui illud *vel subintelligatur*, quia usus obtinuit, ut illa ratione ratiocinatâ dicantur absolutè distingui, quæ solâ ratione distinguuntur.] Est igitur distinctio rationis ratiocinatæ, distinctio concepta quà talis; & ut talis sit, debet esse priùs distinctio vera (realis, formalis, potentialis, ex naturâ rei, aut alia similis) & hoc ante omnem mentis operationem: nam inter animalitatem & rationalitatem ante mentis operationem datur juxtà meum Ioannem Marcum distinctio realis, juxtà Scotum distinctio ex naturâ rei, juxta D. Thomam fundamentalis, &c. quæ sunt distinctiones rationum ratiocinatarum, hoc est formalitatum objectivarum, & cognoscibilium, quæ cognosci possunt & solent ab intellectu, qui formalitates recogitat, ut alibi exposuisse me memini. Distinctio rationis ratiocinantis consistit, non in rationibus ratiocinantis seu formalitatibus objectivis, sed in rationibus ratiocinantibus seu in actibus mentis formalibus, & hanc ob rem fit ab ipso intellectu: nimirùm clariùs aut obscurius cognoscente idem objectum; aut etiam idem objectum cognoscente & non cognoscente: & hæc ipsa reduci potest ad realem extrinsecam, quæ pendet à diverso respectu. Hinc juxta recentiorum sententiam, qui dicunt Universale esse omnia particularia confusè cognita, *Omnes homines singulares & Homo universalis* ex parte objecti coincident, uterque enim actus universos attinget, & utrumque objectum universos homines complectetur: at differet unum objectum ab altero distinctione rationis ratiocinantis, ita ut tota distinctio se teneat ex parte intellectûs; nam iidem homines distinctè cogniti sunt multa individua, & iidem confusè cogniti sunt unus Homo universalis.

Distinctio rationis ratiocinatæ.

Varia sententia.

Distinctio rationis ratiocinantis.

Distinctio realis extrinseca.

Universale confusum.

Rationes sunt formalitates objectivæ.

Consequentia doctrinæ me inducit, ut asseram dari distinctionem voluntatis distinctioni rationis respondentem: & eamdem esse duplicem dicam. Portò *voluntas* sicut & *ratio*, jam pro objecto jam pro actu formali sumitur: nam, cùm dicimus in Oratione dominicâ, *Fiat voluntas tua*, non dicimus quòd fiat volitio Dei; sed res ipsa, à Deo volita. Ergò distinctio voluntatis volitæ erit distinctio objectiva, quæ non fiat à voluntate, sed præexistat, & ab ipsâ volitâ denominetur. At distinctio voluntatis volentis, se tenebit tota ex parte voluntatis. Nam quando Ioannes ait, *Fruerer Amaryllide, si non esset ægrota*; non facit distinctionem, sed reperit; quoniam ante hunc actum voluntatis, aliud est esse Amaryllida, & aliud esse ægrotam: & hæc distinctio est objectiva & voluntatis volitæ. At quando Anselmus *Volo furari*, nimirùm primùm consensu semipleno, & posteà etiam consensu pleno, furtum volitum differet à furto; non objectivè (suppono enim utrumque actum versari circa idem objectum) sed formaliter, hoc est, distinctione volitionis volentis.

Lege attentè.

Nomina Ratio & Voluntas, possunt sumi bifariâ.

Distinctio Voluntatis volentis & volitæ.

De consensu pleno & semipleno.

CCXLI.

Distinctio præcisiva in mente, in voluntate.

Datur in mente præcisiva distinctio, & correspondet præcisiva altera in voluntate. Tunc mens præscindit, quando u.gr. affirmat de Petro quòd sit probus, & de Ioanne non af-

firmat aut negat: nimirùm, quando Thomista aut etiam Scotista cognoscit Animal, & non cognoscit Rationale. Ergo tunc voluntas præscindit quando velit hoc, & illud nec velit nec nolit. Pono exemplum in Antonio dicente, *Da mihi unum equum, modo sit velox; sit niger, albus, aut alterius cujuscunque coloris*: nam Antonius vult equum, vult velocitatem; at albedinem nec vult, nec non-vult, sed ab ipsâ præscindit. Defectu hujus doctrinæ misere oberrant illi, qui actum attritionis condemnant: nam in Scholio elimato ad Regulam sancti Benedicti *num.* 283. uberiùs dixi, datur attritio præcisiva & negativa, & datur etiam affirmativa: ex dono Spiritûs sancti prima est; secunda ex suggestione Dæmonis; tertia est vera contritio. Dicis, *Nolo lascivire, ne ad infernum condemner*, & inquiro, Quid autem facceres, si non esset infernus, & nihilominùs esset Decalogus? Si diceres *Hanc voluntatem habeo, quia datur infernus; si ille non daretur, non haberem hanc voluntatem, sed oppositam*; ostenderes Hanc attritionem esse negativam, & ex Dæmonis suggestione suborta m. Si responderes, *Hanc quidem voluntatem habeo, quia datur infernus; at si ille non daretur, etiam eamdem haberem propter amorem Dei*: ostenderes hanc attritionem esse affirmativam, & cùm contritione coincidere. Quod si nemo à te peteret, *quid faceres, si non esset infernus?* nec hoc menti occurreret; aut si occurreret, voluntas maneret suspensa; tunc esset attritio præcisiva, & ex dono Spiritûs sancti, ex se insufficiens ad delenda peccata, & tamen eadem deleret sacramento pœnitentiæ conjuncta: hæc enim attritio præcisiva à Dei liberalitate habet, quòd tametsi non sit vera contritio, itâ se habeat in pœnitentiæ sacramento ac si contritio vera esset: ac propterea attritionem præcisivam, conjunctam sacramento pœnitentiæ esse contritionem virtualiter. Hinc patet imprudenter Confessarios inquirere à suis pœnitentibus, quid facerent, si daretur talis vel talis occasio vel hypothesis; & ratio est; quia sæpè illi habent volitionem præcisivam bonam, & sufficientem; & exponuntur periculo, si proponantur occasiones aut circumstantiæ, vi quarum sint mutaturi voluntatem.

Attritio præcisiva & negativa: imò & affirmativa.

Contritio actualis.

Contritio virtualis.

Confessarii non debent venire ad hypotheses, nec interrogare pœnitentes quid facerent.

Cognoscit Homo aliqua per alienas species, ut cùm Deum Patrem per modum Senis; Angelos per modum adolescentum alatorum, &c. quæ cognoscendi improprietas transivit ad linguam, quæ rem exprimit aliquando per aliena vocabula, ut cùm dicit *ridere segetes, dolere lapides*, &c. cùm etiam Hominem mitem, vocat *Agnum*; sincerum, *Columbam*; fortem *Leonem*; velocem *Aquilam*; &c. & huc pertinere poterunt omnes Troporum aut Metaphorarum species. COGNITIO igitur IMPROPRIA *illa est, quâ cognoscitur res aliter quam est in se, nimirùm cùm non est res qualis cognoscitur, attamen de illâ itâ philosophamur ac si qualis cognoscitur, esset.* Sic ut prædestinationis & providentiæ arcana cognoscamus, cùm non possimus Deum intelligere ut est, concipimus illum per modum Principis pientissimi & potentissimi, & de ipso sicut de tali Principe philosophamur. At DICTIO IMPROPRIA est aliena & per extrinsecam aliquam similitudinem adsumpta, ut cùm anima dicitur *Navis*, tunc enim Metaphora postulat, ut mundus dicatur *Oceanus*, ratio *Gubernaculum*, affectus *Vela*, Spiritus sanctus *Aura*, cœlum *Portus*. &c.

Cognoscere per alienas species.

Loqui per aliena vocabula.

Tropi & metaphoræ.

Cognitio virtualis improprie.

Dictio propria virtute alter.

Hæc omnia ad Voluntatem transferri possunt, solentque: amat enim aliqua Homo per alienas species, cùm jubet alienigenam itâ se habere ac si esset civis; & tunc dicitur alienigenam civitate donare, aut extraneum itâ se habere ac si esset filius; & tunc dicitur extraneum adoptare. Hæc voluntas impropria est, & à Iure-consultis *Fictio Juris* vocatur, & ex ipsâ omnes Virtualitates exoriuntur.

CCXLII. Amare per alienas species.

Fictio Iuris.

Hæc est differentia inter Intellectionem impropriam & Volitionem impropriam; quòd illa necessaria sit, hæc libera; illa speculativa, hæc practica. Ideò Angelos, ut pulcherrimos eosque alatos Iuvenes intelligimus, quia eorum propria notitia, aut etiam specie caremus; & ideò impropriè eos intelligimus, quia propriè non possumus: at Vlpium Trajanum, natione Hispanum, nullo sibi sanguine conjunctum Cocceius Nerva, tertius-decimus Romanorum Imperator anno Christi 849. (sic Funccius computat) adoptavit in Filium, non quia debuit, sed quia voluit. Ecce habes Angelum, quem concipis ut alatum adolescentem, & Trajanum, quem Nerva esse ut Filium suum voluit; & in cognitione impropriâ necessitatem, & in volitione impropriâ libertatem. Rem benè examina & videbis cognitionem impropriam quâ talem esse speculativam, volitionem impropriam quâ talem esse practicam: nam impropria cognitio ut plurimum ab actibus, qui nobis non sunt liberi, sumitur; & volitio impropria est motum antecedens Regula, quâ actus futuri reguntur eliminanturque; si enim Trajanus ex Nervæ libero Decreto itâ se habet ac si esset ejus Filius, necesse erit operetur ut Filius, & à cæteris ut Filius Nervæ suspiciatur. Pono calamum & tamen has duas causales Positiones subjicio: [I. *Ideò concipio & linguâ expono fortem hominem, licèt Leo non sit, Leonis specie, quia idem aut similis effectus quâ à Leone, etiam ab Homine forti prove nit.* II. *Ideò volo Petrum esse meum Filium, tametsi meus Filius non sit* (hoc est, *ideò eum adopto*) *quia volo ut iidem omninò effectus, qui à meo Filio provenirent, ab eo proveniant.*] ut vel ex iis cognoscas Volitionem impropriam à Cognitione impropria differre, ut practicum à speculativo: nam impropria cognitio aut loquutio sumitur plerumque ab effectibus, & impropria Volitio est, à quâ effectus ipsi desumuntur.

Inter cognitionem impropriam & voluntatem impropriam differentia.

Trajanus per adoptionem Imperator.

Virtualitates esse causales tum consernunt.

Nota hanc differentiam.

Hinc patet primò, *Virtualitates posse dari in Deo post libera Voluntatis decreta*; nimirùm in divina vel humana: nàm, ut superiùs diximus, dominium illud speciale, quod in Templis habet Deus, moralitas & virtualitas quædam est, orta ex liberalitate & devotione consecrantis;

Virtualitates in divinis.

crantis: & impotentia, quæ est in Deo ad destruendum secundo diluvio totum orbem, non est realis & physica (realiter enim potest) sed est virtualis, & à pacto suborta.

Gen. 9: 11.

Hinc patet secundò, *nisi vocibus abuti velimus, non dari in Deo antè omne voluntatis (divina seu humana) decretum, vel minimam virtualitatem.* Patet, quoniam omnis virtualitas est objectum liberæ Voluntatis.

Hinc patet tertiò, *male exponi actus liberos Dei per mutationem virtualem, ita ut Deus rea-*

CCXLIII. *An libertas divina consistat in mutatione virtuali.*

liter non mutetur ratione actûs liberi, ita tamen se habeat, ac si realiter mutaretur. Et ratio est, quia essentia actûs liberi, quæcumque ea sit (non enim modo placet illam examinare) non est virtualis aut moralis & à libero decreto pendens, futura alia, aut fortè non futura, si aliud fuisset decretum: sed est res indispensabilis & necessaria, quæ non potest aliter se habere, non enim rerum reales essentiæ pendent à libero arbitrio voluntatis. Vt hoc meliùs intelligas, produco Petrum dicentem, *Hominem esse Virtualiter Equum.* Non acquiescis & audire rationem vis. Petrus hanc

Nota quæso attentè hanc instantiam.

offert, quod Equus sentit hinnibiliter, & Homo tametsi non hinniat, sentit, ac ita se haber ac si hinniret. At tu meritò omnia rejicis, & dicis sensibilitatem esse genericum quid respectu Equi & Hominis, nec in suo conceptu involvere hinnibilitatem aut rationalitatem. Hâc doctrinâ institutus audire vis aliquos Thomistas dicentes Deum in actu libero mutari virtualiter. Homo, inquiunt, mutatur realiter, cùm intelligit; nec aliter intelligere potest, quàm se mutando; Sed Deus intelligit, nec tamen realiter mutatur, ergò ita se habet ac si realiter mutaretur, ergo mutatur virtualiter. Respondeo argumentum habere subobscuram aliquam veritatis speciem, quæ multos etiam doctos seduxit. Negarem fortè hominem realiter mutari, cùm intelligit; sed doctrina de Virtualitatum penitiore notitiâ ab hujus propositionis negatione non pendet. Concedo igitur Deum & Hominem intelligere; hunc intelligendo mutari, illum non mutari; & infero de intellectionis conceptu nec mutationem esse, nec non-mutationem, sed intellectionem esse conceptum communiorem & universaliorem, tàmque posse dici Deum, licèt realiter immutabilis sit, mutari virtualiter cùm intelligit; quàm Hominem, licèt de facto mutetur realiter, esse nihilominùs virtualiter immutabilē: quia si Deus idem facit sine mutatione, quod Homo cùm mutatione & ideò mutatur virtualiter, etiam Homo cum mutatione idem facit quod Deus sine mutatione (hoc est, intelligit) & ideò deberet dici mutari realiter, at esse immutabilem virtualiter: & per consequens Homo esset Leo virtualiter, Leo esset Homo virtualiter, quàm uterque sentit: & verbo dicam species omnis de conspecie virtualiter verificaretur: quæ omnia absurda sunt, & tamen in radice à multis cæcis oculis admissa & propugnata.

An homo mutetur cùm intelligit.

An homo sit immutabilis virtualiter?

An leo sit homo virtualiter?

Hinc patet quartò, *non benè concedi in Divinis inter essentiam & Personalitates aliquam distinctionem virtualem.* Aliquam dico, quia eò venit fingendi subtilitas, ut duplex jam apud aliquos admittatur in divinis distinctio virtualis; altera major, altera minor; & Theologi dissentiant, & partim putent minorem qualemcumque sufficere; & partim majorem expostulent, & existiment salvari mysterium per minorem distinctionem non posse. Hanc ipsam virtualem distinctionem malè adscribi Naturæ & Personalitati demonstraturus sum ratione communi & speciali: attentam lectionem exoro.

An relationes ab essentiâ distinguantur virtualiter.

An detur distinctio virtualis in Deo? & quotuplex illa sit?

Primò igitur sic argumentor. Quidquid in Trinitatis mysterio est, non dependerà libero decreto Dei aut Hominis: at virtualis distinctio dependet à voluntate liberâ; omnes enim virtualitates sunt liberæ suppositiones: ergò non benè exponitur per distinctionem virtualem Trinitatis Mysterium. Si neges minorem de vocum abusu te arguam, & dicam te nomine virtualis distinctionis intelligere aliquam, quæ sit ante mentis operationem, quam ex naturâ rei, formalem, fundamentalem, & rationis ratiocinatæ nominamus. CCXLIV.

Dices de Petro & Paulo realiter distinctis salvari duo contradictoria prædicata, ut cùm dicimus, *Petrus est Summus Pontifex, Paulus non est Summus Pontifex:* at etiam prædicata contradictoria salvantur de Paternitate & Divinitate, nam *Divinitas communicatur*, & *Paternitas non communicatur*, & tamen Paternitas & Divinitas non distinguuntur realiter: ergò ita se habent ac si realiter distinguerentur: ergò distinguuntur virtualiter. *Objectio.*

Respondeo argumentum urgere, si ideò de Petro & Paulo verificarentur duo prædicata contradictoria, quia distinguuntur realiter. Si ideò Equus sentiret, quia est hinnibilis, & tamen Homo, qui hinnibilis non est, sentiret, fortè posset Homo dici habere hinnibilitatem virtualiter: at Equus non sentit quà hinnibilis; sed quà animal; ergo nec Homo est virtualiter hinnibilis, nec Equus est virtualiter rationalis; sed uterque formaliter & verè est animal. Rem tene & ad prædicata contradictoria revertere. Vt hæc verificentur, non requiritur distinctio realis, sed distinctio (& eo sensu, quo formalitates distinguuntur, eo sensu subjici possunt contradictoriis prædicatis) ergò si de Petro & Paulo distinctis realiter & de Paternitate & Essentiâ non-distinctis realiter verificantur duo contradictoria, dicendum omninò est esse extra Distinctionis conceptum distinctionem realem, & duabus formalitatibus ex naturâ rei distinctis posse aliquando accidere quòd realiter distinguantur, & realiter non distinguantur; & in Divinis inter Paternitatem & Essentiam veram distinctionem dari, physicam & realem non dari: illam veram non debere vocari virtualem, quoniam virtualis non est vera (nam & Legistæ omnes Virtualitates *Fictiones Iurium nuncupant*; non enim sunt quales dicuntur, sed tamen à voluntate habent, ut prudentum æstima-

Responsio, quam debes benè retinere.

An distinctio virtualis sit vera?

Fictiones Iuris.

Distinctio, quæ inter Divinitatem & Relationibus est Formalis: Fundamentalis.

æstimationum, ità se habeant quoad praxin, ac si essent quales denominantur) sed quo nomine insignietur illa vera distinctio? *Formalis*, nominari poterit; quia non est realitatum, sed formalitatum: *ex naturâ rei*, quia se tenet ex parte objecti, nec ab intellectu fingitur vel formatur. *Fundamentalis*, quia præbet fundamentum ut concipiatur. *Præcisiva*, quia una potest formalitas concipi sine alterâ. *Rationum*, quia est distinctio inter formalitates quæ vulgo *rationes* vocantur. *Rationis ratiocinatæ*, quia est rationum non formalium sed objectivarum.

Præcisiva. Rationis ratiocinatæ.

Circulus in Divinis datur, si distinctio virtualis admittatur.

Secundò argumentor à circulo, quem vitare non possunt, qui virtualem distinctionem defendunt. Peto enim ab ipsis, Quid sit distinctio Virtualis? & respondent esse ratione cujus salvantur duo contradictoria prædicata. Subpeto, Cur in divinis hæc salventur? & respondent salvari, quia inter Paternitatem & Naturam virtualis invenitur distinctio. Hunc circulum iterùm iterùmque ursi apud Viros doctissimos, quos vidimus se extricare non posse.

Absurdum aliud.

Tertiò arguam ab alio inconvenienti. Si Deus habet distinctionem virtualem, ratione cujus verum est dicere, *Divinitas communicatur, Paternitas non communicatur*, cur non habet ratione cujus sit verum potiùs dicere, *Paternitas communicatur, Divinitas non communicatur*; nam, si nihil est aliud, quàm distinctio virtualis, tàm priora, quàm posteriora prædicata contradictoria possunt verificari. Cur ergò priora & non posteriora verificantur? Respondebat mihi aliquandò Vir doctus ingeniosusque, Ideò id esse; quia Fides primum docet & secundum dedocet. Sed hoc non sufficit. Non enim ego interrogo, unde id sciat? sed, cur id sit? nam Fides non facit Trinitatis Mysterium, sed exponit.

Fides Trinitatis mysterium non facit.

Absurdum adhuc aliud infertur.

Quartò, si de realitate, quæ est Pater, verificatur, quòd *communicetur* & *non communicetur*, cur non etiam quod *sit*, & *non sit*? nam & hæc sunt prædicata contradictoria, & Pater dicitur habere distinctionem virtualem. Si iterùm ad Fidem recurras, iterùm dicam me non rogare, cur res sciatur? sed cur fiet, & hoc non dependere à Fide. Sed esto pendeat: quid inde? *Deus dixit*, ais; *Deus non dixit*, ajo; nec tibi contradico, *quia Deus est*, *Deus non est*; *Deus dixit, Deus non dixit*; *Deus communicatur*, *Deus non communicatur*, &c. non sunt contradictoriæ positiones; tametsi enim sint affirmatio & negatio ejusdem prædicati, non tamen sunt ejusdem subjecti propter distinctionem virtualem;

ARTICULUS IV.

De Distinctione formalitatum Divinarum.

An, & quomodo

PORrò negatâ distinctione virtuali inter Naturam & Personalitatem in Divinis, aliqua non-realis physica, vera tamen distinctio, si stemus communi sententiæ, debet poni. Negat id P. Hermannus Horstius S. I. in Thesibus defensis Viennæ 25. Iunii. anno 1649, à P. Philippo Vrzio Benedictino, & Illustrissimo D. D. Melzio Apostolico Nuncio dicatis. Sic igitur lege Conclusione IV. & sequentibus.

Essentia Divina ab attributis & personalitatibus distinguatur?

CCXLV. Horstii opinio.

Essentia à relationibus & attributa inter se nullâ distinctione formali intrinsecâ distinguuntur. Concilia enim, & Patres nullam aliam, quam extrinsecam rationis agnoverunt. *Concil: Remense. X. damnat Gilbertum Poretanum*, quod inter Essentiam & relationes admiserit aliam, quàm rationis distinctionem, quam tamen nunquàm realem nuncupare ausum fuisse author est. Albert. Magn. 10. *part. quæst.* 39. *membr.* 2. *art.* 1. & Ottho Frisingensis *de gestis Friderici Imperat. libr. cap.* 16. Sancti Basilii *libr.* 1. *contr. Eunom.* hæc sunt verba: *Quæcunq; in Deo repentinâ comprehensione simplicia videntur, & unica; varia verò, & multiplicia, si subtiliùs exquirantur, hæc cum mente dividantur, opinione sola divisa dicentur.* & multis S. Augustinus *lib.* 6. *de Trinit. cap.* 6. & 7. S. Gregorius Nissenus *toto libro de diff. Essent. & Hypost.* & alii Patres, qui semper judicarunt majorem, rationis distinctione, simplicitati Dei officere. ET CONCLUSIONE V. [Ex quo etiam capite, nulla admittendâ est virtualis intrinseca distinctio, inter Essentiam & relationes: quia Tò virtualis distinctio: aut est prædicatum diminuens, quale albus, in hâc propositione: *Æthiops est albus*: aut alienans, quale homo, in hac: *Hæc Tabula picta est homo*; si diminuens; erit verè distinctio realis, sicut æthiops verè realiter est albus: si alienans; nulla prorsùs erit distinctio; sicut homo pictus prorsùs non est homo.] ET CONCLUSIONE VI. [Nec dici potest re ipsâ quidem distinctionem non esse, in propositionibus tamen, quas Concilia & Patres faciunt de divinis productionibus, quæque de fide sunt (sed sine hac distinctione virtuali intrinsecâ contradictoriæ essent) ob summam Dei infinitatem, qua rebus omnibus æquivalet, idem præstare, quod distinctio realis. Nam contra est, Primò: quia ratio tollendi prædicata contradictoria, non est vis aliqua intrinseca rei, sed solùm provenit ex distinctione reali. Secundò: nunquàm Concilia & Patres meminerunt hujus distinctionis, à quibus tamen non solùm doctrinam, quam in mysterio Sanctissimæ Trinitatis religiosissimè tenere oportet, sed ipsos omninò terminos accepimus. Tertiò; omnes propositiones absque adminiculo distinctionis virtualis ità explicari possunt ut nullo modo sint contradictoriæ.] ET CONCLUSIONE VII. [Inter alias propositiones est hæc *Pater intellectu generat, voluntas non generat*. At hæc propositio non magis urget, ad admittendam distinctionem virtualem intrinsecam, quâ formalē intrinsecā. Cùm hi termini *Intellectus, Voluntas*, nō minùs formalitates sint nostræ intellectionis, quàm hi, Iustitia, Misericordia; aut *animalitas, rationalitas*:

Gilberti opinio. An admiserit distinctionem realem?

Distinctio opinionis, hoc est, rationis.

Prædicatorum alia sunt diminuentia, & alia alienantia.

An in Deo verificentur prædicata contradictoria, & cur?

Quo modo intellectus & Voluntas distinguantur in Deo? quid Iustitia, Misericordia, & cætera omnia ad extentia?

Mergo

Si ergo hæ non sunt contradictoriæ: *Deus punit Justitiâ, & non punit Misericordiâ: homo sentit animalitate & non sentit rationalitate:* Quia scilicet omnis contradictio tollitur à connotatis realiter distinctis: ut sensus sit; Deus ut pœnam irrogans non miseretur: homo in quantum sentit non ratiocinatur: Cur non in illa etiam: *Pater intellectu generat, & voluntate non generat* contradictio tolli queat, per terminos realiter distinctos, qui sunt *Filius & Spiritus Sanctus?* Siquidem illius etiam alius sensus non est, quàm hic: Pater ut generat Filium, non spirat Spiritum Sanctum.]

An Pater Verbo aeterno communicat realiter Paternitatem?

Et Conclusione VIII. [Alia Propositio, *Pater communicat Filio Essentiam & non communicat Paternitatem.* Hæc quidem de fide est, & verissima, sed solùm secundùm nostrum modum significandi: nàm antè operationem nostri intellectûs, nec Essentia est, nec Paternitas sicut à nobis concipiuntur: sed tantùm verum est, quod Pater Filium in se ipso producat, quod pro hoc statu, ubi inadæquatos tantùm de Deo conceptus habemus, aliter explicare non valemus, quam per τὸ communicare, & non communicare. Fundamentum desumitur ex Sancto Paulo 1. Corinth. 13. 12. *Videmus nunc per speculum in ænigmate: nunc cognosco ex parte:* id est per species alienas, analogicè, cùm proportione ad creaturas.

Revelationes Deus attemperat intellectus nostro.

Cùm verò in naturâ creatâ simile Exemplum non habeamus, & Deus in revelationibus suis se accomodet imperfecto nostro modo concipiendi, non est mirum, quod pro hoc statu non possimus de divinis processionibus propositiones ejusmodi formare, quæ eos adæquatè & prout in se fiant, explicent. Vide S. Thomam *quæst. 7. de potentiâ art. 6. & alibi passim.* & S. Augustinum *in hæc Verba S. Pauli 15. de Trinitate cap. 6.* ubi docet nos in via producere quidem verbum mentis repræsentativum Dei; verùm non multùm, sed aliquantulùm tantùm simile Deo.] Et Conclusione IX. [Si verò loquamur de Essentia & personalitate Dei, non prout respondent nostris conceptibus,

An res, quæ est Paternitas, nullo modo communicatur filio?

& dicamus. *Res, quæ est Essentia communicatur: res quæ est personalitas non communicatur,* & sic de aliis similibus propositionibus. Vera quidem est propositio affirmativa, sed falsa negativa. Res illa, quæ est personalitas nullo modo communicatur, quod falsum est: quia res illa, quæ est personalitas etiam est essentia, quæ utrique communicatur. Prætereà si dicatur. *Res quæ est persona Patris, est res quæ est persona Filii, & Pater & Filius distinguuntur:* Respondendum est; hæc benè consistunt, quia nõ omnis distinctio dicit omnem

Personarum distinctio.

negationem identitatis. Hæc etiam propositio, Persona Patris non est Persona Filii.] Et Conclusione X. [Iterùm hæc Propositio: *Hypostatica unio & immediatè facta in personalitate Verbi & non in naturâ:* Significat solùm Verbum esse incarnatum, & ex duabus naturis non esse factam tertiam.

De unione hypostaticâ. An in naturâ fit?

Quod definitum est contra Eutychetem & Acephalos. Cæterùm in re ipsa unio tàm immediatè facta est in natura quàm personalitate. Ex quo tamen non arguas, quod unio etiam facta sit in personalitate Patris & Spiritûs Sancti:

Objectio.

Cum ex eo quod unio saltem mediatè facta sit in natura non sequitur hoc: ergo nec sequetur si dicatur esse immediatè factam in natura.

An-ne hæc responsio satisfaciat?

Si quis dicat ideò se debere admittere virtualem intrinsecam distinctionem, ne cogatur admittere unionem factam esse ad personalitatem Patris & Spiritûs Sancti. Sic replicamus, personalitas Verbi est virtualiter intrinsecè distincta à natura, & tamen per adversarios unio saltem mediatè facta est in natura. Ergo etsi personalitas Patris & Spiritûs Sancti virtualiter intrinsecè distinguantur à natura, adhuc unio saltem mediantè natura facta est ad personalitatem Patris, & Spiritus Sancti: quod ne cogamur admittere, accipienda est natura inadæquatè quatenus scilicet secundum nostrum modùm concipiendi contracta est ad personalitatem Verbi: quomodo illam Propositionem explicat S. Damascenus *libr. 3. de Fide,* & alii Græci Patres contra Nestorianos & Eutychianos.] Et Conclusione XI. [Sed adhuc restat solvenda hæc difficultas: *Pater & Filius sunt identificati cum naturâ, Ergo etiam inter se.*

An admitti debeat esse eadem, quæ identificantur uni tertio?

Ex illo lumine naturæ noto. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.* Verùm hæc difficultas non tollitur per distinctionem hanc. Nam quæ sunt eadem uni tertio realiter, sunt eadem inter se realiter. Sed Pater & Filius sunt iidem naturæ realiter: ergo.

Quod nam sit fundamentum Dialecticæ?

Igitur cùm principium hoc sit fundamentum artis syllogisticæ, utpote in quo fundantur, *dici de omni, & dici de nullo.* Debent prædicata in majore, & minore accipi adæquatè, & distribui, quod cùm non fiat in hoc syllogismo. *Pater est Deus. Filius est Deus. ergo.* qui æquivalet illi superiori propositioni: non est mirum, quod non sequatur Patrem esse Filium. Per hoc autem inadæquatè aliud nihil intelligimus, quàm quod nulla persona SS. Trinitatis sola participet Deitatem, etsi quævis totam. (quod Scripturis, Conciliis, & Patribus vel maximè est conforme) nec sequitur esse tres Deos inadæquatos.

An in Trinitate sint tres Dii inadæquati?

Cùm non dicamus Patrem esse inadæquatum Deum, sed inadæquatè, nec multiplicemus Deitatem, quando eam de personis prædicamus; sed eam conjungamus cum singulis personis, sed non solis, verùm ita ut cum omnibus etiam. Et objectum hujus propositionis Pater est Deus, realiter distinguatur ab objecto hujus, Pater, Filius & Spiritus Sanctus est Deus.] &c. Hucusque P. Hermannus Horstius.

CCXLVI. *Examinatur hæc doctrina.*

Volui citare hunc Theologum, ejusque sententiam proponere; cùm, quia doctissimus est, tùm quia mihi charus & dignus, qui speculationibus suis hanc disputationem honoret. Illum sincerè laudo à pietate, à doctrina; & quia syncerè, eumdem impugnabo, ubi exorbitare cognovero, vel putavero; mihi enim conscius sum, multa me olim putasse vera, quæ hodiè videntur falsa; multa contrà. Notabo igitur, si non errores Horstii, errores meos: nempè locos in quibus conve-

convenire non possumus. Agam igitur Thumistam, aut Scotistam, & stando alterius utrius scholæ fundamentis dicam, Amice Lector, non benè ab eo negari omnem distinctionem; quoniam virtualem negare ipse debebat, sed aliam veram asserendo: omni enim sublatâ distinctione tollitur Mysterium Trinitatis; ita enim id exponi debet, ut in Principia per se nota non impingat: quia si semel doctrina de Cōtradictoriis eliditur, nec Dei, nec Religionis, nec Naturæ ulla potest remanere cognitio. Singulas igitur Theses recognoscamus.

Doctrina de contradictoriis debet illæsa remanere.

In quartâ habet hæc verba *Essentia à Relationibus, & Attributa inter se se, nullâ distinctione formali intrinsecâ distinguuntur*: De attributis verificari possunt; non tamen de Essentiâ & Proprietatibus; nam ideò multi distinctionem formalem (virtualem) majorem & minorem admittunt, ut majorem (hoc est, intrinsecam) inter naturā & personalitates; minorem (hoc est, extrinsecā) inter naturam & attributa (videlicet, misericordiam, justitiam, &c.) interponant. Datur igitur inter relationes & divinitatem intrinseca & formalis distinctio; cujus esto non meminerint Concilia, nec Patres, multa enim in libris de Trinitate à Scholasticis scripta, quæ apud Concilia & Patres non reperiuntur. Nec scio cur asserit Horstius nullam admitti à Patribus distinctionem formalem, nam à S. Basilio admitti distinctionem rationis ratiocinatæ colligitur ex ipsissimis verbis, quæ citat.

Quo modo Personalitates à naturâ divinâ distinguantur?

An Patres agnoverint distinctionem formalem.

In quintâ distinctionem virtualem à divinis reiicit & in materiâ Trinitatis subscribo, & existimo illud epitheton *Virtualis*, esse alienum.

In sextâ videntur falsa & difficilia illa verba; *Ratio tollendi prædicata contradictoria, non est vis aliqua rei, sed solùm provenit ex distinctione reali.* Sunt falsa. Quia ad salvanda contradictoria prædicata, non requiritur realis distinctio, sed distinctio; sicut ad sentiendum, non requiritur animalitas hinnibilis, sed animalitas. Sunt difficilia; quia si non aliter salvari possunt duo contradictoria prædicata, plurimæ manent difficultates; à quibus non facilè te expedias, si Horstij Conclusioni subscribis.

An ad salvanda prædicata contradictoria realis requiratur distinctio.

CCXLVII. Porrò negatâ omni distinctione formali, saltem ad virtualem recurrendum est, nec aliter elidi poterunt contradictoriæ.

In septimâ multa mihi displicent. Nam *Animalitas & Rationalitas* ab aliis distinguuntur realiter, ab aliis formaliter, fundamentaliter, aut ex naturâ rei, & ab aliis virtualiter. Et in Deo *Misericordia, Iustitia &c.* distinguuntur extrinsecè juxta ea quæ sæpissimè diximus. *Intellectus & Voluntas* in Humanis fortè realiter distinguūtur, fortè formaliter, fortè tantùm extrinsecè:

Quo distinguatur modo Animalitas?

quo intellectus & voluntas?

& in divinis, cùm realiter non distinguantur, debebunt aut formaliter, aut extrinsecè distingui: non virtualiter, quia distinctio quæcumque ibi reperitur necessaria est, & virtualis, nisi abutamur nomine, & *virtualem* dicendo, formalem subintelligamus, non nisi libera & arbitraria est.

Distinctio Virtualis est libera.

In octavâ meritò virtualem distinctionem reiicit; errat tamen, quia & formalem reiicit, & ad modum significandi recurrit: quoniam Trinitatis Mysterium antè omnem modum significandi est verum, & ab omni voce & significatione independens; est enim de re, & non de nomine, quoniam Deus esset trinus, etsi omnes voces, omnes significationes, imò & omnes linguæ mentesque humanæ tollerentur.

An mysteria fidei Christianæ consistant in modo significandi?

Sed esto *Paternitas & Natura* distinguantur modo significandi. Ergo, quo Patrem modo Paternitas significat, illum Natura non significat: quo illum Natura, ita eum non significat Paternitas. Peto utrùm hæc significationum varietas sit ad placitum, vel necessaria; si ad placitum, ad placitum est Trinitatis Mysterium & à nostrâ liberâ voluntate dependens. Si necessitatem admittas; ergo in Patre datur duplex necessitas, altera significandi voce (aut conceptu) Paternitatis; altera significandi voce (aut conceptu) Divinitatis; sed altera necessitas non est altera, & hoc antè omnem mentis operationem: ergò præter distinctionem vocalem aut rationis ratiocinantis, quæ in diverso modo significandi consistit, datur alia distinctio vera ante omnem operationem mentis. Ergò hæc non est distinctio virtualis, quia hæc non intellectum modò, sed & voluntatem subsequitur.


Distinctio nominalis: An sit sufficiens ad salvandum Trinitatis mysterium?

In nonâ examinat has Propositiones, *Res, quæ est essentia, communicatur*; *Res, quæ est personalitas, non communicatur*: & priorem, non tamen posteriorem admittit. At indefinitè vix potest judicium ferri: & ideò inquiro, An illa vox *Res*, sumatur totaliter, vel partialiter, adæquatè vel inadæquatè; si adæquatè & totaliter, sic eas propositiones rescribo, *Quidquid est essentia communicatur, Quidquid est personalitas non communicatur*; & utramque esse falsam affirmo: nam Paternitas est aliquid quod est essentia, & tamen non communicatur. Et Divinitas est personalitas & nihilominùs communicatur. Si inadæquatè & partialiter, sic easdem rescribo, *Aliquid, quod est essentia communicatur, Aliquid quod est personalitas non communicatur*, & aio utramque veram esse. Porrò oppositio Propositionum in Trinitatis subtili & minùs notâ materiâ ad hæc paradigmata potest reduci.

CCXLVIII. Examinantur duæ Assertiones.

Quid Res significat?

Indefinitæ propositiones reducuntur ad universales, & particulares.



Omnes istæ Propositiones, non secùs, ac aliæ quæcumque humanæ coaptantur, subalternantur, & contrariantur, & legibus in Logicâ traditis regulantur. Subiiciam alias similes; quæ non minores difficultates pariunt.



Quæ omnia facili negotio intelliguntur positâ distinctione formali; difficili positâ tantùm virtuali; quæ omnia omninò sunt intelligibilia, si utraque distinctio tollatur, nam realem non posse admitti de fide est.

Et stando huic doctrinæ hæc Propositio *Persona Patris non est persona Filij*, vera est, quia sumitur personaliter; at si sumeretur naturaliter esset falsa, nam Patri & Filio una & eadem natura est. Undè hæc positio, *Quidquid est persona Patris non est persona Filij*, falsa est, nam Divinitas est persona Patris, & tamen etiam eadem Divinitas est persona Filij.

An Humanitas in Christo sustentetur à Divinitate?

In decimâ nego illam propositionem, *In re ipsâ unio* (hypostatica) *tam immediatè facta est in naturâ, quàm in personalitate*: quoniam realiter loquendo Humanitas à personalitate, & non à Naturâ sustentatur. Nec me urget hic syllogismus, *Humanitas immediatè sustentatur à Personalitate, Personalitas est Natura, Ergo Humanitas immediatè sustentatur à Naturâ*: quia est similis huic. *Paternitas realiter est Divinitas, Divinitas realiter est Filiatio: Ergo etiam Paternitas realiter est Filiatio.* Uterque syllogismus est malus, propter distinctionem formalem.

Censura Axiomatis.

In undecimâ miror illud Principium, quod vocat lumine naturæ notum, videlicet *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, duobus millibus annis obtinuisse in Scholis. Illud sæpè in disputationibus negavi, & semper fæliciter, nam nunquàm audivi aliquid in ejus favorem reponi, quod diligenti solutione indigeret. Illud esse falsum in Metaphysicis demonstro: & habeo jam multos viros magnos, qui illud negandum esse tenent.

Sed Horstius illud admittit in sensu reali, & quo modo solvat hunc syllogismum tu vide. Sic inquam.

Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se;
Pater & Filius sunt idem uni tertio, nempè Divinitati.
Ergo sunt idem inter se:
Ergo Pater est Filius.
Ergo Filius est Pater.

Distinguit majorem (nam principiũ quod restè Horstio lumine naturę erat notũ jam est partim verum & partim falsum) & ait: illa quæ sunt eadem uni tertio adæquatè, esse idẽ inter se; addit, Patrẽ & Filiũ non esse idem Naturæ adæquatè, quia CCXLIX.

Ubi distinguendo respondetur, ibi est tandem partialis veritas.

quia hæc etiam identificantur Spiritui Sancto. *sunt eadem inter se*; *Sed Pater & Filius & Spiritus* Sed subsumo. *Per te quæ sunt adæquatè idem uni tertio, Sancti sunt adæquatè idem uni tertio, nempè Divinitati: Ergò sunt idem inter se. Ergo Pater est Filius & Spiritus Sanctus; & contrà.* Recurrit ad collectionem; quia Pater & Filius & Spiritus Sanctus sunt adæquatè idem Divinitati si collectivè sumuntur, non autem si distributivè.

An hoc Axioma in sensu adæquato debeat sumi?

At ostendam malè Horstium ad sensum adæquatum, malè ad collectivum confugere; sic argumentor. Hoc Principium asserente Horstio est fundamentum artis syllogisticæ, ergò non debet sumi in sensu adæquato. Probo consequentiam. Quoniam in isto syllogismo.

Omne vivens est substantia,
Omne animal est vivens,
Ergo omne animal est substantia.

Major extremitas *Substantia*, & minor *Animal*, sunt idem medio, nempè *Viventi*, non tamen adæquatè, quia Vivens strictiùs patet quàm Substantia, & latiùs quàm Animal: quod ipsum mihi nimis clarum videtur.

Si sumatur collectivè, non potest servire Dialecticæ.

Prætereà, illud ipsum principium, ut syllogismos subcollet, & tueatur, omnem sensum collectivum debet excludere; quia syllogismi in figuris Aristotelicis, non collectivis, sed distributivis cōstant propositionibus. Ergò idem est illud objectivè intelligere, ac totam syllogisticam fabricam prosternere, posito quòd syllogismi illo debeant fundari.

An-ne fundantur illo? Minimè. Quoniam ipsum in omni sensu doctrinali est falsum, ut ostendo alibi; tota enim Dialectica innititur illis Principiis certissimis, *Dici de omni*, *Dici de nullo*; quæ ab isto, *Quæ sunt eadem*, &c. non dependent.

Hinc patet illud principium *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, esse verum, si æquivaleat huic, *Quæ ab uno tertio nec realiter, nec formaliter, nec virtualiter distinguuntur, nec distinguuntur inter se*, at talia sunt, quæ solo distinguuntur vocabulo, ut cùm dicimus,

Syllogismus pure vocalis. Qualis in mente sit?

Marcus est Tullius,
Tullius est Cicero,
Ergo Marcus est Cicero.

ubi vocalem Ego syllogismum, non tamen mentalem reperio. [Et, si non est syllogismus formalis & mentalis, quid in mente ille est? An propositio? non admitto facilè: puto enim mentaliter constare unico termino tribus vocibus significato, & ad simplicem delere apprehensionem reduci.]

Hinc patet, si dicatur Intellectus & Voluntas distingui formaliter (aut virtualiter) à Naturâ divinâ, nihil concludi hoc syllogismo;

Intellectus est realiter Divinitas,
Divinitas est realiter Voluntas,
Ergo intellectus est realiter Voluntas.

An intellectus divinus distinguatur à naturâ divinâ? An à divinâ voluntate? & cur?

Nihil inquam hoc syllogismo concluditur, quia si aliunde non obstaret, non ideò Intellectus & Voluntas identificarentur inter se, quia identificarentur Naturæ, siquidem etiam Paternitas & Filiatio identificantur Naturæ, nec tamen identificantur inter se. At nihilominùs identificantur: & cur? Quia in divinis omnia sunt idem, ubi non obstat relationis oppositio, & inter intellectum & voluntatem nulla relationis oppositio intercedit.

DISPUTATIO VI.

De Distinctione actuali extrinsecâ, seu penes diversa connotata.

CCL.

An admittenda sit?

Quid illa sit?

Ab aliquibus exploditur ista distinctio: petis cur? quia non placet. Profectò sine ignorantiæ notâ negari non potest. Diffinio eam sic: *Distinctio actualis extrinseca est, quæ idem fundamentum ad diversa connotata comparat.* Clariùs *Distinctio extrinsecùs actualis est relatio ex unâ formalitate prout respicit unum terminum ad eandem prout respicit aliū.* Arriaga Hurtado *Met. disp. 6. §. 12.* Sic benè dicimus Carolum V. quà Germanorum Imperatorem distingui à se ipso quà Hispaniæ Regem; & meritò, quia esse Germaniæ Imperatorem non est esse Regem Hispaniæ. Non secùs scientia Dei prout respicit possibilia, distinguitur à semetipsa prout existentia respicit; quia respicere possibilia non est respicere existentia. Carolus Imperator, & Carolus Rex, unus & idem homo est, & tota distinctio est extrinsecâ, non in Carolo sed in connotatis; Hispania enim à Germaniâ, & Regnum differt ab Imperio: Sic similiter Scientia simplicis

Scientia Dei.

Intelligentiæ (sic ea dicitur, quæ possibilia respicit) & Scientia Visionis (illa scilicet, quæ existentia conspicit) una & eadem Scientia sunt entitativè, non distinguuntur intrinsecùs, nec realiter, nec actualiter, nec virtualiter, seu ex naturâ rei: sed distinguuntur actualiter extrinsecùs, hoc est, habent connotata, quæ actualiter distinguantur. Creatura enim possibilis non dicit existentiā, Creatura existens includit existentiam; existentia autem & non existentia sunt termini contradicentes: Sed quæ & quanta est distinctio ista extrinseca, quam dicunt Divinæ istæ Scientiæ? Respondeo talem & tantam illas dicere extrinsecùs, qualem & quantā dicunt intrinsecùs essentia & existentia in creans: nam, si dicamus existentiam realiter ab essentiâ distingui, dicturi sumus Scientias illas distingui extrinsecùs distinctione reali: si modaliter, formaliter, &c. essentia ab existentiâ distinguatur, Scientiæ illæ distinguentur extrinsecùs; sed modaliter, formaliter, &c. Et ratio hujus Resolutionis est, quia cōnotata possūt inter se distingui realiter, & tunc dicitur simplex illa entitas,

Simplex Intelligentia, Visio: quomodo distinguantur?

Quomodo essentia & existentia?

quæ talia connotata respicit, distingui distinctione extrinsecùs actuali reali vel extrinsecâ actualiter realiter. Si connotata ex rei naturâ distinguantur, erit distinctio formalis extrinseca: ut, si supponens Thomistarum & Scotistarum opinionem asserentium animal formaliter distingui à rationali, Ideam Divinam animalis ab Ideâ Divinâ rationalis distinguere: tunc istæ duæ Ideæ distinguerentur non intrinsecè, quia in se realiter & formaliter sunt una & eadem Idea: distinguerentur tamen extrinsecè formaliter, hoc est, in connotatis distinctis formaliter aut ex naturâ rei.

Quomodo Idea Divina?

Ut benè hanc distinctionem calleas, exempla sequentia te juvabunt.

CCLI. *Multa nomina possint competere eidem rei.*

Idem cubiculum vocari potest, soletque *Refectorium*, *Cœnaculum*, *Oratorium*, *Musæum*, *Schola*, *Gymnasium*, *Penetrale*, *Dormitorium*, *Asylum*, *&c.* Et quidem illud cubiculum *Refectorium* vocabitur, si in illo homines reficiantur & comedant: *Cœnaculum*, si cœnent: *Oratorium*, si orent: *Musæum*, si in illo privatim studeas: *Schola*, si alios doceas: Gymnasium, si in illo disputatio instituatur: *Penetrale*, si sit interiùs: *Dormitorium*, si in illo dormias: & *Asylum*, si sacrum & inviolabile sit, & ad illud confugiant, qui alibi securi non essent.

Pecunia nomina.

Una & eadem pecunia vocatur *Symbolum* *Naulus*, *Minerval*, *Stipes*, *Stipendium*, *Salarium* *Honorarium*, &c. Nimirùm *Symbolum*, si sit pro mensâ: *Naulus*, si pro navi: *Minerval*, si solvatur Magistro: *Stipes*, si sit capitalis, & per capita recolligatur. *Stipendium*, si solvatur Militi. *Salarium*, si famulo: *Honorarium*, si gratuiti laboris compensatio dicatur.

Dictionum nomina.

Sic in Logicâ vocali juxta aliquorum mentem (non enim exempla possumus ad omnium placita & opiniones elimare) eadem vox erit *Subjectum* si præcedat copulam: & erit *prædicatum*, si eam sequatur: eadem propositio erit *Major*, si sit in syllogismo prima; *Minor*, si sit secunda: eritque, si præmissis subsequatur, *conclusio*. &c.

In Metalogicâ idem Animalis conceptus, prout subjicitur Viventi, erit *Species*, & prout prædicatur de homine, erit *genus*: &c.

Rerum nomina.

In Physicâ Naturali, eadem corporeitatis forma (si admittatur) prout materiam afficit, vocatur *forma*: & prout ab animâ afficitur, vocatur *materia*.

Cælorum nomina.

In Cœlesti, eadem ætheris regio, prout perficitur à Lunâ, *Cœlum Lunare* dicitur: prout à Sole, Mercurio, & Venere, *Solare*, *Mercuriale*, *Venereum*: prout à Marte, Jove, aut Saturno, *Martiale*, *Joviale*, *Saturninum*: & prout à fixis coronatur *Firmamentum*, *Aplanes*. &c. Quoniam illa sententia, quæ Cœlos solidos docebat, evanuit, & jam obtinuit illa, quæ liquidos & pervios concedit, à diversorum syderum motibus denominandos.

An cœli sint solidi?

Varia Animæ nomina.

In Animali, eadem Anima prout videt vocatur, *Visus*; prout audit, *Auditus*; prout odorat, *Olfactus*. prout percipit sapores, *Gustus*: prout primas qualitates, *Tactus*: prout communia sensibilia, *Sensus communis*; &c. Et ad actiones spirituales deveniendo, prout intelligit, dicitur *Intellectus*; prout amat, *Voluntas*: prout odit, *Noluntas*: prout prævidet, *Præscientia*: prout se cognoscit *Conscientia*: &c. Et ipsamet Voluntas, prout unicuique tribuit quod suum est, *Justitia* dicitur: prout miseris favet, *Misericordia*: &c.

Varia Dei nomina.

In Theologiâ *Scientia ad intra*, *Scientia ad extra*, *simplex Intelligentia*, *Visio*, *Scientia media*, *Scientia conditionata*, *Præscientia*, &c. sunt plura nomina, sed eadem formalitas ad diversos terminos comparata. Item hæc nomina *Voluntas*, *Decretum*, *Providentia*, *Prædestinatio*. *Omnipotentia*; &c. *Clementia*, *Justitia*, &c. eamdem entitatem ad terminos diversos referunt.

Vide dicta superius.

Possem plura adhuc exempla adjungere; sed quia integram Philosophiam per meras expressiones & connotata expositurus inferiùs sum: non est cur hîc pluribus exemplis te gravem.

NOTA.

Dicta sufficerent, ut benè quis intelligere possit ingenium Distinctionis extrinsecæ, sed uberioris doctrinæ gratiâ Meditationem subsequutam adjungo. Suppono in ipsâ parum esse Naturæ Genium, & entia nolle multiplicari sine causâ: & Animam humanam, quanta est, mente complectens, indivisibilem substantiam & à potentiis suis indistinctam modò pronuntio, & in me seductus sic alloquor.

CCLII. MEDITATIO *de rationali in Anima simplicitate.*

O Unicam: ô simplicem: ô indivisibilem substantiam Animæ, cujus potentiæ tantùm non omnia possunt, cujus est virtus tantùm non infinita. Indivisibilis omninò es, & quia realiter frangi non potes, & mente præcidi non debes, tot nominibus dilucidaris, ut sola queas flavissas dictionarias implere. *Anima* vocabulo universali diceris: & quia propter te cresco, sentio, & intelligo, *Vegetativa*, *Locomotiva*, *Sensitiva*, & *Rationalis* nominaris.

Modi vivendi.

Animæ vegetativæ officia.

Qua Vegetativa plurima exerces munia, & adipisceris multa vocabula. Substantiam materialem adauges & nominaris *Nutritiva*: auges molem, & ea *Augmentativa*: & quia ad conservationem speciei, & novas hominum productiones concurris, *Generativæ* nomen habes. Qua Nutritiva uteris alimentis: & quia illa calore & siccitate exsugis, vocaris *Attractiva*: & quia eadem frigore & siccitate detines, *Retentiva*: & quia calore & humore illa concoquis, *Digestiva*: & quia interlectis partibus consentaneis, superfluas frigore & humore egeris, *Expulsiva*. Multa hæc, sed

Nutrire. *Generare.* *Attrahere.* *Retinere.* *Digerere.* *Expellere.*

Qua Sensitiva plura exerces. Prout operaris exteriùs *Sensus* diceris: prout interiùs *Potentia*. Sed quia Multa & multifariam sentis; & plura & plurifariam potes, hîc hærebo tantisper, & operationes tuas intentionales meditabor.

Animæ sensus.

Percipis colores universos in oculis, & es *Visus*. Sonos & numeros vocales duorum corporum collisione productos in aure sentiscis, & vocaris *Auditus*. Odores universos distinguis in naribus (aut etiam in palato, nisi nos decipit experientia & authoritas) & te dicunt *Olfactum*. Et tandem in nervis carnosis, aut in carne nervosâ, primas qualitates adsequeris, & nominaris *Tactus*. Hæc omnia extrinsecùs:

Videre. *Audire.* *Olfacere.* *Tangere.*

Intrin-

Sensata communia & propria.

Intrinsecùs distinguis inter propria sensata, ut inter colorem & sonum; percipis communia sensata: videlicet, motum, quietem, magnitudinem, figuram, numerum, & tunc es centrum aut radix quinquè sensuum, (hinc enim oriuntur ut lineæ, propagantur ut rami) & diceris *Sensus communis*, Sensibilia etiam separas & separata consideras, & græcè *Phantasia*, latinèque *Imaginativa* vocaris. Sensibilium rerum species & imagines retines, & quodammodo cōgis, & *Cogitativa* nomen obtines: & quia eadem coordinas & disponis, *Æstimativa* nominaris. Insensibilia etiam cognoscis, nam sicut ovis naturali instinctu horret lupum, gallina vulpem, felis canem, sic multa naturaliter percipis, cujus nec rationem assequeris, nec causas noris: & tunc *Instinctûs* nomen habes. Et quia cognita recogitas & recognoscis, *Reminiscentia* aut etiam *Memorativa* nuncuparis. Optas, ambis, anhelas, & diceris, *Appetitus sensibilis*.

Sensus communis. Phantasia. Imaginativa. Cogitativa. Æstimativa. Instinctus. Reminiscentia. Memorativa.

CCLIII. Ostrea in mari & multa Conchilia sentiunt & non moventur loco: sydera in æthere moventur & non sentiunt: utrumque tu, & *Virtus motiva* vocatis.

An vita sensitiva esse possit sine loco motiva, an contra?

Quà Intellectiva es divinissima, & *Intellectum* diceris: & quia species producis & inprimis, *Intellectus agens*: quà easdem recipis & pateris, *Intellectus passibilis*: & quà easdem exprimere potes *possibilis*. Si sequaris rationis ductum, à D. Augustino nuncuparis *Superior*, si concupiscentias carnis, *Inferior*. Dum simplicia cognoscis audis *Apprehensiva*: dum unum enuncias de altero, *Iudicativa*: dum unum diducis de altero, *Discursiva*. Quia assentiris propter dicentis testimonium, *Fides*: quia propter rationes nullas, *Dubium negativum*: quia propter leves, *Dubium positivum*: quia propter probabiles, *Opinio*: quia propter certas & manifestas, *Scientia*. Sed neque Scientiæ generali vocabulo contenta quiescis: aliis multis subalternis ornaris: prout enim litteras scis colligere *Orthographia*: prout aptè & congruè loqueris, *Grammatica*: prout floridè & ornatè eloquendo delectas Auditores, *Rhetorica*: prout operationes mentis dirigis, *Logica*: prout argumentaris & persuades *Dialectica*: prout numeros abstractos computas, *Arithmetica*: prout sonoros ad proportiones & consonantias ducis, *Musica*: prout punctis lineas, lineis superficies, superficiebus claudis corpora, *Geometria*: prout naturalia contemplaris, *Physica*: prout supernaturalia, *Hyperphysica*: prout ab omnibus rebus conceptus abstractos & transcendentales specularis, à nonnullis *Sapientia*, & ab aliis vocaris *Metaphysica*: prout cœlestium corporum magnitudines, motus, loca & distantias metiris *Astronomia*: prout eorumdem influxus, directiones, sexus, domos, exaltationes, depressiones; & tandem prædictiones mentiris, *Astrologia*: prout humani corporis valetudinem curas, morbos pellis, sanitatem restituis, *Medicina*: prout mores regendos & moderandos suscipis, *Ethica*: prout Reipublicæ conservandæ & propugnandæ studes, *Politica*: & prout domesticos instituis, *Oeconomica*: & prout Jura pronuncias, aut juxta pronunciata judicas, *Iuris-prudentia*: & tandem prout omnium scientiarum finem, Veritatem æternam meditaris eminenti vocabulo, diceris *Theologia*.

Intellectum agens, patiens, possibile. Portio superior & inferior. Apprehensio. Iudicium. Discursus. Fides. Dubium. Opinio. Scientia. Orthographia. Grammatica. Rhetorica. Logica. Dialectica. Arithmetica. Musica. Geometria. Physica. Hyperphysica. Sapientia. Astronomia. Astrologia. Medicina. Ethica. Politica. Oeconomica. Iuris-prudentia. Theologia.

CCLIV. Omitto alia Scientiarum & Artium cunctis nota vocabula, quæ tibi uni conveniunt, ad varios actus comparatæ. Ad te quà Volitivam transeo, & invenio te *Rationalem appetitum* vocari. Quia vis, nominaris *Voluntas*: & etiam *Noluntas*, quia non-vis. Amas, odio habes, concupiscis, abominaris, doles, tristaris, delectaris, & diceris *Concupiscibilis*: speras, desperas, times, audescis, indignaris, & tunc vocaris *Irascibilis*.

Appetitus rationalis. Voluntas, Noluntas. Concupiscentia. Ira.

Virtutes & Vitia moralia nihil sunt aliud quàm Voluntas (hoc est, tu) ad diversa objecta comparata. Prout se submittit superiori voluntas, dicitur *Obedientia*: prout æquali, *Modestia*: prout inferiori, si id faciat politicè, *Urbanitas*; & si sincerè, appellatur *Humilitas*: prout est munifica & liberalis, *Largitas*: prout concupiscentiæ externos motus cohibet, *Pudicitia*: prout etiam malas cogitationes, *Castitas*: prout elegantiam & suavitatem morum servat, *Benignitas*: prout cibi & potûs luxui modum ponit, *Temperantia*: prout imperfectiones proximi benignè tolerat, *Patientia*: prout diligenter obligationibus suis satisfacit, *Devotio*, seu *Pietas*: prout nihil temerè aggreditur, nominatur *Prudentia*: prout mori mavult, quàm viam veritatis deserere, dicitur *Fortitudo*: & prout est perpetua quædam & sincera voluntas unicuiq; tribuendi quod suum est, *Iustitia* nominatur.

Obedientia. Modestia. Urbanitas. Humilitas. Largitas. Pudicitia. Castitas. Benignitas. Temperantia. Patientia. Devotio. Pietas. Prudentia. Fortitudo. Iustitia.

Ab actibus oppositis sortitur oppositas denominationes: & ideò *Contemptus, Inobedientia, Petulantia, Inurbanitas, Superbia, Avaritia, Luxuria, Invidia, Gula, Ira, Acedia, Temeritas, & Iniustitia.*

Denominationes contrariæ.

Hæc omnia nomina (Anima mea) sunt tua: nec tamen sunt in his omnibus omnia: plura enim omisi, quàm dixi. Et tamen ipsa non significant realem aliquam compositionem: es enim quædam formalitas indivisibilis, in qua nec realis divisio, nec distinctio ex naturâ rei, nec præcisio rationis ratiocinatæ locum habet. Et tamen hæc nomina, quæ recensui, non sunt synonyma aut æquipollentia, sed quæ variam significationem sortita, te dividunt realiter extrinsecùs, penes diversa connotata.

Hæc omnia nomina unà res. An synonyma sint?

DISPUTATIO VII.

De Distinctione rationis.

Summa Authorum in vocum acceptione varietas. *Summa obscuritas.*

CCLV. OMnes uno modo loquimur, aut saltem in labio non multum differimus; nam termini communes sunt, at illorum acceptio & suppositio apud singulos videtur omninò diversa. Animal & Rationale esse duas formalitates, easque rationis distinctione distingui audivi sæpè: sed rogavi Viros, etiam eruditos & doctos, quid isti termini significent, hoc est, quid sit distingui distinctione rationis? & nullum potui bonum extorquere responsum. Ut igitur aliquid præter verba in re subtili intelligamus, hanc Disputationem subscribo.

ARTICULUS I.

De Distinctione rationis, quæ est vera & realis.

Conceptus objectivi etiam Rationes & Formalitates vocantur. *Conceptus est duplex.* *Ratio est duplex.*

CCLVI. NOmine *Relationis-rationis* sæpè authores intelligunt realem & veram, quia rationis nomine non intelligunt rationem cognoscentem, hæc est mens; sed rationem seu formalitatem objectivam. Subtilissimè Scotus *in 1. Disp. 2. quæst. 7. §. Sed hic restat ulterior diff.* asserit suam destinctionem ex naturâ rei posse *rationis* nominari, quia interest duabus rationibus, sivè formalitatibus; nam sicut vox *Conceptus* æquivocè sumitur jam pro conceptu formali seu cognitione, jam pro objecto seu cognito: non secùs vox *Ratio*. Authoris subtilissimi sont hæc; *Potest autem vocari differentia rationis, non quod ratio sumatur pro differentiâ formali (seu fictâ) ab intellectu; sed ut ratio accipitur pro quiditate* (seu conceptu objectivo) *secundum quod quiditas est objectum intellectûs.* Multi verò scotizant & nomine distinctionis rationis, intelligunt fundamentalem.

Modus alter.

Distinctio rationis Abstractiva, seu Præcisiva.

CCLVII. ALiter possumos rationis distinctionem considerare, nempè distinctione sumptâ ab actibus intellectûs. Juxta principia D. Thomæ & Aristotelis, concipio Dei intellectum non conceptâ voluntate; & hanc non concepto intellectu. Isti duo actus in esse intentionali sunt voluntas & intellectus Dei, & actualiter non distinguuntur (quia isti actus intentionaliter sunt sua objecta, & intellectus Divinus non distinguitur à Voluntate divinâ) in esse autem reali distinguuntur realiter. Ideò volunt aliqui sumere denominationem ab actibus rationis formalibus, & dicunt illa distingui ratione, quæ actibus distinctis concipiuntur.

An sit ens rationis?

Hîc nullum rationis-Ens, chimæra nulla. Antè omnem fictionem intellectûs est verum asserere, quod Dei scientia diverso actu cognoscatur à Thomistâ, quàm Dei voluntas.

Verùm hîc sunt duæ examine dignissimæ difficoltates: prima utrùm una formalitas possit sine aliâ concipi? secunda, utrùm actus mentis distinguatur specie aut numero? an dentur in quâcumque mente unus & simplex actus, qui successivè res universas reptæscentet?

An dentur præcisiones objectivæ.

Respondeo primæ, posse nos in Angelici Doctoris Scholâ concipere unam formalitatem sine aliis; constat partim ex dictis, partim ex dicendis inferiùs.

An unico mentis actu omnia homo intelligat.

Respondeo secundæ, animum rationalem juxtà Philosophiæ communis fundamenta habere varios actus, quibus percipit diversa objecta: ille enim, quo Petrum intelligit, realiter distinguitur ab illo, quo Joannem. Addo animam juxta Philosophiæ Expressivæ Principia habere unam potentiam, quam vocant *intellectum*: ac proindè habere unum solùm actum, quem vocant *Verbum*; iste autem, prout identificatur diversis objectis, sumit intentionales differentias, cum physicè sit simplex qualitas ac semper ipsissimus ac idem numero.

Hinc constat distinctionem realem inter actus intellectûs in Philosophiâ Expressivâ, quæ parco Naturæ Genio studet, non admitti; quia nulla concipiuntur actibus, qui diversi sint entitativè; nàm ut dicebamus, eodem actu entitativo cognoscit Petrus voluntatem Dei & ejus intellectum, & in esse intentionali hic actus recipit distinctionem ab objectis, non dat; undè ipse potiùs est multiplex extrinsecè, quia diversa connotata respicit, quàm multiplicans in objecto varias formalitates.

An mens & objectum intentionaliter identificentur?

Prætereà, esto sint diversi in mente actus, diversa in intellectu verba: sic Thomistæ & Scotistæ, sic hodiè plerique opinantur. Sic discurro ex hypothesi. Actus mentis nominantur conceptus in quantum concipiunt objectum, ergo sunt conceptus non secundum esse physicum, sed secundum esse intentionale. Atqui secundum esse intentionale distinguuntur distinctione objectorum, quia cognitiones intentionaliter sunt ipsissima objecta: ergo non possunt illis tribuere distinctionem aut denominationem, quam non habeant.

Posset hæc distinctio utiliter intelligi; *primò* in sententiâ illorum, qui admissis præcisionibus objectivis, negant mentem & objectum intentiona-

tionaliter identificari: hi enim docent duas formalitates concipi duobus actibus distinctis: in eorum enim sententia possimus dicere intellectum & voluntatem Dei distingui realiter ratione, hoc est, concipi duobus actibus mẽtis, qui distinguuntur realiter. Sed hæc distinctio eadem est, ac realis actualis extrinseca, de quâ superiùs disputavi.

Secundò, licèt dicatur cognitio intentionaliter esse objectum, adhuc hæc distinctio esset utilis, si compararemus intellectum & voluntatem Dei ad cognitiones, quæ quidem in esse reali distingui realiter dicuntur. Et in esse intentionali non identificantur; concipiuntur enim secundum se, non verò quà identificata.

Nota hoc. *Tertiò*, licèt realiter non admittatur nisi unum & simplex verbum mentis, possent adhuc illæ duæ formalitates comparari cum duobus intellectibus: puta, si Petrus cognosceret intellectum divinum non cognitâ voluntate; & Paulus contrà, cognosceret voluntatem divinam intellectu divino non cognito.

ARTICULUS II.

De distinctione rationis fictâ, quæ Ens rationis putatur.

CCLVIII. Relatio rationis. PRobavi superiùs non dari rationis relationes, quia ut communiter à Philosophis exponi solent, sunt reverà impossibiles: & illæ quæ relationes rationis vocantur (nimirùm subjecti & prædicati, antecedentis & consequentis, generis & speciei & similes) sunt reales, ut superiùs ostendi. *Distinctionis rationis* *Distinctio rationis.* nomine communiter intelligunt Authores distinctionem realem actualem conceptam ubi esse non potest, ut quando concipitur distinctio realis actualis inter essentiam Dei & ipsius vo- *Quid sit?* luntatem, ubi esse non potest; distinctio enim, si concipitur ubi esse potest, non est rationis Ens ab ipsâ mente fabricatum.

Dico igitur talem distinctionem non posse concipi in subjecto, in quo esse repugnat. Huic asserto vix potest favere argumentum illud, quo probavimus relationem non posse *Ubi reperiatur?* concipi, ubi esse non potest. Ratio est, quia nulla sunt inter quæ non possit esse distinctio. Inter essentiam Dei & attributa necessariò Relatio identificationis est: distinctio realis impossibilis est.

Distinctio rationis interdum est realis concepta. Sit igitur distinctio rationis, distinctio realis actualis concepta inter essentiam Dei & ejus voluntatem. Peto. An utraque (nimirùm, Essentia, & Voluntas Divina) à te concipiatur ut infinita. Respondes assertivè. Quia si non conciperetur ut infinita, non conciperetur ut Divina. Hic ego: ergo concipis illas (nempè essentiam Dei & ejus voluntatem) ut connexas aliquâ relatione: patet, quia si se non respiciunt, non distinguuntur: quoniam ipsa distinctio *An identificatio sit unio infinita?* est Relatio. Atqui illa Relatio concipitur infinita, ergò objectivè unit per se & infinitè essentiam Dei cum ejus voluntate. Quòd objectivè uniat infinitè, patet; quia est relatio infinita. Quòd uniat per se, est clarum; quia essentia Dei concipitur ut subjectum, voluntas Dei ut attributum. Hinc breviter: Essentia Dei & ejus voluntas concipiuntur unitæ per *An adæquatè?* se infinitè, ergò adæquatè; ergò identificatæ. Patet hæc ultima consequentia, quia illa identificantur quæ per se, & adæquatè uniuntur. Ergò est impossibile concipere actualem distinctionem inter essentiam Dei & ejus Divinã voluntatem.

Dices, te non concipere distinctionem inter voluntatem Dei quà infinitam, & inter ejus essentiam quà infinitam: sed inter essentiam Dei, & ejus voluntatem, prout sunt abstractæ objectivè ab infinitate, hoc est, prout concipiuntur sine Divinitate.

Respondeo; conceptum objectivum vo- *Voluntas ut sic potest à naturâ distingui.* luntatis, aut essentiæ abstractæ à Divinitate, non esse conceptum voluntatis & essentiæ Divinæ; sed voluntatis & essentiæ ut sic. Verè inter duas istas formalitates possum concipere distinctionem actualem, quia est possibilis; voluntati enim ut sic non repugnat distingui ab essentiâ, potest enim actualiter realiter distingui, imò de facto distinguitur in homine secundum sententiam Thomistarum.

ARTICULUS III.

An una possit formalitas sine altera concipi? An Præscissiones objectivæ admittantur?

PRæscinditur una formalitas ab alterâ, CCLIX. quando cognoscitur non cognitâ alterâ. Et ut rem benè intelligas à Grammaticâ per *Quæstio ista Metalogica exemplo illustratur Grammatico.* Sensualem Physicam ad Intellectualem per cursum, & ostendam, Quid tandem Præscissiones objectivæ sint? & utrùm debeant admitti necessariò?

Porrò, ut à Grammaticis sumam exordium, te habere attentum volo, est enim hæc doctrina illustrandæ nostræ sententiæ necessaria. Dico *Aliud est tacere, aliud negare.* igitur, aliud esse rem taceri, aliud negari: si hunc librum Petrus & Paulus legerint, & cum Ego lectum à Petro dicam, lectum à Paulo taceam, non errabo, non mentiar, sed linguâ alterum ab altero præscindam & abstraham: quod si lectum à Petro asseram, & lectum fuisse à Paulo negem, hîc errabo. Sicut inter realitates lingua potest & solet alterum dicere, & alterum tacere (hoc est, nec affirmare, *Mens est similis linguæ.* nec negare, (sic etiam Mens inter formalitates. Possum enim Naturam Divinam concipere, quin concipiam Personalitates, & tunc Verbum mentale proferam, quo Naturam Divinam dicam, quo Personalitates non dicam; quo illam exprimam, istas tacebo; quo illam præscindam & abstraham à Personalitatibus non cogitatis.

An in sensibus objectivæ præcisiones inveniantur? Reperitur etiam in sensibus realis quædam præscissio; nam contingit alterum videri sine altero: alterum audiri sine altero: alterum odorari sine altero: alterum gustari sine altero: alterum tangi sine altero. Cùm Petrum respicis, oculis faciem ab occipite distinguis,

dùm enim contemplaris sinciput, non vides occiput, nam Visus opaca non penetrat, nec corporum dorsa intuetur. Ecce è duabus corporis partibus realiter distinctis, alteram respicis & alteram non respicis: & si dicas, Continuum antè divisionem non habere partes actuales, cùm in lapide superficiem exteriorem vides, partes interiores non vides, præscindis oculis non jam realitatem à realitate, sed formalitatem à formalitate. Cùm loquitur Antonius Joannesque, fortè necessariò utrumque audies, at non utrumque necessariò auscultabis, sed alterum; quia auditio ferè est necessaria; at verò auscultatio ferè libera. Omnia corpora odoribus characteristicis infici testantur canes, qui universos mirâ sagacitate distinguunt: at Tu aliquos odores percipis, alios non percipis; odores ergò præscindis ab odoribus. Sed neque sapores omnes percipis, tametsi nihil omninò sit, quod proprio careat. Quod ipsum ad factum extendens, & ad internos sensus analogâ proportione provehens, concludo dari præscissiones objectivas in sensibus (internis etiam & externis) & solere unam objecti partem sentiri non sensâ aliâ.

An continuum habeat partes ante divisionem?

Aliud audire, & aliud auscultare est.

De Abstractione negativa.

CCLX. POtest igitur Intellectus primò cognoscere unam rem non cognitâ aliâ: & potest secundò cognoscere unam formalitatem non cognitâ aliâ: non enim Intellectui negandum est, quod sensibus debet concedi.

Abstractio præcisiva,

Præter Abstractionem præcisivam, quam exposui, datur etiam Abstractio negativa, quæ in Theologiâ usurpatur à cunctis, & in Subalternatione Scientiarum à non paucis. Ejusmodi Abstractionis efficacia in eo est, quòd rem ita abstrahat ab uno contradictionis termino, ut alterum contradictorium affirmet: quod hoc potest exemplo declarari.

& negativa.

Ut cognoscam Deum, mihi quæcumque creatura sufficit, tametsi vilis & imperfecta: in illâ enim inveniam Deum imperfectiones negativè abstrahendo. Habeo in mensâ hunc caniculum, qui mihi adulatur & servit, & hodiè manuducet ad Deum, si philosophicis oculis consideretur. *Ens est, Substantia est, Vivens est.* Hucusq; nullam imperfectionem persentisco. *Est materialis, parvus, irrationalis.* Et istæ imperfectiones sunt. Ergò retineo omnes perfectiones, & has imperfectiones negativè abstraho, hoc est, nego, & contradictorias perfectiones affirmo, & Deum invenio, & assero, *illum esse, Substantiam viventem spiritualem infinitam & intellectualem.*

Hæc nos manuducit ad Deum.

Quid sit Deus.

De Abstractione incisiva.

EGi de Abstractione præcisivâ, & de negativâ: modò autem de incisivâ breviter disputabo. Abstraho præcisivè, quandò cognosco unam formalitatem & non cognosco alteram: abstraho negativè, quando mente unam formalitatem capio & captæ formalitati nego alteram, ut jam exposui: abstraho incisivè, cùm considero animal & considero rationale, utrumque simul cognosco, utrumq; apprehendo, & tamen alterum ab altero distinguo & mente incido; & me incidisse & distinxisse percipio cognitione reflexâ.

Quid sit abstractio præcisiva?

negativa?

incisiva?

De Abstractione judicativa, seu affirmativa.

SÆpè vides plures homines simul; Petrum, CCLXI.
Paulum, Franciscum, &c. eosque concipis: & tamen de uno affirmas quòd sit albus, & de cæteris nil affirmas aut negas: sæpè de singulis affirmas diversa: puta de Petro, quòd sit Belga; de Paulo, quod sit Hispanus: de Francisco, quod sit Suecus: &c. Ergò similiter accidere intellectui poterit, cùm multas formalitates meditatur. Nam, si in Petro consideret Ecceitatem, Rationalitatem, Animalitatem: non cognoscet unam formalitatem sinè alterâ; quia supponitur universas cognoscere: sed tamen illas mente incisivâ distinguet, & abstractione judicativâ separabit, diversa de singulis prædicata dicendo: nimirùm primò-intentionalia, ut si dicat, *Animalitas est principium sentiendi, Rationalitas est principium ratiocinandi.* &c. aut secundò-intentionalia, ut si dicat, *Animalitas est natura quadam generica & universalis. Rationalitas est differentia, quæ dividit genus & constituit speciem. Humanitas est formalitas specifica ex animalitate & rationalitate coalita. Petreitas est differentia individualis.* &c.

Quid illa, & qualis sit?

Quid sit animalitas?

Quid rationalitas?

Qui sic judicet non minus abstrahet judicativè unam formalitatem ab aliâ, quàm apprehensivè abstrahere dicitur, qui concipit unam sinè aliâ. Nec obest, quod omnia hæc judicia simul dicatur homo habere: quia fortè illa sibi succedunt & esse simul nequeunt. Et si coëxistere omnia in eodem intellectu dicantur, adhuc erunt judicia præcisiva, quod sic ostendo. Si haberem simul duos actus, quorum altero cognoscerem animal, & non cognoscerem rationale: altero rationale, & non animal: procul dubio utramque formalitatem simul cognoscerem, & nihilominùs appræhensivâ abstractione alteram præscinderem ab alterâ. Ergò, cùm habeo duo judicia, quorum altero aliquid affirmo de animali, quod non affirmo de rationali: & altero aliquid affirmo de rationali, quod non affirmo de animali: has duas formalitates judicativè præcido, & separo, licet utramque simul cognoscam & appræhendam. Præcido inquam judicativè, aut separo: quia fortè solummodò judicativè separo, quas reperi à mente appræhensivâ divisas.

An diversa judicia sint simul.

An possit dari præcisio, quando utraq; cognoscitur formalitas?

De Abstractione discursiva.

REperitur, quando de unâ formalitate inferimus, quod non inferimus de alterâ: CCLXII.
quod ipsum potest duobus modis accidere; nempè si nihil de alterâ, aut si aliud ex unâ & aliud ex aliâ inferamus. Rem exemplis dilucido. Considero in Petro rationalitatem & animalitatem & infero, *Petrus igitur est volitivus.* & aio me vel hâc ipsâ solâ consequentiâ animalitatem à rationalitate excidisse, quoniam volendi & amandi perfectio non ab animalitatis

gradu,

Quid illa sit, & quotuplex?

gradu, sed à rationalitatis prærogativâ infertur. Ecce hîc præcidi discursivè, unam consequentiam ex rationalitate & nullam ex animalitate diducendo. Quid si Petrum contemplans inferam, *Ergo vivit & sentit*? dicam in tali casu me animalitatem à rationalitate distinguere, quia ex illâ consequentias aliquas infero, nullas ex istâ. Addo ipsummet animalitatem discursivè intercidere, quoniam duas consequentias infero, & illa *Ergo vivit*, non oritur à sensibilitate: & illa *Ergo sentit*, non oritur à vitalitate: his ergò consequentiis intellectus discurrens animal in vivens & sensibile dividit.

Abstractionum definitiones. Si hos duos modos affirmandi & discurrendi etiam diversis nominibus volueris designare, benè facies: quæ enim revera distinguuntur, non debent in mente, aut in linguâ confundi. Et si me consulas, hæc nomina *Præcisio* & *Incisio* ministrabo. Et definitiones adjungam. *Præcisio apprehensiva* cognoscit unam formalitatem non cognitâ aliâ. *Præcisio judicativa* aliquid affirmat de alterâ formalitate, & de alterâ nihil affirmat aut negat. *Præcisio discursiva* aliquid infert de alterâ formalitate, de alterâ verò nihil infert. At verò *Incisio apprehensiva* utramque formalitatem concipit, sed duobus actibus, quorum singuli singulas tantum formalitates intelligunt. *Incisio judicativa* de singulis diversa enunciat: & *Incisio discursiva* ex singulis diversa infert. Hæc nomina videntur rem dilucidare, si non placeant, rejice, & alia meliora & convenientiora substitue.

An per actus intuitivos fieri possit Præcisio?

CCLXIII. *Variæ sententiæ.* HAnc difficultatem solvunt multi: tollunt alij. Tollunt quidem, qui negant distinctionem objectivam formalem: quia si realitas partibilis non est, nec abstractivis, nec intuitivis actibus incidi poterit. [Vide Hurtadum, *disput. & sect. 6. Metaph.* & Arriagam. *disput. 5. Log. sect. 3. subsect. 4. pag. 98. num. 49.*] solvunt, qui præcisiones objectivas & formalem distinctionem admittendo, quid fieri possit aut non possit virtute actuum intuitivorum juxta propria fundamenta pronunciant. Arriaga omnes objectivas præcisiones reiicit, at ex hypothesi, quod admittantur, non debere ad actus abstractivos contrahi, sed posse & debere ad intuitivos extendi his verbis asserit & dilucidat. [Si ex parte objecti, ait, detur ea distinctio virtualis de quâ supra in ordine ad prædicata contradictoria, scilicet cognosci & non cognosci, puto omninò certum, non minùs per actus intuitivos, quàm per abstractivos fieri posse eas præcisiones objectivas. Id etiam ostensum est in præcedentibus, dum argumenta, quæ adversarij faciunt pro præcisionibus in cognitione abstractivâ, eodem modo urgere in intuitivâ ostendi exemplo albedinis à longè visæ; de quâ possum dicere esse colorem, non possum autem an sit albedo an nigredo, non secùs ac possum dicere, illud *est animal*, & non possum dicere *est rationale*. Idem etiam in cognitione non comprehensivâ patet: nam & Beati possunt dicere, *Deus est productivus Angeli* v. g. & non possunt dicere *est productivus Leonis*, quia non vident Leonem in Deo (suppono enim non necessariò videri omnes creaturas à quolibet Beato:) ergo jam ille Beatus cognoscit in Deo virtutem productivam Angeli, & non cognoscit virtutem productivam Leonis, cùm virtus sit utraque Deo essentialis, ut dixi in materiâ de Visione Dei. Et hoc argumentum urget P. Suarezium, qui hæc prædicata dicit esse essentialia Deo, aliundè verò negat in Visione beatâ præcisiones, quas in abstractivâ cognitione concedit. Confirmo. Tam non potest dicere Beatus, *Deus est productivus Leonis*, quàm ego jam id non possum dicere: ergò si ego propterea præscindo eam virtutem ab aliâ quam affirmare possum de Deo; ob eamdem rationem etiam præscindit Beatus. Denique & rationes quas attulerit ad explicandum quomodo in Beatis sine præcisionibus id fiat, eædem possunt in abstractivâ applicari. Inconsequenter ergò negas præcisiones in cognitione intuitivâ, si eas concedis in abstractiva.

An oculi possint præscindere unam formalitatem ab alterâ?

An Beati omnia videant in verbo?

Dices: Intuitiva est cognitio rei sicut est in se; ergo non potest præscindere. Distinguo: *sicut est in se*, id est, rei existentis ut existentis: transeat. *sicut est in se*: id est, quælibet cognitio intuitiva omnia quæ in objecto existunt, cognoscit adæquatè: nego Antecedens. Undè nego, non posse ab illâ unam formalitatem cognosci existentem aliâ ignoratâ: ut, cùm video albedinem à longè, scio esse colorem existentem, sed non scio esse formalitatem albedinis existentis. Tandem dico, etiam per cognitionem intuitivam posse in Deo fieri præcisionem objectivam, eò quod ibi detur distinctio virtualis ad prædicata contradictoria, de quo fusè sectione sequenti; ubi & argumentum adversariorum de præcisionibus in divinis, pro eisdem increatis, dissolvetur.] Sic ille: cujus sententia in libris de Animâ radicitùs examinabitur.

Quid sit intuitiva cognitio? Alij aliter illam explicant: sed de hoc alibi.

DISPU-

DISPUTATIO VIII.

De Distinctione confusivâ, seu Confusione objectivâ.

CCLXIV. *Modus benè philosophandi.*

SEnsus nos manuducunt, & quo debeamus modo de Mente philosophari docent, non enim benè philosophatur, qui sio fundamento in re: nec fundamentum habet, qui non respicit Mundum sensibilem, ut mundum intelligibilem fabricetur. Et quidem, si per singulos discurram, multa inveniam indubitata & certa, quæ Metalogico servire possunt. Exordium sumamus ab oculis.

Visus priùs confusè, & distinctè posteriùs percipit suū objectum.

Cernis nonnihil longè dissitum, & utrum lapsis sit, an arbos, aut etiam animal, non percipis: ergò quia confusè videtur, illud esse corpus pronuncias, quale autem illud corpus sit, definire non audes. Accedis propiùs & motum percipis, & quia lapides non motantur, corpus illud non esse lapideum affirmas, at quia nondum percipis, an moveatur ab intrinseco an ab extrinseco, adhuc subdubitas, an arbor quædam sit vento agitata, an animans quædam progrediens. Ubi motum progressivum percipis, non esse arborem dicis, at dubitas qualis sit illa animans, an belluina, an humana? At propius accedens hominem esse vides, nec statim quis ipse sit cognoscis, quousque accedens propissimè esse Franciscum percipis & affirmas. Ergo stando judicio oculorum, Franciscus confusè videbatur priùs, & minùs confusè posteriùs, quousque tandem distinctissimè videri potuit. Ergò primo intuitu non totum in Francisco Franciscum, sed aliquid omni corpori commune oculis percepisti; secundo aliquid particularius, & non jam commune omni corpori, sed omni viventi solummodò: tertio percepisti motum progressivum, qui solùm animalibus convenit: quarto figuram & membrorum propositionem humanā: quinto eoque clarissimo accidentia, quæ simul in solo reperiuntur Francisco, & non in alio. Intuitus ergò primò vidit in Francisco non nisi colores visibiles, sed quos habet quà corpus; secundò, quos habet quà vivens; tertiò, quos habet quà animal; quartò, quos habet quà homo; & tandem quintò, quos habet quà Franciscus.

CCLXV. *Priùs confusè, & distinctè posteriùs percipit suum objectum Auris.*

Sicut oculus priùs magis confusa, & minùs confusa posteriùs, sic etiam auris. Cantat Poliphemus & dubitas, an sit elementorum fragor, an animalis vox. Accedis propiùs, & vocem esse percipis, at non distinguis, sit ne elephantis barritus, aut rugitus Leonis, aut mugitus tauri, aut irati gigantis fremitus. Attentiùs & propinquiùs ause ebibis singulas vocis horridæ & immoderatæ particulas, & esse humanam percipis; ignoras tamen an Glauci, an Neptuni, an sit marini aut terreni Gigantis. Sed postquàm Galatheam celebrari vocis torrente inconcinno perceperis, vocem illam esse Poliphemi concludis. Et negare non poteris te priùs cognovisse vocem qua corporis, deindè qua animalis, posteà quà Gigantis, demùm quà Poliphemi.

Etiam Odoratus, Gustus, Tactus.

Idem accidit Odoratui, idem Gustui, idem Tactui; sed quia imperfectiores sensus sunt, singula subobscuriùs; & ideò ex aliorum sensuum actibus proportione manifestâ explicantur.

Intellectus idem objectum obscurè priùs, & posteriùs clarè percipit.

Hîc igitur doceri velim, cur non de Intellectione, sicut de Sensatione poterimus philosophari? Cur non possimus dicere Intellectum, sicut & Sensus, unam & eamdem indivisibilem rem, totam totam, jam obscurè jam minùs obscurè, jam tandem clarè & perspicuè intelligere? Et, si hoc semel admittamus, cur non etiam poterimus addere, posse Intellectum elicere conceptum Petri primò ita clarùm, ut nulli nisi Petro conveniat; secundò minùs clarè, ita ut non solùm Petro, sed etiam respondeat Francisco: tertiò adhuc minus clarè, ita ut non solùm hominibus, sed etiam brutis omnibus conveniens sit: quartò adhuc obscuriùs, ita ut conveniat hominibus brutis & plantis, non autem elementis, metallis, lapidibus & aliis inanimis corporibus: & quintò multò adhuc obscuriùs, ita ut omni substantiæ materiali conveniat.

Universale confusum.

Hanc viam ineunt, qui negant præcisiones objectivas, & Universalia omnia per actus confusas exponunt: de quorum doctrinâ & dogmatibus, quia plura sum inferiùs dicturus, quando Universale confusum exposuero, non est cur hîc Lectorem meum detinere præsumam.

DISPUTATIO XI.

De Quantitate objectivâ.

CCLXVI. *Quantitas duplex.*

DUplex est Quantitas: nimirùm, Continua & Discreta: ad priorem pertinet objecti extensio, ad posteriorē verò multiplicatio. Oportet igitur examinare, Utrùm rerum extensio possit objectivè mutari? utrùm magna, parva videri possint: & parva, magna? utrùm suprema, infima? utrùm sinistra, dextera? Utrùm contrà? Et transeundo ad Discretam, inquirere, an illud quod realiter est unicum, possit objectivè esse plura? utrùm illa, quæ realiter sunt plura, possint objectivè esse unum?

ARTICULUS I.

De Contractione & Amplificatione objectivâ.

CCLXVII. *Quid alteratura, & quotuplex sit?*

COntractio æquivoca vox est, sumitur enim metalogicè & physicè. Priore acceptione convenit universalibus, cùm per differentias contrahuntur, hoc est particularizantur: & posteriore convenit omni Enti, at præcipuè individuo, cùm sine ullâ mensurarum & proportionum confusione ad minorem magnitudinem trahitur. Contractioni opponitur Amplificatio, cùm objectum sine ullâ mensurarum & proportionum alteratione ad majorem extensionem reducitur.

Incidentes quæstiones. Hic occurrit duplex quæstio: altera realis, altera animalis. *Realis est*, Utrùm totum Mundum nuce claudere possit Deus, quin aliquis mortalis, etsi matheseos peritissimus, possit mutationem percipere? An contra illum ita possit extendere, ut pulices nostri elephantibus evadant similes; quin homines novam in corporibus suis vastitatem percipiant? *Animalis verò*, An Mundum eumdem permanentem in suo esse, possit alicui Deus distinctè & clarè repræsentare infra unius nucis magnitudinem? An possit pulicem supra magnitudinem Solis?

Prima quæstionis Resolutio. Respondeo ad primam, si Deus omnia corpora reduceret hac nocte ad magnitudinem duplò minorem, nullum Geometram, nullum Astronomum posse cras percipere mundum mutatum esse; haberent enim ulnæ tot pedes quot anteà: & pedes haberent tot palmos quot anteà: & palmi tot digitos quot anteà; &c. leuca haberet tot passus, quot anteà; & urbes distarent tot leucis, quibus anteà. &c. & sydera semoverentur ab hominibus tot semidiametris terræ quot anteà. &c. quia cùm omnes mensuræ sint proportionales, & in eâdem proportione manerent, nemo posset mutationem percipere. Ergo idem dicendum omninò est, si mundum Deus redigeret ad centuplò minorem magnitudinem: idem etiam omninò, si illum ad millecuplò minorem redigeret. Ergò idem si adhuc eum reduceret ad multò minorem. *Idem de amplificatione Mundi dicito*: nam si illum Deus ad extensionem millies majorem reduceret, tot ulna pedes, palmos, & digitos haberet, quot nunc: tot altitudinis homo pedes, quot nunc: &c. nec esset lynx, qui posset mutationem notare.

Respondeo ad secundum vitris concavis objecta visibiliter contrahi, & amplificari convexis, cùm ergo nos vasta corpora ad brevissimam peripheriam cōtrahamus, & minutissima ad magnam molem extendamus inspicillorum beneficio, non dubitamus quin possit Deus ita oculum attemperare, & medium disponere (nam utrumque necessarium est) ut vel in unâ aëris atomo, (sic vocantur vaga illa corpuscula, quæ in radio solari videntur) totum mundum contractum distinctè, & exactè conspicias: vel etiam cœlum Lunæ pulicem excedentem intuearis. *Secunda quæstionis Resolutio.* *Quid sit atomus?*

Addo me non percipere rationem propter quam non possit aliis etiam sensibus concedi, quod Visui: nam sicut iste armatus vitro objecta contrahit aut amplificat, sic illa possent sibi proportionatis armis corroborari, ut magna objecta ad parva, aut parva ad magna, citrà eorumdem mutationem realem, intentionaliter reducerent.

Hinc transeo ad interiores sensus, hinc etiam ad Mentem, cujus gratiâ de sensibus est disputatum: puto enim posse hominem, sicut imaginari penicillo, sic etiam imaginari Mente muscam elephante majorem, aut etiam muscâ minorem elephantem.

De Sancto Benedicto.

MIra sunt quæ S. Gregorius Magnus libri Moraliū secundi capite trigesimo quinto recenset: nimirùm *sub uno Solis radio* (sub unâ atomo) *totum mundum collectum conspexisse*. Quæ sanè Apocalypsis, quomodocumq; exponatur est ardua, & miraculis plena. Mira est, si fuerit ocularis; &, si intellectualis fuerit, mira. CCLXVIII. *D. Benedictus totum mundū in atomo solari conspexit? mente, an oculis?*

Videtur primò corporis oculis S. Benedictū mundum totum in atomo solari conspexisse; nam hæc verba Pontificis Historiographi aliud non sonant: sic enim ait. [Cùm Vir Dei Benedictus quiescentibus adhuc fratribus, instans vigilus, nocturnæ orationis tempora prævenisset, ad fenestram stans, & Omnipotentem Deum deprecans, subito intempestâ noctis horâ respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, ut diem vinceret lux illa, quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valdè in hac speculatione sequuta est, quia sicut post ipse narravit, omnis etiā mundus, velut sub uno solis radio collectus antè oculos ejus adductus est. *Videretur ocularis fuisse.*

Qui

Qui venerabilis Pater, dùm intentam oculorum aciem, in hoc splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi Animam in sphærâ igneâ ab Angelis in Cœlum ferri. &c.] Ubi totus contextus Visionem ocularem testatur. Sic Gregorium, & non aliter intellexit interloquutor Petrus: inquit enim [Mira res valdè, & vehementer stupenda: scilicet hoc, quod dictum est; quia ante oculos ipsius, quasi sub uno solis radio, collectus omnis mundus adductus est.]

Et etiam videretur mentalis.

Videtur secundò hæc visio non nisi intellectualis fuisse: illam enim Gregorius *Speculationē* appellavit. Et cùm rogaret Petrus, quo fieri possit modo, ut mundus totus in atomo Solis conspiciatur, respondit. [Fixum tene Petre, quod loquor, quia Animæ videnti Creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet enim parum de luce Creatoris aspexerit, breve fit ei omne, quod creatum est: &c.]

An D. Benedictus viderit essentiam divinam?

Resolutio.

Ego autem, quia verba utrumque sonare videntur, & utrumque possibile fuit, pronuncio hanc visionem ocularem & intellectualem fuisse simul, & distributione consentaneâ, Mundū corporeum & in ipso Cœlum Empyreum oculis, & Mundum spiritualem & in ipso Dei essentiam & Germani Episcopi Capuani Animam, intellectu aspexisse.

Totum Mundum contractum ad unam atomum corporeis & intellectualibus oculis D. Benedictus inspexit. An hoc tantùm? Inspexit unam atomum (nam & rationalis anima spiritualis & indivisibile punctum est.) æqualem toti Empyreo. Vidit nimirùm Capuani Pontificis Animam in sphærâ ignis (sphæra hæc, & empyrea est) ab Angelis ad gloriam ferri. Et rationē hujus objectivæ, aut etiam formalis, si velis, amplificationis subjungit. [Ipsâ luce visionis, intimæ mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo ut superior existat mundo, fit verò ipsa videntis anima etiā supra metipsam. Cùmq; in Dei lumine rapitur, super se in interioribus ampliatur, & dùm se sub se conspicit, exaltata comprehendit, quàm breve sit, quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergò Dei, qui in turri globum igneum, angelos quoque ad cœlum redeuntes videbat, hæc procul dubio cernere nonnisi in Dei lumine poterat. Quid itaque mirum, si mundum antè se collectum vidit, qui sublevatus in mentis lumine, extra mundum fuit? Quod autem collectus mundus antè ejus oculos dicitur, non cœlum & terra conjuncta est sed videntis animus est dilatus, qui in Deo raptus, videre sine difficultate potuit omne, quod infrà Deum est. In illâ ergo luce, quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animum cùm ad superiora rapuit, ei quàm angusta essent omnia inferiora, monstravit.] Sic Sanctus Pontifex: cui consonat Sancta Mater Theresia, quæ eodem modo loquitur de mentis ampliatione objectivâ & formali.

Ampliatio animæ beatæ.

An beati sint extra mundum?

ARTICULUS II.

De Multiplicatione objectivâ.

CCLXIX

Quid numerica Multiplicatio sit, non æquè omnes intelligunt, nec omnes benè. Esse multos homines ex. gr. scimus; eos distingui puro numero asserimus: at discere desideram*, quid sit hæc asserta distinctio? Fortè sensus nos juvare poterunt; illos examinemus.

Multiplicatio imaginum per specula.

Et primo loco Visum, sensum principem, sensum excellentissimum, quo divinior in toto animali nullus est. Oculos ergò in specula dirigo, & objecti simplicis multiplicationem innumerabilē admiror, & subdubito, an sit realis multiplicatio, quam numericam vocant similis oculari. Sint igitur tria specula KI. IL. LM. & in medio (puta apud N.) locetur flamula, & quot quæso videbimus? innumerabiles omninò, omnes primariæ similes; aut si placeat sic loqui videbitur primaria in innumeris locis multiplicata. Vel etiam sit nummus aureus apud H, & oculus F armetur inspicillo G, angulis plurimis formato: & pronuncio oculum F, per vitrum G, tot visurum nummos secundarios apud H, quot vitrum habet plana; omnes similes: imò tam similes, ut centies decipienda sit manus, si verum intercipere velis.

** Vide in lamina Logicis figuram 25.*

Quid sit Echo?

Secundò veniamus ad Auditum, qui etiam objecta multiplicat; naturâ enim & arte Echo multiplex redditur; quæ est multiplex imago ejusdem vocis. Quid si Echo nos dirigat, ut naturam ipsam intelligamus?

Consule figuram 26 ejusdem laminæ.

Tertiò alios sensus multiplicare propria objecta doctrinæ consequentia persuadet; nam sicut de Visu & Auditu, possumus, imò etiam debemus, de Olfactu, Gustu, & Tactu philosophari: quodsi in duobus prioribus nunita elucescat hæc veritas, in Tactu illa claro experimento demonstratur. Nam si globulum duobus digitis medio & annulari intortis teneas & Tactum consulas, te non unicum sed duos globos tangere, sis juraturus.

Ergò & poterit intellectus individua multiplicare. Sic infers: & ego consequentiam concedo.

Quæstio incidens?

At quia quæstio quæstionē parit, subdubitas, *An stando sententia D. Thomæ, quæ docet non posse Angelos numero multiplicari, & stando sententia, quæ tenet non dari Entia rationis, possit adhuc Intellectus sub specie Gabrielis multos Gabrieles solo numero distinctos contemplari?* Ratio negandi esset, quia alij Gabrieles essent impossibiles, & conciperentur ut existentes, ergo essent Entia rationis. Ratio autem asserendi esset, quia non debet Intellectui negari, quod sensibus externis conceditur, at si daretur unica flamula & repugnarent aliæ flamulæ, & ipsa poneretur in N. adhuc in speculis multiplicaretur, & millies & millies videretur: & nihilominùs nihil chimæricum inspiceret oculus: & si daretur nummus H, etsi repugnarent alij nummi, adhuc multos videres nummos, si perspicillo G uterentis. Et si clamares tu, etsi omnes aliæ voces impossibiles essent, subaudiretur Echo, aut etiam Echones, si velis, & nihilominùs nihil chimæricum perciperet

sensus.

sensus. Ergo sicut flāmula aut nummus oculariter, & sicut vox audibiliter, poterit Gabriel intellectualiter multiplicari. At speciei multiplicatio est numerica: Ergò licet realiter Angelica multiplicari species nequeat, eadē poterit sine chimœræ suspicione, aut Entis rationis fictione intellectualiter multiplicari.

Quid appareat in speculo?

Ut ab hâc difficultate me expediam, duas mihi vias aperit Philosophorum eruditio, quæ de speculis dupliciter philosophantur. Alij enim existimant, non rem videri in speculo, sed rei imaginem: alij videri eamdem rem sed in locis diversis.

Solvitur quæstio juxta primam hypothesin.

CCLXX. Primæ sententiæ stando, admitto exercitij scholastici gratiâ præter flammolam N. nullam esse possibilem, & tamen dico in speculis illam visibiliter multiplicandam, nec indè sequi admitti debere Entia Visû. Entibus rationis similia, nam in speculis non videbuntur novæ flammæ, sed novæ prioris imagines; & non repugnat unius indivisibilis prototypi imagines multiplicari; nam si repugnarēt multi Soles, non ideò hujus, qui nūc est, multę repugnarent imagines: &, si repugnarent multi Equi, adhuc Equus F, qui unicus esset possibilis, posset in millibus tabulis imaginari. Hinc venio ad Intellectum & dico, illos, quos Gabrieles voco, non esse Angelos, sed meras Gabrielis imagines, & ideò non esse Entia rationis, quia tametsi repugnent plures Angeli in specie Gabrielis, non tamen repugnant plures unici Gabrielis imagines & similitudines intellectuales. Quamobrem tam erit vera hæc propositio, ***Isti, qui ad instar Gabrielis concipiuntur, sunt Angeli***, quàm hæc, ***Istæ luculæ, quæ ad instar flammæ existentis in N perspiciuntur sunt flammæ***. Nam si nomen ***flammæ***, cùm prædicatur sumitur repræsentativè, pro flammæ imagine, etiam nomen ***Angeli***, cùm prædicatur sumetur repræsentativè, pro Angeli imagine.

Quæstio eadem juxta hypothesin alterā solvitur.

Stando autèm sententiæ secundæ, & admittendo nullam præter N. esse flammam possibilem, pronuncio nihil chimæricum effingi ab oculo, cum tot luculas in speculis percipit: illæ enim non sunt diversæ à primâ, sed sunt illa eadem in locis diversis respecta. Sicut enim Christus, etsi solus inter homines esset possibilis, posset adhuc in multis locis multiplicari, nec ex hâc replicatione reali sequeretur absurdum; sic eoam illa lux, tametsi sola possibilis esse dicatur, poterit replicari localiter aut realiter à Deo miraculosè, aut ocularıter ab Homine artificiosè, quin aliquid chimæricum in naturâ admittatur. Ergo veniendo ad Meotem, quæ dicitur Gabrieles plurimos cogitare, dico illos non esse multos Gabrieles, licèt videantur multi, sed esse unicum pluries cognitum, nec in hoc aliquod Ens rationis inveniri; nam sicut Sol, licet alij Soles impossibiles essent, posset pluries videri; aut successivè ab oculo inermi, aut simul ab oculo inspicillo anguloso, aut speculorum refractione armato; sic etiā Gabriel, licet alij Gabrieles impossibiles sint, poterit pluries cognosci; aut successivè ab intellectu inermi; aut simul ab intellectu pluribus speciebus aut notitiis (liceat sic loqui) ejusdem Gabrielis armato.

Ergo tandem aliquando quæstioni respondeamus, quæ interrogabat, An Gabriel si numero multiplicabilis non sit, sit species, & possit de multis prædicari? & dicamus prædicationes non esse reales, sed intentionales; quam ob rem cùm multi Gabrieles intentionaliter sint, de multis intentionalibus poterit intentionaliter intentionalis Gabrielis conceptus prædicari. Sed de hoc uberiùs alio in loco.

DISPUTATIO X.

De Idemtificatione.

Identitas & distinctio opponūtur.

CCLXXI. Distinctioni opponitur Idētificatio, & hanc ob rem postquàm egi de Distinctione, de Idemtificatione disputabo. Juvabunt nos, ut inoffenso pede percurram, universa, quæ dixi, modò debitâ attentione sint lecta; nam contrariorū, si non sit omninò eadem, saltem est similis & analoga ratio.

ARTICULUS I.

Rebus accidit distingui, aut idemtificari.

CCLXXII. EXpositurus illud axioma Aristotelicum: ***Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se***, & sæpè aliàs, de Idemtificatione aliqua tetigi, quæ indigent majori expositione. Dabo illam nunc, quoniam hîc proprius locus.

In quo consistat rei essentia?

Res quælibet essentialiter dicit sua prædicata intrinseca, per quæ diffinitur: quid quid sit extrà diffinitionem, accidit diffinito. Animalitas definitur ***Vita sensibilis***, & benè. Non est de ejus diffinitione, quod sit aliud ab arbore, neque quòd sit idem cū rationalitate: ergò nec est illi essentiale quod distinguatur realiter ab arbore, neque quod idemtificetur realiter rationalitati. Patet; quia si hæc idemtificatio, & illa distinctio pertinerent ad animalitatis essentiam, non posset sine illis benè concipi, neque quiditativè diffiniri.

Quid sint res possibiles?

Ideæ rerum possibilium secundùm se, sunt conceptus essentiales, & nec ordinem aliquem dicunt, neque deordinationem. Homo A. possibilis secundum se, nec est major, nec minor Petro; non est Hispanus nec Romanus, non est conjugatus nec cælebs, non est amicus nec hostis, non est alienigena nec consanguineus; sed est hoc animal rationale. Et omnia quæ recensui non sunt de conceptu hujus animalis rationalis, ac propterea illi accidunt. Si afficiatur magnâ mole corporeâ, erit magnus; parvus, si parvâ: Si nascatur Madriti, erit Hispanus;

Essentia & accidens.

L Roma-

Romanus, si Romæ. Si ducat uxorem, erit conjugatus; si non, cælebs. Si amet nos, erit amicus; si oderit, erit hostis. Si originem trahat à nostris majoribus, erit consanguineus; alienigena, si ab exteris. Ergò similiter, distinguetur realiter, si realem habeat distinctionem: separabitur, si habeat separationem; unietur, si habeat unionem; alteri identificabitur, si habuerit identificationem. Patet consequentia; quia sicut esse Hispanum, Arabem, amicum, hostem, conjugatum, cælibem, &c. sunt extra conceptum essentialem hujus hominis, sic etiam & esse realiter distinctum ab hâc arbore. Esset enim hic homo, licet ab eâ nullatenùs distingueretur.

Objectio.

Contrà me est. Identificatio est carentia distinctionis; atqui asseritur in præsenti nulla secundùm se esse distincta ab aliis: ergò omnes essentiæ secundùm se sunt identificatæ. Atqui illa, quæ essentiæ competunt secundùm se, nusquam possunt deficere: ergo nunc de facto omnes essentiæ sunt identificatæ, quod est absurdum.

Solutio.

Nego majorem primi syllogismi, licèt à pluribus concessam. Ratio est, quia sicut albedo non est carentia nigredinis, nam aliàs Angeli essent albi, cùm nigredine careant: sicut calor non est carentia frigoris ob eandem causam: sic similiter identificatio non est carentia distinctionis, sed nexus quispiam realis, adæquatè & perfectissimè connectens duas formalitates. Identificatio, Relatio est realis positiva extrema connectens per se & adæquatè. Distinctio Relatio etiam est positiva connectens extrema, non tamen per se adæquatè. Ecce non sunt termini contradictorij, sed conveniunt in unâ formalitate positivâ, & differunt per terminos contradictorios. Idcirco distinctio non debet diffiniri esse carentia identificationis, sed Relatio, quæ non sit identificatio. Cæterùm ex naturâ suâ nihil est quod distinguatur ab alio: nihil quod ex naturâ suâ alteri identificetur; quia omnia secundùm se abstrahuntur ab alio, & dicunt solùm sua quidditativa prædicata.

An distinctio sit negatio identitatis?

Quid identitas sit?

quid distinctio.

ARTICULUS II.

Quotuplex Idemtitas sit?

CCLXXIII A Lienus est à Scholis Europæ verus Idemtificationis conceptus, si enim sunt vera, quæ dicebamus: falsa vel nulla sunt, quæ à variis Philosophis circumferuntur. Placet à Joannis Lalemandetij verbis exordium sumere, ipse enim disp. 3. Metaph. part. 1. column. 70. sic ait. *Idemtitas nihil aliud est, nisi unio aliquarum entitatum extremitate vigentium in aliquo*, &c. cætera non urgeo, sufficit enim mihi id unum scire; videlicet, Idemtitatem esse quamdam unionem perfectissimam. Et quidem, si idemtitas est, quædam unio, aliquid positivum erit, & non mera distinctionis carentia.

Idemtitatis verus conceptus paucis notus.

Idemtitas est unio perfectissima.

Unio realis est duplex; Positiva, & Negativa. Prior reperitur inter duo extrema realia, ut inter Animam & Corpus; posterior inter rem & seipsam: Petrus enim dicitur uniri negativè sibi ipsi, non enim dividitur aut separatur positivè à se ipso. Et hoc sensu accipiendum est commune illud Ethicorum Affatum, *Proximus egomet mihi*: mihi enim nemo proximior est quàm Ego.

Unio duplex: positiva & negativa.

Hinc oritur duplex Idemtitas; Positiva videlicet & negativa. Prior reperitur inter duas formalitates ex naturâ rei aut ratione distinctas; at posterior inter unicam formalitatem, & se ipsam: aliter enim in Divinis identificatur Essentia Relationi, aliter Essentia sibi: nam Essentia Relationi identificatur positivè, sibi ipsi negativè.

Idemtitas etiam est duplex: positiva & negativa.

Quomodo identificentur divina?

ARTICULUS III.

Qualis Unio illa sit, quæ vocatur Idemtitas positiva?

CCLXXIV E St similis unioni reali: adeòque hujus ingenio cognito poterimus illam accuratè explicare.

Sanè Realis Unionis essentia valdè est ignota & diversimodè exposita à Philosophis. *Primò* enim innumeri negant Unionem requiri ab extremis distinctam & volunt extrema seipsis uniri nullo nexu interposito. Hanc sententiam nostro ævo esse probabilissimam sciunt docti omnes, florent enim hodiè Expressiva & Localis Schola, quæ Uniones distinctas non admittunt. Negatâ Unione facili negotio expeditur ea quæstio, quæ inquirit, An rationalis Animus & Corpus vinculo materiali aut spirituali connectantur: quia, si nullum interest, nec materiale nec spirituale interest. *Secundò*, alij interponunt unicam Unionem, (Modalem aut Realem; nam & hic variant) quæ insit utrique extremo, & ita utrumque copulet & connectat. At stando huic sententiæ erit valdè difficile determinare, An Corpus & Animi Unio sit materialis: si enim æquè Corpori ac Animo illa inest, non datur ratio, quæ potiùs illam esse materialem, quàm esse spiritualem suadeat. *Tertiò*, alij interciunt etiam unicam Unionem, sed aliter; dicunt enim illam esse de Relationum censu, & inesse uni extremo, & alterum ut intrinsecum terminum respicere: & ipsi, si rogentur, Quo uniatur modo Substantiale Compositum? differunt inter se. Alij enim dicunt Unionem inesse Materiæ & terminari ad Formam: alij contrà, Unionem inesse Formæ & ad Materiam terminari. Et agendo de Homine dicent illi, Corpus Animumque uniri nexu materiali, isti nexu spirituali: putant enim Unionem debere esse cògenerem subjecto cui inest, non autem termino quem respicit. *Quartò* alij duas uniones requirunt; alteram, quæ insit materiæ & terminetur ad formam; & alteram, quæ insit formæ, & ad materiam terminetur: & veniendo ad hominis compositionem, docent eum duabus unionibus componi, alterâ corporeâ & alterâ spirituali: corpoream illam esse, quæ corpori inest & terminatur ad animam; spiritualem verò illam, quæ inest animæ & terminatur ad corpus. *Alij aliter* philosophantur; sed sufficit digniores sententias exposuisse, ut naturam Idemtitatis exponamus.

An detur unio ab extremis distincta?

An unio Animæ & Corporis sit spiritualis aut materialis?

An unio sit modus? An sit unica? An æquè insit utrique extremo?

an sit relativa?

an insit materiæ & respiciat formam? an contra?

De duplici unione.

CCLXXV Si stemus opinioni primæ, nolimusque in Physicis admittere unionem ab extremis distinctam, debebimus de formalitatibus pari formiter philosophari, & asserere Essentiam & Rela-

An idemtitas nihil omninò sit ab extremis distinctum?

Relationem in Divinis nullo interposito nexu formaliter ab extremis distincto idemtificari; & incidemus in difficultates quas Reales côtra Formales movent & obtorquent in Physicâ; omnes enim illæ in præsentem controversiam per analogiam & paritatem transeunt.

An sit modus formalis?

Si admittamus in Physicâ unionem ab extremis distinctam, & tamen dicamus eam esse entitatulam quamdam modalem, tenebimur consequenter asserere Idemtitatem esse formalitatem quamdam modalem, à quâ extrema ratione separari & abstrahi possint, quæ ab extremis ratione præscindi non possit.

Quid sit modus formalis?

Si Unionem physicam dicamus esse rem, debebimus consequenter asserere posse saltem divinitùs conservari unionem realem sine extremis; & posse saltem humanitùs concipi unionem formalem seu idemtificationem sine extremis.

An unio realis possit sine extremis existere? An formalis sine extremis concipi?

Si in Physicâ unionem utrique inesse extremo propugnemus, consequentia doctrinæ postulat, ut inter Intellectum & Voluntatem Divinam, quamdiù formaliter distingui dicantur, interseratur quædam formalis unio quæ infinita sit, & formaliter insit utrique extremo, & sic inessendo idemtificet.

An idemtitas utrique extremo insit? an alteri & utri?

Si malimus asserere Unionem uni tantùm extremo insistere & alterum intimè respicere, eodem modo de formalitatibus philosophabimur; at erit difficile in Divinis exponere, An idemtificatio, quæ Intellectum & Voluntatem idemtificat, insit Intellectui & inde Voluntatem respiciat; an potiùs insit Voluntati, & ad Intellectum terminetur? erit inquam difficile explicare, An ille idemtificativus nexus idemtificet Voluntatem Intellectui, an Intellectum Voluntati. Nam cùm in Deo omnia sint entitativè necessaria, ratio, quæ in Humanis est efficax ad Divina non potest interdum traduci: Interroganti enim, cur potiùs unio physica uniat Corpus Animo, quàm istum illi, posset quis respondere, hoc pendere à Voluntate liberâ Conditoris: quæ respôsio in physicis sufficiens esset, at in Theologicis locum non habet.

An corpus potiùs uniatur animo, quàm animus corpori: & cur?

Si tandem Reale Compositum duabus unionib⁹ oneremus, multas gravissimas quæstiones levabimus & dilucidabimus; & ad formalitates ascendentes analogo philosophabimur modo, & dicemus duas reperiri uniones formales inter duo extrema formalia; alteram, quæ insit huic & hoc alteri idemtificè uniat; alteram, quæ contrà, insit alteri, & alterum huic idemtificet.

An idemtitas in duplici unione consistat?

Posita hâc curiosâ doctrinâ, *sic philosophabimur de Deo.* Dicemus inter Subsistentiam Divinam & Naturã Divinã duplicem Unionem & utramq; idemtificativam reperiri; alteram, quæ inest Subsistentiæ & hanc Naturæ tanquam termino idemtificat; alterã, quæ inest Naturæ, & ipsam idemtificat Subsistentiæ tanquam termino intrinseco. *Sic de Christo.* Dicemus inter Divinam Subsistentiam & Naturam Humanam duplicem unionem intercedere; alteram increatam, creatam alterã. Hanc inesse (realiter aut modaliter) Humanitati, & hanc unire Subsistentiæ Divinę: illam inesse formaliter (vel tanquàm realitas rationis, vel tanquã modus rationis) Subsistentiæ Divinæ & terminari ad Divinitatem primariò, & ad Humanitatem secundariò: ad Divinitatem idemticè tanquàm ad terminum necessarium & infinitum: ad Humanitatem verè & realiter, sed non idemticè, utpote ad terminum liberũ & finitum. [Subtilis, & curiosa hæc thesis est: illam olim defendi Lovanij, cum disputavi pro laureâ; & videtur summâ rationis paritate fundari.]

De divina subsistentia & natura divina idemtitate.

De unione hypostatica, an sit duplex, & qualiter?

ARTICULUS IV.

Quanta sit illa Unio, quæ Idemtitas positiva vocatur?

PUrè Reales volunt esse infinitam, illamque CCLXXVI.
à Physicis & Creaturis proscribunt; jubent enim ut intra Theologiæ cancellos se côtineat, & tantummodò conveniat Deo. Ergò eorumdem judicio, *Idemtitas positiva* (de hâc enim semper agimus, non enim negativa tam laboriosâ luce indiget) *est quædam infinita duorum infinitorũ extremorum unio.* Explico singula. Volunt esse unionem infinitam, nam si darentur duo extrema infinita (pone Divinitatem & Paternitatem) & ipsa unirentur finitè, non idemtificarentur, sed manerent realiter distincta. Et si daretur infinita Unio, quæ extrema finita, aut alterum finitum & alterum infinitum connecteret, non esset idemtificatio. Undè patet Humanitatem in Christo non idemtificari Subsistentiæ Divinæ, quia vel Unio interjacens finita totaliter est, aut totaliter infinita, aut partim finita & partim infinita: si totaliter infinita dicatur, non est inter extrema infinita, sed inter alterum infinitum & alterum finitum. Nec mireris, quæso, cùm audis hypothesim, in quâ Infinita duo extrema unione finitâ copularentur. Quoniã materia prima & anima rationalis sunt duæ realitates ingenerabiles & incorruptibiles (incæperunt enim per creationem, nec possunt aliter, quàm per annihilationem desinere) & tamen nexu generabili & corruptibili copulantur: undè Homo ex materiâ & formâ immortalibus coalitus, quia corruptibili unione consistit, corruptibilis & mortalis est.

An idemtitas sit unio infinita?

Homo ex partibus immortalibus composit⁹, mortalis est.

Si in Creaturis velimus Idemtitatem reperiri, aliam inire viam, & sententiam aliam propugnare debebimus. Recurremus iterùm, sed aliter ad quantitatem; non enim benè Idemtitas per qualitatem explicatur. Si dixeris, *Positivam idemtitatem esse unionem quamdam spiritualem inter extrema spiritualia connaturalia*, debebis me docere, cur non æquè benè dixisses *eam esse Unionem etiam quamdam materialem inter extrema materialia connaturalia.* aut etiam transeundo ad Ethica, *Idemtificationem Moralem esse Unionem quamdam moralem, inter extrema moralia ejusdem ordinis?* Et quidem si hæc dicantur, etiam plurima debebunt admitti, quæ securiùs & meliùs negarentur. Dicemus igitur etiam reperiri Idemtificationem finitam, *esse taliter idemtificari extrema, quæ uniri non possunt intimius.* Quamobrem Idemtificationem abstractam à finitâ & infinitâ dicemus esse *Unionem formalẽ, quâ uniuntur duo extrema quantum unibilia ipsa sunt*: hoc est, *quâ tam intimè, tam perfectè, tam adæquatè uniũtur, ut intimiùs & perfectiùs non possint.*

An idemtificentur spirituales formalitates?

Unio, & idemtitas moralis.

Opinionis electio. Sed otra erit vera ex his sententiis? Putè Reales debebunt propugnare priorem. Peripatetici Formales, & quotquot negant partes esse in Continuo antè consignationem aut divisionem, debent posteriorem tenere. Tu, qui homo liber esse vis, nec ingenium captivare in obsequium alicujus Scholarchæ teneris, poteris eligere quàm velis, & electionem ipsam tempori & loco attemperate.

DISPUTATIO XI.

De Formalitatibus idemtificatis.

CCLXXVII. DE Idemtificatione ipsâ Disputatione præcedente disserui: nunc inquiro, quænam Formalitates in creatis idêtificari dicantur? Et respôdent primæ sententiæ Authores, nullas esse. Et rationem negandi ab ipsâ essentiâ Idemtificationis desumunt: quia si Idemtificatio nihil sit aliud quàm duorum extremorum infinitorũ infinita unio, nulla dabitur Idemtificatio in creaturis, in quibus omnia finita sunt & limitata. Ergò in hac Disputatione debebimus procedere ex hypothesi, quòd sententia posterior sit vera, &, inquirere, Quænam sint creatæ formalitates, quæ præcipuè dicantur idemtificati. *An in creaturis detur idemtificatio?*

ARTICULUS I.

Vtrùm gradus superiores & inferiores idemtificentur?

CCLXXVIII. *Proponitur & exponitur quæstio.* VOcamus gradus superiores species, differentias, & genera, & interrogo, An in Homine Ecceitas, Rationalitas, Sensibilitas, Vitalitas, Corporeitas, &c. sint formæ realiter distinctæ, an verò realiter idemtificatæ?

Vniversalia realia: Agemus de hac materiâ uberrimè libro speciali, in quo de Universalib' sumus disputaturi: interim breviter insinuo varias esse Authorum opiniones: quoniam Platonici, (qui à loco Academici, & à doctrinâ Reales dicti) gradus istos realiter distingui contendunt: *Formalia,* Scotistæ distinguunt eosdem gradus formaliter ex naturâ rei ante mentis operationem: Thomistæ formaliter post Intellectûs operationem: Expressivi *Expressa:* secundum clarum & obscurum conceptum: Connotatistæ, qui etiam Expressivi dicuntur, *Connotativa.* secundum diversas relationes & terminos: & alij aliter. Ex quibus soli Platonici realem distinctionem propugnant: cæteri hanc negant. at non omnes formalitatum positivam idemtificationem tuentur: nam præter Scotistas & Thomistas, qui præcisiones objectivas admittunt, cæteri ita distinguunt gradus istos, ut non utantur positivâ aliquâ idemtificatione: sed negativâ potiùs intrinsecùs, & extrinsecùs aliquâ distinctione aut connotatorum ex parte objecti, aut conceptuum ex parte intellectûs. *Quomodo à singularibus distinguantur?*

Et hæc retigisse sufficiat, ne cogar bis eadem accuratè tractare.

ARTICULUS II.

Vtrùm Subsistentia & Natura idemtificentur?

CCLXXIX. *An subsistentia ad Physicam considerationem spectet?* SUbstantia completa ex naturâ & subsistentiâ coalita est. Id compositionis genus non esse physicum asserunt, quia non tractatur in Physicis ab Aristotele: hanc ob rem vocant illud Metaphysicum; & siquando exactiùs loquuntur, Hypophysicum. At dicere possemus faciliùs, & illud esse Physicũ, & quia ab Aristotele omissũ, Peripateticorum Physicam esse imperfectam. *An Aristotelis Physica sit imperfecta?*

Subsistẽtia & natura distinctio. Sed quomodo uniuntur Subsistentia & natura? quomodò distinguuntur? An ubique realiter? an ubique non realiter? Neutrum poterit dici: non primum, quia Divinitas non distinguitur realiter à personalitatibus divinis: non secundum, quia Humanitas distinguitur realiter à Verbi personalitate: ergò inire debebimus viam mediam, ita ut nihil universaliter dicamus. Sit igitur

Resolutio I. *In Deo natura & subsistentia idemtificantur.* Est de fide: definita olim in antiquis Conciliis, & tandem contra Gilbertum Porretanum in Rhemensi. Sed quomodo idemtificantur? An positivè, an negativè? Omnes ferè Theologi positivam idemtificationem tuentur: at Pater Horstius negativam. Eumdem impugnavi superiùs ubi de virtuali distinctione tractavi. CCLXXX. *In Deo.*

Resolutio II. *Nulla est ratio efficax, quæ probet in Angelo idemtificari, aut non idemtificari subsistentiã naturamque.* Patet: quia in materiâ hac dubia & incertâ, sive asserentem, sive negantem partem teneas, convinci evidenter non poteris. *In Angelo.*

Resolutio III. *Naturam Subsistentiamque in Christo realiter distingui certum est.* Non enim confunduntur aut idemtificantur extrema in Incarnationis mysterio, sed uniuntur intrinsecè. *In Christo.*

Resolutio IV. *In cæteris hominibus debet ut minimum concedi distinctio potentialis.* Nulla enim est humana natura, quam Verbum non potuerit assumere. *In puris hominibus.*

An-ne est bona consequentia hæc: *In Christo distinguitur natura realiter à subsistentiâ: ergò in cæteris hominibus.* Negat paritatem Scotus, qui tametsi concedat subsistentiam positivam in Christo, cæteris hominibus non nisi negativam adfingit. Alij autem hanc ipsam consequentiam admittunt, eamque tanta latitudine, ut ducti paritate rationis non solùm in aliis hominibus, sed etiam in angelis asserant subsistentiam ab essentiâ *An ex Christo ad alios homines firmum argumentũ sumatur? An ad Angelos* [illegible]

essentiâ distingui. Et ego, ut meam mentem exponam, fateor me multum huic consequentiæ deferre: non tamen puto illam insolubilem esse: qui enim diceret subsistentiam humanam in nobis non esse realiter distinctam, sed realiter distinguibilem, nihil assereret, quod stante mysterio Incarnationis non posset securè defendi.

An etiam ad bruta, plantas, & corpora inanima?

Resolutio V. *An Animæ brutorum habeant subsistentias? An ipsamet bruta? An plantæ? An inanima corpora? incertum est. Si illa habere subsistentias dicantur, an habeant distinctas, æquè incertum. Sed de hoc ex professo aptiore loco disputabimus.*

ARTICULUS III.

Vtrùm materia & forma idemtificentur?

CCLXXXI. *An rationales hominum animæ à corporibus spiritu distinguantur?*

UT certa ab incertis separemus, Animas defunctorum hominū à cadaveribus realiter distingui, indubitatum esse ponimus: & Animas easdem post mortem esse separatas, & antè mortem esse separabiles, esse manifestum. Addimus tamen esse obscurum, an dum corpus informant, ab eo realiter distinguantur. Obscurum id dico, non incertum: id enim, quod omnes Philosophi & Theologi, nemine dempto asserunt, non debet incertum vocari: at obscurum haberi poterit, quamdiu non succurrant efficaces rationes, quę communem opinionem persuadeant.

An mors distincta separet, an idemtificata distinguat?

Primò enim Mors non probat hanc ipsam distinctionem, nam ut Anima in separationis statu realiter distinguatur à corpore, non est necessariū, quòd ante mortem etiam distincta fuerit, sufficeret, si ante mortem fuerint realiter distinguibilia: tunc enim mors illa hæc extrema, alias idemtificata, distingueret realiter, & separaret.

An materiale & spirituale possint idemtificari?

Secundò hanc eamdem distinctionem non probat spiritualitas, non enim video evidentem rationem, quæ persuadeat duas formalitates; alteram spiritualem, alteram materialem; non posse idemtificari: quoniam ne longiùs eatram, graduum corporeitatis, vitalitatis, sensibilitatis, & rationalitatis, idemtificari in Animâ rationali Philosophi plerique affirmant; & tamen solus ultimus spiritualis est: vi cujus tota Anima est spiritualis: quia materialitas non est positiva aliqua entitas, sed carentia spiritualitatis.

An materialitas sit positiva?

CCLXXXII. *An brutorū animæ sint substantiales?*

Si ad cætera animalia transeamus, quid certi habebimus? Fortè non constituuntur formis substantialibus: & quidem, si animæ eorum accidentales sunt, cessat quæstio præsens; & solvitur alia difficilis, quæ interrogat, Cur rationalis Anima sit immortalis, quandoquidem cæteræ stirpium & Animalium Animæ mortales sunt? nam, si dicantur accidentales, possumus stabilire has theses. I. *Omnis substantia est incorruptibilis.* II. *Omne accidens est corruptibile*: & inferre legitimè has Ectheses. I. *Anima rationalis est incorruptibilis*: nam est substantia. II. *Brutorum animæ sunt corruptibiles*: siquidem enim accidentales istæ sunt, corrumpi debent. Fortè in omni substantiâ purè materiali forma idemtificatur materiæ: fortè non. Et quia hoc

Cur non sint immortales?

ultimum asseritur ab universis, opinionem cōmunem ratione aliquali firmabo. Sic discurro. Idemtificatio est unio maxima, & illis convenit, quæ uniuntur quantum unibilia sunt, quæ magis uniri non possunt: aut saltem non convenit illis, quæ uniri adhuc perfectiùs & intimiùs possunt. At corpus semper potest magis & magis animam: materia semper magis & magis formam recipere: ergò ab illâ distinguitur realiter. Probatur minor: quia cum materia non habeat determinatam molem, semper potest esse major, adeóque magis & magis (saltem extensivè) formam recipere. Confirmatur. Quia omnes formæ materiales, quæ recipiunt magis & minùs, suis potentiis non sunt idemtificatæ: ratio est; quia, si essent idemtificatæ, non possent minùs distingui, quàm antè distinguebantur, quia nullo modo distinguerentur: ergò non possent magis uniri, quàm uniebantur: ergò essent unitæ quantum unibiles sunt. Hinc constat qualitates omnes intensionis & remissionis capaces, & molis quantitatem, si rarefactio fiat per majorem radicationem, distingui realiter: recipiunt enim magis & minùs.

An in unione materia & substantialis formæ detur magis & minus?

An qualitates & an quantitas realiter à suo subjecto distinguantur?

ARTICULUS IV.

An Partes Continui sint realiter idemtificatæ?

CCLXXXIII. *An Continuū habeat actuales partes?*

OMitto illorum sententiam, qui negant cōtinuum habere actuales partes, quia existimo laborare merâ vocum æquivocatione: omnes enim debemus dicere aquam aquæ additam entitativè remanere in scypho, cui imponitur; sed solùm differimus in hoc, quod non omnes dicamus aquam additam priori idemtificari. Sit igitur

An distinctæ?

Conclusio I. *Continuum, stando doctrinæ Aristotelis & D. Thomæ, habet partes actuales non tamen actualiter distinctas, sed actualiter idemtificatas.* Conclusio. *Hæ continui partes sunt realiter distinctæ in potentiâ: hoc est, sunt distinguibiles*, quia sunt separabiles, & separabilitas est indicium distinguibilitatis realis, sicut & separatio distinctionis. Nec me patiar ad æquivocationes perduci, nam dum Authores rogant, An Continuum antè divisionem aut consignationem habeat partes? videntur nomen *Partis* variè accipere, & de ejus significatione disputare. Ego autem ideò puto debere actuales vocari partes illas, quia illa entitas, quæ posteà reperitur in partibus divisis separatisve, illa eadem actu erat in Continuo antè divisionem, tametsi nec separata, nec divisa, nec distincta ab aliis.

Opinio Aristot. & D. Thomæ.

Utraque Conclusio est expressa Aristotelis & D. Thomæ; Philosophus enim 7. *Metaph. text.* 49. sic ait. *Duo namque si actu, nunquam sunt unum actu, sicut si potestate duo fuerint, erunt unum ut v. g. duplex ex duobus dimidiis potestate, actus enim separat.* Quod Doctor Angelicus *lect.* 13. sic explicat & probat. *Duo enim quæ sunt in actu, nunquam sunt unum actu: sed duo quæ sunt in potentia, sunt unum actu: sicut patet in partibus continui, duo enim dimidia unius lineæ sunt in potentiâ in ipsâ lineâ duplâ quæ est una in actu: & hoc ideò, quia actus habet virtutem*

separandi & distinguendi. Partes lineæ distinguuntur potentia, non actu: ergò Sanctus Doctor credidit partes Continui mutuò identificari.

Complutensium responsio.

Complutenses Carmelitani *disp. 25. Physic. num. 40.* huic instantiæ satisfacere conantur, dicendo Aristotelem & D. Thomam locis propositis non negasse dari in continuo plures partes realiter distinctas, sed solùm non esse actu per propriam existentiam, quamvis sint in potentiâ adhoc, ut si separentur, possint per se existere. Sed aut ipsi contradictiona involuunt aut illos non capio.

Reiicitur.

Negant (nimirùm, Aristoteles, & D. Thomas) apud ipsos solùm partes continui non esse actu per propriam existentiam: ergò concedunt illas esse actu in continuo per propriam existentiam: quomodò ergò sunt in potentiâ, adhoc, ut si separentur, habeant propriam existentiam? sanè quæ asseruntur esse per propriam existentiam, non debent dici esse in potentiâ ad propriam existentiam.

Præterea: Esto, habeant aut non habeant propriam existentiam: quid inde? Aristoteles & D. Thomas non agunt de earumdem partium existentiâ, sed distinctione. Aristoteles petit, An duæ entitates, quæ sunt duæ actu, hoc est, quæ actu distinguuntur, possint esse unum actu, hoc est, possint identificari? & ita Aristotelis dubium debere proponi, constat ex litterâ, & ex commentario D. Thomæ.

CCLXXXIV.

Unitas sequitur esse.

Confirmatur eadem veritas alio Angelici Doctoris testimonio *in 4. dist. 14. art 3. quæst. 3. ad 1.* ubi ait: *Unitas rei consequitur esse ipsius partes autem alicujus homogenei Continui ante divisionem non habent esse actu, sed potentiâ tantùm: & ideò nullā habent unitatem propriam in actu. Undè in actu* (nota benè) *non est accipere ipsarum numerum, sed potentiâ tantùm.* Quid clariùs? Non solùm conclusionem D. Thomæ, sed etiam rationem magni facio. Si continuum componatur ex finitis indivisibilibus, clarum est partes, si actualiter realiter condistinguantur, fore numero determinabiles & non determinatas; dantur ergò partes non distinctæ actu, sed distinguibiles. Præterea; Si ipsum continuum ex semper dividuis coalescat, opus est habeat partes distinctas in potentiâ; quia si actu essent distinctæ, actu essent infinitæ quod repugnare etiam ipsi Complutenses admittent.

An continuum ex punctis, an verò ex partibus semper dividuis distinguatur?

An creatū infinitum repugnat

Sibi similis Doctor Angelicus eamdem sententiā tenuit *1. Phys lect. 9.* & expressit his verbis: *Hoc autem* (nimiru, distingui realiter actualiter) *intelligendum est de partibus* (puta heterogeneis) *existentibus actu in toto, sicut caro, nervus, & os existunt in animali. Et per hoc excluduntur partes* (homogeneæ quales sunt) *totius Continui, quæ sunt in potentiâ in ipso.*

Ratio pro Aristotele & D. Thomâ.

D. Thomæ subscribunt aliqui Recentiores, assentientibus PP. Complutensibus citatæ *disp. 25. n. 34.* quorū opinio multis videtur esse ita clara, ut vim debeant inferre ingenio, ut intelligant, quid sibi velint adversarii. Habes duos scyphos aquæ, habes ergò realiter duas aquas. Conjungis & in eundem scyphum utramque infundis, & jam non habebis duas aquas, sed unam, majorem tamen: ergo illæ duæ aquæ non differunt numero, sed mole. Patet consequentia; quia si differrent numero, essent duæ aquæ. Addunt sic philosophari universos; sic loqui: ne unum quidem dicere se duas aquas habere; & fore valdè mirum in re tam clarâ homines universos errare.

Objectio, ex Concilio Tridentino desumpta.

Sed dices: si partes continui non distinguuntur realiter, non saluantur verba Tridentini, nec intelligetur Eucharistiæ mysterium; quia *sessione XIII. cap. III.* lego, quod Christus Dominus *totus sit & integer sub panis specie, & sub quâvis ipsius speciei parte: totus item sub vini specie, & sub ejus partibus.* Verè hoc testimonium salvare vix posset, qui diceret hostiam & vinum non habere partes; Consultò illud *vix* posui: quia absolutè loquendo illud Viri doctissimi salvant, & inter ipsos Jacobus Bidermanus, & Joannes Fridolinus, quorum sententiam posui & exposui supra nu. 208. & 219. Et addo huic Sancti Concilij testimonio facilè respondere, qui admittunt ante omnem divisionem & consignationem in continuo esse actuales partes, non tamen realiter distinctas: aiunt enim, ne unam quidem partem esse in hostiâ aut in speciebus vini, sub quâ non sit Christus Dominus.

CCLXXXV.

An quantū divisibile sit?

Obiciunt Complutenses verba Aristotelis desumpta ex *5. Metap c. 12.* ubi ait, *Quantū dicitur, quod est divisibile in ea quæ insunt, &c.* sed quid inferunt indè? aut fallor, aut nihil, quod militet contra hanc sententiam: quin imò ex isto testimonio iterùm infero Aristotelem habuisse hāc opinionē, quam expendo. Cur enim non dixit, *Quantum dicitur, quod est divisum*, sed *quod est divisibile*? quia vel non definiebat Quātum molis, sed fortè Universale; vel si Continuum definiebat, cautè illud divisibile esse dicebat, quia id non habere partes divisas, distinctas, separatas; sed solùm divisibiles, distinguibiles, separabiles existimabat.

An pes & caput distinguantur

Arguitur ratione contra eamdem sententiam. Pes realiter loquendo non est caput, quod etiam admittit D. Thomas *1. Physic lect. 9.* ergò pes realiter loquendo distinguitur à capite: atqui pes & caput sunt partes ejusdem continui: ergò.

Hoc argumentū ex multis capitibus laborat, quia illæ partes heterogeneæ sunt, & possent dici distingui quidem realiter, non substantialiter, nec quantitativè, sed qualitativè, vel saltem in eo genere, quo heterogeneæ asseruntur. Ut igitur fortiùs argumenteris, idem ratiocinium resume in proposito corpore quāto homogeneo. Aër inquis, qui est in Indiâ distinguitur realiter ab aëre qui est hîc Lovanij; atqui totus aër est unum simplex corpus homogeneum & continuum: ergò in continuo dantur partes, quæ actualiter realiter sint distinctæ.

Quantitas discreta, & continua molis & virtutis

Respondent nonnulli distinguendo quātitatem molis à quantitate discretâ, & à quantitate virtutis immaterialis, & à quantitate virtutis spiritualis; quam distinctionem sic exponunt. Dentur atomi A. B. C. D. si nulla sit, quæ intelligatur alteri identificari, erit quantitas discreta, erit enim quaternarius numerus, coalescens ex quatuor unitatibus: si A identificetur B, & B ipsi C, & C ipsi D, erit quantitas continua, in quâ erit verùm dicere *A est B, B est C, C est D,*

An corpora habeant aliquid immateriale, tantū?

non

non verò *A est* C. aut *A est D*, aut *B est D. &c.* si A identificaretur omnibus, esset quantitas corporea immaterialis, immaterialior si etiam B identificaretur. Tandem si singulæ omnibus sint identificatæ, erit quantitas spiritualis. Sic illi philosophantur, qui existimant in corporibus ipsis esse non nihil immaterialitatis, & aliquas corporeas substantias habere plus immaterialitatis, aliquas minus: qui loquendi & sentiendi modus in D. Thomæ scholâ communissimus est.

Hinc igitur ad argumentum respondent, aërem, qui est Lovanij, & illum, qui est in Indiâ, non esse eumdem aërem immediatè, esse tamen, mediatè, & idem dicunt de omnibus rationibus, quæ à partium pluralitate desumantur: pes enim capiti etiam identificatur mediatè.

Vera Responsio. Sed vera solutio ista est. Dicunt Peripatetici ante divisionem aut consignationem non distingui Continui partes; illasque post divisionem aut consignationem distingui. Adducunt nos, cum dicimus pedem, caput, &c. aërem orientalem, aërem occidentalem, &c. cœlum lunæ, Mercurij, &c. jam designare partes, & designando distinguere. Et putant aliter partes per designationem, & aliter per divisionem distingui: quoniam per divisionem illæ distinguuntur realiter intrinsecè; at verò per designationem realiter extrinsecè tantùm: hoc est, formaliter & præcisivè, secundum diversos actus mentis & linguæ designantis; aut saltem secundum diversa connotata.

N O T A.

De probabilitate hujus sententiæ. Sic philosophantur Peripatetici, qui severi dicuntur, & Aristotelis mentem sectantur: sic philosophatur D. Thomas, quem etiam severi Thomistæ sequuntur: sic olim P. Jacobus Bidermanus & P. Joannes Fridolinus, quorum mentem & verba dedimus numero 208. & deinceps. [illa lege, & multa curiosa reperies.] Sic etiam P. Adamus Burghaber, & Perillustris D. Paulus Ludovicus Comes de Magna Sczawin Sczawinski. Hanc Aristotelis sententiam ad hos terminos reductam probabilem censuere Universitates Ingolstadiensis & Dilingana, in quibus fuit cum plausu à Viris nominatis defensa: si enim esset improbabilis aut periculosa doctrina, nec illam Censores (nimirùm, P. Petrus Bracerus S. I. S. Th. Professor, & Decanus: nec non P. Jacobus Fiva, S. Linguæ & Matheseos Professor, & Philosophici Collegij Decanus. &c.) admitterent, & juberent imprimi; nec illam defendi permitterent Theologicæ earumdem Universitatum Facultates.

Hæc de Opinionis probabilitate tetigisse sufficiat: sed quia hodie illam non multi tenent, & rarò libros reperis in quibus possis ejusdem fundamenta doceri; hanc ob rem Perillustrem Comitem Paulum Ludovicum audire desideras, & videre, quo ille modo defendat partes Continui esse realiter identificatas. Et ego, ut tibi serviam, verba Comitis Pauli Ludovici subiicio. Ille igitur in Thesibus propugnatis Ingolstadij mense Augusto anni M. DC. XLIV. num. 33. pag. 17. sic inquit.

Sed hîc gravior movetur Quæstio: Utrum scilicet Partes, quibus Continuum constat, sint actu inter se distinctæ? *Quæstio proponitur.* Affirmatur à Gregorio Durando, Richardo, Gabriele & aliis, quos sequuntur Toletus 6. *Physic. Quæst.* 1. Fonsec. 5. *metaph. cap.* 1. *quæst.* 6. Rub. *Tract. de composit Continui* §. 4. Mendoz. *disp.* 15. *sect.* 1. Arriag. *disp.* 16. *sect.* 2. *num.* 14. Ovied. *controv.* 17. quâ ferè totâ sententiam hanc supponit. Negatur à Veteribus Themistio, Simplicio, Aphrodisæo, Averroë, Philopono, Alexandro aliisque nobilissimis Aristot. Interpretibus, atque in primis à D. Thomâ, cùm aliis in locis pluribus, tùm clarissimè 1. *Physic. lect.* 9. ubi totis heterogeneis tantummodò concedit multitudinem partium in actu, non verò homogeneis; sic loquitur: *Hoc autem intelligendum est de partibus existentibus actu in toto, sicut Caro, nervi & os existunt in animali, Et per hoc excluduntur partes Continui totius, quæ sunt potentia in ipso.* *D. Thomæ mens.* Negativæ parti subscribit Doctissimus Fasolus 1. *part. quæst.* 7. *art.* 1. *num.* 37. Adamus Tanner *Tom.* 1. *disput.* 2. *quæst.* 4. *Dub.* 2. *num.* 25. & plures ab his citati, qui omnes docent non tantùm divisionem; sed etiam distinctionem haberi per realem ablationem unionis, vel saltem per partium designationem, cùmque pars præter materiale suum pro formali quasi significato terminationem propriæ entitatis importet, non priùs, inquiunt, in continuo rationem partis surgere, quàm terminatio ista accedat, quod quadrupliciter fieri posse volunt, nimirùm vel per designationem intellectûs, vel applicationem alterius inæqualis quantitatis, vel per Informationem aut diversam configurationem, sive substantialem, sive accidentalem, vel denique per actualem Divisionem sive separationem unius ab altero. *Quatuor modis continuum habet actu distinctas partes.*

Eandem sententiam amplectitur Albertinus *in Prædicamento Quantitatis disp.* 3. *quæst.* 6. *num.* 20. qui in rem præsentem *num.* 44. optimè observat duplex dari identificationis Genus. *Identitas duplex: intrinseca & extrinseca.* Primum est, cùm res plures intrinsecè identificantur, ut unâ indivisibili existentiâ existant, & ens unum per unitatem, non per unionem dicantur; sic identificantur, & unâ indivisibili existentia existunt tam Attributa Divina in Deo, quàm gradus metaphysici in homine aliisque rebus creatis. Alterum est, cùm res plures, quasi extrinsecè identificantur, ut unâ divisibili existentiâ, seu unâ pluribus particularibus existentiis communi existant, & ens unum per unionem, seu continuationem potiùs, quàm per unitatem dicantur. Sic duo palmi v. g. aquæ identificantur in aquâ bipalmari, quia in hac unus palmus adhuc extenditur ad alium,

inque fines ejus excurrit, nec suis quisque clauditur terminis, sicuti fit, quando divisâ aquâ illâ bipalmari separatim quilibet aquæ palmus existit. Inter hæc duo identificationis genera aliqua ab eodem Authore *num.* 46. assignantur discrimina, ex quibus, quis pleraque, quæ objici possunt, soluuntur, ut videre est apud cit. Authorem *à num.* 52. ideò breviter ea referre lubet: *Primum* igitur est, quæ priore genere seu indivisibiliter identificantur, ita una sunt entitas, ut dividi, separari & distingui in plures non possint, ut animalitas & rationalitas in Petro: secùs se habent, quæ posteriore genere seu divisibiliter identificantur, aqua enim separari potest ab aqua, & lignum dividi à ligno. *Secundum*, quæ priore genere identificantur, saltem naturaliter, non sunt capacia contrariorum graduum vel intensorum: quæ verò posteriore genere identificantur saltem secundùm diversas sui partes potentiales, contraria etiam intensa capiunt. Sic idem lignum frigere potest secundum unam, calere secundum alteram sui partem. *Tertium*, quæ priore genere identificantur, unum eundemque locum occupant, quæ verò posteriore, locis saltem partialibus & in potentia distant. *Quartum*, quæ priore genere identificantur, non possunt, unâ sui parte quiescere, moveri alterâ, quæ verò posteriore genere identificantur, hoc possunt; sic filum unâ sui parte intorquetur & inflectitur, quiescit immotum in alia. *Quintùm*, quæ priore genere identificantur nequeunt secundum unam sui partem produci aut corrumpi, quin producantur aut corrumpantur secundum alteram, quæ verò posteriore genere identificantur, omninò possunt ratione diversarum partium secundum unam corrumpi, quin corrumpantur secundum alteram. *Sextum* denique, quæ priore genere identificantur, cùm omninò indistincta sint, non potest una entitas causa esse alienus, quæ verò posteriore genere identificantur, cum non ita omninò indistincta sint, una entitas v.g. palmus ligni, unde calefactus potest alteram entitatem & subsequentem palmum calefacere.

Utriusque identitatis differentia.

An animalitas possit à rationalitate separari?

An distare loco possint animalitas & rationalitas?

An non moveat ci... tra quintum, illud Filiatio generatur, Divinitas non generatur? Tu videris.

Sed quæ circa propositam Quæstionem mens Aristotelis? Clarior est in partem negativam, quàm quæ aliò vi etiam torqueri & explicari possit, sic loquitur 7. physic. text. 37. *Namque in toto nulla pars inest nisi potestate:* & apertiùs lib. 8. physic. text. 68. *in continuo autem*, inquit, *sunt quadam infinita dimidia, non actu, sed potestate, quòd si actu fuerint, continuum non facient*, quia scilicet tunc suam pars quælibet habebit terminationem, & negationem ulterioris extensionis. Et inferiùs ad Zenonis argumentum respondens: *Quare, ait, ad interrogantem, si infinita aut in tempore, aut in longitudine pertransiri possint, dicendum est, partim posse, partim non posse, quæ enim actu sunt, non posse; quæ verò potestate, posse.* Ex quibus Philosophi verbis patet, eum non tantùm voluisse partes in continuo non esse divisas, sed insuper non esse distinctas actu, aliàs reverà non solvisset argumentum Zenonis, finito enim tempore æquè pertransiri nequeunt partes infinitæ actu distinctæ, atque actu divisæ, hoc enim perpetuò urgebat Zeno, partes quaslibet actu priùs, quàm totum pertransiri oportere, & infinitas actu partes sive distinctas, sive divisas finito tempore propter improportionem pertransiri non posse, quæ omnia concessit Aristoteles, solumque negavit, infinitas actu partes esse in continuo, cùm nulla ibi actu sit, sed tantùm in potentiâ, ut rectè Aristotelem interpretatur S. Thomas, aliique supra citati, & sequuntur, cùm in Italiâ tùm in Germaniâ aliisque Regnis & Provinciis etiamnum plurimi insignes Philosophi, & Theologi.

Quid teneat Aristoteles?

An infinitum transire possit?

An multi sententiam Aristotelis teneant?

Cùm igitur tam luculenta mens Aristotelis sit, partes in Continuo actu distinctas nullas dari, sed tantùm potestate sive in potentiâ, idem nos cum genuinis ejusdem Interpretibus sentimus, & spretâ aliquorum censurâ Magistro nostro consentimus. Nam si partes in continuo dentur actu distinctæ, tunc singulæ propriam suam habere debent terminationem, & negationem ulterioris extensionis, ut ex recens dictis patet; atqui hanc non habent, eò ipso quòd una extendatur ad aliam, & in fines alterius excurrat, nullaque in suo esse finiatur & terminetur, ergo &c. aliàs certè, si in continuo partes actu distinctæ sint, infinitas has esse oportet, si enim omnes essent divisæ, forent actu infinitæ, ergo tot etiam sunt, si realiter distinguuntur; Unio enim partium, aut earumdem separatio & discontinuatio non inducit majorem vel minorem numerum, si realiter & actu ponantur distinctæ, sic anima & corpus hominis sunt duo, sive sint unita inter se, sive non.

Resolutio.

An partes continui sint infinitæ?

Sed retorquere in nos hoc argumentum vehementer laborant Adversarij, & imprimis id conatur Arriaga. *Disp. 16. physic. sect. n.* 69. sic ratiocinantur: Assignatio per intellectum sufficit ad distinguendas partes, ut concessimus Thesi XXXIII. atqui DEUS assignat omnes partes hujus chartæ, intuitivè videns, quòd pars A. non sit pars B. & quòd hæc non sit pars C. atque sic de reliquis, ergo actu distinguit omnes, facitque partes, imò indivisibilia infinita. Vim haberet discursus iste magnam, si Deus assignaret partes vel fingendo aliquam divisionem actualem, aut negationem ulterioris cognitionis in re non habente illam separationem, ut homines facere amant: vel considerando objectum abstractivè, sive inadæquatè tantùm, sicuti dum ego figo oculos in unam partem chartæ, non in alteram. Verùm, quia Deus assignat solùm partes cognoscendo v.g. hanc chartam esse divisibilem in mille partes, quomodo nihil fingit aut immutat, sed objectum reale habet, entitatem scilicet hujus chartæ, & mille actiones divisivas possibiles, ideò tali cognitione partes actu non designat, sed in esse possibili relinquit, suntque partes, in quas Deus chartam istam videt divisibilem, neque finitæ, neque infinitæ sed eas finitas in infinitum dici, oportet. Quare fundamento Thesi XIX. posito, & Doctrinæ Val. Albertin. & Tann.

Objectio.

Quo homines modo consideremus continuum: quo illud cognoscat Deus?

Partes indefinitæ.

& Tann. ibidem indicatæ inhærendo distinguo majorem, Assignatio per intellectum sufficit ad distinguendas actu partes, quæ negando unam partem ab altera distinguit, aut abstrahit, concedo majorem; Assignatio per intellectum quælibet, quæ ista non facit, sufficit ad distinguendas actu partes, nego majorem, & sic distinctâ minore nego consequentiam. Sed diximus cum Fasolo Thesi cit. ad hoc, ut aliquid sit actu per assignationem, non requiri, ut sit in se actu, ergo etiamsi concipiendo chartam divisibilem in mille partes, non sint partes illæ actu in se, sunt tamen actu per assignationem. Distinguo consequens, sunt actu per assignationem, si fingatur aliqua distinctio, vel divisio actualis in objecto, concedo consequentiam, si concipiatur solùm possibilis, ut à Deo fit in proposito, nego consequentiam. Atque juxta hanc distinctionem intelligenda est Thesis allegata. *Urgent.* In tali casu partes adhuc esse actu per assignationem intellectûs. Repeto, quæ dixi cum citatis Autoribus thesi XIX. ipsam quidem assignationem esse actu, non verò objecta, quæ assignantur, ita ut de ipsis dici possit, esse mille partes actu per assignationem; Unde si roges, quot sint actu partes, quas Deus numerat, Dico nullas esse, quia scilicet sola numeratio, hoc est, Divina Cognitio actu existit. *Instant.* Quando hæc charta dicitur divisibilis v.g. in mille partes, concipitur actualitas ex parte objecti: ergo Deus cognoscendo in quot partes sit divisibilis hæc charta, assignat infinitatem categorematicam partium actualium ex parte objecti. Distinguo antecedens, concipitur actualitas quæ sit de præsenti, negatur, quæ possit esse, conceditur antecedens.

Atque hæc differentia magni est momenti, ut rectè Recentior aliquis advertit. Quia si partes haberent aliquam actualitatem, quæri de illis posset, quot essent; Nam quæcunque actu sunt, determinata sunt, & quæri de illis potest, quot sint; At vero quæ actualitatem solùm de possibili habent, quia determinata non sunt, quæri hoc de illis non potest. Quare partes actuales de possibili, in quas Deus hanc chartam cognoscit esse divisibilem, sunt finitæ in infinitum, ita ut nulla sit, quæ illum lateat, quantumvis dicere nequeat, hæ sunt partes omnes, in quas chartam hanc video esse divisibilem; Sed nunquid idem est dicere: *Video omnes omninò partes, in quas charta hac est divisibilis*, ac dicere: *hæ sunt omnes partes actuales possibiles esse in hac charta?* Minimè, ad veritatem enim illius propositionis sufficit, Deum videre chartam, hanc divisibilem in alias & alias partes in infinitum, ita ut nulla sit excogitabilis divisio, quam non cognoscat: ad veritatem autem hujus oporteret Deum cognoscere singulas partes ab invicem contradistinctas, quod fieri nequit, cum nihil determinatum videat Deus, ultra quod non aliud sit possibile. Verbo: nullam partem continui videt Deus actualitate præsenti ipsius objecti: nullam determinatè, ultra quam aliam non videat, quia scilicet objectum videt,

An continui divisiones in mente Divinâ inchoatæ aut absolutæ sint?

ut est in se, nihilque in hoc fingit, aut immutat. At si ita est, cur divisiones continui in cognitione Dei dicuntur absolutæ, hoc est, tales ut per eas habeantur partes penitus divisæ? Aio eas nec inchoatas, nec absolutas esse, siquidem absolutum esse idem dicat, quod finitum, & terminatum est, dici tamen posse, absolutas esse, si per hoc nihil intelligatur aliud, quàm eas omnes esse à cognitione Dei comprehensas.

An Oriens ab Occidente distinguatur?

Inclamant aliqui contra nos Cœlum, dicuntque luce meridianâ clariùs esse ante omnem Operationem intellectûs & Designationem Orientem non esse Occidentem, ergo partes hæ continuæ Cœli ante omnem Designationem inter se distinguuntur. Sed facilè nego antecedens. Nam ante Designationem Cœlum unum est continuum, nec plures in eo dantur terminationes, pluribus entitatibus respondentes, antequam has designem, quod ipsum facio, dum Cœlum in partes divido, & hanc Orientem, illam Occidentem voco. Urget Hurtado *Disp. 15. sect. 1.* Factâ divisione sunt partes actu, ergo ante etiam actu erant, per divisionem enim non primò producuntur, sed divisioni supponuntur. Nego consequentiam. Nam quamvis partes quoad entitatem non producantur, sed omninò secundùm hanc divisioni supponantur, producuntur tamen partes, sive acquirunt per divisionem adæquatam & perfectam ab altero distinctionem, atque ultimum individuationis suæ complementum, antè enim una excurrebat in fines alterius, communemque totius continui habebat terminum, post divisionem verò acquisiverunt negationem illius evagationis, & peculiarem singulæ acceperunt terminum, quibus ceu formali significato positis formaliter & actualiter ponuntur partes. Non autem Continuum per hoc, quod partes actuales nullas habeat, statim evehitur ad simplicitatem angelicam. Nam Angelus nec partes habet actuales, nec possibiles, Continuum verò licet nullas habeat partes distinctas, habet tamen partes possibiles, & dividi ac distingui in plures & plures potest.

An continuum tam sit simplex quàm Angelus.

Sic de partibus Continui Comes Paulus Ludovicus, sic P. Adamus Burghaber: & sic alij.

ARTICULUS V.

An Quantitas realiter identificetur Substantiæ?

IDem est petere, Utrùm quantitas identificetur realiter substantiæ? ac petere, An quantitas sit materiæ attributum aut accidens? est enim de attributi essentiâ, quod realiter identificetur subjecto: accidentis, quod realiter à subjecto distinguatur. Igitur dicendum est, materiam & quantitatem esse duas formalitates, & hoc demonstrari videtur hâc ratione. Quantitas non est de conceptu quidditativo quantitatis: ergo sunt duæ formalitates, ac proindè distinctæ præcisivè & ex naturâ rei. Quæritur tamen, An istæ duæ formalitates, CC LXXXVI.

Accidentis & attributi differentia.

Proponitur quæstio.

nunuum

nimirum materia prima & molis quantitas mutuo identificentur, an verò realiter condistinguantur? sive quod idem est, An molis quátitas sit accidens, an attributum substantiæ?

COMMUNIS SENTENTIA tenet has duas formalitates realiter interse distingui, & præter Authores, quos cito, cum de quantitate ago, utitur aliquibus rationibus, quæ debent breviter examinari.

Prima ratio.

Complutẽsium argumentum.

PRIMAM quam generalem dicunt, expendunt Complutenses *in Log. disp. 13. de quant. qu. 1. nu. 7.* Nullum accidens reale, inquiunt, potest esse idem realiter cum substantiâ; sed quantitas est reale accidens: ergò non potest esse idem realiter cum substantiâ. Minorem & consequentiam constare dicunt, & majorem licet suo judicio certissimã probant hoc ratiocinio: Implicat quòd eadem entitas realis sit realiter *per se* & realiter inhæreat alteri. Confirmant ratione speciali desumptâ ex Eucharistiæ mysterio, in quo quantitas panis de facto separatur à substantiâ, & infert distinctionem realem; quia realis separatio est evidens signum distinctionis realis.

An in Eucharistia quantitas panis & vini maneant?

Responsio Nominalium.

An tot quantitates sint, quot realitates?

Ochamistis, ut huic argumento satisfaciant, tot sunt in subjecto quantitates, quot realitates condistinctæ: quapropter aliam esse, inquiunt, quantitatem substantiæ, aliam quantitatem albedinis, aliam coloris, alias denique aliarum qualitatum; subjungunt quantitatem substãtiæ identificari ipsi substantiæ, quantitatem albedinis ipsi albedini, & sic de aliis. His positis negant majorẽ prioris syllogismi, asserentes posse dari accidentia, quæ realiter non distinguantur à substantiâ. Ad probationem dicunt quantitatem realiter esse *per se*, sed virtualiter inhærere, & hoc sufficere ad rationem accidentis realis. Ad confirmationem, non remanere in Eucharistiâ substantiam panis, nec quantitatem ejusdẽ substantiæ: manere tamen colorem panis & quantitatem hujus coloris; saporem, odorem & alias panis qualitates & earumdem etiam quantitates.

An Nominaliũ sententia aliquâ censurâ sit digna?

Sententia Nominalium hæretica non est, sed citati Complutenses asserunt non carere aliquâ temeritate: ego tamen benè examinatâ eam judico nullâ notâ temeritatis posse inuri: salvat enim exactè transubstantiationem, qualem definivit Concilium Lateranense *cap. 1.* Et Tridentinum *sess. 13. can. 2.* & qualem Veteres Patres exponunt; trãsubstantiatio enim, de quâ Concilia & Patres, est conversio totius substantiæ panis in totam substantiam Christi, manentibus duntaxat accidentibus. Et hic obiter aliquid volo subnotare. Censurâ digna illa est sententia, ex quâ aliquid infertur, quod salvâ fide teneri non possit: & quidem si duas præmissas ponamus (alteram Complutensium, alteram Nominalium) aliquid contra fidem sequetur: ergo æquo jure, quo illum Complutenses errorem in præmissam Nominalium reiiciunt, possunt Nominales in præmissam Complutensium reiicere. Ergo ut aliqua indicetur opinio, non debent scholæ immisceri, sed utraque præmissa ex eâdem scholâ desumi.

Quid requiratur, ut opinio censurâ digna sit?

Ergo Nominalium sententia nullâ censurâ est digna: quia ex duabus præmissis, quas admittunt Nominales, nihil unquam sequetur, quod contra Fidem aut sensum militare dicatur.

An in Eucharistiâ omnia accidentia maneant?

Sed atgnunt Complutenses *ubi supra.* Transubstantiatio fit manentibus eisdem accidentibus; sed quantitas panis est verum accidens de prædicamento accidentis, etiam in sententiâ Nominalium: ergò juxta Conciliorum & veterum Patrum doctrinam quantitas panis debet manere post consecrationem.

Accidens duplex: Logicum, & Physicũ.

An quantitas sit attributum?

An ubicatio panis maneat?

An ubicatio sit reale accidens?

Sed hæc Complutensium instantia non urgeret, *primò*, si Nominales dicerent quantitatẽ non esse accidens reale, aut physicum, sed esse accidens virtuale aut logicum: Concilia enim non agunt de accidentibus logicis, sed realibus & physicis: *secundò* si assererent quantitatẽ esse attributum substantiæ; quia Concilia docuerunt remanere accidentia post consecrationem, nihil tamen definiverunt de attributis: *tertiò*, si dicerent post consecrationem non remanere panis substantiam nec ejus partem aliquam; manere tamen accidentia, non tamen omnia: quia hostiæ consecratæ ubicatio potest esse diversa ab ubicatione panis, ut patet cùm Sacramentum circumfertur; & tamen ubicatio est accidens reale, etiam in Complutensium opinione. Ergò sicut in consecratione intelligitur perdi antiqua ubicatio, etiam potest intelligi perire antiqua panis quantitas. Nihil enim in hostiâ consecratâ remanet quod sit panis substantia, ut fides orthodoxa docet. Debere autẽ omnia accidentia remanere de fide non est, imò motus localis demõstrat aliqua accidentia posse perdi, & confirmant qualitatum remissio & condensatio, si partium amissione fiant.

Authorum de eodem argumento censura.

Contradictoria prædicata de diversis formalitatibus salvari possunt.

CCLXXXVII. Sanè Complutensium illa ratio insufficiens est, *primò* quia majorem aliàs veram, malè probant; *secundò*, quia minorem æquipollentem probandæ consequentiæ tanquam certam subsumunt. Illa major, *Nullum accidens reale potest esse idem realiter cùm substantiâ*, malè suadetur ex eo quòd realiter esset *per se* & realiter inhæreret: contradictoriæ enim denominationes possunt eidem realitati competere, si componatur duabus formalitatibus; quia sicut natura divina identificatur paternitati, & tamen communicatur filio paternitate non communicatâ: sic similiter, quantitas posset identificari substantiæ, & tamen non esse *per se*, licet substantia esset Ens per se. Nec plus roboris habet confirmatio desumpta ex mysterio Eucharistico; quia posset quis dicere quantitatem panis post consecrationem distingui realiter à pane, non antè. Separatio enim est evidens indicium distinctionis, & separabilitas distinguibilitatis: cùmque panis quantitas antè consecrationẽ à pane non fit separata, sed solùm separabilis; sequitur non esse ab eo distinctam, sed solùm distinguibilem.

An separabilitas inferat distinctionem?

Accidentis & attributi differentiae.

At meliùs suaderetur eadẽ major ex accidentis definitione; illud enim in hoc attributo condistinximus, quod à subjecto distinguatur realiter, nã inhærentia includit realẽ distinctionẽ: Nec valet dicere illud inhærere virtualiter aut logicè; quia omnia attributa inhærent logicè & virtualiter: logicè quidẽ quia voluntas divina, quæ attributũ Dei est, est formalitas, sinè quâ Deus quidditativè

potest

poteſt concipi: & cùm infinitè idemtificata ſit, ita ſe habet ac ſi diſtingueretur.

Examinatâ majori, reſtat minor examinanda. Erat, *Quantitas eſt reale accidens*, quæ æquipollet huic, *Quantitas realiter à ſubſtantiâ diſtinguitur*; ac proindè, non conſtat, ut dicebant Complutenſes; ſed eſt æquè dubia atque concluſio.

Secunda ratio.

CC LXXXVIII. ARguitur iterùm, ut realis diſtinctio ſuadeatur: Non ſunt multiplicanda entia abſquè neceſſitate, nulla urget in præſenti; ergò non ſunt idemtificandæ ſubſtantia & quantitas. *Non debent Entia multiplicari.* Patet conſequentia; quia ſi idemtificarentur, multiplicarentur quantitates, daretur enim quantitas materiæ, formæ albedinis, caloris, & tandem quantitates aliarum qualitatum.

Rejicitur primu ſolutio. Nominales admiſsâ majori, minore negant, & aſſerunt tot dari quantitates realiter diſtinctas, quot realitates materiales. Sed nec verè nec ſufficienter philoſophantur. SANè *non verè*; quia effectus formalis ejuſdem rationis ab eâdem formâ debet provenire; cumque extenſio ſubſtantiæ, & extenſiones qualitatum ſunt ejuſdem rationis, ut per ſe patet, una & eadem quantitas eſt, quæ omnes & ſingulas realitates extendit. IMò *nec ſufficienter*; quia ex hypotheſi, quòd realitates ſingulæ habeant ſuam & propriam quantitatem, benè ſequitur dari plures quātitates in quolibet compoſito; non tamen, has quantitates eſſe idemtificatas ſuis ſubjectis, quorum ſunt quantitates: quamobrem ex ſententiâ Nominalium ſequitur eſſe in Albo tres quantitates aut plures realiter condiſtinctas, nimirùm quantitatem materiæ primæ, quantitatem albedinis, &c. non tamen ſequitur materiæ quantitatem diſtingui ab ipsâ materiâ, aut non diſtingui; nec quantitatem formæ à formâ, nec quantitatem albedinis ab ipsâ albedine.

Secunda ſolutio. *Alij* unam tantùm quantitatem ponentes, eam materiæ primæ idemtificant, & diſtinguūt ab aliis accidentibus. Et probant, *primò*, quia in probabili ſententiâ accidentia exiſtunt exiſtentiâ ſubſtantiæ, quæ quidem diſtinguitur realiter ab accidentibus, & idemtificatur formæ ſubſtantiali. *Secundò*, quia in omnium Catholicorum opinione ſubſiſtentia Verbi ſuſtentat duas naturas, quarum uni (nempè Humanæ) non eſt idemtificata: ergò ſimiliter, poterit eadem quantitas extendere ſubſtantiam ſibi idemtificatam, & qualitates ſibi non idemtificatas.

Reſolutio. *Rem fateor*: minùs diſplicet hic reſpondendi modus, quàm præcedens, & ex his principiis poſſes huic ſecundæ rationi ſatisfacere, concedendo majorem & minorem, & negando illatā conſequentiam. Ratio eſt, quia idemtificas quantitatem ſubſtantiæ, nè entia ſine causâ multiplices; ſunt enim una realitas; & eſſent duæ ſi realiter diſtinguerentur. Deberes tamen addere in conſecratione Eucharisticâ deſinere formalitatem ſubſtantiæ conſervatâ formalitate quantitatis, ac proindè inibi has duas formalitates dividi, & ſaltem negativè ſeparari.

Tertia ratio.

OMiſſis igitur aliis probationibus eamdem veritatem efficaciùs alij perſuadere conantur, has aſſertiones præmittendo. CC LXXXIX.

Prima. *In uno phyſico compoſito non dantur multa quantitates diſtincta ſpecie, aut puro numero; ſed una & ſola quantitas.* Compoſiti phyſici nomine, *Quid Compoſitū phyſicum ſit* intelligunt concretum ſubſtantiale affectum qualitatibus & ordinariis accidentibus. Hæc aſſertio videtur jam oſtenſa in ultimâ reſponſione ad rationem ſecundam.

Secunda. *Hæc quantitas poteſt non idemtificari ſubſtantiæ, & in Euchariſtico Sacramento de facto non idemtificatur.* *De quantitate Eucharisticâ.* Hoc ultimum neceſſarium eſt; & infert primum; quia ſi in Euchariſtiâ quantitas de facto eſt non-idemtificata ſubſtantiæ, certū eſt eamdem ante conſecrationem, dùm panem afficiebat, habuiſſe potentiam ad carendum tali idemtificatione.

Tertia, *Quantitas panis ante conſecrationem in ſcholâ reali eſt realiter diſtincta à ſubſtantia.* Probatur: quia eſſet falſum dicere, poſt conſecrationem manent dumtaxat accidentia, cùm maneat quantitas; quæ ſi idemtificatur ſubſtantiæ, non eſt accidens, ſed attributum ſubſtantiale. [At hæc ratio ſolutione non caret: accidens enim eſt duplex, Logicum & Phyſicum: & attributa poſſunt & ſolent Logica accidentia vocari.] *Accidens phyſicū & logicum.* *Confirmatur*, ſi rarefactio fiat per majorem radicationem quantitatis in eâdem numero materiâ, vel per receptionem majoris quantitatis, dicendum eſt unionem materiæ & quantitatis recipere magis & minùs, ac proptereà inferre extremorum diſtinctionem realem.

NOTA.

De corporeâ quantitate ſic philoſophantur Authores: & quidem, ſi vellem eam idemtificare ſubſtantiæ, ſic diſcurrerem. [Dicerem Quantitatem molis eſſe attributum Entis corporei, & cum illo in novem categorias dividi: & hoc eſſet multò facilius, quàm illam reducere ad Prædicamentum ſpeciale. N.B.]

Et quidem de Quantitate materialis virtutis poſſemus hîc inquirere; ſed quia ea potiùs inventa eſt, ut diſtinguamus plantas & animantes, de eâ aptiore loco diſputabo.

An corporea Qualitas realiter idemtificetur ſubiecto?

COmmunis ſententia reſpondet negativè; ratio eſt, quia nulla datur corporea qualitas, quæ non recipiat magis & minus; ergo nulla, quæ non diſtinguatur à ſuo ſubjecto realiter. *An omnis qualitas intendi poſſit? An dentur intenſionis termini?* Patet conſequentia; quia ſi qualitates eſſent ſubjectis ſuis idemtificatæ, eſſent unitæ quantùm unibiles ſunt, & magis uniri (hoc eſt, intendi, & perfici) non poſſent. Cæterùm Recentiores, qui admittunt dari qualitates intenſionis & remiſſionis incapaces, nec non illi, qui admittunt intenſionis terminos, poſſent aſſerere, ſi vellent, eaſdem ſubjectis ſuis idemtificari.

ARTI-

ARTICULUS VI.

Utrùm Relationes suis fundamentis & terminis identificentur?

CCXC. OMnis relatio productiva est species distinctionis realis, ac propterea semper distinguitur realiter à re productâ, & præstat ut producens & productum distinguatur realiter; quæ omnia non solùm in humanis, sed & in divinis sunt vera. Paternitas enim seu activa Verbi Divini generatio, non solùm distinguitur realiter à filio; sed præstat ut Pater etiam à Filio realiter distinguatur. Cæterùm eadem relatio productiva sæpè debet à fundamento ipso distingui: undè nonnulli has Conclusiones defendendas suscipiunt, quas recensendo, non verò defendendo, proponam & dilucidabo.

Productiva relatio.

Resolutio I. *Omnis relatio corporea productiva distinguitur realiter à fundamento & termino.* Secunda pars in omni scholâ est certa: prior est vera in solâ scholâ Realium. [Scio aliquos admittere productiones & emanationes formales, quos si probabiliter philosophari dicas, debebis iterùm Resolutionem limitare.]

Resolutio II. *Relatio corporea, quæ interest extremis realiter distinctis, etiam distinguitur ab utroque realiter.*

Videmur subscribere Angelico Doctori, qui relationes *1.p. q.13. art. 7. & q. 28. art.2. & qu.39.art.1. & 2. & 2. contrà gentes cap.12. & qu.7. De potent. art. 8. & 9. & quæst. de potent. art. 2.* & sæpè alibi realiter ab extremis distinguit. Sed contrarium expresè videtur asserere *opusc. 48. tract. 5. de prædicamento* ad aliquid *c.2. & 3.* ubi ut benè notat Hurtadus *Metaph. disp. 15. §. 8. & 9.* sensit similitudinem non esse aliam rem à fundamento, sed hoc ipsum prout se habet ad terminum. Ideò Thomistæ procedunt plurifariâ. Discedit à multis Cajetanus *1. p. q. 28. art. 2. §. in respons.* affirmans eos non intellexisse D. Thomam: discedunt à Cajetano plurimi asserentes, eum non fuisse assequutum mentem Angelici Doctoris.

Qua Cajetani?

Relationes distingui à terminis & fundamentis probatur hâc ratione. Petrus antè filij nativitatem realiter loquendo non erat pater, post nativitatem filij fit pater, mortuo filio, iterùm exuit paternitatem: ergò hæc est aliquid reale. Patet consequentia: quia nulla mutatio realis potest fieri sine additione aut ablatione alicujus realitatis. Petrus ante nativitatem filij non habebat paternitatem, quam posteà habet: ergò paternitas distinguitur ab ipso Petro; quia si esset idem cum Petro, nunquam illa deficeret.

Realium ratio.

Propter hanc rationem relationem distingui à fundamento & termino docuere Cajetanus *1.p. q.28. art.2.* Bañes *ibidẽ*, Ferrariensis *4. contrà gentes.c.34* Capreolus *in 1.dist.3.q.1.* Sotus *cap. ad aliquid q.2.* Rubius in Prædicam.*c.7.q.4.n.308. ad nu.322.* Molina *1.p.q.17.* Fonseca *lib.5.Met.c.15. q.5.sect.5.& 7.* Didacus de Jesu *q.14.d.3.* Javellus *q.2. lib.5. Met.* Carmelitani Patres in Prædicamentis *disp 19 q.5.* Joannes de S. Thoma Logicæ *q.17. art.4.* Noster Caberus *in logicâ de prædicamento Relationis.*

Sententiã nec reiicio nec teneo: hoc tamen unum assero, videlicet, quòd non placet Authorum istorum fundamentum: quia ille qui non erat Pater & fit Pater, non recipit aliquam realitatem de novo: sed ipsamet relatio, quæ anteà erat, extenditur ad novos terminos. Ideò dari relationes distinctas à fundamento & termino solidiùs debet persuaderi. Probetur ergò primò authoritate Philosophi *2. Prædica.c. 7.* ubi asserit *majus posse deficere, & esse aliud.* Subscribit expresè D. Thomas, *in 1. dist.25. q.1. art. 4. ad 3.* ubi ait: *Quamvis relatio non ponat ex illo respectu aliquid absolutũ, ponit tamen aliquid relativum, & ideò relatio est quædam res.* Clariùs exposuit mentem suam *4. contra Gentes c.14.*

Aristoteles.

D. Thomas

Ratione autem probatur. *Primò.* In Divinis proprietates constitutivæ personarum, vel saltẽ distinctivæ, distinguũtur ab essentiâ formaliter ante mentis operationem; distinguitur à terminis actualiter realiter; ergò relatio realis *ut sic* distinguitur saltem formaliter à fundamento; ergò materialis, realiter. Antecedens quoad secundam partem est de fide, quoad primam probo. Duo Contradictoria nequeunt simul competere eidem formalitati; essentiæ Divinæ cõpetit identificari filiationi, Paternitati non competit: ergò essentia Divina & Paternitas sunt duæ formalitates. Ea, quæ in divinis distinguuntur formaliter, in creaturis distingui realiter, Reales universi supponunt, nec id probare volunt, est enim fundamentale dogma, quod negant universi Formales.

Quo in divinis modo relationes à divinitate distinguantur?

Secundò. Unio materialis realiter distinguitur ab utroque extremo; atqui primarius relationis conceptus est unire intrinsecè, secundarius unire extrinsecè; ergò omnis relatio est unio; ergò distinguitur ab utroque extremo. CCXCI.

An unio à suis extremis distinguatur.

Distingui relationẽ formaliter aut ex naturâ rei docuit D. Augusti. *lib.5. de Civitate Dei cap.16.* D. Damascenus *in Dialcha c.50.* Anselmus *in monology c.24.* Scotus *in 2. dist.1.q.5.& in 3 dist.8 q.1.* eum sequuntur omnes ejus discipuli. Est etiam opinio omnium ferè Patrum Jesuitarũ, qui licet loquendi modo à Scoto differant, conveniunt in re. Relationem à fundamento distinguit ratione ratiocinatâ (sivè quod idem ferè est, ex naturâ rei) Vazquez *tom. 2.1.p disp.116.* Suarius *disp.47.Met.sect.2.n.22.* Herveus *in 1 dist.30.art.1.* Zumel *in Com. q.28.1.p.* Gabriel *in 1. dist.3.q.4. art.1.* Ocham *in 1.dist.33.* Greg. Ariminensis *in 2. dist.28 q.2.ar.1.* Marsilius Ficinus *in 1. q.32. ar.1.* Javellus *5.Met.q.22.* Durandus *in 1.dist.3 q.2.n.17* Ægi. *in 1.dist.16.q.1.*

De relatione formali.

Relationi *ut sic*, seu metaphysicè sumptæ, accidit logicè quòd distinguatur, vel non distinguatur realiter à suo fundamento: distinguitur tamen semper formaliter; Quia ut constat ex dictis, distinctio formalis & distinctio actualis non sunt contrariæ, sed prior est alteriûs fundamentum. Distinctio formalis etiam fundamentalis dicitur, non quòd semper alteriûs aut fundamentum sit, aut esse possit; sed quòd actualis distinctio esse non possit ubi non sit formalis. Illa distinguuntur tantùm formaliter quorum quiditativi conceptus non se includũt, sed alter non est de essentia alterius.

Quid sit distingui formaliter? quid tantùm formaliter? quid etiam realiter?

Illa

Illa distinguuntur realiter, quæ distinguuntur ex naturâ rei, & non uniuntur adæquatè; quia adæquata unio, nonnisi idemtificatio quædam est.

De relationibus Divinis.

Relatio in Divinis infinitè unitur fundamento, ac propterea adæquatè. Ergo idemtificatur; non potest non uniri infinitè, ideò non potest uniri inadæquatè, ac propterea non potest distingui realiter à suo fundamento.

De humanis.

Relatio in creaturis finita est, & juxta diversa Authorum placita considerata, sæpè non unitur quantum est unibilis, imò sæpè distinguitur realiter à fundamento. Quia sicut immutata essentia qualitatis intenditur per majorem & intimiorem inhæsionem, sic relatio magis & magis in subjecto fundatur, quousque adæquatè uniatur, & tunc identificatur fundamento.

Relatio duplex: materialis & immaterialis.

Ex creatis relationibus alias esse spirituales, & alias materiales certum est. Spirituales fundamento suo multi esse idemtificatos contendunt: & in hanc opinionem inducuntur, quia fundamentum seu subjectum relationis spirituale esse supponitur; Et ab ipso Relatio habet, quod sit spiritualis; quia cum ex conceptu suo quiditativo nec materialis, nec spiritualis ipsa sit, oportet eam spirituali fundamento idemtificari, ut idemticè evadat spiritualis: aliàs enim esset non-spiritualis, seu materialis; quia materialitas nihil aliud est, quàm non spiritualitas, hoc est carentia spiritualitatis. At alii aliter de spiritualitate, & de distinctione philosophantur.

Quid sit materialitas?

Vnio materialis.

Verùm unio à suis extremis distinguatur?

RElatio quædam est; eamque realiter ab extremis distingui docent Viri doctissimi: quod ipsum etiam Viri dignissimi & doctissimi negant.

Hinc constat, quid debeamus dicere de aliis corporeis Relationibus; quia Actio, Passio, Vbi, Situs, Similitudo, Æqualitas, &c. realiter debent distingui à suis extremis propter rationem illam, quod nullum agens agat per ultimum sui posse; nec ullum patiens per ultimum sui posse patiatur. Sed hæc ipsa ratio eget examine & ponderatione: videtur enim certum omnia agentia necessaria per ultimum sui posse operari. Sed de hoc alibi.

An agens agat per ultimum sui posse?

ARTICULUS VII.

De Entitatum spiritualium idemtificatione.

CCXCII. SPiritualia & materialia ex diametro opponuntur, ideòque ex diametro opponentur resolutiones, quas in hac materiâ Viri magni supponunt. Ego nihil definiam, sed aliquas Positiones, & earumdem probationes proponam.

Positio I. *Quotiescumque actus & potentia spirituales, aut quæcumque aliæ formalitates spirituales uniuntur intrinsecè, debent uniri identicè.* Hanc Positionem negatam à Realibus Formalistæ defendunt: ex ipsâque sequitur *primò* Angelos constare ex essentiâ & naturalitate realiter idemtificatis. *Secundò*, Intellectum & voluntatem, omnesq; qualitates Angelicas (eodem modo philosophare de animo) ab eorum substantiâ non distingui realiter. *Tertiò*, Angelicas naturas non distingui realiter à suis subsistentiis. *Quartò*, omnes relationes angelicas (nempè Actiones, Passiones, Durationes, Vbicationes, &c.) esse modos substantiales ipsismet Angelis idemtificatos. Et hæc de formalitatibus spiritualibus creatis sint dicta. De Divinis inter se eodem modo philosophaberis; quia duæ formalitates Divinæ, vel uniuntur intrinsecè, vel non uniuntur. Si uniuntur; infinitè uniuntur; & per consequens idemtificantur, ut videre est inter naturam & voluntatem. Si non uniuntur, infinitè distinguuntur, ut videre est in relationibus, quæ distinguunt personas infinitè.

Qualis sit Angelus in schola formali?

De formalitatibus Divinis.

Omnia hæc pendent à quadam ratione generali, quam commendat discurrendi curiositas, & Veritatum analogia confirmat. Vna sola existentia reddit omnes formalitates ejusdem Compositi existentes; Vna simplex Quantitas molis universas extendit: Vnâ & eadem duratione Vniversæ persistunt, Vno & eodem loco extrinsecùs ubicantur; ergò, nisi velimus multiplicare formalitates sine causâ, ducti consequentia doctrinæ debemus asserere, in Angelo & Homine esse unam simplicemque spiritualitatem.

Vnica forma potest multa denominare.

Subsistentia animæ rationalis ex se nec est spiritualis nec materialis; sed subsistentia, si idemtificata spiritualitati animi asseritur, dicenda est spiritualis, si non idemtificata, non spiritualis; hoc est materialis. Incarnationis mysterium & aliæ rationes, quas superiùs exposui, distinctionem realem inter subsistentiam & humanitatem ostendunt, ac per consequens evincunt subsistentiam humanam esse materialem. Angeli dicuntur substantiæ totaliter spirituales; ergò, si substantia spiritualis est, naturæ angelicæ spirituali idemtificatur; aliàs enim non spiritualis, sed materialis esset.

An subsistentia Animæ sit materialis? An distinguatur ab illâ?

Principia cognoscitivum & appetitivum secundùm se abstrahuntur à materialitate & spiritualitate; ergo idemtificari debent naturæ spirituali, vel aliter spiritualia non evadent. Laudandi igitur sunt Augustinus, Bernardus, Scotus, qui ne homini, ne Angelo Intellectû & Voluntatem materiales concederent, naturis aliàs spiritualibus idemtificàrunt. Hinc patet cur sensus materiales sint: sunt enim materiales, quia distincti; & sunt distincti, quia materiales: si enim non distinguerentur, materiales non essent, sed essent spirituales animæ spiritualitate.

An intellectus, voluntas, & alia potentia distinguantur ab Animâ? An etiam sensus?

In Divinis discurrere possumus conceptu parallelo. Si personalitates realiter distinguerentur ab Aseitate, ab Infinitate, ab Æternitate, non essent entia à se, nec infinita, nec æterna; in divinis enim est una & simplex æternitas; neque hæ suum effectum formalem communicare possunt formalitati, quæ non fuerit ipsis realiter idemtificata: patet claris-

Quo modo in divinis discurritur?

clarissimè in Christi Domini humanitate, quæ unita in Verbo quidem est Aseitati, Divinitati, Æternitati, Infinitati; interim ipsa nō est Ens à se, nec infinita, nec æterna: omnia verò hæc esset, si Verbn esset ideintificata. [Et hic obiter cum admiratione audire & legere Authores Lutheranos debemus, summâ enim doctrinæ inconsequentiâ docent, humanitatem Christi esse ubique, propter communicationem immensitatis, quam habet Verbum: & tamen negant esse semper propter communicationem æternitatis; at esse à se propter communicationem aseitatis: cùm nulla sit disparitatis ratio, adeòque omnia concedi debeant, aut omnia negari.] Intellectus Divinus ab Aseitate formaliter distinguitur; non tamen esset ens à se, si realiter distingueretur: Idem de Voluntate dixero: Idem dixero de Attributis, si qua admittis in Deo præter Divinam Voluntatem.

Error hæreticorum.

An attributa divina à Voluntate distinguantur?

Positio II. *Impossibile est entitatem materialem & spiritualem divinitùs idemtificari.* Hanc multi negant, multi tenent, sed non omnes eâdem ratione firmant. Aliqui sic discurrunt. Entitas materialis est, quæ caret spiritualitate: atqui quæ est spiritualitati idemtificata, non potest dici carere spiritualitate: ergò non potest dici esse materialis. Hinc constare volunt rationalem Animum, nec propriè subsistentiæ, quæ Loricæ sententiâ materialis est, nec proprio corpori, posse idemtificari. Addunt hinc sequi, nec entitatem non-supernaturalem supernaturali, nec infinitæ non-infinitam idemtificari posse: ratio est eadem, quia aliàs duo termini contradictorii idemtificarentur. Vndè inferunt nec Humanitatem Christi posse idemtificari personalitati Verbi, nec gratiam animæ, nec rationalibus potentiis Virtutes supernaturales.

An supernaturalia naturalibus, & humana divinis possint idemtificari?

Sed quidquid de Positione ipsâ sit, hæ rationes nil valent: nam sicut Paternitas & Filiatio idemtificantur Divinitati, nec tamen idemtificantur inter se: sic etiam possumus intelligere corpus & spiritualitatem idemtificari Animæ & tamen non idemtificari inter se.

NOTA.

Totam hanc ultimam disputationem adjunxi, non ut aliquam opinionem te doceam, sed ut præcipuas controversias percipias, quæ in Idemtificationis materia ventilantur: easdem omnes propriis locis iterùm retractabo & expendam uberiùs, modò prælibasse sufficiat. CCXCIII.

DISPUTATIO XII.

De antiquo & præcipuè Dionysiano Distinctionis & Idemtificationis conceptu.

CCXCIV. VArius est apud Viros Eximios Distinctionis & Idemtificationis conceptus, & quia plurima ab illo in Philosophiâ, plurima in Theologiâ, & in Ethicâ pendent, mirum non erit, si Conclusiones variæ sint apud Viros, qui insistunt fundamentis diversis. Omnes aut ferè in definitionibus conveniunt. Sic pronunciant: *Distingui (saltem negativè) est unum non esse aliud: Idemtificari est unum esse aliud:* at differunt in expositione. Absunt Scholastici Patribus: Iuniores Senioribus: Scotistæ Thomistis: utrique Nominalibus. Et nos in tantâ opinionum & acceptionum varietate à quo stabimus? A veritate, si possimus. Ergò illam quæsituri, quid Scholastici dicant, audiamus.

Quid distinctio, & quid idemtificatio sint

ARTICULUS I.

Scholasticorum doctrina.

CCXCV. ARripiunt positas definitiones Scholastici, & eas attemperantes proprio Marti INFERUNT PRIMÒ, Ergo *idemtificari* & *distingui* sunt contradictoria prædicata, & non poterunt verificari de duabus ipsissimis formalitatibus: nam, si vera est hæc propositio, *A est B*; falsa erit ista, *A non est B*. Ergò si vera est ista, A idemtificatur ipsi B; falsa erit ista *A distinguitur à B.* [Non tamen inter idemtificatas & distinctas ponunt nonnullas formalitates aut realitates disparatas: quæ nec idemtificatæ sint, nec distinctæ.].

An distinctio & idemtitas contradictoriè opponantur?

Quæ in Trinitate formalitates sint?

INFERTUR SECUNDÒ, eadem prædicata, etsi contradictoria sint, posse verificari, si reperiantur quatuor termini, seu formalitates; nam licèt verum sit, *quod A & B idemtificantur*, poterit etiam verum esse, *quod C & D. distinguuntur*.

Stante istâ doctrinâ, si nihil adderetur, destrueretur Trinitas, adeoq; Theologia Christiana: nam Pater distinguitur à Filio, & est unum & idem cum Filio. Ergò in Patre & Filio non est una sola formalitas, quia nulla esset distinctio: non sunt duæ solæ, quia daretur vel distinctio, vel idemtificatio, non verò utrumque: non sunt quatuor; quia, si haberent duas personalitates, & duas naturas, daretur distinctio tantummodò, & nulla esset idemtificatio. Ergo tres termini (seu formalitates) ponendi sunt. Paternitas, Filiatio, Divinitas: & dicendum Paternitatem Filiationemque inter sese distingui, & utramque idemtificari Divinitati.

Si hoc

CCXCVI. *An istud axioma sit verum?*

Si hoc dicatur corruit illud Principium, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se?* Puto id ego. Contrà alii, qui ut illud defendant, multis illud centonibus consuunt, & dicunt, *Quæ sunt eadem uni tertio singulari in humanis: nimirùm, uni tertio incommunicabili; sunt eadem inter se.* Ponunt illud adjectivum *singulari*, ut hac lappâ se expediant ab isto Syllogismo:

An admitti possit in humanis?

Petrus est homo:
Paulus est homo:
Ergò Paulus est Petrus.

nam Petrus & Paulus sunt idem uni tertio universali, (nempè, homini) & tamen non sunt idem inter se: non enim Paulus est Petrus, nec Petrus Paulus. Addunt illud *In Humanis*, ut excludant Divina, & non teneantur respondere huic syllogismo;

An in Divinis?

Pater est hæc Deitas:
Filius est hæc Deitas:
Ergò Filius est Pater.

tametsi enim Pater & Filius idemtificentur in Deitate, non tamen idemtificantur inter se: non enim Pater est Filius, aut Filius Pater. Agunt tandem *de uno tertio incommunicabili*, ut totam Regulam ad verba & Grammaticam meram reducant, nam, si incommunicabilis est illa formalitas, quæ pluribus non communicatur, idem erit omninò dicere, *Quæ sunt eadem uni tertio incommunicabili, sunt eadem inter se*, ac dicere, *Quæ sunt eadem uni tertio, quod quidem tertium non est idem multis, non sunt multa:* vel clariùs omni sublato circumloquio, *Quæ non sunt multa, non sunt multa:* quod verum, non tamen doctrinale est.

De tertio incommunicabili.

Conclusio.

Ergò difficultates nimiæ sunt tertio termino (aut formalitate) posito: nimiæ sunt eo sublato: ergò aliò debemus respicere, ut sine additione tertii termini elidantur contradictoria prædicata.

ARTICULUS II.

Ostendo ad mentem Veterum duo posse Extrema simul distingui & idemtificari.

CCXCVII. *Particularis doctrina de idemtificatione.*

QVando duæ res, quæ realiter distinguebantur, idemtificantur, (sic modò discutere volumus, ut Theologicam idemtificationem explicemus) post idemtificationem non remanent tanquam duæ formalitates, quarum altera possit concipi sine alterâ, [ut de Animalitate & Rationalitate docent Scotistæ, & Thomistæ, & quotquot objectivas præcisiones admittunt:] sed transeunt ad unam simplicissimam & impartibilem realitatem. Hæc idemtificatio [Nota id benè] fit, quin ponatur aliquod tertium, cui idemtificentur illa extrema, quæ non idemtificantur inter se.

Rem expono. Sit litera A distincta à B: dico easdem posse & esse idemtificatas, quin addatur tertia litera, in qua conveniant: & probo clarissimis & notis exemplis.

An cognitio & objectum sint idem?

In D. Thomæ Scholâ cognitio idemtificatur objecto: quoniam, ut docet Aristoteles, intellectus fit omnia intellecta. [Non examino hujus doctrinæ veritatem, sed illam ut certam, & si hoc nolis, saltem ut probabilem & bonam suppono: & cognitionem arboris speculari incipio.] Sic inquam: *Cognitio arboris* (nempè quâ cognosco arborem) *non est arbos.* Hæc propositio est vera: quia cognitio est spiritualis, & arbos est materialis, & ab illâ toto cœlo diversa. Subjungo. *Cognitio arboris est arbos.* Et hæc propositio etiam est vera: quia intellectus intelligendo fit res intellecta: ergo intelligendo lapidem fit lapis, intelligendo arborem fit arbos, & intelligendo Petrum fit Petrus.

CCXCVIII.

Sed quomodo inter intellectionem & arborem datur simul idemtificatio & distinctio? An fortè dabitur unus tertius terminus, in quo sint idem, quæ inter se sunt diversæ? An-ne sicut Pater & Filius apud Thomistas & Scotistas, sunt duo supposita & tamen sunt unum (hoc est idemtificantur) in tertiâ quâdam formalitate, quæ est natura: ità etiam cognitio & arbos, quæ sunt duæ realitates, habent aliquod tertium in quo sint unum, & dicantur idemtificari? Minimè. Quid ergò? Cognitio & arbos realiter sunt duæ res, intentionaliter una; & hæc simplex, impartibilis, & incomposita. Cùm cognitio fit arbos, non manet intentionaliter una realitas partibilis in duas formalitates, quarum una sit cognitio & altera res cognita; sed est unica formalitas indivisibilis, quæ intentionaliter scindi non potest.

Fortè hæc intentionalis idemtificatio alicui hodiè Scriptori non placet: sed quid indè? Placuit omnibus Peripateticis, Thomistis etiam, & universis, qui sincerè sequuntur Aristotelis vestigia. Si quis eam negat esse veram, saltem negare non poterit esse probabilem, & in exemplis non requiritur veritas, sed probabilitas: maximè cùm contentus sim, si hæc ipsa, quæ edisseto, probabiliora, aut saltem probabilia, dicantur. Cæterùm, ut rem uberiùs explicemus, aliud exemplum proponamus, quod à nemine negari possit.

An homo sit Deus virtualiter.

Audio confessiones, missam celebro, & tametsi sciam quòd solus Deus remittat peccata, confidenter pronuncio, *Ego te absolvo.* &c. & tametsi sciam meum corpus replicari vi verborum non posse, *Hoc est corpus meum*, & *Hic est calix sanguinis mei*, confidenter pronuncio: & his verbis sacramentum conficio. Corpus illud, quod speciebus substat sacramentaliter, est meum, an Christi? Est Christi: est meum, quia ego sum Christus. Sed quo sensu; Realiter loquendo Christus & Ego distinguimur: moraliter idemtificamur. Sumus duo, & sumus unum: imò sumus duo, & sumus unus. Sumus duo reali-

realiter, & unus moraliter, aut virtualiter. An-ne, ut & simus unus, ponitur unum tertium, cui identificemur? Nullo modo. Sine positione hujus tertii Christus & ego identificamur, & distinguimur: sumus idem, & non sumus idem: realiter enim distinguimur, & moraliter identificamur. Sanè istæ positiones *Ego sum Christus*, & *Ego non sum Christus*, sunt simul veræ; nec ideò licet inferre duas contradictorias concedi, quia verificatur in sensu morali illa prior, & in reali hæc posterior.

Conclusio. Stat ergò posse dari distinctionem & identificationem inter duos terminos, quin recurratur ad tertiam formalitatem utriq; termino communem: modò mutetur sensus, & quod de uno asseritur, de alio negetur. Sed qui sunt isti sensus? Iam expono.

ARTICULUS III.

De Distinctione Dionysiana seu prisca, & sensibus Propositionum.

CCXCIX. PRopositiones sumuntur in diversis sensibus, cùm subjecta reducuntur ad diversum statum. Nemo est Philosophus, nemo Theologus, qui illorum varietatem non noverit, & ideò nil novi docemus. Cæterùm quia est mirabilis illorum usus, volo hic inhærere tantisper, & explicare aliquos sensus. Multos possem; hos tamen paucos digniores notitiâ subscribo.

Enumerantur varii sensus.

RES, vel sumuntur:
- realiter. *Et tunc vel superessentialiter, vel essentialiter, vel singulariter (individualiter) vel personaliter (suppositaliter.)*
- intentionaliter. *Et tunc vel sensualiter, vel intellectualiter.*
- moraliter seu virtualiter. *Et hoc etiam multis & variis modis.*

Cur ejusmodi distinctio Prisca, & cur Dionysiana nominetur? Possem in singulorum expositione hærere; sed terminorum claritati, & aliorum ingenio & doctrinæ confidens uberam potero brevitatem servare. Et quidem ex varietate istorum sensuum nascitur formalitatum divinarum aut etiam hypostaseon ratio, constitutio & distinctio; quas *Priscas* & *Dionysianas* dicemus: priscas, quòd ad mentem veterum videantur positæ, absunt enim à Iuniorum doctrinâ: Dionysianas, quòd videantur ex Dionysio desumptæ; ipse enim præcipuè adverbiis ejusmodi usus fuisse dignoscitur. Hæc sufficiat adnotasse de nomine, ad rem & sensus venio: libabo singulos si quidem uberiores texere commentarios non volo.

ARTICULUS IV.

Quo sensu Deus sit omnia?

SVnt testimonia in Sacrâ Paginâ, quæ videntur asserere Deum esse omnia; sunt rationes, quæ videntur probare nihil in rebus posse inveniri præter Deum: & tamen sensus & experientia monstrat nec Deum esse creaturam, nec hanc Deum. Quid ergò dicam de istis propositionibus? videlicèt. CCC.

Deus non est lapis.
Deus est lapis.
Deus est lapidem.

Respondebo duas primas esse veras: sed diverso sensu. Ergò inter Deum & lapidem datur simul distinctio & identificatio, infers: & adquiesco. Ergò vis tibi ostendi formalitatem aliquam communem Deo & lapidi, ut in illâ, aliàs distincti, Deus & lapis identificentur. Et respondeo frustrà illam quæri: nam prima propositio est vera in sensu essentiali, & secunda in superessentiali & eminenti. Sanè Deus eminenter omnium creaturarum perfectiones complectitur: & omnes istæ eminenter sumptæ sunt in Deo. Hæc propositio, *Lapis essentialiter sumptus non est Deus*, vera est: falsa hæc *Lapis superessentialiter & eminenter sumptus non est Deus*: lapis enim, ut superessentialiter & eminenter sumatur (sic accipimus terminos) deberet carere omni imperfectione: &, ut careat omni, debet esse, non in se, sed in Deo: & quo sensu est in Deo, illo est Deus: omnes enim creaturæ eminenter reperiuntur in Deo; & prout reperiuntur in Deo, sunt Deus, juxta illud Ioannis. 1. 2. *In ipso vita erat, & vita erat lux hominum*: &c.

An Deus sit lapis? & quo sensu? Lapis superessentialiter sumptus.

Vt intelligam tertiam propositionem, adnotabo *esse* vel sumi activè vel identicè: cùm identicè connectit casus similes, ut cum dicimus *Petrus est homo*: vel *Libet Ioanni esse pauperi*: & hoc juxtà Grammaticam communem: at verò, quando activè sumitur, regit accusativum. Vix *esse activum* in creaturis reperio, at in Deo reperio ad intrà & ad extrà. Deus non est creatura, sed creaturam. Pater non est Filius, sed Filium: Pater & Filius non sunt Spiritus sanctus sed Spiritum sanctum: *esse* enim cùm activè sumitur significat terminum aliquem producere sese essentialiter communicando.

Verbum Sum activè sumptum quid significet?

ARTICULUS V.

De unitate specificâ & multiplicatione numericâ.

PRogrediamur ulteriùs, & sensum essentialem & singularem explicemus. Hæ propositiones. CCCI.

Petrus,

Quo sensu singulares distinguantur & identificentur?

Petrus & Paulus distinguuntur, & non identificantur.
Petrus & Paulus non distinguuntur, sed identificantur.

sunt veræ.

Assentiuntur Iuniores, & se rem intelligere putant; quoniam reperiunt tres formalitates; Petreitatem, Pauleitatem, & rationem communem hominis. Petrum & Paulum, ajunt, ratione singularitatum (Petreitatis & Pauleitatis) non identificari, sed distingui; & in ratione communi hominis non distingui, sed identificari. Sic hodiè Philosophi universi, vel ferè. Sed cur homines discerpuntur in partes; & sine necessitate tertium illud fingitur vel requiritur? Pronuncio Petrum & Paulum sumi essentialiter vel singulariter: sumptos modo isto ultimo distingui realiter: sumptos autem primo non distingui, sed identificari: non uni tertio, nam nullum datur: non inter se ita ut maneant duo homines formaliter distincti & realiter identificati: sed ita ut coëant in unam simplicissimam realitatem, quæ formalitatibus careat.

ARTICULUS VI.

De multiplicatione personali: & sublimi Trinitatis mysterio.

CCCII. ADhuc ulteriùs pergo: oculos ad Deum & cœlum subrigo, & in essentiæ unitate tres personas, & in personarum trinitate unicam & simplicem essentiam veneror. Illam tremebundus adoro: quia *ubi quæritur Unitas Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti: nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur. Non pigebit me; sicubi hæsito, quærere: nec pudebit, sicubi erro, discere:* sed ab illo, qui me possit docere. Scholasticorum ego hodiè discipulus esse non volo, quoniam ingenii acie Deum dividunt, quem esse omninò indivisibilem à Patribus antiquis doceor. Gregorius in moralibus: *Apertè tunc videbimus, quomodo & unum indivisibile tria sunt, & indivisibiliter tria unum.* Et tamen Scholastici Deum in Essentiam & quatuor Relationes (Paternitatem, Filiationem, Spirationem activam & passivam) dividunt, & formalitates Patri aut etiam Filio adtribuunt, quas negant Spiritui sancto; undè plures formalitates Trinitas simul sumpta, quàm una persona complectitur: & hoc contrà veteres Patres & Augustinum præcipuè, qui *lib. 6. de Trinit.* sic inquit. *In summâ Trinitate tantùm est una* (persona) *quantum tres simul sunt: ita & singula sunt in singulis, & etiam omnia in singulis, & singula in omnibus, & unum omnia.*

Augustinus lib. de Trinitate.

Deus est trinus & unus.

Si ergo Scholastici Patribus non videntur cohærere, quò debebimus tandem recurrere? Ad ipsos Patres, ut ad fontem. Negandæ erunt omnes illæ formalitates & præcisiones objectivæ, quas Scotus & D. Thomas, tametsi iste aliter, indivisibili Numini adscripsit; & sensûs essentialis & personalis, paulò antè insinuata distinctio est benè intelligenda, & assumenda. Illam me docent Veteres, illam Ecclesiastici Authores, illam Hymnus, quem cantamus sabbato ad Matutinum: in quo lego,

Summa Deus clementia,
Mundique factor machinæ,
Unus potentialiter,
Trinusque personaliter.

illam me ratio, & pietas Scholastica docent. Non est Personalitas (nota hoc benè) aliqua formalitas aut realitas à naturâ distincta, ut Scholastici putant: sed est alius modus essendi ejusdem realitatis. Pono ob oculos has propositiones.

Quid subsistentia sit?

Pater identificatur Filio.
Pater distinguitur à Filio.

& utramque veram esse pronuncio. An fortè ideò Pater Filio identificatur, & simul non identificatur; quia sunt tres ibi formalitates (Paternitas, Filiatio, Divinitas) & ipsi in Divinitate identificantur, & in relationibus non identificantur? Non ideò: nam Pater non componitur ex duabus formalitatibus, Paternitate & Divinitate: nec Filius ex aliis duabus, videlicèt, Filiatione & Divinitate: sed Pater est simplicissima realitas; & Filius est simplicissima realitas: & Spiritus sanctus est simplicissima realitas: at ipsi duobus modis sumuntur. Sumpti personaliter sunt tres realitates infinitè distinctæ: Sumpti essentialiter sunt unus Deus infinitè simplex, in quo nullam compositionem possit mens invenire vel facere. Divinæ ergò Personæ; omnes, omnes, seorsim aut simul sumptæ, sunt unica realitas: nimirùm, superessentialiter, essentialiter, & singulariter; at verò personaliter sunt tres hypostases, & tres entitates relativæ: In Deo enim est unica eminentia naturæ, unica superessentia, unica essentia, unica singularitas; sed tres personæ.

Quomodo solvantur contradictoria prædicata?

Deus trinus & unus.

ARTICULUS VII.

De unitate personali, & Incarnationis mysterio.

HInc patet Scholasticos non solùm in Trinitatis, sed etiam in Incarnationis conceptu exorbitasse. Id sic exponunt. Ajunt in Verbo personalitatem distingui formaliter (virtualiter alii dicunt, sed magnâ improprietate vocabuli) à Divinitate, & naturam humanam fuisse personalitati Verbi unitam. Sed cur Verbum exciditur in partes? Cur de unione hypostaticâ tàm multæ & tàm superfluæ controversiæ in Scholâ agitantur? Unio ab extremis distincta necessaria non CCCIII.

Exponitur incarnationis mysterium.

non est; distinctio formalitatum in Deo indecens est: & tamen Mysterium Incarnationis verum est. Sed quomodo? Chrysostomus homil. 5. *Scio quod Verbum factum est, & quomodo factum sit nescio*: & ne quaerendo alium Magistrum fatigeris, subjungit: *Quod ego nescio, omnis creatura ignorat.* At non obstante hac ignorantia scimus illo modo non contigisse Incarnationem, qui componi cum Mysterio non potest. Rem ipsam Fides docet & Bernardus *Serm. 3. in Vigil. Nativ.* sic exponit. *Verbum, Anima, & Caro, in unam convenere personam: & haec tria unum, & hoc unum tria sunt; non in confusione substantiae, sed in unitate personae.* Et quidem quomodo haec vera sint stando Scholasticorum doctrinae non benè intelligere possum: adeòque debebo positis principiis insistendo veritatem rimari. Pronuncio igitur has duas propositiones,

Verbum est Homo.
Verbum non est Homo.

veras esse, falsas esse. Si primam sumas personaliter, & secundam essentialiter, utramq; admitto: si contra, nego: Verbum enim personaliter sumptum est homo: & essentialiter sumptum non est homo: & ubi datur identificatio, nexus realiter distinctus, quem Recentiores interserunt, superfluus est. Quid in re tàm sublimi & difficili faciliùs & clariùs dici posset?

An Deus mutetur?

Sed dicet aliquis ex hac doctrinâ sequi Deum mutari. Sequelam nego. Probat, quoniam Verbum ante annos bis mille realiter non identificabatur Homini: & ab Incarnationis instanti identificatur Homini. Ergò aliter se habet quàm habebat: Ergò mutatum est. Respondeo mutationem negando: nam in aeternitate non dantur anni; non prius non posterius: quoniam universa sunt simul.

In Aeternitate prius & posterius non datur.

Dei & Hominis Identitas personalis.

Dicet alius, creaturam nullo sensu posse identificari Conditori: esset enim indecens & physicâ repugnantiâ non caret. Respondeo hanc propositionem, *Deus est Homo*, à nemine Christiano negari: & sine identitate personali eam esse veram non posse. Agimus, non de re, sed de modo explicandi, & ego in identificatione personali Dei & Hominis nec indecentiam neque repugnantiam percipio: nam multis aliis sensibus Creatura & Creator identificantur, cur ergò in sensu personali non poterunt? Antecedens ostendo; nam Sacerdos cùm celebrat missam, cùm sacramentaliter absoluit reos, moraliter est Christus. Creaturae omnes eminenter & superessentialiter sumptae, sunt Deus: & cognitio mea, quâ Deum cognosco, intentionaliter est Deus: ita Salmanticenses *tract. 3. de Scientiâ Dei disp. 2. dub. 2. §. 11.* non ergò repugnabit, quòd Deus & Homo in Christo personaliter identificarentur.

Identitas moralis:

Identitas intentionalis.

ARTICULUS VIII.

De distinctione Divinorum Attributorum ab Essentia.

CCCIV *An attributa distinguantur formaliter?*

Consequentia doctrinae postulat, ut omnem etiam virtutum moralium distinctionem in Divinis negemus: maximè, cùm illam etiam negemus in humanis: nam admissis praecisionibus formalibus aut objectivis, non est opus virtutes has realiter multiplicari. Idem nummus, si datur victori, est *Litrum*; si nautae, *Naulus*; si Magistro, *Minerval*; & si egeno, *Eleemosyna*: & similiter eadem voluntas (Divina, humana) si dat unicuique quod suum est, vocatur *Justitia*: si favet miseris, *Misericordia*: si amat se alicui, *Amicitia*: si sibi aliquid, *Concupiscentia*. &c.

Qualia sint attributa in Deo?

Multi in homine realiter distinguunt has virtutes, & in Deo formaliter: non adquiesco: qualitates ejusmodi (reales sint aut rationis) superfluae sunt: omnia enim diversis expressionibus & relationibus salvantur: & certiùs in Deo, quàm in Homine: compositio enim in Homine tolerabilis est, in Deo non est, undè Mellifluus meus Bernardus, *Deus amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut aequitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus revelat ut lux, assistit ut pietas.* Ita Doctor Sanctissimus 5. *de considerat. cap. 5.* Vnde colligo, Charitatem, Veritatem, Aequitatem, Lucem & Pietatem, in Deo plura esse nomina, & unam indivisibilem rem.

Qualia in homine?

An in Homine aut Angelo eodem modo poterimus philosophari? Omninò: imò & debemus, si Paulum legere & sequi velimus. 1. *Corint.* 13. ille sic inquit. *Charitas patiens est, benigna est, non aemulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quaerit quae sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Verba sunt quidem aurea, & quae commentario non indigent: sed quia multas illa consequentias parturiunt, debebunt breviter dilucidari. Sic inquam. Charitas, quia patiens est, *Patientia* dicitur: quia est benigna, *Benignitas*: quia nemini invidet aut aemulatur, sed omnibus favet, *Amicitia*: quia non agit perperam, sed omnes virtutes exercere conatur, *Studiositas*: quia non inflatur, est *Humilitas*; quia dignitates & honores non ambit, est *Modestia*: quia non quaerit propriam commoditatem, sed Dei majorem gloriam & publicae rei utilitatem, nominatur *Politica*: quia non irritatur *Tolerantia*: quia ne quidem malum cogitat, *Puritas*: quia contumacis resolutionis nescia, de commissâ dolet iniquitate, dicitur *Paenitentia*: quia omnem detestatur hypocrisin & veritate gaudet, nuncupatur, *Sinceritas*: quia se & omnia sua concredit Deo, dicitur *Resignatio*: quia omnia sperat in Deo, *Fiducia*: & quia omnia

Quo modo virtutes distinguantur?

susti-

ſuſtinet in Deo, *Fortitudo* vocatur. Poſſet & Paulus progredi, & ego ſequi: ſemper tamen multiplicatis expreſſionibus & denominationibus, eſſemus habituri multa connotata & vocabula, at unam & ſolam Charitatem. {Hæc de virtutibus moralibus-ſupernaturalibus dicta ſint: ſimilia poterimus de naturalibus-moralibus dicere: ſicut enim una & eadem Charitas, quæ eſt quædam voluntas ſupernaturalis, multas & varias denominationes ſortitur; ſic etiam ipſa voluntas naturalis, nimirùm, in homine, qui virtutes morales habeat & deſtituatur Charitate.

ARTICULUS IX.

An ſint infinitæ perfectiones in Deo? An & ipſæ diſtinguantur formaliter?

CCCV. Deus omnes poſſibiles perfectiones complectitur: nimirùm infinitas: ſed quo illas modo? An ſicut Animal & Rationale apud Scotiſtas & Thomiſtas ſunt duæ perfectiones formaliter diſtinctæ, quæ conſtituunt Hominem; ità erunt infinitæ perfectiones, formaliter diſtinctæ & realiter identificatæ, quæ conſtituant Deum? Compoſitionem hanc non tolerat Dei infinita Simplicitas, hanc non patitur ſimpliciſſima Infinitas: omnes enim perfectiones finitæ, tametſi diſtinctæ aut oppoſitæ, in Infinitate coincidunt.

Reſolutio. Continet ergò Deus omnes perfectiones poſſibiles, et iſtæ in infinito Deo non ſunt multæ perfectiones identificatæ, ſed ſunt unica indiviſibilis, & quæ mente ſcindi non poſſit, perfectio.

CCCVI. *De lineâ rectâ & curvâ.* Vt demonſtrem hoc ultimum ſumo lineale & circinum & ad Geometriam, clariſſimam Scientiam, recurro; duco lineas AB, & OCI. & arcum ACB. & ſic diſcurro. Rectitudo, Concavitas, & Convexitas, ſunt differentiæ conſtitutivæ & diſtinctivæ in lineis finitis quas nos tendimus, at cùm venitur ad corpus infinitum, coïncidunt. *Conſidera figura 24. Logicam.* Arcus ACB ſimilior erit lineæ rectæ OCI quo major ſit diameter AB: ergò ſi iſta ſit infinita, erit illa infinitè ſimilis, adeòque recta: & cùm arcus in rectam tranſit, Rectitudo, Concavitas, & Convexitas non diſtinguntur. *Conſidera eandem figuram 24 ad literas MNP.* Hinc patet non malè dici à multis, poſitâ diametro infinitâ ponendam pro circumferentiâ lineam rectam.

Hexagonum in Trigono conſpicio: non æquantur. Si concentrica ſint, ſemper manebunt anguli, in quibus alterius pars ſit, alterius verò pars non ſit. Creſcant, creſcant: quamdiù finita ſint, tamdiù erunt differentia; tamdiù inæqualia. Finguntur creviſſe infinitè: Ergò coïncident: nec erit angulus, quem Triangulus impleat, Sexangulus verò non impleat. *Coïncidentia figurarum.* Erunt igitur in illâ hypotheſi Triangulus, Sexangulus & Circulus una figura. Ergò hæc figura infinita eminenter erit Triangulus, Sexangulus & Circulus: Ergò etiam eminenter Quadrangulus, Quinquangulus, Septangulus, Octangulus, &c. *Corporis infiniti figura.* quia non eſt major ratio unius, quàm alterius: ergò corpus hoc infinitum habebit eminenter omnem figuram, & tamen formaliter nullam figuram. Peto. An-ne in hac ſuperficie infinitâ condiſtinguemus mente tres partes mutuò ſe excludentes, ut Thomiſtæ & Scotiſtæ in Homine Animal & Rationale condiſtinguunt, & dicemus, hæc pars hujus infinitæ ſuperficiei eſt infinitus Circulus, illa infinitus Sexangulus, & illa infinitus Triangulus? Non quidem. Quid ergò? Dicamus totam hanc ſuperficiem eſſe infinitum Triangulum, totam eſſe infinitum Sexangulum, totam eſſe infinitum Circulum. Ergò eodem omninò modo de perfectionibus, quæ in Deo, philoſophare. Inter alias hæ mihi notæ: nimirùm *Eſſentia, Exiſtentia, Vita, Perceptivitas, Spiritualitas, Intellectualitas, & Supernaturalitas.* *An perfectiones divinæ diſtinguantur formaliter?* Quamdiù iſtæ conſiderantur in creaturis diſtinguuntur, aut etiam condiſtinguuntur, ſi velis: cùm autem cogitantur in Deo, & eſſe infinitæ noſcuntur, coïncidunt. Non poſſum in Deo duas formalitates objectivas excidere, quarum altera ſit Exiſtentia, altera Vita; hæc enim realitas, quæ dicitur Deus, ſupereminenter eſt Eſſentia, ſupereminenter Exiſtentia, ſupereminenter Vita, ſupereminenter Perceptivitas, Spiritualitas, &c. & formaliter tantùm Divinitas, hoc eſt, Infinitas. Hinc eſt nos non poſſe Deum in formalitates objectivas dividere, ità ut concipiamus Exiſtentiam abſtractam à Vitâ, Vitam abſtractam à Spiritualitate, ſed debere aut Deum non concipere, aut totum concipere, & ejus ſimpliciſſimam Divinitatem venerabundos adorare.

An ſaltem diſtinguantur extrinſecus? An-ne hinc ſequitur nullam omninò diſtinctionem eſſe inter Divinas perfectiones? Non ſequitur: & ſi ſequeretur, nihil inde ſuboriretur mali. Sequitur ſaltem nullam intercedere intrinſecam: quoniam diſtinctiones extrinſecæ, quæ in creaturis ſunt, Deumque denominant extrinſecùs, nullam imperfectionem involvunt.

Diſtinctio fundamentalis qualis ſit? Dico igitur primò, gradus Eſſentiæ, Exiſtentiæ, Vitæ, & cæteros, quos enumerabam diſtingui in Deo fundamentaliter, hoc eſt, diſtingui realiter in creaturis, quæ ſunt fundamentum undè extrinſecè denominamus Deum præditum hac vel illâ perfectione, quam in illis percipimus.

Diſtinctio conditionalis, qualis ſit? Dico ſecundò, eoſdem gradus diſtingui in Deo conditionaliter; quia ideò in unum coincidunt, quia Deus eſt infinitus; undè ſi ille infinitus non eſſet, realiter diſtinguerentur {plures pauciores-ve, prout magis aut minùs diceretur finitus.}

Diſtinctio participialis, qualis ſit? Dico tertiò, eoſdem in Deo diſtingui realiter participialiter, quia tametſi in cauſa (hoc eſt in Deo) omni diſtinctione illi careant: in effectibus ſunt diſtincti realiter; & cum hac illi diſtinctione poſſunt & ſolent humanitùs participari.

 Dico

Distinctio causalis, qualis sit? Dico quartò eosdem distingui in Deo causaliter, penes diversa connotata: Deus enim prout producit *Verbum*, vocatur *Intelligens*; & prout Pondus, *Amans*: prout omnia possibilia potest, *Omnipotens*; prout nullo Angelico aut humano sermone sufficienter describitur, *Ineffabilis*; prout nullis est perceptibilis oculis, *Invisibilis*; prout incapax finis, *Nomina Dei.* qualem habet magnitudo nostra, aut etiam duratio nostra, *Immensus*, *Æternus*, *Immortalis*, &c. Et tamen quibuscumque distinguatur nominibus, unicus & simplicissimus ipse est, & tota ei adscripta distinctio est quædam denominatio extrinseca uno aut altero modo desumpta à distinctione creaturarum.

ARTICULUS X.

De continentia eminenti & supereminenti. Quomodo sint omnes creabiles perfectiones in Deo? Quomodo Materialia in spiritualibus?

CCCVII *An superiora ab inferioribus distinguantur formaliter.* Divinæ Simplicitatis eminentiam *Supereminentiam* nominavi, ut ab Humanâ distinguerem, nam reperiuntur prædicata in creaturis, quæ in inferioribus distincta sunt realiter, & in superioribus & nobilioribus substantiis ità coincidunt, ut neque in formalitates objectivas possint mentis acie dissolui.

Puto in Homine omnium ignobiliorum creaturarum perfectiones & dotes, [& præcipuè *Essentiæ*, *Existentiæ*, *Vitæ*, *Sensibilitatis*, & *Rationalitatis* gradus] nobiliùs & eminentius reperiri, quàm in Brutis, quam in Plantis, Elementis, &c. at eosdem ipsos, quos concedo extrinsecùs distingui in Homine, habere aliquam distinctionem intrinsecam (aut Scotisticam, ab intellectu inventam; aut Thomisticam, ab intellectu factam) nego: nego.

Homo umbra Dei. Vt benè negare me ostendam, Deum cum Homine, hunc cum illo compono. Homo profectò umbra Dei est, ad imaginem & similitudinem ejus effectus; & tametsi eum à Deo removeat infinita distantia (nam inter Infinitum finitumque nulla est proportio) in multis, & in Animæ Simplicitate præcipuè, similitudinem habet.

Omnes in homine perfectiones creatæ. Dixi in Homine omnium creaturarum perfectiones inveniri: & hoc didici à Christo qui apud Ioannem *cap.* 16. indixit Discipulis suis, *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*: & tamen non lapidibus, non arboribus, non brutis: quomodo ergò omni creaturæ? S. Gregorius *Homil.* 29. *in Evang.* rem exponit. *Nunquid, Fratres mei, sanctum Evangelium, vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum, ut de eo discipulis dicatur,* Prædicate omni creaturæ? *Sed omnis creatura* *Homo omnis creatura.* *nomine signatur Homo. Omnis enim creaturæ aliquid habet Homo. Habet namque commune esse cum Lapidibus, vivere cum Arboribus, sentire cum Animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creaturâ Homo, juxtà aliquid omnis creatura est Homo. Omni ergo creaturæ prædicatum Evangelium, cum soli Homini prædicatur.* *An rationalem hominem & angelo eminenter [...]*

Addidi omnium creaturarum (saltem materialium) perfectiones, quæ in ignobilioribus substantiis distinguuntur realiter, in Homine eminentiùs existere, & omni distinctione carere. Magna hæc simplicitatis, quam noster habet Animus, laus. Vt Divinam Simplicitatem explicarem, advocavi Geometriam: & nunc ut Humanam dilucidem, Arithmetica sit advocata.

Species sunt sicut numeri, ait Arist. 8. *Metaph. text.* 10. nemini igitur injurii erimus, si eas ad ordines & classes reducentes, ignobilissimas, hoc est, corporeas esse, ut 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. dicamus: nemini, si secundam classem, quæ spirituales dotes & prærogativas complectitur, ad 100. usque dilatemus: nemini, si tertiam, quæ supernaturales gratias & laurus capit, ad 1000. protendamus. Et stante hac hypothesi, sic discurrimus. CCCVIII Duodenarius, numerus secundæ classis est, unicus, & tamen complectitur sexies Binarium, quater Ternarium, ter Quaternarium, & bis Senarium. Ergò Binarius perfectiùs est in Duodenario, quam in seipso; quia in illo est sexies, & in se semel: Ergo Ternarius, Quaternarius, & Senarius nobiliùs in Duodenario sunt, quam in seipsis; quia in se sunt simul, in illo plures. Et his consideratis *Consideretur hæc doctrina* doctissimum quemque Formalistam provoco, & inquiro, An possit in Duodenario quinque realitates, aut etiam formalitates dividere, quarum prima sex Binarios contineat, secunda quatuor Ternarios, tertia tres Quaternarios, quarta duos Senarios, quinta unum Duodenarium? Sanè non poterit: unus enim & idem numerus, qui eminenter est sex Binarii, quatuor Ternarii, tres Quaternarii, iste ipse formaliter unicus Duodenarius est.

Gradus Entis. Ergò siquidem species sicut numeri sunt, de illis sicut de numeris philosophemur. Perseitas, Progressibilit[as], Vitalitas & Sensibilitas (gradus sunt & prærogativæ materiales) sint ut numeri 2. 3. 4. 6. [An]ima rationalis, ut 12. ergò illæ ipsæ in A[n]imâ rationali continebuntur [e]minenter, adeòque perfectiùs & nob[il]iùs, quàm in se ipsis: nam Perseitas Humanæ Animæ est sexies nobilior lapidum & met[a]llorum Perseitate: [sexies inquam, quia consto hypothesi.] Progressibilitas & Agilitas Humanæ Animæ est quater excellentior Cœlorum & Syderum progressibilitate; aut aliorum quorumcumque corporum si Astris vitam purè loco-motivam, *An Astra vivant?* quam Eusebius Nierenbergius in Philosophiâ curiosi[or]is concedit, negemus. Vita Animæ rationalis est ter d[ig]nior & melior plantarum & arborum vit[a]. Et quidquid de externis sit sensibus, Phantasia, & reliqui sensus interni in Homine dupl[o] sunt perfectiores.

ctiores, quàm in bruto. At Rationalitas semel in Hominis Anima reperietur, non pluries. An-ne Animam in formalitates natura rerum patens (quod vult Scotus) aut saltem nostra mens (quod vult D. Thomas) distinguet? An-ne Rationalitatem ab Animalitate, Sensibilitatem à Vitalitate, &c. poterit aliquandò præscindere? Tunc, cùm in Duodenario tres Quaternarios à quatuor Ternariis separabit. Exsint ergò omnes formalitates objectivæ; quia in Homine enumeratæ perfectiones non distinguuntur distinctione ullâ intrinsecâ, sivè ipsa realis, sivè ex naturâ rei, sivè formalis, sivè rationis ratiocinatæ nominetur: at quia extrinsecæ distinctiones non obsunt, easdem fundamentaliter, conditionaliter, & etiam causaliter distingui dicamus. Fundamentaliter, quia in substantiis imperfectioribus & ignobilioribus realiter distinguuntur, & hinc sumimus fundamentum, ut in Rationali Animâ, in quâ ob eminentiam coïncidunt, diversis nominibus extrinsecùs condistinguantur. Conditionaliter; quia, si non essent in Anima, sed in seipsis, realiter distinguerentur. Et causaliter etiam, quia una & eadem Anima diversos effectus producens (illos nempè, quos causæ realiter distinctæ solent) etiam extrinsecùs ab eisdem effectibus distinguitur & denominatur.

Distinctio fundamentalis:

Distinctio conditionalis.

Distinctio causalis.

Sicut perfectiones omnium creaturarum materialium sunt eminenter in Anima humana, quæ formaliter est Rationalis: Sic ipsamet potest esse eminenter in creatura aliqua nobiliore: nam Duodenarius, qui formaliter est duodenarius & eminenter Binarium, Ternarium, Quaternarium, & Senarium complectitur, eminenter clauditur in Sexagenario, commodissimo numero, in quo Astronomi multos inferiores reperiunt.

CCCIX. *Discrimen divinæ & humanæ eminentiæ.*

Eminentia creata à Divinâ distinguitur, ut gradus intermedius à summo, ut finitum ab infinito: quia Anima rationalis v.g. ignobiliores eminenter continet, & ipsa à nobilioribus (puta ab Angelis) continetur: at Deus est ultimum continens, omnia enim eminenter continet, & à nullo nobiliore (quoniam ultrà infinitum, nihil est) capitur aut continetur.

Numeros esse rerum species dixerat Aristoteles, dixi & Ego: & similitudinem esse aptissimam demonstrare videtur Hieronymus *lib. 3. in Matth. cap. 19.* explicans illa verba Christi; videlicèt, *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit:* proponit enim Millenariistarum delirium, illudque breviter & efficaciter impugnat: & eorum interpretatione rejectâ, sic infit. *Sensus ergo iste est. Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, Spiritualia recipiet, quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur.* Ecce ut materialia & spiritualia conferat & distinguat, Arithmeticam advocat. Ecce illa ad parvos numeros, [hoc est, ad 2.3.4.5.6.7.8.9.10.] reducit: ista ad magnos, [nimirùm, ad 20.30.40.50.60.70.80.90.100,] Ecce Centenarius numerus Spiritualium summus est, qui materiales singulos aut plerosque multoties in essentiæ eminentiâ complectitur. Ecce eisdem numeris, quibus utitur Christus & Hieronymus, utor & Ego.

ARTICULUS XI.

De Identificatione operationum essentialium, & Distinctione notionalium.

CCCX. *Operatio in Deo duplex: essentialis & notionalis.*

SVnt in Deo duo operationum genera: aliæ enim essentiales sunt, & omnium trium Personarum communes, aliæ notionales & non omnium. Priores ad Identificationem spectant, & ad Distinctionem posteriores. Illæ personas esse unum & idem supponunt, istæ easdem separant & distinguunt. *Generare* est proprietas Patris, & *Generari* Filii: *Spirare* Patri & Filio convenit, & Spiritui sancto non convenit: *Spirari* autem uni & soli convenit Spiritui sancto.

Omnes operationes ad extrà dicuntur toti Trinitati communes, aut potiùs à Deo procedere, quà Vno, non quà Trino. Multa faciliùs in diversis materiis explicarentur, si admitterentur aliquæ actiones notionales ad extrà, hoc est, si aliquid aut realiter aut saltem intentionaliter ab unâ aut alterâ personâ procederet, quod non procederet ab aliâ. Qui hoc diceret, ut mihi videtur, in rationem naturalem impingeret; ut alius, non. Ego hìc in meo sensu abundabo; nec libenter à viâ regiâ discedam: aliis tamen quàvis ire permittam.

Res est omninò delicata, & in quâ sobriè debet ingenium vel sublime discurrere, sobriè lingua vel perpolita eloqui: interim quid apud unum vel alterum Iuniorem legerim, ut me expediam subjungo.

De concursu ad visionem beatam.

Petrus Wadingus de Incarnat. disput. 4. dub. 3. §. 3. num. 54. sic ait; *Addit Jacobus Granadus 1. p. q. 12. disp. 1. & 7. ipsas personas divinas concurrere ad visionem beatificam per modum speciei intelligibilis, nec reputat absurdum Personalitatibus secundum se tribuere efficientiam speciei intelligibilis, modo non præstent generalem concursum ad omnes actiones, qui est proprius omnipotentiæ. Quæ præmitto, ut non appareat mirum, quod statim dicturus sum de influxu materiali, quem præstat Verbum Humanitati: si enim divina personalitas est vis producendi realem terminum in divinis, & ad extra habeat efficientiam peculiarem speciei non est mirum, si possit habere sustentationem materialem.* Et statim. *Respondeo & dico; in eo consistere videtur hæc unio; quod suppositum Verbi peculiarem habeat influxum sustentativum in ipsum esse Humanitatis, et similem (demptis imperfectionibus) quem præbet subjectum accidenti, aut materia formæ inexistenti.* Et mox exponit, *Quomodò Verbum sit causa*

De unione hypostaticâ.

cur sit

An unio sit indistatia.

cur sit humanitas, sic enim loquitur Rusticus & alii; quomodo per Verbum & in Ve bo existentiam habuit ..... quia hic invenitur intima extremorum indistantia, non solùm propter Dei Immensitatem, sed ex peculiari modo influendi per sustentationem. Et infrà, *Est ipsa sustentatio seu influxus in esse humanitatis intimè conjuncta, & ex hac sustentatione clarè explicatur quomodo natura humana sit propria & instrumentum ejus; tam enim est physicum ejus instrumentum. quàm sit calor ignis propter inexistentiam in Verbo, & in omni rigore est communicatio idiomatum tàm benè, quàm inter accidentia & subjectum, propria est Verbi peculiari titulo per dependentiam ab eo quam habet, sicut accidens est proprium subjecti; & unio & habitudo ad Verbum, quia sustentatio est formaliter unio, & cùm, ut loquuntur Patres, Verbum sit causa cur humanitas sit, habet habitudinem effectûs ad causam, & cetera omnia quæ in compositis inveniuntur, sepositis semper imperfectionibus ex parte Verbi.*

Idem P. Wadingus *de Incarn. disp. 4. dub. 5. §. 4. num.* 58. hæc etiam habet. [Dices Primò, Scientia, quam proponimus est periculosa in fide: facimus enim in hoc mysterio opera Trinitatis divisa, ut aliquid operetur scilicet filius, quod non facit Pater aut Spiritus sanctus: quod est contra Augustinum 2. *de Trinitate & Concil. Toletanum VI.*

CCCXI. *An una persona possit facere, quæ non faciat alia?*

Respondeo negando assumptum: ad probationem, nego quidquam facere filium, quod non facit Pater. Contrà, sustentat naturam & ipsam causat; quod tamen non facit Pater. Pro responsione *nota primò* posse distingui influxum ab actione, ut influxus sit ipsa habitudo, quasi causa ad effectum; actio sit respectus effectûs ad causam: influxus igitur concipitur esse in agente, sed actio in termino: quandocumque ergò unus terminus indivisibiliter fit, etiamsi plura agentia ad eum effectum concurrant, sed est eadem omnium actio: sic eâdem actione idem opus faciunt causa prima & secunda, sed influxu diverso: quia causa prima tanquam causa indeterminata, aut generalis influit, secunda tanquam determinata, & particularis.

Quo modo causa prima & secunda concurrunt?

Vndè sequitur, etiamsi tres divinæ personæ fingerentur diversimodè influere in aliquem effectum, fore tamen opera Sanctissimæ Trinitatis indivisa; quia nullum opus ab unâ fieret, quod non fieret ab aliâ; sicut opus Dei & creaturæ in physicis est indivisum, cùm non fiat una pars à Deo, altera à creaturâ, sed totum à Deo, & totum à creaturâ.

An omnes divina persona eodem modo concurrant?

Vndè ex eo quod demus peculiarem influxum Verbo in Humanitatem, non sequitur dare nos aut aliquam actionem, aut aliquem effectum Filio, quem non demus Patri; quia actio, quæ est identificata effectui, & ipse effectus est totus à Patre & à Filio; sed tantùm damus modum influendi vel producendi effectum Filio, quem non damus Patri. Pro quo *nota secundò*, quando Patres & Concilia docent opera Sanctissimæ Trinitatis ad extrà esse indivisa, velle illos docere, tùm quod paulò ante dixi, tùm principium operandi ad extrà esse idem in tribus personis, nimirùm ipsam omnipotentiam; & propterea, cùm omnes tres operentur per potentiam eamdem numero, necessariò idem operari (aliter quàm faciunt creaturæ; quæ quia principium operandi diversum habent, sunt diversæ causæ, & habent diversum opus) & ut personæ divinæ non tantùm indivisæ sunt in suo effectu, sed etiam in ratione causæ & virtutis efficiendi; quia cùm principium *quo* operandi, & undè denominatur Deus causa efficiens creaturarum, scilicèt omnipotentia, eadem sit in tribus personis, & proindè unum habeant influxum omnipotentiæ; tres personæ non vocantur tres causæ, sed una causa creaturarum, sicut Pater & Filius unum principium Spiritûs-sancti, propter identitatem principii spirandi.

An opera Dei sint indivisa?

Vna omnipotentia in omnibus tribus personis.

Cùm hoc tamen benè consistit, quòd licèt illa denominatio, quæ provenit Trinitati ab omnipotentiâ, non multiplicetur, nec dividat Trinitatem; cum tamen essentia & persona habeant in probabili sententiâ alium modum influendi, quàm per omnipotentiam, nempè in ratione speciei intelligibilis, & ratio speciei intelligibilis ad unionem u. g. beatificam sit diversa secundùm diversitatem personarum, sint etiam divisæ personæ quoad influxum speciei, ut singulæ suum influxum habeant, indivisum tamen opus. Et hoc posito, non est difficile intelligere quomodo tres personæ indivisim operentur opus Incarnationis, & tamen Filius habeat specialem influxum materialem: quia incarnatio procedit à tribus personis tota, & influxus omnipotentiæ est idem in tribus personis; nec influxus ille specialis Filii dividit aut opus, aut influxum qui datur ex parte omnipotentiæ: hoc tamen facit persona Filii influens ut influxus omnipotentiæ sit minor, quàm sit in conservatione meæ humanitatis; cùm mea humanitas à solâ causâ primâ conservetur per omnipotentiam, Humanitas Christi ab omnipotentiâ effectivè, & in genere causæ materialis à personâ ut observavimus in notab. 3. §. præced. & propterea si Humanitas à Verbo dimitteretur, interiret, nisi Deus influxum conservativum corroboraret; quod etiam specialiter notavit Richardus *in 3. dist.* 5. Pelbart. *in 3. verb. Assumptio*, §. 15. & 16.

Influxum Verbi in incarnatione.

Objectio.

Dices sustentatio illa materialis non potest concipi sine imperfectione.

Solutio.

Respondeo negando assumptum; quia nulla est imperfectio in materiâ aut subjecto quod sustentet in genere, sed potiùs perfectio est, sicut causæ efficientis nulla est imperfectio; quia tribuit illam tanquam accepturæ perfectionem aliquam quâ indiget, & ad quam propendet illa forma, quam sustentat. Verbum autem quandò Humanitatem sustentat, non accipit ab eâ ullam perfectionem, quâ caret.] Hæc Wadingus.

Arriaga etiam tract. de Visione Dei *disp.* 8. *sect.* 4. 36. sic inquit. [Major est difficultas, CCCXII.

An

An scilicet repugnet ut relationes immediatè concurrant ad cognitionem sui efficienter? negant id nonnulli, eò quod omnes Theologi doceant relationibus nullum concursum ad extrà convenire, ideòque filiationi solùm terminativum concedunt in humanitatem Christi: quod confirmatur ex patribus Cyrillo Alexandrino *lib. 2. in Joann. cap. 135.* Augustino *Tract. 20. in Joann.* & aliis, qui dicunt omnes personas omnia ad extra eodem modo facere, & eandem habere formam ea faciendi. Quod verum non esset, si relationes immediatè concurrerent: tuoc enim & potentia esset diversa, & modus operandi; quia licèt illa visio ab omnibus tribus procederet; prout tamen esset repræsentativa Patris, non prodiret à Filiatione, sed à solâ Paternitate; & sic è contrario de aliis relationibus. Ego in hàc sententiâ non apprehendo tantum mysterium, ut probabilem illam non censeam. Auctoritatibus enim, quæ contrà illam afferuntur, responderi facilè posset. Primò Theologos solùm intelligendos de concursu effectivo ad cæteras creaturas, quia in illas à nobis non potest concipi concursus qui ad omnipotentiam non pertineat; & hoc ipsum habet locum in filiatione respectu humanitatis Christi: ille enim concursus effectivus deberet esse conservativus, ondè non esset cur uni relationi magis quàm alteri credendus esset: nam humanitatem non magis continet filiatio, quàm paternitas; etiamsi de facto termineturab illâ, non ab hac: imò & hoc ipsum ab aliis negatur, qui dicunt humanitaté specialiter conservari effectivè à personâ Verbi, sed de hoc in materiâ de Incarnatione: at in ordine ad concursum per modum objecti, quia quælibet res cognoscibilis specialiter sua prædicata propriè continet, ut ea simul cùm potentiâ exprimat per cognitionem, non videtur esse contrà Theologos, eam etiam virtutem tribuere relationibus divinis: & hoc eodem modo ad Patres adductos responderi potest; quia illi non erant solliciti de concursu isto objectivo, sed de alio qui pertinet ad rationem causæ universalis. Quæ eò habent majorem vim, quod etiam dato tali concursu, omnia opera SS. Trinitatis ad extrà adhuc omninò manent indivisa: nam omnes personæ immediatè concurrunt ad eam visionem (nisi casu, quo admissis præcisionibus objectivis, una relatio videretur sine aliâ: de quo alibi.) quod verò replicatur ab Adversariis, Patres docere etiam, eodem modo unam personam operari ac alteram, non urget: quia in præsenti casu omnes eodem modo operarentur; tribuere autem per rationem nostram, uni unam formalitatem, scilicet repræsentationem ejus relationis, alteri verò aliam, non est contrà Patres, qui de hac distributione per rationem nostram (cùm in re totus effectus eodem modo ab omnibus procedat,) non fuerunt ullo modo solliciti; neque facilè mihi contrarium persuadebo.] Hæc ille, qui ut constat, hunc concursum probabiliter asseri affirmat.

An eodem modo omnes personæ concurrant?

Explicantur Theologi.

An una persona videri possit sine alterâ?

Alia his similia reperiuntur in aliis, & in Tractatibus de Visione & Incarnatione præcipuè, sed hæc notavisse sufficiat, ut difficultatis statum penetremus.

DISPUTATIO XIII.

De Distinctione, Prioritate, Compositione, & Inæqualitate Hypotheticâ seu Conditionali.

CCCXIII. POstquam de Absolutis Distinctionibus egerim, illasque ad mentem Veterum & Juniorum distinxerim & dilucidaverim, de Conditionalibus & Hypotheticis acturus sum; ne quidpiam sit, quod debitam lucem non habeat. Et quidem summè est necessaria harum Distinctionum cognitio, proderitque gravissimis difficultatibus examinandis. *Est igitur Distinctio (* Prioritas, Compositio, Inæqualitas, &c. *) hypothetica seu conditionalis in Deo, non quæ de facto est; sed potius, quæ de facto non est; esset tamen, si per impossibile finitus & non infinitus Deus esset.* Vt meliùs ejusmodi Distinctionum, Prioritatum, Compositionū, aut etiam inæqualitatum essentiam usumque intelligamus, Thesim sequentem meditemur.

Quid illæ sint.

DEus est infinitus. *Omnium creaturarum, quæ finita multitudine & nobilitate sunt, perfectiones universas sublatis imperfectionibus complectitur. Omnes creatæ perfectiones, licet sint toto cœlo diversa, quando ab imperfectionibus expurgantur, coincidunt. Perfectio intellectus v. g. etsi in Homine & Angelo, ut volunt Thomistæ, distingui concedamus, nihilominùs in Deo non distinguetur realiter, nec ex naturâ rei, nec præcisivè à voluntate: & tamen distinguetur: quomodo? Conditionatè & Hypotheticè.*

MVlta in unum conjunxi, & quæ, ex eisdem fundamentis demonstrari debebunt. Recurro ad superficies lineasque; summo circuitum & istas figuras exaro: nimirùm, A. B. C. D. E. hoc est, Trigonum, Tetragonum, Penta-

Habes delineationes has figurâ 26. Logicâ.

Pentagonum, Hexagonum, &c. aut si nomina Latina magis placeant, Triangulum, Quadrum, Quinquangulum, Sexangulum, & Circulum.

His semel delineatis, quia de cæteris pariformiter philosophari debeo, audebo dicere, me habere ob oculos totam Geometriam speculativam: Triangulum, Quadrangulum, Quinquangulum, Sexangulum, &c. omnes figuras finitas & determinatas: habeo & circulum. Sed quid esset Circulus, si esset infinitus? Non quæro, An de facto sit globus aliquis infinitus in mundo? scio enim esse authores nonnullos, qui mundum hunc infinitæ esse molis existimant; nonnullos, qui indefinitæ. Non quæro, An Deus, quidquid de facto sit, saltem de possibili, possit producere infinitæ magnitudinis globum? Scio enim varia esse Philosophorum dogmata; & alios assertivè, & alios negativè huic controversiæ respondere. Sed quidquid sit de facto aut potentiâ, Thesim volo transmutari in Hypothesim, & interrogo, Qualis esset Circulus, si esset infinitus? Rem jam teneo: multa à Mercurio illo ter-magno didici, & inter alia ejusmodi Circulum duas præcipuè proprietates nacturum; haberet enim centrum ubique & nullibi circumferentiam.

An mundus infinitus de facto sit?

An Deus producere possit infinitum?

Circulus infinitus,

Et qualis, quæso, esset Triangulus, si haberet aream infinitam? Haberet centrum ubique, & nullibi costas; & his ille characteribus à finitis omnibus distingueretur.

Triangulus infinitus.

Et qualis tandem, esset Quadrangulus, Quinquangulus, Sexangulus, &c. si molem haberet infinitam? Haberet centrum ubiq; & nullibi costas seu latera: &, si sic loqui velis, haberet nullibi circumferentiam.

Cæteræ figuræ, si infinitæ.

Ergò (nota benè obsecro hanc consequentiam:) *Ergò Circulus, Triangulus, Quadrangulus, Quinquangulus, Sexangulus, &c. quamdiu agamus de Ente finito, figuræ sunt toto cœlo diversæ; at verò quando de infinito, coincidunt: non enim aliter concipere possumus Circulum infinitum, & aliter Triangulum infinitum.*

Resolutio attentè relegenda, & alta memoria mandanda.

CCCXII. Geometria communis nos docet conversionem & transformationem figurarum; præscindendo enim à quadraturâ Circuli, ex Triangulo formare possumus Quadrangulum, & contrà. Sed quo modo infinitum Triangulum convertam in infinitum Quadrangulum? Mutando habitudinem & respectum, quo finita respicit. Infinita quæcumque superficies, si daretur, esset simul infinitus Circulus, infinitus Triangulus, infinitus Quadrangulus, infinitus Quinquangulus, &c. & nulla esset figura, cujus illa perfectione careret. Infinitam igitur superficiem vocabo *Circulum infinitum*, quà habituram unam lineam, si esset finita: *Triangulum infinitum*, quà habituram tres lineas, si esset finita: *Quadrangulum infinitum*, quà quatuor habituram lineas, si esset finita &c.

Quo ergò modo distinguerentur in hac superficie infinitâ ratio Circuli infiniti à ratione Trianguli aut Quadranguli infiniti? An-ne realiter? An saltem ex naturâ rei? neutrô modo: imò nec designari mente poterit una formalitas quæ sit ratio infiniti Circuli, præcisa ab aliâ, quæ sit ratio infiniti Trianguli. Qualis ergo est in superficie hac infinitâ rationum istarum (Circuli, Trianguli, Quadranguli, &c.) distinctio. Est distinctio, non quidem actualis & existens ante mentis operationem, non præcisiva à mente facta, sed hypothetica & conditionalis (nota benè ista nomina) nimirùm distinctio, non quæ est, sed quæ esset, si superficies hæc esset finita.

Quæ & qualis sit distinctio hypothetica.

Admissâ semel distinctione hypotheticâ & conditionali, etiam potest admitti hypothetica & conditionalis inæqualitas, prioritas, & compositio. Nam si interroges. Vter sit major, infinitus Circulus, an Infinitus Triangulus? Respondebo non habere inæqualitatem actualem at habere inæqualitatem hypotheticam & conditionalem, nam si poneremus utramque figuram esse finitam; puta si diceremus, utriusque figuræ radium esse ut 10. deberemus consequenter asserere Circulum esse figuram capacissimam, & Triangulũ esse pauperrimã, nam positâ in omnibus diametro ut 10, in Circulo cæteræ omnes includerentur figuræ; vel istas præsentes contempletis. In Circulo STVWXY, centro P, & radio PS, ducatur integra circumferentia: &, si eodem radio PS delineetur triangulus & sexangulus, videbimus clarè & distinctè in circulo claudi hexagonum, & in hexagono triangulum. Et convertens ad alteram figuram oculos: in Circulo, centro R & radio RI formato clauditur Ogdoagonum GHIKLMNOG minus Circulo: & Tetragonum. GILNG, minus Tetragono; &c.

Figurâ 26. Logicâ cognosces.

Et eodem omninò modo, si quæratur, Vter sit prior Triangulus aut Quadrangulus? Respondebo in systemate rerum finitarum Circulum esse omnium figurarum simplicissimam, describitur lineâ unicâ: cùm igitur unitas sit prior numero, Circulus erit prior omni figurâ rectilineâ. Addam Triangulum esse priorem, non solùm Quadrangulo, sed quâcumque alia rectilineâ figurâ; quia omnis figura rectilinea aut est Triangulus, aut ex Triangulis coalescens: quo enim modo Octangulus GILNGMNOG in Triangulos dissolvatur, demonstrat explicata figura. Ad Systema infinitum veniamus. Et quid resolvemus in ipso? An-ne infinitus Quadrangulus ex duobus, aut quatuor Triangulis componitur; non secùs ac Quadrangulus GILNG ex Triangulis GIRG, ILRI. LNRL. NGRN? Respondeo non componi actu & absolutè, sed hypotheticè & conditionaliter: non absolutè & actu; quia, ut constat ex discussis, pars quælibet est minor toto, & Triangulus infinitus non est minor infinito Quadrangulo; adeò nec prior. Dico Quadrangulum infinitum, quem dari ponimus, ex Triangulis componi hypotheticè & conditionaliter; quoniam illa, si desineret esse infinitus, & inciperet esse finitus, ex Triangulis componeretur: Ergò & eodem sensu isti essent priores Quadrangulo; ergò in figurâ infinitâ datur prioritas & compositio hypothetica & conditionalis.

An circulus sit prior triangulo?

Omnis figura rectilinea aut est triangulus aut triangulis constat.

Compositio hypothetica.

Multa

Transitur ad Theologica.

Multa alia possem dicere de hac infinitâ superficie; multa de corpore infinito, quæ nulla facio, ne nimis sine causâ diffundar. Venio ad Deum & Substantias spirituales, & quæ de Quantitate dicta, eadem de substantiâ dicantur.

Fundamentum solis Resolutio.

Hanc Conclusionem posui: [*Circulus, Triangulus, Quadrangulus, Quinquangulus, Sexangulus, &c. si finitæ magnitudinis sint, figuræ sunt toto cœlo diversæ: si verò infinitæ magnitudinis, coincidunt.*] Eam probavi; modò ad altiora transvolo, & hanc paralellam subscribo. [*Perfectiones Humanæ & Angelicæ, Naturales & Supernaturales; &c. quamdiu finitæ sunt inter se distinguuntur: at ipsæ considerata in Deo, sunt nobilitatis infinitæ, & ibi universæ coincidunt.*] Omnes enim perfectiones in Deo sunt Deus: singulæ totus Deus: nulla est pars Dei.

Paralelismus Theologicus.

Ergò-ne in Deo nulla dabitur perfectionum distinctio? si tollatur realis, quam aliqui delirant Hæretici, & formalem ex naturâ rei, quam doctissimè plurimi propugnant Catholici, cur negabitur distinctio præcisiva, quæ nullam imperfectionem imbibit? Respondeo ad infinitam molem aut superficiem recurrendo. Sic dixi: [In infinitâ superficie est Circulus infinitus, & simul Triangulus infinitus, &c. & ipsi non distinguuntur actu (realiter, ex naturâ rei, aut præcisivè) sed hypotheticè & conditionaliter.] & modò ductus rationis paritate hæc adjungo. [Ratio Hominis & Angeli in Deo coïncidunt, sunt enim nobilitatis infinitæ: non distinguuntur in Deo realiter, nec ex naturâ rei, nec præcisivè: sed solùm hypotheticè & conditionatè. Et cur hoc modo? Quia, si Deus esset finitæ perfectionis, aut rationes Angeli & Hominis prout in Deo, essent finitæ perfectionis, aut realiter distinguerentur.]

Ratio divinis admittenda, positivo præcisiva distinctio?

CCCXV. Quomodo distinguantur formalitates in Deo?

Sublatâ distinctione actuali inter formalitates Divinas, aufertur actualis formalitatum numerus, actualis compositio & prioritas: & concessa distinctione hypothetica & conditionali, ejusdem generis conceditur numerus, prioritas & compositio. Dicam igitur intellectum & Voluntatem in Divinis esse duas potentias, & distingui hypotheticè & conditionaliter; quia tametsi nullam habeant modò distinctionem in Deo, distinguerentur tamen realiter, si Deus esset finitus. Et quia in hoc impossibili casu, intellectus divinus esset prior voluntate divinâ, dicemus consequenter nunc illum esse priorem prioritate hypotheticâ & conditionatâ. Suppositum creatum naturâ & subsistentia componitur (hoc etiam nunc juvabit dicere cum D. Thomâ.) sed suppositum divinum non componitur actu, non realiter, non ex natura rei, non præcisivè (non enim hodie volumus admittere præcisiones objectivas in Deo) & tamen componitur hypotheticè & conditionatè; quoniam ipse, si finitus esset, subsistentiâ & naturâ, non secus ac Homo aut Angelus componeretur: at nunc ob infinitatis eminentiam ratio naturæ & ratio subsistentiæ coïncidunt, & hanc ob rem identificantur & prædicantur; nam subsistentia in Deo est natura, & natura in Deo est subsistentia. Quæ tamen identificatio subsistentiæ & naturæ, non tollit distingui subsistētias seu personalitates inter se. Sed de hoc suo Loco.

Quænam prioritas possit inter illas admitti?

Quomodo essentia & subsistentia distinguantur in Deo?

* * * *

Varias sententias proposuimus & exposuimus, varias dilucidavimus & illustravimus; & rescire desideras, quam debeas ex cunctis eligere. Respondeo iterum, debere Te sequi tuæ scholæ dogmata, & supponere hujus libri III singulis Disputationibus singulas scholas subcollari. Has autem dabit Tomus Tertius, qui sequitur, quæ probabiles sunt, & pendent à Profitentium voluntate: nondum enim una schola contra cæteras, aut tua fundamenta esse certa, aut aliarum fundamenta esse falsa, clarè & evidenter demonstravit.

LIBER IV.

Vniversalia complectens.

CCXXVI. De Vniversalium nomine.

SI non dicerentur Vniversalia, vel hoc nomine deberent habere istud nomen, quòd ubique tractentur. Tractat Logica de Vnivocis, Æquivocis, Analogis, & Prædicabilibus, & necessariò de Vniversalibus, sine quorum notitia reliqua intelligi non possunt. Tractat Physica de Quantitate & Individuationis principio, & ideò de Vniversali necessariò; quî enim cognosci Individuatio poterit, quin cognoscatur abstracta illa natura, quam contrahit. Tractat de Passionibus Entis Metaphysica; nimirùm de Veritate Bonitate, Vnitate & quia Vnitas in Transcendentalem, Vniversalem & Singularem subdividitur, etiam de Vniversalibus. Doctrina igitur de Vniversalibus, universalis est, & necessaria omnibus, ab omnibus solet tractari. Nos omnia hîc seorsim ponimus, ut illam aut Logicus, aut Physicus, aut Metaphysicus, cum velit, perlegere possit.

Quid disputent de Vniversalibus?

Et quid, si non solùm perlegere, sed etiam interlegere nolit? Sic tu. Tibi ego. Et quid si aliter esse doctus non possit? Scio hanc doctrinam à multis, præcipuè Iuristis & Medicis nihili fieri, sed etiam scio nihil illas posse bene cognoscere si illâ careant. Hanc ob rem laudo multos Iuniores, qui summo labore huic controversiæ exhauriendæ insudarunt. Insudavi etiam ego, & attentione tam prolixâ & assiduâ, ut si sincerè loquar, possim dicere me saltem studij & vigiliarum impendisse in hujus rei examine dimidiam partem. Doctissimos Viros consului, sed mihi non satisfaciebant, imò nec sibi dubiis meis ponderatis. Quiescunt animi dum superficie tenus difficultates investigant: turbantur dum profundiùs innatant. Puto me in Metaphysico oceano rarò supernatare: existimo in hac difficultate ipsum mer fundum tetigisse. Tuum erit, Studiose Lector, de veritate judicare.

An rerum sit notitia necessaria?

Quantum in illâ ponderandâ allaboraverim.

DISPUTATIO I.

De Nominum significatione.

An synonyma careant diversitate?

SVnt varia nomina, quibus indigitatur Vniversalitas; varia, quibus Ecceitas; quæ omnia licet synonyma dicantur, videntur exprimere aliquam diversitatem. Non omnia exponam, sed illa quæ in usu sunt in florentissimis scholis.

ARTICULUS I.

De voce Vniversalitas.

De vocibus non Ciceronianis.

PRoscribere eam nonnulli volunt, quòd minus sit Ciceroniana? Philosophi non colimus labium, sed mentem. *Quid obest clavis lignea* (verba Augustini sunt 4. *de doctr. Christ.*) *si per eam id quod volumus licet aperire?* Fastidiat hoc vocabulum Cicero, fastidiant Rhetores; Scholastici indigemus illo, & ideò debemus sustinere.

Vniversale quadruplex.

Quadrifariam dicitur *Vniversale*, nimirum, in causando, in repræsentando, in essendo, & in prædicando.

In causando.

Vniversalis in causando dicitur Deus, & aliæ causæ universales: sed ille absolutè, istæ cum aliqua limitatione. Sub hac significatione hanc vocem usurpavit Varro 2. *De Analogiâ*, dicens, *Quod ad universalem pertinet causam.* Fortè nulla causa secūda est universalis: fortè falsa sunt omnia, aut pleraque quæ traduntur de cœlorum influxu: id non examino: Vocem explico, & ex suppositione procedo.

In repræsentando.

Vniversalis in repræsentando est idêa Artificis, quæ universa in tali aut tali serie repræsentat. Quamobrem *Vniversalissima* Divina dicitur, quòd sit expressio rerum universarum.

In essendo.

Vniversale in essendo est unum in multis nempè unum, quod potest dividi in plura singularia.

In prædicando.

Vniversale in prædicando illud est quod de multis potest prædicari. *Vniversalitas in prædicando* passio est & inseparabilis proprietas ipsius

ipsius universalis in essendo, formalitas enim quæ est in multis, etiam potest de multis prædicari.

ARTICULUS II.

De nominibus Individuum & Singulare.

CCCXVIII. *Ratio nominis.* INdividua dicuntur, quòd dividi ulteriùs non possint. Sunt partes potestativæ speciei. Vocantur etiam *Singularia*: Iuvabit cognoscere rationem vocis. Absoleta sunt plurima Latii idiomatis verba, multa omninò perierunt, aliquorum perennat notitia solummodò apud veteres ex quorum scriptis eruitur à recentioribus.

Signum. *Signum* nota est distinctiva, quâ internoscuntur res, quæ aliâs confusæ. Significat idem quod *Numerus*, unde illa signo distingui possunt, quæ numero. Virgilius *Georg.* 1.

Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.

Conferre signa. *Distinguebantur signis milites.* Ecce in re rusticâ pecudes & acervos signis dispares & discrepantes. Phalanges distinguuntur signis: Plinius libr. 7. c. 25. *Signis collatis quinquagies dimicavit.* Vnde *conferre signa* verbum militare, significat commiscere militem. Signis etiam milites singuli secernebantur: Silius *lib.* 14.

——— *Cujus calata gerebat*
Taurum parma trucem. ———

Et Statius *in Achill.*

Qui pulcher signis auroque asperrimus ardet.

Sed de his signis latissimè in mei Hispani stemmatis cap. 3.

Domus. *Suppellectilia.* Signis domus distinctæ. *libr.* 6. *cap.* 4. Quintilianus; *Taberna autem erant circa forum ad scutum signi gratiâ positum.* Signis utensilia distincta. Virgilius divini operis nooo.

Bina dabo argento perfecta, atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quæ cepit Arisba.

Vrbes, Regna. Signis discretæ Vrbes, imò & Regna. Hodie perennat usus. Legionis regnum habet Leonis symbolum, Galliæ synthema sunt tria lilia. Et naves signis dispares expenduntor curiosè à Bernardo Aldrete *in cap.* 2. *libri* 2. *mihi pag.* 229. libri, cui epigraphe, *Varias antiguidades de España.* Ovidius *Elegiâ* 9.

Est mihi (sitque precor flavæ tutela Minervæ)
Navis, & à pictâ casside nomen habet.

Naves. *Constellationes.* *Signum dare.* Signa translata ad cœlum, & his astra distincta sciunt omnes, qui rem sydeream saltem à longè salutarunt. Signis tempora secernebantur. *Signum dare*, verbum militare est, est tempus indicere, seu significare.

Sigillum. *Signum* per diminutionem *Sigillum* dicitur, hoc est signum parvum Cicero 1. Academ. *Si in ejusmodi cerâ centum sigilla hoc annulo impressero.* Hinc adverbium *Sigillatim*, hoc est, seorsim, distinctè.

Au voca- Vocalis naturâ longa olim geminata apud illustres Scriptores. Victorinus Afer apud Lipsium *de rectâ pronunt. latina ling. cap.* 5. sic ait. *Navius & Livius, cum longa syllaba scribenda esset, duas vocales ponebant.* Quintilianus, *Usque ad Attium & ultra porrectas syllabas geminis vocalibus scripsêre.* Hinc in antiquis manuscriptis sæpè reperias *Amo, amaas, amat, amaamus, amaatis, amant, amaavit, claamaavit, siigillum*, & similia. Imitabantur Græcos, quia si benè examines nil aliud est ω quàm οο. Sic scribimus εἴδωλον quasi εἴδοολον *simulacrum*. σκαιὸς quasi σκαιόος *sinistre* &c. Sic etiam η est duplex litera in opinione aliquorum duplex εε, in aliorum duplex est ει. Scribimus παράκλητος legit quis παρακλιτὸς, & alter παρακλειτὸς. Accinunt sæpè Hispani. Scriptitamus: *Creer, Veer, Fee*, &c. Frequentiùs vocales Belgæ duplicant, ut longas faciant, scribunt loopen currere: heel totus, Heer Dominus &c. *los longa sine duplicent.*

Antiquiores syllabas longas apice notabant. Terentius Scaurus, *Attius geminatis vocalibus scribi naturâ longas syllabas voluit: cum alioqui adjecto vel sublato apice longitudinis vel brevitatis notâ possit ostendi.* Apicem appellat lineolam transversam jacentem super syllaba, ut hodie in usu: nempè, ā. ē. ī. ō. ū. Apex nobis est littera M. vel N. & ideò antiquorum scripta malè legimus, & corruptiùs transscribimus. Reperimus *Quotiēs, totiēs, vicēsimus, aquōsus, formōsus, Pallas pallātis, sermo sermōis.* Vsus & labii & calami jam effert, jam exscribit *Quotiens, totiens, vicensimus, Pallantis, sermonis* (& aliquando *aquonsus, & formonsus.*) *Longa syllaba notata apicibus.* *Apices significare solent M. aut N.*

Hinc est quod scripserunt primò SIGILLATIM, posteà *singillatim*, vel *singulatim*, unde *singularis* (vel ut Antiqui declinabant singularius) idem qui *sigillarius*. Ergo substantiale concretum singulare dicitur, quòd habet materiam signatam aut sigillatam quantitate.

Sed hìc multi Platonici laborant æquivocatione, & vix possunt intelligere Philosophi divini mentem. Idêa sigillum dicitur, etiam eodem nomine donatur Ecceitas: quî vitanda est confusio? Facilè, si annotaveris duplicem sigillationem esse, formalem alterâ alterâ materialem. Formalis sigillatio dat distinctionem specificam, ut si duobus annulis sigilla successivè imprimas in eâdem cerâ; hoc accidit in conversione substantiali, sigillaverat ante materiam Idêa viventis, sed post obitum Idêa cadaveris. *Idea est sigillum.* *Idea duplex.* *Formalis.*

Non aliter, si uno & eidem annulo centum sigilla in cerâ impresseris, omnia centum convenient sigillo formali, different materiali: hoc est, omnia eandem delineationem atque figuram exprimunt? materiâ different, quoniam non habebunt eandem ceram, sed singula prorsùs diversam. *Materialis.*

***

ARTICULUS III.

De individuatione, Eccitate, Hæcitate, Vnitate & Quantitate.

CCCXIX. *Individuatio quid?* INdividuatio ab individuo dicitur, & dicit formaliter indivisibilitatem, quâ suppositum seu Ens, quod erat divisibile in plura differentia numero, ita individuatur ut ulteriùs subdividi non possit.

Quid singularitas? *Singularitas* à sigillo dicitur, ut nuper probavimus. Et definiri potest, *ratio formalis qua constituit naturam singularem.*

Quid Eccitas? *Eccitas* dicitur ab *Ecce*, adverbio demonstrandi, quia Eccitas est formalitas in quâ Petrus distinguitur à Paulo.

Quid Hæcitas? *Hæcitas* etiam audit à pronomine demonstrativo *Hic hæc hoc.* ob eandem causam sunt qui scribunt *Hæcceitas, Quidditas*, &c. sed doceri velim unde didicerint litteras in themate simplices, in derivativis duplicare.

Vnitas transcendentalis. *Transcendentalis Vnitas* ab aliquibus dicitur, rectè Suario *disp. 4. Metaph. sect. 3. num. 12.* quod sit primum attributum Entis, & transcendat omnia existentia; nullum enim de facto datur ens, quod non sit de facto singulare. *An quantitas sit singularitas.* Quod autem de facto non datur, de facto non est Ens, & si potentiâ est Ens, etiam potentiâ est singulare.

Quantitas tandem vocatur singularitas ab Avicennâ (referunt D. Thomas 1. *p. q. 11. art. 1. & in 1. dist. 14. quæst. 1. art. 3. & 4. Metaph. lect. 2.* Averroës 4. *Metaph. comment. 3.* & ex eis Suarius *disp. 4. metaph.*) *sect. 9. num. 2.* ratio nominis est, quia illa distinguuntur numero, quæ singularitate: numerus est quâtitas, ergo.

DISPVTATIO II.

De divisione Substantiæ in primam & secundam.

CCCXX. *An substantia in primam & secundam dividatur?* EXaminare oportet difficultates, quæ nascuntur ex verbis Aristotelis Stagiritæ *de Præd. cap. 5. text. 1.* dividentis substantias in primas & secundas. Missam facio Ammonii sententiam *in exposit. ejusdem text.* cui videtur Stagirita potius recensuisse substantias in prædicamento collocandas, quam aliquam rationem communem divisisse. Cui subscribit Hurtadus *disp. 10. Metaph. sect. ult. §. 4.* asserens in textu non esse hanc divisionem univocam, neque analogam; in margine, substantiæ divisionem non esse in singularem & universalem. Missam, inquam, facio istam sententiam communi oppositam, & viris doctissimis contradicentem, & suppono, benè ab Aristotele & aliis viris doctis substantiam in primam & secundam dividi. Et quia hac resolutione positâ, inquiris, *Quodnam sit divisum in hâc substantiæ divisione?* Respondeo varias esse sententias.

PRIMA SENTENTIA.

An hæc divisio sit æquivoca? AVthores multi judicant hanc divisionem nec univocam esse nec analogam, sed merè æquivocam. Huic sententiæ facillimo negotio subscriberet P. Hurtadus *nuperrime citato loco.* & alii plures. Vt hanc opinionem faciliùs intelligas, annotato æquivocam divisionem esse, cùm nomen dividitur, non tamen significata ratio, quoniam hæc non est una. *Sic arietem* æquivocè in sydus, animal, & bellicum instrumentum distribuo, quia membris dividentibus nihil est commune præter nomen. Probatur hæc sententia sic.

I. Substantia prima est substantia singularis, substantia secunda est substantia non singularis: ergò opponuntur contradictoriè. *An contradictoriis respondeat conceptus communis?* Atqui contradictoriis nullus conceptus objectivus esse potest præter nomen merum: ergò nomen est quod in hâc divisione dividitur, non res significata. Minorem probant, quia nullus conceptus potest esse communis Enti & non Enti.

II. Membrum dividens, (si divisio non sit nominis æquivoci, sed alicujus formalitatis objectivæ) debet includere totum divisum & illi addere aliquam rationem contractivam; hoc non accidit in hâc divisione: ergò non dividitur ratio aliqua objectiva, sed solùm nomen. Major est certa, quia animal dividitur in rationale, hinnibile, rugibile &c. Homo dicit totam essentiam animalis, & addit rationalitatem; sic similiter Leo includit totum animal, & rugibilitatem superaddit: Minorem autem probant. Substantia, quæ dividitur est substantia universalis, & dividitur in primam & secundam, hoc est, in singularem & universalem: ergò hoc membrum dividens, scilicet substantia secunda, nihil addit supra rationem divisi.

***

VERA

VERA SENTENTIA.

CCCXXI. *[An hæc divisio sit univoca?]* ALij affirmant hanc divisionem non esse æquivocam, hoc est nominis; sed vere univocam & realem. Ratio est; quia ipsius divisum est formalitas realis objectiva, quæ dividitur materialiter in substantias primas, & formaliter in substantias secundas. Cæterùm illa dividuntur formaliter, quæ dividuntur per differentias formales: illa autem materialiter, quæ per differentias materiales, coloratum primò potest dividi materialiter in varia subjecta, ut cùm dicimus, coloratum aliàs est homo, aliàs est brutum, aliàs est lapis; Secundò potest dividi formaliter, ut cùm in species essentiales per formales differentias distribuitur; ut cùm dicimus, colorati species sunt album, nigrum, purpureum, argenteum &c. Dicunt igitur substantiam dividi in primas & secundas, non divisione simplici, sed duabus. *[Divisio materialis.]* Primò dividitur in primas materialiter, & hæc divisio dicitur speciei in individua, quia substantia respectu substantiæ A, & substantiæ B. est species; *[Differentia materialis.]* Ecceitates autem sunt differentiæ materiales, Secundò dividitur substantia formaliter in substantias secundas, *[Divisio formalis.]* nempè in viventem & non viventem, vivens in sensibilem & insensibilem, quæ omnes sunt secundæ substaoriæ.

Has esse duas diversas divisiones substantiæ, & non eandem, probant, quia Philosophus non divisit substantiam in primam & secundam, ut perperam crediderunt illi, qui originalia non viderunt: dixit priùs dari primas substantias, & quid essent exposuit. Posteà dixit dari substantias secundas, & hæ sunt species formales substantialis concreti, seu completæ substantiæ.

Hæc opinio meo judicio certissima est: & ex dictis constat quid argumentis respondendum sit: hic enim non est unum divisum, sicut nec una divisio; illa autem procedunt ex hypothesi, quæ est protsus falsa.

Vnum & multa comparantur.

CCCXXII. DIvisioni substantiæ in primam & secundam, si nolumus disputare de vocibus, æquivalet divisio Entis in unum & multa. *Vnum* in hâc divisione Ens universale est, & *Multa* sunt particularia Ideò Philosophus *libr. 4. Metaph. cap. 2.* docuit *Vnum* & *Multa* privativè opponi, (meliùs diceret, *opponi præcisivè*) quia *Vnum* significat Ens privatum (præcisum) ecceitatibus, *[Quo modo opponantur?]* *Multa* verò dicunt Ens ecceitatibus multiplicatum. Hæc est vera Philosophi explicatio; quâ plurima testimonia sunt pervia, sine quà authores plurimi toto cœlo à mente Aristotelis declinaverunt.

Hâc ideâ instructus poteris alia Aristotelis loca restituere, alia explicare *lib. Metaph. 10. cap. 1.* scotit non opponi relativè realiter & meritò; quia opponuntur relativè formaliter, seu ex naturâ rei: quia *Vnum* non distinguitur realiter à multis, universale enim non distinguitur realiter à singularibus; aliàs enim omnes enuntiationes primi & secundi Prædicabilis essent falsæ.

Non opponi dicit contradictoriè, quia species & individuum differunt tanquam includens & inclusum, Species potentiale totum est, & potentialiter individua includit: individuum quodlibet totum formale est & componitur specie & ecceitate.

Doctor Angelicus 1. *part. quæst. 11. art. 2.* asserit hanc oppositionem accedere potiùs ad privativam, eo sensu quo in limine articuli exposuimus. *Vni*, inquit, D. Thomas, *opponuntur Multa, ut indivisa* (hoc est, *membra dividentia*) *divisio.*

Divisio Vnius in Multa est eadem ac illa, *[Divisio unius in multa.]* quâ dividitur substantia in primas. Sæpe enim Aristoteles prodigus formalitatum Metaphysicarum nomenclator, ea ndem rem diversis donavit nominibus, ut se auditoribus accommodaret. Vna substantia dividitur in primas multas: hoc est Vnum in Multa.

Hæc est prima atque præcipua Entis-Vnius divisio, ut Soncinas 10. *Metaph. quæst.* & alii multi contendunt apud Suarium *disp. 2. Metaph. sect. 4. num. 2.*

Nec ineptè Aristotelem exponeres, qui assereres in hâc divisione divisum esse in individuum, & dividi in unum, hoc est in quantum numericè: & multa, hoc est, in quantum discretè. Quantitas enim discreta nihil aliud est quàm multæ unitates. *[Quid sit discreta quantitas?]*

Sed quidquid sit de mente Aristotelis, quæ videtur ex dictis illustrior & clarior evasisse, nos ad solidiora progrediamur.

realiter, & unus moraliter, aut virtualiter. An-ne, ut & ſimus unus, ponitur unum tertium, cui identificemur? Nullo modo. Sine poſitione hujus tertii Chriſtus & ego identificamur, & diſtinguimur: ſumus idem, & non ſumus idem: realiter enim diſtinguimur, & moraliter identificamur. Sanè iſtæ poſitiones *Ego ſum Chriſtus*, & *Ego non ſum Chriſtus*, ſunt ſimul veræ; nec ideò licet inferre duas contradictorias concedi, quia verificatur in ſenſu morali illa prior, & in reali hæc poſterior,

Concluſio. Stat ergò poſſe dari diſtinctionem & identificationem inter duos terminos, quin recurratur ad tertiam formalitatem utriq; termino communem: modò mutetur ſenſus, & quod de uno aſſeritur, de alio negetur. Sed qui ſunt iſti ſenſus? Iam expono.

ARTICULUS III.

De Diſtinctione Dionyſiana ſeu priſca, & ſenſibus Propoſitionum.

CCXCIX. PRopoſitiones ſumuntur in diverſis ſenſibus, cùm ſubjecta reducuntur ad diverſum ſtatum. Nemo eſt Philoſophus, nemo Theologus, qui illorum varietatem non noverit, & ideò nil novi docemus. Cæterùm quia eſt mirabilis illorum uſus, voſo hic inhærere tantiſper, & explicare aliquos ſenſus. Multos poſſem; hos tamen paucos digniores notitiâ ſubſcribo.

Enumerantur varii ſenſus.

RES, vel ſumuntur:
- realiter. *Et tunc vel ſupereſſentialiter, vel eſſentialiter, vel ſingulariter (individualiter) vel perſonaliter (ſuppoſitaliter.)*
- intentionaliter. *Et tunc vel ſenſualiter, vel intellectualiter.*
- moraliter ſeu virtualiter. *Et hoc etiam multis & variis modis.*

Cur ejuſmodi diſtinctio Priſca, & cur Dionyſiana nominetur? Poſſem in ſingulorum expoſitione hærere; ſed terminorum claritati, & aliorum ingenio & doctrinæ confidens uberam potero brevitatem ſervare. Et quidem ex varietate iſtorum ſenſuum naſcitur formalitatum divinarum aut etiam hypoſtaſeon ratio, conſtitutio & diſtinctio; quas *Priſcas* & *Dionyſianas* dicemus: priſcas, quòd ad mentem veterum videantur poſitæ, abſunt enim à Iuniorum doctrinâ: Dionyſianas, quòd videantur ex Dionyſio deſumptæ; ipſe enim præcipuè adverbiis ejuſmodi uſus fuiſſe dignoſcitur. Hæc ſufficiat adnotaſſe de nomine, ad rem & ſenſus venio: libabo ſingulos ſi quidem uberiores texere commentarios non volo.

ARTICULUS IV.

Quo ſenſu Deus ſit omnia?

SVnt teſtimonia in Sacrâ Paginâ, quæ videntur aſſerere Deum eſſe omnia; ſunt rationes, quæ videntur probare nihil in rebus poſſe inveniri præter Deum: & tamen ſenſus & experientia monſtrat nec Deum eſſe creaturam, nec hanc Deum. Quid ergò dicam de iſtis propoſitionibus? videlicèt. CCC.

Deus non eſt lapis.
Deus eſt lapis.
Deus eſt lapidem.

Reſpondebo duas primas eſſe veras: ſed diverſo ſenſu. Ergò inter Deum & lapidem datur ſimul diſtinctio & identificatio, infers: & adquieſco. Ergò vis tibi oſtendi formalitatem aliquam communem Deo & lapidi, ut in illâ, aliàs diſtincti, Deus & lapis identificentur. Et reſpondeo fruſtrà illam quæri: nam prima propoſitio eſt vera in ſenſu eſſentiali, & ſecunda in ſupereſſentiali & eminenti. Sanè Deus eminenter omnium creaturarum perfectiones complectitur: & omnes iſtæ eminenter ſumptæ ſunt in Deo. Hæc propoſitio, *Lapis eſſentialiter ſumptus non eſt Deus*, vera eſt: falſa hæc *Lapis ſupereſſentialiter & eminenter ſumptus non eſt Deus*: lapis enim, ut ſupereſſentialiter & eminenter ſumatur (ſic accipimus terminos) debeſet carere omni imperfectione: &, ut careat omni, debet eſſe, non in ſe, ſed in Deo: & quo ſenſu eſt in Deo, illo eſt Deus: omnes enim creaturæ eminenter reperiuntur in Deo; & prout reperiuntur in Deo, ſunt Deus, juxta illud Ioannis. 1. 1. *In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum*: &c.

An Deus ſit lapis? & quo ſenſu? Lapis ſupereſſentialiter ſumptus.

Vt intelligam tertiam propoſitionem, adnotabo *eſſe* vel ſumi activè vel identicè: cùm identicè connectit caſus ſimiles, ut cum dicimus *Petrus eſt homo*: vel. *Libet Joanni eſſe pauperi*: & hoc juxtà Grammaticam communem: at verò, quando activè ſumitur, regit accuſativum. Vix *eſſe activum* in creaturis reperio, at in Deo reperio ad intrà & ad extrà. Deus non eſt creatura, ſed creaturam. Pater non eſt Filius, ſed Filium: Pater & Filius non ſunt Spiritus ſanctus ſed Spiritum ſanctum: *eſſe* enim cùm activè ſumitur ſignificat terminum aliquem producere ſeſe eſſentialiter communicando.

Verbum Sum activè ſumptū quid ſignificet?

ARTICULUS V.

De unitate ſpecificâ & multiplicatione numericâ.

PRogrediamur ulteriùs, & ſenſum eſſentialem & ſingularem explicemus. Hæ propoſitiones. CCCI.

Petrus

Quo sensu singulares distinguantur & identificentur?

Petrus & Paulus distinguuntur, & non identificantur.
Petrus & Paulus non distinguuntur, sed identificantur.

sunt veræ.

Assentiuntur Iuniores, & se rem intelligere putant; quoniam reperiunt tres formalitates; Petreitatem, Pauleitatem, & rationem communem hominis. Petrum & Paulum, ajunt, ratione singularitatum (Petreitatis & Pauleitatis) non identificari, sed distingui; & in ratione communi hominis non distingui, sed identificari. Sic hodiè Philosophi universi, vel ferè. Sed cur homines discerpuntur in partes; & sine necessitate tertium illud fingitur vel requiritur? Pronuncio Petrum & Paulum sumi essentialiter vel singulariter: sumptos modo isto ultimo distingui realiter: sumptos autem primo non distingui, sed identificari: non uni tertio, nam nullum datur: non inter se ita ut maneant duo homines formaliter distincti & realiter identificati: sed ita ut coëant in unam simplicissimam realitatem, quæ formalitatibus careat.

ARTICULUS VI.

De multiplicatione personali: & sublimi Trinitatis mysterio.

CCCII. ADhuc ulteriùs pergo: oculos ad Deum & cœlum subrigo, & in essentiæ unitate tres personas, & in personarum trinitate unicam & simplicem essentiam veneror. Illam tremebundus adoro: quia *ubi quæritur Unitas Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti: nec periculosiùs alicubi erratur, nec laboriosiùs aliquid quæritur, nec fructuosiùs aliquid invenitur. Non pigebit me, sicubi hæsito, quærere: nec pudebit, sicubi erro, discere:* sed ab illo, qui me possit docere.

Augustinus lib. de Trinitate.

Scholasticorum ego hodiè discipulus esse non volo, quoniam ingenii acie Deum dividunt, quem esse omninò indivisibilem à Patribus antiquis doceor. Gregorius in moralibus: *Apertè tunc videbimus, quomodò & unum indivisibile tria sunt, & indivisibiliter tria unum.* Et tamen Scholastici Deum in Essentiam & quatuor Relationes (Paternitatem, Filiationem, Spirationem activam & passivam) dividunt, & formalitates Patri aut etiam Filio attribuunt, quas negant Spiritui sancto; undè plures formalitates Trinitas simul sumpta, quàm una persona complectitur: & hoc contrà veteres Patres & Augustinum præcipuè, qui *lib. 6. de Trinit.* sic inquit. *In summâ Trinitate tantùm est una* (persona) *quantum tres simul sunt: ita & singula sunt in singulis, & etiam omnia in singulis, & singula in omnibus, & unum omnia.*

Deus est trinus & unus.

Si ergo Scholastici Patribus non videntur cohærere, quò debebimus tandem recurrere? Ad ipsos Patres, ut ad fontem. Negandæ erunt omnes istæ formalitates & præcisiones objectivæ, quas Scotus & D. Thomas, tametsi iste aliter, indivisibili Numini adscripsit; & sensûs essentialis & personalis, paulò antè insinuata distinctio est benè intelligenda, & assumenda. Illam me docent Veteres, illam Ecclesiastici Authores, illam Hymnus, quem cantamus sabbato ad Matutinum: in quo lego,

Summa Deus clementia,
Mundique factor machinæ,
Unus potentialiter,
Trinusque personaliter.

illam me ratio, & pietas Scholastica docent. Non est Personalitas (nota hoc benè) aliqua formalitas aut realitas à naturà distincta, ut Scholastici putant: sed est alius modus essendi ejusdem realitatis. Pono ob oculos has propositiones.

Quid subsistentia sit?

Pater identificatur Filio.
Pater distinguitur à Filio.

& utramque veram esse pronuncio. An fortè ideò Pater Filio identificatur, & simul non identificatur; quia sunt tres ibi formalitates (Paternitas, Filiatio, Divinitas) & ipsi in Divinitate identificantur, & in relationibus non identificantur? Non ideò: nam Pater non componitur ex duabus formalitatibus, Paternitate & Divinitate: nec Filius ex aliis duabus, videlicèt, Filiatione & Divinitate: sed Pater est simplicissima realitas; & Filius est simplicissima realitas: & Spiritus sanctus est simplicissima realitas: at ipsi duobus modis sumuntur. Sumpti personaliter sunt tres realitates infinitè distinctæ: Sumpti essentialiter sunt unus Deus infinitè simplex, in quo nullam compositionem possit mens invenire vel facere. Divinæ ergò Personæ; omnes, omnes, seorsim aut simul sumptæ, sunt unica realitas: nimirùm, superessentialiter, essentialiter, & singulariter; at verò personaliter sunt tres hypostases, & tres entitates relativæ: in Deo enim est unica eminentia naturæ, unica superessentia, unica essentia, unica singularitas; sed tres personæ.

Quomodo salventur contradictoria prædicata?

Deus trinus & unus.

ARTICULUS VII.

De unitate personali, & Incarnationis mysterio.

CCCIII. HInc patet Scholasticos non solùm in Trinitatis, sed etiam in Incarnationis conceptu exorbitasse. Id sic exponunt. Ajunt in Verbo personalitatem distingui formaliter (virtualiter alii dicunt, sed magnâ improprietate vocabuli) à Divinitate, & naturam humanam fuisse personalitati Verbi unitam. Sed cur Verbum exciditur in partes? Cur de unione hypostaticâ tàm multæ & tàm superfluæ controversiæ in Scholâ agitantur? Vnio ab extremis distincta necessaria

Exponitur incarnationis mysterium.

non est; distinctio formalitatum in Deo indecens est: & tamen Mysterium Incarnationis verum est. Sed quomodo? Chrysostomus homil. 5. *Scio quod Verbum factum est, & quomodo factum sit nescio*: & ne quærendo alium Magistrum fatigeris, subjungit: *Quod ego nescio, omnis creatura ignorat.* At non obstante hac ignorantiâ scimus illo modo non contigisse Incarnationem, qui componi cum Mysterio non potest. Rem ipsam Fides docet & Bernardus *Serm. 3. in Vigil. Nativ.* sic exponit. *Verbum, Anima, & Caro, in unam convenere personam: & hæc tria unum, & hoc unum tria sunt; non in confusione substantiæ, sed in unitate personæ.* Et quidem quomodo hæc vera sint stando Scholasticorum doctrinæ non benè intelligere possum: adeòque debebo positis principiis insistendo veritatem rimari. Pronuncio igitur has duas propositiones,

Verbum est Homo.
Verbum non est Homo.

veras esse, falsas esse. Si primam sumas personaliter, & secundam essentialiter, utramq; admitto: si contra, nego: Verbum enim personaliter sumptum est homo: & essentialiter sumptum non est homo: & ubi datur identificatio, nexus realiter distinctus, quem Recentiores interserunt, superfluus est. Quid in re tàm sublimi & difficili faciliùs & clariùs dici posset?

An Deus mutetur?

Sed dicet aliquis ex hac doctrinâ sequi Deum mutari. Sequelam nego. Probat, quoniam Verbum ante annos bis mille realiter non identificabatur Homini: & ab Incarnationis instanti identificatur Homini. Ergò aliter se habet quàm habebat: Ergò mutatum est. Respondeo mutationem negando: nam in æternitate non dantur anni; non prius non posterius: quoniam universa sunt simul.

In Æternitate prius & posterius non datur.

Dei & Hominis identitas personalis.

Dicet alius, creaturam nullo sensu posse identificari Conditori: esset enim indecens & physicâ repugnantiâ non caret. Respondeo hanc propositionem, *Deus est Homo*, à nemine Christiano negari: & sine identitate personali eam esse veram non posse. Agimus, non de re, sed de modo explicandi, & ego in identificatione personali Dei & Hominis nec indecentiam neque repugnantiam percipio: nam multis aliis sensibus Creatura & Creator identificantur, cur ergò in sensu personali non poterunt? Antecedens ostendo; nam Sacerdos cùm celebrat missam, cùm sacramentaliter absolvit reos, moraliter est Christus. Creaturæ omnes eminenter & superessentialiter sumptæ, sunt Deus: & cognitio mea, quâ Deum cognosco, intentionaliter est Deus: ita Salmanticenses *tract. 3. de Scientiâ Dei disp. 2. dub. 2. §. 11.* non ergò repugnabit, quòd Deus & Homo in Christo personaliter identificarentur.

Identitas moralis:

Identitas intentionalis.

ARTICULUS VIII.

De distinctione Divinorum Attributorum ab Essentia.

CCCIV

An attributa distinguantur formaliter?

Consequentia doctrinæ postulat, ut omnem etiam virtutum moralium distinctionem in Divinis negemus: maximè, cùm illam etiam negemus in humanis: nam admissis præcisionibus formalibus aut objectivis, non est opus virtutes has realiter multiplicari. Idem nummus, si datur victori, est *Latrum*; si nautæ, *Naulus*; si Magistro, *Minerval*; & si egeno, *Eleemosyna*: & similiter eadem voluntas (Divina, humana) si dat unicuique quod suum est, vocatur *Justitia*: si favet miseris, *Misericordia*: si amat se alieni, *Amicitia*: si sibi aliquid, *Concupiscentia*. &c.

Qualia sint attributa in Deo?

Multi in homine realiter distinguunt has virtutes, & in Deo formaliter: non adquiesco: qualitates ejusmodi (reales sint aut rationis) superfluæ sunt: omnia enim diversis expressionibus & relationibus salvantur: & certiùs in Deo, quàm in Homine: compositio enim in Homine tolerabilis est, in Deo non est, undè Mellifluus meus Bernardus, *Deus amat ut charitas, novit ut veritas, sedet ut æquitas, dominatur ut majestas, regit ut principium, tuetur ut salus, operatur ut virtus revelat ut lux, assistit ut pietas.* Ita Doctor Sanctissimus 5. *de considerat. cap. 5.* Unde colligo Charitatem, Veritatem, Æquitatem, Lucem & Pietatem, in Deo plura esse nomina, & unam indivisibilem rem.

Qualia in homine?

An in Homine aut Angelo eodem modo poterimus philosophari? Omninò: imò & debemus, si Paulum legere & sequi velimus. 1. *Corint. 13.* ille sic inquit. *Charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati; omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.* Verba sunt quidem aurea, & quæ commentario non indigent: sed quia multas illa consequentias parturiunt, debebunt breviter dilucidari. Sic inquam. Charitas, quia patiens est, *Patientia* dicitur: quia est benigna, *Benignitas*: quia nemini invidet aut æmulatur, sed omnibus favet, *Amicitia*: quia non agit perperam, sed omnes virtutes exercere conatur, *Studiositas*: quia non inflatur, est *Humilitas*; quia dignitates & honores non ambit, est *Modestia*: quia non quærit propriam commoditatem, sed Dei majorem gloriam & publicæ rei utilitatem, nominatur *Politica*: quia non irritatur *Tolerantia*: quia ne quidem malum cogitat, *Puritas*: quia contumacis resolutionis nescia, de commissâ dolet iniquitate, dicitur *Pœnitentia*: quia omnem detestatur hypocrisin & veritate gaudet, nuncupatur, *Sinceritas*: quia se & omnia sua concredit Deo, dicitur *Resignatio*: quia omnia sperat in Deo, *Fiducia*: & quia omnia sufti-

Quo modo virtutes distinguuntur?

sustinet in Deo, *Fortitudo* vocatur. Posset & Paulus progredi, & ego sequi: semper tamen multiplicatis expressionibus & denominationibus, essemus habituri multa connotata & vocabula, at unam & solam Charitatem. [Hæc de virtutibus moralibus-supernaturalibus dicta sint: similia poterimus de naturalibus-moralibus dicere: sicut enim una & eadem Charitas, quæ est quædam voluntas supernaturalis, multas & varias denominationes sortitur; sic etiam ipsa voluntas naturalis, nimirùm, in homine, qui virtutes morales habeat & destituatur Charitate.

ARTICULUS IX.

An sint infinitæ perfectiones in Deo? An & ipsæ distinguantur formaliter?

CCCV. DEus omnes possibiles perfectiones complectitur: nimirùm infinitas: sed quo illas modo? An sicut Animal & Rationale apud Scotistas & Thomistas sunt duæ perfectiones formaliter distinctæ, quæ constituunt Hominem; ità erunt infinitæ perfectiones, formaliter distinctæ & realiter identificatæ, quæ constituant Deum? Compositionem hanc non toletat Dei infinita Simplicitas, hanc non patitur simplicissima Infinitas: omnes enim perfectiones finitæ, tametsi distinctæ aut oppositæ, in Infinitate coincidunt. Continet ergò Deus omnes perfectiones possibiles, et istæ in infinito Deo non sunt multæ perfectiones identificatæ, sed sunt unica indivisibilis, & quæ mente scidi non possit, perfectio.

Resolutio.

CCCVI. Vt demonstrem hoc ultimum sumo lineale & circinum & ad Geometriam, clarissimam Scientiam, recurro; duco lineas A B, & OCI. & arcum ACB. & sic discurro. Rectitudo, Concavitas, & Convexitas, sunt differentiæ constitutivæ & distinctivæ in lineis finitis quas nos tendimus, at cùm venitur ad corpus infinitum, coïncidunt. Arcus ACB similior erit lineæ rectæ OCI quo major sit diameter AB: ergò si ista sit infinita, erit illa infinitè similis, adeoque recta: & cùm arcus in rectam transit, Rectitudo, Concavitas, & Convexitas non distinguuntur. Hinc patet non malè dici à multis, positâ diametro infinitâ ponendam pro circumferentiâ lineam rectam.

De lineâ rectâ & curvâ.

Considera figura 24. Logicam.

Considera eamdem figuram 24 ad literas MNP.

Hexagonum in Trigono conspicio: non æquantur. Si concentrica sint, semper manebunt anguli, in quibus alterius pars sit, alterius verò pars non sit. Crescant, crescant: quamdiù finita sint, tamdiù erunt differentia; tamdiù inæqualia. Finguntur crevisse infinitè: Ergò coincident: nec erit angulus, quem Triangulus impleat, Sexangulus verò non impleat. Erunt igitur in illâ hypothesi Triangulus, Sexangulus & Circulus una figura. Ergò hæc figura infinita eminenter erit Triangulus, Sexangulus & Circulus: Ergò etiam eminenter Quadrangulus, Quinquangulus, Septangulus, Octangulus, &c. qui non est major ratio unius, quam alterius: ergò corpus hoc infinitum habebit eminenter omnem figuram, & tamen formaliter nullam figuram. Peto. An-ne in hac superficie infinità condistinguemus mente tres partes mutuò se excludentes, ut Thomistæ & Scotistæ in Homine Animal & Rationale condistinguunt, & dicemus, hæc pars hujus infinitæ superficiei est infinitus Circulus, illa infinitus Sexangulus, & illa infinitus Triangulus? Non quidem. Quid ergò? Dicamus totam hanc superficiem esse infinitum Triangulum, totam esse infinitum Sexangulum, totam esse infinitum Circulum. Ergò eodem omninò modo de perfectionibus, quæ in Deo, philosophare. Inter alias hæ mihi notæ: nimirùm *Essentia, Existentia, Vita, Perceptivitas, Spiritualitas, Intellectualitas, & Supernaturalitas.* Quamdiù istæ considerantur in creaturis distinguuntur, aut etiam condistinguuntur, si velis: cùm autem cogitantur in Deo, & esse infinitæ noscuntur, coïncidunt. Non possum in Deo duas formalitates objectivas excidere, quarum altera sit Existentia, altera Vita; hæc enim realitas, quæ dicitur Deus, supereminenter est Essentia, supereminenter Existentia, supereminenter Vita, supereminenter Perceptivitas, Spiritualitas, &c. & formaliter tantùm Divinitas, hoc est, Infinitas. Hinc est nos non posse Deum in formalitates objectivas dividere, ità ut concipiamus Existentiam abstractam à Vitâ, Vitam abstractam à Spiritualitate, sed debere aut Deum non concipere, aut totum concipere, & ejus simplicissimam Divinitatem venerabundos adorare.

Corporis infiniti figura.

An perfectiones divinæ distinguantur formaliter?

An-ne hinc sequitur nullam omninò distinctionem esse inter Divinas perfectiones? Non sequitur: & si sequeretur, nihil inde suboriretur mali. Sequitur saltem nullam intercedere intrinsecam: quoniam distinctiones extrinsecæ, quæ in creaturis sunt, Deumque denominant extrinsecùs, nullam imperfectionem involvunt.

An saltem distinguantur extrinsecùs?

Dico igitur primò, gradus Essentiæ, Existentiæ, Vitæ, & cæteros, quos enumerabam distingui in Deo fundamentaliter, hoc est, distingui realiter in creaturis, quæ sunt fundamentum undè extrinsecè denominamus Deum præditum hac vel illâ perfectione, quam in illis percipimus.

Distinctio fundamentalis qualis sit?

Dico secundò, eosdem gradus distingui in Deo conditionaliter; quia ideò in unum coincidunt, quia Deus est infinitus; undè si ille infinitus non esset, realiter distinguerentur [plures pauciores-ve, prout magis aut minùs diceretur finitus.]

Distinctio conditionalis, qualis?

Dico tertiò, eosdem in Deo distingui realiter participialiter, quia tametsi in causa (hoc est in Deo) omni distinctione illi careant: in effectibus sunt distincti realiter; & cum hac illi distinctione possunt & solent humanitùs participari.

Distinctio participialis, qualis sit?

Distinctio causalis, qualis sit?

Dico quartò eosdem distingui in Deo causaliter, penes diversa connotata: Deus enim prout producit *Verbum*, vocatur *Intelligens*; & prout Pondus, *Amans*: prout omnia possibilia potest, *Omnipotens*; prout nullo Angelico aut humano sermone sufficienter describitur, *Ineffabilis*; prout nullis est perceptibilis oculis, *Invisibilis*; prout incapax finis, qualem habet magnitudo nostra, aut etiam duratio nostra, *Immensus*, *Æternus*, *Immortalis*, &c. Et tamen quibuscumque distinguatur nominibus, unicus & simplicissimus ipse est, & tota ei adscripta distinctio est quædam denominatio extrinseca uno aut altero modo desumpta à distinctione creaturarum.

Nomina Dei.

ARTICULUS X.

De continentia eminenti & supereminenti. Quomodo sint omnes creabiles perfectiones in Deo? Quomodo Materialia in spiritualibus?

CCCVII *An superiora ab inferioribus distinguantur formaliter.*

Divinæ Simplicitatis eminentiam *Supereminentiam* nominavi, ut ab Humanâ distinguerem, nam reperiuntur prædicata in creaturis, quæ in inferioribus distincta sunt realiter, & in superioribus & nobilioribus substantiis ità coincidunt, ut neque in formalitates objectivas possint mentis acie dissolvi.

Puto in Homine omnium ignobiliorum creaturarum perfectiones & dotes, [& præcipuè *Essentiæ*, *Existentiæ*, *Vitæ*, *Sensibilitatis*, & *Rationalitatis* gradus] nobiliùs & eminentius reperiri, quàm in Brutis, quàm in Plantis, Elementis, &c. at eosdem ipsos, quos concedo extrinsecùs distingui in Homine, habere aliquam distinctionem intrinsecam (aut Scotisticam, ab intellectu inventam; aut Thomisticam, ab intellectu factam) nego: nego.

Homo umbra Dei.

Vt benè negare me ostendam, Deum cum Homine, hunc cum illo compono. Homo profectò umbra Dei est, ad imaginem & similitudinem ejus effectus; & tametsi eum à Deo removeat infinita distantia (nam inter Infinitum finitumque nulla est proportio) in multis, & in Animæ Simplicitate præcipuè, similitudinem habet.

Omnes in homine perfectiones creatæ.

Dixi in Homine omnium creaturarum perfectiones inveniri: & hoc didici à Christo qui apud Ioannem *cap.* 16. indixit Discipulis suis, *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*: & tamen non lapidibus, non arboribus, non brutis: quomodo ergò omni creaturæ? S. Gregorius *Homil.* 29. *in Evang.* rem exponit. *Nunquid, Fratres mei, sanctum Evangelium, vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum, ut de eo discipulis dicatur*, Prædicate omni creaturæ? *Sed omnis creaturæ nomine signatur Homo. Omnis enim creatura aliquid habet Homo. Habet namque commune esse cum Lapidibus, vivere cum Arboribus, sentire cum Animalibus, intelligere cum Angelis. Si ergò commune habet aliquid cum omni creaturâ Homo, juxtà aliquid omnis creatura est Homo. Omni ergò creaturæ prædicatur Evangelium, cum soli Homini prædicatur.*

Homo omnis creatura.

An rationalitas hominis & angeli eadem sit.

Addidi omnium creaturarum (saltem materialium) perfectiones, quæ in ignobilioribus substantiis distinguuntur realiter, in Homine eminentiùs existere, & omni distinctione carere. Magna hæc simplicitatis, quam noster habet Animus, laus. Vt Divinam Simplicitatem explicarem, advocavi Geometriam: & nunc ut Humanam dilucidem, Arithmetica sit advocata.

Species sunt sicut numeri, ait Arist. 8. *Metaph. text.* 10. nemini igitur injurii erimus, si eas ad ordines & classes reducentes, ignobilissimas, hoc est, corporeas esse, ut 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. dicamus: nemini, si secundam classem, quæ spirituales dotes & prærogativas complectitur, ad 100. usque dilatemus: nemini, si tertiam, quæ supernaturales gratias & lautus capit, ad 1000. protendamus. Et stante hac hypothesi, sic discurrimus. Duodenarius, numerus secundæ classis est, unicus, & tamen complectitur sexies Binarium, quater Ternarium, ter Quaternarium, & bis Senarium. Ergò Binarius perfectiùs est in Duodenario, quàm in se ipso; quia in illo est sexies, & in se semel: Ergò Ternarius Quaternarius, & Senarius nobiliùs in Duodenario sunt, quàm in se ipsis; quia in se sunt simul, in illo pluries. Et his consideratis doctissimum quemque Formalistam provoco, & inquiro, An possit in Duodenario quinque realitates, aut etiam formalitates dividere, quarum prima sex Binarios contineat, secunda quatuor Ternarios, tertia três Quaternarios, quarta duos Senarios, quinta unum Duodenarium? Sanè non poterit: unus enim & idem numerus, qui eminenter est sex Binarii, quatuor Ternarii, tres Quaternarii, iste ipse formaliter unicus Duodenarius est. CCCVIII

Considerantur hæc doctrina.

Ergò siquidem species sicut numeri sunt, de illis sicut de numeris philosophemur. Perseitas, Progressibilitas, Vitalitas & Sensibilitas (gradus sunt & prærogativæ materiales) sint ut numeri 2. 3. 4. 6. Anima rationalis, ut 12. ergò illæ ipsæ in Animâ rationali continebuntur eminenter, adeòque perfectiùs & nobiliùs, quàm in se ipsis: nam Perseitas Humanæ Animæ est sexies nobilior lapidum & metallorum Perseitate: [sexies, inquam, quia consto hypothesi.] Progressibilitas & Agilitas Humanæ Animæ est quater excellentior Cœlorum & Syderum progressibilitate; aut aliorum quorumcumque corporum si Astris vitam purè loco-motivam, quam Eusebius Nierenbergius in Philosophiâ curiosâ eis concedit, negemus. Vita Animæ rationalis est ter dignior & melior plantarum & arborum vitâ. Et quidquid de externis sit sensibus, Phantasia, & reliqui sensus interni in Homine duplò sunt perfectiores,

Gradus Entis.

An Astra vivant?

ctiores, quàm in bruto. At Rationalitas semel in Hominis Anima reperietur, non pluries. An-ne Animam in formalitates natura rerum patens (quod vult Scotus) aut saltem nostra mens (quod vult D. Thomas) distinguet? An-ne Rationalitatem ab Animalitate, Sensibilitatem à Vitalitate, &c. poterit aliquandò præscindere? Tunc, cùm in Duodenario tres Quaternarios à quatuor Ternariis separabit. Existunt ergò omnes formalitates objectivæ; quia in Homine enumeratæ perfectiones non distinguuntur distinctione ullâ intrinsecâ, sivè ipsa realis, sivè ex naturâ rei, sivè formalis, sivè rationis ratiocinatæ nominetur: at quia extrinsecæ distinctiones non obsunt, easdem fundamentaliter, conditionaliter, & etiam causaliter distingui dicamus. Fundamentaliter, quia in substantiis imperfectioribus & ignobilioribus realiter distinguuntur, & hinc sumimus fundamentum, ut in Rationali Animâ, in quâ ob eminentiam coïncidunt, diversis nominibus extrinsecùs condistinguantur. Conditionaliter; quia, si non essent in Anima, sed in seipsis, realiter distinguerentur. Et causaliter etiam, quia una & eadem Anima diversos effectus producens (illos nempè, quos causæ realiter distinctæ solent) etiam extrinsecùs ab eisdem effectibus distinguitur & denominatur.

Distinctio fundamentalis: Distinctio conditionalis. Distinctio causalis.

Sicut perfectiones omnium creaturarum materialium sunt eminenter in Anima humana, quæ formaliter est Rationalis: Sic ipsamet potest esse eminenter in creatura aliqua nobiliore: nam Duodenarius, qui formaliter est duodenarius & eminenter Binarium, Ternarium, Quaternarium, & Senarium complectitur, eminenter clauditur in Sexagenario, commodissimo numero, in quo Astronomi multos inferiores reperiunt.

CCCIX. *Discrimen divinæ & humanæ eminentiæ.*

Eminentia creata à Divinâ distinguitur, ut gradus intermedius à summo, ut finitum ab infinito: quia Anima rationalis v.g. ignobiliores eminenter continet, & ipsa à nobilioribus (puta ab Angelis) continetur: at Deus est ultimum continens, omnia enim eminenter continet, & à nullo nobiliore (quoniam ultrà infinitum, nihil est) capitur aut continetur.

Numeros esse rerum species dixerat Aristoteles, dixi & Ego: & similitudinem esse aptissimam demonstrare videtur Hieronymus *lib. 3. in Matth. cap.* 19. explicans illa verba Christi; videlicèt, *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit*: proponit enim Millenariistarum delirium, illudque breviter & efficaciter impugnat: & eorum interpretatione rejectâ, sic infit. *Sensus ergò iste est. Qui carnalia pro Salvatore dimiserit, Spiritualia recipiet, quæ comparatione & merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur.* Ecce ut materialia & spiritualia conferat & distinguat, Arithmeticam advocat. Ecce illa ad parvos numeros, [hoc est, ad 2.3.4.5.6.7.8.9.10.] reducit: ista ad magnos, [nimirùm, ad 20.30.40.50.60.70.80.90.100.] Ecce Centenarius numerus Spiritualium summus est, qui materiales singulos aut plerosque multoties in essentiæ eminentiâ complectitur. Ecce eisdem numeris, quibus utitur Christus & Hieronymus, utor & Ego.

ARTICULUS XI.

De Identificatione operationum essentialium, & Distinctione notionalium.

CCCX. *Operatio in Deo duplex: essentialis & notionalis.*

SVnt in Deo duo operationum genera: aliæ enim essentiales sunt, & omnium trium Personarum communes, aliæ notionales & non omnium. Priores ad Identificationem spectant, & ad Distinctionem posteriores. Illæ personas esse unum & idem supponunt, istæ easdem separant & distinguunt. *Generare* est proprietas Patris, & *Generari* Filii: *Spirare* Patri & Filio convenit, & Spiritui sancto non convenit: *Spirari* autem uni & soli convenit Spiritui sancto.

Omnes operationes ad extrà dicuntur toti Trinitati communes, aut potiùs à Deo procedere, quà Uno, non quà Trino. Multa faciliùs in diversis materiis explicarentur, si admitterentur aliquæ actiones notionales ad extrà, hoc est, si aliquid aut realiter aut saltem intentionaliter ab unâ aut alterâ personâ procederet, quod non procederet ab aliâ. Qui hoc diceret, ut mihi videtur, in rationem naturalem impingeret; ut alius, non. Ego hic in meo sensu abundabo; nec libenter à viâ regiâ discedam: aliis tamen quàvis ire permittam.

Res est omninò delicata, & in quâ sobriè debet ingenium vel sublime discurrere, sobriè lingua vel perpolita eloqui: interim quid apud unum vel alterum Iuniorem legerim, ut me expediam subjungo.

De concursu ad visionem beatam.

Petrus Wadingus de Incarnat. disput. 4. dub. 3. §. 3. num. 54. sic ait; *Addit Jacobus Granadus 1. p. q. 12. disp. 1. & 7. ipsas personas divinas concurrere ad visionem beatificam per modum speciei intelligibilis, nec reputat absurdum Personalitatibus secundum se tribuere efficientiam speciei intelligibilis, modo non præstent generalem concursum ad omnes actiones, qui est proprius omnipotentiæ. Quæ præmitto, ut non appareat mirum, quod statim dicturus sum de influxu materiali, quem præstat Verbum Humanitati: si enim divina personalitas est vis producendi realem terminum in divinis, & ad extrà habeat efficientiam peculiarem speciei non est mirum, si possit habere sustentationem materialem.* Et statim. *Respondeo & dico, in eo consistere videtur hæc unio; quod suppositum Verbi peculiarem habeat influxum sustentativum in ipsum esse Humanitatis, et similem (demptis imperfectionibus) quem præbet subjectum accidenti, aut materia formæ inexistenti.* Et mox exponit, *Quomodò Verbum sit causa*

De unione hypostaticâ.

tur fu

An unio sit indistātia.

cur sit humanitas, sic enim loquitur Rusticus & alii; quomodo per Verbum & in Ve bo existentiam habuit ..... quia hic invenitur intima extremorum indistantia, non solùm propter Dei Immensitatem, sed ex peculiari modo influendi per sustentationem. Et infrà, *Est ipsa sustentatio seu influxus in esse humanitatis intime conjuncta, & ex hac sustentatione clarè explicatur quomodo natura humana sit propria & instrumentum ejus; tam enim est physicum ejus instrumentum, quàm sit calor ignis propter inexistentiam in Verbo, & in omni rigore est communicatio idiomatum tàm benè, quàm inter accidentia & subjectum, propria est Verbi peculiari titulo per dependentiam ab eo quam habet, sicut accidens est proprium subjecti; & unio & habitudo ad Verbum, quia sustentatio est formaliter unio, & cùm, ut loquuntur Patres, Verbum sit causa cur humanitas sit, habet habitudinem effectûs ad causam, & cætera omnia quæ in compositis inveniuntur, sepositis semper imperfectionibus ex parte Verbi.*

Idem P. Wadingus *de Incarn. disp. 4. dub. 5. §. 4. num. 58.* hæc etiam habet. [Dices Primò, Scientia, quam proponimus est periculosa in fide: facimus enim in hoc mysterio opera Trinitatis divisa, ut aliquid operetur scilicet filius, quod non facit Pater aut Spiritus sanctus: quod est contra Augustinum *2. de Trinitate & Concil. Toletanum VI.*

CCCXI. *An una persona possit facere, quæ non faciat alia?*

Respondeo negando assumptum: ad probationem, nego quidquam facere filium, quod non facit Pater. Contrà, sustentat naturam & ipsam causat; quod tamen non facit Pater. Pro responsione *nota primò* posse distingui influxum ab actione, ut influxus sit ipsa habitudo, quasi causa ad effectum; actio sit respectus effectûs ad causam: influxus igitur concipitur esse in agente, sed actio in termino: quandocumque ergò onus terminus indivisibiliter fit, etiamsi plura agentia ad eum effectum coocurrant, sed est eadem omnium actio: sic eàdem actione idem opus faciunt causa prima & secuoda, sed influxo diverso: quia causa prima tanquam causa indeterminata, aut generalis influit, secunda tanquam determinata, & particularis. Vndè sequitur, etiamsi tres divinæ personæ fingerentur diversimodè influere io aliquem effectum, fore tamen opera Sanctissimæ Trinitatis indivisa; quia nullom opus ab unâ fieret, quod noo fieret ab aliâ; sicut opus Dei & creaturæ in physicis est indivisum, cùm non fiat una pars à Deo, altera à creaturâ, sed totum à Deo, & totum à creaturâ.

Quo modo causa prima & secunda concurrunt

An omnes divinæ personæ eodem modo concurrāt

Vndè ex eo quod demus peculiarem influxum Verbo in Humanitatem, uon sequitur dare nos aut aliquam actionem, aut aliquem effectum Filio, quem oon demus Patri; quia actio, quæ est identificata effectui, & ipse effectus est totus à Patre & à Filio; sed tantùm damus modum influendi vel producendi effectum Filio, quem non damus Patri. Pro qoo *nota secundò*, quandò Patres & Concilia docent opera Sanctissimæ Trinitatis ad extra esse indivisa, velle illos docere, tùm qood paulò antè dixi, tùm principium operandi ad extrà esse idem in tribus personis, nimirùm ipsam omnipotentiam; & propterea, cùm omnes tres operentur per potentiam eamdem numero, necessariò idem operari (aliter quàm faciunt creaturæ; quæ quia principium operandi diversum habent, suut diversæ causæ, & habent diversum opus) & ut personæ divinæ non tantùm indivisæ sunt in suo effectu, sed etiam in ratione causæ & virtutis efficiendi; quia cùm principium *quo* operandi, & undè denominatur Deus causa efficiens creaturarum, scilicèt omnipotentia, eadem sit io tribus personis, & proindè unum habeant influxum omnipoteotiæ; tres personæ non vocantur tres causæ, sed una causa creaturarum, sicut Pater & Filius unum priucipium Spiritûs-sancti, propter identitatem principii spirandi. Cùm boc tamen benè consistit, quòd licèt illa denominatio, quæ provenit Trinitati ab omnipotentiâ, non multiplicetur, nec dividat Trinitatem; cum tamen essentia & persona habeaot in probabili sententiâ alium modum influendi, quàm per omnipotentiam, nempè in ratione speciei intelligibilis, & ratio speciei intelligibilis ad unionem u.g. beatificam sit diversa secundùm diversitatem personarum, sint etiam divisæ personæ quoad influxum speciei, ut singulæ suum influxum habeant, indivisum tamen opus. Et hoc posito, non est difficile intelligere quomodo tres personæ indivisim operentur opus Incarnationis, & tamen Filius habeat specialem influxum materialem: quia incarnatio procedit a tribus personis tota, & influxus omnipotentiæ est idem io tribus personis; nec influxus ille specialis Filii dividit aut opus, aut influxum qui datur ex parte omnipotentiæ: hoc tamen facit persona Filii influens ut influxus omuipotentiæ sit minor, quàm sit in coofervatione meæ humanitatis; cùm mea humanitas à solâ causâ primâ conservetur per omnipoteotiam, Humanitas Christi ab omnipotentiâ effectivè, & in genere causæ materialis à personâ ut observavimus in notab. 3. §. præced. & propterea si Humanitas à Verbo dimitteretur, interiret, nisi Deus influxum coofervativum corroboraret: quod etiam specialiter notavit Richardus *in 3. dist. 5.* Pelbart. *in 3. verb. Assumptio, §. 15. & 16.* Dices sustentatio illa materialis oon potest concipi siue imperfectione. *Respondeo* negando assumptum; quia nulla est imperfectio in materiâ aut subjecto quod sustentet in genere, sed potiùs perfectio est, sicut causæ efficientis nulla est imperfectio; quia tribuit illam tanquam accepturæ perfectionem aliquam quâ indiget, & ad quam propendet illa forma, quam sustentat. Verbum autem quandò Humanitatem sustentat, uon accipit ab eâ ullam perfectionem, qua caret.] Hæc Wadingus.

An opera Dei sint indivisa?

Vna omnipotentia in omnibus tribus personis.

Influxus Verbi in incarnatione.

Objectio.

Solutio.

CCCXII. Arriaga etiam tract. de Visione Dei *disp. 8. sect. 4. 36.* sic inquit. [Major est difficultas,

An

An scilicet repugnet ut relationes immediatè concurrant ad cognitionem sui efficienter? negant id nonnulli, eò quod omnes Theologi doceant relationibus nullum concursum ad extrà convenire, ideòque filiationi solùm terminativum concedunt in humanitatem Christi: quod confirmatur ex patribus Cyrillo Alexandrino *lib. 2. in Joann. cap. 135.* Augustino *Tract. 20. in Joann.* & aliis, qui dicunt omnes personas omnia ad extra eodem modo facere, & eandem habere formam ea faciendi. Quod verum non esset, si relationes immediatè concurrerent: tunc enim & potentia esset diversa, & modus operandi; quia licèt illa visio ab omnibus tribus procedet; prout tamen esset repræsentativa Patris, non prodiret à Filiatione, sed à solâ Paternitate; & sic è contrario de aliis relationibus. Ego in hâc sententiâ non apprehendo tantum mysterium, ut probabilem illam non censeam. Auctoritatibus enim, quæ contrà illam afferuntur, responderi facilè posset. Primò Theologos solùm intelligendos de concursu effectivo ad cæteras creaturas, quia in illas à nobis non potest concipi concursus qui ad omnipotentiam non pertineat; & hoc ipsum habet locum in filiatione respectû humanitatis Christi: ille enim concursus effectivus deberet esse conservativus, undè non esset cur uni relationi magis quàm alteri credendus esset: nam humanitatem non magis continet filiatio, quàm paternitas; etiamsi de facto terminetur ab illâ, non ab hac: imò & hoc ipsum ab aliis negatur, qui dicunt humanitatê specialiter conservari effectivè à personâ Verbi, sed de hoc in materiâ de Incarnatione: at in ordine ad concursum per modum objecti, quia quælibet res cognoscibilis specialiter sua prædicata propriè continet, ut ea simul cùm potentiâ exprimat per cognitionem, non videtur esse contrà Theologos, eam etiam virtutem tribuere relationibus divinis: & hoc eodem modo ad Patres adductos responderi potest; quia illi non erant solliciti de concursu isto objectivo, sed de alio qui pertinet ad rationem causæ universalis. Quæ eò habent majorem vim, quod etiam dato tali concursu, omnia opera SS. Trinitatis ad extrà adhuc omninò manent indivisa: nam omnes personæ immediatè concurrunt ad eam visionem (nisi casu, quo admissis præcisionibus objectivis, una relatio videretur sine aliâ: de quo alibi.) quod verò replicatur ab Adversariis, Patres docere etiam, eodem modo unam personam operari ac alteram, non urget: quia in præsenti casu omnes eodem modo operarentur; tribuere autem per rationem nostram, uni unam formalitatem, scilicet repræsentationem ejus relationis, alteri verò aliam, non est contrà Patres, qui de hac distributione per rationem nostram (cùm in re totus effectus eodem modo ab omnibus procedat,) non fuerunt ullo modo solliciti; neque facilè mihi contrarium persuadebo.] Hæc ille, qui ut constat, hunc concursum probabiliter asseri affirmat.

An eodem modo omnes personæ concurrant?

Explicantur Theologi.

An una persona videri possit sine alterâ?

Alia his similia reperiuntur in aliis, & in Tractatibus de Visione & Incarnatione præcipuè, sed hæc notavisse sufficiat, ut difficultatis statum penetremus.

DISPUTATIO XIII.

De Distinctione, Prioritate, Compositione, & Inæqualitate Hypothetica seu Conditionali,

CCCXIII. POstquam de Absolutis Distinctionibus egerim, illasque ad mentem Veterum & Juniorum distinxerim & dilucidaverim, de Conditionalibus & Hypotheticis acturus sum; ne quidpiam sit, quod debitam lucem non habeat. Et quidem summè est necessaria harum Distinctionum cognitio, proderitque gravissimis difficultatibus examinandis. *Est igitur Distinctio* (Prioritas, Compositio, Inæqualitas, &c.) *hypothetica seu conditionalis in Deo, non quæ de facto est; sed potius, quæ de facto non est, esset tamen, si per impossibile finitus & non infinitus Deus esset.* Vt meliùs ejusmodi Distinctionum, Prioritatum, Compositionũ, aut etiam inæqualitatum essentiam usumque intelligamus, Thesim sequentem meditemur.

Quid illa sint.

DEus est infinitus, Omnium creaturarum, quæ finita multitudinè & nobilitate sunt, perfectiones universas sublatis imperfectionibus complectitur. Omnes creatæ perfectiones, licet sint toto cœlo diversæ, quando ab imperfectionibus expurgantur, coincidunt. Perfectio intellectûs v. g. etsi in Homine & Angelo, ut volunt Thomistæ, distinguis concedamus, nihilominus in Deo non distinguetur realiter, nec ex naturâ rei, nec præcisivè à voluntate: & tamen distinguetur: quomodo? Conditionatè & Hypotheticè.

MVlta in unum conjunti, & quæ, ex eisdem fundamentis demonstrari debebunt. Recurro ad superficies lineasque; sumo circinum & istas figuras exaro: nimirùm, A.B.C.D.E. hoc est, Trigonum, Tetragonum, Penta-

Habes delineationes has figurâ 26. Logicâ.

Pentagonum, Hexagonum, &c. aut si nomina Latina magis placeant, Triangulum, Quadrum, Quinquangulum, Sexangulum, & Circulum.

His semel delineatis, quia de cæteris pariformiter philosophari debeo, audebo dicere, me habere ob oculos totam Geometriam speculativam: Triangulum, Quadrangulum, Quinquangulum, Sexangulum, &c. omnes figuras finitas & determinatas: habeo & circulum. Sed quid esset Circulus, si esset infinitus? Non quæro, An de facto sit globus aliquis infinitus in mundo? scio enim esse authores nonnullos, qui mundum hunc Infinitæ esse molis existimant; nonnullos, qui indefinitæ. Non quæro, An Deus, quidquid de facto sit, saltem de possibili, possit producere infinitæ magnitudinis globum? Scio enim varia esse Philosophorum dogmata; & alios assertivè, & alios negativè huic controversiæ respondere. Sed quidquid sit de facto aut potentiâ, Thesim volo transmutari in Hypothesim, & interrogo, Qualis esset Circulus, si esset infinitus? Rem jam teneo: multa à Mercurio illo ter-magno didici, & inter alia ejusmodi Circulum duas præcipuè proprietates nacturum; haberet enim centrum ubique & nullibi circumferentiam.

An mundus infinitus de facto sit?

An Deus producere possit infinitum?

Circulus infinitus.

Et qualis, quæso, esset Triangulus, si haberet aream infinitam? Haberet centrum ubique, & nullibi costas; & his ille characteribus à finitis omnibus distingueretur.

Triangulus infinitus.

Et qualis tandem, esset Quadrangulus, Quinquangulus, Sexangulus, &c. si molem haberet infinitam? Haberet centrum ubique, & nullibi costas seu latera: &, si sic loqui velis, haberet nullibi circumferentiam.

Cæteræ figuræ, si infinitæ.

Ergò (nota benè obsecro hanc consequentiam:) *Ergò Circulus, Triangulus, Quadrangulus, Quinquangulus, Sexangulus, &c. quamdiu agamus de Ente finito, figuræ sunt toto cælo diversæ; at verò quando de infinito, coincidunt: non enim aliter concipere possumus Circulum infinitum, & aliter Triangulum infinitum.*

Resolutio attentè relegenda, & altæ memoriæ mandanda.

CCCXII. Geometria communis nos docet conversionem & transformationem figurarum; præscindendo enim à quadraturâ Circuli, ex Triangulo formare possumus Quadrangulum, & contrà. Sed quo modo infinitum Triangulum convertam in infinitum Quadrangulum? Mutando habitudinem & respectum, quo finita respicit. Infinita quæcumque superficies, si daretur, esset simul infinitus Circulus, infinitus Triangulus, infinitus Quadrangulus, infinitus Quinquangulus, &c. & nulla esset figura, cujus illa perfectione careret. Infinitam igitur superficiem vocabo *Circulum infinitum*, quà habituram unam lineam, si esset finita: *Triangulum infinitum*, quà habituram tres lineas, si esset finita: *Quadrangulum infinitum*, quà quatuor habituram lineas, si esset finita. &c.

Quo ergò modo distinguerentur in hac superficie infinitâ ratio Circuli infiniti à ratione Trianguli aut Quadranguli infiniti? An-ne realiter? An saltem ex naturâ rei? neutro modo: imò nec designari mente poterit una formalitas quæ sit ratio infiniti Circuli, præcisa ab aliâ, quæ sit ratio infiniti Trianguli. Qualis ergo est in superficie hac infinitâ rationum istarum (Circuli, Trianguli, Quadranguli, &c.) distinctio. Est distinctio, non quidem actualis & existens ante mentis operationem, non præcisiva à mente facta, sed hypothetica & conditionalis (nota benè ista nomina) nimirùm distinctio, non quæ est, sed quæ esset, si superficies hæc esset finita.

Quæ & qualis sit distinctio hypothetica.

Admissâ semel distinctione hypotheticâ & conditionali, etiam potest admitti hypothetica & conditionalis inæqualitas, prioritas, & compositio. Nam si interroges. Vter sit major, infinitus Circulus, an Infinitus Triangulus? Respondebo non habere inæqualitatem actualem at habere inæqualitatem hypotheticam & conditionalem, nam si poneremus utramque figuram esse finitam; puta si diceremus, utriusque figuræ radium esse ut 10. deberemus consequenter asserere Circulum esse figuram capacissimam, & Triangulum esse pauperrimam, nam positâ in omnibus diametro ut 10, in Circulo cæteræ omnes includentur figuræ; vel istas præsentes contempleris. In Circulo STVWXY, centro P, & radio PS, ducatur integra circumferentia: &, si eodem radio PS delineetur triangulus & sexangulus, videbimus clarè & distinctè in circulo claudi hexagonum, & in hexagono triangulum. Et convertens ad alteram figuram oculos: in Circulo, centro R & radio RI formato clauditur Ogdoagonum GHIKLMNOG minus Circulo: & Tetragonum. GILNG, minus Tetragono; &c.

Figurâ 26. Logicâ recognoscet.

Et eodem omninò modo, si quæratur, Vter sit prior Triangulus aut Quadrangulus? Respondebo in systemate rerum finitarum Circulum esse omnium figurarum simplicissimam, describitur lineâ unicâ: cùm igitur unitas sit prior numero, Circulus erit prior omni figurâ rectilineâ. Addam Triangulum esse priorem, non solùm Quadrangulo, sed quâcumque alia rectilineâ figurâ; quia omnis figura rectilinea aut est Triangulus, aut ex Triangulis coalescens: quo enim modo Octangulus GILNGMNOG in Triangulos dissolvatur, demonstrat explicata figura. Ad Systema infinitum veniamus. Et quid resolvemus in ipso? An-ne infinitus Quadrangulus ex duobus, aut quatuor Triangulis componitur; non secùs ac Quadrangulus GILNG ex Triangulis GIRG, ILRL LNRL NGRN? Respondeo non componi actu & absolutè, sed hypotheticè & conditionaliter: non absolutè & actu; quia, ut constat ex discussis, pars quælibet est minor toto, & Triangulus infinitus non est minor infinito Quadrangulo; adeò nec prior. Dico Quadrangulum infinitum, quem dati ponimus, ex Triangulis componi hypotheticè & conditionaliter; quoniam illa, si desineret esse infinitus, & inciperet esse finitus, ex Triangulis componeretur: Ergò & eodem sensu isti essent priores Quadrangulo; ergò in figurâ infinitâ datur prioritas & compositio hypothetica & conditionalis.

An circulus sit prior triangulo?

Omnis figura rectilinea aut est triangulus aut triangulis constat.

Compositio hypothetica.

Mult

Transitur ad Theologica.

Multa alia possem dicere de hac infinitâ superficie; multa de corpore infinito, quæ missa facio, ne nimis sine causâ diffundar. Venio ad Deum & Substantias spirituales, & quæ de Quantitatè dicta, eadem de substantiâ dicantur.

Fundamentalis Resolutio.

Hanc Conclusionem posui: [*Circulus, Triangulus, Quadrangulus, Quinquangulus, Sexangulus, &c. si finita magnitudinis sint, figura sunt toto cœlo diversa: si verò infinita magnitudinis, coincidunt.*] Eam probavi; modo ad altiora transvolo, & hanc parallellam subscribo.

Parallelism Theologicum.

[*Perfectiones Humana & Angelica, Naturales & Supernaturales; &c. quamdiu finita sunt inter se distinguuntur: at ipsa considerata in Deo, sunt nobilitatis infinita, & ibi universa coincidunt.*] Omnes enim perfectiones in Deo sunt Deus: singulæ totus Deus: nulla est pars Dei.

Ergò-ne in Deo nulla dabitur perfectionum distinctio? si tollatur realis, quam aliqui delirant Hæretici, & formalem ex naturâ rei, quam doctissimè plurimi propugnant Catholici, cur negabitur distinctio præcisiva, quæ nullam imperfectionem imbibit?

An in divinis admitti debeat, positivo præcisivo distinctio?

Respondeo ad infinitam molem aut superficiem recurrendo. Sic dixi: [In infinitâ superficie est Circulus infinitus, & simul Triangulus infinitus, &c. & ipsi non distinguuntur actu (realiter, ex naturâ rei, aut præcisivè) sed hypotheticè & conditionaliter.] & modò ductus rationis paritate hæc adjungo. [Ratio Hominis & Angeli in Deo coïncidunt, sunt enim nobilitatis infinitæ: non distinguuntur in Deo realiter, nec ex naturâ rei, nec præcisivè: sed solùm hypotheticè & conditionatè. Et cur hoc modo? Quia, si Deus esset finitæ perfectionis, aut rationes Angeli & Hominis prout in Deo, essent finitæ perfectionis, aut realiter distinguerentur.]

CCCXV. Quomodo distinguantur formalitates in Deo?

Sublatâ distinctione actuali inter formalitates Divinas, aufertur actualis formalitatum numerus, actualis compositio & prioritas: & concessâ distinctione hypotheticâ & conditionali, ejusdem generis conceditur numerus, prioritas & compositio. Dicam igitur intellectum & Voluntatem in Divinis esse duas potentias, & distingui hypotheticè & conditionaliter; quia tametsi nullam habeant modò distinctionem in Deo, distinguerentur tamen realiter, si Deus esset finitus.

Quanam prioritas possit inter illas admitti?

Et quia in hoc impossibili casu, intellectus divinus esset prior voluntate divinâ, dicemus consequenter nunc illum esse priorem prioritate hypotheticâ & conditionatâ. Suppositum creatum naturâ & subsistentiâ componitur (hoc etiam nunc juvabit dicere cum D. Thomâ.) sed suppositum divinum non componitur actu, non realiter, non ex natura rei, non præcisivè (non enim hodie volumus admittere præcisiones objectivas in Deo) & tamen componitur hypotheticè & conditionatè; quoniam ipse, si finitus esset, subsistentiâ & naturâ, non secus ac Homo aut Angelus componeretur: at nunc ob infinitatis eminentiam ratio naturæ & ratio subsistentiæ coïncidunt, & hanc ob rem identificantur & prædicantur; nam subsistentia in Deo est natura, & natura in Deo est subsistentia.

Quomodo essentia & subsistentia distinguantur in Deo?

Quæ tamen identificatio subsistentiæ & naturæ, non tollit distingui subsistẽtias seu personalitates inter se. Sed de hoc suo Loco.

* * * *

VArias sententias proposuimus & exposuimus, varias dilucidavimus & illustravimus; & rescire desideras, quam debeas ex cunctis eligere. Respondeo iterum, debere Te sequi tua scholæ dogmata, & supponere hujus libri III singulis Disputationibus singulas scholas subcollari. Has autem dabit Tomus Tertius, qui sequitur, quæ probabiles sunt, & pendent a Profitentium voluntate: nondum enim una schola contra ceteras, aut tua fundamenta esse certa, aut aliarum fundamenta esse falsa, clarè & evidenter demonstravit.

LIBER IV.

Universalia complectens.

CCCXVI. *De Universalium nomine.*

SI non dicerentur Universalia, vel hoc nomine deberent habere istud nomen, quòd ubique tractentur. Tractat Logica de Univocis, Æquivocis, Analogis, & Prædicabilibus, & necessariò de Universalibus, sine quorum notitia reliqua intelligi non possunt. Tractat Physica de Quantitate & Individuationis principio, & ideò de Universali necessariò; quî enim cognosci Individuatio poterit, quin cognoscatur abstracta illa natura, quam contrahit. Tractat de Passionibus Entis Metaphysica; nimirùm, de Veritate Bonitate, Unitate & quia Unitas in Transcendentalem, Universalem & Singularem subdividitur, etiam de Universalibus. Doctrina igitur de Universalibus, universalis est, & necessaria omnibus, ab omnibus solet tractari. Nos omnia hic seorsim ponimus, ut illam aut Logicus, aut Physicus, aut Metaphysicus, cum velit, perlegere possit.

Qui disputent de Universalibus.

An verum sit notitia necessaria?

Et quid, si non solùm perlegere, sed etiam interlegere nolit? Sic tu. Tibi ego. Et quid si aliter esse doctus non possit? Scio hanc doctrinam à multis, præcipuè Iuristis & Medicis nihili fieri, sed etiam scio nihil illas posse bene cognoscere si illâ careant. Hanc ob rem laudo multos Iuniores, qui summo labore huic controversiæ exhauriendæ insudarunt. Insudavi etiam ego, & attentione tam prolixâ & assiduâ, ut si sincerè loquar, possim dicere me saltem studij & vigiliarum impendisse in hujus rei examine dimidiam partem. Doctissimos Viros consului, sed mihi non satisfaciebant, imò nec sibi dubiis meis ponderatis. Quiescunt animi dum superficie tenus difficultates investigant: turbantur dum profundiùs innatant. Puto me in Metaphysico oceano tarò supernatare: existimo in hac difficultate ipsummet fundum tetigisse. Tuum erit, Studiose Lector, de veritate judicare.

Quantum in illâ penetranda allaboraverim

DISPUTATIO I.

De Nominum significatione.

An synonyma exprimant diversitatem?

SUnt varia nomina, quibus indigitatur Universalitas; varia, quibus Ecceitas; quæ omnia licet synonyma dicantur, videntur exprimere aliquam diversitatem. Non omnia exponam, sed illa quæ in usu sunt in florentissimis scholis.

ARTICULUS I.

De voce Universalitas.

De vocibus non Ciceronianis.

PRoscribere eam nonnulli volunt, quòd minus sit Ciceroniana? Philosophi non colimus labium, sed mentem. *Quid obest clavis lignea* (verba Augustini sunt 4. *de doctr. Christ.*) *si per eam id quod volumus licet aperire?* Fastidiat hoc vocabulum Cicero, fastidiant Rhetores; Scholastici indigemus illo, & ideò debemus sustinere.

Universale quadruplex.

Quadrifariam dicitur *Universale*, nimirum, in causando, in repræsentando, in essendo, & in prædicando.

In causando.

Universalis in causando dicitur Deus, & aliæ causæ universales: sed ille absolutè, ista cum aliqua limitatione. Sub hac significatione hanc vocem usurpavit Varro 2. *De Analogia*, dicens, *Quod ad universalem pertinet causam.* Fortè nulla causa secúda est universalis: fortè falsa sunt omnia, aut pleraque quæ traduntur de cœlorum influxu: id non examino: Vocem explico, & ex suppositione procedo.

In repræsentando.

Universale in repræsentando est idêa Artificis, quæ universa in tali aut tali serie repræsentat. Quamobrem *Universalissima* Divina dicitur, quòd sit expressio rerum universarum.

In essendo.

Universale in essendo est unum in multis nempè unum, quod potest dividi in plura singularia.

In prædicando.

Universale in prædicando illud est quod de multis potest prædicari. *Universalitas in prædicando* passio est & inseparabilis proprietas ipsius

ipsius universalis in essendo, formalitas enim quæ est in multis, etiam potest de multis prædicari.

ARTICULUS II.

De nominibus Individuum & Singulare.

CCCXVIII. Ratio nominis.

INdividua dicuntur, quòd dividi ulteriùs nunpossint. Sunt partes potestativæ speciei. Vocantur etiam *Singularia* : Iuvabit cognoscere rationem vocis. Absoleta sunt plurima Latii idiomatis verba, multa omninò perierunt, aliquorum perennat notitia solummodò apud veteres ex quorum scriptis eruitur à recentioribus.

Signum. *Signum* nota est distinctiva, quâ internoscuntur res, quæ aliâs confusæ. Significat idem quod *Numerus*, unde illa signo distingui possunt, quæ numero. Virgilius *Georg.1.*

Aut pecori signum, aut numeros impressit acervis.

Ecce in re rusticâ pecudes & acervos signis dispares & discrepantes. *Conferre signa.* Phalanges distinguuntur signis : Plinius libr. 7. c. 25. *Signis collatis quinquagies dimicavit.* Vnde *conferre signa* verbum militare, significat commiscere militem. *Distinguebantur signis milites.* Signis etiam milites singuli secernebantur: Silius *lib.14.*

——— *Cujus calata gerebat*
Taurum parma trucem. ———

Et Statius *in Achill.*

Qui pulcher signis auroque asperrimus ardes.

Sed de his signis latissimè in mei Hispanistemmatis cap.3.

Domus. Signis domus distinctæ. *libr. 6. cap. 4.* Quintilianus ; *Taberna autem erant circa forum ad scutum signi gratiâ positum.* *Suppellex.* Signis utensilia distincta. Virgilius divini operis nono.

Bina dabo argento perfecta, atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quæ cepit Arisba.

Vrbes, Regna. Signis discretæ Vrbes, imò & Regna. Hodie perennat usus. Legionis regnum habet Leonis symbolum, Galliæ synthema sunt tria lilia. Et naves signis dispares expenduntur curiosè à Bernardo Aldrete *in cap.2.libri 2. mihi pag.*229.libri, cui epigraphe, *Varias antiguidades de España.* Ovidius *Elegiâ 9.*

Est mihi (sitque precor flavæ tutela Minervæ)
Naves. *Navis, & à pictâ casside nomen habet.*

Signa translata ad cœlum, & his astra distincta sciunt omnes, qui rem sydeream saltem à longè salutarunt. *Constellationes.* Signis tempora secernebantur. *Signum dare.* *Signum dare*, verbum militare est, est tempus indicere, seu significare.

Sigillum. *Signum* per diminutionem *Sigillum* dicitur, hoc est signum parvum Cicero 1. Academ. *Si in ejusmodi cerâ centum sigilla hoc annulo impressero.* Hinc adverbium *Sigillatim*, hoc est, seorsim, distinctè.

An vocalis longa sine duplicatione? Vocalis naturâ longa olim geminata, *Caramuelis Metalog. Lib. IV.* apud illustres Scriptores. Victorinus Afer apud Lipsium *de rectâ pronunt. latinæ ling. cap.5.* sic ait. *Nevius & Livius, cum longa syllaba scribenda esset, duas vocales ponebant.* Quintilianus, *Usque ad Attium & ultra porrectas syllabas geminis vocalibus scripsêre.* Hinc in antiquis manuscriptis sæpè reperias *Amo, amaas, amat, amaamus, amaatis, amant, amaavit, claamaavit, siigillum*, & similia. Imitabantur Græcos, quia si benè examines nil aliud est ω quàm οο. Sic scribimus εἴδωλον quasi ἔιδοολον *simulacrum*, σκαιὸς quasi σκαιόος *sinistre* &c. Sic etiam η est duplex litera in opinione aliquorum duplex εε, in aliorum duplex est ει. Scribimus παρακλητὸς, legit quis παρακλιτὸς, & alter παρακλειτὸς. Accinunt sæpè Hispani. Scriptitamus : *Creer, Veer, Fee*, &c. Frequentiùs vocales Belgæ duplicant, ut longas faciant, scribunt **loopen** currere, **heel** totus, **Heer** Dominus &c.

Longa syllaba notata apicibus. Antiquiores syllabas longas apice notabant. Terentius Scaurus, *Attius geminatis vocalibus scribi naturâ longas syllabas voluit, cum alioqui adjecto vel sublato apice longitudinis vel brevitatis notâ possit ostendi.* Apicem appellat lineolam transversam jacentem super syllaba, ut hodie in usu: nempè, ā. ē. ī. ō. ū. Apex nobis est littera M. vel N. & ideò antiquorum scripta malè legimus, & corruptiùs transscribimus. *Apices significare solent M. aut N.* Reperimus *Quotiēs, totiēs, vicēsimus, aquōsus, formōsus, Pallas pallātis, sermo sermōis.* Vsus & labii & calami jam effert, jam exscribit *Quotiens, totiens, vicensimus, Pallantis, sermonis* (& aliquando *aquonsus*, & *formonsus.*)

Hinc est quod scripserunt primò SIGILLATIM, posteà *singillatim*, vel *singulatim*, unde *singularis* (vel ut Antiqui declinabant singularius) idem qui *sigillarius*. Ergo substantiale concretum singulare dicitur, quòd habet materiam signatam aut sigillatam quantitate.

Idea est sigillum. Sed hîc multi Platonici laborant æquivocatione, & vix possunt intelligere Philosophi divini mentem. *Idea duplex.* Idêa sigillum dicitur, etiam eodem nomine donatur Ecceitas: quî vitanda est confusio? Facilè, si annotaveris duplicem sigillationem esse, formalem alterā alterā materialem. *Formalis.* Formalis sigillatio dat distinctionem specificam, ut si duobus annulis sigilla successivè imprimas in eâdem cerâ; hoc accidit in conversione substantiali, sigillaverat ante materiam Idêa viventis, sed post obitum Idêa cadaveris.

Materialis. Non aliter, si uno & eidem annulo centum sigilla in cerâ impresseris, omnia centum convenient sigillo formali, different materiali: hoc est, omnia eandem delineationem atque figuram exprimeut? materiâ different, quoniam non habebunt eandem ceram, sed singula prorsùs diversam.

***

VERA SENTENTIA,

CCCXXI. *An hæc divisio sit æquivoca?*

ALij affirmant hanc divisionem non esse æquivocam, hoc est nominis; sed verè univocam & realem. Ratio est; quia ipsius divisum est formalitas realis objectiva, quæ dividitur materialiter in substantias primas, & formaliter in substantias secundas. Cæterùm illa dividuntur formaliter, quæ dividuntur per differentias formales: illa autem materialiter, quæ per differentias materiales, coloratum primò potest dividi materialiter in varia subjecta, ut cùm dicimus, coloratum aliàs est homo, aliàs est brutum, aliàs est lapis; Secundò potest dividi formaliter, ut cùm in species essentiales per formales differentias distribuitur; ut cùm dicimus, colorati species sunt album, nigrum, purpureum, argenteum &c. Dicunt igitur substantiam dividi in primas & secundas, non divisione simplici, sed duabus. Primò dividitur in primas materialiter, & hæc divisio dicitur speciei in individua, quia substantia respectu substantiæ A, & substantiæ B. est species; Eccéitates autem sunt differentiæ materiales, Secundò dividitur substantia formaliter in substantias secundas, nempè in viventem & non viventem, viveos in sensibilem & insensibilem, quæ omnes sunt secundæ substantiæ.

Divisio materialis.

Differentia materialis.

Divisio formalis.

Has esse duas diversas divisiones substantiæ, & non eandem, probant, quia Philosophus non divisit substantiam in primam & secundam, ut perperam crediderunt illi, qui originalia non viderunt: dixit priùs dari primas substantias, & quid essent exposuit. Posteà dixit dari substantias secundas, & hæ sunt species formales substantialis concreti, seu completæ substantiæ.

Hæc opinio meo judicio certissima est: & ex dictis constat quid argumentis respondendum sit? hic enim non est unum divisum, sicut nec una divisio; alia autem procedunt ex hypothesi, quæ est prorsus falsa.

Vnum & multa comparantur.

CCCXXII. DIvisioni substantiæ in primam & secundam, si nolimus disputare de vocibus, æquivalet divisio Entis in unum & multa. *Vnum* in hâc divisione Ens universale est, & *Multa* sunt particularia Ideò Philosophus *libr. 4. Metaph. cap. 2.* docuit *Vnum* & *Multa* privativè opponi, (meliùs diceret, *opponi præcisivè*) quia *Vnum* significat Ens privatum (præcisum) eccéitatibus, *Multa* verò dicunt Ens eccéitatibus multiplicatum. Hæc est vera Philosophi explicatio; quâ plurima testimonia sunt pervia, sine quâ authores plurimi toto cœlo à mente Aristotelis declinaverunt. *Quo modo opponantur?*

Hâc ideâ instructus poteris alia Aristotelis loca restituere, alia explicare *lib. Metaph. 10. cap. 1.* sentit non opponi relativè realiter & meritò; quia opponuntur relativè formaliter, seu ex naturâ rei: quia *Vnum* non distinguitur realiter à multis, universale enim non distinguitur realiter à singularibus, aliàs enim omnes enuntiationes primi & secundi Prædicabilis essent falsæ.

Non opponi dicit contradictoriè, quia species & individuum differunt tanquam includens & inclusum, Species potentiale totum est, & potentialiter individua includit: individuum quodlibet totum formale est & componitur specie & eccéitate.

Doctor Angelicus 1. *part. quæst. 11. art. 2.* asserit hanc oppositionem accedere potiùs ad privativam, eo sensu quo in limine articuli exposuimus. *Vni*, inquit, D. Thomas, *opponuntur Multa, ut indivisa* (hoc est, *membra dividentia*) *divisio*.

Divisio Vnius in Multa est eadem ac illa, quâ dividitur substantia in primas. Sæpè enim Aristoteles prodigus formalitatum Metaphysicarum nomenclator, eandem rem diversis donavit nominibus, ut se auditoribus accommodaret. Vna substantia dividitur in primas multas: hoc est Vnum in Multa. *Divisio unum in multa.*

Hæc est prima atque præcipua Entis-Vnius divisio, ut Soncinas 10. *Metaph. quæst.* & alii multi contendunt apud Suarium *disp. 2. Metaph. sect. 4. num. 2.*

Nec ineptè Aristotelem exponeres, qui assereres in hâc divisione divisum esse in individuum, & dividi in unum, hoc est in quantum numericè: & multa, hoc est, in quantum discretè. Quantitas enim discreta nihil aliud est quàm multæ unitates. *Quid sit discreta quantitas?*

Sed quidquid sit de mente Aristotelis, quæ videtur ex dictis illustrior & clarior evasisse, nos ad solidiora progrediamur.

DISPUTATIO III.

De distinctione Substantiæ ab Eccceitate,

Utrùm Quantitas sit Eccceitas?

QVantitatem Metalogicam & Eccceitatem non distingui docui, & inferiùs altiùs demonstrabo. utramque à substantiâ distingui ferme, sed in difficultate gravissimâ opus est inquisitio accuratior. Examinabo aliorum sensa, & ex impugnatione cæterorum solidiùs nostram sententiam comprobabo.

ARTICULUS I.

Utrùm omnis substantia sit individua ac singularis?

CCCXXIII. *An dentur singularia?* DAri substantias singulares manifestum est, sæpè tamen formamus hujusmodi prædicationes in concreto. *Hoc-suppositum est suppositum*, *Hoc-subsistens est subsistens*, *Petrus est homo*, *Hoc-album est album*. Peto, utrùm similes enunciationes sint identicæ?

An Universalia? Affirmativè respondent Ephesius ille Heraclitus, & ipsius discipulus Cratylus, quos citant & adoriuntur Plato *in Theæteto*, & Aristoteles *libri 4. Metaph. c. 4. text. 22.* Negabant enim scientias omnes, & nihil in rebus opinabantur esse præter caduca singularia. *De quibus esse scientia possint?* Scientiæ debent esse, dicebant, de æternis, perennibus, immutabilibus, & universalibus; *An dentur scientiæ?* sed omnia quæ aut natura parere, aut mens concipere potest, sunt temporalia, desitura, mutabilia, atque singularia? Ergò non datur scientia aliqua: vel si aliqua, illa unicè quæ demonstrat nullas in rebus dari scientias.

Hos Philosophos sequutus est Ambistenes, Schola Epicuri, item Neo-academici, teste Augustino, quem citant Conimbricenses *in præf. Porph. quæst. 1. art. 2.* Non à multis sæculis in hanc sententiam (ut vulgò asseritur) venerunt Nominales, sic dicti, quòd Petrum ab homine non re, sed nomine mero distinguerent. *An Nominales negent universalia?* Eos excusat Hurtadus *disp. 5. Metaph. sect. 4. §. 38.* asserens nominis invidiam incurrisse; sed hujus vitij notâ non auderem inurere peritissimos Nomenclatores. Eos Nominales vocat non Zoilus, sed Theologiæ Angelus Thomas *1. part. quæst. 14. art. 15.* & Albertus Magnus *in præf. Porphyrii tract. 1. cap. 1.* Perierat secta hæc, sed ab Okamo Scoti discipulo *1. part. sua Logica cap. 14. & 15. quodlib. 5. quæst. 12. & 13. & in 1. sent. dist. 2. q. 4.* Censoribus Conimbricensibus *ubi nuper* restituitur, qui Latinæ Scholæ Nominalium Author.

Nominalium Magister. Hæc Nominalium academia nostrâ ætate habet ingenia felicissima, & splendore serenissimo donata est scriptis P. Hurtadi, quæ hanc sententiam suavissimam clarissimamque reddiderunt.

In hoc Hurtadus mihi displicet, quòd pro nominibus constituat operationes mentis, quia conceptus spiritualis *homo*, & vox *homo* ipsissimam rem significant; & si species homo sunt omnes homines confusè sumpti prout hoc uno actu mentali concipiuntur in ordine ad actus ratiocinandi; cur non similiter prout hoc nomine significantur? Dicerem universalitatem consistere in actu extrinseco significante, huncque dividerem in mentalem, vocalem, & scriptum, quæ differentiæ materialiter se habent ad denominationem universalitatis. Cæterùm hos Authores acutissimos cum Heraclitæis ac Epicuræis non libenter confunderem, quia illi veteres nullam universalitatem admiserunt; admittunt hi genericam, specificam &c. & teste Suario *disp. 6. Metaph. sect. 2. num. 1.* reprehendendi veniunt quo ad aliquos loquendi modos, in re autem non dissentiunt à sententiâ verâ; sed de hoc suo loco.

Resolutiones. Sit igitur tenenda Conclusio I. *Petrus & Homo non sunt voces synonymæ sed habent significationem differentem.*

Conclusio II. *Præter substantias singulares dantur substantiæ communes & universales.*

Conclusio III. *Substantia communis & universalis distinguitur ab Eccceitatibus* Quâ distinctione, inferiùs aptiore loco examinabimus.

Conclusio IV. *Substantia communis est realiter existens, non separata a singularibus, sed in eis ipsis.* Est expressa Platonis, licet perperàm exponatur ab Aristotele & pluribus Peripateticis.

Contra hujusmodi conclusiones argumentantur Heraclitus, Cratylus, & Ambistenes.

Primò.

CCCXXIV. *An Universale sit separatum à singularis? An homo separatus à Petro?* HOmo universalis aut reperitur in Petro & Ioanne, aut non: hoc ultimum dici non potest, quia si non reperiretur in Petro, esset separatus à Petro, quia actualis separatio indigitat actualem distinctionem realem.

Tunc sic; distinguuntur; ergò non possunt

possunt prædicari, quia aliàs darentur duæ contradictoriæ simul veræ, nempè *Petrus est homo, & Petrus non est homo.* Primò hanc propositionem *Petrus est homo* esse veram admittis, cùm dicis hominem de Petro prædicari: Secundò alteram esse etiam veram asseris cùm admittis hominem separatum, & actualiter distinctum à Petro, quia distingui ut sic, est unum non esse aliud ut sic, & distingui realiter est unum non esse aliud realiter; atqui per te Petrus realiter distinguitur ab homine. ergò erit verum dicere, *Petrus non est homo.* Habemus igitur contradictorias simul veras.

Utrùm unus & idem homo sit in Petro & Ioanne.

Si asseratur reperiri in Petro & Ioanne, adhuc remanet alia difficultas; Vel idem homo qui est in Petro est etiam in Ioanne; vel si libet, diversus ab eo. Si diversus asseritur, non erit species, hæc enim debet esse una saltem negativè, & de pluribus distinctis numero verificari. Præterea homo, qui est in Petro, si non est in Ioanne, non poterit de Ioanne prædicari. Si dicatur eundem hominem esse in Petro & Ioanne, adhuc remanet locus instantiæ, quia vel utrique est identificatus, vel non; si non, ergò dantur duæ contradictoriæ simul veræ, ut nuperrimè demonstrabatur. Si homo asseratur identificatus utrique, superest apud Conimbricenses *in præf. Porphirii quæst. 1. art. 2. §. Tertium, Si esset,* & apud Hurtadum *disp. 5. Metaph. §. 2.* Syllogismus fortissimus. [*Quæ sunt eadem uni tertio,* ais; *sunt eadem inter se; atqui Petrus & Ioannes identificantur uni tertio, nempè homini ut sic: ergo Petrus & Ioannes sunt idem inter se.* Igitur Petrus est Ioannes, atque Ioannes est Petrus.

Satisfit objectioni.

Respondeo dicendo formalitatem illam hominis, quæ prædicatur de Petro & Ioanne, non esse Ideam separatam, ut Aristoteles imposuit Academicis, sed esse prædicatum specificum & essentiale, quod est in omnibus hominibus; unde consequenter assero hominem, qui reperitur in Petro, non distingui ab homine, qui est in Ioanne; homo enim, qui asseritur esse in Petro, est ratio hominis universalis, quæ cum eadem & una specificè sit, in pluribus individuis est. Addo istum hominem, qui est in Petro & Paulo, utrique realiter identificari, ac propterea restat unicè satisfacere ultimo syllogismo. Raymondus Lullius responderet sic.

An quæ sunt idem uni tertio sint idem inter se?

Responsio Lullij.

Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: distingueret. Sunt eadem inter se in illo tertio, concederet: in seipsis, negaret. Atqui Petrus & Ioannes identificantur uni tertio, nempè rationi hominis: concederet minorem. Ergò sunt idem inter se; distingueret consequens. Sunt idem inter se in illo tertio, nempè in ratione hominis: concederet consequentiam; sunt idem in seipsis, hoc est in Petreitate & Ioanneitate; negaret. Ecce Lullianam acutissimam resolutionem primò visu pulcherrimam: inutilem si examini rigido subsistat.

Responsio aliorum.

Respondent recentiores. Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: distinguendo majorem. Quæ sunt eadem uni tertio singulari incommunicabili, concedimus; quæ sint eadem alicuicumque tertio, negamus. Atqui Petrus & Ioannes sunt idem uni tertio; similiter minorem distinguimus. Sunt idem uni tertio universali, concedimus; uni tertio singulari incommunicabili, negamus. Ergò sunt idem inter se: negamus consequentiam. En communem Neotericorum omnium satisfactionem, sed meâ sententiâ puerilem potiùs quàm scholasticam. Doceri velim quid significent fulcra illa lexica, quæ opponuntur axiomati, ne corruat. *Quæ sunt eadem uni tertio singulari, incommunicabili* (hoc est, illa quæ identificantur duobus quæ sunt idem realiter) Annon est dicere, *Quæ sunt eadem inter se, sunt eadem inter se?* Ego faciliùs me expedio ab hâc difficultate, illam propositionem maximam, à tot hominibus ineptè assertam, liberè & absolutè denegando. Vide quæ de hoc Axiomate dico, cum alia examino.

Secundò.

An unum & idem accidens possit esse in diversis subjectis.

POtest Deus eandem numero albedinem constituere in diversis subjectis; & nihilominùs erit singularis. Ergo similiter, quamvis admittatur eundem hominem esse in omnibus individuis humanæ speciei, poterit ille homo individuus esse ac singularis.

Vnde individuantur accidentia?

Respondent Reales, negandò posse Deum unam numero albedinem in duobus subjectis ponere. Ratio est, quia albedo ut sic est communis & universalis & coarctatur à subjecto, si enim fuerit in subjecto A, erit albedo A; si in subjecto B, erit albedo B. ac propterea sicut supponitur esse simul in duobus subjectis, debet etiam esse supponi numero multiplicata. At in scholis cæteris concedi debet, potestve, posse unam & eamdem albedinem in diversis subjectis miraculosè collocari: at hoc non obstante debere Vniversalis definitionem retineri; vel quia hoc non potest fieri naturaliter, vel quia universale petit esse in multis, ac singulare non petit esse in multis aut fortè petit non esse in multis. Ergo, ut clariùs procedamus, loquamur sic: *Vniversale, est unum* (subintellige, *non singulare*) *in multis.* & ideò vulgò dicitur *aptum ad essendum in multis,* quia singulare præscindendo à miraculo & potentiâ obedientiali, quam vocant, ad essendum in multis ineptum est.

***

Tertiò.

Quales sint naturæ universales.

RES universales, nec loci nec temporis limitibus circumscribuntur, ideò æternæ esse affirmantur; At quidquid in creatis rebus est, circumscribitur tempore & loco; ergò nihil est quod debeat vocari universale.

Resp. Ideæ universales secundùm se dicunt sua prædicata essentialia, & à duratione & loco, sicut & à singularitate (seu quantitate, hoc est multiplicatione) præciduntur. Secundum se nec sunt æternæ, nec temporaneæ: sed præscinduntur ab utroque. Perennant sanè, sed bifariam. Et in Deo, & in nobis. Prout perennant in Deo,

Quales in Deo, quales in nobis.

æternæ sunt, immensæ sunt, imò & perfectionem includunt infinitam, quoniam sunt ipse Deus. Prout perennant in nobis, contingentes sunt, & mutabiles, & successione conservantur. Idea hominis, exempli gratiâ, secundùm se dicit sua prædicata essentialia, nempè Animal rationale. Prout existit in Deo, Deus est; Deus enim ob perfectionis eminentiam continet omnium creaturarum prærogativas ab omni imperfectione abstractas. Prout existit in nobis finita est, specifica est, communis est, atque corruptibilium perennat successione. Erat in primis hominibus, quibus mortuis in creatis non esset, ni ante eorum mortem ad posteros extenderetur. Unde si delerentur omnes homines, Idea illa hominis communis specifica existeret solùm objectivè.

An possit res aliqua existere, & tamen esse nunquam & nusquam?

Minor etiam syllogismi contra nos objecti, erat falsa. Quia potest dari creatura existens, quæ sit nusquam: imò quæ existat & sit nunquam: sed de hoc in Prædicamentis *Ubi* & *Quando*.

Quartò,

OMnia, quæ sunt in rebus, sunt singularia; ergò non est assignabile universale aliquod; & per consequens, nec una scientia. Assumptum probas. Omnia quæ sunt in rebus, vel sunt Deus, vel condita atque producta à Deo: Deus est singularis, & quidquid producitur est singulare: ergò omnia sunt singularia. Major est evidens, minoris prima pars est per se nota: secundam probas. Omnis actio productiva (docente Aristotele t. *Met. lib. c.* 1.) ordinatur ad suppositum, hoc est, ad individuam substantiam.

An Deus sit singularis?

Resp. Neg. Assumpt. enthymematis primi. Ad probationem, concessâ majore minorem examini subiicio. Deum non esse singularem docuerunt Theologi nonnulli teste Suarin *disp.* 5. *Met. sect.* 1. *num.* 6. ubi legi jubet Durandum *in* 1. *dist.* 35. & alios; sed huic sententiæ non subscribo, qui judico Triados divinas personas esse singularissimas. Illa propositio, *Quidquid producitur est singulare*, distinguenda est. Quia non omnia producta sunt singularia per se, sed plurima per aliud. Petreitas singularis est per se ratio hominis non est singularis ex se, neque per se: fit tamen singularis Petreitate. Homo autem in quantum homo ut sic non producitur, sed in quantum hic homo. Explicatur. Non potest albedo produci quin producatur existens, & nihilominùs in Thomistarum opinione existit existentiâ à seipsâ distinctâ: ergò licet non possit produci quin sit hæc, poterit esse hæc realiter distincta ecceitate.

An essentia ab existentia distinguatur.

ARTICULUS II.

Statuitur dari concreta Universalia specifica, distincta ab Ecceitatibus. Variæ Authorum sententiæ in distinctione hac determinanda.

CCCXXV.

Aut horū & sententiarum classes tres.

HOmo à Petreitate distinguitur: sed quomodò? Aut nullibi, aut hic quot capita, tot sunt sententiæ. Has autem majoris claritatis gratiâ in tres classes dividam Sunto in primâ, Authores omnes, qui distinctionem hanc posuerunt in actibus repræsentantibus: Sunto in secundâ, quotquot distinctionem posuerunt in ipsâ re significatâ: In ultimâ, qui distinxerunt Hominem à Petreitate penes connotata extrinseca, atque diversos terminos.

Sententia primæ classis.

PRima asserit hominem à Petreitate distingui, non intrinsecùs & in se, sed mentis conceptu: quia diverso conceptu exprimitur Petreitas quàm Homo. Primò concipio Petrum expressè. Secundò concipio Petrum confusè. Tertiò concipio differentiam inter horum duorum actuum notitias. Petrus prout expressè cognitus est singularis, quia cognoscitur ut est in se, & in se revera est singularis. Petrus confusè cognitus est homo universalis, quia confusè cognitus non est potiùs Petrus quàm Paulus, sed solùm quispiam homo. Tertiò actu confero has duas notitias & concipio intentionalem utriusque indifferentiam, & tunc concipio Petrum expressè cognitum prout condistinctum à seipso confusè cognito, & iste conceptus vocatur Petreitas; homo enim & Petrus differunt solùm Petreitate.

Quid sit ecceitas.

Hinc constat juxta hos authores singularia primo mentis intuitu expresso cognosci: Abstractionem speciei ab individuo esse cognitionem confusam ejusdem individui; & similiter abstractionem generis à specie esse cognitionem con-

Quid abstractio?

Vniversale mentale.

confusam ejusdem speciei : & hanc abstractionem esse actum simplicem , confusum tameo , & secundarium. Cæterùm substractionem ecceitatis ab individuo, differentiæ à specie fieri tertio actu collativo , qui comparans individuum cum specie cognoscit discrimen , nempè expressionem illam, quam addit individuum supra speciem , & comparans hanc cum genere cognoscit differentiam, nempè expressionem illam, quam addit species supra genus,

Vniversale vocale.

II. sententia à præcedenti in eo differt, quòd voces substituat pro conceptibus , & asserat , *Petrum* , *Hominem* , & *Petreitatem* non re , non conceptu , sed labio dissidere solummodò.

Vniversale scriptum.

III. sententia distinctionem in scripturis & libris Philosophorum collocat , quibus sublatis hæc tria , *Petrus* , *Homo* , *Petreitas*, sine distinctione omninò remanerent.

Sententiæ secundæ classis.

OMnes Authores hujus classis affirmant concretum abstractum & substractum distingui non extrinsecè in actibus significantis, sed in seipsis , sed differunt in modo explicandi,

Vniversale realiter separatum.

IV. sententia asserit speciem non solùm esse distinctam sed & separatam ab ecceitatibus , eamque à singularibus participari. Hæc ab Aristotele & Peripateticis Platoni adfingitur; sed cujuscumque sit, non videtur probabilis , nec plausibiliter posse defendi.

Vniversale Reale.

V. sententia separationem tollit , distinctionem realem actualiter admittit , docetque speciem ab ecceitate realiter actualiter distingui , non aliter ac Petreitatem à Pauleitate : addit tamen speciem esse formam singularis.

VI. sententia affirmat speciem ab individu ... ne differre realiter antè mentis operationem , sanè ut res à re. Individuationem autem esse formam seu actum contrahentem speciem & constituentem eam in esse talis. Quia homo v.g. est subjectum Petreitatis, quâ constituitur in esse Petri.

Vniversale modale.

VII. sententia in hoc tantùm dissidet à quintâ, quod asserat ecceitates non esse res , sed merè modos , in reliquis parallelizat. Putat hâc differentiâ satisfacere aliquibus instantiis quibus quinta non poterat.

Vniversale formale ex naturâ rei.

VIII. sententia asserit speciem ab individuationibus distingui ex rei naturâ , hoc est distinctione verâ existente in rebus ante operationem intellectus , quæ sit major distinctione rationis, & minor distinctione actuali. Hanc distinctionem vocant sæpè *realem ex naturâ rei*. Realem dicunt , ut exprimant non esse ab intellectu fictam : addunt illud *ex naturâ rei* , ut eam ab aliis distinctionibus (nempè physicâ & modali) distinguant.

Vniversale potentiale.

IX. sententia eorum est , qui universale credunt esse ante ecceitates non re sed potentiâ , quæ ad actum nusquam reduci potest. Quod si instes nullam dari potentiam, quæ non possit reduci ad actum. Respondent naturam hominis quantum est ex se non petere esse in singularibus , quia extra singularia existeret , si extra ea crearetur. Per accidens autem non potest hæc potentia reduci ad actum , quia non potest productio universale sine singulari pertingere. Vnde si daretur virtus productiva , quæ crearet speciem hominis sine individuationibus, tunc potentia speciei ad connaturalem existendi actum reduceretur.

An detur potentia ad actum, qui sit impossibilis

Vniversale fundamentale, formale: rationis ratiocinatæ: quod plurimi vocant virtuale.

X. sententia eorum est , qui Vniversali actui intellectûs præponi existimant , non actu, sed solùm fundamento , quia in eorum opinione species ab ecceitatibus distinguitur distinctione rationis ratiocinatæ , quia potest homo concipi non conceptâ ecceitate , & è converso. Idcircò dicunt non dari ante mentem universale formaliter; sed fundamentaliter , quia datur in rebus ipsis quæpiam capacitas , seu fundamentum , ad hoc ut una formalitas sine aliâ concipiatur. Aliqui authores adhuc conantur reducere nonam sententiam præcedentem , exponentes illam potentiam esse in ordine ad esse objectivum ; non verò in ordine ad esse existentiale. Ipsorum est Hurtadus *disp. 5. Met. sect. 6. §. Aliam exposit. hoc est nu.* 47. *Hispana, & nu.* 59. *editionis Lugdunensis.* Malè autem hæ duæ poterunt sententiæ conciliari: quia ab authoribus octavæ sententiæ asseritur natura secundùm se habere capacitatem , ut existat sine ecceitatibus , quæ potentia ad actum non reducitur defectu causæ operatricis : propugnatores autem hujus sententiæ nonæ affirmant naturam secundùm se habere capacitatem & potentiam , ut cognoscatur sine individuis , & addunt hanc potentiam ad actum reduci , quoties concipitur universale.

An octava, nona, & decima sententia distinguantur

An natura abstracta ab uno sit universalis?

XI. Alii duplex fundamentum dari asserunt , ad hoc ut natura fiat universalis , existimant enim dari unitatem intermediam, quæ nec sit specifica nec singularis. Dicunt naturam humanam abstractam à Petro exempli gratiâ , non esse universalem , quia Petrus non componitur ex naturâ communi & Petreitate. Inde est quòd per duos actus natura fiat universalis. Per primum abstrahitur natura à Petreitate , sed is non sufficit reddere eam universalem , quia adhuc natura remanet semi-contracta, & eget ulteriore abstractione , quâ à propriâ singularitate denudetur , fiatque universalis. Secundum hanc sententiam dicere oportet hominem abstractum à Petro non posse de Paulo prædicari , species enim ut de omnibus verificetur ab omnibus præscindi debet.

***

Sen-

Sententia tertiæ classis.

CCCXXVI. *De connotatis.* SEntentia duodecima considerat diversas potentias in supposito, & exprimit id in ordine ad easdem, & sic penes connotata extrinseca distinguit gradus genericos, specificos & individuales. Petrus habet potentiam movendi se ab intrinseco, virtutem sensitivam, & perfectionem rationalis. Hæc est communis solis hominibus, sensus reperitur etiam in brutis; vegetatio motus vitalis est qui convenit etiam bruto & arbori. Consideratis istis potentiis formant suas idêas hoc modo. Primò concipiunt Petrum expressè & iste conceptus solùm potest prædicari de Petro identicè, quoniam & ipsi & uni competit. *Petrus.* Secundò concipiunt Petrum confusè prout habet potentias rationales, & iste conceptus est specificus, quia omnibus hominibus convenit, omnes enim habent rationales potentias. *Homo.* Tertiò concipitur prout habet sensus, & conceptus iste est genericus prædicabilis etiam de brutis, quia hæc etiam donantur sensibus atque potentiis animalibus. *Animal.* & sic in posterum usque ad summum prædicatum Ens, quod est genus generalissimum in quo conveniunt universa. *Ens.* *An ens sit genus?*

Ultima sententia, non potentias sed actus respicit, tùm quia multi has à suppositis non distingui asserunt, tùm etiam quia hæ specificantur à suis actibus, & ideò faciliùs sumitur denominatio ab ipso actu, qui ex se specificativus est, & non specificatur ab extrinseco. Quia specificatio quam ab objecto sumit est merè materialis. Do exemplum. Actus videndi, verbi gratiâ, in se habet quod actus visivus sit, ab objecto recipit, quòd hujus rei alteriusve visivus sit. Specificat autem potentiam non in quantum albedinem respicit sed in quantum colorem ut sic.

HÆ SUNT plausibiliores sententiæ de Universali & Singulari. Plurimæ circumferuntur aliæ, quas judicavimus, probabiles, & ideò non volui recensere. Ex his autem pleræque sunt propter suos authores commendabiles, instruunturque fundamentis satis firmis & solidis ut possint tueri se, & antagonistas adoriri. Iuvabit singulas resumere atque penitiùs explicare.

DISPUTATIO IV.

Utrùm una & eadem res possit simul esse similis & dissimilis?

TOta Universalium doctrina à similitudine & dissimilitudine nascitur. Hinc sumuntur Platonis, hinc Scoti, hinc D. Thomæ, hinc Nominalium, & aliorum argumenta præcipua & ut ea benè intelligas, adnotato bifariam posse hanc quæstionem intelligi. Nam vel quæritur, An una & eadem res possit esse similis, & dissimilis respectu diversarum? vel respectu alîus? Certum est enim, equum in animalitate esse similem Petro, & in eâdem dissimilem arbori at non ita certum, aut saltem non ita liquidum & clarum, an equus Petro sit simul similis & dissimilis? *Plato: S. Thomas: Scotus.* Putat Plato similitudinem & dissimilitudinem respectu ejusdẽ termini eidem realitati convenire non posse? D. Thomas, Scotusque fatentur eamdem rem alteri esse posse similem & dissimilem, sed non in eâdem formalitate, ideòque hominem, ex. gr. quia est æquo similis & dissimilis, in formalitates duas distinctum iri, nimirùm, in animalitatem & rationalitatem & in primâ docent esse similem equo, in secundâ dissimilem. Alij existimant unam & eamdem formalitatem similem & dissimilem esse posse, si ad diversa connotata comparetur, aut habeat diversas circumstantias,

ARTICULUS I.

Iuniorum aliquorum sententia.

CCCXXVII. REcentiores nonnulli apud Arriagam *disp. 5. Logicæ sect. 2. subsect. 4. num. 14. pag. 91.* affirmant hominem v. g. comparatum cum equo, non posse esse illi similem & dissimilem simul. *Similitudo & dissimilitudo.* Quorum ratio ea videtur esse, quia dissimilitudo est idem quod non-similitudo; sed similitudo & non-similitudo sunt contradictoria, ergo. Confirmatur exemplo æqualitatis & inæqualitatis, quæ non possunt esse in eodem respectu ejusdem: eo enim ipso quòd Petrus sit æqualis Ioanni in altitudine, nõ potest esse illi inæqualis in eâdẽ altitudine? ergo neque similis & dissimilis simul: *Æqualitas & inæqualitas.* & hinc inferunt, res diversæ speciei omninò esse dissimiles, nisi summum extrinsecè ab operationibus similibus, quas possunt elicere: individua verò ejusdem speciei omninò esse similia, etsi distincta.

Sed

An opponantur contradictoriè.

Sed hæc sententia à plerisque reiicitur: multis enim hi Authores displicent, quòd dissimilitudinem esse non-similitudinem asserant, ac si contradictoriè opponerentur: putant enim, dissimilitudinem ac similitudinem esse terminos positivos, & minùs rigorosè opponi. Exemplum æqualitatis & inæqualitatis admittitur, at floccidum esse videtur: qui enim asserunt Petrum esse cani similem & dissimilem, asserent etiam multas figuras aliis esse simul æquales inæqualesque.

Possunt duo triangula esse similia & dissimilia simul, nec non æqualia & inæqualia.

Primò enim quadratum BCHGE est, in areâ æquale triangulo ABC. [quia triangulum AECA est rectangulum æquicrurum, in quo quadratum ABDCA est duplum quam quadratum ECHGH. ergo si à duplo auferas dimidium, manebit æquale.] & in linearum & angulorum numero eidem ipsi quadrato æquale. Secundò, si triangula NOP, & RST. sunt rectangula, erunt similia & dissimilia, æqualia & inæqualia: Nam angulus O erit similis & æqualis angulo S. & cæteri possunt esse dissimiles & inæquales.

Progredior ulterius & eos pronuntio exesse à castris Scoti, cum ad operationes recurrunt: & præter inconsequentiam etiam eos erroris incuso. Et sic arguo. Non omnis similitudo & dissimilitudo sumi debet ab operationibus: ergo. Probatur antecedens quia ipsæ operationes sunt similes & dissimiles inter se, sensatio v. g. hominis & equi sunt similes in ratione sensationis, & sunt dissimiles in ratione rationis. Rogo ergo, illa similitudo est illis extrinseca, an non? si extrinseca, ergo per alias operationes ab ipsis productas; & præterquam quod eas non habent, de illis etiam rediret argumentum, & procederet in infinitum contra rectam rationem. Si verò dicar, eam similitudinem & dissimilitudinem operationum esse intrinsecam, ergo iam admittunt similitudinem & dissimilitudinem simul inter duo, quin ad operationes & extrinseca connotata recurrant.

An distinctio debeat ab operationibus sumi?

Puto hanc sententiam, quam impugno, multa complecti adversa, & ad diversas scholas spectantia: & puto à nemine mortali defensam, sed quia illam proposuit Arriaga, illam etiam posui & exposui: & quid possit in eâ admitti aut reiici, breviter declaravi.

ARTICULUS II.

Vera opinio.

Axioma vera opinionis.

Est commune proverbium: *Simile, si in omnibus esset simile, non esset simile, sed idem*: quo innuitur, similitudinem præcisam à dissimilitudine, sicut omnem dissimilitudinem, sic etiam omnem distinctionem excludere. Et hoc ipsum, ne inducta videar aut seduci apprehensione vulgari, axiomate communi fundata, sic discurro. [*Impossibile est duo distincta esse omninò similia*: ergo quæ sunt omninò similia non sunt distincta.

Assertio prima.

Probo antecedens. Si Petrus distinguitur à Ioanne, erit verum dicere, *Petrus non est Ioannes*, & tamen non erit verum dicere, *Ioannes non est Ioannes*. Ergo Petrus habebit aliquid (positivum aut negativum) quod non habeat Ioannes: ergo non erunt omninò similes Petrus & Ioannes.]

Assertio secunda.

Progredior ulteriùs [*Petrus & Paulus, Homo & equus, sunt partim similes & partim dissimiles*: Ergo, si ratio, in quâ sunt similes, præscindatur ab omnibus rationibus, in quibus differunt, erunt in illâ ratione omninò similes. Ergo, si ista abstractio aut præcisio possit fieri realiter, erunt realiter omninò similes: si fiat formaliter, erunt formaliter omninò similes. Ergo quo sensu astrahuntur omnes rationes dissimilitudinis, eo manebunt omninò similes. Ergo eodem erunt unum & idem. Ergo, si in Petro præcidas rationem hominis à Petreitate, & in Ioanne à Ioanneitate, non manebunt duæ rationes hominis, sed una. Ergo quo sensu (reali aut formali) fiat hæc abstractio, eodem ipso in utroque erit ratio hominis una. Probatur penultima consequentia: Quia humanitate præcisâ à Petreitate nihil habet ob quod potiùs pertineat ad Petrum, quàm ad Ioannem; ergo nihil, ob quod potiùs repugnet Ioanni quàm Petro: ergo est una & utrique (imò omnibus aliis) communis. Probatur antecedens. Quia, si præcisa à Petreitate, adhuc competit Petro & non Ioanni, est præcisa & non præcisa: præcisa, quia supponitur: non præcisa, quia adhuc retinet taleitatem, quam in Petro Petreitatem, in Ioanne Ioannitatem vocamus.

Sicut de æqualitate, sic etiam de similitudine philosophari debet.

Hanc doctrinam exemplo clarissimo dilucidemus. Sit triangulus BFD. albus, cæteri diversorum colorum (puta ABF. stanneus: BCD. cupreus: DEF. ferrugineus) & inquiro, An parallelogramma ABDFA: BFDCB: BDEFB: sint æqualia? an non sint similia? Respondebis esse æqualia: esse similia; & esse dissimilia. Esse æqualia patet: quia constant æqualibus lineis & angulis. Esse similia patet: quia omnia habent triangulum album communem. Esse dissimilia patet, quia unumquodque habent præter album, alterum triangulum in quo à cæteris parallelogrammis discriminentur. An-ne hæc parallelogramma sunt omninò similia? Minimè: nam partim similia, & partim dissimilia sunt. Omnia ergo sunt similia in triangulo albo. Hunc à cæteris præcindamus: an manebunt multi albi? (alius, qui pertineat ad stanneū, alius ad cupreum, alius ad ferreum?) minimè. unicus & solus erit triangulus albus, qui illa tria parallelogramma constituat.

De abstractione.

Quid, si eodem modo de genere, differentiia, & speciebus philosophandum sit? Triangulus albus BDFB. qui communis est omnibus, sit animal: ABFA. latrabile: BCDB, hinnibile: & DFE sit rationale. Ergo ABDFA erit canis, CBFDC erit equus, BDEFB homo. Præscinde igitur à tribus istis animalibus (cane, equo, homine) rationem animalis ut sic: an-ne erunt tres rationes animalis, an unica? tot erunt, quot manebunt trianguli albi, si à parallelogrammis

datis

dans triangulos ferreum, stanneum, & cuprenm excidas. Sed quot albi manebunt? unus: unus.

ARTICULUS III.

Arriagæ scrupuli expunguntur.

CCCXXX. MVltos movet in re clarâ & ante eum à nemine ad dubium reductâ, Disputatio-oc enim citata sic ait: Si, quid sentiam, fateri licent, arbitror, hos Auctores solis vocibus abuti: neque enim illi aut ullus alius negare potest, equum à parte rei verè existere, & esse substantiam & principium sentiendi intrinsecè, rursùsque hominem existere tam verè ac propriè ac existit equus, itidem & esse substantiam & principium sentiendi intrinsecè, non secùs ac equum. In hoc nullus potest discordare de re; an autem id vocandum sit similitudo, an verò ad hanc requiratur ut omninò conveniant inter se, arbitror esse de nomine, & in illâ errasse Auctores contra communem modum loquendi: nam roga rusticum quemlibet, an homo & equus sint similes in hoc quod est *vivere*, respondebit profectò esse similes; item in hoc, quod est posse videre, audire, &c. item magis similes esse inter se hominem & equum, quàm hominem & lapidem; ergo nomine *similitudo* non intelligitur totalis convenientia, ergo potest dari inter res diversæ speciei. Convincuntur alij hoc argumento: verùm quia censent similitudinem & dissimilitudinem opponi aliquo modo inter se, confugiunt ad distinctionem virtualem, (*formalem potius*) quem ipsi ponunt inter animalitatem & rationalitatem, ratione cujus dicunt posse similitudinem & dissimilitudinem in eodem homine reperiri respectu ejusdem equi. Non dubium, quin, ubi fuerit ea distinctio, possit esse similitudo & dissimilitudo: verùm eam non esse necessariam, probo clarè: (*Attendamus quæso, & claram hanc probationem audiamus.*) Quia adhuc rationalitas, ut distincta virtualiter ab animalitate, est similis & dissimilis hinnibilitati equi, ergo ad similitudinem & dissimilitudinem non requiritur ea virtualis distinctio. Consequentia est evidês, Antecedens patet. Et quidem eam rationalitatem sic distinctam esse dissimilem, tu fateris: esse verò similem, ego probo: Quia ut sic distincta est ens, ergo est similis hinnibilitati, quæ etiam est ens. Deinde utraque est differentia animalis, & petit identificari cum animali, ergo etiam ut sic distincta est similis in prædictis; ergo similitudo & dissimilitudo possunt reperiri in eodem respectu ejusdem sine ullâ distinctione etiam virtuali (*aut ut loqui deberent* formali.) Hæc Arriaga.

An homo & equus in vita ratione conveniât?

Probatio Arriagæ.

Hic duos scrupulos videris, alterum de nomine similitudinis, alterum de rationalitate. *Primum* excidunt ea, quæ superiùs retulimus, ubi similitudinem divisimus in perfectam, imperfectamque, asserentes perfectam & adæquatam similitudinem sine identitate reperiri non posse; & addemus non quamcunque identitatem ad similitudinem adæquatam sufficere, sed negativam, quanta est inter Petrum & Petrum: nam identitas positiva, qualis est inter formalitates duas (v. gr. inter Animal & Rationale) benè potest (imò debet) sine similitudine adæquatâ inveniri. *Secundum* Arriaga centies movet, & ipsum duobus modis excidimus: nam distinguimus inter prædicata substantiva & adjectiva, & hæc esse transcendentia docemus: nam sicut in quercu, nec ramus est quercus, nec radix est quercus, nec folium est quercus: & tamen ille est querneus, & ista est quernea, & hoc est querneum; sic etiam ultimæ differentiæ sunt entes, at non Entia. Etsi inire aliam viam velimus, dicemus, Ens substantivum esse prædicatū transcendentale, & permeare ultimas omnes differentias, & tamen id non obesse abstractionis & præcisionis legibus, quia omnes differentiæ sunt modi formales, & quia à modis realibus res separari realiter potest & solet, non verò contrà, ideò ab eisdem differentiis ratio Entis abstrahi & præscindi potest: at illas ab Ente non potest. Vterque modus est satis probabilis & sufficiens, sed quia hæ propositiones *Rationalitas est animalitas*, & *Rationalitas est animalis*, quarum prior est falsa, & posterior vera, persuadere videntur de differentiis suis non prædicari rationem communem substantivè sed adjectivè, ideò volo primam potiùs solutionem tenere, quàm secundam. Moneo tamen, ut hæc duo, valdè diversa, à meo Lectore distinguantur: aliud enim est *dari similitudinem perfectam totalem & adæquatam*, & aliud omninò diversum, *non dari dissimilitudinem perfectam totalem & adæquatam*: nam Arriagæ ratio solùm evincet (etsi concedamus omnia, omnia) rationalitatem hominis & hinnibilitatem equi non esse omninò diversas; non tamen vel apparenter suadebit animalitatem hominis & animalitatem equi, non esse omninò similes, & quia perfectè totaliter & adæquatè sunt similes, coincidere in eamdem omninò formalitatem.

Similitudo duplex: perfecta & imperfecta. Adæquata & inadæquata.

Positiva & negativa.

Prædicatum est duplex: substantivum & adjectivum.

Ens est transcendentale.

Modi formales sunt formalitates modales.

An animalitas hominis & equi sint omninò similes?

Hinc patet decipi Philosophos, qui dicunt, nullam posse inveniri similitudinem adeò summam, quæ secum non habeat aliquam dissimilitudinem; quantumvis enim Petrus v. g. & Paulus sint similes, adhuc sunt dissimiles aliquo modo: eo enim ipso quòd distinguantur, Petrus habet negationem Pauli, quam non habet Paulus, unde necessariò debent aliquo modo esse dissimiles. Ex quo ulteriùs inferunt, similitudinem non negare omnem dissimilitudinem, nec cum illâ opponi. Horum Philosophorum dogma non mihi uni sed & Arriagæ displicet: dicam cur mihi, & statim cur Arriagæ displiceat, explicabo.

An similitudo omnis dissimilitudinem involvat?

Mihi isti Authores *displicent primò*, quia negant perfectam & adæquatam similitudinem; nam animal hominis & animal equi sunt perfectè & totaliter similia, adeòque non sunt duo animalia, sed unum animal: & hoc CCCXXXI.

In homine & equo est unum animal.

in

In omni scholâ. *Displicent secundo*, quia à similitudine ad dissimilitudinem argumentum diducunt: & hanc ob rem ut dubiam aut probabilem propositionem probent, falsam evidenter assumunt. *Displicent tertio*, quia exempli gratiâ Petrum & Paulum producunt, quos esse partim similes, & partim dissimiles universi fatemur: cum vel hominem Petri & hominem Pauli deberent; quos (si liceat pluraliter loqui, in re tam unâ) esse omninò similes pronunciamus. *Hæc* specialiter in horum Authorum doctrina observanda putavimus: videamus modò, quid in illis Arriaga regerat, aut admittat.

In Petro & Paulo est unus homo.

Non placet hæc doctrina, ait: Sed cur? quia in ipsâ confunditur dissimilitudo cum distinctione: ex quâ videtur rursus inferri, etiam individua ejusdem speciei esse omninò dissimilia.

At Ego unde illa sequela inferatur non video: & volo eam ab Arriaga probari. Et ille hoc argumento utitur. [Quæ sunt omninò distincta, sunt omnino dissimilia: At individua ejusdem speciei sunt omninò distincta: Ergo & omninò dissimilia. Et hoc argumentum à priori, ut ait, confirmat. Quia dissimilitudo consistit in eo, quòd Petrus v.g. habeat prædicatum, quod idem omninò non habet Paulus; ergo, cùm omnia prædicata Pauli sint distincta numero à prædicatis Petri, nullam poterit habere Paulus similitudinem cum Petro, cùm nullam habeat cum eo identitatem.] Et respondeo concedendo prioris argumenti majorem, & negando minorem: nam individua ejusdem speciei non possunt specie distingui; ergo debent in specificâ ratione non distingui. Et ad confirmationem dico, ne unum quidem in illâ verbum esse, quod falsum non sit. *Primo* enim falsum est, ad dissimilitudinem requiri quòd prædicatum aliquod singulare sit in uno, & non sit in altero: quia homo & equus sunt dissimiles; & tamen in neutro est aliquod singulare prædicatum. *Secundo* falsum est omnia prædicata Pauli esse numero distincta à prædicatis Petri: quia homo, animal, vivens, &c. sunt prædicata communia utrique: & ipsa non sunt singularia, nec distincta numero. Quando dico *Petrus est homo*, & *Paulus est homo*, non prædico duos homines distinctos numero, alterum de Petro & alterum de Paulo; sed unum & eundem specificum, qui est unus in multis & prædicabilis de multis. *Tertio* falsum est nullam habere similitudinem Petrum & Paulum: sunt enim similes, in ratione hominis. *Et quarto* falsum est eosdem nullam habere identitatem: sunt enim omninò similes in ratione hominis adeoq; idem: nam negativa illa identitas (quâ major esse nulla quærit) est similitudo totalis.

An individua ejusdem speciei sint omninò distincta?

CCCXXXII. *Objectio.* Contra se pro doctrina communi hanc Arriaga objectionem efformat. [Dices non requiri ad similitudinem, ut in Petro & Paulo sit idem numero prædicatum; nam similitudo non est identitas: sed sufficere, si sit aliud simile.] Sed quis tam levibus volet armis tam fortem Pugilem oppetere? Contra hanc objectionem ingenii sui vires exserit Arriaga, nec mirum, si eam expugnet; objectio enim tot ineptiis plena, mole ruet suâ nec arietatore indigebit. Ergo, ut Arriaga directè respondeat eamdem eliminemus, & ad veritatis regulas corrigamus. [Dico igitur non requiri ad similitudinem, ut in Petro & Paulo sit idem numero prædicatum: nam similitudo & identitas sunt duo nomina, & eadem res: unde, si similitudo sit realis, erit identitas realis: si formalis, formalis: & si similitudo sit totalis, erit identitas totalis, & si partialis, partialis. Sed sufficere ut sit idem specie, aut idem genere: idem specie, ut in Petro & Paulo: idem genere, ut in Cane & Equo.] Hæc est vera doctrina, & in omni scolâ, Platonica, Scotisticâ, Thomistica, Nominali, &c.) admissa, quam debet Arriaga impugnare. Sed quid contra reponit? Primò, posse Petrum & Paulum esse omninò similes, etiamsi non habeant eadem numero prædicata, quia habent illa omninò inter se convenientia. Unde, licet Petrus non habeat negationem Petri, quam habet Paulus, adhuc in illâ erunt similes, quia Petrus habet negationem Pauli, quæ est similis negationi Petri, quia Petrus & Paulus sunt similes; & consequenter negationes habebunt etiam similitudinem ex similitudine terminorum quos negant.

Est levis.

Reformatur, & roboratur.

An in Petro & Paulo sint negationes similes simul & dissimiles.

Respondeo universa stridere: repugnat enim Petrum & Paulum esse omninò similes, conveniunt enim in ratione hominis, & in taleitatibus differunt: & hoc in omni Scholâ. Eodem modo loquar de negationibus, quia convenient in esse negationis & in taleitatibus different. Quæ tam sunt clara, ut mirer esse aliquem, qui à nobis differat.

Secundo. Dissimilitudo non consistit in distinctione, ait Arriaga, quandoquidem summa distinctio, non arguit summam dissimilitudinem.

Et respondeo dissimilitudinem & distinctionem duo esse nomina ejusdem rei: adeò que summam distinctionem esse summam dissimilitudinem: at inter Petrum Paulumque, sicut summam dissimilitudinem, sic & summam intercedere distinctionem diffiteor.

An dissimilitudo differat à distinctione?

Tertio arguit sic. Similitudo ex genere suo opponitur dissimilitudini, sed distinctio per te non opponitur similitudini: imò ad illam requiritur; Ergo dissimilitudo non potest consistere in sola distinctione; Ergo malè ex distinctione formaliter inferebas dissimilitudinem. Et hinc arbitratur, individua ejusdem speciei quantumvis distincta, posse esse similia, quia sola distinctio non efficit dissimilitudinem, quod inde etiam colligit, quod in ratione distincti, tam est distinctus Petrus à Paulo, quàm ab equo, & tamen magis est dissimilis equo quàm Paulo; ergo non sola distinctio infert dissimilitudinem, ergo non ex distinctione individuorum præcisè.

An Petrus tam sit distinctus à Paulo, quàm ab Equo?

Respondeo similitudinem & dissimilitudinem opponi: nego autem distinctionem non opponi similitudini: & miror poni illud per te. Ad ea, quæ Arriaga arbitrabatur,

Individua similia & distincta esse possunt. respondeo individua ejusdem speciei posse esse similia & distincta; non tamen in eadem ratione; nam in formalitate, in quâ similia sunt, non distinguuntur: Et in quâ distinguuntur, sunt dissimilia. Nego præterea, Petrum tam distingui à Paulo, quam ab equo: *Plus distinguitur Petrus à Paulo, quàm ab equo.* nam ab illo distinguitur specie, ab isto genere; ab illo in ecceitate: & ab isto in differentia & ecceitate: quidquid enim demptâ Petreitate habet Petrus, & totum habet Paulus: id tamen totum non habet equus.

ARTICULUS IV.

Quæstio incidens.

CCCXXXIII. LEctis præcedentibus nova dubia excitas, & quia vides similitudinem & dissimilitudinem opponi, interrogas, *An omnis similitudo opponatur omni dissimilitudini?*

Contraria possunt in gradibus remissis componi. Huic dubio respondeo duas res non posse esse similes & dissimiles in eâdem indivisibili formalitate: at posse in divisibili: nam Petrus quà homo nec est omninò similis equo, nec omninò dissimilis, sed partim similis & partim dissimilis: Petrus autem quà animal est omninò similis equo: & quà rationalis est omninò dissimilis. Consono, quoad substantiam nunc Arriagæ, quia in modo explicandi dissentio. Ille igitur *disp. 5. Logicæ num. 19. pag. 92.* respondet stare optimè aliqua duo ex genere suo opponi, & tamen sese compati in gradibus remissis. Obscuritas v.g. opponitur claritati, quia obscuritas dicit negationem lucis, claritas verò lucem: Vnde respectu ejusdem lucis, seu in eodem gradu lucis, nequeunt simul reperiri, id est lux ut quatuor, & obscuritas major quam ut quatuor; cum hoc tamen stat, ut claritas & obscuritas in gradibus remissis non opponantur; neq; enim negatio lucis ut octo opponitur cum luce ut quatuor. Similiter, licet currere & non currere opponantur, non tamen repugnat aliquos currere, & aliquos non currere; repugnat verò, omnes currere & aliquem non currere: sicut, esse summam obscuritatem, & esse aliquam claritatem. Eodem prorsus modo de dissimilitudine philosophandum est: nam similitudo ex se potest esse major & minor, neque enim consistit in indivisibili; quare licet summa similitudo opponatur cum dissimilitudine, aliqua tamen similitudo non opponitur cum aliquâ dissimilitudine. Quando ergo affirmo, Petrum esse similem equo, non affirmo omnimodam similitudinem, sed solùm partialem & genericam; quando autem posteà affirmo de eisdem dissimilitudinem, non nego primam similitudinem, quam affirmaveram, sed aliam specificam & majorem, quæ non fuerat affirmata per primam similitudinem. Et ut uno verbo dicam, idem est dicere, *Petrum & equum esse similes & dissimiles*, ac dicere, *eos esse similes, non tamen omninò*: esse autem similes non opponitur cum hoc, quod est non esse omninò similes: ergo similitudo & dissimilitudo non opponuntur inter se, si neutra sit totalis, etiam in eâdem indivisibili formalitate. *Sic ille.*

An omnia, quæ asserit Arriaga, sint vera? Dixi vel ex parte me dissentire ab Arriaga, & tu videre vis, in quo cum illo sentiam, aut non sentiam. Eamdem rem alteri posse esse simul similem & dissimilem, ait: consentio. At, quia recurrit ad intensionem, ut coexistentiam istam explicet, quando ego ad extensionem qualitatum recorro, notissimus dissensus est. Similitudo & dissimilitudo qualitates non sunt, intendi nequeant, si intensionis nomen rigorosè sumamus: relationes sunt, extendi possunt. Quamobrem iterùm dico, similitudinem & dissimilitudinem respectu ejusdem termini non posse inesse eidem indivisibili formalitati.

Objectio. Sed objicies. Etiam in ratione genericâ est dissimilitudo. Ergo jam coincident similitudo & dissimilitudo in eandem indivisibilem rationem genericam. *An ratio generica partim similis, & partim dissimilis sit?*

Respondet Arriaga ipsam rationem genericam esse similem genericè, id est, partialiter; eamdem autem esse etiam dissimilem specificè, id est, partialiter dissimilem: non autem repugnat eamdem rem esse partim similem & non partim similem, neq; enim per secundam dissimilitudinem negatur prima, sed alia.

Sed quid est, quæso, rationem genericam esse similem genericè, & dissimilem specificè? Non intelligo. Putabam genus non esse speciem suam, sed ab illâ, aliqua distinctione (reali, formali; intrinseca, extrinsecâ: &c.) differre: sed hîc aliquid me volunt docere, quæ non potero addiscere.

Responsio. Respondeo igitur ad objectionem, inter hominem & equum v. gr. nullam esse in ratione genericâ dissimilitudinem: nullam esse in ratione differentiali similitudinem: partialem esse in ratione specifica similitudinem & dissimilitudinem: hic enim equus, quà animal est Petro omninò similis: quà hinnibilis est omninò dissimilis: & quà equus, est partim similis & partim dissimilis.

ARTICULUS V.

Quæstio altera.

CCCXXXIV. RElegis Articulum secundum, & quia eodem modo de similitudine, quo de æqualitate philosophor, producis contra me Arriagam aliter de similitudine & aliter de æqualitate discurrentem. Æqualitatem, ait, consistere in indivisibili, unde non potest esse major vel minor, quare non compatitur æqualitas inæqualitatem aliquam quantumvis minimam, unde non mirum; si repugnet, simul eandem rem esse æqualem & inæqualem alteri; non verò, esse similem & dissimilem propter rationes datas. *An æqualitas consistat in indivisibili, an etiam similitudo?* Et si interrogem, Cur æqualitas consistat in indivisibili, non verò similitudo. Respondeo ideò, quia æqualitas significat habere tantum quantum alterum, & non plus, ubi non potest esse magis & minus. Similitudo autem præcisè dicit esse instar illius, potest autem magis & minus esse instar illius; quod tandem ad significationem vocum reducendum est. *An sit quæstio de nomine?*

Respon-

Respondeo non esse quæstionem de nomine, sed de re; & similia majorem unitatem dicere, quàm æqualia. Addo nihilominùs eodem modo de utrisque esse philosophandum: quia sicut eadem indivisibilis formalitas alteri indivisibili non potest esse æqualis & inæqualis, ita nec similis & dissimilis. Quod, si contendat Arriaga rationalitatem & hinnibilitatem esse partim similes, partim dissimiles, non evincet unam indivisibilem formalitatem respectu ejusdem termini similem & dissimilem esse; sed inferet differentias, quæ contrahunt genera, esse divisibiles; de quo non disputamus modò, sed suo loco sumus disputaturi.

An ultimæ differentiæ (rationalitas & hinnibilitas) sint similes? an sint divisibiles?

DISPUTATIO V.

An in materia hac argumentari liceat rationibus à mysterio Trinitatis desumptis?

CCCXXXV. *An dentur formalitates in divinis?*

AEquè Thomistæ ac Scotistæ, ut exponant sua sensa, ad altissimum mysterium Trinitatis recurrunt. Inter essentiam & relationes inveniri formalem distinctionē supponunt, eamque debere transferri ad creaturas contendunt. Sed contra alii præcisiones tam Scotisticas quam Thomisticas rejiciendas existimant; ajuntque Petrum de Tarantasiâ, qui posteà Innocentius V. fuisse accusatum à Patribus Dominicanis, quod præcisiones objectivas in divinis admiserit. Vnde inferunt has militare si non contra fidem absolutè, saltem contra fidem ad mentem Angelici Doctoris expositam. His tamen non obstantibus distinctio formalis in divinis admitti debet: & inquiri, An etiam in humanis possit? Admittunt illam in creaturis docti viri: & ut probent, sic ajunt. [Paternitas & divinitas sunt idem realiter, & tamen Filio communicatur divinitas & non paternitas: & hoc quia paternitas divinitasque sunt duæ formalitates; distinctæ ratione, ut vult Doctor Angelicus: aut ex natura rei, ut vult Scotus. (rejicio distinctionem virtualem, quam esse liberam & moralem, jam superiùs ostendi.) Ergo, tametsi animalitas & rationalitas sint idem realiter, siquidem distinguuntur formaliter (ratione D. Thomæ: & ex naturâ rei Scoto) poterit animalitas cognosci & rationalitas non cognosci: cùm abstrahitur genus: &c.] Et affirmo hanc esse rationem fortissimam; & humana esse multis erroribus obnoxia, nisi dirigerentur. Iuvant nos Philosophica, ut divina rimemur: & juvant nos divinitùs revelata, ut humana noscamus.

An etiam in humanis?

Sic ego: at multò aliter Rodericus Arriaga *disp. 5. Logicæ sect. 2. subsect. 2.* ubi asserit non debere ad res creatas argumentum à Trinitatis ineffabili mysterio desumi. *Et probat primò,* differendo tantam esse difficultatem Mysterii Trinitatis, ut fortassis propter illud dixerit Paulus captivandum intellectum in obsequium fidei, & scrutatores Majestatis opprimi à gloriâ; res enim adeò difficilis & abstrusa nobis est, ut nostrum effugiat captum, qui scilicet fieri possit, ut eidem indivisibili entitati illa duo prædicata contradictoria conveniant: explicari autem res creatas per hoc adeò difficile exemplum, est res faciles per difficillimas intelligere. *Probat secundò.* Quia, si ex divinis liceret argumentari ad creata, etiam posset inferri, animalitatem posse produci, quin producatur rationalitas: quod neq; ipsi adversarii somniarunt. Sequela patet, quia in divinis hæc duo prædicata, *produci & non produci*, conveniunt uni indivisibili entitati Filii, nam producitur secundum filiationem, & non secundum essentiam divinam. *Probat tertiò,* Quia etiam ex eodem fundamento inferri posset, res omnes creatas esse idem realiter inter se, & virtualiter (*formaliter, deberet dicere*) solùm distinctas: & quando una illarum perit, altera producitur: una movetur, altera quiescit, id fieri secundum diversas formalitates ejusdem entitatis, quia (ut demonstratum alibi est) tam contradictoria prædicata sunt, *cognosci & non cognosci*, quàm *produci & non produci, moveri & non moveri*, & similia. *Probat quartò,* asserendo, multa posse Deo convenire propter summam ejus infinitatem, quæ repugnant creaturæ propter hujus limitationem. Deo convenit intelligere per suam substantiam sine actu distincto, quod tamen in sententia adversariorum repugnat creaturæ. Deo repugnat moveri, mutari, & alia similia, quæ non repugnant creaturis. Cùm ergo Deus ex unâ parte propter suam infinitatem necessariò careat compositione physicâ, & ex aliâ parte non possit natura divina esse multiplex, sed unica tantùm in tribus personis, quæ omnia non possunt intelligi sine virtuali (*formali, potiùs*) distinctione in ordine ad ea duo prædicata contradictoria, non licet ponere in creaturis similem distinctionem, cùm neque creaturarum perfectio, neque ulla ratio efficax possit esse ad illam ponendam; imò potiùs, ut jam dixi, si semel poneretur, non esset ullum fundamentum ad distinguendas inter se crea-

Quibus [illegible] mysterium Trinitatis?

Præmissa debent esse clariores consequentiâ?

An animalitas produci possit rationalitate productâ?

An generationes & corruptiones sint formalitatum tantummodo?

An creatura intelligere possit sine intellectione distincta?

An Deus moveri possit?

se realiter creaturas, & consequenter destrueretur tota philosophia. *Probat quinto*, quia hæc formalis distinctio tam sublimis & supernaturalis est, ut neque in divinis possit ubique collocari: non enim illam admittimus inter quæcumque prædicata, v.g. inter misericordiam & justitiam: quia quantumvis alia prædicata, sint infinita, cùm possint explicari sine illa distinctione, non ponitur inter illa: nisi enim coacti principiis fidei ad salvandam aliquam perfectionem divinam, non licet rem adeò difficilem passim concedere.

An divina attributa distinguantur formaliter?

CCCXXXVI. Hæ sunt rationes, quibus Arriaga obsistit, ne de creaturis sicut de Deo analogiâ & proportione servatâ discurramus: at omnes inefficaces sunt: & si essent fortes, etiam subsistentias tollerēt, & multa alia, quæ eruim' ab Articulis Fidei. Ergo singulis satisfaciamus.

Respondeo ad primam Trinitatis mysterium esse ab omni hominum opinione remotum, at nihil habere quod contra naturam sit. Addò jam revelante illud Deo, orthodoxis esse notissimum & certissimum: & quia nulla veritas humana hoc ipso mysteriu certior est, securissimè ab illo ad has argumenta diduci. Ex hoc mysterio multa Philosophi Christiani inferunt, quæ ignorant Ethnici: nimirùm, dari subsistentias in creaturis á substantiâ distinctas: non repugnare unam & eamdem numero naturam multis subsistentiis subcollari. Subsistentiam non esse formam sed fundamentum & sustentaculum naturæ. Relationes esse entitates veras & reales. Relativum terminari ad relativum. Et tandem duo contradictoria prædicata de duabus formalitatibus identificatis posse verificari. Quæ omnes consequentiæ, tametsi non dicantur evidentes & certæ, sunt probabilissimæ ut minimum: & hoc sufficit impræsentiarum: non enim volumus sententiam D. Thomæ esse veram, & alias falsas, sed esse universas probabiles.

Nihil in Deo contra naturam.

An subsistentia à naturâ distinguatur?

An sustentet naturam?

An dentur relationes reales?

An distinctio formalis tollat contradictionem?

Respondeo ad secundam concedendo universa: nam in equo animalitas quæ est in homine, imò quæ est homo, producitur, & in equo non producitur rationalitas: & quidem animalitatem, quæ est in homine, esse in equo certum est: est enim una in multis differentibus specie. Et hoc dico est tam certum, ut contraria opinio ex hallucinatione nascatur: non enim dantur duæ genericæ animalitates.

Respondeo ad tertiam omnes res creatas realiter aut formaliter in prædicatis universalibus sibi competentibus coincidere: Petrus enim, Paulus, &c. conveniunt identicè in ratione hominis: Equus, Leo, Elephas, &c. in ratione animalis.

Creaturæ omnes in communi prædicato coincidunt.

Respondeo ad quartam Deum esse infinitum, creaturas finitas: adeòque prædicata quæ cum infinitate habent necessariam connexionem creaturæ competere non posse. Quamobrem, si identificatio positiva sit unio infinita, quod probabiliter asseri posset, deberet ipsa in creatis negari: at tunc schola Platonis obtineret, Thomisticâ & Scotisticâ clausis. Si autem, non jam infinitam unionem, sed unionem adæquatam vocemus identificationem, eam poterimus humanis & etiam divinis adscribere: & asserere in divinis debere esse infinitam, non enim adæquatè uniri possent extrema infinita, si vinculum finitum esset: at in humanis modò uniat extrema quantum sunt unibilia, erit identificatio: & quia ipsa habent unibilitatem finitam, erit etiam finita unio hæc, quam identificationem nominamus. Ex quibus patet hac identificatione positiva non destrui Philosophiam, sed mirabiliter dilucidari.

An identificatio sit unio infinita?

An identificatio positiva destruat Philosophiam?

Respondeo quintam rationem pro me militare. Nam, si infinitas inferat distinctionem istam formalem, ubicumque esset infinitas, etiam esset hæc formalis distinctio: omnia enim attributa divina sunt infinitæ perfectionis. Atqui non est ubique, ut fatetur Arriaga; ergò non ideo reperitur in Deo, quia Deus est infinitus, sed ob aliam rationem: at præcisâ infinitate cæteræ rationes sunt creaturis communes: ergo & hæc distinctio formalis. Nota tamen obiter Thomistas suam, & Scotistas suam distinctionem formalem Justitiæ, Misericordiæ & aliis attributis divinis interserere: ut nec hoc ipsum condonetur Arriagæ.

An attributa divina distinguantur formaliter?

DISPUTATIO VI.

De Universali Nominali.

CCCXXXVII. ILlud tuentur quotquot verè dicuntur Nominales, & asserunt Petrum, Hominem, Animal, Vivens, solùm differre vocibus; in rebus præter singulares entitates nihil omninò reperiri. Consultò illud *verè dicuntur* posui, quia hodie abusus dictionum obtinuit, & Expressivi, & Connotantes à multis *Nominales* dicuntur.

Qui sint verè & propriè Nominales?

Probatur hæc sententia ratione desumptâ ex nominis etymologia, cur hanc non facerent magni Nominales? excurrunt sic. Logica est scientia Nominalis, agit tamen de Universalib9, Specie, Genere, Differentia, Individuo: ergo hæc omnia sunt merè vocalia. Probatur major, quia dicitur Λογική, ἀπὸ τῦ λόγυ,

An etymologia in schola Nominalium sit efficax?

Λόγμ

Atqui λογὸς significat *Verbum:* ergo Græcè Vocarin λογικὴ, quæ Latinè dici posset *Scientia nominalis.* Hujus opinionis fuit inter alios Clarissimus Vir Scaliger, qui in quoplam carmine.

An Universale nominale probabiliter defendi possit?

> *Pallada novisti'? communia nomina pandam;*
> *Nostri' Terra Deam?* ——————

Verùm licet in hanc sententiam vehementer invehatur Aristoteles *Metaphys. c.6. & libr. 4. c.5. & libr. 3. de cœl. & mund. c. 3. text. 30.* non possum denegare dari satis plausibiles rationes, quibus defendi possit. Olim Chrysaorius docendus Logicam, expositionem quinque vocum prædicabilium postulavit à Porphyrio: is remisit libellum, quem inscripsit Isagogen de quinque vocibus edisserentem. Ergo ex sententiâ Porphyrii & Chrysaorii prædicantur nomina. Hoc ipsum confirmant Ammonius *præfat. in Porphyrium* Boëtius *dialog. 1. column. 2.* Averroës *in prolog. magn. poster.* asserentes Porphyrium in suâ Isagoge; de quinque solùm vocibus disputavisse. Et quidem meo judicio hæc sententia falsa est, verùm non improbabilis; alias enim tuetur Stagirita, quæ sunt difficiliores. Demus ergo rationes aliquas, quæ reddant probabilem istam sententiam.

Prima sit. In hac prædicatione *Pallas est Dea* (nolo deserere exemplum Scaligeri) solùm nomen *Dea* est universale. Assumptum probo. *Dea* quæ est prædicatum non est formalitas aliqua objectiva, quia omnia, quæ existunt à parte rei, sunt singularia. Non est conceptus aliquis mentalis; ratio est quia is intentionaliter non distinguitur ab ipso objecto: (concedit D. Thomas) ac propterea, si objectum est singulare, mentis conceptus repræsentans tale singulare, nequit non esse singularis. Præterea, conceptus intellectualis non-intentionaliter sumptus (hoc est secundum esse physicum & naturale) & singularis semper est, & ad quæstionem non pertinet examinandam. Tandem nec prædicatur scriptura, cum hæc prædicatio *Pallas est Dea* sine scripturâ possit fieri. Ergo solùm superest quod prædicemus vocem.

An objectũ & cognitio identificentur intentionaliter?

Objectio.

Objicis. Si vox *Homo* prædicaretur de Petro, hæc enuntiatio *Petrus est homo* redderet hunc sensum *Petrus est vox-homo*, vel saltem hunc *Vox-Petrus est vox-homo*; hæ autem propositiones sunt falsæ.

Satisfactio.

Voces sumi possunt bifariam.

Respondent curiosè Nominales, voces bifariam posse sumi, vel in quantum sonoræ sunt, vel in quantũ significativæ sunt. Priori acceptione voces nostræ conveniunt etiam brutis, quæ sonum edunt, & aëre linguis verberant. Posteriori, solùm hominibus conveniunt, quia vel ex eorum placito, vel ex naturali ingenio eæ induunt connotationem, quæ indigitet proprium objectum. Suppositâ hac doctrinâ, quæ a nemine negari potest, respondent ad objectionem Nominales. In priori acceptione, inquiunt, hæc propositio *Vox-Petrus est vox-homo* est falsa; quia entitas hujus vocis-*Petrus* non est entitas hujus vocis-*homo.* Cæterùm in secundâ acceptione est verum dicere *Vocem-Petrus esse vocem-homo*, quia hæ voces in quantum significativæ conveniunt, & ideò idem est dicere *Petrus est homo*, ac dicere *Petrus significatur voce-homo.*

Objectio.

Sed contrà Reales. Hæc propositio, inquiunt, *Petrus est homo* non æquivalet huic *Petrus significatur voce-homo*, sed huic *Petrus est vox-homo*, vel potiùs *Petrus est vox significans hominem:* & hæc propositio est absolutè falsa.

Solutio.

Sed Nominales acutè satisfaciunt, Asserunt non solùm prædicari voces, sed & voces subjici, ac propterea hæc propositio *Petrus est homo* æquipollet huic *Vox-Petrus intentionaliter est vox-homo intentionaliter*, hoc est, *significatum vocis-homo.*

Replica.

Adhuc contrà replicant Authores Reales. Illud quod prædicatur, debet verificari in recto, non in obliquo, atqui prædicatur de Petro vox-*homo*, ergo hæc debet de Petro verificari in recto. Ergo hæc propositio *Petrus est homo* æquivalet huic *Petrus est vox-homo intentionaliter*, vel potiùs *Petrus est vox significans hominem.*

Respondent nominales iterùm ex suis principiis, admittunt omnia quę à Realibus hîc assumuntur, sed prędicant de voce vocem, & dicunt *Petrus est homo* non reddit hunc sensum Petrus *est vox significans hominem*, quia in hoc sensu esset falsa, sed hunc; *Vox significans Petrum est vox significans hominem*, in quo sensu nequit vera non esse.

Conclusio.

Nihilominùs dicendum est, *specifica prædicata non esse mera nomina, sed formalitates quaspiam objectivas.* Hanc conclusionem probabo aptiore in loco *nempè inferius* & ex eâ brevissimè satisfacio rationibus, quas adduxerunt Nominales. CCC XXXVIII.

Quàm sint fortia argumenta à nominum & vocum ratione desumpta.

Ad illam; quę ex etymo sumitur dico, quod sicut

> *Conveniunt rebus: nomina sæpè suis,*

sic similiter

> *Sunt sæpè objectis nomina inepta suis;*

Addo ab etymologiâ conjecturas curiosas non verò rationes efficaces educi. Pręterea. Esto etymo fidamus. Λόγος, non *sermonem* solùm, sed & *Verbum-mentis* significat. Et probo satis clarè ex Ioannis Evangelistę historia. Ejus capite primo, in ipso limine capitis exstant hęc verba, consideratione satis-digna. *In principio erat* Λόγος, & Λόγος *erat apud Deum, & Deus erat* Λόγος. Certum autem est Deum esse non verbum vocale, sed mentale; ergo.

Quid significet Λόγος?

Quanti roboris in Metaphysicis sint Poëtarum carmina?

Scaliger felix poëta, & poëticè scribens non venit judicandus; quia sępè figuratâ eloquentiâ utitur, & Metaphysica postulat sermonis proprietatem.

Porphyrium de quinque vocibus disputavisse in sua Isagoge Ammonius, Boëtius, & noster Hispanus Averroës asserunt, negat ta-

men Scotus *in Porph. quæst.* 7. & 10. antenses citati à PP. Conimbricensibus *proœm. in Porphyrii Isagogen.* Sed hinc non debet inferre Vniversalia ad linguam spectare: nam In Concilio Nicæno actum fuit de voce *ὁμοούσιον*, & tamen Personarum Divinarum consubstantialitas vera & realis est, non nominalis.

Ad primam rationem respondeo negando antecedens. Ad probationem dico prædicatum esse formalitatem aut realitatem objectivam: nego etiam omnes formalitates objectivas esse singulares, dantur enim plurimæ verè-communes, quales sunt *Homo*, *Animal*, *Vivens*, & alii hujusmodi quæ sunt præcisæ ab ecceitatibus.

NOTA.

An in Nominalium scholâ omnes propositiones, quæ videntur formales sint identicæ?

EO venerunt Nominales contra Reales, ut assererent hanc propositionem *Petrus est homo* æquipollere huic *Vox significans Petrum est vox significans hominem.* Hucùsque plausibiliter, sed superest examinemus, an hoc juxta illorum principia dici possit. Asserunt omnia à parte rei esse singularia; ergo vox *Petrus* significabit hominem singularem A, & vox *homo*, etiam eumdem hominem A, ergo hæc propositio *Petrus est homo* non est formalis sed identica, quia exponitur, *Vox significans hominem A. est vox significans hominem* A. Nec prodest dicere vocem *Petrus* significare hominem A, & vocem *homo* significare hominem B, quia inde sequeretur, hoc assertum *Petrus est homo*, esse falsum; quia homo A, non est homo B. Nec sufficit addere vocem *Petrus* significare hominem A, & vocem *homo* significare omnia individua, quia nec Petrus est omnia individua, si agamus Reales, nec vox *Petrus* est vox significans omnia individua, si agamus Nominales, ac proptereà nec *Petrus est homo*.

An ante voces detur universale?

Dicis vocem *Petrus* significare individuum A determinatè sumptum; vocem autem *homo* significare unum individuum vagè, hoc est, aliquem hominem. Hinc ad hanc enuntiationem *Petrus est homo*, quæ in tuâ sententiâ æquivalebit huic *vox Petrus est vox significans aliquem hominem.*

Sed hoc non juvat: quia vel ante voces potest mens concipere aliquem hominem vagè prout abstractum à differentiis contrahentibus determinatè; vel non potest. Si non, recurritur ad impossibile. Si potest; Ergo conceditur universale ante voces, ac perindè non in his, sed in rebus asseritur universalitas. Illationem probo. Apud Nominales idem est significare hominem ut sic, quàm significare aliquem hominem vagè & indeterminatè; ac proptereà idem est dicere hominem quam aliquem hominem. Aliquem hominem sic vagè mens concipit independenter à voce, ergo independenter à vocibus concedenda sunt universalia. Minorem probo, quia etiam si homines essent muti & aglotti *aliquis-homo* à mente humanâ vagè indeterminatèq; conciperetur.

APPENDIX.

De Universali Orthographico.

CCC XXXIX. *Vocû mortalitas, & scripturarum æternitas.*

QVi illud defendunt, omnia ad characteres reducunt, & arguunt sic.

Vniversalia sunt perpetua, atqui res omnes creatæ transeunt, & occidunt, actus mentis in incunabulis desinunt, voces sunt irrevocabiles, ergo nec creatæ res sunt universales, nec actus mentis, nec verba. Supersunt scripturæ quæ perennes. Morientibus nobis illæ remanent, & non solùm speciebus perennitatem dedunt, sed & singulares homines donant æternitate. Plato Divinitatem debet linguæ, quæ dignissima Iove, si is agere deberet Atticè. Debet nihilominùs calamo æternitatem, si enim in Libris acutissimè-descriptis non exstaret, nusquam exstaret. Vnde transivit in Axioma, *Litera scripta manet, volat irrevocabile verbum.*

An-non Inscriptiones veteres quotidie legimus? Pleræque in fronte habent hos characteres. SACR. ÆTERNITATI. & meritò, quidquid enim scribitur, æternitati commendatur. Hoc acumine sunt Pontificum ac Principum privilegia plena, æternitatem vocibus & rebus ipsis denegantia.

Resolutio.

An hoc universale probabiliter defendi possit?

HIs non obstantibus asserendum est Vniversalitatem non consistere in scripturis, sed in rebus. Verè eam in characteribus consistere, à nemine, quem legerim, assertum video; si asseras, eris in eâ sententiâ antesignanus, & difficilem ingressus viam laborabis improbabilitate. Argumentum initio positum est debile, est scipio fragilis, cui ne credas universaliû fabricam, qui ambis in scholâ opinionem. Majore tempore literæ perennant quàm conceptus, imò quam scriptores; cæterùm æternæ non sunt, quoniam corporeæ sunt, & corpora non sunt immortalia. Sed cur hoc? sunto immortales characteres, non ideò erunt universales, Deus æternus est, & nihilominùs singularissimus is est. Sed neque universalia sunt æterna ut assumebatur: quia *Homo* v.g. bifariam potest considerari vel ut in Deo est, vel ut à Deo præciditur. Homo in Deo eminenter est, & prout in Deo æternus est, imò & Deus est, sed quà in Deo universalis non est, imò nec formaliter est, quia in suo formali conceptu complectitur imperfectiones: quæ esse nequeunt in Deo.

Homo

Homo creatura eſt, finitus eſt, menſurabilis eſt, corpore conſtat, non eſt entitas transnaturalis; ſed hæc omnia ab homine exulant prout in eminentiâ Dei concipitur, aut ut meliùs dicam, ab homine exulat ipſemet homo. Si concipias hominem præſcitum à Deo, hominem ſecundum ſe, hoc eſt, penes ſua prædicata eſſentialia, formas Ideam hominis univerſalis. Ipſe tamen ut ſic nec concipitur æternus neque temporaneus, non creator neque creatura, ſed concipitur animal rationale.

DISPUTATIO VII.

De Univerſali Euchariſtico; quod Univerſale in ſubſtando vocamus.

CCCXL. ACceptiones aliquas Univerſalitatis poſui & expoſui ſuperiùs *diſp.* I. *art.* I. at quia ibi Univerſalis Euchariſtici nulla fuit mentio, in hujus Diſputationis prologo debeo ubetiùs Univerſalia enumerare. Et cur non anteà? Quia Nominale & Scriptum, non ut defendantur, ſed ne ignotentur diſputatione quartâ & quintâ ſunt poſita, & modò incipimus ſeriò controverſiam tractare. Univerſale igitur aliud eſt in ſubſtando, aliud in ubicando, aliud in connotando, aliud in efficiendo, aliud in patiendo, aliud tandem in habendo. &c.

Eſt multiplex univerſale.

Omnia *hæc Univerſalia ſunt analoga, & proportione factâ de ſingulis eſt pariformiter philoſophandum, omnia enim quæ dicuntur de Euchariſtico ſacramentaliter, omnia ſuo modo de Locali dicentur ubicaliter; omnia de Connotativo reſpectivè, omnia de Effectivo efficienter, omnia de Significativo ſignificanter. Et per conſequens omnia quæ dicantur de Univerſali Reali realiter, omnia omninò dicentur de Formali formaliter, omnia de Rationali rationaliter, omnia de Expreſſivo expreſſivè. &c. laborat enim in conſequentiâ doctrina, cùm aliter de uno, & aliter de altero philoſophamur.*

Analogia horum Univerſaliũ ſumma.

Ubique & ſemper doctrina conſequentia eſt ſervanda.

Univerſale Euchariſticum ſub initium propono, ut cætera meliùs intelligam: & ut illud exactè, hæc Theoremata generalia præmitto.

Univerſale eſt unum in multis, & Chriſtus euchariſticè acceptus, unus ſub multis. Genus eſt unum in multis differentibus ſpecie; & Chriſtus ſacramentaliter conſideratus, in hoſtiâ & calice, eſt ſub multis accidentibus diſtinctis ſpecie; accidentia enim panis vinique plusquam numero differunt; non enim vinũ eſt alter panis, nec panis alterũ vinum, quod tamen eſſet, ſi numero puro differrent. Sacramentum multiplicatur numero, & in quocumq; dicatur hæc multiplicatio conſiſtere, erit ſimillimum Speciei, quæ eſt una in multis differentibus numero. Hæc certa ſunt, & quæ in dubium revocari non patiar; ſed eis inſiſtens Chriſtum Dominum latentem ſub ſpeciebus panis vinique incipiam contemplari, & ſic inquam.

Quid ſit Univerſale?

Quid Genus?

Quid Species?

ARTICULUS I.

Expendens eſſentiam Univerſalis in ſubſtando.

CCCXLI. BOne Deus, in Sacramento latens, ô quantum tuæ bonitati debemus! Non solùm accendis voluntates, ſed & mentes erudis. Acatholici Philoſophiam Naturalem ignorant, quia Te ignorant: & Orthodoxi in Te addiſcunt erraviſſe Philoſophos antiquos, qui doctiores videntur. Tu eris mihi radio in Phyſicis; es in Metalogicis & Metaphyſicis; & impræſentiarùm hanc de Univerſalibus doctrinam, Te conſiderato explicabo.

Hæretici non Fide solùm, ſed & Scientia carent.

Videris mihi quidem, Chriſte Optime, ſimilis Genericæ Subſtantiæ, tametſi ſingularis ſis. Similem dixi, non eumdem; quoniam ſimilitudinem magnam, nec tamen ullam identitatem propono. Hinc eſt, quòd auditurus non ſim objicientem diſcrimen differentiamque; illud enim cognoſco, hanc admitto, nec patiar de rebus conceſſis diſputari. Non te dicam Univerſalem in eſſendo, quem in eſſendo eſſe ſingularem confiteor; ſed dicam te eſſe in ſubeſſendo Univerſalem. Ad rem venio: & Ideis Sacramentalibus, quæ Metalogicis ſint ſimiles, Univerſalitatem expono.

An Chriſtus univerſale ſit?

Chriſtus, ſacramentaliter conſideratus, eſt Unus in multis, adeòque ſimillimus naturæ univerſali: nam ſicut ratio Animalis generica, tametſi unica ſit, eſt tota in ſingulis Animalibus; ſic etiã ipſe Chriſtus, tametſi unicus ſit, eſt totus in multis Sacramentis. Poſt conſecrationem Panis Vinumque conveniunt univocè in Chriſto, & hoc ante omnem fictionem intellectûs, ante omnem mentis operationem: quia tametſi nullus homo Sacramentum cognoſcat, erit verum totum & eundem Chriſtum verè & realiter in Hoſtiâ & Calice contineri: ET INSTRUOR quî debeam de Genere, quî de Speciebus philoſophari. Homo Brutumque (majoris claritatis gratiâ ponantur eſſe Species immediatæ Animalis) verè ſunt Animalia; & hoc independenter ab omni mentis operatione aut fictione: nam ſi annihilarentur omnium mentes, adhuc maneret illa æterna veritas, quæ

Sacramentale Univerſale.

An Univerſalia in eſſendo ſint ante mentis operationem?

docet, tam Hominem, quam Brutum esse Animal. Ratio igitur generica Animalis, eadem, tota, in utroque invenitur; & sicut idem Christus,totus in Hostiâ,& totus etiam existit in Calice, sic etiam eadem Animalitas, tota & eadem reperitur in Homine, tota & eadem etiam io Bruto: nam præscindendo à differentiis repugnat dari plures animalitates, quæ differant.

Genus sacramentale. Panis & Latex consecrati dum Signa sacra sunt, duo Sacramenta, (& partialia & totalia secundum diversas considerationes) non tamen condistincta: nam conveniunt univocè in Christo eodem, quem totum uterque habet, & differunt per Species, quasi per differentias Specificas, quarum una est dissimilis alteri. Sanè non est verum dicere, quod Panis consecratus sit alter Latex; nec etiam, quod Latex consecratus sit alter Panis, & tamen verum est dicere, quod tam Panis ille quàm Latex Christum totum & eumdem contineat. HINC Genericæ Universalitati clara lux. *Idea Generis in essendo.* Homo enim Brutumque duo sunt Animalia, non tamen eundistincta, nam conveniunt univocè in eadem verâ & reali naturâ Animalis, quam totam & eamdem Homo habet, habet Brutum; tota enim differentia consistit, non in Animalitate, sed in Rationalitate & Irrationalitate, quæ sunt formalitates contractivæ, constitutivæ, distinctivæ. Sanè non est verum dicere, quod Brutum sit Homo alter; nec etiam quod Homo sit alterum Brutum; & tamen verum est dicere, quod tam Homo, quàm Brutum sit Animal, hoc est,totâ & eandê Animalitatê contineat.

Species sacramentalis. Porrò sicut Christus,cùm contrahitur per Species Panis & Vini, dilucidat Naturam Genericam, quę contrahitur ad diversas Species; sic etiam cùm concipitur sub Speciebus Panis determinari ad hoc sacramentum in particulari, Specificam Naturam dilucidat. Vel attende. Duę hostię consecratę (idem dixero de duobus laticibus) plus conveniunt inter se, quàm cum Vino similiter consecrato; nam cum hoc conveniunt in Christo, quem eumdem totumque tam Vinum quam Panis complectitur, & differunt per Species, non enim in Hostia est Christus sub Speciebus Vini, nec in Calice sub Speciebus Panis: at inter se illę Hostię conveniunt in Christo, remotè, hoc est, quasi genericè; & in ratione Panis consecrati proximè, hoc est, quasi specificè; nam Hostia A est Panis consecratus, & Hostia B est alter Panis consecratus; neutra tamen est alterum consecratum Vinum. EODEM OMNINO MODO de Petro & Francisco philosophor: *Idea Speciei in essendo.* ipsi enim plus conveniunt inter se, quàm cum Equo; nam cum isto conveniunt remotè & genericè, (vere & realiter tamen) in ratione Animalis; inter se autem, non solùm in Generica Animalis ratione, sed etiam in Hominis ratione Specifica: quoniam Petrus est Homo,& Franciscus etiam alter Homo, non tamen Equus est alter Homo, sed est brutum. *Prædicabilia Eucharistica.* HINC PATET has Propositiones I. *Panis consecratus habet Christum*; II. *Hac Hostia est Panis consecratus*. III. *Panis consecratus habet Species panis*, esse similes istis, I. *Homo est Animal*; II. *Petrus est Homo*; III. *Homo est rationalis*; & dilucidare omnem doctrinam, quam in tribus prioribus Prędicabilibus, Genere, Specie, Differentia, cum Porphyrio tradidimus. *Primum, Secundum, Tertium.* [Ubi notari volo me, cum *hanc hostiam* dico, nomine *Hæcceitatis* singularitatem sacramentalem intelligere, in quocumque ea consistat, scio enim hac in re esse varias Theologorum sententias.]

Quartum. Veniamus ad quartum Prędicabile, & reperiemus, posse producere gratiam nutritivam omni Sacramento Eucharistico, soli & semper competere: & hac ideâ Proprietates quarti modi, ut loquuntur, exponi.

Quintum. In quinto tandem Prędicabili Accidentia ponuntur; sua habet Sacramentum, sua Homo; QUAMOBREM has Positiones, I. *Hostia consecrata productiva est gratiæ nutritivæ*; *Hic Panis consecratus sedat famem spiritualem*; II. *Hæc consecrata Hostia est magna, est calida, est diaphana, est hic est nunc, est erecta, est auro pretiosissimo ornata*, concludimus esse similes istis, I. *Homo habet appetitum sensibilem*; *Petrus est risibilis, est admirativus*; II. *Joannes est Gygas, est cholericus, abest, adest, est nunc, stat, & est optime indutus.* è quibus duæ priores in Prædicabili quarto Proprietates, & ultima in quinto enuntiat Accidentia communia.

An Genus Species innumeras requirat? QUÆRUNT PHILOSOPHI, An possit Genus salvari in una specie? An Species in unico individuo? Et me judice in ipsâ quæstione æquivocatio latet. Errant Heterodoxi existimantes Genus in unicâ specie non salvari, & concludentes Eucharistiam sub unâ specie sæcularibus dari non posse, sed sub utràque debere vel sub nullâ. At Ego rem non capio. *Resolutio Eucharistica.* Benè scio omnes Species non salvari sub unâ Specie, addam tamen nec omnia Individua salvari sub uno Individuo: at resolvam totam Generis perfectionem salvari in minimâ Specie; & totam Speciei perfectionem salvari in minimo Individuo. Et ad Eucharisticum Mysterium transiens, concludam species Panis & Vini, nec reperiri in Hostiâ seorsim, nec seorsim in Latice, sicut nec omnium Hostiarum individua accidentia in unâ Hostiâ; at in quolibet Calice, in qualibet Hostiâ, & in minutissima Vini aut Panis consecrati particulâ totum Christum Dominum reperiri.

Qui Eucharistiam sumit, non accidentia pura, sed Christum & virtutem sacramenti prætenuat. Profectò proprietates omnis speciei non repetuntur in alterâ, at verò si sola natura generica & proprietas generica prætenditur perinde est unam vel alteram Speciem assumere. Rem expono. Hunc librum ais ponderare unâ unciâ; illum Ego ponderosiorem credo. Pendet libra, ille in unam lancem ponitur, & quia video duo pondera unciæ charactere insignita, alterum plumbeum, ferreum alterum, subdubito, utrum debeam exploraturus hujus gravitatem apponere. Et respondebis esse perinde unum apponere, vel alterum; & rationem adjungis; quia

non

non quæritur metalli substantia sed gravitas, & hæc æquè in plumbeo, ac in ferreo pondere reperitur. DOCEOR, & ad Sacramentum Eucharisticum converto oculos, & Heterodoxos alloquens, sic discurro. Cùm sæcularis communicare intendit, totum Christum desiderat, & gratiam nutritivam recipere. Ergo perinde est, si vel recipiat Panem consecratum, vel consecratum Laticem, vel priùs unum & alterum posteriùs; non enim major Christus in uno continetur quàm in altero, non major in altero quàm in utroque. Et gratia illa nutritiva quæ intenditur, non producitur à Speciebus vini (nam si ab illis produceretur, non deberet Sæcularibus sacer Calix negari) sed producitur à Christo Domino, sub speciebus existente, qui totus sub quâcumque specie gratiam nutritivam producit. Igitur cùm dentur rationes, ob quas Calicem sæcularibus Ecclesia inhibere debuerit, & cùm nulla detur ob quam id non potuerit, tenendum illos debere sub unicâ specie communionem accipere, nec posse sub nullâ, nec etiam sub utrâque, ut nostro ævo Lutherani & cum ipsis Calviniani delirant.

SIC *meditari placuit; sed quia aliud meditari & aliud disputare est, has Quæstiones subjungo.*

ARTICULUS II.

An Christus habeat propriam existentiam Sacramentalem?

CCCXLIII. *Duplex esse Christi in Eucharistiâ.*

CHristus Dominus in Eucharistiâ est, & subest; nam & habet existentiam, & subest accidentibus Sacramentalibus. Non quærimus, An independenter ab accidentibus subesse eis possit? certum est enim hanc subexistentiam esse relativam, nec posse termino relationis carere. Quærimus autem, An in Eucharistia Christus habeat propriam existentiam ab existentia accidentium distinctam: an verò existat existentiâ accidentium, sicut Thomistæ dicunt Materiam existere existentia Formæ? Vt meliùs quæstionem intelligas, Pono à Deo annihilari Christum in cœlis: & inquiro, An maneret adhuc sub speciebus & accidentibus Sacramentalibus? Pono etiam accidentia hæc annihilari à Deo, & requiro, An adhuc maneret Christus in rerum natura?

An Christus in Eucharistiâ existat existentiâ accidentium?

An essentia & existentia distinguantur? An materia existat existentiâ formæ?

Respondetur hanc Quæstionem dependere ab aliis, quas Metalogicus non tenetur discutere. Inquirunt enim Physici, Vtrùm existentia Materiæ distinguatur ab ipsâmet Materiâ primâ? ut posteà inquirant, An Materia existat existentiâ Formæ? quoniam impossibile omninò est, eam existere alienâ existentiâ, si existentia non distingui ab essentiâ dicatur. At posset adhuc quæri, An Materia existat dependenter à Formâ? ipsa enim tametsi habeat propriam existentiam &, si velis, essentiæ suæ identificatam, adhuc in multorum sententia potest ab intrinseco aut ab extrinseco à Formæ consortio dependere, & hoc subordinatione tantâ, ut Formâ ne quidem divinitùs carere possit. Quamobrem, si existentia Christi ab ejus essentiâ distinguatur, multa poterunt dici, quæ aliàs deberent necessariò negari. Cùm igitur nos essentiam & existentiam indistinctas putemus (quod suo loco probamus) resolvimus Christum etiam in Sacramento habere propriam existentiam, realiter ab existentiâ accidentium distinctam; & hanc ob rem non existere existentiâ accidentium. Cæterùm, quia D. Thomas docuit existentiam realiter ab essentia distingui, si non tanquam veriorem & meliorem, saltem tanquam clariorem, & utiliorem modò, opinionem Thomistarum ponamus, & essentiam ab existentiâ realiter distingui condonemus.

Essentia ne distinguitur ab Existentiâ.

An-ne existit existentiâ propriâ, dependente tamen ab accidentium existentiâ?

An transsubstantiatio Eucharistica sit productiva, an adductiva?

Sed hoc ipsum pendet ab aliâ controversiâ Theologica; nam Doctores subdubitant An-ne Eucharistica conversio, vera productio sit? & abeunt in varias sententias. Prima enim, quæ est antiquorum, quibus subscribit Suarez *de Sacr. Euch. disp.* 50. & Coninck *ibid. art.* 4. *dub.* 5. docet Conversionem in verâ productione ad ipsummet Christi corpus terminatam consistere: huicq; actioni tantam efficaciam adscribit, ut si Christus in rerum naturâ non existeret, eumdem ipsa produceret aut reproduceret de novo. Secunda, quam tuetur Gregorius de Valentiâ *ibid. disp.* 6. *q.* 6. *p.* 3. ingenuè fatetur ad conversionem Christi reproductionem non requiri: at tenet necessariam esse productionem alicujus rei, vel modi substantialis, ut hæc Conversio substantialis dicatur. Tertia, quæ multorum Iuniorum est, actionem reproductivam rejicit, adductivam admittit. Quarta, quam propugnat Cardinalis Lugo *ibid. disp.* 7. *sect.* 6. *num.* 89. rejicit actionem productivam & adductivam, & constitutivam admittit. Et tandem Quinta, quam latè tradit Vazquez *ibid. disp.* 181. *cap.* 11. omnem actionem productivam, adductivam & constitutivam excludit, asseritque Conversionem ejusmodi non esse actionem, sed ordinem substantiæ, seu denominationem quamdam extrinsecam quâ panis (idem de vino dicito) asseritur esse conversus, & corpus Christi asseritur pani succedere: & hoc esse panem in Christi Domini corpus converti. Sic Theologi; & Ego, quænam ex his sit præhabenda sententia, non examinabo; sed juxta singularum principia controversiam dissolvam.

CCCXLIV. *An esset Eucharistia, si Christus adnihilaretur in cœlo?*

Dico igitur in Christo, etiam eucharisticè sumpto, distingui existentiam ab ubicatione; aliud enim est esse hic, & aliud in rerum naturâ: & stando quatuor ultimis opinionibus pronuntio primò, Christum Dominum non reproduci vi verborum, sed sub speciebus constitui. Secundò, si Christus annihilaretur in cœlis nullam hostiam posse de novo consecrari. Tertiò, siquidem ita Sacramentum creditur institutum, ut Christi corpus vivum contineat, in triduo Passionis (hoc est, à morte

ad re-

ad cesurrectionem Dominicam) nullam Missam potuisse dici, viderique id ipsum tacitè Ecclesiam profiteri, cùm etiam nunc Missas interdicit in triduo. Et addo, si Christus hodie moreretur in cœlo, vi hujus mortis meræ nullam mansuram hostiam consecratam in terris; nec posse jam hinc Missas dici, aut hostias deinceps consecrari. Et ratio omnium est unica, quia si Conversio productiva non est, Christi existentiam aliàs conservaci supponit.

An si iterùm moreretur?

An detur in transsubstantiatione productio?

Ad primam opinionem venio, & tametsi illam nolim aut amplecti aut rejicere, non observare nequeo contra ipsam pro suâ hæc verba à Lugone citari, videlicet. *Sicut generatio naturalis dicitur transformatio rectè & propriè, quia forma in eà mutatur; ita etiam in Eucharistiâ, quia tota unius rei substantia in totam alterius transeat, verbum Transsubstantiationis rectè & sapienter à Majoribus nostris inventum est;* sunt desumpta ex Catechismo Romano Pii V. nec video, qui possint Lugoni favere. Favent, inquit ipse, quia non dixit *producitur*, sed *mutatur*. At id nun sufficit; quia agit de generatione, & mutatio generativa, productio est. Quamobrem postularet sinceritas, ut hæc verba non jam pro se, sed contra se objiceret Lugo, & responderet Authorem Catechismi illius fuisse sententiæ, quam ipse rejicit: nec ad securitatem Catechismi requiri, ut omnia, quæ in illa docentur, aut evidentia, aut de fide sint, sed sufficere si sint probabilia & à Catholicis sine scrupulo conscientiæ practicata. Sed quidquid sit de hoc testimonio, quo puto Suarezii & Coninckii opinionem probari, illam esse veram non asserens, aut negans; sed gratiâ exercitii supponens, sic discurro. Dico primò Christum Dominum in Sacramento virtute verborum produci. Secundò, si Christus annihilaretur in cœlis, posse adhuc, sicut hucusque, Missas in terris dici, & novas hostias consecrari. Tertiò, idem à fortiori dictum iri de triduo: idem, si Christus moreretur in cœlo.

Quàm certa sint singula, quæ in catechismo ponuntur?

CCCXLV. *Quæstio difficilis.*

Sed stando huic etiam opinioni inquiris: Quid fieret, si Christus hodie annihilaretur in cœlis, & apud nos die crastinâ accidentia omnia Eucharistica corrumperentur? Respondeo me in hoc dubio plus difficultatis invenire, quàm putas. Primò enim per annihilationem Christi, quæ in cœlis fieret, nihil omninò derogaretur Sacramento Eucharistico, sed ut anteà Christus sub speciebus panis & vini sacramentaliter maneret. Secundò corruptis accidentibus certum est Christum Dominum non mansurum sub speciebus; certum non mansurum alibi, quia nec hodie constituitur alibi hujusce corruptionis virtute: ergo tantummodò verti in dubium posset, An Christus mansurus esset nullibi? Qui negant posse corpus existere nullibi, facili negotio se expedient: at Thomistæ non ita. Quamobrem vellem in eorum sententiâ videre, unde necessariò inferatur Christum fore periturum ex merâ corruptione specierum; scio enim nihil ab ipsis posse dici, quod non possit juxta eorumdem fundamenta negari. Cæterùm, cùm post consecrationem substantia panis & vini non dicitur existere nullibi, sed absolutè non existere, rationis paritas postularet, ut in casu nostro corruptis accidentibus, non dicatur Christus esse nullibi, sed non esse in rerum naturâ. Hoc ego, quamdiù non succurrunt meliora & certiora, dicamus.

Substantia panis & vini, non manet post consecrationem.

ARTICULUS III.

An Christus secundum se consideratus habeat Unitatem specificam sacramentalem?

CCCXLVI. *An materia prima habeat propriam unitatem?*

EXaminabimus inferiùs, An Materia prima prout à Formâ distincta habeat unitatem aliquam specificam, volumusque via sternere hanc Eucharisticam difficultatem excitando. Non agimus de unitate, quam Christus habet in essendo, sed de sacramentali, quam diximus esse subsistendi unitatem: & inquirimus, An Christus Dominus in Sacramento venerabili, si secundum sua intrinseca, & quà ab accidentibus distinguitur consideretur, habeat aliquam unitatem specificam? hoc est, An pertineat ad aliquam determinatam speciem Eucharistici Sacramenti?

An in Eucharistiâ sint duo Sacramenta diversa?

Hæc Quæstio multas alias supponit, duas breviter dilucidabimus. Prima est, An Panis Vinumque consecrata sint duo Sacramenta totalia distincta specie? Secunda, An sint duo Sacramenta partialia distincta specie?

Resolutio.

Ad primam olim assertivè responderunt Aureolus apud Capreolum *d.8. q.1. arg. contr. 2. concl.* Gabriel *quæst. 2. art. 2. & lect. 53. in Canonem.* quibus subscribere videtur Major apud Suarium *de Euch. disp. 2. sect. 3.* Lugonem *ibid. disp. 2. sect. 1. num. 1.* negativè autem D. Thomas, Suarez, Vazquez, Lugo, & omnes Recentiores communiter. Putamus igitur cum secundâ sententiâ Convivium panem & vinum requirere; & hoc sensu Panem consecratum esse convivium partiale, & partiale etiam Vinum consecratum: nec hoc volumus in dubium reducere; certum est enim quòd non in solo pane vivit homo, sed quod præter cibum, etiam haustum & sustentationem corporalem requirit: & in spirituali eodem modò philosophandum esse benè docuit, qui dixit, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.* Sumendo igitur Panem & Vinum consecrata prout duo sunt convivia partialia, respondemus

Quid convivium requirat?

Convivium partiale.

Ad secundam esse duo Sacramenta distincta specie. Sic sentit Lugo *ubi supra, num. 4.* qui ait; *Mihi adhuc probabile est, has duas partes differre specificè inter se: specie quidem non totali, sed partiali:* hoc est, differre quidem verâ specie sed ordinari ad componendum unum totum. Posset id multis exemplis illustrari: nam qui *Equitem* dicit, non dicit solum Hominem, nec solum Equum, sed utrumque: ubi & Homo & Equus specie distinguun-

Sacramenta partialia.

stinguuntur, sed neuter est totaliter Eques: sic etiam Panis & Vinum distinguuntur specie, neutrum tamen est integrum, & totale convivium.

Cur & quo modo differant?

Hinc ad Quæstionem principalem respondeo, hæc duo Sacramenta partialia, eo sensu quo differunt specie, differre per accidentia Panis & Vini, quibus constituuntur & distinguuntur. At præscindendo ab eisdem accidentibus, nulla manet contractio, nulla constitutio, nulla distinctio: ergo nulla unitas specifica. Et exemplum ponitur in Animali (ponimus illud esse genus Bruto & Homini, quod aliqui negant rotundè) nam si præscindatur à Rationalitate & Irrationalitate, quibus contrahitur & ad species inferiores reducitur, non habet unitatem specificam.

An Animal sit genus?

CCC XLVII. *An personæ divinæ differant specie?*

Sed objectes. Filius & Spiritus sanctus in Divinis, differunt specie, (forte genere, aut saltem plusquam numero) quia Filius non est alter Spiritus sanctus, nec Spiritus sanctus alter Filius. At tota differentia non consistit in aliquâ perfectione intrinseca, nam omnes, quæ inveniuntur in uno reperiuntur in altero. Vterq; est intellectivus, uterq; volitivus; & tota differentia in hoc esse dignoscitur, quòd cùm Natura divina sit intellectio, & Secunda Persona ex vi processionis sit intellectiva & identicè volitiva, & tertia ex vi processionis sit volitiva & identicè intellectiva; Secunda ex vi suæ processionis oritur similis in Naturâ, & Tertia similis in attributo (voluntas enim non est Natura Divina, sed Naturæ attributum) & hanc ob rem Secunda est Filius, & Tertia non est Filius; quia Generatio est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ. Hac doctrinâ præmissâ progrederis. Verbum Divinum habet Intellectum & Voluntatem, Spiritus sanctus etiam Intellectum & Voluntatem, & tamen distinguuntur plùsquàm numero, quia Verbum habet Intellectum vi suæ productionis & Voluntatem identicè; & Spiritus sanctus contrà, Voluntatem vi suæ productionis & Intellectum identicè: at analogicè possumus philosophari de Christo, existente sacramentaliter sub speciebus panis & vini: ergo præscindendo ab ipsis speciebus adhuc in semetipso habet unitatem & distinctionem specificam. Minorem probas. Quia sub speciebus Panis præter alia dantur Corpus & Sanguis, dantur etiam Corpus & Sanguis sub speciebus Vini: sed ex verborum vi, hic est Sanguis formaliter, & Corpus identicè & concomitanter: ibi Corpus formaliter & Sanguis identicè & concomitanter: ergo Christus, qui est sub speciebus Panis, distinguitur plus quàm numero à Christo, qui est sub speciebus Vini. Ergo specificè. Ergo præscindendo ab accidentibus adhuc in Christo reperitur unitas specifica Sacramentalis.

Natura divina quâ sit?

Cur Verbum Divinum sit Filius?

Quid sit Generatio?

At respondeo multa esse, ob quæ præposita ratio non urgeat; multi enim dicunt Verbum Divinum non distingui à Spiritu sancto ob rationem præmissam, sed ob aliam omninò diversam, & ipsi hoc argumento urgeri non poterunt: nam, si dicant ideò Verbum generari, quia primò producitur, quod apud Arriagam *de Trinitate disp. 47. sect. 2. num. 7.* multi recentiores affirmant; vel quia est imago intentionalis Patris, quod post Cauariecosem Vazquez *disp. 113. cap. 7.* docuit: vel quia accipit essentiam divinam cum virtute producendi, qualem non accipit Spiritus sanctus, non enim qualiscumque essentia Natura dicitur, sed quæ productrix, ut tenet Richardus de S. Victore, quem sequitur Zuniga & alii: non sentient hujus argumenti virtutem. Cùm igitur in Philosophicis nemo obstringatur hanc potiùs opinionem Theologicam habere, quam illam, concluditur nullum Physicum aut Metalogicum urgeri posse ratiocinio. Quòd si stare velimus communiori sententiæ, & asserere ideò Verbum esse Filium, quia vi suæ processionis recipit Intellectum (in ipso ponimus Naturam Divinam consistere) & Voluntatem identicè; negare non poterimus esse grave argumentum, & quod posset differentiam in ipso Christo sub speciebus Panis ab ipsomet Christo sub speciebus Vini reperire (aliter enim eumdem esse sub illis accidentibus, & aliter sub istis, certum est) alicui Viro docto & prudenti suadere, præcipuè si dicatur Consecrationis virtus non esse purè allativa aut constitutiva, sed productiva; quia tunc productio æterna & sacramentalis similiores evaderent. At nihilominùs, nego distinctionem specificam posse in unâ solâ personâ reperiri, (nam in Divinis duæ distinctæ Personæ sunt Verbum & Spiritus sanctus) & consequenter concludo in Christo à speciebus sacramentalibus præciso, specificam Vnitatem non dari. Addo hanc eamdem distinctionem à speciebus pendere, nam illis corruptis aut adnihilatis, desinit tota hæc differentia.

Diversa sententia explicantium, cur Verbum Divinum sit Filius?

Christus sub speciebus panis non distinguitur specie à se ipso sub speciebus vini.

ARTICULUS IV.

An Christus secundum se consideratus habeat Vnitatem numericam sacramentalem?

CCC XLVIII. *Quid sit magis placere?*

REjicio sententiam Cardinalis Lugonis, qui disp. 2. de Euch. sect. 2. num. 15. ait: *Mihi magis placet Sacramentum Eucharistiæ nec per pluralitatem specierum nec sumptionum multiplicari numero; sed simpliciter & absolutè loquendo posse dici unum & idem numero Sacramentum Eucharistiæ, quod ubique terrarum ab omnibus fidelibus accipitur.* Nota illud *Magis placet*, ut intelligas, oppositam Lugoni sententiam minus quidem placere, sed placere: & affirma dari plura Sacramenta numero distincta de facto.

An in toto mundo sit unicum tantùm Eucharistiæ Sacramentum?

Sed unde hæc est sumenda pluralitas? Anne à solâ accidentium pluralitate, ut affirmavit Vazquez *disp. 168. cap. 2?* Nullo modo; quia, qui tres hostias simul recipit, aut tres hostiæ realiter distinctas partes, non dicitur tria Sacramenta recipere. An-ne à pluralitate Sumentium? Minimè. Quia aliàs sequeretur eumdem Hominem tota vitâ idem sacramentum recipere, forte & idem Sacrificium offerre

Vnde proveniat pluralitas numerica in Eucharistiâ?

offerre, & si materialem pronuntiationem præcidas, eamdem numero quotidie Missam dicere. Omnis enim Sacramentorum pluralitas à Sumptionum pluralitate est desumenda, ita ut plures hostiæ simul sumptæ unicum numero Sacramentum conficiant; & unica plura constituat Sacramenta, si pluries sumatur. Sic Valentia *tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 1. *punct.* 4. cui cohærere videtur Suarez *disp.* 1. *de Euch. sect.* 4.

Objectio.

Objicit contra istam Resolutionem Lugo, *disp.* 2. *sect.* 3. *num.* 27. Nam, si eadem hostia consecrata ab aliquo sumpta, propter stomachi debilitatem antequam species corrumperentur post horam integram ejiceretur, posset eadem ab alio sacramentaliter sumi, & tametsi utrique daret diversam gratiam, non essent tamen duo Sacramenta. Ergo numerica Sacramentorum pluralitas non sumitur è pluralitate sumptionum.

Pluralitas physica cum morali unitate componitur: & unitas physica cum pluralitate morali.

Sed cur pluribus innodari volo? Quod ipsi absurdi loco objiciunt, esse meam sententiam affirmo; & in illâ aliquid absurdi impiè pernego; absurda enim est sententiæ censura, non sententia. Et addo obiter ab adversariis probari idem per idem; quam ob rem admisso casu dico plures hostias, si simul ab uno sumantur, esse realiter multas, & moraliter unam: & per consequens, unicam hostiam, si à duobus sumeretur, esse physicè unicam at esse sacramentaliter & virtualiter duas, & ratione sumptionum numericè multiplicari. Et subjungo meliùs in hoc ipso casu, quàm in aliis multiplicationem numericam relucere, quia sicut idem Homo specificus contrahitur ad Petrum, Paulum & alios Homines individuos; ita etiam eadem realis hostia ad hoc & illud numero Sacramentum contrahitur.

Ex his patet.

CCC XLIX. QVid de Eucharisticô Vniversali debeat licere aut negare erudita Devotio, ut piâ judicio vero ad Metalogicæ Vniversalitatis certam securamque cognitionem ducatur. Sit igitur

Singularitas Christi realis.

CONCLUSIO I. *Christus secundum se consideratus & præcisus ab accidentibus sacramentalibus est singularis in essendo.* Est certa, & à nullo in dubium revocata.

CONCLUSIO II. *Etiam si Christus esset alius distinctus numero, aut per impossibile aut possibile substantia aliqua realiter universalis, posset sacramentaliter contrahi per differentias & species Panis & Vini.* Patet, quia non habet potentiam subessendi accidentibus ab hac numero Hæcceitate, nec ab Hæcceitate: nam si corpus aliquod realiter universale posset esse realiter, cur non posset etiam speciebus & accidentibus subesse.

Christus sacramentaliter est non singularis.

COROLLARIUM. *Ergo Christus secundum se consideratus & ab Eucharisticis speciebus præcisus virtualiter est non-singularis.* Et ostenditur, quia ad necessitatem conversionis Hæcceitas non requiritur: nam sicut hodie de facto convertitur Panis substantia in Corpus Christi singulare, ita & converteretur in Corpus Christi universale, si illud esset universale: quia conversio fit in corpus illud quod est Christi; unde nunc in album, quia illud est album; & fieret in nigrum, si illud nigrum esset & non album: & fieret in gygantæum, si donaretur Christus mole maximâ; & in pigmæum, si minimâ. Ergo in universale, si illud corpus esset universale.

Quæstiones impossibiles utiliter proponi solent ad veritatis assertionis penetrandum.

Nec audieris patienter, si objicias repugnare Christi corpus esse non-singulare, aut esse universale: non enim id esse possibile assero, sed conditionatè discurro. Et, ut meliùs intelligar, ponamus repugnare Corpori Christi albedinem, & positâ hac propositione sic inquam. *Panis convertitur in corpus Christi quale est; non est album, ergo non convertitur in album: At si per impossibile album esset, in album ille converteretur.* Et quia nihil dixi, quod reprehendere possis, progrediar. Dicam sic. *Panis convertitur in corpus Christi, quale est: at illud non est universale, ergo non convertitur in universale: At si per impossibile Christi corpus esset universale, in corpus universale Panis converteretur.* Ergo, sicut de Conversionis conceptu non est albedo aut nigredo, ita nec universalitas nec singularitas. Ergo Christus tametsi entitativè sumptus sit singularis, non ita essentialiter singularitatem dicit sumptus sacramentaliter, ut si per impossibile illâ careret, subesse speciebus non posset.

Unitas generica sacramentalis.

CONCLUSIO III. *Christus secundum se, & ut caret speciebus sacramentalibus habet unitatem genericam sacramentalem.* Et ostenditur; quia est unum aptum ad essendum sub multis accidentibus distinctis specie.

Differentia sacramentales.

CONCLUSIO IV. *Christus sub speciebus Panis sacramentaliter existens (& idem de Vino consecrato dicito) addit supra suam substantiam sacramentaliter genericam, species ipsas Panis, quæ sunt differentiæ quædam specifica contrahentes & determinantes Christum ad talem speciem (totalem in ratione signi, partialem in ratione convivii) Sacramenti.* Patet ex his, quæ posuimus superiùs.

COROLLARIUM. *Ergo Christus tectus speciebus Panis (vel Vini) habet unitatem specificam sacramentalem.* Infertur necessariò ex prædictis.

Unitas specifica sacramentalis?

CONCLUSIO V. *Omnes hostiæ consecratæ totius Mundi (idem de consecratis Calicibus dicendum est) sunt unicum Sacramentum speciè positivè.*

Unitas numerica negativa.

CONCLUSIO VI. *Eadem omnes præcisæ a sumptionibus (quas esse differentias individuales diximus) sunt unicum Sacramentum numero negativè.* Patet, quia præcisè ab Eccceitatibus sacramentalibus non sunt plura sacramenta numero positivè.

De specierum continuatione & discretione.

COROLLARIUM. *Ergo specierum continuatio & discretio per accidens se habent in Sacramento venerabili.* Oritur ex antecedentibus; quia si specierum pluralitas non tollit Sacramentalem unitatem, ipsa est tota extra totum Sacramenti conceptum.

DISPU-

DISPUTATIO VIII.

De Universali Reali, quod vulgò vocatur Platonicum.

CCCL. *An Aristoteles falsas sententias imposuerit Platoni?*

ARistoteles 1. *Metaphys. cap.6. & libr.7.c.8. tex.28.* asserit Platonem distinxisse actualiter realiter naturas universales à singularibus. Accinit Aristoteli Doctor Angelicus *1.p. q.15. art. 1. & q. 84. art.1* Abulensis *in c.25. Metaph.q.572.*

Hæc sententia aliquibus videtur indigna tanto viro, ac ideò conantur ab eâ, quasi ab ignominiæ notâ, Philosophum Divinum vindicare. Sunt plurimi qui asserant Aristotelem non percalluisse Ideas Platonis, ac ideò perperam ipsissimas explicavisse: sunt seviores alii, & apud D. Thomam *Opusc. 20. libr. 4. cap. 4.* affirmant Aristotelem malignè & invidè imposuisse suo Magistro temerarias & improbabiles sententias, non solùm hîc, sed etiam in aliis pluribus difficultatibus. Ex Philosophis nituntur Platonem ab hujus sententiæ invidiâ liberare Iamblicus Porphyrii auditor *in Symbolis Platonis*, Appuleius *de dogmati. Platonis.* Eustratius *1. Ethic. cap. 6.* Bessariou *libr. 2. ad Arist. cap. 3. & 4.* Seneca Philosophus *Epist. 66.* D. Augustinus *libr. 22. De Civit. Dei cap. 26.* Iustinus Martyr *in oratione parænetica ad Gentes.* D. Thomas *ubi suprà.* Augustinus Eugubinus *libr. 1. de perenni philosoph. cap. 10.* Durandus *in 2. dist. 3. q. 6.* Conimbricenses *in præf. Porphyrii. q. 1. art. 3.* Hurtadus *disp. 5. Met. sect. 1. §. 2.*

D. [illegible]

An Plato admiserit realem distinctionem universalium?

ARTICULUS I.

Varii modi explicandi Philosophi Divini mentem.

CCCLI. *An Ideæ Platonis sint in mente divinâ? An sint distinctæ, aut separatæ?*

SCripsit varia Plato, & diversis temporibus: habuit multos discipulos, non omnes æquè acutos, nec sibi benè affectos, & ideò ejus sententiæ diversimodè tradi & exponi solent; & præcipuè hæc, quæ est omnium celeberrima, & tradit Universale realiter distingui ab Ecceitatibus. Multi, Idæas, quas asseruit Plato, putant esse Divinas; alii intellectuales: alii morales; horum autem sensa non explico, ago enim hîc de Universali reali, quod pace horum Doctorum dicendus est docuisse Plato: & quomodo id ipsum exponatur inquiro. Et quia multi sunt id exponendi modi, digniores notitiâ subjungo.

PRIMUS MODUS *explicandi Platonem.*

CCCLII. *Idea realis & separata.*

POtuit Plato asseruisse Universalia esse formalitates aliquas separatas atque distinctas realiter ab individuis, quæ à singularibus participarentur: & in hoc sensu videtur exponi ab Aristotele. Cæterùm in hoc sensu Ideæ Platonicæ defendi nō possunt; includūt enim aliqua, quæ sunt omninò repugnantia.

Impugnatur.

Primò. Hoc prædicatum specificum *Homo* si existit separatum à singularibus, vel est creatum vel est increatum, atqui non est increatum, quia non est Deus: ergo est creatum. Ergo non est creatum ab æterno; patet, quia illa creantur quæ ex *non-esse* fiunt, igitur priùs debet esse illud *non-esse* quam ipsum *esse*; sed æterno nihil est priùs: ergo nihil potuit creari ab æterno. Modo sic. Prædicatum specificum *Homo* creatum est, non ab æterno, ergo in aliquo instanti: supponamus ergo creatum fuisse in instanti C. ergo in stanti A fuisset falsum dicere *Petrus est homo.*

Quid sit creatio?

Posset aliquis respondere, hanc objectionem non esse fortem, nec ad rem: *non fortem*, quia creatio non postulat non esse termini, sed non esse subjecti; ut patet in quantitate Eucharisticâ, quæ actione creativâ conservatur, quæ tamen quantitas etiam erat antequam inciperet actione creativâ conservari: *non ad rem*, quia hoc argumentum æquè militat contra universale reale non separatum: æquè enim possemus de illo inquirere, An sit creatum aut increatum? Omissâ igitur hac instantiâ, ad secundam, si fortè sit melior, veniamus.

An universalia creari possint?

Secundò. Omnis actio creativa tendit in singulare, ergo si illa idea (sive prædicatum specificum) creatur non est universalis sed singularis.

Sed neque hæc ratio fortis est: quid enim fieret, quæso, Platonico, qui creari sola singularia negaret? Hanc ob rem, huic rationi nullo modo confido.

Tertiò. Demus actionem creativam directè & per se attingere posse universale intacto singulari, hoc enim supponere videntur hujus sententiæ authores; condonemus etiam liberalis ostentationis causâ Universalia producta esse ab æterno: nihilosecius urgeamus inimicos sic: Illa universalia creavit Deus liberè, quia nulla actio ad extra est necessaria; ergo potuit non creavisse. Supponamus ergo Deum non creavisse Ideam Equi, an hodie esset verum dicere *Equus est animal hinnibile. Bucephalus possibilis est equus*

possi-

possibilis? Si neges t[illegible]lis, omnes creaturas possibiles quod est absurdum: si asseras, adhuc sublatis his Ideis remanēt naturæ universales.

Hæc ratio quoad speciem est fortior; sed re benè examinata nihil convincit: peto enim, An Angelus, si primâ die creationis mundi, diceret, *Homo est animal rationale*, verum diceret? &, si verum, cur verificaretur illud *est*, si nondum Homo esset productus? Poterts respondere illam propositionem esse veram in sensu conditionato, possibili, & quidditativo: æquivalet enim his propositionibus; nimirùm huic quidditativæ; *Prædicata essentialia & quidditativa hominis sunt* (sunt) *animal & rationale*: huic etiam possibili: *Homo est* (9.) & c. hoc est: *Non repugnat homo, qui sit animal rationale.* Et etiam huic conditionate, *Homo est* (10.) & c. id est, *Si esset homo, esset animal rationale.* Sic tu Angelo, & optimè: & eodem modo posset Platonicus instantiæ tertiæ respondere: quia sæpè verbum *est* existentiam actualem non importat.

Quid significat Sam, fas. &c. & quod est 1, est 2. &c. reperiis in Grammatica audaces, & Legicâ.

Separatio est signum distinctionis realis.

Quartò separatio actualis est signum distinctionis realis, ergo Petrus & homo distinguuntur realiter: admittis facilè. Infero, ergo hæc prædicatio *Petrus est homo* est falsa, vel dantur duæ contradictoriæ simul veræ. Probo sequelam, quia distingui realiter est unum non esse aliud realiter; sed per te Petrus distinguitur realiter ab homine; ergo est verum dicere *Petrus non est homo*, ergo falsum dicere *Petrus est homo*; vel si utrumq; assertum sit verum, dantur duo asserta contradicentia, quæ sint simul vera.

Denominationes extrinsecæ oriuntur à formis separatis.

Sed hæc ratio communis est, non solùm omnibus Platonicis, sed etiam omnibus Dialecticis, qui navant operam aliis scholis; nam certum est Regiones realiter distingui à personis, & vestes à corpore, & interim pulchrè dixit Virgilius, *Romanos rerum dominos, gentemque togatam.* Dico igitur in concretis dari rationem Habentis, & rationes habitas: Addo in Propositionibus, ut veræ sint, requiri ut idem Habens subjectum & prædicatum sit, non tamen eadem res habita. Et probatur clarissimè: quoniam hæc propositio, *Habens togam & clamydem habet togam*, est vera, licèt toga realiter distinguatur à clamyde: imò etiam ab homine, qui illis induitur. Cui est similis hæc, *Petrus est homo*, quæ æquivalet huic, *Habens humanitatem & Petreitatem, habet humanitatem*: quæ erit vera, licèt hi tres termini, *Habens, Humanitas, Petreitas*, distinguantur realiter.

Cur verificentur concreta, & non abstracta.

An verificentur termini distincti realiter?

An possit concretum constitui à formâ separatâ?

Quintò albedo separata à pariete non potest parietem constituere album: ergo natura humana separata à Petro non poterit eum constituere in esse Hominis, nec ipsi formaliter communicari. At Plato posset negare aut etiam concedere antecedens. Si illud negaret, deberet illud probari ab adversariis, qui me judice, æquè difficulter suadebunt album non posse constitui albedine separatâ, ac hominem humanitate separatâ. Si illud concederet, deberet consequentiam & paritatem negare: &, si vellet, dicere albedinem separatam ex eo non posse constituere parietem album, quia est in alio subjecto cui dat suum effectum formalem: naturam autem humanam esse quidem separatam, & in nullo subjecto consistentem, ac propterea indifferentem ut omnibus extrinsecè communicetur. Sed fortè hoc nec est verum, nec sufficit. Verè humanitas separata non potest constituere hominem, quia etiam albedo in Sacramento Eucharistiæ est sine subjecto, & nihilominùs non remanet indifferens ut dealbet omnes parietes, aut corpora colorabilia: ergo similiter, licèt Homo sit sine subjecto, non poterit communicari singularibus. Præterea concedamus Ideam illam Hominis singularibus extrinsecè communicari (quia intrinsecè communicari nequit id quod est separatum) probabo hoc non sufficere, quia Petrus essentialiter est homo, ergo intrinsecè est homo, ergo non participat extrinsecè rationem hominis.

An Petrus sit intrinsecè homo?

Hæc quinta ratio videretur propius accedere, & fortiùs impugnare Vniversalia separata; tamen non caret solutione; nam incipiendo ab ultima lineâ, quid si Plato diceret, Petrum non esse intrinsecè hominem, sed extrinsecè; eò nimirùm sensu, quo dicitur dexter vel visus; ut ex dicendis poterit colligi. Sit igitur

CCCLIII.

Tres modi intelligendi universalia separata.

Conclusio I. *Idea separata quinque modis possunt exponi.* Primò enim posset aliquis dicere Ideam hominis non esse intrinsecè in singulis hominibus, sed esse in concavo Lunæ (sic nonnulli loquuntur) & inde singulos homines informare, constituere, & denominare: & ideò separatam dici. Secundò alius posset asserere Ideam hominis esse intrinsecam omnibus hominibus, & nihilominùs esse etiam extrà homines seorsim in concavo Lunæ; & hoc ipsum posset exponere convertendo oculos ad Sacramentum Venerabile, nam Christus non solùm in singulis hostiis sed etiam separatus & remotus ab hostiis, in Cœlo est. Tertiò posset alius asserere Ideam hominis esse intrinsecùs in singulis hominibus, & nihilominùs benè vocari *separatam*, non quòd existat separata ab omnibus individuis alicubi, sed quòd ipsa, prout est in Petro (nota istam reduplicationem) sit separata aut etiam remota à Francisco. Quartò posset alius dicere esse quidem in omnibus individuis intrinsecè has Ideas (seu naturas reales) universales: vocari tamen *separatas*, quòd mortuis aut corruptis omnibus individuis adhuc in statu separationis perpetuò victuræ credantur, immunes ab omni causarum secundarum oppugnatione, solius Dei voluntati subjectæ. Et tandem quintò alius posset alterare acceptionem vocabuli & dicere se separatarum Idearum nomine intelligere tantùm distinctas.

Christus Dominus, & in hostiis & extra hostias est.

Separatio reduplicativa.

Censura.

Prima expositio Idearum separatarum omninò rejicienda est: tertia videtur vera: at secunda, si placeat, plausibiliter defendi potest: exemplo enim Eucharistico firmatur & dilucidatur. Quod, si dicas tertiam, quartam & quintam expositionem non esse bonam: ego tenebo rem, & si velis sic loqui, dicam uni-

universalia esset: trinseca singulis individuis, esse realiter distincta ab Ecceitatibus, prout sunt in uno non esse in cæteris; si hoc sufficit ut *separata* nominentur, esse separata: si autem hoc non sufficiat, non esse.

Quid contra Platonem possit Logicus?

Conclusio II. *Philosophus, qui se contineat intra terminos Logicæ, impugnare non poterit primum modum exponendi Universalia separata.* Patet quia sicut ab eadem dexterâ Hominis multi dexteri; & ab eodem oculo multa visa dicuntur: si esse hominem, esset denominatio extrinseca à formâ aliquâ externâ & separata sumpta, etiam de Petro, Paulo, & cæteris verificaretur.

Quid Physicum?

Conclusio III. *Quæstio, quæ inquirit, An humanitas sit realitas intrinseca Petro, v. gr. aut extrinseca, non Logica, sed Physica est.* Patet, quia ad verificationem, quam examinat Logica, neutra requiritur.

Quantâ facilitate propugnari possint universalia separata?

Conclusio IV. *Stando fundamentis solius Logicæ, faciliùs defendere quis posset, universalia separata, quam intrinseca.* Patet, quia æquè verificantur, & tamen faciliùs intelligere possum multos homines dici visos ab eodem oculo, qui est in animali: dici Romanos ab eâdem urbe, quæ est in Italiâ: &c. quàm dici animalia ab unâ & eâdem animalitate, quæ est realiter & intrinsecùs una & in singulis.

Certum est dari extrinsecas aliquas denominationes?

Conclusio V. *Dari aliquas denominationes communes & universales à formis separatis provenientes à nemine negari poterit.* Patet, quia locus dexter & sinister, differunt extrinsecis formis: & non omnia loca dextera in formâ extrinseca conveniunt: quæ licèt entitativè singularis sit, est denominativè universalis.

An nullæ sint denominationes intrinsecæ?

Quid si aliquis diceret omnia concreta à formis externis constitui? quis eum Dialecticus erroris convincere posset? vellem aliquod forte ratiocinium videre.

CCCLIV. Rationis paritas.

Quâ ergo ratione impugnare quis poterit Vniversalia separata? Dicam brevissimè. Quo constituantur modo alia concreta, non possumus intuitivè respicere, sed à rationis paritate procedere, compositionem hominis supponendo. Hanc Fides, hanc experientia & ratio esse realem & internam persuadet. Fides docet animam rationalem, non solùm esse formam adsistentem, intrinsecam, quod multi dixerant, sed esse formam informantem. Experientia enim docet nos à saxis differre, nam multa intrinsecè sentimus, quæ sensum intrinsecum arguunt. Hæc notasse sufficiat; non enim est animus, in Logicis Physica, & Animastica, aut etiam Theologica tractare. Addatur igitur

Anima rationalis est forma intrinseca & informans.

De Ideis separatis judicium.

Conclusio VI. *Falsus est primus modus exponendi universalia separata (sit Platonis aut non) & licèt non peccet in Logicam, tam graviter in Physicam & Theologicam impingit, ut probabiliter propugnari non possit.* Patet ex dictis: & siquidem primum Platonem exponendi modum rejecimus, ad aliorum examen & disquisitionem descendamus.

Secundus Modus *exponendi Platonicam Vniversalitatem.*

Articulo secundo disputationis III. quarto loco memini eorum authorum, qui admittunt prædicata Vniversalia distincta & separata ab ecceitatibus. Quinta sententia eorum fuit qui existimant se assecutos esse mentem Philosophi Divini: dicuntq; *primò*, Vniversalia à singularibus actualiter realiter distingui; *secundo*, Vniversalia non esse separata à singularibus, sed in eisdem inclusa, vocari autem separata hoc est distincta; addunt *tertio*, easdem Idéas seu prædicata essentialia esse formas intrinsecas individuorum; quia ut dicitur, species contrahitur per ecceitates non formaliter, sed materialiter. Ecceitates enim subjecta sunt, & specifica natura est forma. Vnde juxta hos authores divisio speciei in individua coincidit cum divisione formæ in varia subjecta. CCCLV

An Ideæ seu prædicata universalia sint formæ intrinsecæ singularibus?

Nihilominùs sic exposita Platonis mens remanet improbabilis, & ut eam acriter impugnem resumo argumentum quartum, quo primum modum refutavi, quod est efficacissimum.

Prætereà arguo sic forma realis realiter distincta non prædicatur de subjecto. Est falsum dicere *Hominem esse animam rationalem, Parietem esse albedinem, Animal esse vitam.* ergo similiter erit falsum asserere *Petrum esse hominem*; patet, quia homo (ut asseritur) est forma realis Petri.

Propter has duas rationes judico improbabilem esse hanc sententiam tali modo explicatam.

Tertius Modus.

Defensabilis remanet Vniversalitas Platonica si eam exponamus, ut authores sextæ sententiæ, cujus articulo secundo meminimus. Scientia de Ideis juxta hos authores consistit in his tribus assertis. Primum, *Universalia à singularitatibus realiter actualiter distingui.* Secundum, *Universalia includi in singularibus.* Hæc duo asserta etiam ab his admittebantur, quibus placuit secundus Idearum exponendarum modus. Tertium, *Ecceitas (quidquid illud sit) est forma contrahens naturam communem & universalem.* Consulto posui illud, *quidquid Ecceitas sit*, sunt enim opiniones diversæ, & insistendo Platonis principiis posset aliquis dicere singularitatem esse formam realem & positivam, alius esse modalem, & alius etiam esse negativam solummodò. Et quidem hoc tertium assertum in causâ est ut possint satisfacere argumentis, quæ contra Platonem formantur.

An singularitas sit forma?

Dico hanc propositionem, *Petrus est homo* reddere hunc sensum, *Homo contractus Petreitate est homo*, vel hunc *Habens humanitatem & Petreitatem, est habens humanitatem*, quod est verum, etiam si Petreitas realiter distinguatur ab homine. Hinc argumento quarto primi modi, quod videbatur forte, & etiã num exactâ solutione indigere, in formâ satisfacio.

Exponuntur concreta.

Signum distinctionis.

Separatio actualis, ais, est signum distinctionis actualis, concedo assumptum: ergo Petrus & homo distinguuntur realiter, distinguo consequens, ex parte recti, nego consequentiam; ex parte obliqui, concedo. Quia homo est habens humanitatem, Petrus est habens humanitatem & Petreitatem; in utroque concreto rectum est illud *habens*, utrique ipsissimum. In obliquis est realis distinctio includentis & inclusi, quia hoc aggregatum ex humanitate & Petreitate includit humanitatem, non autem è contrario. Inferebatur. Ergo hæc prædicatio *Petrus est homo* est falsa; nego consequentiam, quia ut diximus in hac propositione non distinguitur subjectum à prædicato secundum id quod dicit in recto, sed secundum id quod dicit in obliquo, & ideò propositio est vera, & non identica, quia ad propositionem veram requiritur quod recta subjecti & prædicati sint idem; Propositio autem identica nec habet distinctionem in rectis, nec in ipsis obliquis: talis est hæc *Petrus*, hoc est, *Habens humanitatem & Petreitatem est habens humanitatē, & Petreitatem.* Ecce idem *habens* est ex parte subjecti & prædicati, & ipsissimum est quod habetur.

Quo subjectum modo & prædicatum distinguantur?

Petis utrum eccitas, quæ est forma concreti universalis contrahens illud ad esse singularis, sit realitas, vel modus? Respondent authores sextæ sententiæ esse realitatem, ac propterea nobilitatis inæqualis, quia in eorum opinione omnes homines non dicunt æqualem perfectionem: quia licèt conveniant specie, quæ in omnibus est unica, differunt ecceitatibus quæ inter se inæquales, quia ut asseritur à Mathematicis, æqualibus si inæqualia addideris, inæqualia remanent, quod demonstratur arithmeticè. Est 8. æqualis alteri 8. adde hos inæquales numeros 5. & 6. primum uni atq; secundum alteri; erunt 13. & 14. Ecce æqualia fiunt inæqualia inæquali additione. Respondent Philosophi, qui sententiæ septimæ subscribunt, ecceitates non esse res, sed meros modos, nullam perfectionem dicere, sed esse meras naturæ specificæ repetitiones, ac propterea addunt individua esse æqualis perfectionis & in eâdem specie non posse dari magis & minus.

An singularitas sit forma realis vel modalis?

An individua sint perfectionis inæqualis?

Obiectis aliquibus fit satis.

CCLVI. COnimbricenses *in Præfat. Porphyrii q. 1. art. 3.* impugnant sententiam Platonis sed 3. modo exposita defendi poterit & propugnari.

Argount primò. Si natura humana distincta ab Ecceitatibus existeret, esset res communis, & non-esset res communis. Esset res communis, quia ita supponitur à Platone & ipsius asseclis. Non esset res communis, quoniam nihil immediatè & per se existit in mundo, quod determinatum non sit: sed quod ejusmodi est nequit esse commune, sed debet esse singulare; ergo omnis natura singularis est, atq; nulla communis. Minorem probant. Quod est certum ac determinatum ita est hoc ens, ut simul non sit alia entia; hoc proprium est rei singularis: ergo.

An omnia entia actualia sint singularia?

. Respondent Academici subscribentes Platonicæ sententiæ tertio modo explicatæ, asserentes illam naturam, quæ exister et distincta à singularibus, fore communem. Contra hoc est illud assumptum: *Nihil immediatè ac per se existit in Mundo, quod determinatum non sit*, quod distinguendum putant; nihil existit in mundo quod determinatum non sit extrinsecùs, vel intrinsecùs concedunt: intrinsecùs tantùm, negant. Ratio est; quia universalia non existunt extra singularia, & sic determinantur ecceitatibus tamquam formis superadditis, quæ non sunt de essentiâ ipsorum: singularia autem in suo conceptu intrinseco essentialiter dicunt singularitatem. Idcircò omnia, quæ sunt in rebus, vel sunt singularia vel universalia; si sint singularia, sunt determinata intrinsecè & per se: si sint universalia, sunt in eisdem singularibus, & determinantur extrinsecùs. Tene exemplum. Materia prima in opinione communi est indifferens ad plures formas; nulla tamen datur materia prima, quæ non sit determinata actualiter suâ formâ: sic similiter concretum hoc *Homo* ex se est universale & indifferens ad hoc quod ecceitatibus determinetur, nusquam tamen existet in mundo quin sit determinatum. Sic Platonici intelligunt & exponunt Axioma: quod si aliter illud intelligi debere contendas, ita ut nulla sit in mundo realitas, quæ intrinsecùs non sit singularis, adhuc stant Platonici, negant enim axioma esse verum hoc sensu.

An omnia sint determinata?

Arguunt secundo. Quod per se immediatè est, habet suam propriam realitatem, & entitatem, impossibile verò est ut aliqua realis entitas indifferens sit & communis: ergo quod per se immediatè est, semper est singulare.

Respondent in hoc & in aliis argumentis, illud ipsum supponi, quod deberet probari. Condonant igitur majorem, quia licet universalia intelligantur existentia ut sic, non intelliguntur existentia hâc existentiâ singulari; ac propterea solùm singularia per se existunt determinatè, & prædicata specifica non habent existentiam hanc per se, & immediatè, sed eam recipiunt ab ipso singulari. Ideò negant minorē; atq; concedunt consequentiam, quia hæc non est contra illorū sententiā.

Universalia non existunt existentiâ singulari.

Tertiò. Id quod proximè ac per se existit, terminat immediatè aliquam productionem certam, atq; determinatam, producitur enim hîc & nunc ab hâc causâ, atq; ideò singulari quâdam actione: sed effectus per aliquam actionem productus non est minus certus, quàm actio quâ fit: erit igitur quidquid immediatè existit certum atque determinatum singulare.

An creentur creatione singulari?

Respondeo similiter revocando ad memoriam ea quæ nuperrimè edisserebamus. Singulare per se existit existentiâ A. verbi gratiâ; per se hîc & nunc producitur ab actione B: sed universale existit de facto existentiâ A, sed hoc non habet ex se, sed participat à singulari. Non producitur actione B, quoniam est quid improducibile, comproducitur tamen actione quâ producitur ipsummet singulare.

An universale possit existere sine singulari?

Ecce,

Ecce, si singularia produci & existere, & universalia comproduci & coëxistere dicantur, objectio corruit. Sed quid quæso illi fieret, qui universale sine singularibus posse existere assereret? quid ei, qui diceret, illud produci & existere actione & existentiâ sibi proportionatâ: nimirùm, communi & universali? quid illi, qui sententiam tantisper remitteret asserendo, actionem, quâ creatur universale, esse in agente & terminare universale productum, eamque secundum *esse in* esse singularem, & secundum *esse ad* universalem: Quid illi, qui rotundè concederet actionem, quâ Vniversale fit, & existentiam, quâ existit, esse singulares? Scotista intellectione singulari Vniversale intelligit, Thomista facit: ergo etiam Plato pariformiter posset discurrere: & singularem influxum in universale concedere.

An una & eadem humanitas in multis sit?

Quartò. Si natura humana exempli causâ à singularibus distingueretur, vel esset simul in Socrate & Platone, aut non esset. Si dicatur hoc secundum, non erit natura universalis, quia universalis essentia in hoc est, ut sit unum in multis; atque propterea futura est natura singularis. Si dicatur primum, vel est eadem indivisa natura in utroque, vel est divisa atque multiplicata. Si est divisa atq; multiplicata, jam non est una communis, sed multæ singulares. Si indivisa remanet; debet cum utroq; identificari, quia aliàs non verificatur de utroque, quia distingui est unum non esse aliud, & sic quod realiter ab alio distinguitur, de illo alio nequit verificari. Si natura illa communis utriq; singulari identificatur, sequitur & utrumq; sibi invicem identificari, ac perindè admissum iri istas prædicationes *Joannes est Petrus*, atq; *Petrus est Joannes*, quia, *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.*

An verum sit illud Axioma, Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se?

Multa assumuntur, quæ possunt ab Academicis satiùs exponi. Dicunt naturam humanam in concreto sumptam, nempè hoc prædicatum specificum *Homo*, non distingui realiter à Socrate & Platone; sed à Socrateitate & Platoneitate; addunt esse nihilominùs intrinsecè in Platone & Socrate. In utroq; autem non multiplicatur, sed una & eadem indivisa in utroq; singulari includitur, non tamen cum utroq; identificatur; nec inde sequitur prædicationes esse falsas, quia natura singularis & universalis symbolyzant in recto, atq; ideò idem est dicere *Petrus est homo*, atq; asserere *Habens humanitatem & Petrinitatem, est habens humanitatem*, quæ propositio est vera. Illud quod sublumitur axioma *Quæ sunt eadem uni tertio &c.* nec est verum, nec in præsentiarum alicujus esse poterit utilitatis.

An singularia dicāt Ecceitatē in recto?

Distinctionem realem inter hominem & ecceitates defendere non possunt, si Petrus constituatur ex ecceitate & subsistentia in recto, & naturâ in obliquo, quia ea quæ distinguuntur realiter non possunt prædicari realiter, ipsum enim distingui est unum non esse aliud, Vnde si Petrus distinguitur realiter ab homine, verum est dicere *Petrus non est homo*, ergo falsum est dicere *Petrus est homo.*

Compositio individui.

Audivi aliquos, tàm ex Platonicis, quàm ex aliis scholis, qui magno rationum apparatu hac syntaxi singulare, seu individuum componebant. Petrus exponebatur esse *Hic Homo*. Sed *Hic* erat fundamentum & rectum, & posteà *homo* considerabatur in obliquo. Hoc autem est intelligibile, quia non sunt obliqua ni habeantur, nec recta ni habeant. Subsistentia est illud *habens* quod in quolibet concreto subauditur; ergo subsistentia semper debet concipi in recto. Hinc est, quòd hæc propositio *Petrus est homo* reddat hunc sensum *Hoc habens humanitatem est habens humanitatem.* Ecce *hoc* & *habens* est in recto, *humanitas* verò in obliquo. Hanc singularis compositionem laudo, sed juxta eam non est possibile admittere distinctionem realem inter concretum specificum & ecceitatem, quia ut nuper notabamus, si Petrus distinguitur realiter ab homine, falsum erit dicere, *Petrus est homo.*

Ecceitas est forma, & debet intelligi in obliquo.

Ponere ecceitatem in obliquo & substantiam in recto esset plausibiliùs; præstant authores Academici, qui juxta tertium modum, Divinum Philosophum interpretantur: sed ipsis subscribere multi non voluere. Noster Reverendissimus P. Don Ludovicus Bernaldo de Quiros apud Salmanticenses Sacræ Theologiæ Magister, Academiæ Decanus, & in re Scripturariâ primarius Antecessor in Logic. d. 4. num. 9. *Non auderem, ait, ecceitatem asserere in obliquo, esse rationem formalem, seu actum constitutivum Petri; ratio est quia sæpè considero quisnam sim ego, quisnam Petrus? Ego & ille non sumus eadem res, nec differimus per attributum & obliquum aliquod; essemus enim unum suppositum: sumus tamen in recto, in supposito, in nobismetipsis distincti; & ideò si ecceitatibus differimus, hæ debent asseri in recto utpote fundamenta substantialis fabricæ.* Hucusq; ille. Hæc erat doctissimi Viri sententia. Sed ei subscribere non possum, qui aptissimè concipio ecceitatē esse actū & attributū Hominis.

Conclusio prima.

CCCLVII. *Subsistentia debet poni semper in recto.*

SVbsistentia *est primum fundamentum singulare atque determinatum; in eo nititur substantiale accidentaleque ædificium: recipit Ecceitatem ut actum potentia, & ideo semper exponitur in recto.* Constat ex dictis. Et ad majorem claritatem adnotato, in concretis exponi subsistentiam in recto atq; naturam in obliquo. *Homo* est Hypostasis habens humanitatem, non verò humanitas habens hypostasin. Ratio est, quia aliàs hæ propositiones essent veræ: *Spiritus sanctus est Filius. Verbum divinum est Pater.* Esset hæc falsa *Deus est homo*; quia priores æquivalent his, *Deitas habens Spirationem passivam est Deitas habens Filiationem*; & *Deitas habens filiationem est Deitas habens Paternitatem*, quæ sunt verissimæ, quia una & eadem Divinitas habet illas tres personalitates. Vltima propositio, quæ est omninò vera, æquipollet isti, *Divinitas habens subsistentiam est humanitas habens subsistentiam*, quæ absolutè est falsa. Ergo concreta non dicunt naturam in recto & subsistentiam in obliquo;

quia

ſed potiùs è contrario, in recto ſuppoſitum, atque naturam in obliquo.

Singulare dicit eccelratem in obliquo, atq; in recto ſuppoſitum: *Petrus* idcirco debet exponi *habens naturam humanam & Petreitatem:* quia illa formalitas *Habens* omnibus hominibus eſt communis, differunt tamen ecceitatibus.

Concluſio ſecunda.

Singularitas diſtinguitur realiter ab univerſali.

E*Cceitas verò & realiter diſtinguitur à concreto ſpecifico,* Sic Petreitas ab homine. Eſt expreſſa Platonis *in Timæo, Phædro, & Parmenide.* Peris attamen, quomodo diſtinguatur? Ratio dubitandi eſſe poteſt, quia diſtinctionis veræ & realis dantur diverſa genera, aliàs enim diſtinctio eſt ſeparatio, & intereſt illis quæ non ſolùm re ſed loco differunt: aliàs eſt diſtinctio actualis, & eſt inter ea quorum unum non eſt aliud actualiter: aliàs eſt diſtinctio realis potentialis, tali diſſident omnia quæ actualiter diſtingui poſſunt: aliàs eſt diſtinctio ex natura rei, quam invenit Scotus, atq; defendunt Scotiſtæ: tandem inter reales & veras diſtinctiones numeratur virtualis, ſive fundamentalis, quæ in ſcholâ Thomiſtarum admittitur. Huic dubio ſatisfacit

Concluſio tertia.

Non tamen ab illo ſeparatur.

U*Niverſalia non diſtinguuntur ita à Singularibus ut loco differant atque ſint mutuò ſeparata.* Si credendum ſit Ariſtoteli, eſt expreſsè contra Platonem, quia teſte Stagiritâ *primo & ſeptimo Metaphyſicorum*, & D. Thomâ *primo Perihermenias lect.* 10. Plato poſuit Univerſale extra ſingularia ſubſiſtens.

Concluſio quarta.

An ſingularitas diſtinguatur à naturâ univerſali potentialiter?

H*Æc diſtinctio, quæ intereſt homini & ecceitati, non eſt potentialis.* Eſt expreſsè contra Fonſecam auctorem ſatis notum, qui 5. *Metaph. c.* 28. *quæſt.* 3. *ſect.* 2. *& deinceps* aſſerit naturam communem habere à parte rei unitatem univerſalem, non tamen actu, ſed potentiâ: hanc autem potentiam nunquam reducendam eſſe ad actum, imò nec poſſe. Sed hîc aut fallor, aut Fonſecæ opinio contradictorias parturit. Primò natura univerſalis eſt una in potentiâ. Secundò non eſt una in potentiâ, quia omnis potentia exponi debet in ordine ad actum, & ſi is repugnet, non dari illam neceſſarium eſt.

An detur potentia ad actum repugnante?

An ſpecies poſſit exiſtere ſine individuis?

Dicit Fonſeca naturam ſecundum ſe verè habere potentiam, ut exiſtat ſine individuis, hanc autem potentiam non poſſe reduci ad actum, quia non eſt poſſibile agens, quod eam producat extra individua, quod ſi daretur tale agens, illa potentia ad actum eſſet reducibilis. Explicatur. Chriſtus in Cœlo colorem habet naturalem & naturaliter eſt tibi viſibilis, hæc autem potentia non poteſt reduci ad actum naturaliter, ſed hæc impoſſibilitas non naſcitur ex viſibilitate paſſivâ Chriſti Domini, non ex tuâ potentiâ viſivâ, ſed ex diſtantiâ; quia non datur agens naturale, quod te illuc naturaliter transferre queat. Addo exemplum ſecundum. Si omnes animantes eſſent ſurdæ, adhuc eſſet Muſica audibilis, hæcque potentia ad actum non reduceretur, non defectu Muſicæ, ſed defectu virtutis auditivæ. Ergò ſimiliter, natura illa ſecundùm ſe poteſt extra ſingularia produci, non tamen poteſt hæc potentia ex actu primo ad ſecundum tranſire, quia non datur agens quod id præſtare poſſit.

CCCLVIII.

An aliquid poſſibile ſit, quod à Deo non poſſit fieri?

Diſplicet mala hæc optimi Authoris opinio, quia eſt injuria Divinę Omnipotētiæ. Naturæ potentia paſſiva major eſt quàm activa creatoris? quomodo ergò omnia poteſt, qui hoc poſſibile efficere non poteſt? Suaviùs & religioſius philoſophamur è contrario. Potentiam Dei illimitatam venerot, ſi quidquam non poſſe fieri aſſero, hoc accidere credo non defectu potentiæ productricis, ſed producibilis: culpa eſt non in ipsâ virtute creativa, ſed in paſſiva rerum poſſibilitate. Colorata omnia video, Angelos non video, nec numeros ſonoros perſpicio; nec ideò venit potentia viſiva condemnanda, quia hæc non debet attingere aliquid quod non ſit objectum ejus: colorentur Angeli, donentur albedine ſoni numeri, & ſtatim à viſu perſpicientur. *Haud aliter* Omnipotentia omnia poſſibilia poteſt facere, dum contradictoria non poteſt producere, ſed hoc non poſſe non naſcitur ex Dei impotentiâ, ſed ex terminorum repugnantiâ: non repugnent termini inter ſeſe, & ſtatim erunt producibiles ab ipſo Deo; ipſe etenim habet potentiam, ut creet terminos, qui mutuò non repugnent. Ergò ſi eſt poſſibilis natura exiſtens ab individuis ſeparata, hanc poterit creare Deus.

Cur Angeli inviſibiles ſint?

Cur nō poſſit Deus ponere duo contradictoria?

Aliqui volunt exponere Fonſecam de diſtinctione poſſibili, non in ordine ad exiſtentiam realem, ſed in ordine ad eſſe objectivū. Ita eum exponit Hurtadus *diſp.* 5. *Metaph.* §. 59. Sed minùs aptè. Aſſerit ipſe Fonſeca hanc potentiam non poſſe reduci ad actum: ſed ſi eſſet in ordine ad eſſe objectivum, non ſolùm poſſet reduci, ſed & de facto ſæpiſſimè reduceretur: ergò. Minorem probo, quia de facto in eſſe objectivo concipitur ſine ecceitatibus. Liquet igitur hunc Authorem non debere explicari de potentiâ in ordine ad exiſtentiam objectivam, ſed in ordine ad realem: & hîc obiter noto, præter hanc expoſitionem quam cum Platonicâ nuper compoſui, alias eſſe, & non omnes rejiciendas omninò.

An Fonſeca inter Univerſale & ſingulare objectivā diſtinctionē conſtituat?

Obiectio.

CCCLIX.

Rerum aliæ univerſales & aliæ ſingulares ſunt?

D*ICES*, Ecceitatem & naturam ſpecificam non diſtingui realiter actualiter ſeu diſtinctione Thomiſticâ aut Scoticâ, hoc eſt aut virtualiter aut ex natura rei. Et probas PRIMÒ authoritate Ariſtotelis, qui *primo de Interpret. cap.* 5. ait, *Rerum alias eſſe ſingulares alias univerſales.*

SED *hæc inſtantia* potiùs nobis favet quàm Scoticis aut Thomiſtis.

An Univerſale reſiſtibile Thomiſtico, aut Scotiſtico, an non potius correſpondeat Platonico?

Aliqui Ariſtotelem volunt exponere pro Fonſecâ, affirmantes illū agere de rebus poſſibilibus, quia in illo ſtatu ſunt indifferentes, ut ſint aut communes aut particulares; ſed contrà eſt ipſemet Ariſtoteles, qui in prædicamentis aſſerit *ſubſtantias ſecundas* (ſivè univerſa-

les)

les) *include in primis* (hoc est in singularibus) ergò non solum secundum esse possibile, sed etiā secundùm esse actuale distinguitur substantia prima a secunda, sicut includens ab incluso. Alii volunt illum exponere pro Nominalib9: & dicunt eũ egisse de vocib9; condẽnat autẽ hanc expositionẽ Divus Thomas, qui ait. *Si attendantur verba Aristotelis, ipse nõ divisit nomen in particulare & universale, sed res.* Ergò ex mente Aristotelis rerũ consideratarum secundùm se aliæ sunt cōmunes, aliæ particulares: dantur igitur universalia ante operationẽ intellect9, quia illa quę competunt naturę secundùm se, à cōsideratione nõ dependẽt. Aristoteles igitur stat pro distinctiõe reali actuali.

De aqua & aeris diaphaneitate.

SECUNDÒ Aristoteles 2. *de Anim. text.* 88. ait eandem esse aeris & Aquæ diaphaneitatem; sed aqua & aër non habent eadẽ numero diaphaneitatem: ergò eandem specie. Atqui ante mentis operationem aër est diaphanus, atq; aqua similiter; ergò dantur naturæ universales ex naturâ rei ante operationem intellect9.

Resp. Aristotelem non dixisse aquę & aeris diaphaneitatem esse eandẽ ex natura rei, sed esse eandem puta actualiter realiter. Aristoteles enim 5. *Met. a. text.* 8. *ad* 12. inter unitates reales enumerat Genericam & Specificam.

Et hic obiter notari volo, Aristotelem variare, cùm agitur de Universali: videtur sub initium Ideas sui Præceptoris sectatus, posteà insectatus. Omnia enim, quę contra Platonẽ habet addita fuisse postea vel ex eo colligo, quòd nõ potuerit omnes locos corrigere, qui ideas Platonicas aut supponunt aut adstruũt.

Conclusio quinta.

CCCLX. *An sit inter naturam verā unio sit identificatio?*

D*istinctio naturæ specificæ corporeæ à corporeâ ecceitate est realis actualis.* Colligitur ex dictis, et præcipuè fũdatur certissima doctrina quā tradeinus inferiùs. Formalitates spirituales naturales (nā de supernaturalib9 hic nõ agim9) si uniantur, etiā identificabũtur, ut multi dicũt, & graves rationes confirmāt: materiales actus & potentia nunquā possunt identificari, quamobrẽ agẽdo de individuatione naturę materialis dicendũ est illā distingui realiter actualiter ab ecceitate, tantū minùtum distinctione quantâ Petr9 à Paulo. Hanc nihilominùs conclusionẽ sic expositam propugno.

An multa possint definiri?

Primo, Quia omne quod diffinitur debet esse unum, teste Aristotele 4. *Met. tex.* 10. atqui natura humana ante mẽtis operatioẽ est una.

Secundo, In Antepraedicamentis habes ex Aristotele hanc Univoci diffinitionem *Univoca* (meliùs leges *Univocata*) *sunt ea, quorum nomen est commune, ratio vero significata est omnino eadem*: Ergò ratio quam significat nomen *Homo*, quæ convenit & Petro & Paulo, est omnino realiter actualiter eadem.

An omnes homines sint unus homo?

Tertio, dabo verba Porphyrii, ut scias hanc opinionem fuisse communem. *Species*, ait, *participatione plures homines sunt unus homo*; sed ista participatio non pendet à mentis operatione, quia ante omnem operationem intellectûs fuit particeps naturæ humanæ.

An D. Thomas Platonicas ideas admittat?

Quarto, juvabit audire Divum Thomā, qui *lib. 1. Perihern. lo.* 1. 10. sic ait. *Quandoque vero attribuitur Universali sic considerato, quod sic apprehenditur ab intellectu ut unū; tamen id quod attribuitur ei, non pertinet ad actum intellectûs, sed ad esse quod habet natura apprehensa extra animam.* Quid clariùs? Attribuitur Universali esse unũ in multis, & hoc pertinet secundùm Divum Thomam ad esse quod habet natura extra animā: ergò natura prout extra animā est, est una in multis. Et *opusc. 42. de Naturâ generis c. 7. & 8.* docet dari *naturas universales habentes quandā universalitatẽ, quæ nõ communicatur ab individuis.* Unde sua argumentā sumpsit Fonseca *l. 5. Met. c. 28. qu. 3. sect. 2. 3. & 4.*

Quomodo duo individua similia & dissimilia sint?

Quinto, præter hæc testimonia opus est à ratione procedere, & argumentor sic. Hic Leo & ille Leo ante omnẽ operationẽ intellectûs conveniunt in ratione Leonis, quoniā uterq; est Leo, & differunt in ecceitatibus: Ergò ratio Leonis actualiter distinguitur ab ecceitatibus. Patet, quia in eâdẽ indivisibili entitate non possunt convenire realiter, atq; differre realiter. Vel esto, conveniant realiter & differant realiter in simplicissimâ formalitate, expecta duas contradictorias simul veras. *Hic Leo est similis alteri* est vera, quia differt ab illo in singularitate. Ne igitur admittamus contradictiones, tenemur dicere has propositiones non esse ejusdem de eodem, quia hic Leo & ille Leo symbolizant substantialiter in natura Leoninâ, differunt non in naturâ, sed in ecceitatibus, quæ realiter ab illâ distinguũtur.

An individuorum similitudo realis sit?

Sextò, Ecceitas & Leo vel sunt idem realiter, vel distinguuntur realiter. Si dicas secundum, habeo intentum: si primum, falsum asseris, quia inde sequeretur Petrum nullam habere similitudinem cum Ioanne, ac per consequens nullam posse succedere intellectualem abstractionem, ablato enim fundamento, omnia quæ illi innituntur, debent ruere; similitudo autem singularium abstractionis fundamentum est. Inde sequi Petrum nullam habere similitudinem cum Ioanne asserui, sed nunc probo. Natura Petri secundùm se sumpta atque ex ingenio suo est Petreitas; atqui Petreitas nullam habet similitudinem cum Ioanne: ergò natura Petri realiter loquendo nullam habet similitudinem cum Ioanne.

Ideæ Platonis sunt incorruptibiles & ingenerabiles.

Septimò, Naturæ rerum universales secundùm se sumptæ, sunt in omnium opinione incorruptibiles & ingenerabiles; non enim producuntur sed comproducuntur, nulla enim actio creativa aut generativa reperitur, quæ per se & directè possit ad solum universale terminari; productio enim per se individuum respicit, & in eo respicit universale, ac propterea cum individuum producitur, comproducitur universale, comproduci autem nihil aliud est quam singularizari, quia aliàs non existeret in actu secundo. Sic similiter Universale non corrumpitur, sed desinit existere in illis individuis, quæ corrumpûtur, & si omnia singularia corrumperentur, saltem remaneret in Deo eminentiori modo ab omni imperfectione defæcatum: His expositis resumo, initio positam propositionem. Arguo sic: Universalia secundum se sunt incor-

ruptı-

tuptibilia atque improducibilia; singularia corrumpuntur & generantur; & hoc ante operationem intellectûs, non enim fingimus Leonem mori, sed reverà moritur: ergo ante mentis operationem ab ecceitatibus distinguitur natura universalis.

An de singularibus sit scientia?

Octavo, Objecta scientiarum sunt realia & præsupponuntur omni mentis operationi; ergo ante operationem intellectûs dantur universalia. Patet consequentia, quia scientiarum objecta non sunt singularia, sed universalia, quia de singularibus nô dantur scientiæ.

Nono, Volo claudere hanc disputationem argumento efficacissimo contra illos omnes qui cum Thomistis objectivas admittunt præscissiones. Afferit D. Thomas habere intellectum humanum vires tantas, ut possit concipere animal non concepto rationali, & hominem non conceptâ ecceitate. Hac doctrinâ suppositâ formo hanc rationem. Est verum dicere, quod isto actu *Leo* intellectu, ratio specifica Leonis concipitur, & ecceitas non concipitur; ergo aut dantur duæ contradictoriæ simul veræ, aut Leo distinguitur ab Ecceitate. Probatur consequentia: Quia est hæc propositio vera *Leo concipitur realiter*, etiam ista est vera *Ecceitas non concipitur realiter*. Vtraque propositio admittitur; idem prædicatum quod in alterâ asseritur, in alterâ negatur: ergo vel asseritur & negatur de eodem subjecto, vel non. Si primum dicas, admittes duas contradictorias veras, nempè affirmationem & negationem ejusdem de eodem. Si secundum, habebo intentum, Quia si realiter loquendo homo & ecceitas non sunt reverà idem, eodem sensu debent distincti dici. Ergo negari nequit distinctio inter Leonem & Ecceitatem.

Formalitates ante mentis operationê distinguuntur.

Dices hoc ratiocinio, sicut & ferè omnibus antecedentibus, probari quidem distinctionem veram & realem inter Leonis naturam & individuationem; non tamen probari actualem, sed ut plurimum præcisivam virtualem, aut ex natura rei. Et probas quia est simile positis argumentû illud quod fit à Theologis tractantibus de Trinitate. Quia ante omnem mentis operationem natura Divina communicatur Filio cui Paternitas non communicatur. Ergo ante mentis operationem natura Divina distinguitur à Paternitate, quia eidem formalitati duo contradictoria (nempe communicari & non communicari) competere non possunt. Tunc sic. Natura à Personalitatibus Divinis distinguitur ante operationem intellectûs, ut jam probavimus; non actualiter physicè, quia Deus non est capax compositionis actualis: ergò distinguitur virtualiter fundamentaliter, aut ut alii loquuntur, distinctione ex naturâ rei.

An tantùm ex naturâ rei?

Quomodo in Deo formalitates & attributa distinguantur?

Respondeo satis esse his argumentis distinctionem veram & realem, quæ sit ante operationem mentis, persuaderi: hanc non esse purè præcisivam, constat clarissimè, si quod Viri doctissimi volunt, identificatio sit quædam unio infinita; quia hæc in solo Deo reperitur. Non est purè fundamentalis aut virtualis, quia est inter potentiam & actum ma-

An identificatio sit unio infinita?

teriales, quæ juxta vera principia realiter identificari non possunt. Ex dictis igitur prodit hoc Dilemma fortissimum. Natura Leonis & Ecceitas distinguuntur realiter (hoc est distinctione verâ, non fictâ mente, aut intellectu fabricatâ) ergo vel identificantur vel non identificantur: atqui identificari non possunt; ergo distinguuntur actualiter & carent reali identificatione.

Obiectis occurritur.

Aristoteles 1. *de Animâ text.* 8. dicit *Animal universale aut nihil est, aut posterius est*, hoc est, post intellectûs operationem, ut ibi S. Doctor, Magnus Albertus, & alii Commentatores explicant. CCCLXI

An Ideæ sint nihil?

Respondeo substantias singulares esse primas, atque universales secundas, ideóque à Stagiritâ vocari posteriores, non quod sint post operationem intellectûs, sed quod sint in singularibus tanquàm in subjectis; & subjectum, cùm sit formæ fundamentum, intelligi debere priùs. Hinc est quod eodem sensu, quo universalis vocatur substantia secunda, debet etiam posterior nominari.

Substantia prima & secunda.

Objicis 2. Aristoteles *in Prædicam. tract. 2. c. 1.* asserit, *Non existentibus primis substantiis impossibile est aliorum aliquid esse*; ergò præter individua non datur aliqua ratio communis quæ sit universalis. Patet consequentia, quia si hæc daretur, illis sublatis perennaret.

An universale esse possit sine particularibus?

Consono Stagiritæ; sed nego, quam infers, consequentiam. Sublatâ materiâ primâ formæ corporeæ tollerentur; hinc tamen non sequitur istas non dari, sed sequitur has in illâ esse. Sic similiter ex eo quod deficientibus primis substantiis secundæ pereant, ne inferas secundas non dari, sed secundas à primis dependere. Sanè dependent ut forma à suo subjecto.

An forma sine materiâ?

3. D. Thomas *quæst. unicâ de Anim. c. 1 ad 2.* sic ait. *Vnumquodque secundum idem habet esse & individuationem.* atqui per speciem habet esse, ergò species non distinguitur ab individuatione.

An esse ab individuatione distinguatur?

Angelici Doctoris verba brevissimè debent expendi. Ista propositio, *Nulla creatura existere potest, quæ non sit singularis*, ex verbis Angelici Doctoris non infertur, quæ solùm innuunt individuationem & existentiam ab uno & eodem fonte oriri. Imò oppositum videretur inferri: nam cùm D. Thomas existentiam componat cum individuatione, & asserat existentiam oriri ab essentiâ tanquam rem realiter ab illâ distinctam; consequens est, ut hoc testimonio essentiæ & individuationis realis comprobetur distinctio, non autem identificatio.

4. Idem Angelicus Præceptor *de Ente & Essentiâ c. 4. & 1. de Interpret. lect. 10. & sæpè alibi* asserit res esse universales in intellectu. Consonat Damasceno *lib. 3. de Fide c. 11.* & utrumque sequuntur plurimi recentiores.

Resp. nullam dari in D. Thomâ authoritatem quæ non possit satis commodè pro Schola reali & Platonicis ideis exponi. Dicit res esse universales in intellectu: non nego, quia

An possit Divo Thomæ ...

Leo

Leo & in intellectu, & extra intellectum est universalis. Si dicat Doctor Angelicus hominem extra mentem non esse universalem formalitatem: Asseram S. Doctorem agere contra illos Academicos, qui Ideas separatas machinantur, atque idcircò dicere hominem ante mentis operationem non esse formalitatem universalem separatam, sed universalem inclusam in suis inferioribus.

Quid senserit Magnus Albertus?

5. Albertus Magnus 12. *Metaph. comment.* 4. ait Intellectum facere in rebus universalitatem. *Et alibi* exponit modum quo intellectus universalia efficiat, dicens, Universalia apud Aristotelem esse collecta à singularibus in intellectu, qui accipit inter ea consimilitudinem, ut faciat eam unã intentionem. *Et iterum.* Universalia non habere esse extra animam: demonstrationemque de particularibus non fieri, quamvis illa tantum sint res in rei veritate.

Possem ex responsione ad quartum etiam ad quintum respondere, sed ne dicar servire authoritati, & jurare in antiquiorum verba, dico mentem Magni Alberti fuisse, ut in argumento exponitur, nos tamen esse in sententiâ contrariâ, responsuri rationibus, quæ contra nostrum assertũ ex Alberto, quamvis Magno, sumuntur.

ARTICULUS II.

De Distinctione Graduum Universalium inter se, in Schola Platonis.

CCCLXII. *Quomodo genus & differentia distinguantur?*

ECceitas à specie distinguitur realiter, ut jam probavi: superest ut inquiramus qui distinguatur genus à suis differentiis & contractionibus universalibus? nempè Ens fundamentale à Perseitate, Quantitate, Qualeitate, & Relatieitate. Substantia à Sensibilitate: non enim dantur plures differentiæ intra lineam Prædicamenti substantialis.

Propriam mentem expono.

Leonis compositio.

ARchitectus Metaphysicus hujus Leonis singularis substantiam his formalitatibus constituo. *Primò* suppono subsistentiam tanquam basin & fundamentum formalitatum cæterarum; *Secundo* naturam Leoninam huic subsistentiæ superpono; *Tertiò* Leonis addo ecceitatem, unde est verum dicere de illâ subsistentiâ, *Hoc suppositum est habens naturam Leoninam, & ecceitatem, & ideò est hic Leo.* Hæc doctrina illustrabit dubium, si addideris has Positiones; Est

Prima.

Quid in recto & quid in obliquo dicant omnia concreta?

COncreta singularia dicunt suppositum in recto, naturam & individuationem in obliquo. Patet ex dictis, quia Leo A, est suppositum habens naturam Leoninam affectam ecceitate A.

Secunda.

COncreta specifica dicunt suppositum in recto, naturam genericam & differentialem in obliquo. Patet quia Animal est suppositum habens corporeitatem & sensibilitatem.

Tertia.

Quomodo subsistentia, generica, differentialis, specifica, &c. inter se distinguantur?

VIvens & Sensibile pro recto dicunt eandem subsistentiam & differunt solùm obliquis. Corollarium; *Subsistentia naturæ genericæ non differt intrinsecus & entitativè à naturâ differentiali, sed solùm extrinsecè penes diversa obliqua.* Patet; quia eadem ratio suppositi ut sic, prout sustentat vitæ radicem, quæ est forma litas communis omnibus speciebus, est subsistentia generica; prout sustentat sensibilitatem, quæ est actus differentialis, dicitur subsistentia differentiæ: & prout utramq; (nempè vitam & sensibilitatem) sustentat, specifica subsistentia est; & invariata intrinsecè remamanens tantummodò patitur diversas considerationes, & refertur ad diversos terminos & connotata.

Quarta.

OMnes formæ materiales distinguuntur realiter à subsistentiâ; Constat ex his quæ suprà disputavimus.

Quinta.

Quo conveniant & differant modo subjecti prædicatumq.

GRadus superiores universales materiales ab inferioribus universalibus materialibus in subsistentiis & rectis non distinguuntur re aut ratione intrinsecâ: in naturis verò distinguuntur realiter actualiter. Explicatur. In hac enuntiatione *Homo est animal,* quæ dicitur pertinere ad primum Prædicabile, & æquivalet huic, *Suppositum habens humanitatem est suppositum habens animalitatem*, Subjectum & prædicatum conveniunt primò in ratione Suppositi, secundò in ratione Habentis; hoc est, in toto recto: differunt tamen in re habitâ, quia corporeitas distinguitur ab aggregato ex corporeitate & sensibilitate.

Quid sit Ens, quid suppositũ, & quid substantia.

Non aliter, quando dicimus *Substantia est ens*, etiam formamus propositionem formalem; est enim quidditativa, similis huic *Substantia alba est substantia*; de quâ non egit Porphyrius, sed potest reduci ad primum Prædicabile, & exponi juxta regulas positas; quoniam hæc *Substantia alba est substantia*, æquipollet huic, *Suppositum habens perseitatem & albedinem, est suppositum habens perseitatem:* & hæc *Substantia est ens* æquipollet huic, *Suppositum habens perseitatem est suppositum*: nam istæ voces, *Suppositum & Ens*; nimirùm, si prima sumatur substractim & secunda sit nomen substantivum, significant eamdem rem.

ARTICULUS III.

An Platonica Ecceitas in pura negatione consistat?

SPeciem ab ecceitate, si utraque materialis sit, distingui realiter actualiter (hoc est maximâ distinctione) asserui, & argumentis roboravi. Hinc liquet aliam esse ideam Leonis, & aliam ecceitatis, non solùm penes rationes formales, sed etiam penes objectivas. Verè Leo & ecceitas sunt duæ formalitates. Dubitas, an utraq; sit positiva? Hoc in præsenti disputatione examinabo. CCCLXIII. *Quæstio proponitur.*

Vera

Vera sententia stabilitur.

Quid sit singularitas? Tres dicendi modos reperio in hujusmodi difficultate. Primus asserit ecceitatem tàm in materialibus, quàm in spiritualibus esse formalitatem aliquam positivam distinctam,(hâc vel illâ distinctione juxta varias distinctionum species) à naturâ specificâ. Ita ferè omnes anthores, tàm Thomistæ quàm Scotici. Secundus dicendi modus tenet ecceitatem esse solummodò negationem aliquam additam naturæ specificæ: ac per inde nullam naturam specificam individuari per aliquid positivum à seipsâ distinctum, sed per seipsam esse individuam primariò & immediatè. Hic dicendi modus placuit præcipuè Nominalibus *in 1.dist.2.* quorum antesignani sunt Okamus *ibid.q.4.& 6.* Gabriel *q.6.7.& 8.* Hanc etiam opinionem Henrico *quodl.5.q.8.* tribuit Suar. *disp.5.Met.sect.2.n.5.* Tertius modus philosophandi est medius, & asserit in spiritualibus ecceitatem esse formalitatem negativam, & nihil positivum addere supra naturam specificam. Hanc opinionem tenuisse Arist. *7. Met.c.11. text.41.* nonnulli affirmant, quia inibi ait in spiritualibus non distingui quod est ac cujus est. Sed Philosophus inibi non agit de ecceitate, sed de subsistentiâ. Natura est quæ est, subsistentia cujus est, quia *homo* est *suppositum habens humanitatem.* Sed juxta mentem Arist. *Angelus* est *Persona habens angeleitatem.* Et in eo natura & personalitas non distinguuntur. Quartus modus etiam est prioribus intermedius, hnictamen ultimo ex diametro contradictorius; res materiales asserit à seipsis individuas esse, ac illis nihil positivum accrescere à singularitate, sed solùm quampiam negationem: spiritualia autem individua fieri additione formalitatis positivæ.

Unde nascatur singularitas? Ratio fundamentalis est quia individuatio sumitur à materia, unde ecceitates vulgò dicuntur differentiæ materiales: ergò entia materialia fiunt individua seipsis, & spiritualia individuatione indigent à se distinctâ. Modus dicendi ultimus de materialibus & spiritualibus pariformiter philosophatur, asserit tamen ecceitatem esse formalitatem positivam, includere autem aut inferre aliquas negationes.

Hi modi reperiri poterunt apud authores suos, qui singulos prolixiùs expendunt. Res est satis conspicua, ni obscuram redderent inutiles disputationes. Mea mens explicabitur iis conclusionibus.

Prima.

Materia & forma secundum se non sunt singulares. Ecceitas est actus formalis insidens rei, quæ dicitur esse singularis, constituens eam in esse hujus. Ex hâc conclusione infertur præter hanc, quæ vocatur Ecceitas, nullam dari formam ex rei naturâ singularem, sed omnes universales esse, & individuandas singularitate: imò distinctâ realiter actualiter, si formæ fuerint materiales. Infertur secundò ipsam materiam primam ex se nec singularem nec universalem esse; reddi tamen individuam ecceitate realiter actualiter distinctâ superadditâ.

Secunda.

An Ecceitas sit quædam positiva formalitas? Individuatio est formalitas realis & positiva in corporibus [& juxta aliquos etiam in substantiis Angelicis & Spiritualibus.] Hæc opinio videtur esse Scoti *in 2.dist.3. quæst.1.& in quodl. quæst.2.& 7. Met.q.16.* Antonii Andr. *ibidem q.17.* Fonsecæ *lib.5.q.3.sect.2.q.5.per totam*, eam acerrimè propugnat Ioannes Baptista Monlerius *in libello de Universalibus cap.6.* subscribit Suarius *disp.5. Met.sect.2.n.7.* Est sententia expressa D.Thomæ *1.p.q.40.art.2.& 1.contra Gent.c.42.rat.7.* quem sequitur ipsius Schola, ex qua Cajetanus *lib.1.post.c.4.de Ente & Essentiâ c.4.* Socinas *7.Met.q.31.* Capreolus *in 2.dist 3.q.1.* Hervæus *quodl.3.q.9.* Sotus *in Logic.q.3.Univers.* Tenet hanc sententiam Hurtadus *disp.5.Log.sect.2.§.12.* ubi asseriit, quòd individuatio est extra rei essentiam; non tamen esset conceptus distinctus ab essentiâ, si non esset aliquid positivum. Sed *disp.5.Met.sect.9.§.10.* ad duplicem negationem recurrit. Huic asserto subscribere tenentur quotquot asserunt ecceitates non dicere æquales perfectiones, sed inæquales.

Tertia.

Quomodo à specie distinguatur? Ecceitas distinguitur realiter actualiter à naturâ specificâ materiali; Constat ex his quæ de singularitate disputavimus. Hanc assertionem adoriuntur Cajetanus *de ente & essen.q.4. Et 1.p.q.5.art.6.* Socinas *7.Met.q.3.* Niphus *l.4. Met.disp.5.* Suarius *disp.5.Met.sect.2. num.9.* & alii plures, quos brevitatis gratiâ supersedeo.

ARTICULUS IV.

Francisco Suario impugnanti Ideas Platonis satisfacio.

Nuperrimè citatus Suarius sententiam istam impetit & præcipuè tertiam conclusionem. Argumenta ipsius, quæ judicavero calamo digna, donabo solutione.

Arguit primo sic. *Met.cit.in loco.* Si in individuis id, quod addit individuum supra naturam communem, est distinctum ex naturâ rei ab illâ; etiam è converso ipsa natur. (Leonina v.g.) ante mentis operationem abstrahetur & distinguetur ab individuatione, seu differentiâ singulari. Ergò jam Leo & Ecceitas sunt duæ realitates: ergò earum unaquæque habet suam unitatem, quia duo non possunt intelligi, nbi non sunt unum & unum; numerus enim componitur ex unitatibus, sicut ex punctis linea. Ergò natura illa Leonina prout præcisa ab Ecceitate habet unitatem; ergò vel numericam, vel universalem. Primum non potest asseri, quia natura præscissa ab ecceitate condistinguitur ab ecceitate, & sic nil ecceitatis continet, ac perinde non potest esse singularis. Præterea si sine ecceitate CCCLXIX *Objectio prima. Occurritur Francisco Suario.*

ceitate natura illa est et individua, frustra talis individuatio adjungeretur, quia antequam adveniret, erat in naturâ ipsius effectus formalis, qui est reddere naturam singularem. Secundum intelligi non potest, quia natura illa humana prout condistincta ab ecceitate ante mentis operationem non habet unitatem universalem.

Respondeo naturam Leoninam in concreto sumptam habere potentiam ut recipiat plures ecceitates, & hanc potentiam esse de facto reductam ad actum saltem inadæquatum, quia recipit ecceitatem A.

Natura secundum se nec est singularis nec universalis.

His positis dico. Leo ut sic nec est universalis nec singularis, sed est indifferens, & habet non potentiam sed radicem sivè nun repugnantiam, ut recipiat plures ecceitates, & in hoc statu est Leo secundum se; non est plures Leones, & ideò dicitur esse unus numero negativè. Potest secundò concipi Leo prout affectus potentiâ recipiendi ecceitates, & sic est unum potens esse in multis, & per consequens est unum universale. Potest tertiò concipi Leo prout actualiter Petreitatem recipit, & ut sic est unum singulare. Ex his ad argumentum Suarii concedo primum antecedens, & consequentias usque ad illam. *Ergo natura illa Leonina prout præscissa ab ecceitate habet unitatem numericam vel universalem*, distinguo consequens: si sit præscissa ab ecceitatibus & à potentiâ essendi in multis, nego, quia tunc non habet unitatem numericam neque universalem, sed negativam, est enim Leo secundum se; nempè unus numero negativè, vel ut Scotici loquuntur, est Leo secundùm naturam rei. Si natura Leonina præscindatur ab ecceitate tantùm, remanebit natura Leonina habens potentiam ad essendum in multis, ac proinde manebit natura universalis. Hoc esse impossibile dicebat Suarius, nego impossibilitatem, quia ante mentis operationem in rebus ipsis concedo realem & veram universalitatem.

Replicat Suarius *ibid. n.* 10. contra hujusmodi resolutionem. Licet in tali naturâ hæc formalis unitas possit ratione distingui ab unitate individuali & universali; tamen concipi non potest, quòd à parte rei sit secundum entitatem suam præcisa, & ex naturâ rei distincta ab unitate individuali, & quòd ut sic etiã careat unitate universali. Probatur. Natura illa secundum se vel est communicabilis, vel non est communicabilis (sunt termini contradictorii & alter debet esse verꝰ & alter falsus) si est communicabilis est universalis, si non est communicabilis erit incomunicabilis, ac per consequens erit & individua.

An natura secundum se sit communicabilis?

Respondeo naturam illam Leonis secundùm se non esse formaliter communicabilem, sed radicaliter & remotè, eo sanè sensu quo hominis animus præscissus ab intellectu intellectivus dicitur, & benè, est enim intelligendi radix. Hinc non sequitur esse individuam, quia substantia singularis est ita incommunicabilis, ut nec habeat potentiam proximam, nec radicalem ad hoc ut inferioribus communicetur.

Objectio secunda.

Natura, quæ est in Leone A, & in eo distinguitur ab ecceitate A, vel est eadem cum naturâ, quæ est in Leone B, vel ab illa distinguitur. Si est eadem, erit communis & universalis; si sit distincta, cùm specie non differãnt, numero dissideant, opus est.

Respondeo primò hoc argumentum esse simile huic. Christus, qui est in hostiâ A. & in illâ distinguitur ab accidentibus; vel est idem cum Christo, qui est in hostia B: vel ab illo distinguitur. Si est idem, erit communis omnibus hostiis: si distinctus, erunt in hostiis multi Christi; qui, cùm specie non differant, numero debebunt distingui. Iam patet objecti argumenti debilitas, & ideò respondeo secundò, naturam Leoninam, quæ est in Leone A, bifariam posse considerari, vel in abstracto, vel in concreto. Natura leonina in abstracto est Leonitas; & quæ in Leone A est, non est Leonitas secundùm se, sed Leonitas habens potentiam ut sit in multis & actualiter existens in Leone A: hæc realiter est universalis, & actualiter ab ecceitate ipsâ distinguitur, quia formæ abstractæ à subjecto habent, quod sint singulares. Sic dico Leonitatem, quæ est in Leone A. non distingui à Leonitate, quæ est in Leone B. Sed esse verè unam & ipsissimam Leonitatem, non quidem unam numericè, sed unam specificè seu universaliter. Natura Leonina in concreto est Leo; & natura Leonina, quæ est in Leone A, non est Leo secundum se, sed Leo universalis, quia est Leo habens potentiam, ut sit in multis: analogicè philosophor de naturâ Humanâ. Homo, qui est in Petro, ante mentis operationem est idem realiter cum homine, qui est in Paulo; different hæ duæ Personæ solummodò ecceitatibus, conveniuntque realiter & univocè in ratione hominis. Sed obiter notandum est Platonicos agere de Entibus materialibus, quia de spiritualibus fortè aliter resolvendum est; & in homine fortè dici debebit, ecceitatem animæ distingui ex naturâ rei ab animâ & ecceitatem corporis realiter-actualiter à corpore.

An ecceitas animæ realiter ab illâ distinguatur?

Objectio tertia.

Vult ipse Suarius *citata disp.* 5. *Met. sect.* 2. *num.* 11. argumentari directè ostendendo non posse esse talem distinctionem in rebus, quæ sit vera realis & actualis ante omnem operationem intellectûs.

Impossibile est, ait, intelligere distinctionem realem actualem inter Lapidem & ejus ecceitatem. Probat assumptum. Quia præcisâ ecceitate intelligitur lapis habere suam entitatem, ergò illa entitas quâ prior est Petreitate per naturam suam debet esse individua: ergò non indiget individuatione superadditâ. Ergò si ante individuationem superadditam ipsa natura est individua, certum est non distingui realiter-actualiter, imò nec ex naturâ rei ab ipsâ singularitate.

Respondeo neg. assumptum. Ad probationem admitto naturam lapidis sublatâ ecceitate habere suam entitatem; nego autem consequentiam, nempè illam entitatẽ debere esse individuã; est siquidem universalis, quã participant non solùm hic lapis, sed etiam reliqua individua.

Omnis

CCCLXV. *Objectio quarta.* *An ſemper actionis terminus ſit ſingularis?*

Omnis entitas in rebus exiſtens neceſſariò eſſe debet ſeipsa ſingularis & individua. *Probatur* 1. quia, ut communis non intelligitur eſſe extra cauſas ſuas, & habere actualitatem realem, & veram exiſtentiam. Ratio eſt, quia nihil poteſt terminare actionem efficientis cauſæ, quod non ſit exiſtens, & nihil poteſt exiſtere, quod non ſit ſingulare. *Probatur* 2. *idem aſſumptum.* Quia talis natura ut condiſtincta ab ecceitate, eſt incommunicabilis pluribus inferioribus, quia nec dividi poteſt à ſeipsâ, nec fieri plures: ergò jam ut ſic, & ut abſtracta ab ecceitate remanet individua: ergò. *Probatur* 3. Ecceitas aſſeritur actus ſingularizans, & conſtituens hunc lapidem in eſſe hujus; ergò ſi verè Ecceitas diſtinguatur à lapide, debet eſſe in natura ſpecifica potentia, quę huic actui correſpondeat, & ſit actualis: ergò illa potentia erit ſingularis, ergò & natura lapidis, ſiquidem habet potentiam ſingularem, non poterit non eſſe individua. *Confirmatur & explicatur* 4. Quia in lapide A, & lapide B, verbi gratiâ eſt duplex compoſitio ex naturâ communi & differentiâ individuali. Ergò in utroque ſunt diverſa compoſitionis extrema, quia, ſi hæc eſſent eadem, non eſſet duplex compoſitio, ſed ſimplex. Ergò non ſolùm ecceitas A, diſtinguetur ab ecceitate B, ſed etiam natura lapidis, quæ eſt in lapide A, diſtinguetur à naturâ lapidis, quæ eſt in lapide B. Ergò illæ duæ naturæ ſunt duæ res ſingulares, & individuę; ergò non poteſt aſſeri naturam univerſalem realiter actualiter, imò nec ex naturâ-rei diſtingui à ſuis individuationibus.

An natura lapidis habeat potentiam receptivam Ecceitatis?

Verè hæc ratio militat non ſolùm contra me, ſed contra Nominales, imò contra ipſum Suarium, quamcumque ſententiam amplectatur. Cæterùm ipſi videant, quî ex ſuis principiis poſſint objectis reſpondere: ego negotio facili huic argumento faciam ſatis.

Illud aſſumptum, *Omnis entitas, quæ eſt in rebus exiſtens, neceſſariò eſſe debet ſeipsâ ſingularis & individua*, eſt omninò falſum, nec ſufficienter comprobatur. Ratio eſt, quia ad hoc ut res ſit extra cauſas, non minùs eſt neceſſaria exiſtentia, quàm ecceitas. Atqui ut res ſit extra cauſas, non eſt neceſſarium ut ſeipsâ exiſtat, ſed ſolùm ut exiſtat: quia in ſententiâ Angelici Doctoris materia prima eſt extra cauſas, exiſtitque, non tamen ſeipsâ, imò nec exiſtentiâ propriâ, ſed alienâ, nempè formæ exiſtentiâ: nec aliter apud Thomiſtas natura humana in Chriſto Domino eſt extra cauſas, atque reverà exiſtit, non ſeipsâ, hoc eſt, exiſtentiâ, quæ non diſtinguatur à ſeipsâ; imò nec exiſtentiâ propriâ, ſed exiſtentiâ Verbi, quæ aliena eſt, & realiter diſtincta à naturâ. Ex exiſtentia ad ſingularitatem pervius tranſitus. Omnia, quæ exiſtunt debere eſſe ſingularia, concedo; aut potiùs condono: erunt tamen talia, ſi donentur ecceitate licet realiter actualiter à ſe diſtinctâ.

An humanitas in Chriſto exiſtat exiſtentiâ Verbi?

Ad primam aſſumpti probationem aſſero naturam in concreto ſpecifico & ut ſic, intelligi eſſe extra cauſas ut ſic, & exiſtere ut ſic, non tamen intelligitur eſſe extra talem numero cauſam, nec exiſtere hac numero exiſtentiâ: & quidem, ſi loquamur de facto verum eſt omnes actiones effectrices eſſe individuas, & petere terminum exiſtentem & ſingularem, non tamen exiſtentem ſeipſo, ſed exiſtentem exiſtentiâ propriâ aut alienâ: ſic ſingularem etiam, non verò ſeipſo, ſed ſingularitate propriâ aut alienâ ſuperadditâ. Creavit Adamum Deus. Creatrix illa actio fuit individua & ſingularis: iſtius actionis terminus ſunt Adami partes, ex quibus ipſe coaleſcit: partes etenim ſunt priores toto. Subſiſtentia aut Adami Hypoſtaſis non erat individua ſeipsâ, ſed communis, ſaltem radicaliter. Erat autem individua, quia ſuſtentabat hanc humanitatem. Humanitas erat hæc; quia conſtituebatur tali numero formâ. Forma erat hæc; quia actuabat talem numero materiam: materia tandem erat hæc; quia ſigillabatur tali quantitate.

De creatione Adami.

Ad ejuſdem aſſumpti confirmationem immediatam nego naturam illam conceptam ut condiſtinctam ab ecceitate, eſſe incommunicabilem pluribus inferioribus. Nec obeſt quòd dividi entitativè poſſit, vel non poſſit; ſolùm enim requiritur quod poſſit dividi poteſtativè, hoc eſt, in partes potentiales ſeu inferiores. Non enim participant ſingularia partē rationis ſpecificæ, ſed totam, licet non totaliter: totam quidem, quia nullum prædicatum eſt in ſpecie, quod ab individuo non participetur: non totaliter, non enim eam participant quantum participabilis eſt, quia illi adhuc remanet participabilis, imò de facto participatur ab aliis individuis. Species totum eſt poteſtativum, & Metaphyſica individui pars. Vt totum poteſtativum poteſt dividi, non quidem à ſe ipsâ, ſed in ſeipsâ, hoc eſt, recipere in ſe plures ecceitates. Vt pars Metaphyſica tota communicatur individuis, quia non habet Petrus unam partem naturæ humanæ, & Paulus aliam, ſed totam naturam humanam ſpecificam, quam habet Petrus, habet etiam Paulus.

Quomodo individua participent naturam communem?

Quid ſit participari totum & participari totaliter?

Ad probationem tertiam admitto ecceitatem A eſſe actum ſingularizantem formaliter lapidem ut ſic; admitto etiam debere huic actui aliquam potentiam reſpondere, nego autem illam fore ſingularem; ratio eſt quia Ecceitas non eſt ſingularis *ut quod*, ſed *ut quo*; nempè non eſt individua ſed individuatio: ſic ſimiliter potentia recipiendi talem ecceitatem non erit ſingularis *ut quod*, ſed concepta *ut quod* erit communis, erit tamen ſingularis *ut quo & potentiâ*, quod nullus abneget, eſt enim potentia entitativè communis ad recipiendas omnes ſingularitates.

De potentiâ receptivâ ſingularitatum.

Ad quartam probationem concedo dari duas compoſitiones in lapide hoc, & in lapide illo; non tamen condiſtinctas, ſed differentes. Lapis hic coaleſcit ex naturâ A, & ecceitate B: lapis verò ille ex eadem lapidis naturâ A, & ecceitate C: & ecceitas B, & ecceitas C, diſtinguuntur realiter actualiter: ergo differet lapis hic ab illo ut ſyllaba AB, à ſyllaba AC, habent enim aliquid commune, nempe naturam: & aliquid non commune, nempe, ecceitatem.

ARTI-

ARTICULUS V.

Roderico Arriagæ impugnanti Ideas Platonis satisfacio

[CCCLXVI. Objectio prima.] ARriaga in Logicâ, *Disp. de Universalibus sect. 2.* contra Platonem & Academicos istam Conclusionem statuit. *Non dantur à*
[*Arriaga refelitur.*] *parte rei Universalia separata à singularibus, v.g. homo ut sic, equus ut sic, &c. ex quorum participatione omnia singularia habeant suum esse & intrinsecam essentiam, ut Platonem sensisse, testis*
[*Quàm certum sit?*] *est ejus discipulus Aristoteles 1. Metaph. cap. 6. & lib. 7. c. 6. & 8. & sæpè alibi, vocans hæc Universalia, Ideas Platonis.* Hanc Conclusionem Arriaga adeò indubitatam existimat, ut audeat dicere nullum ab eâ discordare, cùm certum sit eodem tempore, quo hæc edebat Arriaga (nimirùm anno 1632) in eâdem Pragensi Urbe dictatas & propugnatas fuisse publicè Ideas Platonicas à Clarissimo & Doctissimo Viro, Ioanne Marco Marci, nunc Medicæ Rei Primario Professore, & Regni Bohemiæ Physico, seu Archiatro, qui tandem anno 1635. non sine contradictionibus & difficultatibus, quas tandem universas evicit, post Venerabilis Consistorii sententiam & Magnorum Theologorum censuram permissus est edere librum, qui inscribitur, *Idearum operatricium Idea*, in quo tuetur Platonicam Universalitatem. Sed quidquid sit de hoc, videamus quo Arriaga modo Platonis doctrinam impugnet.

Arguit sic. [Vel naturæ illæ Universales sunt incorruptibiles & distinctæ à singulari-
[*An Ideæ sint separatæ & incorruptibiles?*] bus, vel non. Si dicas hoc secundum, inquit se habere intentum, scilicet non dari à parte rei universalia separata à singularibus. Si verò dicas ea esse separata & incorruptibilia, infert contra, Ergo non possunt prædicari de inferioribus corruptibilibus, quia de corruptibili nequit prædicari aliquid incorruptibile, tanquam identificata inter se; hæc enim duo contradictoriè opponuntur: si autem non identificantur, nec prædicantur, quia omnis prædicatio fit per Verbum significans identitatem.]

[*An corruptis omnibus individuis mansura sit natura specifica?*] Sed non urget. Primò, quia sive Plato Ideas illas universales, corruptibiles, sive incorruptibiles dixerit, perinde est: utroq; enim illæ modo possent æquè defendi. Posset enim aliquis Academicus dicere, extinctis omnibus Leonibus Ideam seu Naturam universalem Leonis extinguendam & corrumpendam: & posset alius contra asserere illam adhuc permansuram etiam sine individuis, quousq; illam adnihilaret Conditor, qui illam creaverat. Sed neuter aut in Universalitatem aut Veritatem Positionum impingeret. Immò, si aliquis has ideas non solùm ingenerabiles & incorruptibiles, sed increabiles & inadnihilabiles delirarent, in Fidem ipse & Physicam, non verò in Logicam peccaret.

Sed ait Arriaga, de corruptibili incorrupti-
[*An incorruptibile possit de*] bile prædicari non posse: sed cur non? Homo corruptibilis est, materia prima & rationalitas incorruptibiles, & tamen verè *Homo* [*corruptibili prædicari?*]
est corporeus, & Homo est rationalis, dicimus. Non dicimus *Petrus est corpus*, nec *Petrus est Anima*: sed *Petrus habet corpus, Petrus habet Animam*, &c. & ideò Platonicus nunquam dicit, *Petrus, qui corruptibilis & singularis est, est etiam natura humana incorruptibilis & universalis*; si enim hoc loqueretur modo Platonicus, benè impugnaretur ab Arriagâ: sed ait, *Petrus, qui corruptibilis & singularis est, habet naturam humanam incorruptibilem & universalem, & a se ipso realiter, ut totum a parte distinctam.* Et hanc propositionem falsam esse dignabitur probare Arriaga. [*Nota benè*]

Interim quid fieret Philosopho qui adjungeret. *Christus est substantia creata: in cœlo Empyreo existens; incorruptibilis & ingenerabilis, & tamen replicatur in multis hostiis ratione specierum contrahentium corruptibilibus:* & subjungeret, *Leo est substantia creata: in concavo Lunæ existens: incorruptibilis & ingenerabilis (nimirùm a causis secundis:) & tamen reperitur & replicatur in multis individuis, ratione ecceitatum contrahentium corruptibilibus?* An non in utroque casu incorruptibilitas rationis communis cum corruptibilitate rationum contrahentium componitur? Ego nullam differentiam percipio.

[CCCLXVII Objectio secunda.] PRogreditur idem Author, & rejicit Ideas Platonis: quia, cùm ipsæ non sint Deus, erunt distinctæ à Deo, adeòque dependentes; implicat enim esse aliquam creaturam, quæ non pendeat à Deo, ut patet: Ergo essent & non essent creaturæ, quod repugnat.

[*Quo sensu ideæ Platonis sint incorruptibiles & æternæ?*] Scio multos hoc aut simili ratione pressos obtorsisse opinionem Platonis, & recurrendo ad Divinas Ideas, dixisse Ideas Platonicas esse incorruptibiles, immutabiles, æternasq; & à Deo indistinctas, & communicatas Creaturis eo sensu, quo nos dicimus, perfectiones divinas hominibus communicari. Sed hanc solutionem non admitto, tollit enim sententiam, quam Plato docuit, & ejus discipuli in schola propugnant.

[*Incorruptibile differt ab immutabili.*] Scio etiam aliud esse rem non posse corrumpi, & aliud non posse mutari: nam rationalis Anima mutabilis est, & incorruptibilis nihilominùs est. Quamobrem posset Academicus dicere primò, Ideas illas corruptibiles & mutabiles esse: neutrum enim militat contra Platonis Logicam. Posset secundò admittere illas esse incorruptibiles, at esse immutabiles negare: mutari enim est aliter se habere, quàm priùs, & ipsæ jam sunt in istis individuis, illisq; mortuis in aliis, quod est aliter se habere & mutari. Posset tertiò distinguere asserendo Ideas posse & debere considerari bifariam: nempè in se ipsis, & in individuis, quæ constituunt. Eas in se ipsis esse incorruptibiles & immutabiles, at easdem in individuis corrumpi & mutari per accidens.

[*Ideæ sunt creatæ à Deo.*] Hinc ad objectionem venio, & fateor illas Ideas esse creatas à Deo adeòque ab illo dependentes. Instat Arriaga, Atqui, si essent incorruptibiles & immutabiles, non dependerent à Deo: & ego hoc totum nego: nam rationalis Anima est incorruptibilis, & cœli

inalterabiles dicuntur, & tamen dependent à Deo. Quod enim non potest à causis secundis alterari aut corrumpi, potest adnihilari à Deo.

CCC LXVIII. Objectio tertia.

An ex Ideis absurda oriantur?

Videt Arriaga se non multum proficere contra Platonem, & ad Theologicas scholas transiens, inde novas objectiones extruquet. Multa asserit absurda suboriri ab universitate Platonicâ, quæ non toleret sincera Theologia. *Primo*, Quia, si in omnibus individuis datur eadem omninò natura humana, v.g. ergo natura eadem numero Christi est etiam in Iuda & in Barrabâ, & in illis est Deo offensa, & ponitur in inferno, in Christo autem est Deo grata, & fruens divinâ essentiâ: quæ omnia implicatoria sunt. *Deinde*, In Eucharistiâ, non tota substantia panis converteretur in corpus Christi, quod est hæreticum. Sequela patet: nam ratio substantiæ & corporis quæ est in pane, est eadem numero cum ratione substantię & corporis quod est in Christo, idem autem non convertitur in seipsum, ergo hæ rationes genericæ non convertuntur in Christum, ergo nec tota substantia panis.

An eadem natura humana sit in gratiâ & peccato, in cœlo & inferno?

An Eucharistica conversio sit totalis?

Nota illud numero:

Lego has duas objectiones admirabundus, & quia addit Arriaga [His similia multa alia absurda excogitari posse:] infero esse absurda hæc ab Oppugnante excogitata, quæ non ex sententiâ Platonis, sed ex præjudicio, quo Arriaga laborat, sequuntur. Sed quia hoc argumentum non Platonicos solùm, sed etiam Scotistas Arriagæ opinione prosternit, qualiter illo contra Subtilem Doctorem abutatur, attentè & circumspectè contemplemur. Arriagam igitur contra Scotum arma vertentem audiamus.

. Eadem absurda, ait, sequuntur ex sententiâ nonnullorum Scotistarum, asserentium in omnibus inferioribus esse unam naturam solum formaliter distinctam à singularibus; quia supra posita absurda non sequuntur ex sententiâ Platonis, eò quòd natura illa distinguatur realiter à singularibus, sed ex eo quòd sit una & eadem numero in omnibus prout hi Scotistæ defendunt. Præthereà specialiter impugnat hanc Scotistarum sententiam. Hanc inquam, non enim ullus unquam Platonicus aut Scotista sic deliravit, ut habuerit sententiam, quam illis hic Author adfingit. Sic ergo argumentatur. [Iuxta Scoti opinionem datur in creatis mysterium Trinitatis; nam eadem omninò natura est idem realiter cum pluribus singularitatibus, quin singularitates sint idem inter se realiter, sicut eadem natura divina cum tribus personis, quin ipsæ personæ sint idem inter se realiter. Nec sufficit, si dicas, singularitates distingui à naturâ formaliter, quia etiam in tuâ sententiâ natura divina distinguitur formaliter à tribus personis.]

Nota illud numero iterum.

An Trinitatis mysterium in humanis sit?

An divinitas distinguatur à personalitatibus?

Respondeo igitur dari in omnibus individuis unam & eamdem naturam universalem, nego dari unam & eamdem singularem. Addo in hoc, quod hîc Platonicus asserit, in hoc quod negat, omnibus omninò consonare Philosophis, junioribus, antiquisque; nemo enim erit, qui aut esse naturam unam & eamdem universalem in omnibus individuis negât, aut esse in omnibus unam & eamdem singularem affirmet. Infert Arriaga: Ergo ad mentem Platonis & Scoti eadē natura numero, quæ est in Christo, est in Iudâ: eadem, quæ in cœlo, est inferno, &c. nego iterum, iterumque consequentiam: non enim Plato in multis collocat unam naturam realiter singularem: sed realiter universalem. Et quis negabit eamdem naturam humanam universalem, quę est in multis, esse in omnibus, adeòq; in Christo & Iudâ & Barraba? quis eamdem esse in cœlo, quà in Christo: esse in inferno quà in Iudâ? Hoc omnes debent dicere & defendere: & tota difficultas eò debebit devolvi, ut videant qualiter velint naturam illam communem & universalem à talitatibus distinguere: illam enim Plato distinguit realiter: Scotus formaliter ex naturâ rei: D. Thomas formaliter objectivè, hoc est, ratione ratiocinatâ, ut Thomistæ loquuntur: alii expressivè, sive connotativè: alii aliter: at omnes in hoc conveniunt, quòd natura, quæ est universalis, eo sensu quo est universalis, eo est in multis: ergo & in Christo, & in Iudâ, & in Barrabâ, & in omnibus aliis individuis.

Plantonicorum & omnium aliorum consensus.

Eadem natura universalis est in multis: in inferno & in cœlo: &c.

CCC LXIX. *Mysterium Trinitatis in rebus creatis multas umbras sibi similes habet: at nihil omninò simile.*

Ad instantiam ex Mysterio Trinitatis desumptam respondeo illud mirabiliter dilucidari à sententiâ Platonis: & si vera sit opinio Scoti, non sequi illud reperiri in Creaturis nam in divinis una numero natura est in tribus personis, & in humanis non jam una numero natura, sed una specie aut genere collocatur in multis. Hæc solutio evidens & manifesta est; sed quid, si Arriagæ condonaremus Mysterium illud etiam in terris reperiri? Annon omnes creaturæ sunt infiniti Dei imagines imperfectæ & finitæ? Intellectus & voluntas reperitur in Deo: ergo ideò negabitur hæc & ille homini? minimè. Quid ergo? dicemus Deum esse substantiam infinitam, hominem finitam, substantiam tamen. Deum esse intellectu & voluntate infinitis prædituū: & hominem esse finitis. Ac tandem Naturam divinam esse infinitam adeòqoe singularem (considera illud *adeo*) & unam in multis infinitis: & humanam esse universalem, unā finitè, & unam in multis finitis. &c. Et quidem quod hîc loco absurdi objicit Arriaga, ego summæ perfectionis concederem: & hoc argumentum formarem [Philosophia debet ancillari, Theologiæ: hoc est; tales opiniones præmittere, quæ Fidei Articulos exponant & dilucident. At stante Arriagæ doctrinâ divina Trinitas intelligibilis est: & stante Platonis aut Scoti sententiâ clara & facilis: ergo hæc est sententia propugnanda & altera omninò rejicienda.] illudq; hac firmarem ratione. [Multa sunt quæ ratio nuda nequit assequi, quæ tamen à Theologiâ didicit. Subsistentiam ignoravit Philosophia Ethnica, noscit Christiana, à Divinis edocta. Quo ergo debemus modo in materiâ hac procedere? An-ne debebimus negare subsistentias creatas, ne Mysterii incarnationis possibilitas In creaturis reluceat: an potiùs admittere debebimus illas, ut possibilitas ista in creaturis reluceat? Non illud priùs debebimus, sed hoc posterius ait Arriaga *disp. 4. Met. sect. 8. n. 43.* ubi

Qualis esse debeat doctrina Philosophica?

Unde dari subsistentias dedecerimus?

An illas debeamus negare?

ubi dari subsistentias eruit à Trinitatis & Incarnationis mysterio. Ergo siquidem una natura Divina est realiter in multis, potiùs inde debemus ad creaturas rationis paritatem deducere, ut in ipsis hujus Mysterii possibilitas luceat quàm contrarium asserere. Ergo quantum finiti & infiniti rationes (characteristicæ sunt, & Deum à creaturis distinguunt) tolerent, debemus eodem modo de Deo ac de Homine philosophari. Cùm igitur Infinitum universale esse non possit, Finitum possit (non enim sunt duo Infinita possibilia) sequitur Naturam Divinam esse in multis infinitè, adeòq; singulariter: humanam finitè & propterea non necessariò singulariter: & ideo esse, quamdiu realiter abstracta ab ecceitatibus, universalem.

An infinitum possit esse universale?

CCCLXX. Objectio quarta.

An individua in ratione naturæ sint multa?

IMpugnat iterum Platonem idem Author: Si enim una natura esset omninò in omnibus inferioribus (ut hi voluerunt) repugnaret, inferiora esse plura in illâ naturâ formaliter loquendo, quia unum dicit negationem divisionis, ergo natura in omnibus non potest esse divisa in illis in ratione naturæ, & simul in eâdem ratione naturæ non divisâ, sed unâ: forma enim & negatio formæ repugnant eidem rei: & sicut natura divina, etiamsi identificetur cum tribus personis, tamen ipsa non est divisa, nec tres personæ sunt plures in ratione naturæ, nec potest dici ibi dari tres naturas; ita licèt concederemus Scotistis in omnibus singularibus reperiri unicam naturã, non tamen inde inferretur, eam naturam esse universalem; non enim tunc potest esse multiplicata in singularibus, prout Vniversale requirit.

Nota id bene.

Liceat hîc mihi ab admiratione exordium sumere. Arguebat & incusabat nuper Arriaga Platonem & Scotum, quòd nimis consonã doctrinam Mysterio Trinitatis traderent, quasi Philosophia naturalis non esset bona, nisi tam supernaturali Mysterio dissonaret: & jam à Trinitate argumentum desumit, & quia putat se reperire aliquam dissonantiam occlamat. Sed ad argumentum veniamus.

Sic ait. *Si una natura esset omninò in omnibus inferioribus, repugnaret inferiora esse plura.* Nego: nego. Imò repugnaret non esse plura: nam si una & eadem natura est in multis, repugnat non esse multa, quæ habeant unam & eamdem naturam. Cæterùm hæc eadem plura individua, in ratione naturæ coincidunt, & sunt unum, imò & idem: nam Petrus Paulusq; in ratione hominis non distinguuntur. Illud etiam quod de divisione & negatione divisionis subjungit, non est ad rem: in omni enim sententiâ tota natura specifica (tota, tota) quæ est in uno, est in alio: aliàs non esset una in multis: & contractio non fit per divisionem entitativam naturæ universalis, sed per potestativam, quæ in additione differentiarum & taleitatum posita est. Firmat & dilucidat hanc veritatẽ Eucharistia: nam hostiæ omnes habent simul unitatem & pluralitatẽ: unitatem ratione Christi Domini, & pluralitatem ratione accidentium, sub quibus ille replicatur & potestativè dividitur.

Quomodo natura universalis dividatur?

ITerùm Arriaga *disp. 4. Logicæ sect. 4.* proprium sententiam propositurus, ab impugnatione Platonicæ sumit exordiũ. Et sic inquit: [Hoc tamen velim hîc imprimis advertas, multos gravissimè indignari, quando aliquis docet dari à parte rei Vniversale ante operationem intellectûs, & de hâc quæstione acerrimè disputare. Ego tamen puto, eam nullo modo aut vix posse esse de re, sed de solo nomine.] Et quia hoc ab eo jubetis advertere, ne miretis, si à nobis advertere rogetis plurimos gravissimè indignari quando audiunt negari ab aliquo Vniversale à parte rei. Et eosdem acerrimè indignari, cùm audiunt tam gravem & arduam controversiam reduci ad quæstionem de nomine.

CCCLXXI. Objectio quinta.

An universale rãle male audiat?

An quæstio hæc sit de nomine?

Omissis igitur aliis dicendi modis, realem Vniversalitatem impugnat dicens. [Implicat naturam aliquam à parte rei esse unam in se unitate rigorosâ, & eamdem esse multiplicem & divisam in eâdem ratione: sed hoc requiritur ad Vniversale, ergo illud implicat à parte rei. Consequentia est evidens. Minor admittitur ab omnibus; Major verò lumine naturæ est nota, quia unitas dicit negationem multiplicitatis in eâdẽ ratione in quâ est una: sed negatio alicujus formæ & ipsa forma nequeunt simul existere à parte rei; ergo neque natura una in multis, prout ad universale requiritur.] Sic Arriaga.

Notentur attentè singula.

Respondeo illi concedendo majorem, & negando minorem. Et quomodo hanc suadebit? Dicendo illam admitti ab omnibus. Bella probatio! Ego contra repono, eamdem debere negari ab omnibus non Platonicis modò, sed Thomistis, Scotistis, Expressivis, &c. nemo enim ante Arriagam dixit unum specificum, quale est Homo, dividi in multa specifica, sed in multa individua & singularia: &, si hoc dicamus, cessat Arriagæ ratio, quia homo in unâ ratione & consideratione est unũ, & in aliâ est multa. Ergo falsum est, requiri ad rationem Vniversalis naturam esse unam & in eâdem ratione esse multiplicem: quia in omni sententiâ postulatur; aut etiam propugnatur contrarium.

PRogreditur idem Arriaga & ait: [Hîc disputant aliqui, utrùm possit divinitùs in creaturis reperiri quid simile mysterio Trinitatis: natura, scilicet, quæ cùm in se sit una, identificetur tamen rebus distinctis. Non possum nõ mirari, hos Auctores quęstionem de Vniversali à parte rei fecisse dependentem à quæstione de mysterio Trinitatis in creatis: quia licèt illud concederemus, adhuc non sequeretur dari Vniversale à parte rei, sicut nec sequitur in divinis, ex eo quòd ibi detur prædictum mysterium. Ratio est, quam sæpè reddidimus, quia natura illa, si esset una in pluribus, ea tamen in quibus esset, non essent plura in eâdem ratione, prout ad universale requiritur.] ex quibus verbis hoc argumentum formas. Vniversale reale non potest intelligi aliter esse in multis, quàm Divinitas in tribus personis. Sed hoc non sufficit ut sit Vniversale. Ergo repugnat Vniversale reale.

CCCLXXII. Objectio sexta.

An ex Trinitatis mysterio benè probetur Platonicũ Universale?

Cur Divinitas non sit universalis?

Respondere possent Platonici naturam

Vniversalem realem non debere esse in multis individuis, sicut Divinitas est in tribus personis: non enim natura Divina est universalis propter duo; quorum alterum pace Scotistarum & Thomistarum non posset dici, alterum posset: videlicet propter identificationem & infinitatem. Quamobrem repugnaturum dicerent Hominem specificum, si vel natura humana esset infinita, vel singularitatibus identificata. Nam si esset infinita multiplicari non posset, non enim duo infinita possunt esse vel concipi: & si esset finita, & tamen Petreitati v.g. identificata, esset realiter singularis: & Ioanni convenire non posset. Sed hoc ultimum cæteræ Scholæ non concedent.

An plura infinita repugnent.

ARTICULUS VI.

Ioanni Lalemandetio impugnanti Ideas Platonis satisfacio.

CCC LXXIII. FVit Burgundus Sequanus, Ordinis Minimorum S. Francisci de Paula, S. Theologiæ Professor multis annis; & scripsit multa, varia, erudita, quæ nondum sunt juris publici facta. Dum esset per Germaniam, Bohemiam, Moraviam, &c. Provincialis, edidit Philosophicũ Cursum tribus tomis variâ doctrinâ plenis, & *tomo 1. disp. 4. Logicæ, Partitione 3.* sic Platonis opinionem exponit, & variis argumentis impugnat. Vt ergo illi benè satisfacere possim, hunc Articulum in tres partes distinguo, & in primâ videbo, an benè Platonis doctrina à Lalemandetio proponatur: in secundâ, An benè impugnetur argumentis è penu Thomistarum desumptis: in tertiâ, An benè etiam impugnetur ex fundamentis Scotistarum.

An Lalemandetius Platonis mentem bene exponat.

SEntentiam Platonis ex Aristotelis libris, & præcipuè ex Metaphysicis eruit Lalemandetius & ait, Vniversalia Platonica, esse quasdam ideas à singularibus separatas, ex quarum participatione fierent particularia. Sed jam diximus mentem Philosophi Divini quærendam esse in ejus libris, non autem in alienis, & præcipuè Aristotelis, qui apud multos gloriam Magistro invidet, & improbabiles opiniones imponit. Vniversale Platonicũ (jam diximus) est idea realis, non separata, sed distincta realiter à singularitatibus. Et cur hæc realia Vniversalia statuit Plato? Lalemandetius: [Cùm ex unâ parte videret omnia creata sensibilia esse singularia, & corruptibilia, cùmq; de singularibus & corruptibilibus non detur scientia, ex alterâ verò parte scientiam negare non auderet, posuit dictas ideas, quas dicebat esse naturas quasdam à singularibus separatas, de iisque esse scientiam, non verò de singularibus, quæ fiunt ex participatione illius naturæ universalis.]

Vnde erui debeat mẽs Platonis? *Qualis fit Aristoteles erga magistrum?* *Cur admiserit Ideas hac Plato?*

Sed hæc ratio à Lalemandetio producta, Ideas assertas non evincit: *primò* enim falsum est de singularibus non dari scientiam; nam Deus singularissimus est, & Theologia naturalis multa de illo demonstrat, & supernaturalis ex Articulis fidei multa deducit, tam certò & claré, ut multi velint Scientiam in naturalem & supernaturalẽ distinguere; ita, ut illa sit, quę ex naturalibus principiis procedit, hæc quæ ex articulis revelatis à Deo. *Præterea* præscindendo à Theologiâ, hæc propositio, *De singularibus non datur scientia*, poterit demonstrari, vel non: si non, fortè de singularibus dabitur scientia: si demonstretur, dabitur de singularibus aliqua scientia, nam hæc, *De singularibus non datur scientia*, in tali casu scientia esset, & tamen agit de singularibus. *Sed esto*, non detur de singularibus scientia: Annon habet scientiam Astronomus de motibus? Quid si omnia corpora quiescerent: anne hoc ipso periret motuum scientia? non credas. Stat ergo, non ideò in hanc sententiam pervenisse Platonem. Sed curẽ exponam. Fuit Plato Scholæ Realis Magister, & Realis Philosophiæ Præceptor; & quæ confuse antiqui, illud ipsum clarè tradidit ad formas realiter distinctas reducens.

An de singularibus detur scientia? *Theologia duplex: naturalis & supernaturalis.* *An Astronomia sit scientia?* *Schola realis.*

Ad Plato verè asseruerit Vniversalia ab ecceitatibus distingui realiter?

CCC LXXIV. VOx *Idea*, peregrina in scholis, etiam num in causa est, ut de Platonis opinione varia dixerint veteres, varia juniores.

An Idea Platonis sint in Deo? An dicatur Idea singularium?

Docent aliqui Platonem Ideatum nomine intellexisse ideas divinas, quas admittunt & exponunt Theologi primâ parte. Hæc tamen expositio sustineri non potest, quoniam Ideæ Platonicæ sunt universales, & non particulares; & in Deo, ut benè notavit D. Thomas *1. part. quæst. 15. art. 3. ad 4.* dantur etiam ideæ singularium distinctæ (nempè eo modo, quo attributa divina distinguuntur) ab Vniversalium Ideis.

Alii, quos sequitur Mayronius *primo sent.* ajunt Platonem illas Ideas à singularibus non quidem realiter, sed per abstractionem, id est per intellectum separatas adinvenisse, unde dictus Mayronius invehitur, ut refert Thandria *1. Met. q. 12. art. 2.* in Aristotelem, dicitq; cum ignorarit Aristoteles abstractiones Metaphysicas, ideò reprobasse Platonis; quare licet fateatur, Aristotelem bonum Physicum fuisse, eum tamen pessimum vocat Metaphysicum, ob ignorantiam abstractionum Metaphysicarum.

An Vniversale Platonis sit formale? *An Aristoteles sit bonus Physicus? an vero malus Metaphysicus?*

Certè Mayronii expositio veræ-similis esset, si soli etymo stare vellemus; nam vox *Idea*, potiùs ad mentem pertinet, quàm ad objecta: sed quia aliunde scimus Platonem Philosophiam Realem tradidisse, debebo Lalemandetio subscribere, qui asserit multò probabilius esse Aristotelem non imposuisse Platoni hanc opinionem, quam expendimus: cùm enim contemporaneus fuerit Platoni, verisimile non est Philosophos illius ætatis, quorum plurimi Platonis discipuli extiterant, & ipsi Aristotelis æmuli, tantam Platoni illatam injuriam tolerate voluisse: adde quòd Aristoteles suo nomini malè consuluisset, si calumniaretur tam clarè, ut à singulis reprehendi posset.

An Idea ad mente pertinent? *Defenditur Aristoteles.*

posset. Et hic ipse propriæ authoritatis neglectus fuisset, contra naturam hominis, gloriæ maximè cupidi, qualis fertur fuisse Aristoteles. Mayronius ergo, ut ait Flandria, potuisset benigniùs loqui, non modò enim Aristoteles in Physicis, sed omnium judicio etiam in Metaphysicis excelluit; ridiculum itaque est asserere, abstractiones illum Metaphysicas ignoravisse.

Quantus fuerit?

Et quidem Angelicus Doctor, quicum nemo volet Mayronium aut alios similes componere, altè sensit de ingenio & doctrina Aristotelis, cui in hac materiâ credens apertè asserit, *1. part. quæst. 6. art. 4. in corp.* Platonem posuisse Ideas separatas (realiter distinctas intelligo) Entis, Vnius, & Boni.

Stat ergo, labore & ingenio Lalemandetii constare hanc esse Divini Philosophi mentē; nec debere in dubiū rem tam claram reduci.

Varii modi exponendi Vniversale Platonicum supposita distinctione reali: & eorumdem modorum Censura.

ARticulo primo hujus disputationis tres modos exponendi Platonicū Vniversale posui, & eorumdem Censuras: modò alios pono, quos edisserit Lalemandetius.

CCC LXXV. *Primus modus.*

LEgerat varios Authores de mente Platonis disputantes, & pag. 207. num. 14. sic inquit: [Quia circa dogma Platonis videntur Authores vacillare, ideò oportet cum distinctione decidere; si ergo voluit Plato dictas Ideas esse naturas ipsas universales realiter, & secundum suam existentiam à singularibus separatas, ex quarum participatione fiant singularia; certum in hoc sensu esse monstra, & cantilenas, ut ait Aristoteles, rationesq; suprà factæ evidenter earum impossibilitatem demonstrant.]

An Ideæ sint monstra?

At non statim Censori huic assentiar: possent enim propugnatores Realis Vniversalis, illud hoc primo modo exponere, & tamen censuram non timere dicentes, aut omnes concretorum denominationes esse extrinsecas, quod sufficeret Logicis: aut illas Ideas separatas in individuis realiter replicari, eodem nimirum modo, quo in Eucharistiâ Christus, qui in cœlo Empyreo est, etiam in singulis hostiis replicatur. Et quidem, hac Idearum replicatione semel positâ posset hic opinandi modus, quem monstrosum vocat Lalemandetius, facili negotio defendi.

An omnes denominationes sint extrinsecæ?

Nota hoc benè.

CCC LXXVI. *Secundus modus.*

PRogreditur idem Author & ait: [Si finxerit Plato illas Ideas, illa, inquam, universalia esse à singularibus separata ab intellectu secundum esse essentiæ, nō verò secundū esse existentiæ, tunc eodē modo defenditur Plato, quo illi, qui universalia à parte rei ante opus intellectûs esse asserunt, non tamen ab ipsis singularibus existentialiter separata.] Quod est dicere, si Plato habuit sententiam, quam hodie Scotistæ tuentur, distinguentes naturā à singularitatibus realiter ex natura rei, eisdē rationib' poterit Platonis doctrina impugnari & defendi, quibus Vniversale Scoti solet. [At constat Scotistas non esse Platonicos.]

An Platoni subscribat Scotista?

CCC LXXVII. *Tertius modus.*

ULteriùs [Si per Ideas intellexit Plato exemplaria in mente Divinâ rerum harū inferiorum factibilium, hoc erit conforme iis, quæ docent Theologi de Ideis Divinis; at tunc non erit dicendum ex earū participatione singularia fieri, sed potiùs ex earū imitatione atq; similitudine, sicut ex imitatione & similitudine Idealis cathedræ in mente artificis residentis, dicitur fieri cathedra ad extra, & certè ita videtur Plato in Timæo loqui.]

An Ideæ Platonis pertineant ad mentē divinam?

CCC LXXVIII. *Quartus modus.*

ET ne dicatur Lalemandetius doctrinam Logicam aut Metaphysicam obtorquere ad Theologiam, ab Ideis Divinis ad Humanas descendit, & sic inquit: [Quidquid sit, nō video, quânam de causâ tantoperè Authores Platonicum istud dogma de Ideis explodant: in hoc enim sensu potest facilè sustineri, nempè quòd illæ Ideæ sint in concavo Lunæ, habeantq; existentiam in essendo quidē singularē, at in imitando & repræsentando universalē atq; ad talis Ideæ imitationem fiant ab agentibus naturalibus singularia talis speciei sicut in artificialib9 artifex ad imitationem Ideæ, quā habet de cathedrâ, potest efficere multas cathredas, tunc illa Idea diceretur singularis in essendo, quoad imitationem tamen & similitudinē universalis: item pictor ad imitationē, & similitudinem imaginis Cæsaris, quam præ oculis habet, mille similes potest efficere; sicq; illa præ oculis posita dicitur quoad hoc universalis, licèt secundū suum esse sit singularis; & sicut licèt illæ omnes, quæ ad similitudinē prioris depictæ sunt, destruerentur, attamen remanente semper priore denuò consimiles possunt effici, ita (diceret Plato) illa Idea v. g. naturæ humanæ in concavo Lunæ residens est incorruptibilis, singularia verò, quæ ad ejus imitationem fiunt sunt corruptibilia, quibus omnibus corruptis adhuc ob perseverantiam illius Ideæ incorruptibilis fierent de novo alia singularia; diceret quoq; Plato, ideò statui illam Ideam incorruptibilē, ut de eâ habeatur scientia deinde ut ad ejus imitationē agenti naturalia producant suos effectus, ne dicantur agere casu & fortuitò, & certè ob id videtur nuncupari Idea, seu exemplar & repræsentatio; unde Epicurii asserentes omnia evenire fortuitò Ideas consimiles ablegabant.

An Ideæ sint in concavo Lunæ?

Vniversale in imitando, aut in repræsentando.

An Ideæ sint incorruptibiles?

An corruptis singularibus manerent Ideæ universales?

An detur Fortuna vel Casus?

An Academici benè probaverint Ideas Platonis.

POst Platonem etiam ejus Discipuli tuentur universalia realia, illaq; multis argumentis confirmant. Aliqua ponit Lalemandetius, quæ libet accuratè examinare.

CCC LXXIX. *Ratio prima.*

ARguunt primò. Res quæ intelligitur, debet induere modum potentiæ intelligentis; cùmq; intellectus noster sit incorporeus, seu à corpore separatus, etiam res, quæ ab ipso intelliguntur, debent esse à singularibus & corporeis separatæ: & cùm sensibilia omnia sint singularia, ne scientiam negare cogamur, adstruere necessariū debemus illas formas universales, de quibus noster intellectus scientiam habeat.

An possint singularia intelligi?

Sed hæc ratio non urget: quidquid enim veteres dicant aut non dicant, certum est in-

Quomodo rebus noster intellectus fit similis?

tellectum humanum cognoscere universalia & singularia: ad illam respondet S. Thomas satis esse, ut noster intellectus assimiletur rebus, & ut res ipsi assimilentur, non per suum esse reale, sed per speciem intelligibilem, quæ est spiritualis, & de his in libris de Anima.

CCC LXXX. Ratio secunda. *Tale per se: & tale per participationem.*

PRobant iterùm universales Ideas suas ratione, quam Fundamentalem appellant: & sic arguunt: [Id omne, quod est tale per participationem, debet reduci ad aliquod primum, quod non sit tale per participationem, sed quod sit tale per se; at singularia sunt talia per participationem, ergo debent reduci ad aliquod primum, quod sit tale per se. Major probatur; Quod non est totaliter tale, continetur sub eo quod est totaliter tale, debetq; reduci ad illud, v.g. Calor ut sex continetur sub calore ut octo ad ipsumque reducitur, at quod est tale per participationem, non est totaliter tale, ergo debet reduci ad id, quod est tale per se: quod autem singularia sint entia per participationem, patet; nam participant naturam, & præter hanc habent principium individuationis: quòd vero natura illa imparticipata debeat extra singularia realiter esse, colligitur, quia est ens per se, & substantia, ergo ens, & substantia per se existens, quod enim est substantia, est ens per se, non existit in alio, neque per aliud, sed per se, at illæ Ideæ, seu naturæ Vniversales sunt entia & substantiæ per se, & imparticipatæ, ergo existunt per se, & non in singularibus.

An Idea debeat existere extra singularia?

CCC LXXX. *Cur mas fœcundet fœminas?*

Confirmant rationem hanc exemplo ex historia animalium desumpto: Nam unum animal masculinum ideò potest fœcundare multa fœminina, quia illud masculinum est separatum ab illis fœmininis, at in plantis unum masculinum non potest fœcundare nisi unum fœmininum, quia non est separatum ab isto: ita quia ab unâ naturâ universali possunt fieri plura singularia, necesse erit, ut illa natura sit ab illis realiter distincta.

Hæc ratio mihi videtur obscura, & multa involvere; ad illam respondet Lalemandetius concedendo omnia, quæ assumuntur, usque ad illud, *quod natura illa imparticipata debeat esse extra singularia*, hoc enim necesse non est. Et cùm fit instantia, Est substantia, & ens per se, ergo debet per se existere: distinguendum est per se existere: dupliciter enim sumi potest, per se existere, primò prout opponitur existere per accidens, nimirùm ad existentiam alicujus alterius, ut puta ad subjecti existentiã, hâcq; ratione substantia quælibet per se existit, quia non existit ad existentiam alicujus alterius generis, & accidens hoc modo non dicetur existere per se, sed per suum subjectum: Secundò, aliquid dici potest per se existere, quia non existit per aliud etiam ejusdem generis, sic solæ primæ substantiæ dicuntur per se existere, secundæ verò non, quia existunt in primis, non desinunt tamen esse veræ substantiæ, & per se, natura ergo universalis substantialis existet per se in primis, seu potiùs debebit dici coexistere primis.

Esse per se, dupliciter debet sumi.

Sed hanc ipsam divisionem essendi per se, quam Lalemandetius producit, audire non volunt Thomistæ, apud quos materia existit existentiâ formæ, & tamen existit per se & non per accidens.

Ad confirmationem meritò negat Lalemandetius paritatem; nam ideò in animalibus unum masculinum fœcundat multa fœminina, quia virtus ejus seminalis communicatur pluribus fœmininis, non vero ex eo præcisè, quòd sit ab illis fœmininis separatum.

Peripateticorum rationes ponuntur, enervanturque.

COntra Ideas Platonicas rationes olim ab Aristotele & Peripateticis conformatas Lalemandetius reproducit, & arguit.

CCC LXXXII. Objectio prima. *Methodum doctrinalis.*

QVi rerum causas investigat, ut benè notavit Aristoteles 1. *Met.* debet potiùs illas certificare, quam nova rerum genera addere, sed Plato volens certificare res sensibiles, nova genera adinvenit, scilicet istas Ideas, proindéque difficultatem in inquisitione rerum auxit, ergo malè istas ideas posuit. Confirmat, & dilucidat clariùs & breviùs. Qui vult aliquam rem præsertim difficilem notificare, non debet aliam rem æquè difficilem illi priori addere, alioquin idem esset, ac si quis non posset numerare quatuor, adderet adhuc unum, & vellet numerare quinque, hoc, inquam, esset absurdum, qui enim non potest minus, nec potest majus in eodem genere, qui non potest numerare quatuor, nec potest numerare quinque.

Obscura debent clarioribus dilucidari.

Respondeo, non ideò Platonem Ideas posuisse, quòd voluerit sensibilia certificare: sed quod voluerit Philosophiam Realem tradere, & hæc realem universalium singulariumq; distinctionem petebat.

Cur Ideas docuerit Plato?

In confirmatione alludit Lalemandetius ad illud Axioma, *Qui non potest minus, nec majus poterit*, illudq; transfert ad Arithmeticam & Geometriam, in quibus tamen falsum est. *In Arithmeticâ*; quia major est numerus quadri, quàm radicis, & tamen numeri quinarii v.gr. do quadrum videlicet 25: & desidero ut radicem Lalemandetius velit dare: erit enim inter 2 & 3. & locum exactum non inveniet. *In Geometriâ*; quia major est Triangulus adscriptus Circulo, quàm Circulus qui in Triangulo clauditur; interim illam figuram majorem promptissimè quadrare & mensurare potero, minoremq; quadrandam & mensurandam illi relinquo.

An sit bona argumentatio à minore ad majus negativè?

Vide figuram Logicam 23.

PRogreditur idem Author, & sic iterùm Platonem aggreditur. Si enim Ideæ existerent separatæ à singularibus, non desinerent tamen extra sua singularia esse quid singulare, omne enim per se existens est singulare, quia existentia est actualitas rei singularis.

Objectio secunda. *An Ideæ sint separatæ?*

Sed respondebit Plato, se non adstruxisse Ideas separatas, sed distinctas realiter: quod si illas esse separatas contendas, dicet esse simul separatas & non separatas, similes Christo, qui in Empyreo est separatus ab hostiis, & tamen in singulis realiter & intimè lectus est. negabitque omnia existentia esse singularia: & hoc jubebit à Peripateticis probari.

An omnia sint singularia?

Addit

CCC LXXXIII. Objectio tertia. *An Ideæ sint productæ.*

ADdit aliam rationem: videlicet: Aut illæ Ideæ sunt productæ vel improductæ; non illud, quia nihil est improductum, nisi solus Deus, si productæ, ergo singulares, omnis enim actio productiva, cùm sit quid singulare, terminatur ad aliquid singulare: Probat insuper non esse necessarias illas Ideas pro habendâ scientia, ergo non sunt ponendæ. Consequentia patet, posuit enim Plato Ideas, ut salvaret scientiam contra Heraclitum & Cratylum, quia sicut in scientiis dantur demonstrationes affirmativæ, ita etiam dantur negativæ, ergo sicut dantur Ideæ pro illa scientiâ per demonstrationē affirmativam causatâ, ita deberent dari pro scientia per demonstrationem negativam causatâ, & ideircò darentur ideæ negationū, quod non concederet Plato.

Potest Deus creare entitates universales.

Respondere posset Philosophus Divinus, se esse Ethnicum, nec debere oppetitationibus ab articulis Christianæ religionis desumptis: at quia Platonem Christianum reproducimus, dogmata Orthodoxæ Religionis admittet, & hanc ob rem afferet Hæcceitulas esse factas; negabit esse singulares: quia si Thomista potest mente non solum universalia cognoscere sed & facere, eà non illas voluntate infinita poterit producere Deus? *Cur Ideæ afferta?* Adderet, se non ideò posuisse Ideas reales, quia scientias aliter nesciret defendere, sed quia postulabat consequentia doctrinæ, & solutare dis, quam erexerunt. Adderet se etiam Ideas negativas admittere, æquè ac positivas: nec in hoc se reperire vel minimam difficultatem.

CCC LXXXIV. Objectio quarta. *An Ideæ minuantur? an vando exhauriri possunt?*

TAndem Lalemandetus sic urget. Illæ Ideæ essent aliquid reale: sed cùm individua sint participationes illarum Idearum, sequeretur, quòd tandem entitas illarum Idearum propter realem singularium participationem exhauriretur. Hanc rationem confirmat, quia impossibile est intelligere, quomodo illæ Ideæ essent in rerū natura, & per consequens existerent extra singularia, & quomodo singularia participarent, & de ipsis essentialiter prædicarentur.

An ignis virtus exhauriatur?

Responderet Plato se mirari cùm legisset istam objectionem. Habent ignem ob oculos Peripatetici; qui nunquam exhauritur, & si ignis ideò non exhauriri dicatur quòd prius extinguatur, quàm exhauriri queat, habent solem, qui jam à mundi initio calefacit illuminatq; , & tamen exhauriri non potest. Cæterùm, si Ideæ detrimentum & diminutioné paterentur in communicatione sui, quod Plato non putat, vel recreari & instaurari à Conditore possent, vel mundus finiri antequam virtus Idearum consumeretur. Ad confirmationem subjungeret, Ideas non existere extra singularia.

Scotistarum rationes proponuntur & dissolvuntur.

CCC LXXXV. PArum absunt à Platone Scotistæ, longiùs Thomistæ: at utrique tela obtorquent, quæ possint regeri, & pro Platone contra eosdem refringi. Examinabo igitur rationes, quibus utitur Lalemandetius: qui velit scire, quo Thomistæ modo Scotistis, & quo Scotistæ Thomistis satisfaciant, eumdem Authorem legat, Ego enim impræsentiarùm expendo doctrinam Platonis, & juxta ejus principia Thomistis & Scotistis respondebo.

OBjectum intellectûs est quid reale; sed universale est objectum intellectûs, ergo universale est reale: Major & minor satis patent, major quidem, nam cùm objectum intellectus debeat movere intellectum, debet esse quid reale: minor quoque est manifesta, esto enim concedamus etiam singularia percipi ab intellectu, negari tamen non potest quin etiam universalia ad ejus objectum pertineant. Ratio prima. *An Ideæ sint reales.*

Confirmatur: objecta scientiarū sunt quid reale, sed universalia sunt objecta scientiarum etiam realiū, ergo debent esse quid reale. *An objecta scientiarū sint realia?*

Respondeo, omnia esse pro Platone, & ideò hanc primā objectionē nullâ solutione indigere. Interim tamē objecta scientiarū semper esse realia non credo, & interdum esse posse non realia evidenter demonstro: quia Scotistæ admittunt Entia non realia, & tamen de illis multas proprietates demonstrant. Et nos Paralogicam esse scientiam asserimus, & ei objicimus Entia linguæ, quæ hucusque Entia rationis nominarunt. *An Paralogica sit scientia?*

ILlud cujus conservatio per se intenditur à naturâ, debet esse reale; sed conservatio naturæ v. gr. specificæ per se intenditur à naturâ, non verò conservatio individuorum, ergo illa natura est quid reale; cùmque sit universalis, universale ergo erit reale: minor conceditur ab omnibus Physicis, maior verò probatur, quia natura semper ordinatur ad aliquid reale. Ratio secunda. *Quid intendat natura conservare?*

Confirmatur: Perpetuitas, cùm sit proprietas realis, non posset convenire enti rationis, at perpetuitas convenit naturæ universali, non verò individuæ, ergo natura universalis erit realis: minor probatur. Agens intendit sibi producere simile, ut per hoc conservetur natura specifica, sed nulla natura habens perpetuitatem per generationem eam participat in individuo, sed tantùm in specie, ergo perpetuitas speciei à naturâ conservari per generationem intenditur: item nobilitas hominis præ aliis creaturis est quid reale, sed illa convenit homini in communi, id est naturæ humanæ, ergo ipsa est realis, in quantum est universalis: demùm ordo realis est ordinatorum realium, sed ordo universi, qui est realis, nihil est aliud, quàm ordo naturarum specificarum & genericarum, ergo illæ naturæ debent esse reales. *An universalia sint perpetua?* *Intentio agentis.*

Aliqua sunt in hac ratione, quæ expositione aut etiam distinctione indigerent, sed quia nulla contra Platonem militant, omnia admitto.

QVod per se ponitur in Prædicamento Metaphysico est reale; sed naturæ universales per se ponuntur in prædicamento Metaphysico; ergo sunt reales; maior & minor sunt manifestæ. CCC LXXXVI. Ratio tertia. *An omnia prædicamenta sint realia?*

Substantia universale realis est.

Confirmatur: Substantia prædicamentalis, quæ dividitur in corpoream & in incorpoream est universalis, sed illa est realis, cùm membra, in quę dividitur, sint realia; membra enim dividentia realia supponūt divisū reale.

Homo universalis est realis.

Confirmatur iterùm, homo est universalis, sed homo est quid reale, ergo aliquod saltem universale est reale. Probantur major & minor simul; Quod essentialiter prædicatur de pluribus realibus, est universale reale, sed homo essentialiter prædicatur de pluribus realibus, ergo, &c. Minor patet, major probatur; quia entia rationis non prædicantur essentialiter de ente reali, homo ergo, cùm prædicetur essentialiter de Petro, Paulo, &c. quæ sunt entia realia, debebit quoque esse ens reale.

Accidens universale est reale.

Item accidens est universale, sed accidens est reale, quia inhæret realiter subjecto, ergo, &c.

Et Ego in hac tertiâ ratione, sicut in præcedentibus, nec apicem contra Platonicas Ideas invenio.

CCCLXXXVII. Ratio quarta.

Utrùm magis sit ens universale, an singulare?

EX primo posteriorū contra Platonem Scotistæ istud argumentum deducunt. Universale non est minùs ens quàm singulare, cùm Universale sit ens incorruptibile, sed singulare est ens reale, ergo &c.

Confirmatur, Aristot. c. 4. Periherm. ait rerū alias esse universales, alias singulares, ergo universalia ex mēte Aristotelis sunt quędā res.

Confirmatur iterùm. Quoniam 9. Metaph. cap. 13. definitur Universale, quod ex vi naturæ suæ aptum est inesse multis, quod si homo v. g. ex vi naturæ suæ possit inesse multis, non requiritur ut per intellectum fiat universalis, cùm ante intellectum illi conveniat definitio universalis.

An Aristoteles admiserit Ideas Platonicas?

Omnia hęc non militant contra Platonem, sed pro illo: & quia sunt ex Aristotele desumpta, confirmo sententiam illam meam, quam alibi posuisse me memini, asserendo Aristotelem admisisse olim Universalia Platonica, & juxta hanc opinionem Logicos & Metaphysicos libros scripsisse: & posteà mutata opinione eos correxisse, nec tamen omnes potuisse locos eradere, quin manerent nonnulli opinionis prioris testes: & inter illos isti sunt, qui à Scotistis apud Lalemandetum citantur.

Ratio quinta.

An possint definiri individua?

VIdent Scotistæ argumenta, quæ ab authoritate sumuntur, debilia esse, & ideò ad rationē recurrunt. Sic inquirunt. A parte rei dantur definitiones. Sed definitiones sunt rerum universalium: ergo à parte rei dantur Universalia.

Et quid quæso hîc contra Ideas & Universalia Platonis reperitur?

An-ne verum, singularia definiri non posse? Æquè ac speciem illa posse definiri pronuncio: & sic probo. Differentiam, quam addit animali Leo, Thomista ignorat, illamq; (quidquid ipsa sit) vocat rugibilitatem, & definit Leonē esse animal rugibile: ergo licet ignoret differentiam quam addit Petrus Homini, potest illam (quidquid ipsa sit) Petreitatem dicere, & definire Petrum esse hominem habentem Petreitatem.

Quid sit Leo?

Quid sit Petrus?

CCCLXXXVIII. Ratio sexta.

ULteriùs. Ratio universalis est, quòd possit prędicari de multis, sed natura ante intellectum, cum insit multis, potest etiam de multis prædicari, ergo est universalis.

An objectū sit ante potentiam?

Confr. Objectum præcedit potentiam, sed universale est objectum intellectûs; ergo præcedit intellectū, non fiet igitur per intellectū.

Et hæc Plato universa concederet: imò diceret, omnia hæc, sicut & omnia præcedentia pro suis Ideis, Universalibusq; militare.

Ratio septima.

An Ideæ sint æternæ?

SVbsumunt hic apud Lalemandetum Scotistæ aliquid, quod indiget expositione. Universalia, inquiunt, sunt æterna: Sed, quod fit, non est æternum, opus enim intellectus est quid contingens: Ergo.

Confirmatur. Licet nihil omninò cogites de natura Universalis, non desinet esse universale: nam licèt nihil cogites de homine, erit verum esse in mundo homines, & hos in hominis ratione convenire: Ergo universalia ab intellectu non dependet.

Sunt creata?

Respondeo non solum in sententiâ Platonis, sed etiam Scotistarum Universalia secundum esse existentiæ esse facta: addo nihilominùs habere æternitatem negativam, quidditativam, & conditionalē, quam sæpè exposui: & hanc in utraq; sententia. Et quidquid de æternitate sit, subjungo, totā hanc rationē & confirmationem pro Platonis doctrinâ militare.

Idearum æternitas triplex.

CCCLXXXIX. Ratio octava.

Platonis Ideæ ab intellectu nō dependent.

UTuntur hic etiam duabus rationibus, quibus probare volunt, Universalia ab intellectu provenire non posse, quæ contra Platonem non militant, quia ipse non recurrit ad intellectum, ut sua Universalia conformet. Illas interim pono.

An potentia singularis terminus sit singularis?

Potentia, inquiunt, singularis terminatur ad aliquid singulare, ergo universale non poterit fieri per actionem intellectus.

Confirmatur. Quod fit ab intellectu est posterius rebus singularibus: sed universalia non sunt posteriora rebus singularibus, ergo non fiunt ab intellectu.

Confirmatur iterum. Quod est separatum ab accidentibus & proprietatibus individualibus, est universale, & ab intellectu independens. Sed natura à parte rei ante omnem mentis operationem est separata ab illis omnibus; quia natura in suâ essentia, & à parte rei non includit accidentia singularia, ergo.

Potest universale fieri per actionem singularem.

Hîc nihil habet, quod reponat Platonicus, multa quæ reponat Thomista: & respondebit, hominem, sicut per actionem singularem intellectivam, potest universale intelligere, sic etiam per singularem factivam universale posse facere. Ad confirmationem primam negabit minorē. Ad secundam admittet esse universale quod ab Ecceitate præcisum: negabit tamen id ante mentis operationē reperiri.

CCCXC. Ratio nona.

Scotistæ nō suum universale sed Platonicū probant.

HInc progressi converterunt Scotistæ oculos ad unitatem, ut videre est apud Lalemandetum: at ipsi (quod egerunt hucusq; dum distinctionem ex natura rei probare volunt, realem assertam à Platonicis firmant) sic arguunt.

Unum in multis ante operationem intellectûs est universale ante operationem intellectus. Sed natura humana verbi gratiâ, est una in multis ante opus intellectûs: ergo universale est ante opus intellectûs: Major patet, sed tota vis est in probatione minoris, quam pluribus probant Scotistæ, ostentant naturam humanam, quæ est in Petro, servare unitatem speci-

specificam cum naturâ humana, quæ est in Paulo, distinctam ab unitate numerali Petri & Pauli.

An detur scientia de corruptibilibus?

Primò: Si natura humana specificè sumpta non esset una formaliter in Petro & Paulo, de eâ non posset haberi scientia. Conseq. probatur, quia alioquin esset pluruficata per multa individua, & sicut individua sunt contingentia, atq; corruptibilia; ita & illa natura, sed de contingentibus & corruptibilibus non datur scientia, ergo de naturâ humana nusquam daretur scientia.

Et quidem hanc probationem non magni facio: potest enim dari scientia de singularibus, potest de contingentibus, potest de omnibus: datur de paucis, & fortè de humanâ naturâ non datur: putabamus enim hominé esse animal rationale: at iam P. Valerianus Magnus, & nonnulli cum ipso, nolunt genere convenire cum bruto, & spiritum in corporis compotem & expertem dividentes, genere conveniunt cum Angelis. Ergo si nondum liquet, quid sit homo, nondum dabitur de hominis naturâ scientia.

An plus conveniat Petrus cũ Paulo, quã cum Equo?

Secundo: Nisi Petrus & Paulus haberent realem unitatem specificam inter se, non plus conveniret Petrus cum Paulo, quàm cum stellis, sed hoc videtur contra rationem, ergo & prius. Minor patet, major ostenditur: si non habeant unitatem illam realem, in nullo conveniunt; ergo differunt per illud omne, quod habent: sed stellæ & Petrus in alio non differunt, nisi per illud quod habent, seu quod est in ipsis, ergo eodem planè modo differunt Petrus & Paulus, quo Petrus & stellæ.

An Verbũ naturam humanam adsumpserit?

Hæc ratio fortis est, & theologicè fortificari & roborari potest: nam si omnia singularia sunt æquè dissimilia, non est cur Verbum nostram naturam adsumpsisse dicatur. Ergo ante mentis illam operationem datur natura humana ab omnibus individuis præcisa.

An comparatio supponat unitatem?

Tertio: Quæ sunt comparabilia ante opus intellectûs, habent aliquod unum ante opus intellectûs; sed Petrus & Paulus sunt comparabiles ante opus intellectûs, ergo &c. major patet, comparatio enim in unitate fundatur; minor videtur clara, Petrus enim ante opus intellectûs est similis in natura humanâ Paulo, ergo ante opus intellectûs sunt comparabiles.

Et ratio hæc præcedentem roborat, & à præcedente roboratur.

An quæ in definitione conveniunt, habeant unitatem?

Quartò: Quæ eodem modo sunt definibilia ante opus intellectûs, habent unitatem specificam ante opus intellectûs, cùm definitio sit ratione naturæ specificæ, sed Petrus & Paulus eodem modo sunt definibiles ante opus intellectûs, ergo habent unitatem specificam ante opus intellectûs, & per consequens realem, non enim sunt diverso modo definibiles, ergo eodem per eandem, inquam, naturam humanam.

Et hæc quarta probatio consonat secundæ tertiæque.

An unitas sit proprietas entis?

Quinto: Subjectum quodlibet sibi convenientem & proportionatam proprietatem postulat, sed ens est subjectum unitatis: Unitas enim est proprietas entis, ergo ens numericum unitatem numericam, ens specificum unitatem specificam, & ens genericum unitatem genericam habet; & sicut subjectum illius unitatis est quid reale, nempè ens, ita & dicta proprietas, scilicet unitas specifica, & generica erunt quid reale.

An illa realis sit?

Omnia sunt vera, & in omni sententia propugnari poterunt, non enim specialiter militant pro Platonicis aut Scotistis, sed etiam pro Thomistis & cæteris.

An univoca habeant unitatem specificam?

Sexto: Quæ significantur nomine univoco, habent de se & ante operationem intellectûs unitatem specificam, sed v.g. omnes homines significantur nomine univoco, scilicet hoc nomine, *homo*, ergo habent unitatem specificam de se, & ideò ante opus intellectûs.

Hæc probatio nihil involvit quod Platonis sententiæ contradicat. Et ultra has pro unitate formali rationes, alias quinque vide apud de Radâ *controvers. 3. part. 2. Controvers. Theologicarum*, quas desumpsit ex Scoto *in 2. dist. 3.* de quâ re etiam fusè agit Lichetus Scoti interpres *in citatum Scoti locum*.

Nota benè.

Ecce in omnibus hujus Minoris probationibus, licèt nonnulla inveniam, quæ vel veritati opponantur, vel propriùs consonare possent, nihil omninò observo, quod Platonicas Ideas, & Universalia realiter à particularitatibus distincta, iuvadat: imò ubiq; admirationis causam, quoniam non solere nec posse Scotistas suum Universale proponere, quin Platonicum probent, mirabile est.

An Scotistæ probent Platonicũ Universale?

CCCXCI. Ratio decima.

An aptitudo ad essendum in multis sit realis?

Recurrunt etiam ad aptitudinem positivam universalem Scotistæ & sic arguunt. Quod de se & ante omnem operationem mentis est aptum ut insit multis est universale, sed natura humana de se & ante mentis operationem est apta ut insit multis; ergo de se & ante mentis operationem est universalis. Major patet, minor quoque, siquidem natura humana cùm sit indifferens ad plura, & non magis ut sit Petrus, quàm sit Paulus postulet, secundum se & ante mentis operationem erit apta, ut sit in pluribus.

Et quidem etiam ista ratio potiùs pro Academicis militat, quàm pro Scotistis.

Ratio undecima.

An multiplicatio sit realis?

Transeunt hinc ad multiplicationem, & sic argumentantur. Natura (humana v.g.) eò quòd seipsam multiplicet in individuis, non pendet ab intellectu, sed à seipsâ, at quid est aliud naturam se posse multiplicare, quàm positivè esse aptam ut sit in multis.

An benè exponatur à Philosophis?

Cùm agitur de multiplicatione naturæ, nihil dicitur, quod sit alicui scholæ speciale; &, ut video, frequenter erratur: non enim multiplicatur natura specifica, sed per illius communicationem resultant multa singularia: quia multiplicatio illa non facit multas naturas specificas, sed multas singulares. Sicut enim in Sacramento Venerabili multiplicatio non dat multos Christos, sed multas hostias consecratas; sic etiam in universalibus multiplicatio naturæ humanæ, non dabit multos homines specificos, sed multos singulares.

Ratio duodecima.

Natura humana ex se & ante omnem mentis operationem non est incommu-

nica-

An in naturâ universali duplex sit aptitudo: proxima & remota?

nicabilis, ergo est communicabilis, at quod est communicabile multis est universale.

Etiam hæc ratio, quocumq; illam modo dissolvant Thomistæ & Ochamistæ, æquè militat pro universalitate Platonicâ. Et hic obiter notandum est, ut benè advertit Lalemanderius, Scotistas duplicem ponere aptitudinem naturæ universalis, unam Proximam, & alteram Remotam, utramque ante opus intellectûs naturæ convenientem: Remotam quidem secundum statum contractionis, Proximam verò in statu distinctionis à gradu individuante: sicut ponitur duplex potentia in materiâ primâ, una in ordine ad omnes formas indiscriminatim, altera quam habet ad formam, quâ actualiter informatur; hæc dicitur potentia proxima, illa remota. Et quis vetabit Academicos etiam duplicem aptitudinem in suo Universali collocare, quarum proxima sit pars remotæ, si sic loqui libeat, tametsi non videam cur utraq; non sit proxima: totum enim discrimen in hoc est, ut altera omnes, & altera unicam respiciat ecceitatem. Instantias subsequentes considera.

An utraq; proxima sit?

An intellectus in actu secundo sit potentia proxima?

Intellectus est potentia cognoscitiva: nec solemus dicere hominem quando actu intelligit, habere potentiam intellectivam proximam, aliàs remotam: sed habere, cùm actu non intelligit, potentiam proximam in actu primo; & cùm actu intelligit, habere proximam in actu secundo.

An materia semper habeat potentiam proximam?

Materia prima habet potentiam receptivam omnium formarum: nec tamen dicimus habere potentiam remotam respectu formæ quâ caret; & proximam respectu illius, quam habet: sed potiùs habere proximam respectu utriusque: at tunc in actu primo, modò in actu secundo. [Nota hic obiter dari dispositiones proximas & remotas; & ab his interdum denominari potentiam ipsius materiæ primæ: at tunc non agitur de potentiâ proximâ aut remotâ entitativè, sed dispositivè.]

Dispositio duplex: proxima & remota.

An Christus ad essendum sub accidentibus semper habeat potentiam proximam?

Sic etiam in Sacramento Venerabili philosophamur. Nam si nulla esset hostia consecrata, adhuc Christus esset proximè potens ad essendum sub accidentibus panis & vini: nec enim per consecrationem adquirit novam potentiam, sed prior reducitur ad actum.

Ergo eodem modo de potentiâ Universalis, quam habet ad essendum in multis, philosophandum est. Semper est proxima, licèt non semper reducta ad actum.

Thomistarum rationes afferuntur dissolvunturque.

QUàm sit simile Universale formale ex naturâ rei, Universali reali Platonico jam vidimus, quàm simile aut dissimile sit Thomisticum, quod vocant, videamus. Et ut meliùs rationes Thomistarum, quas adducit Lalemanderius, solvere possim, has paucas Conclusiones præmitto.

Quid & quale sit Thomisticū Universale?

CCCXCI. Prima. *Universale Thomisticum est post operationem intellectûs, & distinguitur, non realiter, non ex naturâ rei, sed ratione ratiocinatâ, à singularitatibus.* Hanc inferiùs probabimus, & uberiùs dilucidabimus.

Quàm sit necessaria universalis Platonici notitia?

Secunda. *Qui nesciat Universale Platonicum, Thomisticum (& à fortiori Scotisticum) non poterit intelligere, nec defendere: ut benè discurrat Thomista (& à fortiori Scotista) debebit supponere gradus superiores & inferiores distingui realiter.* Prior Conclusionis pars est clara, quidquid enim dicunt Platonici de suo Universali realiter, eadem cæteri dicunt formaliter, & distinctio & denominationes reales formalibus clariores sunt. Posterior pars nascitur ex primâ, & traditur expressè à P. Thomâ Comptono, qui *disp. 30. Logic. sect. 8. num. 7.* sic inquit: [Ad evitandas innumeras æquivocationes, quæ in hac materiâ fieri possunt & solent, de naturâ abstractâ instituere sermonem nos posse, ac si esset realiter ab individuis distincta. &c.] Quæ verba, quia verissima, & mihi summè placent debebunt etiam alibi à nobis adduci & laudari.

Sicut agitur de universali realiter, sic de formali formaliter.

Nota id benè.

His præmissis Thomistarum rationes, quas citatus Lalemanderius affert, inspiciamus; &, si contra Platonem sint, dissolvamus. Et quidem illas ad tres classes ipse Lalemanderius reducit, aliæ enim sunt communes, aliæ particulares: & hæ subdividuntur in duas classes, quoniam illarum aliæ ab unitate, & aliæ ab aptitudine naturæ universalis petuntur. Omnes, aut saltem fortiores subscribo.

CCCXCII. *Ratio prima.*

OMne quod est ante aut præter operationem intellectûs, est singulare; sed universalia non sunt singularia, ergo universalia non sunt præter opus intellectûs, sed per ipsum: minor patet, major probatur. Omne quod est ante, & præter opus intellectûs, est productum & existens; sed omne productum & existens est singulare; ergo omne, quod est præter opus intellectûs, est singulare: major certa debet esse, quia nihil est improductum, nisi solus Deus, minor probatur, quia productio, & omnis actio, terminatur ad aliquid singulare, item existentia est singularium.

An omnia sint singularia? *An sola producantur singularia?* *An existentia sit singularium tantummodò?*

Omnia, quæ sunt ante aut præter operationem mentis, esse singularia, negat Plato: negat omnia existentia esse singularia: negat etiam omne productum esse singulare: quia vel putat posse creari & existere naturas realiter universales: vel, si non possint, quia existimat illas existere in ipsis singularibus, & in ipsis produci, aut ut cultiores loquuntur, comproduci.

Ratio secunda. *An universale nihil sit? an posterius sit?*

PRoducunt contra Platonem Aristotelem, qui 1. de Anim. ait, *Universale aut nihil est, aut est posterius singularibus*; sed non est posterius, ergo nihil; si enim esset posterius, singularia ita intelligerentur, & essent ante naturas universales, quod est impertinens.

An Aristoteli satisfaciendū sit?

Esto, inquiunt Platonici; sic loquutus Aristoteles fuerit, quid inde? Forte Verba Aristotelis ita torqueri possent, ut ad Platonis doctrinam redirent; sed quo id fructu? Academici Platonis defendunt Ideas, non Aristotelis.

Ratio tertia.

IN prædicatione essentiali, quæcumq; dicuntur de prædicato, debent dici de subjecto,

An quæ dicuntur de prædicato de subjecto dici debeant? An genus sit ens rationis?

cto, ergo in hac propositione, *Animal est genus*, quæcumq; dicentur de genere, debebunt dici de animali; sed rectè dicitur genus esse ens rationis, in quantum est quoddã universale, ergo etiam rectè dicetur animal esse ens rationis, in quantum est quoddam universale.

Hinc rationi omnes, adeòq; ipsimet Thomistæ obnoxii sunt. Etsi universalitas sit ens rationis in multorum sententiá, tamen illa natura (humana v. gr.) quæ universalis dicitur, est ens reale. Et argumentũ laborat sophismate, quoniã ex secundis intentionibus & denominationibus ad primas, & contrà recurrit.

Ratio quarta. *De contractione.*

QUod est contractum per differentias individuales est singulare, sed natura quælibet est contracta de facto per dictas differentias, ergo natura quælibet de facto est singularis; major & minor notæ sunt.

Nota benè hanc doctrinam.

Sed hæc ratio contra omnes Dialecticos militat, non enim ullus dicit, Universale esse aggregatum ex naturâ specificâ & individuatione, sed naturam specificam ab individuatione (realiter aut formaliter distinctam. Petrus enim dicit rationem hominis contractam, quia dicit humanitatem & Petreitatem, at ipsa humanitas est universalis.

CCCXCIII. Ratio quinta. *An universalia sint immortalia?*

UNiversale, si ante opus mentis est, est immortale: sed universalia Platonis sententiâ cur non etiam Scoti? (sunt ante opus intellectûs: ergo sunt immortalia: ergo & incorruptibilia: ergo destructis adhuc omnibus individuis adhuc naturæ universales perennarent.

An sint creata?

Diceret Plato respectu Dei nihil esse in mundo (singulare aut universale) quod incorruptibile sit: omnia illum ex nihilo fecisse, & posse in nihilum universa convertere. At respectu causatum secundarum posse alterutrum dici: nec argumentum cogere, ut Idearum admittatur immortalitas & perennitas; nec illam absurda aut impossibilia involvere: nam præscindendo ab Animâ rationali, cujus individuatio non debet ad leges Entiũ materialiũ reduci, quid mali accideret, si mortuis omnibus speciei Leoninę individuis, Idea Leonis, (hoc est, natura Leonis specifica) separata realiter perseveraret. Et quidem in casu posito illam perseveraturam existimat Magnificus D. Doctor Ioannes Marcus Marci & in Idearum acutissimo libro ingeniosè defendit.

An eodem modo debeamus loqui de animâ rationali, qua de materialibus? An perennantibus omnibus individuis natura adhuc universalis perennaret?

Ratio sexta.

QUod de se est tale, non potest induere alium statum: sed natura induit statum singularitatis: ergo de se non est universalis.

Censura cujusdam Axiomatis.

Non urget: & tamen nascitur ex Axiomate valdè recepto: videlicet, *Quod convenit alicui per se, ejus oppositum nec per se, nec per accidens potest competere:* quod multos torsit, me non torquet: scio enim Axiomata, quæ falsa, non obstante multorum annorum præscriptione negare: & hoc omninò falsum est: nam materia prima, ut alia multa exempla omittam, ex se est pura potentia, & tamen induit actum.

Ratio septima.

NAtura universalis est communicabilis: at natura Petri non est communicabilis: Ergo natura Petri non est universalis.

Resqondeo aggregatum ex naturâ universali & singularitate, esse incommunicabile, at naturam ipsam universalem esse communicabilem: nam in Thomistarum Physicâ aggregatum ex materiâ & formâ substantiali non est communicabile alii composito: at materia ipsa prima est communicabilis. [Et quia materiæ primæ Thomisticæ meminerim notari volo, eandem esse realiter universalem, & Platonis ideam, ut inferiùs probabitur.] Et quia Eucharistiæ Sacramentum me dirigit, aggregatum ex speciebus panis & Christo non est in calice, at Christus ille qui est sub speciebus panis est etiam in multis calicibus: Ergo de universali natura pariformiter philosophare.

An natura Petri sit communicabilis? An materia ligni sit communicabilis?

NUllum determinatum est universale; sed res omnes sunt determinatæ ante opus intellectûs; ergo nullum datur universale ante opus intellectûs: major patet, quia universale debet esse positivè indifferens ad multa, nullum autem determinatum est indifferens. CCCXCIV. Ratio octava.

An omnia sint determinata?

Confirmatur. Commune est effatum in Philosophia, *Intellectum facere universalia*; ergo universalia non sunt à parte rei. Idem dicitur communiter, universalia esse in animo.

An intellectus faciat universalia?

Confirmatur secundo. Si natura esset universalis ante opus intellectûs, conditiones universalis etiam ipsi convenirent ante opus intellectûs: sed hoc non, ergo neq; prius: minor ostenditur, nam æternitas, & incorruptibilitas, quæ sunt conditiones naturæ universalis, non possunt convenire rebus ante opus intellectûs.

An natura conveniant Universalis proprietates?

Confirmatur tertiò ratiocinio, quod est maximè validum: Si homo sit universalis ante opus intellectûs, ergo & Petrus, cui conveniunt illa omnia, quæ sunt in homine, erit species & universalis, quod tamen repugnat, cùm Petrus sit singularis.

Non moratur hanc rationem, nec ejus confirmationes Plato: quoniam in primo syllogismo, majorem, minorem, & consequentiã negat. Majorem, quia Universalitati non opponitur determinatio: & ut hoc benè intelligas adnotato, Ens dividi in summè determinatum, summè indeterminatum, & partim determinatum & partim indeterminatum. Summè indeterminatum est prædicatum abstractissimum, videlicet ipsummet Ens. Summè determinatum est individuum. Partim determinata & partim indeterminata sunt omnia universalia subalterna, quæ per gradus ad summam contractionem & determinationem descendunt. Negat etiam minorem Platostatuens, rerum ante omnem mentis operationem alias esse particulares & alias universales. *Ad primam confirmationem*, negat illud affatum: videlicet, *Intellectus facit universale*: sicut enim commune est in scholâ Thomisticâ intellectum facere universale, sic etiã commune est in Platonicâ (imò etiam Scotisticâ) intellectum non facere universale. *Ad secundam* dicit omnes conditiones & proprietates universalis convenire naturę universali ante operationẽ intellectûs: addit æternitatem absolutã & positivã non esse proprietatẽ universalis; benè tamen æternitatem possibilem,

Verùm universalitas & determinatio opponãtur?

Censura cujusdam Axiomatis.

An æternitas sit passio Universalis?

Æternitas categorematica, & syncategorematica; & hæc vel nihile vel possibilis, vel conditionalis, vel negativa. bilem, conditionatam, & negativam: ab æterno enim (syncategorematicè tamen: *nota hoc*) sunt veræ hæ positiones, *Non repugnat animal hinnibile: Si esset equus, esset animal hinnibile. Nullum est tempus in quo Equus non sit animal hinnibile:* &c. Sed de hoc sæpè cogor loqui, atque ideò eadem aut similia repetere.

An incorruptibilitas sit passio universalis? De incorruptibilitate jam dixi: nam vel existentia universalis pendet à singularibus, & tunc incorruptibilitas non est universalis proprietas; aut non pendet, & tunc Vniversale dicetur incorruptibile respectu causarum secundarum: quia hoc nullum involvit inconveniens. *Ad confirmationem tertiam* respondet à denominatione & intentione secundâ ad primam argumentum desumi, atq; ideò æquivocatione laborare. *Argumentatio, quæ mutat suppositionem nihil valet.*

CCCXCV. Ratio nona. *An omnis proprietas habere debeat inferiora?* SI natura hominis ante opus intellectûs fit universalis, ergo universalitas erit illius proprietas; & cùm quælibet proprietas debeat necessariò habere inferiora (proprium enim est universale inferiora postulans) quorum respectu sit universalis, debebunt illius universalitatis alia esse inferiora, sed dempto homine in universum, illius nulla assignantur inferiora, imò repugnat præter hominem quædam alia esse ejus inferiora, ergo non poterit universalitas esse proprietas naturæ humanæ, & proinde natura humana non poterit esse universalis.

Confirmatur: Illa universalitas cùm sit accidens debet existere, aut nihil esse, si existat, erit singularis, cum existentia sit singularium.

An universalitas sit universalis proprietas? Non curat Plato illa quæ contra Ideas à se assertas non militant, licèt sint dubia aut falsa: & hanc ob rem non inquirit, An universalitas sit Vniversalis proprietas, tam enim ad essentiam Vniversalis illa pertinet, quam albedo ad essentiam albi: quæ tamen non est illius proprietas. Addit inferiora hujus hominis universalis esse hunc & illum hominem singularem: & inferiora hujus equi universalis, esse hunc & illum equum singularé.

Ratio decima. *An totum identificari possit parti?* NVllum Totum identificatur suæ parti, quia quodlibet totum est majus suâ parte, sed si datetur natura quædam positivè universalis, tunc totum identificaretur suæ parti, nam illa natura esset quoddam totum respectu suorum individuorum quia verò deberet esse in quolibet individuo, sequeretur totum suæ parti identificari.

Totum duplex. Partes continue apud Aristotelē identificantur. Respondeo distinguendo majorem: totum enim est duplex actuale & potestativum: hoc non identificari partibus nego: illud non identificari, subdistinguo: si sit physicum, transeat: si sit integrale, iterùm subdistinguo: in Peripateticorum opinione, nego: in aliorum concedo.

CCCXCVI. Ratio undecima. VNiversale est unum in multis, sed nulla natura manens una est in multis, ergo nulla natura de se est universalis: major est definitio Vniversalis, minor probatur multis rationibus.

An unitati divisioni opponatur? *Prima est*: Quod est divisum ante opus intellectûs, non est unum ante opus intellectûs; sed quælibet natura, sive Specifica, sive Generica, est divisa ante opus intellectûs, ergo &c. Major patet, minor probatur. Quod est in singularibus ante opus intellectûs, est divisum ante opus intellectûs, sed natura ante opus intellectûs non est nisi in singularibus, ergo in illis est divisa, & plurificata, ergo non est una.

Secunda: Illa non sunt unum formaliter, quæ distinguuntur realiter, sed Petrus & Paulus distinguuntur realiter, ergo non sunt unum formaliter; minor patet, major probatur: Quod distinguitur distinctione majori, distinguitur etiam distinctione minori, at ea, quæ distinguuntur realiter, magis distinguuntur, quàm quæ distinguuntur formaliter; ergo quandoquidem Petrus & Paulus distinguuntur realiter, etiā distinguentur formaliter, igitur non erunt unū formaliter. *An distinctio realis opponatur unitati formali?*

Tertia: Si natura Petri jam producti, & natura Pauli, qui cras producetur esset unum quid formaliter, sequeretur, quòd Paulus verè & realiter non posset dici crastinâ die genitus, quia supponeretur ejus natura genita, cum enim foret una cum naturâ Petri, & natura Petri jam esset genita, natura quoque Pauli crastinâ die non posset dici genita, quando enim aliqua duo habent unitatem, quod dicitur de uno secundum illam unitatem, dicitur & de altero secundum illam eandem unitatem, ergo quia natura Petri esset una cum naturâ Pauli, sicut diceretur natura Petri jam genita, ita & natura Pauli. *An natura hominis futuri hodie sit?*

Quarta: Quando plura sunt unum, uno annihilato, annihilatur & aliud; ergo si Deus annihilaret Petrum, Paulus quoque annihilaretur. *Confirmatur*, annihilato Petro, annihilaretur tota natura humana, quia Petrus importat totam naturam humanā, ergo, &c. *An adnihilato uno individuo cætera adnihilarentur?*

Quinta: Quando aliqua sunt eadem formaliter, quæ dicuntur de uno, dicuntur etiam de altero, sed D. Petrus, & Iudas sunt idem formaliter & essentialiter, ergo sicut de Iudā dicitur, quòd sit damnatus, ita & D. Petro. Quòd si dicas eadem dici secundùm illam formalitatem de iis, qui sunt formaliter idem, Iudas autem non sit damnatus nisi in individuo, & non sit idem individualiter cum D. Petro: *Instant Thomistæ & dicunt*: Natura humana in Iuda est damnata, sed illa natura humana est eadem cum naturā humanā in D. Petro, ergo sicut illa est damnata, ita & ista. *An quæ dicuntur de unō formaliter, de alterō etiam dicantur? An Christo & Iuda competat una natura?*

Sexta: Si daretur unitas formalis à numericâ distincta, per aliud Petrus esset homo, & per aliud hic homo, sed hoc non, per idem enim est homo, & hic homo.

Septima: Quæ distinguuntur formaliter non sunt unum formaliter: sed Petrus & Paulus distinguuntur formaliter; ergo non sunt unum formaliter. Major patet, minor probatur, quia nisi distinguerentur formaliter, per eandem formalitatem Petrus & Paulus, essent Petrus & Paulus: at certum est quòd Paulcitas sit diversa ratio formalis à Petreitate, ergo, &c. *An unitas & distinctio opponantur?*

CONSIDERAT hanc rationem Plato, & negat minorem: nec terretur, cùm audit illam septem probari rationibus: sicut enim una, sic & plurimæ dissolvi poterunt. CCCXCVII.

Ad

Divisio nō opponitur unitati.

Ad primam distinguit maiorem: divisum enim potestativè est unum: & ut exerceat Thomistas hanc ipsissimam rationem obtorquet, quoniam si divisio & unitas opponuntur, unum post opus intellectûs non erit divisum post opus intellectûs: sed apud Thomistas post operationem illam, quâ fit universale, adhuc manent multa individua: ergo nequidem post operationem mentis datur universale. Et quidem, ut rem benè intelligas adnotato, divisionem potestativam esse meram repetitionem & replicationem entitatis: sicut enim Christus in multas hostias, in quibus replicatur, dividitur; sic etiam natura specifica in multa individua, in quibus etiam repetitur & replicatur.

Quid sit divisio potestativa?

Petrus & Paulus nō differunt in ratione hominis.

Ad secundam respondet condonando majorem: & distinguendo minorem: nam Petrus & Paulus distinguuntur quidem realiter in eccitatibus; at ipsi in hominis ratione coincidunt.

Materia communis.

Natura communis.

Addit tertiam probationem nullius esse momenti, nam materia hujus ligni hodie producti esse potest materia ignis cras producendi: & tamen dicetur ignis crastina die productus: sicut enim non producitur materia prima, sed ignis: sic etiam non producet cras natura humana communis, sed Petrus.

Pars communis.

Subiunget etiam nullius momenti esse probationem quartam: nam si duæ res habeant unam partem communem & alteram non communem, non adnihilabitur utraque, nisi pars communis adnihiletur, quod non continget in individuorum corruptione. Addet adnihilatâ naturâ humanâ, quæ est in Petro, omnes homines esse adnihilandos.

An adnihilatâ unâ hostiâ omnes essent adnihilandæ?

Et quidem hanc Platonis doctrinam esse bonam demonstrat Eucharistiæ Sacramentum: nam adnihilatis speciebus hujus hostiæ, non adnihilantur omnes hostiæ: at adnihilato Christo (pone per adductivam actionem panem & vinum consecrari) hostiæ omnes adnihilari necessariò deberent.

In Christo & Iudâ eadem est natura universalis.

Quinta etiam probatio non urget: tuam solutionem, ibi positam, approbo: & nego naturam illam singularem quæ in Iudâ est damnata, esse eamdem naturam singularem, quæ in S. Petro coronatur.

Quomodo constituatur Petrus?

Ad sextam concedit Plato illam conditionalem quæ primo loco ponitur: nam Petrus per humanitatem est homo, & per Petreitatẽ realiter ab humanitate distinctam est Petrus.

Unum & plura.

Ad septimam dicet Petrum & Paulum esse unum & esse simul plures, non solùm formaliter, sed etiam realiter: at in diversis rationibus, sunt enim unum in ratione hominis, & plures in singularitatibus.

ARTICULUS VII.

An P. Hieronymus la Zarraga sit Platonicus?

CCCXCVIII. *Qualis fuerit?*

ERuditissimus P. Zarraga, vir non vulgari ingenio præditus, summâ diligentia & studio tractavit Philosophica, & cum plausu dictavit. Habuit discipulos illustres, & inter ipsos Eximium P. Rodericum Arriagam, qui *disp. 6. Logicæ. sect. 1. pag.* 105. ejus sententiam quamdam singularem recenset, & fortibus argumentis impugnat. Ille igitur, asserente Arriagâ, tametsi præcisiones objectivas amplexus, putavit nihilominùs meritò, adhuc non posse ex parte objecti conceptui universali correspondere aliquid unum reale, quod de omnibus inferioribus idem numero [& cur quæso idem numero, & non potiùs idem specie?] verè & realiter prædicari posset, sed necessariò debere ex parte objecti immediatè omnes animalitates respondere. Vt ergo aliquid unum ex parte objecti assignaret, quod esset Vniversale, Idolum quoddam erexit, clariùs uno verbo, docuit Vniversale nihil aliud esse, quàm quemdam Hominem fictum ab intellectu, quem ipse intellectus respiciens prædicat posteà de inferioribus, non quidem illud idem Idolum fictum, sed ad similitudinem illius; de Petro v. g. prædicat rationem hominis propriam Petro, & de Paulo aliam distinctam, semper tamen similem illi Idolo quod est quasi quoddam exemplar, ad cujus imitationem sicut Artifex facit hanc vel illam statuam, ita intellectûs prædicationem hujus & illius naturæ efformat. Hanc sententiam satis eruditè confirmat auctoritate quidem Aristotelis, D. Thomæ, ac nonnullorum nominalium: ratione verò, quia illud Idolum est unum in multis & de illis per similitudinem prædicabile: quid ergo illi deest, ut sit Vniversale? Hanc opinionem fusè impugnavit P. Hurtado suprà §. 185. Aristotelemque ac D. Thomam aliosque Auctores ab hâc purgavit idololatriæ suspicione.

An præcisio objectiva sit sufficiens, ut adquiratur unitas universalis? Vide Arriagã disp. 5. num. 24.

Idolum Logicum.

Exemplar.

An Aristoteles & D. Thomas habeant istam sententiam?

Sic Arriaga Zarragæ opinionem proponit: quæ, ut video, non est omninò eadem ac Platonica, sed illi similis. Vnum Idolum realiter distinctum, aut etiam separatum à singularibus posuit Plato, quod vocabulo Græco *Ideam* dixit; & unam Ideam realiter distinctam aut etiam separatam ponit Zarraga, quam vocabulo jam Latino, aut saltem Latinis notiore, *Idolum* nominat: & totum in hoc discrimen est, quod Zarraga Ideam hanc ab intellectu fingi statuat, & Plato veram putet & realem, & ab operatione aut fictione mentis independentem. Si è re esset, possemus explicare Zarragam, ita ut Platoni consentiret; nam possemus asserere ejusdem lexico *fingere* esse componere & non mentiri; nam utramque significationem verbum habet, & sæpè sincera est congruentior: unde S. Gregorius *homil 23. in Evangelia* explicans illud Lucæ 24, 13 *Ipse* (Christus) *se finxit longiùs ire.* Sic inquit: [Se ire longiùs finxit: *fingere* namq; componere dicimus; unde & compositores luti *figulos* vocamus. Nihil ergo simplex Veritas per duplicitatem fecit, sed tamen se illis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente.] Cæterùm, ut sit varietas aliqua, permittamus Zarragæ Ideas adstruere fictas; Platoni Idola vera: illas formari ab intellectu humano, hæc à Deo produci: Et hanc Conclusionem ponamus. *Sicut Plato de suis Idolis realibus realiter, sic Zarraga de suis Ideis formalibus formaliter*

Idea Zarraga.

Idola Platonis.

Totum discrimen.

Quid significet Fingere?

Figulus unde dictus?

Protheorema commune.

est philosophaturus. Ergo jam habebimus leges juxta quas Zarragam debeamus judicare.

His positis observandum benè est, quid Zarraga dicat cum Platone, & quid contra Platonem, ut sciamus, quo debeat ille impugnatus ab Hurtado & Arriagâ à nobis, aut etiam ab aliis defendi.

Succurrunt primò duæ rationes, quibus non confidit Arriaga, ut Ideas has impugnet: illas interim ponere placet.

CCCXCIX. Ratio prima. *An essentia abesse possit?*

Rationes communes sunt essentiales inferioribus: ergo nec sunt separatæ nec fictæ: non separatæ, quia essentia à re cujus est essentia abesse nequit: non fictæ, quia illud quod à me fingitur, non potest constituere Ens reale.

An Ideæ sint separatæ?

Respondet Plato concedendo antecedens: & dicendo ad consequentiam Ideas illas non esse fictas, sed veras & reales: addendo easdem esse in ipsis inferioribus intrinsecùs & posse dici esse etiam separatas extrinsecùs, sed hoc secundum posse quidem dici sed non debere: & quia jam dudum illi uti Christianis argumentis permittitur, ponet Christum ob oculos, qui in cœlo est ab omni hostiâ separatus, & nihilominus in singulis hostiis consecratis replicatur intrinsecè; & jubebit ut de naturâ hominis separatâ pariformiter philosophemur.

Quo sensu Christus sit à sacramento separatus?

At Zarraga fictione admissâ huic eidem rationi respondebit esse quidem essentiales inferioribus eas rationes, quæ fundamentaliter sunt universales, quæ verò sunt formaliter universales, solùm similitudine esse essentiales, quatenus, quæ aliæ similes eis universalibus fictis, sunt à parte rei essentiales Petro, Paulo, &c.

CCCC. Ratio secunda.

Idolum illud fictum nequit esse simile homini v. gr. quoniam inter eos & non-eus, quæ potest esse similitudo? & quæ societas lucis ad tenebras?

An Ideæ fictæ sint?

Respondet Plato illud Idolum esse fictum, hoc est, factum: adeòq; esse ens reale, & non solùm simile, sed idem cum homine qui est in Petro, Paulo, Francisco, &c.

Similitudo duplex: vera & concepta.

Respondet Zarraga illud Idolum esse fictum, hoc est, chimæricum, seu ens rationis: adeòque inter illum & homines non esse veram & realem similitudinem, sed conceptam solummodò, & hanc ad rationem Vniversalis sufficere: nec majore à se asseri vel intendi.

Has duas rationes omitti præcipit Arriaga, tanquã debiles, & ipse melioribus armis munitus eamdem doctrinam sic aggreditur.

CCCCI. Ratio tertia. *An sine fictione exponi universalia possint?*

Sine ullâ fictione facilè & clarè explicatur Vniversale: ut quid ergo debemus recurrere ad fictionem? & incredibile est, quando homines etiam rustici formant istos conceptus universales, *homo, brutum, Angelus*, eos aliquid fingere, & posteà quando dicunt, *Petrus est homo*, tam esse acutum rusticum illum, ut possit dicere: [Advertite me, etiam si finxerim meâ mente hominem quemdam, qui non est possibilis, quando tamen dico, *Petrus est homo*, non prædicare illum eumdem (Petrus enim nihil fictum identificatur) sed prædicare alium ei similem.] Quis unquam in se tales

Quomodo illa cognoscat rusticus?

cognitiones expertus est, etiam si de universalibus millies egerit? & quid unquam simile in rusticis aut idiotis observare potuimus?

Adquiescit Plato: nam sine suspicione fictionis alicujus ejus Ideæ aut Idola salvantur, & de inferioribus verificantur.

Respondet Zarraga sine fictione Idearum universalia salvari non posse. Neque curat quid credat aut non credat Arriaga, certum est enim rusticos quando formant illos conceptus *homo, brutum*, &c. nescire, an præscindant, an verò formalitates ex naturâ rei jam præcisas, aut realiter distinctas realitates cognoscant: an tandem ad connotata recurrant: & tamen illos conceptus formant: ita enim nos condidit Deus, ut operemur naturæ ductu, & quo operemur modo etiam post multos annos laboris & studii ignoremus.

Operatur humanus intellectus, & quomodo operatur nescit.

CCCCII. Ratio quarta. *An sufficiat ad universale conceptus cujuscumque Individui?*

Si ad universale non requiritur, ut illud idem quod est universale, prædicetur de aliis, sed sufficit aliud ei simile, quid necessum fuit ad fictiones recurrere, sed accipiatur quæcumq; humanitas v. g. Petri, illa realis in se est verè una, & aliæ ei similes: Vnde ipsa per similitudinem est prædicabilis de omnibus; ergo erit Vniversalis non minùs, imò multò meliùs, quàm idolum: habet enim realem similitudinem cum aliis, & realem unitatem in se, quibus caret idolum.

An Idea separata differat ab intrinseca?

Respondet Plato Ideam separatam & intrinsecùs in individuis existentem esse unam & eamdem realiter, in multis locis replicatam & repertam: adeòq; ad veritatem propositionum requiri, ut prædicetur eadem realitas, quæ est universalis.

An Idea sit singularis?

Sed quid Zarraga? Si respondeat, illam naturam in se esse singularem, adeòq; non posse esse universalem, dicet aliquid gratis omninò, quod inveniat multos oppugnatores. Gratis, inquam, dicet naturam illam esse singularem: nam si illam fingit, cur non fingit universalem? imò debet illam esse universalem fingere, nam si ipsa singularis sit, & similis Petro, Ioanni & Francisco, non est ficta; sed est unum individuum contentum sub humanâ specie, & tam universalis, quàm apud Grammaticos *Musa*, quod nomen singulare est, & tamen ponitur tanquam Idea, quam omnia nomina primæ declinationis imitentur. Ergo Zarraga dicet in hoc esse fictionem, quod illud Idolum dicatur esse realitas universalis.

An Musa sit universalis?

Arriaga contrà. Quia etiam Idolum illud, eodem modo, quo habet esse, est quid singulare; est enim unum singulare ens rationis fictum, & præcisè à Zarragâ dicitur Vniversale, quia similitudine est multiplex: repræsentat enim multa, & similitudine est prædicabile de multis: at hoc idem habet natura Petri, & quidem à parte rei sine fictione ullâ, est enim una in se, & similitudine multiplex: item similitudine prædicabilis de multis, quæ repræsentat, ut ex se patet: ergo erit Vniversalis, non minùs, quam istud Idolum.

Et negabit Zarraga illud Idolum esse singulare: quidquid enim in illo est sublata universalitate possibile est, & ab omni fictione remotum.

Loco

CCCCIII. Ratio quinta. LOco illius Idoli aptiùs poni posset Petrus vel alius quicumq; homo singularis: at Zarraga non putat Petrum sufficere, ut sit prędicatum universale, ergo nec illud Idolum sufficiet. Probatur major. Nam si Petro non possumus uti tanquam universali, maximè quia habet naturam singularem seu Petreitatem, quæ non convenit aliis, sed hæc ratio non obstat; ergo. Probatur minor: Quia Petreitas est etiam similitudine in omnibus aliis: Pauleitas enim licet non sit Petreitas, est tamen individuatio quædam illi similis: Zarraga verò non requirit nisi similitudinem rei Vniversalis cum individuis, & naturâ de illis prædicatâ. Confirmatur: quia quidquid sit de Petreitate ut sic explicatâ, ipse admittit duas in Petro singularitates: unam, quâ est unus homo; unde dicit, [quando hominem concipio, ex parte objecti respondent multi homines, seu multæ unitates naturæ humanæ, à quibus non possum præscindere:] illæ autem unitates seu singularitates, quas vocat incompletas, omninò sunt similes inter se, quo casu non concipiuntur singularitates illę, quas Petreitatem, Pauleitatem dicit, & quas completas vocat; fatetur enim Zarraga ab his benè posse hominem præscindi. Ex hac doctrinâ (vera aut falsa illa sit (Zarriagam Arriaga redarguere conatur; admittit enim Zarraga posse naturam humanam ex parte objecti sine Petreitate respondere, & quidem ut omninò similem, cur ergo illa non erit Vniversalis, sicut idolum illud, cùm sit similitudine omnes, possitque per similitudinem de omnibus prædicari?

Respondebit Zarraga se adhuc admissis præcisionibus Vniversale non invenire: quærit enim unam naturam realiter à singularibus distinctam, qualem posuit Plato, sine quâ universalitas malè salvatur; & quia illam non reperit, se illam fingere. Et hoc dicendo vult omnes Thomistas ad se trahere: quia, si distinctio rationis est ficta, quod illi dicunt inde oritur, quòd fingamus extrema realiter distingui, quæ non distinguuntur realiter: nam eadem extrema distingui ratione (hoc est, unum concipi alio non concepto) apud Thomistas non falsum & fictum, sed verissimum & certissimum est.

Dicit Zarraga primò. Non sufficit ad rationem naturæ universalis natura individua: non sufficit præcisa formaliter: ergo requiritur distincta realiter: at hæc verè non datur: ergo aut fingenda est, aut carebimus universalibus.

Secundò: Species, quam ego habeo de homine, non est propria illius: ergo, quod concipio per illam, non est verè homo, sed aliquid fictum. Patet: quia natura Vniversalis est una in multis: sed natura quæ identificatur realiter Petro, non est in Paulo & cæteris humanæ speciei individuis: ergo veniendum est ad aliquam naturam realiter distinctam à singulis: & quia hæc non datur nec dari potest, nec aliter universalitas salvari potest, fingenda est aliqua natura communis, quæ realiter distincta à singularitatibus in singulis hominibus sit.

Et quidem hæc argumenta etiam probant quando prædico, *Petrus est homo* non prædicare me de illo veram humanitatem ipsius; sed aliquam naturam fictam.

Platonis & Zarragæ discrimen. EX his liquet Platonis & Zarragæ sententiam distingui ut Thesim, & Hypothesim. *Vterque* admittit Ideas: *uterque* tales, quæ intrinsecùs insint, & concreta constituant; & etiam intrinsecùs sint separatæ, si velis. *Vterq;* has Ideas in multis collocat, & ait esse communes & universales. *Vterque* istas Ideas de Individuis prædicat & verificat. *Et tota* differentia in eo est, quod plato non solùm possibiles Ideas has esse, sed existentes asserat: & Zarraga illas esse impossibiles dicat, jubeatq; de illis eodem prorsus modo, ac si essent reverà existentes philosophari. Et quidem non multum à Zarragâ differt P. Thomas Compronus, qui *disp. 30. Logica. sect. 8. num. 7.* docet Ideas Platonicas esse impossibiles, & tamen supponi illas vult, ut clarè & exactè in materiâ universalium discurratur. Comptonus assensit.

ARTICULUS VIII.

An Fonseca sit Platonicus, & realem Vniversalitatem admittat?

CCCCIV. VIx est Author hoc sæculo, qui Fonsecæ doctrinam non impugnet: at nescio, an sint multi, qui intelligant: unus, qui expugnet. Ille inter Platonicos & Scotistas medius *libr. 5. Metaph. c. 28. à quæst. 3.* considerat naturam humanam v.g. (idem est de reliquis) in triplici statu. *Primus est*, in esse possibili antequam determinaretur ad hoc potiùs individuum quam ad aliud; sicut potest homo considerari indifferens, ut determinetur ad esse album, aut esse nigrum; sola hæc est differentia, quòd homo etiam in tempore est indifferens ut sit albus, vel niger: at natura humana non habet illam indifferentiam, nisi in quodam signo naturæ ab æterno, in quo etiam signo Deus erat indifferens, ut vellet vel nollet creare mundum. In hoc statu dicit Fonseca naturam ipsam esse universalem, quia est una in se, & apta determinari & dividi in plures naturas etiam numero aut specie distinctas in ratione naturæ. *Secundus* status naturæ humanæ est, in quo ipsa jam intelligitur contracta & determinata per singularitates: in quo statu jam non est universalis, quia non est una, sed plures ratione individuationum. *Tertius* status est in esse objectivo, id est, quando intellectus concipit naturam humanam sine individuis eo modo, quo ipsa erat in primo statu, qui dicitur status solius essentiæ. Quòd si in illo primo statu natura secundum se erat universalis, etiam in tertio erit universalis, non in se, sed intellectu eam concipiente eum universalitate quam in primo statu habuit à se.] Hæc est Fonsecæ mens Arriagâ teste, & licèt nonnihil occurreret, quod alterare possem; ut vera Fonsecæ mens propone-

Vide Suarium disp. 4. Met sect. 3. Arriagâ disp. 4. Log. sect. 2. n. 9.

Natura status triplex.

poneretur, cum hæc sententia (cujuscumque illa sit) videatur probabilis & facilis, & sit contra Arriagam propugnanda, ideò volui ejus illam verbis proponere, ne si vel hilum mutaretur, impugnationes vacillarent. Videamus igitur, quo illam modo oppetat & arietet.

Statuit primò Arriaga suam Conclusionem dicens, *in nullo statu naturam esse universalem independenter ab intellectu.* Deinde per singulos status discurrit, & suam censuram subscribit. [Quatenus ad tertium statum de naturâ in esse objectivo, ait coincidit Fonseca cum Thomistis.] Et cur cum Thomistis quæso? An non potiùs cũ Scotistis? Sed dissimulemus hoc, & eumdẽ progredientẽ audiamus. [Quantũ verò ad secundum statũ, in quo natura est multiplicata in individuis, ait Arriaga, Fonsecã veritati concinere.] Ergo si Fonseca concinit veritati, Arriaga veritati nõ concinit: non concinit enim Fonsecæ. Transirus enim à statu possibilitatis ad statum existentiæ non est à nostro intellectu dependens: ergo quidquid ratione hujus transitûs naturæ competit, realiter competit. Ergo si in statu existentiæ est contracta per singularitates, ante omnem mentis operationem dabuntur singularitates quæ naturam contrahant, & determinent: & natura, quæ contrahatur & determinetur. Ergo siquidem hoc dicit Fonseca, & hoc negat Arriaga; & Fonseca veritati consonat, Arriaga veritati non consonat.

An Fonseca Thomista, an potius Scotistis subscribat?

Sed ad primum statum in quo tota videtur esse difficultas veniendo Arriagæ censuram audiamus. Ait enim. [Quantum ad primum statum essentiæ, in quo videtur Fonseca supponere, naturam distingui ab individuatione, quandoquidem est indifferens ad illam habendam vel non habendam: quam indifferentiam non posset habere, si nullo modo distingueretur ab individuatione, qua nihil est indifferens ad seipsum, vel ad sui negationem: quantum ergo ad hanc distinctionem realem, vel ex natura rei, in quâ fundatur Fonsecæ opinio, refutabitur *disp. 5. sect. 1.*] Sed ibi multa habet contra Scotum, nihil tamen, quod directè militet contra hanc opinionem Fonsecæ naturam possibilem considerantis.

Omitto ea, quę subjungit Arriaga suspicando Fonsecam agere de distinctione rationis: nam ponendo hanc expositionem, vult probare Fonsecam inconsequenter loqui: respondebit enim Fonseca se malè & inconsequenter loquutum fuisse, si de distinctione rationis, & in sensu quo illum Arriaga exponit: at ideò loquutum fuisse benè, quia egit de distinctione reali, & in sensu diverso ab illo, quem Arriaga homini utenti verbis claris affingit. *Venio igitur* ad impugnationes, quæ videntur, non idolum fictum aliquod ab Expositoribus, sed ipsam Fonsecæ sententiam oppetere.

An Fonseca admittat distinctionem rationis?

Objectio I.

CCCCV. *De principio individuationis.*

ARguit igitur Arriaga primò. Nam si natura secundum se est indifferens ut contrahatur ad hoc individuum potiùs, quàm ad aliud: rogo ergo, à quo fuerit determinata ad hanc individuationem. Non à seipsâ, quia de se non petit illam individuationem: ergo determinata fuit à Deo, qua non est aliud agens, à quo possit determinari. Tum sic, ergo hæc natura ideò est in tali individuo, quia Deus voluit; ergo si Deus vellet jam eam auferre ab hàc individuatione, & dare illi aliam, non esset unde impediretur: quia determinatio orta ex solâ voluntate Dei, per solam etiam voluntatem Dei potest revocari; ergo eo ipso, quòd in aliquo priori naturâ fuerit verè & realiter, ut dicit Fonseca, indifferens ad hanc vel illam individuationem, debet etiam esse indifferens toto tempore quo existit: sicut quia in aliquo fui ego indifferens ad habendam vel non habendam albedinem, semper quantum est ex me maneo indifferens, ut illam habeam vel non habeam. Unde consequenter Scotistæ, admissâ distinctione naturæ ab individuatione, dixerunt, etiam dum est in hâc individuatione, esse indifferentem ut eâ relictâ possit aliam habere.

Sed hoc argumento Fonseca, non solùm non læditur, sed neque tangitur. Et ut benè intelligatur Averroistarum quantitatem interminatam aut indeterminatam produco: & affirmo, enim qui benè capiat Averroïs opinionem, non posse errare in doctrinâ Fonsecæ. Sed, quia tibi fortassis non arridet hic Maurus, ut Fonsecam dilucidem, probabilem mihi (at Arriagæ certam & indubitatam) opinionem præmitto. [Repugnat corpus, quod sit nusquam: omne enim, quod est in rerum naturâ, debet esse alicubi. Omne igitur corpus existens est ubicatum, & determinatum per aliquem locum intrinsecum (quidquid de extrinseco sit.) An-ne corpus possibile, debet esse ubicatum? An-ne in possibilitatis statu essentia corporis ubicatione afficitur? Minimè. Corpus possibile caret ubicatione, at existens non caret: unum enim & idem corpus existens habet multas ubicationes successivè & simul: nam & transit ex loco ad locum: & in Eucharistiâ replicatur. Nec juvat dicere Eucharistiam esse miraculosam: hic enim explicamus rerum essentias, & miracula non militant contra naturam.] Hanc doctrinam relege quæso, & benè intellige, & videbis paritatem rationis nos ad Fonsecam ducere. Paucis ergo mutatis eumdem discursum scribo. Sic inquam: [Repugnat corpus, quod sit individuum vagum, & non sit determinatum singulare: omne enim quod est in rerum naturâ debet esse individuum. Omne igitur corpus existens est determinatum per aliquam Hæcceitatem intrinsecam. An-ne corpus possibile debet esse contractum & singularizatum: An-ne in possibilitatis statu essentia corporis individuatione & singularitate afficitur? Minimè. Corpus possibile caret individuatione: & existens non caret: unum enim & idem specie corpus existens habet multas individuationes; simul & successivè.]

Quantitas indeterminata.

An corpus possit esse nullibi?

Idem argumentu posset formari de materiâ primâ Thomistica: idē de aliis.

An omnia corpora sint singularia?

His

His positis ad argumentum Arriagæ facili negotio respondebo: nam si petas, cur Luna sit in primo cœlo & Saturnus in ultimo? ad liberam Dei voluntatem recurram: & si subpetas, cur natura humana afficitur hodie istis singularitatibus & non aliis diversis? etiam ad eamdem Dei voluntatem recurram. Infert Arriaga, [Ergo si Deus vellet jam eam auferre ab hac individuatione & dare illi aliam non esset unde impediretur.] Et respondeo, sive negetur, sive concedatur consequentia, nihil Arriagam contra Fonsecam obtinere. Dicunt aliqui materiam cœlorum recipere formam inamissibiliter: quoniam tametsi sit indifferens ad hanc vel illam recipiendam, ex hypothesi, quòd hanc receperit, illam dimittere, & aliam adquirere non potest. Dicunt alii Angelos liberè elicere decreta irretractabilia: hoc velle aut illud posse: at ex hypothesi, quod hoc voluerint, voluntatem retractare non posse. Et quidquid de materiâ cœlesti & Angelis sit, certum est Deus esse liberum & immutabilem; & sicut Deus est indifferens, ut amet aut non amet illum, hoc actu carere non potest; sic etiam posset dici corpus possibile esse indifferens ad recipiendam hanc singularitatem vel illam: at ex hypothesi, quod hanc receperit, illam dimittere non posse. Hæc dicta sint, ut ostendatur posse negari consequentiam, quam Arriaga confidenter ponebat. At illam ego aut concedo aut condono, & quid inde Arriaga habeat aut non habeat interrogo. Erat illa ratio corporis purè possibilis: illam contraxit & determinavit Deus ad hæc corpora, quæ creavit: illam quotidie exuit, inquiunt nonnulli (quos nec laudo nec carpo, quoùsque uberiùs suam mentem exponant) ab hac & illâ singularitate in sacramento Eucharistico, in quo substantia panis & vini esse desinit: non quà substantia, sed quà hæc. Et, si Deus novum mundum produceret, eamdem rationem communem corporis novis Ecceitatibus contraheret & determinaret.

An Deus posset Petro aliam humanitati dare?

An formæ cœlorum sint inseparabiles & inamissibiles?

An voluntas Angelica sit retractabilis?

Voluntas divina & libera & immutabilis est.

Hæc attentione indigent.

Infert Arriaga [Ergo si in aliquo signo illa natura fuit indifferens, semper erit indifferens.] Distinguo, ipsâ præcisâ à singularitate semper fore indifferentem, concedo: at aggregatum ex ipsâ & singularitate, fore indifferens, nego. Rē exemplis illustro. Materia est indifferens ad quamcumq; formam, etiā quando habet hanc: at aggregatum ex materiâ & hac formâ non est indifferens ad recipiendam quamcumque formam. Corpus est indifferens ad quodcumque ubi, etiam quando habet hoc: at aggregatum ex corpore & ubi hoc, est immobile, & Romam transferri non potest. Et, ut etiam hoc dilucidem radio Eucharistico, Christus est indifferens ut sit in quâcumque hostiâ; at aggregatum ex Christo & istis speciebus Sacramentalibus non est indifferens, ut in quâcumque hostiâ sit. Ergo similiter. Natura corporis ut sic est indifferens ad quamcumque recipiendam singularitatem, etiam quando habet hanc: at aggregatum ex naturâ corporis & hac singularitate non erit indifferens ad recipiendam aliam singularitatem. Non igitur attingit scopum Arriaga: & si juxta hanc distinctionem, mentem conformet, non erit cur dicat consequentiùs Scotum, quàm Fonsecam procedere. Hæc enim, quæ dicimus omnium sunt: Scholæ enim in distinctione graduum metaphysicorum designandâ dissentiunt; aliæ enim majorem & aliæ minorem adsignant: at dissimulatâ hac differentia, in cæteris eodem modo loquuntur, & analogicè philosophantur.

Arriaga speciem cum individuo confundit.

Indifferentia materiæ primæ.

Indifferentia mobilis.

Indifferentia Christi.

Indifferentia Universalis.

Scholarum consensus.

Obiectio II.

CCCCVI.

SI in eodem instanti reali, in quo natura fuit indifferens & una, in eodem fuit contracta ad singularia, & in illis multiplicata: ergo simul in eodem instanti habuit unitatem & multiplicitatem, negationem divisionis & divisionem; quæ prorsùs repugnant: quia nequit in eodem instanti reali simul esse forma & ejus negatio, etiam pro diversis signis rationis.

An in uno instanti natura fuerit indifferens & determinata?

Miror etiam hanc Arriagæ rationem: primò enim natura humana, verbigratiâ, non jam unico instanti, sed infinito tempore fuit possibilis & caruit singularitatibus. Sed esto, omnia fluant, ut ille vult. An-non quæcumque creatura possibilis, priùs fuit possibilis, quàm exstitura, aut non exstitura: ergo eodem modo de hac indifferentiâ poterimus argumentari: possemus enim dicere: [Si in eodem instanti reali, in quo natura Equi fuit indifferens, ut existeret & non existeret, in eodem fuit determinata ad existendum, habuit futuritionem & non futuritionem; quæ prorsùs repugnant: quia nequit in eodem instanti reali esse forma & ejus negatio, etiam pro diversis signis rationis.] Idem argumentum posset formari de libertate Divinâ: sed quia hæc non-nihil sublimis est, idem formari clariùs poterit, de libertate Angelorū, quia in eodem instanti fuerunt indifferentes & liberi, & tamen in eodem meritoriè operati sunt.

An in eodē instanti creatura sit futura & nondum futura?

An Angeli in eodem instanti fuerint indifferentes & determinati?

Ut ergo Arriagæ argumento respondeat, poterit Fonseca prioritatem præcisionis à prioritate negationis distinguere; vel ut alii loquuntur, prioritatem rationis ratiocinantis à prioritate rationis ratiocinatæ: nullum enim instans aut signum rationis fuit, in quo intelligeretur creatura esse possibilis & non esse futura: Angelus posse mereri, & tamen non mereri de facto: natura esse contrahibilis, nec tamen de facto contracta: benè tamen instans rationis ratiocinantis, in quo intelligeretur creatura esse possibilis, & non intelligeretur esse futura: in quo intelligeretur Angelus posse mereri, & non intelligeretur mereri de facto: in quo intelligeretur natura contrahibilis, & non intelligeretur contracta de facto. [Vide circumspectè appellationem particulæ *Non:* aliud enim est *Non intelligo rem esse:* & aliud, *Illam intelligo non esse.*] Cùm igitur prima indifferentia sufficiat Thomistæ, ut essentiam ab existentiâ realiter, aut modaliter fortè, distinguat: & secunda,

Nota id bene.

Nota etiam hoc.

Dubiũ proponunt: Complutenses *quæst.* 2. sic totam controversiam proponunt. Interrogant, *Utrum Materia prima, ita sit secundum suam essentiam pura potentia, ut nullo modo sit actus, aut nullum actum in se includat?* Et ne æquivocationi subsit locus, quid his verbis postulent, exponunt istis. *& exponunt.* [Titulus quæstionis non intelligitur de actu omninò primo, qualis est forma substantialis, aut de actu subsistentiæ & existentiæ, aut tandem de actu secundo, & accidentali, qualis est operatio: nam ut ex se, & ex dicendis constabit, certum est nullum ex iis actibus posse esse essentialem materiæ primæ; sed tantùm intelligitur de quodam actu, *De actu entitativo.* quem Iuniores philosophi denuò suscitarunt, quemque *actum entitativum* appellant, dicentes, esse universalem, & transcendentalem respectu omnium rerum; quia cuilibet rei, hoc ipso quod sit realis entitas, debet convenire: nam hoc ipso jam habet actum entitatis, seu est actualis entitas, & per consequens per aliquem actum saltem entitativum debet in esse talis entitatis constitui, ut ita nulla sit actualis entitas, quæ careat actu sibi proportionato.]

CCCCXI. *Illa materia prima secundum se considerata caret.* Quæstioni sic propositæ ipsi *num.* 10. ad mentem D. Thomæ respondent, & sic inquiunt. [Quæstio hæc aliquid, & fortè non parum habet de nomine. Vt tamen rem ipsam & legitimum loquendi modũ, tum Aristotelis tum D. Thomæ explicemus: dicendum est, Materiam primam secundum se sumptam nullum prorsus habere actum, etiam entitativum; sed esse omninò puram, & realem potentiam.] Sic illi. Et fortè nullus esset Platonicus, qui tam rigidè supremo Generi in Prædicamento substantię omnem actum, etiam entitativũ denegaret. At ipsi sic de Materia prima philosophati, Resolutionem suam probant & authoritate & ratione.

Authoritate quidem [nam Aristoteles pluribus in locis, maximè verò in hoc Physices libro text. 69. docet ita se habere Materiam primam ad res naturales, sicut res naturales ex se ad artificiales. *Materia naturalis est similis artificiali.* Sed istæ ex se nullum includunt artificialem actum: ergo neque materia prima ullum habebit actum naturalem. Idem docet, ut ajunt, D. Thom. 1. p. quæst. 7. art. 2. ad. 3. ubi inquit; *Materia prima non existit in rerum natura per se ipsam, cum non sit enim actu: sed potentia tantum.* *Potentia pura.* Et 1. contra gent. cap. 43. ait; *In rebus invenitur aliquid, quod est potentia tantum, ut Materia prima, & aliquid, quod est actus tantum, ut Deus; & aliquid, quod est actus, & potentia, ut res cætera.* *Actus purus.* Quod etiam tenet 1. parte quæst. 66. art. 1. & quæst. 115. artic. 1. ad 2. & alibi sæpè. Quam sententiam tuentur etiam Capreolus, Ferrara, Cajetanus, Bañez omnesque Thomistæ, Fonseca, Conimbricense collegium in hunc lib. q. 9. art. 1. & 2. Mastius in præsent. cap. 9. sect. 2. q. 6. Rubio tractat. de materia, q. 2.

Ratione etiam suam Resolutionem Complutenses confirmant. Primò, nam ut ex ipsis, & ex Aristot. & D. Thom. constat nulla ex definitionibus ibidem relatis, & unanimi omnium consensu admissis, quibus idem Aristot. & D. Thom. explicuerunt essentiam materiæ primæ, continet verbum aliquod, quod rationem actûs exprimat; imò potiùs omninò puram, & nudam potentiam nobis contemplandam objiciunt. Ergo cum definitiones explicent essentiam rei, consequens est in ratione & essentia Materiæ nihil prorsùs actûs includi.

Si respondeas cum adversariis [Id solùm in definitionibus exprimendum, quod rebus definitis secundum suas specialiores rationes; non verò, quod secundum communissimas, & transcendentes convenit, *Quid debeat exprimi in definitionibus.* quare cùm actus iste entitativus non sit specialis ipsi materiæ; sed illi cum rebus omnibus, & ob generalem rationem entis realis communis; ideò non oportuit in definitione exprimi.] Habebis plausibiles instantias, quibus responsionem tuam robores: nam cum *Homo* dicitur esse *Animal rationale* in hac definitione non exprimitur Vnitas, non Veritas, non Bonitas, quia hæ sunt transcendentales actus, qui subintelligi debent, & ideò semper intermittuntur.

At Complutenses non acquiescunt, sed occurrunt; & inquiunt. *Quales sint rationes transcendentales?* [Si loquamur de re aliqua in particulari realiter, & Physicè, & non secundum id quod habet ab intellectu, vel per ordinem ad illum (quomodo de Materia in præsenti loquimur.) ratio transcendens illam non est talis nisi juxta talitatem, ut sic dicamus, rei in qua imbibitur: ut apertè colligitur ex D. Thom. de veritate quæst. 1. art. 1. & de potentiâ quæst. 7. art. 3. in corpore. & ad quartum. Vnde ens in substantiâ imbibitum est substantia, in accidenti verò inclusum ibi est accidens, & non substantia: Sed Materia prima secundum suam ultimam rationem, & secundum, quod sibi solummodò proprium est, considerata, tantummodò habet rationem potentiæ, & nullo modo actus, ergo quævis ratio in illa inclusa rationem potentiæ sortitur: & ex consequenti falsum omninò erit prædicatum aliquod transcendentale rationem actus habens in ea includi.

Confirmant: Quia repugnat rationem veræ potentiæ in aliquo transcendentaliter imbibi, *Modus potentialitatis.* quod à sua ultimâ, & propriâ ratione non dicat specialem potentialitatis modum. Ergo etiam repugnabit imbibi transcendentaliter actum aliquem specialem in re aliquâ, quæ à suâ ultimâ ratione non habeat aliquem specialem modum actûs; quandoquidem ipsa secundum sibi propriam, & ultimam formalitatem solùm importat esse puram potentiam, ut adversarii ipsi admittunt.

Secundam rationem tantæ esse virtutis opinantur, ut fundamenta partis contrariæ diruat: *Divisio Entis in actum & potentiam.* illamque desumunt ex Aristotele 9. Metaph. text. 1. nec non & 6. ejusdem Metaph. text. 4. & D. Thoma lect. 2. ubi dicunt: *Ens bipartitur in actum & potentiam.* Et ut benè notavit Suarez in indice suæ Metaph. non dividitur hic ens in rem possibilem, & in eandem

dem Metaph. ut existit extra statum possibilitatis: quia hæc non esset partitio entis in diversas res, aut entia; sed in diversos status ejusdem rei.

Hoc ergo supposito sic Resolutionem suam suadent. Ens, inquiunt, dividitur in actum, & potentiam: ergo per hoc præcisè quod aliquid sit pura potentia realis, etiam si omnem prorsus à se actum excludat, poterit rationem entis realis habere: & per consequens ex hoc, quod Materia prima habeat veram, & realem essentiam, malè colligitur, eam includere intrinsecè aliquem actum.

Bona divisionis leges.

Hanc ultimam consequentiam ex se constare asserunt; & primam patere; nam membra dividentia debent divisum includere, & inter se formaliter opponi, ergo cùm actus, & potentia dividant reale ens, fit inde, ut eorum quodlibet sit ens reale, etiamsi alterum membrum à se formaliter excludat aliud, ut necessariò debet excludere.

Tertiam rationem addunt, illamque ad istos terminos reducunt. Nam Materia ex hoc actu entitativo & ex suâ potentialitate componitur, vel est ipsemet entitativus actus; non primum: quia alias amitteret, rationem primi subjecti: non secundum: nam vel hic actus esset informans, & hoc non: quia hic, subjectum, cui innititur, semper supponit: vel actus subsistens, & neque hoc dici potest, quandoquidem subsistens actus longè perfectior est informante, utpote qui non indiget sustentante. Ergo cùm Materiæ primæ ob suam potentialitatem non possit convenire ratio actûs informantis, multò minùs erit actus subsistens. Ergo nulla ratione erit actus præcisè informans; vel non pendere, & sic erit actus subsistens.

Actus alio informans, altus subsistens.

Nec satis erit si dixeris id, quod innuit P. Suarez, scilicet quod cùm tot modis dicatur actus, quot & potentia: & Materia prima, sicut, & quævis alia res expleat per suam entitatem potentiam objectivam, quam habet ad hoc ut sit: consequens est ut ex quâ parte prædictam potentiam explet ab alio ut à subjecto sustentante sit actus subsistens. Vnde sit adæquata divisio illa actûs in informantem, & subsistentem, non debet sumi actus subsistens pro formis completis, & spiritualibus, quæ sunt nobiliores actibus informantibus; sed prout abstrahit ab illis, & à quàvis re explente suam potentiam objectivam, & simul inde pendente ab alio ut à subjecto, qualis est materia prima.

Quot modis dicatur actus?

Sed contrà Complutenses occurrunt, & observant illud fundamentum quô nititur prædicta solutio, falsum esse; quia non semper potentia objectiva per actum explenda est; sed aliquando per actum, aliquando verò per realem potentiam, si res illa, quæ possibilis dicitur, fuerit ens, quod sit realis potentia: etenim potentia objectiva solùm est quædam non repugnantia essendi in totâ realis entis latitudine. Cùm ergo intra totam essendi latitudinem ratio realis potentiæ contineatur, per eam sanè illa possibilitas, aut objectiva potentia poterit expleri.

De potentiâ objectivâ: quomodò transeat ad potentiam, an semper compleatur per actum?

Confirmant: quia possibilitas actûs per actum expletur: ergo possibilitas, quam habet realis potentia ad hoc ut sit, per potentiam explenda est; aliàs enim potentia illa non explebitur: quandoquidem id ipsum, quod possibile est, non ponitur à parte rei. Vnde illud, quod dicitur in solutione, tot modis dici actum, quot & potentiam, verum est de reali, & verâ potentiâ receptivâ, non verò de eâ, quæ tantùm est receptiva, quæ non est formalissimè loquendo rigorosa potentia, sed quædam non repugnantia, & realis tantùm denominatio extrinseca desumpta à potentia activa illius agentis, quod rem illam extra causas potest ponere.

An tot modis dicatur actus quot potentia?

Confirmant tandem. Materia prima, sicut de se non habet proprium *esse*, sed tantum existit per existentiam totius, ita non habet proprium *fieri*; sed comproducitur ad productionem totius, id quod apertè docet Arist. 8. Metaph. text. 3. D. Thom. lect. 1. & 1. p. quæst. 45. art. 4. & de veritate quæst. 3. art. 5. ad 1. secundo loco propositum, ac proinde non habet sibi propriam potentiam objectivam; sed per potentiam objectivam totius dicitur possibilis. Vnde non est necesse, ut afferat actum ex se, sed satis erit quod actuetur per formam substantialem, & ita unà cum toto in rerum naturâ ponatur.

An materia prima habeat propriam potentiam objectivã? an propriũ fieri? an propriam existentiã?

Obiectis satisfaciunt.

Sic suam opinionem firmarunt Complutenses: sed quia Scotus in 2. dist. 12. qu. 1. Perez libr. 5. cap. 13. Toletus de mat. primâ. quæst. 11. Suarez disp. 13. met. sect. 5. & alii plures contrariam tenent, in arenam provocant adversarios, & eos audiri volunt, quibus putant se optimè satisfacere posse. CCCCXII.

Objiciunt igitur Scotistæ primò, Quoniam Deus est purissimus actus excludens à se omnem potentialitatem; sed materia prima ei assimilatur: ergo aliquid actûs debet habere, & ex consequenti cum cæteros actus physicos, & reales jam enumeratos excludat; non poterit non actum entitativum includere. Minor est D. Thom. quæst. 3. de entitate artic. 5. ad primum; ubi inquit: *licet materia prima sit informis, tamen in eâ est imitatio primæ formæ, quantumcunque enim debile esse habeat, illud tamen est imitatio primi entis.*

Deus purissimus actus.
An materia Deo similis?

Et respondent Thomistæ, Quod licet Materia non sit actus, quia tamen ens est, & substantia est, ideò ratione harum formalitatum aliqualiter Deo similis erit, non qua ratione ipse est actus purissimus; sed ut primum ens, & substantia est. Et ideò Doctor Angelicus postquam dixerat in materia esse imitationem primæ formæ, statim ubi aut in quo illa similitudo esset, explicuit dicens: *Quantumcunque enim debile esse habeat illud, tamen est imitatio primi entis.*

Objiciunt Scotistæ secundò. Quia Materia prima actu constituit ens naturale, ut ejus vera, realis, & substantialis pars: ergo habet ratio-

Actum distinguit & constituit.

rationem actualis, & realis entitatis. At actualitas hæc non potest non includere actum entitativum constituentem illam quasi formaliter in esse actualis entitatis: ergo, &c. minor probatur: quia ut inquit Arist. 7. metaph. text. 49. actus est, qui distinguit, ac proinde ille solus erit, qui constituit: cum constitutivum, & distinctivum sint prorsus idem.

An non vero sensu, quo est bona, eodem actum bonitatis habeat?

Confirmatur: illud, cui convenit esse actu bonum, debet & actum bonitatis habere; Sed materiæ convenit esse actu quid bonum: ergo actum bonitatis habebit, & ex consequenti actum entitatis, seu actum entitativum: si quidem bonum sequitur ad ens, ac proinde actus bonitatis ad actum entitatis. Minor patet; tum quia id videtur docere D. Thom. 3. contra gent. cap. 20. tum etiam: quia materia est bona valdeque utilis composito substantiali; quandoquidem ea evanescente, & compositum ipsum desinet.

Entitatis modus.

Et respondent Thomistæ. Quod ut colligitur ex Arist. loc. citat. & 6. metaphys. text. 4. & D. Thom. ibidem lect. 2. & opusc. 31. §. 1. & 2. circa medium: aliud est aliquid esse realem entitatem. Nam ad primam requiritur, vel quod sit actus, vel quod includat actum: quia ut loquitur D. Thom. 1. p. q. 66. art. 2. circa finem, impossibile est ponere aliquod ens actu, quin vel ipsum totum sit actus, & forma, ut habeat Actum, seu formam. Solus enim actus est qui dat rei, quod sit pura potentia, aut in pura potentia receptiva, actus. At verò ut aliquid re ipsâ sit realis entitas, satis est, quod re ipsâ non sit purum nihil: sed aliquem habeat entitatis modum, sive talis entitas sit completa, sive incompleta, sive sit actus aut in actu, sive non, sed tantùm sit pura potentia receptiva actûs, & nihil actûs includens. Nos ergo non negamus materiam, dum constituit compositum physicum, esse re ipsa realem entitatem, quæ sit potentia, aut quod a forma sit in actu; sed quod negamus est eam secundum se, & sua essentialia præcisè consideratam esse ens in a[illegible], aut entitatem actualem; quia est tantum pura potentia receptiva, nihil actûs includens.

An materia sit absolutè Ens? an cum addito denominanda?

Diximus re ipsa; quia quoad modum loquendi & denominandi non debet dici ens nisi cum addito, scilicet ens in potentia, ut ex dictis quæstione præcedenti, & ex modo dicendis constabit. Quarè ad argumentum in forma, concedendum est antecedens; quia materia ut unita formæ, secundum quam rationem actualitatem unionis includit, componit actu totum; sed neganda est consequentia juxta prædicta.

An sit absolutè bona?

Per quod etiam ad confirmationem patet; quia etsi materia secundum se sit re ipsâ bona composito; attamen præcisè secundum se non est actu bona; quia non includit actum; & esse actu bonum est saltem effectus formalis alicujus actûs, ut ex D. Thom. dicebamus; sed tantùm re ipsa bona potentia, & ejus bonitas in puræ potentiæ bonitate consistit.

Quibus tamen addendum est cum D. Thom. 3. contra Gent. cap. 20. quod licet unumquodque sit bonum in quantum est ens, nihilominùs etiam materia non sit simpliciter & sine addito appellanda ens; Sed ens in potentia, attamen potest absolutè, & sine addito appellari bona.

Ens dicitur ab essendo & existendo.

Cujus rationem sic reddit S. Doctor; Quia ens absolutè dicitur, seu quod idem est, ut ipse D. Thom. locis citatis quæstione præcedenti se explicat, dicitur ab actu essendi, seu existendi, & ideò materia ex eo quod sit potentia ad esse, in quo ejus essentia consistit, non dicitur simpliciter ens: sed tantùm in potentia. At bonum (ut loquitur D. Thom.) etiam in ordine consistit, id est, non solùm aliquid dicitur bonum: quia est finis, vel quia est obtinens finem: sed etiam quia etsi nondum ad finem pervenerit, est tamen ordinatum ad finem: quia media suam etiam habent bonitatem. Materia ergò non potest simpliciter, & sine addito dici ens; benè tamen dici simpliciter, & sine addito bona propter ordinem, quam dicit ad actum, qui est finis & bonum ipsius. Vnde etsi passiones, quæ absolutè dicuntur, tam quo ad rem quam quo ad modum denominandi convertantur cum ente: non tamen est necesse id verificari quo ad modum denominandi in his passionibus, quæ respectivæ sunt, & aliquid extrinsecum connotant.

An potentia objectiva compleri semper debeat per actum?

Objiciunt Scotistæ tertiò, Quia potentia objectiva est potentia ad esse: ergo illud esse per quod talis potentia expletur debet habere rationem actûs, saltem entitativi. At expletur per positionem materiæ primæ: ergo ipsa actum entitativum includit. Prima consequentia patet: tùm quia potentia à nullo alio præterquam ab actu expleri valet: tum etiam; quia tot modis dicitur actus, quot & potentia. Ergo si ultra cæteras alias potentias datur potentia objectiva, debet etiam extra reliquos actus dari proprius actus illius quem entitativum appellamus.

An creatura possibilis sit nihil?

Confirmatur; id quod omninò est in potentia, est nihil: quia solùm dicitur esse, ex eo quod potest ab agente fieri: sed materia est extra nihil: ergo est aliquid extra puram potentiam, ac proinde aliquem actum includit, qui, ut constat, non potest esse alius, quam entitativus.

Pura potentia duplex, objectiva, & subjectiva.

Et respondent Thomistæ, patere omninò est dictis, quid dici ad tertiam rationem debeat, aut non debeat. Et ad Confirmationem respondturi supponunt dupliciter posse aliquid dici esse in purâ potentiâ. Primò in purâ potentiâ objectivâ, & quod sic est in pura potentia, est nihil. Secundò in pura potentia subjectiva, ad quod tantùm requiritur essentiam ejus consistere in hoc, quod sit pura potentialitas receptiva formæ, quod autem sic est in pura potentia subjectiva, potest optimè esse extra nihil, saltem in suo toto, non obstante, quod nihil actûs ex se includit, ut explicatum est.

Nota I.

CCCCXIII.

Materia Thomistica est realiter universalis.

Hinc infero Materiam-primam Thomistarum non solùm esse Ideam Platonicam,

cam, hoc est, entitatem realiter universalem, sed esse unitatem universalissimam, & coincidere cum ipsomet ente materiali: quod sic demonstro. Illa entitas prout condistincta à forma vel est singularis vel universalis subalterna vel genus summum. Si sit singularis, componetur ex specie & hæceitate, tanquàm ex potentiâ & actu: habebit ergo actum, quod negant Thomistæ. Si sit entitas specifica, habebit etiam actum; quia ex genere & differentiâ tanquam ex potentiâ & actu constituetur. Idem dicam, si asseratur esse genus subalternum. Superest igitur, ut dicatur esse genus supremum, quod cùm non componatur, ex genere superiori & differentiâ, nullum actum habere poterit.

Nota II.

An materia prima latius pateat, quàm Ens materiale?

HÆc sufficiunt ut ostendam Materiam-primam Thomistarum esse universalem à parte rei. Dixi illam non esse singularem, & benè: non esse speciem infimam, & benè: esse supremum genus, & hîc etiam benè. Sed quandò nomine supremi generis ens materiale ut sic intelligo, angor scrupulo, & ferè cogor Materiam-primam Thomisticam altiùs evehere & illi Ens supremum materiale subalternare. Sic discurro.

An Ens materiale habeat actum entitativum?

Si nomine *Materiæ-primæ* Ens materiale, hoc est, genus generalissimum, cujus species sunt decem prædicamenta materialia, intelligendum sit, Materia-prima Thomistica habebit actum metaphysicum seu entitativum, saltem negativum; Ens enim materiale ex ratione entis ut potentiâ & materialitate ut actu metaphysico & entitativo componitur: & si comparetur cum ente spirituali conveniet in ratione entis & distinguetur per materialitatem. Placet igitur has Theses proponere, quas alibi probaturi sumus.

Relege has Positiones, sunt enim multâ doctrinâ plenæ.

Prima. Ens supremum genus metaphysicum est pura potentia. Patet; si enim componeretur ex genere & differentiâ, seu ex potentiâ & actu, non esset genus supremum & generalissimum. *Secunda.* Si nomine *Entis* intelligatur aliquid additū supra rationē Entis generalissimā tale ens non est pura potentia. *Tertia.* Ens creatum in suâ ratione generalissimâ est pura potentia: ratio enim creaturæ consistit in negatione infinitatis & aseitatis, adeòque Ens creatum addit suprà Ens formalitatem negativam. *Quarta.* Ens creatum dividitur in materiale & spirituale. Spirituale est Ens habens spiritualitatem, Materiale est Ens carens spiritualitate. Ergo Ens materiale, secundùm summam suam latitudinem sumptum nullum actum positivum dicit. *Vltima.* Si Thomistæ, quando excludunt actum, etiam negativum excluderent, nomine *Materiæ-primæ* deberent intelligere conceptum Entis supremum Deo & creaturis communem: sed sic discurrendo millenis æquivocationibus se involverent: ergo quia tantùm excludunt actum positivum, nomine *Materiæ primæ* intelligere debent, velint nolint, Ens corporeum in summâ latitudine, prout est genus supremum & nullam differentiam positivam includit.

Materia prima non excludit actum negativum.

Hæc modò moneo, non edissero; tùm, quia ex præcedentibus videntur necessariò deduci: tum quia in Philosophiâ hanc eandem veritatem fusissimè sum dilucidaturus, toto illo libro, qui inscribitur *Schola Realis*; & etiam illo, qui inscribitur *Schola Negativa.*

Vtrùm Materia prima ad Thomistarum mentem habeat Vnitatem aliquam specificam? quod est iterùm quærere, *An materia-prima Thomistica sit supremum genus in ordine rerum materialium?*

An materia cœlestis & sublunaris distinguantur?

CCCCXIV. NOlunt Complutenses disputare de Materiâ cœlesti, sed solummodò de sublunari; quia de illâ agendum esse dicunt in libris de cœlo (& cur non etiam hîc?) & Ego morem illis geram tametsi non videam, quo jure altera materia ab alterâ possit separari: nam vel hæ duæ materiæ sunt ejusdem speciei vel diversæ. Si ejusdem, de utrâque eodem modo philosophandum erit. Si diversæ: Ergo convenient genere, & different differentiis oppositis, adeòque utraque habebit unitatem aliquam specificam. Quod si neutrum dicatur, debebit quæri aliquod tertium; & nullum erit assignabile, nisi asseratur Materiam primam esse ideam genericam veram & realem distinctam realiter à formis substantialibus, quæ sunt ejus differentiæ essentiales, quibus contrahitur. COMPLUTENSES igitur Materiam primam non habere ex se Vnitatem specificam positivam probaturi, notari jubent unitatem specificam, ut colligitur ex D. Thomâ 1. p. q. 16. art. 7. ad 2. & opusculo 31. esse duplicem, aliam positivam; aliam verò negativam. Tunc aliquid dicitur esse unum specificè positivè, quando habet in se principium, aliquod unde oriatur talis Vnitas ut patet in homine, qui includit in se animam rationalem ex qua tanquam ex primo, & radicali principio propria illius specificatio procedit. Tunc verò aliquid habet unitatem specificam negativam, quando non est plura specificè: quia non includit in se principium aliquod proportionatum per quod specificè plurificetur.

Quid sit habere unitatem positivam, & quid negativam?

An Vniversalia sint ubique & semper?

Et hoc ipsum illustrant & exponunt exemplo, quod adducit D. Thomas art. 7. proximè citato; his verbis: *Aliquid esse simpliciter & ubiq; potest intelligi dupliciter. Vno modo: quia habet ex se unde se extendat ad omne tempus & ad omnem locum, sicut Deo competit esse ubique, & semper. Alio modo; quia non habet in se quo determinetur ad aliquem locum, vel tempus, & per hunc modum quodlibet universale dicitur esse ubique, & semper in quantum universalia abstrahunt ab hic, & nunc.* [Meritò Complutenses D. Thomam allegant agentem de Vniversalitate, quando de unitate Materiæ-primæ dispu-

disputant, quoniam Materia-prima, ut diximus est realitas summè universalis.]

His ergo suppositis dicendum est quod, loquendo de unitate specificâ, & positivâ, tunc sive consideretur secundum suum esse reale objectivum, sive secundum quod practicum (ut ajunt) dicit ordinem ad existentiam, nullam habet secundùm se præcisè sumpta unitatem specificam, sed solam emendicatam à forma, & à toto. Hæc est Arist. 2. de Anima. text. 2. & 8. Metaph. c. 1. & D. Thom. ibid. lect. 1. super utrumq; locum, & 1. p. quæst. 16. art. 7. ad secundum his verbis: *Materia prima dicitur esse una; non quia habet unam formam, sicut homo est unus ab unitate unius formæ; sed per remotionem omnium formarum distinguentium.* Vbi solùm tribuit materiæ unitatem per remotionem omnis formę, ac proinde negativam, in hoc, ut diximus, consistentem; cùmq; ab eodem principio oriatur unitas positiva ex cujus remotione devenitur ad negativam, planè sequitur, quod omnis unitas positiva à forma, vel actu debeat provenire. Et ideò ut explicaret unitatem positivam materiæ, addidit S. Doctor: *Sicut homo est unus ab unitate unius formæ.* Quod etiam indicat opusc. 31. citato, quem sequuntur communiter Thomistæ: & ideò non est necesse singulos referre.

Cur materia dicatur una?

Et quidem materiam, secundum quod est proximè capax existendi, nullam habere specificationem positivam nisi à formâ, satis manet probatum ex argumentis pro secunda parte secundæ Sententiæ adductis, & ampliùs patebit ex dicendis infra quæstione sequenti. Sed nihilominùs quod secundum quodvis esse considerata, sit idem de illa quoad hoc dicendum, sic ostendimus.

CCCCXV. *Materia habet unitatem à formâ.*

Primò, ad hoc, ut aliquid secundum quodvis esse reale habeat unitatem specificam positivam, oportet ut habeat in se principium aliquod, unde talis unitas sumatur; ut nuper dicebamus. At materia secundum se præcisè considerata, non includit intrinsecè hoc principium; benè tamen si ut actuata per formam sumatur. Ergo secundùm se non habet unitatem specificam positivam, benè tamen ut formata per formam. Minor probatur; quia ut in logicâ diximus, cum differentia Metaphysica habeat rationem actûs metaphysici, & fundetur in entitate reali, & Physica debet desumi, tanquam à prima radice, ab aliqua entitate, quæ Physicè sit actus, sive informans sive subsistens. Sed materia prima secundùm suum esse Physicum est expers totius actualitatis, nisi consideretur ut actuata per formam, ut quæstione præcedenti ostensum est. Ergo nullam secundùm suum esse essentiæ præcisè sumptum; sed solùm per formam habet specificam & positivam unitatem.

Materia prima est similis generi: unde est genus?

Confirmatur, Ex eo quòd genus dicit gradum potentialem, ideò licet proximè sumatur, quoad suam potentialitatem à totâ entitate rei, prout habeat rationem contrahibilis, attamen tanquam à primo principio, & radice desumitur ab aliquo physico, quod vel sit pura potentia, scilicet materia prima, utpote quæ est prima, & postlima in ratione potentiæ respectu aliarum potentialitatum compositi, ac proinde mensura & prima ratio illarum, vel fuerit actus, requirit tamen tanquam saltem conditionem, quod habeat aliquid veræ potentialitatis admixtum. Ergo similiter ex eo quod differentia dicat gradum Metaphysicum actualem, non poterit ut à primâ radice desumi, nisi ab aliquo quod Physicè habeat rationem actûs, sive informantis, sive subsistentis; & ex consequenti cum materia ex se nullum habeat actum, ut probatum est, non poterit secundùm se, & præcisè sumpta componi ex genere & differentiâ.

Antecedens licet ex se pateat, nihilominùs potest sic ampliùs declarari. Nam ideò Deus nequit fundare duplicem rationem Contrahibilis, & generis, & alteram contrahentis, & differentiæ: quia est expers totius veræ potentialitatis: & Angeli, qui sunt forma, & actus completi nisi haberent potentialitatem aut terminabilitatem in ordine ad subsistentiam, vel existentiam, non possent constare ex genere: ergo, &c. quæ omnia unico verè verbo complexus est D. Thom. 1. p. q. 15. art 1. ad 2. dicens: *Materia prima est potentia pura: sicut Deus & actus purus.* Unde sicut Deus non habet unde sumatur compositio metaphysica generis, & differentiæ; ita nec materia prima.

An materia sit species saltem incompleta?

Secundò probatur assertio: si in materia esset aliqua Species positiva incompleta, & infima, deberet reduci ad aliquam completam, & infimam: nam sicut species imperfecta ad perfectam ita species incompleta infima, ad completam, & infimam reducenda est. At materia secundùm se, & præcisè sumpta ad nullam speciem atomam potest reduci: ergo, &c. Minor probatur: quia non potest pertinere ad omnes, cùm earumdem naturam non participet, nec ad aliquam in particulari: quia non est major ratio, ob quam ad hanc potiùs quam ad illam spectet: quandoquidem non nisi ut determinata per determinatam formam pertinet ad speciem determinatam; ergo, &c.

Materia prima dupliciter consideratur, vel ut cognoscibilis, vel ut producibilis.

Ex quibus inferendum & dicendùm est secundò. Si materia prima consideretur ut ad ordinem practicum existibilem pertinet, seu ut est proximè capax ad existendum, tunc specificatio positiva, quam habet à formâ, est illi omninò intrinseca, & essentialis. Si verò absolutè, & simpliciter sumatur, tunc specificatio prædicta, etsi non sit illi essentialis; non tamen est dicenda extranea, & omninò accidentaria; sed potiùs valdè connaturalis.

Prima pars hujus assertionis est valdè consona D. Thom. 1. p. qu. 66. art. 1. & sequitur apertè ex dictis: quia implicat materiam existere, nisi priùs habeat prædictam specificationem, per quam sit proximè capax existentiæ, Ergo in ordine ad existentiam hæc specificatio est intrinseca, & essentialis illi.

Materia sine formâ non potest esse singularis.

Ex quo etiam sequitur major confirmatio assertionis pręcedentis, nam quod non potest esse propriè individuum existens etiam incompletum, nisi ulteriorem individuationem

ab alio

ab alio recipiat, non poteſt habere ſpecificationem poſitivam etiam incompletam; quandoquidè cuivis ſpeciei reali poſitivæ proportionatum individuum, & exiſtens, ſive per propriam, ſive per alienam exiſtentiam correſpondet.

Imò neque univerſalis ſpecifica.

Secunda verò pars ſolùm indiget explicatione: quia prædicta ſpecificatio provenit materiæ ab actu ſibi connaturaliſſimo qui eſt prima illius actualitas. At quod ſic eſt connaturale, nō poteſt eſſe extraneū. Adde, quod ſi ſpecificatio poſitiva eſt illi eſſentialis, ut ad ordinē practicum exiſtibilē (ut verbis aliorū utamur) pertinet, non erit illi abſolutè ſumptæ extranea: quia ſpecificatio omninò requiſita ut res aliqua ſit capax exiſtentiæ non eſt cenſenda extranea reſpectu illius. Vnde materia etiam per modum partis cenſetur dimidium ens, uſque dum habeat talem ſpecificationem: quia ſemper cenſetur res aliqua eſſe dimidium ens etiā per modū partis, uſq; dū ad ordinē practicū pertinere intelligatur.

Species duplex Intrinſeca, & extrinſeca. Subſtantialis & accidentalis.

Sed objicies, ſequi inde, quod eadem entitas materiæ ſit diverſæ ſpeciei intrinſecæ; ſed hoc eſt impoſſibile: ergo, &c. Minor patet: quia etſi una, & eadem res poſſit pertinere ad duplicem ſpeciem accidentalem non tamen ad duplicem intrinſecam, alioquin eſſet, & non eſſet idem. Sequela verò probatur: quia eadem entitas materiæ non poteſt eſſe ſub duplici formâ ſaltem ſucceſſivè. Ergo ſi ſpecificatio, quam habet à formâ, eſt illi intrinſeca, & non adventitia, jam idem manens idem, eſſet modo hujus modo illius ſpeciei intrinſecæ. Confirmatur: id quòd eſt prius alio, non poteſt plurificari ſecundùm ſpecificationem ſibi intrinſecam per id quod eſt poſterius. At materia prima præcedit formam: ergò, &c. major ex ſe patet: quia quod eſt prius alio, habet ea, quæ ſunt ipſi intrinſeca antequam aliud ſit.

Vtrùm eadē realitas poſſit pertinere ad plures ſpecies intrinſecas?

Reſpondetur, quod etſi res aliæ, quæ ex ſe ſunt poſitivè Vnæ, non poſſint ſucceſſivè eſſe diverſæ ſpeciei intrinſecæ, ut conſtat; benè tamen materia propter ſpecialem rationem, quæ in ea procedit; quia cum non habeat ex ſe, niſi eſſe unam negativè, ut jam oſtendimus, & unitas ſpecifica negativa conſiſtat in hoc, quod res, quæ dicitur una, non ſit ex ſe plures, poſſit tamen plurificari: quia eſt unitas puræ potentiæ, ac proinde non potentis proximè eſſe ſuſceptivam actualitatis niſi ſpecificationem à formâ recipiat: inde eſt ut eadem entitas materialis ejusdem materiæ, materialiter ſumpta poſſit trahi ad plures & diverſas ſpecificationes poſitivas, juxta pluralitatem formarum, quia ejus eſſentia conſiſtit in potentialitate ad plures ſpecificationes ſucceſſivè, licet ex ſe nullam habeat.

Vnde ad confirmationem reſpondetur, concedendo majorem de eo, quod eſt prius, & unum, & exiſtens poſitivè; non tamen ſi eſt tantùm pura potentia, & unum negativè, & à poſteriori habeat eſſe in actu: quia tunc conſiſtit in quadam capacitate, ut recipiat ab illo poſteriori ſpecificationem poſitivam intrinſecam.

Vtrùm Materia-prima ad eorumdem Thomiſtarum mentem habeat aliquam unitatem ſpecificam negativam?

Dicendum eſt, ſi loquamur de Vnitate ſpecifica negativâ, quòd tunc materia ſe- CCCCXVI. *Reſolutio.*
cundùm ſe ſumpta, tam ſecundùm ſuum eſſe reale objectivū, quā ut remotè eſt ſuo modo ſuſceptiva exiſtentiæ, habeat propriā ſpecificationē negativam. Hæc eſt D. Thom. ubi ſupra, & communis inter Thomiſtas, & colligitur apertè ex dictis: Quia tum aliqua res habet unitatem ſpecificam negativam, quando non eſt plures ſpecie: quia nimirùm non includit in ſe principium aliquod proportionatum, unde talis ſpecificatio & plurificatio ſumatur. At hoc reperitur in materia: quia ut diximus principium hoc debet eſſe aliquis actus quem materia ſecundum ſe præcisè conſiderata non includit: ergo, &c.

Quid ſit unitas ſpecifica?

Sed objicies primò. Materia prima eſt ens poſitivè: ergo & una: quia unum eſt paſſio entis: ergo & erit una ſpecificè. Patet hæc conſequentia, quia eſſe unum ſpecificè nihil eſt aliud, quàm eſſe unum eſſentialiter. At quidquid eſt unum ens, eſt unum eſſentialiter: ergo ſpecificè; & ex conſequenti non habebit ſolam unitatem negativam: quia cùm unum ſit paſſio entis, & eo modo illi convenit, ſicut ratio entis.

Duplex modus loquendi de unitate.

Reſpondetur, quod aliud eſt loqui, quod optimè notavit Maſius in præſenti Capite 9 ſect. 2. quæſt. 13. de unitate tranſcendentali, & analoga, prout præciſè importat entitatem non diviſam; & hoc modo concedimus materiam habere unitatem poſitivam: aliud verò de unitate hac peculiari, ſcilicet unitatè ſpecificâ poſitivâ ad quam non qualiscunque entitas ſufficit; ſed entitas quæ ſit actus, vel includat actum. Vnde non mirum quod materiæ primæ prædictam Vnitatem poſitivam negemus, & ſolum tribuamus ei unitatem ſpecificam negativam, ac proinde capacitatem, & unitatem poſitivam recipiat.

Omne negativum reducitur ad ſuum poſitivum.

Secundò objicies; ſi materia ſolùm habet unitatem ſpecificam negativam, cùm omne negativum reducatur ad ſuum poſitivum non poterit non reduci ad aliquam ſpeciem poſitivam: at nequit reduci ad aliquam: ergo neque habere hanc unitatem negativam. Minor patet; quia non ad aliquam ſpeciem ſubalternam, ſcilicet ſpeciem corporis; quia hæc non eſſet proportionata reductio; neque ad aliquam infimam: quia non eſt major ratio, ob quam ad hanc potiùs, quam ad aliam ſpectet; imò ad nullam ſpectare poteſt: quia materia non reducitur ad ſpeciem formæ; niſi ut informata per illam: hic autem loquimur de materiâ ſecundum ſe, ut nudâ ab omni forma: ergo, &c.

Reſpondetur, quod materia, ſicut non habet unitatem ſpecificam poſitivam; ita nec genericam; quia hæc ſaltem proximè debet etiam ab actu deſumi, ut in Logica dictum eſt. Vnde ſi loquamur de unitate generica ſolam habet unitatem negativam. Hoc ergo ſuppo-

ſito

sito dicimus; quod reducitur ad speciem positivam non quidem positivè, sicut species positiva imperfecta ad positivam perfectam; sed sicut id, quod est unum negativum, reducitur ad suum positivum: ac proinde negativè.

An materia prima sit una genericè?

Nam sicut quia non est una genericè, potest tamen recipere hanc unitatem, reducitur ad speciem positivam genericam, cujus est capax: ita quia non habet ullam unitatem specificam, licet possit successivè habere omnes, reducitur ad omnes. Et licet materia non reducatur positivè ad speciem hominis. v. g. nisi actuata per formam hominis: benè tamen negativè, quatenus nimirùm importat carentiam illius una cum capacitate ad ipsam.

Thomistæ secundæ sententiæ satisfaciunt.

CCCC XVII.

An materia sit una specie inadæquatè?

SEntentia, quæ opponitur D. Thomæ & ejusdem florentissimæ Scholæ, asserit Materiam primam esse unam specie, non quidem completâ: sed incompletâ: sicut etiam ipsamet quid incompletum est. Et licet hanc ut primam & propriam, ac invariabilem speciè materiæ assignent, addunt tamen pro diversitate formarum tot habere species extrinsecas, & adventitias quod fuerint formæ diversæ speciei, quibus unitur. Ita Suarez. 1. tom. metaph. disput. 13. sect. 5. num. 8. & plures alii.

Fundamentum, quoad primam illius partem est: quia potentia quævis desumit speciem ab actu, seu ab objecto adæquato, ad quod dicit habitudinem, ut omnes concedunt; sed omnes sublunares materiæ respiciunt eundem adæquatum actum: ergo una erit earundem species. Minor probatur nam quævis portio materiæ respicit formam amissibiliter informantem, saltem vagè sumptam, tanquam id in ordine ad quod propria natura, & species materiæ desumitur, ideòque quælibet portio eadem perseverans potest quâcumque amissibili forma informari. Ergo actus adæquatus cujuslibet materiæ sublunaris, unus & idem est, & ex consequenti omnes illæ erunt idem secundum speciem.

Sublunaris & cælestis materia comparantur.

Confirmatur: materia sublunaris convenit omninò cum materia cælesti in ratione puræ potentiæ & distinguitur essentialiter, & ultimo ab illa, per hoc quod respicit actum amissibilem, ut nuper dicebamus; secus verò cœlestis. Ergo conveniunt genere, & distinguuntur specie: & ex consequenti materia sublunaris habebit propriam unitatem specificam.

Secundam vero partem sic probant: quia sicut materia habitudinem per se dicit ad formas substantiales, ut rationem amissibilium habent, sic per accidens easdem respicit, secundùm quod talis, vel talis speciei sunt, scilicet ut una est forma hominis, alia leonis, &c.

Et ad hæc clarissimè Thomistæ respondent; quod ad unitatem specificam positivam non sat est respicere actum, si illæ respectus sit puræ potentiæ; & in pura potentialitate consistens; quia per hoc nihil actus intrinsecè includit, quamvis talis respectus sufficiat ad unitatem specificam negativam. Et considerare poterimus *Animal*, quod licèt respiciat rationale, non ideò habet unitatem specificam positivam, hanc enim habet homo ex animali & rationali constitutus.

Utrùm à materiis possit abstrahi ratio communis?

Ad confirmationem negant, posse omninò abstrahi rationem materiæ ab omnibus materiis, ac proinde ratio illa abstracta non erit una simpliciter; sed solùm una analogicè, ut optimè notavit D. Thom. 1. part. qu. 66. art. 2. in fine corporis. Et ratio est aperta ex dictis: quia ut detur omnimoda abstractio, & consequentur ut ratio abstracta sit univoca, requiritur, quod in re, quæ abstrahitur, detur fundamentum ad formandum duplicem conceptum quorum unus habeat rationem differentiæ contrahentis; alius generis contrahibilis. At in materia, sicut non datur secundum se aliquid actûs, quod per modum primæ radicis fundet conceptum differentiæ, & suo modo sit fundamentum conceptus generici; ita neque adest fundamentum ad duplicem conceptum formandum.

An duæ differentiæ distinguantur totaliter? An etiam duæ materiæ?

Vnde sicut differentiæ inter se distinguuntur se totis; quia sunt conceptus simplices, & impartibiles in duos conceptus, quorum unus possit abstrahi ab alio: ita duæ materiæ secundum se, & præcisè consideratæ eodem modo distinguuntur, quamvis cum his cohæreat, non esse necessarium, ut dictæ materiæ concipiantur expressè, secundum id, in quo inter se distinguuntur; sed possint concipi secundum id, in quo conveniunt, quamvis ibidem actu involvatur implicitè ratio illa, in qua distinguuntur, ut constat ex his quæ in logica diximus.

Animal hominis. Animal equi.

Faciliùs ego me expeditem ab hac difficultate dicendo, materiam sublunarem à cœlesti distingui, ut Animal hominis ab Animali equi: nam si nomine materiæ cœlestis intelligimus compositum ex materiâ & formâ cœlesti, tunc specificam (aut majorem, si velis) distinctionem admittam: non verò, si solam materiam.

An unum & idem Animal sit in utroq.?

Nam eodem modo de Animali humano discurrere debebo: si enim hoc nomine Hominem intelligo; distinguitur specie ab Animali æquino, seu Equo: sed, si solùm rationem Animalis considero, distinctionem nego, & unum & idem (nempè, genericè) Animal esse in Homine, Equo, &c. pronuncio.

Thomistæ respondent tertiæ sententiæ.

CCCC XVIII.

Esse reale duplex.

SEcunda sententia est cujusdam Iunioris, qui ut suam explicet, supponit, quod esse reale potest sumi dupliciter. Primò pro esse reali objectivo, quod tantùm exprimit realem, & intrinsecam connexionem prædicati eum subjecto, & hoc quod est posse & vitalis esse, & sine beneficio intellectûs terminare realem cognitionem: quamvis pro fundamento requirat quod in virtute alicujus causæ contineatur. Secundò pro esse reali ut executioni mandabile est; ac proinde prout

exprimit practicum (ut ipse loquitur) ordinem ad existentiam. Hoc ergo supposito inquit; quod si materia prima sumatur secundum suum esse reale objectivum, habet propriam specificationem, incompletam tamen: & eidem sic consideratæ extrinseca, & accidentalis est specificatio, quam à forma participat. Si verò sumatur prout executioni mandabilis est ut existit dicitve prædictum ordinem ad existentiam; tunc non habet propriam specificationem; sed tantùm à forma & composito: quoad primam partem, in qua convenit cum prima sententia, probat illam ejusdem argumentis, quibus præcedens nititur.

Quo sensu materia prima habeat unitatem specificam positivam: & quo non habeat?

Quoad secundam verò sic suadetur: primò: nam materia prout à parte rei existit, specificatur à formâ, & composito. Ergo ut existens practicumve dicit ordinem ad existentiam, non potest à specie totius abstrahi, ac proinde neq; propriam sibi speciem habere; aliàs simul secundum eandem rationem esset in duplici specie incompleta, altera quę suam entitatem, altera quæ formam & compositum sequatur. Antecedens probatur: quia forma non dat materiæ effectum formalem secundarium, scilicet esse existentiæ, nisi quatenus priùs natura dedit effectum primarium, qui est constituere illam in specie, cujus ipsa forma principium est. Ergo hæc specificatio est in materia omninò intrinseca & essentialis, in ordine ad recipiendam existentiam.

Actus non dat effectū secundarium nisi priùs dederit primarium.

Confirmatur nam existentia creata v. gr. equi vel leonis, (hæc enim sola potest esse effectus formæ) tantam habet cum Equo commensurationem; ut per illam non possit existere nisi equus, & ea, quæ ad illum ut talem intrinsece pertinent: & ideò communiter Theologi 3. p. q. 3. art. 1. dicunt cum S. Thom. proprium esse solius personæ divinæ assumere sibi ad subsistendum, vel existendum alienam naturam. At materia prima si secundum se, & omninò nuda consideretur, non est propria equi potius quam leonis, &c. nisi quatenus effectus primarius formæ equi eidem tribuitur. Ergo nequit illi existentia Equi à forma prodeunti communicari, nisi quatenus prius naturæ effectus primarius, scilicet prædicta specificatio illi concessa est.

Et respondent Thomistæ hæc non urgere, sed ex dictis universa dissolvi; constat enim ex superiùs positis quomodo Materia, habet unitatem specificam atomam positivam: non enim est accidentale, quod habeat formam v. g. humanã: & in quo sensu hæc specificatio sit illi intrinseca. Ad fundamenta pro secundâ sententiâ, quoad primam ejus partem patet ex dictis. Quoad secundam verò probant nostram secundam conclusionem.

Vtrùm Materia-prima ad mentem Thomistarum habeat Vnitatem numericam?

Poterat intermitti ista quæstio, ipsa enim ferè decisa manet ex præcedenti, sed quia illam Complutenses adjungunt, illam ego aut subscribo aut exscribo. Proderit penitiori veritatis notitiæ, & menti Aristotelis & D. Thomæ meliùs & certiùs indagandæ.

Thomistarum resolutio est Materiam-primam secundum se & ex solis suis meritis non habere unitatem numericam positivam; sed tantùm negativam. Ita D. Thom. quæst. 16. primæ partis citatâ, & opusc. 31. & in 1. dist. 2. quæst. 1. art. 1. ad 3. Et communiter Thomistæ. Et ratio est manifesta ex dictis: quia unitas numerica, & specifica cujusvis rei debent esse inter se proportionata, sed materia prima secundum se nullam habet unitatem specificam positivam, sed solùm negativam: ergo idem dicendum erit de numerica. Diximus secundum se & ex solis suis meritis: quia modo non discutimus, utrùm materia præter hanc unitatem numericam negativam habeat aliam positivam à forma vel à sigillatione ad certam quantitatem: quia hoc pendet ex pluribus in lib. de generat. circa principium individuationis dicendis: & ideò ibidem hoc explicandum erit.

Quæstio resolvitur.

Ex quo inferendum & dicendum est secundò, omnem materiam primam sublunarem secundum se, seu præcisè sumptam esse unam, & eandem numero negativè, ita ut non sit plores numero. Hæc est D. Thom. opusc. 31. citato in hæc verba: Sciendum est quod materia prima dicitur una numero in omnibus. Patet etiam ex dictis: quia si præcisè consideretur, non habet unde distinguatur numero: quia non includit actum: Ergo omnes illæ sunt una numero materia negativè: id quod etiam docent communiter Thomistæ.

Omnis materia est una numero negativè.

Thomistæ occurrant opinioni contrariæ.

CCCCXIX. Unitatem numericam adfingunt Materiæ primæ omnes illi, qui unitatem specificam (adæquatam aut inadęquatam,) voluntq; inter specificam numericamq; debitam proportionem servari: & hanc ob rem existimant Materiæ primę, si habeat unitatem specificam completam, deberi unitatem numericã completam; & si habeat specificam incompletam, numericam incompletam deberi.

Quomodo unitati specificæ individualis correspondeat?

Et primò probant, Quia Materia prima ex se habet componere Ens naturale, non solùm ut est unum unitate specificâ, sed etiam ut est unum unitate numericâ: Ergo ex se est quid singulare; & ex consequenti habet suam unitatem numericam. Vtraq; consequentia patet: quia singulare, ut singulare, non constat nisi ex partibus singularibus, ut tales sunt ac proinde habentibus unitatem numericam. Antecedens verò etiam constat: quia ut ex dicendis infra disp. 6. ex Arist. & D. Thom. patebit, sicut materia & forma in communi, constituunt ens naturale in communi: ita hæc materia & hæc forma pertinent intrinsecè ad hoc ens naturale, ut singulare.

Quid & quomodo componat materia prima.

Secundò: omnes materiæ sublunares secundum se sumptæ distinguuntur ab invicem numero: ergo quælibet habet suam unitatem nume-

Quomodo sublunares materiæ distinguantur?

numericam. Patet consequentia; quia sicut distinctio est inter unum, & unum; ita distinctio numerica inter unum, & unum, quorum quodlibet sit unum numero. Antecedens probatur tum quia alia est materia in Ioanne, & alia in Francisco &c. tum etiam, quia si omnes materiæ sublunares essent una numero, cum omnes formæ sint in eis tanquã in subjecto: fieret inde plures formas substantiales non solùm numero, sed etiam specie diversas, esse simul in uno, & eodem numero subjecto; quod ut constat, & infrà dicemus, implicat: imò, & hinc fieret nullam posse esse transmutationem, si quidem una, & eadem materia haberet omnes formas. Confirmatur; quod est commune pluribus secundum prædicationem non est unum numero: sed materia prima est communis pluribus secundum Prædicationem, ut si dicas: hæc materia est materia: ergo. &c. Confirmatur tandem; unum numero est incommunicabile, ut quis & ut quod: sed materia communicatur pluribus individuis, de quibus prædicatur: ergo, &c.

De unitate positivâ & negativâ. Et respondent ad primum Thomistæ; Quòd, ut aliquid constituat ens naturale & singulare per modum puræ potentiæ, satis est esse unum numero negativè, & capax suscipiendi unitatem numericam positivam, sive à forma sive à sigillatione ad illam, & ad certam quantitatem, &c. & ostenditur, quia Petrus componitur ex ratione hominis specificâ & singularitate: & tamen ratio illa specifica non est singularis positivè. Ad secundum pater ex dictis nihil convincere, si semel attendatur, tùm ad unitatem negativam numericam, quam materia ex se habet, tùm etiam ad positivam, quæ ei à toto communicatur. Vnde ad primam probationem dicimus, materiam ut existit à parte rei, & ut habet unitatem positivam, esse multiplicem numero; secundum se tamen, & negativè esse unam numero. At ut nihil obest, puram potentiam, quæ ex se non est plures numero, ac proinde est negativè una, plurificari per formam, per quod etiam patet ad secundam probationem: quia etsi obsit plures formas substantiales esse in una materia, quæ sit una numero, tam positivè quam negativè, non tamen in unâ negativè, & positivè pluribus. Neq; hinc, ut patet, tolletur transmutatio rerum. Ex quo etiam ad primam confirmationem constat: quia materia sublunaris solùm prædicatur de pluribus materiis differentibus numero positivè, ut cùm dicimus *Materia Petri est materia*. Ad alteram confirmationem Respondetur, quod idem numero positivè, & in actu est incommunicabile, non autem idem numero negativè, & in potentia.

NOTA.

Conclusionum conclusio. HÆc omnia & singula, quæ de Materiâ primâ dicta, dici poterunt & debebunt de quolibet conceptu generico: considera Theses sequentes. *Sit Prima:* Genus supremum caret omni actu metaphysico, seu entitativo. *Secunda*: Idem genus supremum est pura potentia. *Tertia*. Genus supremum caret unitate specifica positivâ. *Quarta*. Genus supremum est unum specificè negativè: patet; quia non est plura speciè positivè. *Quinta*; Nullum prædicatum universale (genericum sit aut specificum) habet unitatem numericam seu individualem positivè. *Sexta*. Omne prædicatum universale est unum numericè negativè: patet, quia non est plura singularia positivè: *Stat ergo*, Materiam-primam Platonicam esse Ideam quamdam Platonicam, & realitatem universalem à parte rei: quod fuerat demonstrandum.

ARTICULUS X.

An Clarissimus & Magnificus Vir Ioannes Marcus Marci Ideas Platonicas, hoc est, Formas universales adstruat?

INter alios excellentissimos Doctores, qui Vniversitatem hanc Pragensem, & Bohemiam universam honorant, imprimis recensendus est mihi Ioannes Marcus Primarius Medicinæ Professor, qui sicut de Materiâ Thomistæ, sic ipse de Formâ etiam philosophatur. Anno M DC XXXV. operatrices evulgavit Ideas, supra Vulgi cothurnum, quę multorum invidiam excitarunt; quæ accusatæ, revisæ, examinatæ, & à Viris Maximis approbatæ cum majori gloriâ & applausu prodierunt. Liber est aureus, Pragæ impressus; illis solùm ingratus, qui præter vulgatam Philosophiam nihil intelligunt: legi potest; *Idearum Operatricum Idea* dicitur, & multa varia, subtilia, & optimis ingeniis digna continet: at totus, quantum mea interest, ad Synopsin reducitur in Prologo, qui inscribitur *Defensio Idearum, adversus adulterinas & suppositas Ideas*, quem subjicere volo, ut nota omnibus sit Doctissimi Viri sententia. CCCCXX. *Qualis sit Ioannes Marcus. Ejus liber de Ideis.*

Ideæ seu Formæ realiter universales propugnatæ ad mentem D. Thomæ & Platonis.

Ioann. Marc. in Idearum Prolog. UT Ideas ab invidis & indoctis traductas Ioannes Marcus tueatur, sic proloquitur. [Dum hæc prælo cuduntur, accidit præter opinionem, ut, rumore nescio quo, hic meus Tractatus doctrinam perabsurdam, & à Fide Sanctâ alienam continere vulgaretur. Qui rumor à levibus initiis eousque processit, ut etiam venerabile consistorium in suspicionẽ veniret, librumque à Theologis revidendum censeret. Quod etiam factum. Intereà veluti hæreticus & infamis, & quioleum & operam perdidisset, ludibrio habebat. Tametsi verò gravissimorum virorum censurâ, qui librum legerunt, & cum quibus pleraq; hic controversa differui, rumor hic notatus evanuit: siquidem, teste Hieronymo, *falsus rumor citò opprimitur*: quia tamen hæc suspicio in quorundam animis altè insedit, quæ à libri lectione avertere posset: visum fuit paucis præfari, & cujusmodi Ideas intelligamus, quæ adeò crudæ quibusdam visæ, ut necdum concoquere possint, & quo fundamento à nobis inducan- CCCCXXI. *An Ideæ Fidei Orthodoxo opponantur? Rumor citò sopitur.*

An Ideæ sint increata & æternæ?

ducatur, breviter explicare. Suppono autem hic utramq; naturam, corpoream nimirùm & spiritualem, virtute omnipotentis Dei ex nihilo creatam esse, quemadmodum SS. Concilia definiunt. Solus enim qui regnat in æternum, creavit omnia simul.

An creatio à conservatione distinguatur?

Entitas igitur individua & simplex à Deo proximè creata, à solo Deo conservatur in illo esse, quod habet per creationem, eadem actione continuatâ:

An creatura annihilare queant?

neque ab illa creatura annihilari potest: quia neque illius Creator cogi, vel impediri potest ab illa actione, qua conservatur, cujus subtractio est annihilatio.

An Ideæ sint incorruptibiles?

Cùm ergò formæ rerum omnium ex nihilo sint productæ per creationem, illud quidem esse, quatenus à creatione pendet, dicimus non posse annihilari ab Ente creato.

An materia sit Deo coæva?

Neq; enim cum Aristotele sentimus, qui creationem ex nihilo ignorans, materiam finxit Deo coævam, ex cujus mirabili & inexplicabili potentia formæ omnes truderentur. *Formæ* ergò à solo Deo creatæ, aliud esse habent in materia, à Deo simili modo creatâ: in quâ sua accidentia operantur, & per sensibiles signaturas suas ideas radicales & essentiales adumbrant.

Quid sint Ideæ?

Ideas aptè vocamus, non prout nobis imponunt, & insensè in sensum reprobum trahunt: quia si quis intuitivè mentis oculo cerneret hujusmodi formas in illis corpora visibilia, omnesque accidentia & perfectiones, quas formæ in subjecto operantur, veluti in prototypo relucerent. Vnde anima leonis dicitur idea sui corporis, quia per suam essentiam habet, ut in subjecto in hujusmodi corpus organicum, quale leoni, & non bovi debetur, perficiatur.

Quo sensu generabiles sint & corruptibiles?

Secundùm ergò hoc esse, quod habent formæ rerum in subjecto, generabiles & corruptibiles dicuntur: nam quæm materia omnibus communis, nequit omnibus simul servire ad contrarias motiones: unde quæ fortius operatur, subjectum alteri præripit, negataq; actione, quæ est retinaculum formæ, excludere illam videtur.

De coexistentiâ formarum.

Possunt verò tot formæ essentiales coëxistere in uno eodemq; subjecto, quot esse possunt actiones non contrariæ: ut si v. g. forma hæc lucis, illa caloris sit productiva, quia calor luci non adversatur, utraque in eo esse potest.

An formæ opponantur inter se?

Absurdè verò sentiunt, qui dicunt formas sibi adversari ob indigentiam propriæ essentiæ: siquidem omnis entitas seipsâ perficitur, & nihil extra se habet; neq; à se ipsa dividi, aut deficere potest.

An anima divisibilis fieri possit?

Est verò hujusmodi forma, quemadmodum rectè docet D. Thomas, in animalibus perfectis, & D. Augustinus, etiam in iis, quæ dicuntur insecta, ex se individua & impartibilis entitas: siquidem ab essentiâ inseparabilis est unitas. Et quâ ratione individuæ actiones, qualis visio, auditio, imaginatio in re individuâ fundari possunt?

An corruptis omnibus individuis Idea, seu natura communis & universalis corrumperetur?

Sicuti ergò per replicationem individuæ naturæ subjecto quanto & corporeo coëxtenditur, ita per illius divisionem numerum subit, & in plura individua multiplicatur. Et simili modo individuis corruptis, numerus decrescit; quod enim per se se non habet, neque per se amittere potest. Quod si verò omnia individua unius speciei corrumperentur, non propterea illa entitas formæ, quam à solo Deo creatam ponimus, corrumperetur, intellige viribus naturæ: nam quid Deus sit facturus, ignoramus. Verisimile tamen illas essentias ad perfectionem mundi pertinere: in quibus omnia accidentia, & omnia individua potestate & eminenter continentur. Et quia in Deum non cadit suorum operum pœnitudo. Deinde verò cur hæ majoris perfectionis deficiant, non etiam

An creatura durabunt in æternum?

formæ elementorum? quin ex Scripturis hoc videtur constare: *Cognovi* inquit Ecclesiastes *quod omnia opera, quæ fecit Deus* (nempè per creationem) *durant in æternum*. Et Divus Paulus: *Omnis*, inquit, *creatura subjecta est vanitati non volens, propter illum, qui subjecit eam*, &c. Vbi dicitur omnis creatura expectare alium statum corruptionis expertem: nimirum in illâ simplicissima essentiæ unitate, non jam generationi & corruptioni subjectâ.

An Scotus sit Platonicus?

Nobiscum verò hic sentit Doctor subtilis, qui dicit unitatem formæ per se convenire priusquam ad individua contrahatur, eamq; etiam in individuis retinere. Quod enim, inquit, convenit rei per se, semper & ubiq; convenit.

Vbi sint formæ separatæ?

Verùm hic nimium solicitos quosdam video, quo in miram loco constituant formæ à suis subjectis separatæ, ita profectò ut interire illas malint, quàm diversoria ignorari. An, inquiunt, si primus leo, priusquam generavit alium leonem, interiisset, anima leonis à corpore separata, huc illuc oberrasset, an certo alicui loco veluti affixa hæsisset?

CCCC XXII.

Quid sit animal interire vel mori?

Respondeo, quando dicitur leo interire, vel mori, hoc solùm per illa vocabula designari, nimirùm desinere esse illud animal, quod fuit, quemadmodum gemma contrita desinit esse gemma, & herba contusa, non est jam herba: nihil tamen in his perit essentiale: ita in animali dum moritur, non

An anima materialis separetur à corpore?

est necesse illius animam interire, aut à subjecto separari: sed præcipuas signaturas, quibus noscitur esse animal, tum aboleri; quas nimirùm est vita animalis, quam in æthereo igne fundari diceb imus, substantia nimirum ex se, & perpetuò mobili, quemadmodum illam rectè censet Capivaccius.

Quid sit vita?

Reliquæ autem signaturæ cum formâ, à qua inseparabiles sunt, etiam in corpore demortuo superesse possunt. Quæ in quibusdam corpus deperditum reassumit, & Phœnicis in modum regeneratur.

An sit possibilis regeneratio?

Ex hujus verò ignorantia multi in errorum labyrinthos inextricabiles sunt dilapsi, dum specificas rerum vires, & individuas proprietates in demortuis superesse vident: qua ratione verò insint, & veram radicem ignorantes.

An doctrina physica pendeat ab experimentis?

Itaque opiniones comminiscuntur adeò absurdas, ut graviùs quàm ictus mallei aures feriant eruditorum: quos tamen ipsi, quia dissimiles pro ignaris habent. Causa autem hujuscemodi errorum, quia hi de naturâ disputant naturâ inconsultâ, quam credunt suis opinionibus posse mutari: quid ergò mirum ea comminisci, quæ neq; sunt, neq; esse possunt in natura rerum? Si proprius naturam aspexissent, & opera illius artis, quam ipsi oderunt, & ad cujus nomen horrent, sine quâ tamen nequit conspici natura

nuda

nuda & sine veste, qualisque suis amatoribus videri solet consuluissent, quàm aliter essent a recti, quàm pudeter suarum opinionum,

Imperiti severè condemnare solent, quæ non intelligunt.

quam detumeretur in sua inani & falsa Philosophia! Vno ictu rueret in antiquum Chaos cum suis fundamentis illorum Physica. Quid ergo mirum si pro hæreticis habemur, si veluti absurdæ rideatur nostræ opiniones in ipsa natura fundatæ & stabilitæ, quia dissident ab illorum, qui nihil sunt experti, phantasia: non enim hæc nostra ad veram cotem, ipsam nimirùm naturam affricant: sed ad suas inveteratas opiniones expendunt. Quod

Mors non est animæ separatio.

autem diximus posse animali demortuo illius animam in corpore superstitem esse, alibi quidem fusiùs à nobis demonstratur: hic obiter uno exemplo rem declaramus. Ser-

An reviviscat serpens?

pentem minutim concisum, aut etiam contusum, optimè mortuum dicent, nullum enim indicium, aut vestigium vitæ: at hæc eadem

An rana?

massa demum putrescens in novos animatur serpentes. Quis hic Mercurius animam ex

An putredo producat animam?

Orco reducit? Ranæ hyeme in limum resolutæ, unde vere novo aliæ renascuntur: unde hæc forma rediviva? A putredine inquiunt. O Proteum in tot formas, & mille sexus variabilem! & cùm putredo non sit anima, ram verò producat, erit sanè nobilior quàm sit anima. A Sole dicent generari. Hem quid

An illam Sol?

audio, pro uno Phaëtonte innumeros habemus! ò filios degeneres, & tali patre indi-

Planta nascens & denascens in vitro.

gnos! Quid quæso dicerent hi tanti Philosophi, si plantam quasi momento nasci in vitreo vase viderent, cum suis ad vivum coloribus, & rursùm interire, & renasci, idque quoties, & quando liberet? Credo dæmonium arte magicà inclusum dicerent illudere sensibus humanis. Pro falso enim & diabolico opera naturæ habent, quæ nequeunt resolvi in illorum principia, & falsas hypothe-

Indocti superstitiosè fieri putant quæ non intelligunt.

ses. *Verum* his in sua amurca relictis, ad illud, unde dilapsi sumus, redeamus. Quòd si ergò rum interiter leo unicus existens, dico posse illius animam in corpore superstitem esse, siquidem non omnes illius formæ signaturæ aboleantur. At omnibus extinctis ut proptereà cogatur anima subjecti possessione decedere, & à materia divelli, ubi tum existet for-

CCCCXXIII.

An corpus possit esse nullibi?

ma ea ratione separata? *Respondeo*, formas à consortio materiæ divulsas, quia ex se impartibiles, nullius loci indigas esse. Quia tamen essentia finita necessariò aliqua parte loci imaginarii definitur: dico illa parte loci, qua divellitur à subjecto, restare, & neque per se, neque per accidens locotum moveri. Quid

Ubi futuræ sint Ideæ post diem Iudicii?

verò mundi hujus scænà visibili finitâ sit futurum, ignoro: nam & extra subjectum esse possunt, si Deus ita velit: & uni subjecto omnes, sive sit pars, sive totum elementum, coëxistere; siquidem nullas tunc habebunt actiones, nullas proinde contrarias inducent signaturas: neque igitur sibi adversabuntur.

Nè omnia, quæ ignoramus, sunt falsa.

Sed esto, modum ignoremus, An proptereà res non erit? Si tale argumentum valeret, quæ absurda non sequerentur? Neque igitur magnes ferrum trahet, neque ad polum

Caramuelis Metalog. Lib. IV.

se convertet, quia modum ignoramus. Quid si verò dicamus in vitrum omnia tum conflari igne illo mundi veteris destructore: nam

An omnia tandem elementa convertentur in vitrum?

optantur SS. Patres terram crystallinam & perspicuam fore igne reverberatam & fusam. Quid ergò prohibet substantias suas igne conflari, & veluti æterno gelu conglaciari; volatiles verò in sphæram ignis evehi, cùm vita viventium nunc quoque sit in flamma, & cum flamma abscedat? Hoc autem confirmatur testimonio Magistri Isaaci Hollandi ex *Fragm. oper. vegetab. cap.* 25. ubi inquit: *Anne putas, mi Fili, omnia hæc inferiora a Deo creata, die novissimo in nihilum redigi debere? Minime vero, ne unus quidem capillus Dei voluntate & nutu existens, magis, quàm incorruptibile cælum peribit. Verùm Deus secundum*

An omnia in chrystallum convertenda sunt?

suum placitum omnia transmutabit, efficietque crystallum: in quibus erunt quatuor elementa simplicia & fixa, & omnibus numeris absoluta atque perfecta: & quidquid erit, erit quinta essentia, & lapis Philosophorum. Et illud ipsum probari potest in hoc mundo, nostra, quam profitemur, arte, quâ docemur omnia a Deo creata ad crystallinam reduci posse claritatem, & quatuor elementa congregari posse in unum, ut sint essentia simplex atque fixa adeò, ut à nemine ullo modo mutari possint: neque etiam ignis, aut sal illa corrumpere, aut comburere potis sit, sed in æternum prout sunt, integra manebunt. Conso-

Post diem Iudicii omnia elementa erunt incorruptibilia.

nant his, quæ tradit *in opere Minerali lib.* 1. *cap.* 109. *&* 110. ubi dicit, *quod Deus omnes res creatas* in fine mundi instaurabit, ac in suam extremam virtutem perducet: ita ut postea in res illas nulla mutatio cadere possit; quæ sic mutatæ in æternum in sua crystallina & resplendenti essentia permanebunt. Et Raymundus Lullius *in sua Theorica Testamenti novissimi, cap.* 51. ubi opus lapidis Philosophici comparat mundi renovationi, ita inquit: *Quàm purgationem faciet supremus Creator, quando magnus mundus in suam primam rem convertetur, scilicet omnia elementa in suam primam essentiam, quæ postea ignem cæli non timebit, quia tunc motus naturæ supremæ in semet remanebit absque alià corruptione.* Hæc ille. At verò ubi hic sunt illæ ideæ blasphemæ, quas Deo coæternas, neque tamen à Deo creatas ausu Giganteo a nobis induci quidam nimis inconsideratè in vulgus sparserunt? Absit à nobis hæc impietas, qui neque potentiam materiæ, tanquam Deo injuriosam, sustinemus.] Hæc est doctrina Clarissimi Viri Ioannis Marci.

Ecce Universalia Platonica facillimo negotio defenduntur: (à Thomistis in materia primâ; à Ioanne Marco in formis: jam vidistis) & nihil mali illa habent, quam quod simus aliter instituti, & à nostris Magistris declinare nesciamus.

ARTICULUS XI.

An Averroës Platonicum Universale propugnet in Prædicamento Substantiæ, Quantitatis, & Qualitatis?

CCCC XXII. *Mens universalis. Anima universalis. Intellectus universalis. Quantitas universalis.*

MEntem unam omnibus hominibus communem, & quantitatem indeterminatam asseruit & docuit Averroës. Si autem mentis nomine Animam rationalem intellexit, sicut de animabus materialibus Ioannes Marcus Articulo præcedenti, sic ipse nunc de formâ humanâ philosophatur: non enim ita delirus fuit, ut unam numero Animam in omnibus omninò corporibus hominum collocaret. Si mentis nomine intellectum solummodò intellexit, Platonis hanc doctrinam ad prædicamentum Qualitatis transtulit. Neutrum urgeo: ad Quantitatem venio: in quâ reperio multa paucis nota, quæ luce indigent.

An detur Quantitas interminata?

Sanè doctrinam de Quantitate interminatâ, quasi semisopitam jacere hodie in scholis Ioannes Lalemandetius *disp. 9. Metaph. partitione 4.* conqueritur: deleo nihilominus illud *quasi*. deleo illud *semi*, eamque sopitam, aut sepultam affirmo; multis enim annis in Academiis florentissimis didici, multis docui, nec vel semel audivi de quantitatis dimensionibus interminatis disputari. Nec mirum: nam hodie Thomistica & Scotistica Schola obtinent, in quibus non admittitur Quantitas interminata: quam impugnavit D. Thomas *opusc. 32. de natur. materiæ.* & Scotus *in 2. dist. 3. quæst. 4.* quos sequitur Faventinus *Theoremate 31. cap. 4.* Eamdem tamen interminatam Quantitatem magno nisu propugnavit Aureolus *in 2. dist. 12. art. 2. & seqq.* De Baccone *in 1. dist. 42. per totam.* & alii Theologi. Ex Philosophis multi, & inter eos Nyphus *in 1. cap. Averrois de substantiâ orbis.* Achillinus *libr. 1. de elementis dub. 17.* Eamdem vel ex parte est amplexus Pendasius *in Examine Dogmatis Arist. de Principiis part. 30.* & novissimè Lalemandetius jam citatus, qui multas rationes congerit, & Adversariorum objectiones enervat.

Interminata quantitas est ante formam: & determinatur à formâ.

Asserit igitur Averroës *libri de substantiâ orbis cap. 1.* materiæ primæ immediatè inhærere illas dimensiones interminatas: quæ sint indeterminatæ & indifferentes ad tantam vel tantam longitudinem, latitudinem & profunditatem: easque adventu formæ determinari & terminari. Et, ut conceptum suum exponat recurrit ad materiam primam, cui esse similem quantitatem affirmat: nam sicut materia prima, quæ ex se est indeterminata & indifferens, à formâ substantiali determinatur & contrahitur: sic etiam quantitas ex se est interminata & indeterminata, & à formâ substantiali terminatur & determinatur. *Quantitas est similis materiæ primæ.* [Et quidem merito Lalemandetius, ut quantitatem exponat, ad Materiam primam *Materia prima accidentalis.* recurrit: quia Quantitas est quædam materia prima accidentalis, & hanc ob rem lumineres Quantitatem Materiæ primæ, & Quantitati omnes Qualitates imponunt, & sic Sacramentum Venerabile explicant.]

Quid sit Quantitas indeterminata?

Est igitur quantitas indeterminata materiæ primæ præcisæ à formâ passio, & est realitas quædam universalis, quæ est quanta ut sic, non vero determinatè tanta aut tanta: quæ est figurata ut sic, non verò triangularis, peripheria formata. Et hæc Quantitas indeterminatæ omnia æquivalet iis, quæ Platonico Universali: nam prout dicit interminatas & indeterminatas dimensiones est summum genus sui Prædicamenti, adeòque caret unitate specifica, & individuali; non enim est una numero positivè, nec una specie positivè: sed tantùm negativè: eo omninò modo quo de Materiâ primâ Thomisticâ Complutenses philosophabantur: quamdiu enim est indeterminata, nec linea, nec superficies, nec corpus est: & tamen quantitas est, quæ potest has species inire, & in singulis diversimodè configurari. *An sit realiter universalis?*

Quis & qualis sit Averroës?

CCCC XXI. *An dignus fuerit Averroes, qui curiosè legatur & exponatur?*

AVerrois opinionem exposui: sed quia Viri semper magni habent interpretes, à quibus, vel inviti torqueantur, id ipsum etiam accidit nostro Hispano, quem multi in varios & etiam oppositos sensus retorquent. Et quia hæc legis, rogas, Quis Averroes iste fuerit, cujus mentem expono? An tantus fuerit, qui curas has & illustrationes mereatur? Et cur tam variè soleat explicari à Philosophis?

Medici & Philosophi Mauri.

Ut respondeam, dabo verba Ioachimi Curæi, qui in prooemio libris de sensu & sensibili præfixo, ait. [In istis igitur scholis profecerunt & floruerunt Medici, scientiâ artis & remediorum optimorum peritia clari: uterque Rasis, Avicenna, Serapion, Avenzoar, & alii. Nec minùs Philosophi celebres fuerunt, Avempaces, Algazel, Alkindus, Abumaron, Alpharabius: & qui longè omnes, non modò suæ gentis homines, sed etiam sequentium sæculorum vicit Philosophos, Averroës adeò, ut apud majores nostros solus iste *Commentatoris* nomen adeptus sit. Natus fuit Cordubæ in Hispaniâ, & accersitus à suo Principe Miramomelino ad radices montis Atlantis in Academiâ Marochiensi nativam Aristotelis Philosophiam ex optimis interpretibus haustam propagavit, & singulari dexteritate in enarrationibus suis editis in Aristotelem expressit. Etsi autem fuit ingenio pugnaci & acri, tamen in controversiis obscuris lector non rudis animadvertet, eum esse oculatissimum, & prudenter vera fundamenta & firmas rationes proponere. Neque ista opinio de hoc viro in me nata est, sed recto judicio meorum præceptorum, qui ætatem in his studiis summâ cum laude contriverunt. Hoc tamen verum est, ineruditis & barbaris versionibus monumenta horum doctissimorum *Averroes Hispanus. Commentator dictus. An ejus Opera sint benè translata.*

tum vero … ctiæ contaminata, ut opus sit … ditione exquisito: & op… idiomatis illius periti … lectori prodessent, & … ederent Arabicorum voluminum interpretationes.] Hæc Curæus: quibus, scrupulo tuo facit satis.

Rationes pro sententiâ Averrois.

CCCC XXVI. Ratio prima. *An formæ divisibiles sint?*

FOrmæ omnes substantiales eductæ de potentiâ materiæ, non sunt divisibiles, nisi ratione materiæ præcedentis: sed nihil facit aliud esse divisibile, nisi ipsummet sit quantum, ergo materia ante formam est quanta, ergo ante formam habet illas dimensiones, quia omne quantum est quantum per illas tres dimensiones. At ante formam non habet dimensiones determinatas & terminatas: ergo habebit indeterminatas & interminatas. Sed quod est realiter indeterminatum est realiter universale: Ergo Quantitas indeterminata est idea quædam Platonica, & realiter universalis.

An quantitas sit formâ posterior?

Respondent adversarii, quòd, quia materia est quanta in potentiâ, ideo formæ, quæ educuntur ex ipsâ, sint quantæ; aut ideò sint quantæ, quòd statim atq; informant materiam, pullulat quantitas, cujus ope & partes, & compositum redditur actualiter quantum. *Sed responsionem hanc Lalemandetius rejicit:* quomodo enim materia, si sit quanta tantummodò in potentiâ in eductione formæ, dabit actualem quantitatem ipsi formæ, dum educitur. *Deinde,* si faceret ipsam formam actualiter quantam, sequeretur, quòd quantitas adveniens composito esset superflua, jam enim inveniret formam quantam. *Item nec alia responsio valet*; quia indicatur, quod quantitas est subsequens compositum, nam si hoc sit, compositum Physicum non erit de se quantum, sed tantummodò consequenter, sicq; reciperetur forma substantialis, & materialis in subjecto non quanto, & ideò modo indivisibili, quod repugnat formis materialibus.

An forma sit quanta materia quantitate?

An quantitas insit composito?

CCCC XXVII. Ratio secunda. *An eadem numero dimensiones, quæ erant in corrupto sint in genito?*

OMnes formæ, quæ de novo generantur, communicant in dimensionibus interminatis eisdem; ergo dimensiones interminatæ eædem sunt coævæ ipsi materiæ; Consequentia patet ex simili argumentandi formula, quâ utitur Aristoteles probans materiam esse unam omnium formarum, quia omnes formæ communicant in eâdem materiâ, ergo similiter, quia omnes communicant in dimensionibus interminatis, dimensiones interminatæ erunt unum quid, & per consequens coæternæ materiæ; Quòd verò communicent omnes formæ in dimensionibus interminatis, probatur; quia quantum non fit nisi ex quanto; formæ autem substantiales dum fiunt, evadunt quantæ, ergo ex subjecto quanto: sicut enim dicuntur materiales, quia fiunt ea materiâ; ita dicuntur quantæ non aliâ de causâ, nisi quia fiunt ea quanto præcedente, & subjectivo; ergo materia erit quanta ante ipsas formas; Atqui non potest dici quanta, nisi per dimensiones, ergo habet dimensiones ante formam, sed non habet dimensiones terminatas, cùm non sit quanta terminatè, & limitatè; ergo erit quanta per dimensiones interminatas. *Tunc sic.* Ex eo quod omnes formæ habeant unam communem materiam, & materia singularis non possit esse communis omnibus formis, colligunt Aristoteles & D. Thomas materiam ex se nec esse unam numero nec specie: ergo ex eo quod communicent in quantitate interminata benè colliget Aristoteles & Averroes quantitatem ex se non habere unitatem numericam nec specificam: quia in quantitate individua & singulari non possunt formæ diversæ communicare. At realitas, quæ nec habet unitatem numericam, nec specificam, est quædã Idea generica, & realiter universalis: ergo Quantitas interminata seu indeterminata est realiter universalis.

Unde habeat forma, quod materialis sit? Unde, quod quanta sit?

CCCC XXVIII. *Quid requiratur ut aliquid in potentiâ sit quantũ?*

Respondent adversarii ad illud, Quantum non fit, nisi ex quanto. Quantum posse fieri ex quanto saltem potentiali.

Sed contra. Quia ex Adversariorum doctrina, materia nequidem erit quanta in potentia; quia quod nullo modo habet quantitatem, nequidem in potentia est quantum, sed materia nullo casu secundum adversarios nullam omninò haberet quantitatem ex suppositione, quòd quantitas consequatur compositum, prius enim in suo priori non includit suum posterius, ergo in suo priori, quo forma substantialis educitur de potentia materiæ, materia nullam habet quantitatem; ergo in illo instanti erit quidem compositum, indivisibile tamen. Vt hanc solutionem intelligas, aduorato potentiam esse duplicem, proximam & remotam: intellectus est potentia proxima intelligendi; & remota est capacitas, quam habet Anima ad habendum intellectum. Vnde quantitas est potentia proxima ad habendas dimensiones, & potentia ad recipiendum quantitatem est potentia remota: & si de proxima sermo sit, est nulla potentia. *Deinde* sicut substantia non potest fieri ex non-substantia, ita quantum non potest fieri ex non quanto.

Prius non includit posterius.

An quantum possit fieri ex non quanto?

Ratio tertia. *An ignis quantitas inducatur in instanti?*

QVando ex ligno generatur ignis, in eo instanti, quo inducitur forma substantialis ignis, deberet induci propria quantitas consequens illam formam. Quare si illa quantitas nullo modo præcesserit, sequetur, quòd tota illa quantitas ignis inducetur in instanti; hoc tamen repugnat sensui, & intellectui; est enim contra rationem, & experientiam dicere, quòd talis dilatatio partium, & extensio localis fiat in momento. Præcessit igitur quantitas. At non terminata: ergo interminata. At interminata est indeterminata, & indeterminata est universalis: ergo præcessit quantitas realiter universalis.

Respondent Adversarii negando sequi quantitatem introduci in instanti per motum localem, nisi tantùm per accidens. Sed esto per accidens dicatur introduci in instanti, hoc tamen repugnat, nam repugnat extensum, & quantum produci in instanti, etiam

Nota id benè.

per accidens. [Sed neque ego video hoc sequi nequidem per accidens, nam forma ipsa ignis divisibilis est, & non nisi successivè producitur. Ergo, si forma successivè producitur, etiam successivè producetur quantitas; maximè si tempus constetur ex indivisibilibus: de quo in Physic.] Rationes igitur alias ponamus.

CCCC XXIX. Ratio quarta. *An duplex motus sit cùm canis cadit & in medio lapsu moritur.*

ADmittendo illas dimensiones interminatas facilè respondetur ad illud argumentum, quod solet proponi de cane cadente ex altissimâ turri, qui moritur in medio lapsus; dicere enim quòd sit duplex motus, videtur hoc sensui repugnare, cùm nulla fiat discontinuatio in illo lapsu: attamen nisi ille motus subjectetur in materiâ affectâ dimensionibus, necessariò essent ponendi duo motus, quia alioquin essent duo subjecta diversa, nempè canis vivus, & canis mortuus. *Nec dicas* illum motum subjectari in nudâ materiâ; nam cùm motus localis de se sit quantus, & extensus, non potest subjectari, nisi in subjecto quanto, & extenso, qualis non foret materia spoliata dimensionibus. [Sed neque hanc ego rationem magni facerem, sed valeat quantum valere possit.]

An motûs subjectum sit quantitas?

Ratio quinta. *An compositum physicum debeat esse corporeum?*

NIsi materia haberet sibi coævam quantitatem, compositum non posset dici quantum. At determinata & terminata Quantitas non est coæva materiæ: ergo quantitas, quæ est materiæ coæva, est indeterminata & interminata. Probatur major: Quia ad mentem Adversariorum materia non est quanta ante adventum formæ, neque forma in instanti, quo constituit compositum, est quanta: ergo in illo instanti dabitur compositum physicum, quod non erit quantum, nec corporeum. Ergo quandoquidem compositum physicum non est compositum physicum, nisi in quantum est corporeum, & sensibile, ideircò in eo instanti, quo est compositum, debet habere quantitatem. At tum non habet terminatam, determinatam, & singularem: ergo habet interminatam, indeterminatam, & universalem.

Ratio sexta. *Modus terminationis modificat & terminat quantitatem.*

DVm ex aquâ generatur aër, quantitas aquæ non deperit, sed augetur, fitque major, perit tamen forma aquæ, ergo colligitur dimensiones, quæ erant in aqua, non deperdi, sed tantùm modificari, id est, dimensiones illæ interminatæ inhærentes materiæ, quæ habebant certam determinationem per formam aquæ, illæ, inquam, eædem, quando sunt sub formâ aëris, adquirunt aliam terminationem per formam aëris: unde entitativè sunt eædem dimensiones, non tamen eædem terminatè; entitas enim materiæ est, quòd sit pura potentia Physica, quam retinet etiam, dum est sub quâvis formâ; ita entitas, & natura illarum dimensionum est, quòd efficiant rem quantam; at verò quòd efficiant rem taliter, vel taliter quantam, id præstant, quando sunt terminatæ. Terminantur autem sub ipsum met adventum formæ. *Tu e se.* Materia est quanta, & non est taliter quanta: Ergo habet quantitatem, & non habet talem quantitatem. Ergo habet quantitatem indeterminatam, & realiter universalem.

Ratio septima. *An quantitas sit coæva materiæ? An habeat contrarium?*

NIsi quantitas esset coæva materiæ, sed in adventum formæ expelleretur à subjecto, & alia succederet, sequeretur quod quantitati esset aliquid contrarium, scilicet quòd una quantitas expelleret aliam, & esset cum illa incompossibilis: sed hoc non: quantitas enim non habet contrarium, nec una expellit aliam, sed potius auget aliam.

An ex uno individuo ad aliud ejusdem speciei fiat transitus?

Conj: matur hæc ratio; quia frustrà corrumperetur hæc quantitas, in æqualis reproduceretur; sic enim fieret transitus individui unius speciei in aliud individuum ejusdem speciei, & hoc sine necessitate, sed frustrà.

An in corruptione substantiæ symbolæ quantitates corrumpantur?

Confirmatur ex dicto Philosophi in primo de generatione dicentis, quod in corruptione symbola manent, & contraria corrumpuntur; dimensiones verò interminatæ sunt symbolæ, ergo non corrumpuntur, dum corrumpitur compositum.

CCCC XXX. *Quomodo corrumpatur quantitas?*

Respondent Adversarii quantitatem non destrui per suum contrarium, sed per accidens, hoc est ratione sui subjecti. *Sed hoc non valet*, tum quia supponit hæc [illegible] responsio accidentia inhærere composito, cùm verò probabilius sit materialia accidentia inhærere materiæ, materia autem prima non destruatur, dum destruitur compositum, sequitur quòd illæ dimensiones interminatæ nequidem per accidens destruantur, quia (si q̄u m) non destruitur earum subjectum.

An accidentia insint composito?

Quid sit corruptio?

Et quia addunt: Corruptio est mutatio totius in totum, ergo omnia, quæ erant in corrupto, debent deperdi, & per consequens dimensiones interminatæ.

Quo sensu omnia accidentia mutentur in generatione substantiali?

Respondet hic Lalemandetius, quòd licèt dimensiones non deperdantur, item nec accidentia singula, attamen non desinet corruptio dici mutatio totius, quia & illæ dimensiones, & accidentia symbola non sunt amplius rei corruptæ, sed rei genitæ; v. g. quando aliquis habens nummum, illum dat alteri, ille idem nummus numero, qui ad dantem pertinebat, transmittitur ad alterum: ita accidentia symbola, quæ erant rei corruptæ, sunt accidentia rei genitæ eadem numero remanentia; quia eadem materia remanet, in qua subjectabantur. *Sed hæc* Viri docti responsio Physicam ad Morales aut etiam Grammaticas denominationes reduceret; & hanc ob rem clariùs & faciliùs respondetur dicendo, corruptionem esse mutationem totius, at non totalem; nam, ut totum mutetur, sufficit si vel unica mutetur pars: & quando lignum transit in ignem, tunc lignum verè corrumpitur, & ignis verè generatur: at nec illud corrumpitur totaliter, nec istud generatur totaliter: nam manent materia prima, quantitas indeterminata, & aliæ formæ accidentariæ composito utrique communes.

Ratio octava. *An omnis materia sit una numero?*

POsito quòd materia prima de se sit una numero, ut communiter tenent Physici, [imò

Thomistæ

Thomistæ dicunt Materiam ex se nequidem habere unitatem numericam. Nisi esset quanta, dum recipit formam, forma unita totam materiam informaret, & sic quandoquidem materia est una numero, & efficeretur tantùm multiplex ante adventũ formæ; forma verò non est divisibilis, nullo modo divideret materiam, & sic plures formæ substantiales nequirent simul informare materiam; at de facto videmus materiam primam in diversas divisam particulas, dicendum ergo est, quòd ante adventum formæ sit divisibilis, ideòque quanta: posteà quando advenit forma, dividatur.

Hæc ratio, si elimetur ad mentem Thomistarum est fortior; quoniam materia ante adventum formæ non habet unitatem numericam, sed est communis, & realiter universalis. At pro illo priori habet quantitatem: ergo sibi proportionatam. Patet: quia materia non singularis non est capax quantitatis singularis. Habet ergo quantitatem indeterminatam & realiter universalem.

CCCCXXXI. *Respondent Adversarii*, quòd quantitas subsequens compositum determinet tantùm de materia, quantum forma substantialis postulat, & proinde plures formæ possint informare materiam primam etiam simul; quia partietur materia, atque distribuetur per adventum quantitatis immediatè subsequentis formam in materiâ. *Sed hæc responsio Lalemandetio non satisfacit*, nam si forma totam materiam jam perfecit ante quantitatem, quomodo adveniens quantitas poterit separare materiam. *Deinde*, causa alicujus rei debet præcedere; sed materia est causa, cur aliquod compositum sit majus, & quòd aliqua forma substantialis plures habeat partes, ergo materia erit quanta, antequam compositum sit in suo totali complemento; cur enim ex pugillo terræ possint generari mille pugilli ignis, non tamen ex mediâ parte pugilli terræ mille pugilli ignis, nisi quia de se materia pugilli est quanta magis, quàm materia mediæ partis pugilli?

Vnde oritur, quòd una forma non informet totam materiam?

An materia sit tanta ante formam?

Ratio nona. OMne materiale de se existens est quantum: sed materia secundum veriorem de materiæ primæ existentiâ opinionem, de se existit; quia de se habet existentiam propriam, ergo & quantitatem.

An materia prima habeat propriam existentiam?

Confirmatur, quia si materia prima non foret subiectum quantitatis de se, ergo unà cum forma: sed hoc non, quod manifestum est in animâ rationali, quæ nullo modo est capax, ut sit subiectum quantitatis.

An forma sit subjectũ quantitatis.

Confirmatur secundo: quia omne agens corporeum non agit, nisi in passum quantum, & corporeum; quia agit per contactum: sed agens corporeum agit in materiam, ex quâ tentat educere formam, ergo materia supponitur quanta ante adventum formæ. Sed ante adventum formæ non habet quantitatem determinatam & singularem: ergo interminatam, indeterminatam, & universalem. Patet: quia nec ipsa materia ante adventum formæ est singularis.

An omne passum corporeum sit?

Confirmatur tertio: nisi enim materia de se sit quanta, nulla daretur corruptio. Probatur sequela: Forma, quæ perficit, & exhaurit totam materiam, est ab ea inseparabilis, quâ de causa formæ cœlorum sunt inseparabiles à materiis cœlorum; sed forma, quæ recipitur in materiâ non quantâ, occupat, perficit, & exhaurit totam materiam, quia recipitur in totâ materiâ ex eo, quod tu dicas, materiam nullam habere partem, nec esse quantam; ergo forma substantialis erit ab illâ materia inseparabilis, & incorruptibilis.

An formæ cœlorum sint inseparabiles: & cur?

Sic apud Lalemandetium suam sententiam probant Averroistæ; in quorum rationibus licèt nonnulla occurrant, quæ veritati aut nostræ doctrinæ non respondeant, nihil quod Commentatoris sententiam non dilucidet, & Quantitatis assertæ universalitati non faveat.

Objectiones.

COntra doctrinam Arabis aliquę formantur objectiones, quæ videntur solutione indigere: præcipuas formabo & explicabo.

CCCCXXXII. Objectio prima. AD quantitatem est motus augmentationis & diminutionis: ergo per motum adquiritur & deperditur ipsa quantitas, quod autem per motum acquiritur, & deperditur, illud non est æternum, ergo quantitas non est coæterna materiæ. Tunc iterùm. Quod per motum adquiritur, non est universale: ergo quantitas illa non est universalis. Ergo est particularis. Ergo determinata & terminata.

An quantitas sit coæva materiæ?

Respondet Achillinus in vera augmentatione, acquiri quantitatem per materiæ acquisitionem. Lalemanderius autem, tametsi non reprobet Achillini responsionem, mavult dicere, quòd ad quantitatem terminatam sit motus, non verò ad interminatam: in augmentatione enim quando acquiritur major quantitas, tunc ex quantitate terminatâ minori fit major quantitas terminata: unde non acquiritur nova quantitas, nisi etiam acquiratur nova materia, sed tantùm novus modus quantitatis.

Terminatio est modus quantitatis.

Objectio secunda. DEperditâ passione deperditur ejus subjectum, sed æquale, & inæquale sunt passiones quantitatis; istæ verò deperduntur, ut patet ad sensum, ergo & quantitas, ergo quantitas non est coæva materiæ.

An proprietate pereunte subjectum pereat?

Respondeo æquale & inæquale esse passiones quantitatis terminatæ; nam quantitas terminata seu singularis; quoniam interminata seu universalis non est tanta; est indifferens ad hæc.

Objectio tertia. FActâ variatione in causâ fit variatio in effectu, sed forma, quæ est causa quantitatis, variatur in corruptione, ergo & quantitas.

An quantitas sit effectus qualitatis?

Respondeo quinq; esse Causas: Materialem, Formalem, Efficientem, Finalem, & Exemplarem: quarum tres priores sunt physicæ: quarta est moralis: & quinta artificialis. Addo formam nec esse causam materialem quantitatis; non enim hæc in formâ recipitur: nec esse causam formalem, non enim illam informat; nec efficientem, non enim illam

An res æterna possit habere causam finalem temporaneam?

illam producit: nec esse exemplarem, non enim ad similitudinem formæ substantialis quantitas conformatur: superest ergo, ut vel finalis causa sit, vel non sit causa. Nego igitur fieri varietationem in effectu factâ variatione in causa finali; in aliis causis, transeat; nam aliquod æternum potest habere causam finalem temporaneam, vel saltem (nolo enim te ad actus Divinæ libertatis, & eorum fines secundarios ducere) incorruptibile potest habere causam finalem corruptibilem: nam & materia licet sit ingenerabilis, & incorruptibilis, habet tamen causam finalem temporaneam; ordinatur enim ad constitutionem compositi tanquam ad finem; compositum tamen est quid corruptibile. *Aut dic potius*, formam esse causam quantitatis terminatæ seu singularis: materiam verò quantitatis interminatæ seu universalis.

An res incorruptibilis causam incorruptibilem?

Objectio quarta. *Corrumnt omnia destructo fundamento.*

DEstructo subjecto destruitur etiam accidens in eo subjectatum: sed compositum est subjectum omnium accidentium, & per consequens quantitatis: ergo eo destructo destruitur quantitas.

CCCCXXXIV. *Subjectum duplex inhæsionis & denominationis.*

Respondeo denominationes esse diversas, & subjecta etiam: nam ut clarissima exempla proponam, nummi realiter & physicè in thecâ sunt, & denominant divitem hominê fortè longo tractu distantê: hoc radio lucem haber objectio, ad quã respondendũ subjectum denominationis accidentiũ esse quodè compositũ; at subjectũ inhæsionis esse materiã primã. Quare destructo subjecto denominationis non est necesse destrui accidens, sed tantùm destructo subjecto inhæsionis, quod nequidem in corruptione substantiali destruitur.

Objectio quinta. *An generatio esse potuerit ab æterno.*

QVod generatur, non est æternum, quantitas generatur, ergo &c. Probatur: quando generantur termini rei alicujus, dicitur quoque generari res illa, sed generantur termini quantitatis, scilicet figura, ergo & ipsa quantitas.

An, & quando giguatur quantitas?

Respondeo majorem, minorem, & consequentiam claudicare: *consequentiam*, quia oritur ex præmissis incertis: *majorem*, quia probabile multis videtur non generationem modò, sed & creationem esse potuisse ab æterno. *Minorem*, generari enim quantitatem, quandò generantur termini intrinseci quantitatis, concedo: extrinseci, nego: at non generantur termini quantitatis intrinseci ad generationem compositi, sed tantùm extrinseci, per quos quantitas ex interminatâ fit terminata. Terminus autem intrinsecus quantitatis in lineâ est punctum, sive sit quid negativum sive quid positivum, de quo sequenti partitione: in superficie, linea: & in corpore, superficies.

Terminus duplex: intrinsecus extrinsecusque.
An positivus sit?

Objectio sexta. *An accidens pertineat ad definitionem substantiæ?*

QVæ non ponuntur in definitione substantiæ compositæ, illa non sunt in materia ante formam substantialem; sed quantitas non ponitur in definitione substantiæ compositæ, alioquin aliqua substantia per aliquod accidens definiretur. *Deinde* materia cum formâ est causa accidentium *ex 1. Physic. text. comment. 80.* ergo quantitas non est prior formâ substantiali in materia.

Respondeo ad majorem: quæ non ponuntur in definitione, non sunt priora per se, concedo; per accideos, nego: quantitas autem interminata & universalis est in materia tantùm per accidens, & ut ejus proprietas. Nam & ipsa anima rationalis, antequam unitur corpori, habet suas proprietates, intellectum, voluntatem &c. & tamen substantialiter unitur corpori: ita licet quantitas sit in materia, ut ejus passio, hoc tamen non impedit, quin per se materia unatur formæ. Ratio fundamentalis hujus rei est; quia quantitas est in materia concomitanter, non tamen est ratio recipiendi formam. Vnde se habet per accidens ad receptionem formæ. *Aut dic* materiam cum forma esse causam accidentium terminatorum, aut accidentium potius compositi; adeòque omnium accidentium singularium: non verò accidentium interminatorum & universalium, qualia sunt illæ dimensiones interminatæ.

An corpori antequam uniatur anima: & anima antequam uniatur corpori habeat suas proprietates?

SI dimensiones interminatæ essent coæternæ materiæ, (per æternum, & coæternum hic non intellige quod est ante tempora, aut increatum, sed id quod est creatum quidem, ingenerabile tamen & incorruptibile) prius eam actuarent, quàm forma substantialis, sed hoc non, ergo neq; prius. Major patet; minor probatur; quia potentia substantialis prius est actuabilis ab actu substantiali, quàm ab accidentali; prius enim est actuari ab eo, quod prius respicit, sed prius respicit ipsa materia actum proprii generis scilicet actum substantialem, ergo prius actuatur ab eo. *Deinde* omne compositum accidentale supponit compositum substantiale, sed si quantitas esset prior formâ in materia, prius daretur aliquod compositum accidentale, quàm substantiale. *Confirm. iterum:* forma substantialis est prior quâvis formâ accidentali, ergo quantitas, quæ est forma quædã accidentalis, nõ est prior formâ substantiali, & quia hæc nõ est materiæ coæva, nec à fortiori ipsa quãtitas.

CCCCXXXV. Objectio septima. *Quo sensu interdum accipiatur æternum?*

An materia prius informatur a formâ substantiali, quàm ab accidentali?

An substantia completa sit prior omni accidente?

Respondeo: Prius actuarent actualitate inhæsionis, concedo, non verò actualitate informationis: Aut prius actuarent prioritate naturæ, non tamen prioritate perfectionis & intimæ penetrationis. *Aut dic ut suprà*; quia quantitas non est ratio recipiendi formam, ideò nullatenus informabit materiam ante adventum formæ. Item dum dicitur, Immediatiùs unitur quantitas materiæ ipsi quàm forma: immediatione accidentali, concedo: substantiali; nego. Et certè miror contrariæ opinionis assertores tantam vim in illa septima ratione ponere, quandoquidem non possunt negare, quin anima rationalis prius informatur, quam informet: ipsi enim fatentur, quod antequam uniatur corpori, habeat omnia propria sua accidentia; attamen illis prædita non desinit uniri verè & substantialiter corpori, & efficere unum substantiale compositum physicum cum ipso. Quare ergo licet materia habeat suam hanc proprietatem, scilicet dimensiones interminatas, priusquam uniatur formæ, non tamen desinet verè & substantialiter, & per se uniri formæ, nam & di-

In accidentia aliud est inhærere, & aliud informare.

An Anima prius informetur, quàm informet?

& dictum argument... m ex alia ... inveniuntia, quæ involuit hæc septima objectio, pro materiâ respectu formæ substantialis reperiuntur in forma v. g. rationali respectu materiæ.

Satis sit diluendis confirmationibus. Deprecor itaque communis opinionis defensores, inquit Lalemandetius, ut ad hæc attendant, & ex quibus patet solutio ad minorem, & ad ejus confirmationes.

CCCC XXXVI. *Ad primam* quidem: priùs materia est actuabilis per se à forma substantiali, aut priùs actualitate informationis, non tamen inhæsionis, aut per accidens: *Ad aliam:* priùs per se respicit formam substantialem, concedo: per accidens, nego: *Ad aliam* dic quòd ex materiâ & quantitate illâ non fiat compositum accidentale, terminatum, & propriè. sicut ex potentiis animæ, & ex ipsâ anima non fit propriè dictum compositum accidentale. Quis enim dicet ex homine & ... propriè coalescere compositum accidentale? *Aut dic* priùs esse compositum substantiale in intentione, non verò in executione. *Aut ... rius:* priùs est compositum substantiale accidentali: accidentali completo, concedo; incompleto, nego: sed ex materia & quantitate interminatâ resultat compositum accidentale incompletum: *Aut fortè melius:* Ex subjecto & accidente completo & terminato fit unum compositum accidentale completum, concedo: at ex subjecto & accidente incompleto, & interminato fit unum verum compositum, nego. *Ad ultimam Confirmationem* patet ex dictis quomodo videlicet forma substantialis sit prior dimensionibus interminatis.

An materia careat formâ substantiali? Respondet verò Achillinus, quòd cùm semper in materiâ sit aliqua forma substantialis, ideò non debeat dici illas dimensiones interminatas esse priores forma substantiali, quandoquidem numquam materia denudatur formâ aliquâ substantiali, sed eodem instanti, quo una discedit, altera succedit, imò ipsa forma substantialis materialis non annihilatur, sed redit seu resolvitur in ipsam materiam, ex quo egressa fuerat; aut licet quantitas interminata inseparabiliùs in materia requiescat quàm forma substantialis, non tamē intimiùs; ita licet quodammodo dici possit prior, non tamen nobilior; servus enim (ait Achillinus) licet sit in domo prior, quàm filius familias; attamen non ipsi præponitur.

CCCC XXXVII. *Objectio octava. An detur forma interminata?* SI fingamus dimensiones interminatas, indeterminatas, communes & universales, cur non etiam debebimus doctrinæ consequentiâ conduci, & admittere materiam interminatam, indeterminatam, communem, & universalem. Et si hanc semel admittamus (nam Thomistæ velint nolint, si Complutensibus consonent, non poterunt à Platone dissedere) cur non etiam debebimus de formâ substantiali; cur non etiam de accidentali eodem prorsus modo philosophari? cur non etiam dicere omnes formas ex se esse realitates interminatas, indeterminatas, communes, & universales, & individuari fieriq; singulares additione formalitatis (realis modalis-ve) à formæ entitate distinctæ?

Respondet Ioannes Lalemandetius negando paritatem, quandoquidem enim forma de se determinat materiam, imù & ipsas dimensiones interminatas, debet quoq; ipsa esse determinata; at nec materia de se, nec illæ dimensiones interminatæ sunt determinatæ, sed potiùs ex naturâ suâ determinabiles. Vnde non mirum, si non detur forma interminata, benè tamen materia & dimensiones interminatæ. *Et posset respondere,* concedendo paritatem, & dicendo omnem formam secundum se consideratam esse universalem & indeterminatam, & determinari à subjecto quoad individuationem: & quantitatem determinari à formâ quoad configurationem.

SI quantitas esset coæva materiæ, ubi est plus materiæ, ibi plus quantitatis esset, sed hoc non, ergo neq; prius. Major patet; minor probatur; nam in denso est plurimum materiæ & modicum quantitatis; in raro verò modicum materiæ & plurimum quantitatis. *Objectio nona.*

De rarefactione & condensatione: quo modo fiat? Respondeo materiam primam ex se nec esse magnam, nec parvam, nec densam, nec raram, nec æqualem, nec inæqualem: addo has ipsas denominationes non provenire à quantitate interminatâ, hoc est communi & universali; sed à terminatâ, determinatâ & singulari. Pronuncio ergo densum determinatam quantitatem includere, & in denso tantum, cæteris paribus, esse materiæ, quantum quantitatis: nam tunc constrictio illa non modò est constrictio materiæ, sed etiam constrictio quantitatis. Item in raro est dilatatio materiæ & dilatatio quantitatis; dum enim aliquid densatur, nihil amittitur materiæ, nihilque quantitatis; quando aliquid rarefit; nihil acquiritur materiæ, nihilq; quantitatis.

ARguunt *ex 7. Met. text. 4.* & sic inquiunt. Substantia est accidente prior naturâ, tempore, & cognitione: sed quantitas est quoddam accidens, ergo non est prior formâ compositi, quæ est quædam substantia. CCCC XXXVIII. *Objectio decima. An substantia accidente sit prior?*

Futilissimè refert Fauentinus responsionem Zimaræ ad hanc objectionem, ejusq; solutionem rejicit, sed de hoc videatur Fauentinus. *Interim Respondeo* idem esse ac si Aristoteles diceret, cùm accidens non subjectetur nisi in aliqua substantia, non potest dici priùs ipsa nec tempore, nec naturâ, nec cognitione. Vnde non debet intelligi universaliter Aristoteles de substantia composita, sed quod accidentia terminata, seu accidentia singularia compositi non sint priora tempore, &c. ipso composito. Item nec accidentia interminata & indeterminata, quæ ante adventum formæ sunt ornamenta & dispositiones materię, sunt priora materiâ, quæ est quędam substantia.

QVod est subiectum accidentis, debet priùs existere accidente, sed materia non existit de se, ergo de se non est subiectum accidentis. *Objectio undecima. An materia habeat suam existentiam?*

Omissâ responsione Zarabellæ, & consutatone ipsi datâ à Fauentino, Respondeo materiam existere de se saltem in opinione Scotistarum. Sed respondet Fauentinus Scotista existere quidem existentiâ simplici, sed non existentiâ singulari; non sufficere autem ex-

istem-

istentiam simplicem, ut aliquid sit subjectum accidentis, quia talis existentia simplex est incompleta.

An materia sit ens completũ?

Respondeo quòd licet materia prima sit quid incompletum respectivè, & in ordine ad compositum, attamen de se & in suo genere sit quid cnmpletum, & proinde ut sic est subjectum propriæ passionis: sicut licèt anima rationalis sit quid incompletum respectu hominis, non desinit tamen esse subjectum suarum potentiarum. Aut dic incompletum posse esse subjectum accidentis incompleti, quales sunt dimensiones illæ interminatæ, quæ fiunt completæ per formæ adventum.

An & Animæ?

CCCCXXXIX. Objectio duodecima.

An quantitas materiæ possit esse.

SI quantitas sit coæva materiæ; ab ipsaque inseparabilis, ubi nulla erit materia, ibi nulla erit quantitas, sed in sacramento Eucharistiæ nulla est materia panis, ergo nulla quantitas panis, & per consequens accidentia panis non erunt quanta; cujus tamen contrarium ad sensum patet esse falsum; nam albedo hostiæ est quanta, & extensa.

An quantitas distinguatur à materia?

Ab hac objectione se facilè expediunt Nominales dicendo, quòd in sacra Eucharistia una cum materia deperdatur quantitas materiæ, & quod albedo &c. extendantur & sint quanta quantitate propriâ. Volunt enim, non modò substantiam materialem, sed & quælibet accidentia materialia suas proprias, & peculiares habere quantitates.

An quantitas indeterminata distinguatur à terminatâ?

An modus à re modificatâ sit separabilis?

An quantitas modus sit?

Responderent alii, accidentia panis retinere quantitatem terminatam, quæ est separabilis à materia: sed hoc magis subtiliter, quàm verè dictum; nam cùm quantitas interminata sit eadem entitativè cum terminata, deperdetur quoq; entitativè terminata. Vnde ad hanc responsionem tuendam, dicere oportet quòd modus posset separari à re modificata, & per consequens quòd cùm quantitas terminata sit modus quantitatis interminatæ, remanebit in accidentibus sacræ Eucharistiæ, illaq; extendet, & reddet quanta, etiam destructâ materiâ & dimensionibus interminatis illi coævis.

An quantitas sit subjectum accidentium?

Exponitur mysterium Eucharistia.

Sed Respondet Lalemandetius, quod sicut juxta communem opinionem Theologorum quantitas panis se habet instar materiæ, in quâ subjectantur cætera panis accidentia, ita destructis ipsâ materiâ & dimensionibus interminatis, cætera accidentia panis sese habebunt per modum materiæ; quia erunt sine subjecto, & per consequens in virtute præcedentis miraculi, acquirent proprias dimensiones. Sicut dicunt Nominales quòd in virtute præcedentis miraculi quodlibet accidens per se subsistit, non verò in quantitate panis. quam volunt esse destructam unà cum materia. Et hæc dicta esse vult, salvâ veritate tanti mysterii. Vera tamen solutio ponit, quantitatem interminatam & per modũ aut entitatem aliquam determinatam, esse omnium aliorum accidentium subjectum, & sublatâ miraculosè materiâ manere virtute supernaturali: at eâ manente cætera accidentia in quantitate manere connaturaliter.

Objectio tertiadecima.

Quod est in subjecto terminato est terminatum; sed quælibet quantitas etiam existens in materia prima est in subjecto determinato; ergo nulla datur quantitas interminata.

An in subjecto determinato possit esse aliquid indeterminatũ?

Respondeo negando minorem: nam materia prima est interminata & indeterminata de se, & sicut non determinatur nisi per formam, ita illæ demensiones non terminantur nisi per formam. *Aut dic*; quod est in subjecto determinato, est inhæsivè determinatum, concedo: entitativè, nego; accidens enim non determinatur quoad entitatem à suo subjecto, sed tantùm quoad inhæsionem, & suppositalitatem.

An materia prima ex se sit aliquid determinatũ?

Objectio quarta-decima.

An principia naturalia sint tantùm tria?

Non dantur nisi tria principia Physica; sed si darentur dimensiones interminatæ coævæ materiæ, darentur quattuor principia Physica, nempè materia, illæ dimensiones, forma, & privatio.

An quantitas sit principium per se?

Respondeo, principia tria enumerasse Aristotelem; jam à nonnullis poni plura, & præcipuè hæc, videlicet Suppositum, Materiam, Formam, Existentiam, Vnionem, Privationem: & hanc ob rem non esse mirum si condonemus esse plura principia naturalia. *Addo* quidquid sit de numero principiorum Physicorum; de quo in Physicis, illas dimensiones non esse nisi principium per accidens & concomitans materiam; non verò principium per se: at quando Physici assignant tantum tria principia Physica, loquuntur de principiis Physicis per se.

Objectio quinta-decima.

Cur ponantur quantitas indeterminata?

Principalis radix, cur ponantur dimensiones interminatæ, est, ut distinguant partes materiæ, sed id non præstant, ergo nõ dantur.

Major conceditur. Minor probatur, Quod distinguit, est actus, nam juxta commune Metaphysicorum Pronunciatum, *Actus est, qui distinguit*: sed illæ dimensiones nullo modo sunt actus; quod enim est determinabile, est potentia & non actus, sed illæ dimensiones sunt terminabiles per formam, ergo nullo modo sunt actus.

An sit potentia, aut actus?

Respondeo, varias esse rationes, propter quas Averroës quantitatem interminatam aut indeterminatam concessit. Condono tamen majorem, minorem, nego; ad ejus verò probationem Dico, quòd licet illæ dimensiones respectu formæ sint quid potentiale; quia ex interminatis fiunt terminatæ per adventum formæ, attamen respectu materiæ, cui dant extensionem, & cujus partes distinguunt sese habent per modum actûs.

Quomodo intelligendum sit illud axioma?

Et Notandum est quòd ut aliquid dicatur distinguere aliud, non necesse sit ut sit verus actus, sed sufficit ut se habeat per modum actûs respectu materiæ.

Objectio sexta-decima.

Quod habet terminum, est terminatum, sed nulla datur quantitas, quin habeat terminum, ergò nulla datur quantitas, quin sit terminata.

Terminus duplex intrinsecus extrinsecusque.

An omnis quantitas habeat terminum?

Respondeo, ut supra jam judicatum est, duplicem esse terminum, intrinsecum & extrinsecum: omnis quidem quantitas habet terminum intrinsecum: at verò sola terminata habet terminum extrinsecum: & ob id dicitur quantitas terminata; dimensiones verò prædictæ habent tantummodò terminũ intrinsecum, & ob defectũ termini extrinseci vocari solent interminatæ. Ex

An quantitas sit proprietas materiæ? An pullulet ab eâ? An cum eâ concreata sit?

☞ Ex his omnibus Infert Lalemandetius, quod quantitas interminata sit passio seu proprietas materiæ; ex eaque pullulet, ut risibilitas ab homine. Aut rectius quod sit concreata cum materia, ipsique coæva, nec ipsa posterior tempore, sed tantummodò naturâ; non absimili modo, quo ab aliquibus intellectus dicitur concreatus cum ipsâ animâ, nec ipsâ posterior tẽpore, sed naturâ. Unde, si quæratur, an quãtitas interminata sit educta de potẽtiâ materiæ? respõdet non esse sic productã, quòd terminaverit per se & primariò productionem agentis; sed potiùs esse concreatam, sicut dictum est de intellectu & animâ.

An sit educta?

Et permittit ut dicere possis, si velis, naturæ posterioritate, non verò temporis esse eductam de potentia materiæ; sicut communiter dicitur forma cœlorum educta de potentiâ materiæ cœlorum, licèt eodem instanti temporis & materia & forma cœlorum sint creatæ.

An forma cælestes sint eductæ?

An indeterminata quantitas entitativè differat à determinata?

Infert secundò quòd quantitas interminata non sit alia entitativè a quantitate terminatâ, sed modaliter, id est secundùm diversum modum essendi. Ex qua distinctione facile est solvere omnes objectiones contra hoc; *dum enim obiicitur*: Æternum à temporali differt: sed interminata quantitas est æterna, [hoc est, mundo coæva; non enim plus intelligunt ipsi nomine æternitatis.] terminata verò non. Dicito quod tunc terminus quantitatis sit novus, non tamen ipsa quantitas. *Item cùm dicitur*: terminata quantitas est per formam & interminata ante, dic secundùm unum modum essendi esse ante formam, & secundùm alterum modum essendi esse post formam. *Item*, interminata est potentialis, terminata actualis: dic actuale & potentiale differre tantummodò penes diversum modum essendi. *Adde* quòd licèt interminata dicatur potentialiter respectu terminatæ, attamen absolutè & secundùm se est verè actu. *Deinde*: interminatæ quantitati non convenit æquale & inæquale, benè tamen quantitati terminatæ: Responde hac de causa æqoale & inæquale actu esse proprietates tantummodò quantitatis terminatæ; at æquale & inæquale in potentia esse proprietates quantitatis interminatæ. *Demque*: Una fit ex altera, ergo non sunt eædem; modificativè, concedo; entitativè, nego. De his multa habet Niphus *in citatum primum caput Averrois de substantiâ orbis comment*. 24. ubi varias rationes affert & solvit; sed eas facile est solvere ex prædictâ distinctione de dimensionibus secundùm entitatem, & de dimensionibus modificationum, nempè quod dimensiones terminatæ addant solùm supra interminatas modificationem, ob quam dicuntur terminatæ.

An omnis quantitas æqualis aut inæqualis sit?

Modus determinationis.

Nota I.

CCCCXL. *Cur usus sim formalibus ferè verbis Lalemandetii?*

VOlui uti eisdem ferè verbis quibus Lalemandetius, ne dicat obtorsisse Averroẽ, non enim in toto hoc Articulo fuit animus probare Quantitatem interminatam seu indeterminatam, sed demonstrare eam, semel admissam, esse quamdam Ideam Platonicam communem & universalem contrahibilem per differentias aliquas, quas Lalemandetius modos esse vult (esto) & Quantitatem eos communem contrahere, modificare, determinare, & terminare.

An taleitas quantitatis sit modus?

Nota II.

CCCCXLI

EX probationibus, objectionibus, & solutionibus constat liquidò quid senserit Hispano-Arabs Philosophus: & ut videas, esse homines, qui in re clarâ cespitẽt volo hic coronidis loco subjungere expositionem Buccaferrei, qui miserum Maurũ in sensum diffenraneum obtorquet, quasi non sufficeret infœlici Averroi torqueri apud inferos, sed & debeat apud nos retorqueri. Teste igitur Faventino *theorem*. 31. *cap*. 4. & Lalemanderio *disp*. 9. *Metaph. part*. 4. Buccaferreus explicat sic mẽtem nostri Averroïs, ut censuerit quantitatẽ esse æternam in rebus naturalibus: eãque respectu formæ illius compositi, in quo est, dici terminatam: respectu verò aliarum formarũ ad quas materia habet potentiam, dici interminatam: nam & ipsa materia respectu illarũ formarum est interminata, non tamen voluit (ait Buccaferreus) Averroës quantitatem sive terminatam, sive interminatam esse priorẽ ipsâ formâ in materiâ. *Sed hæc Buccaferrei interpretatio nullo modo videtur vera*, nam quomodo Averroës teneret quantitatẽ interminatam esse posteriorẽ formâ in materiâ, quandoquidem vult ipse non eas destrui destructâ formâ. Et certè apertè colligitur ex textu Averroistico, quod eas ponat ante formam, & materiæ coævas. Hæc verba sũt Averrois cap. 1. de substantia orbis, *Et quia invenit* (supple, Aristoteles) *omnes formas communicari in dimensionibus terminatis, scivit materiam nunquam denudari dimensionibus non terminatis* &c. Et Paulò ante dixerat *Et quando invenit* (supple, Aristoteles) *substantiales formas dividi secundũ divisionem huius subjecti, divisio autẽ non est huic subjecto, nisi in quantum habet quantitatẽ: scivit quod principium eorum quæ existunt in hoc, sunt tres dimensiones, quæ sunt corpus; & cum invenerit in eis dimensionibus communicari formas omnes, quarum qualibet habet quantitatem terminatam propriam scivit dimensiones terminatas ultimo actu non posse esse, nisi postquam forma substantialis est in eo.*

An materia sit æterna?

Quo sensu sit interminata & indeterminata?

Nota III.

An Avicenna consentiat Averroi?

POstem Averroi addere etiam Avicennam, qui etiam admittit Quantitatem & indeterminatam & ab Averroe non multum distare videtur: interim, ne nimis diffudar Avicennæ opinionẽ ad paucas periodos reducã.

Sentiebat ille, quod immediatè in materiâ inhæreret forma quædam substantialis dicta forma corporeitatis, per quam materia & cõpositum diceturcorporeu, sed id tam benè obtinet materia & cõpositũ admittendo illas dimensiones interminatas coævas materiæ, quàm per admissionem formæ corporeitatis. Immò plura incomoda sequerentur ex hoc, quàm ex illo. Sed de hac forma corporeitatis alibi agitur

De forma corporeitatis.

An in omnibus corporibus sit?

rum juxta mentem Avicennæ eam ponentis pro omnibus materialibus, tum juxta mentem Scoti eam admittentis tantùm pro viventibus.

ARTICULUS XII.

An Caietanus ſit Platonicus, quando Vniverſale negativum propugnat?

CCCC XLII. Quantus ſit Caietanus?

EST doctus & ingenioſus Author, & tametſi junior, magni fit; ſed non ab omnibus eodem modo intelligitur, & explicatur. Aliquorum ſententiâ hoc Vniverſale negativum, quod ille adſtruit, eſt reale & ante mentis operationem: putant enim in hoc diſſentire à Platone Caietanum, quòd Plato reale poſitivum, & Cajetanus reale negativum admiſerit. Alij eamdem ad Scoti caſtra trahunt. Alij tandem volunt illum eſſe Thomiſtam, nec majorem diſtinctionem admittere, quam Angelicus Doctor, & differre à cæteris Thomiſtis, quod illi aſſerant, naturam beneficio intellectûs abſtractam & præciſam ab inferioribus eſſe univerſalem poſitivè: & Caietanus teneat eamdem acie mentis præciſam eſſe univerſale in negativè. Porrò Arriaga *diſput. 4. Logica, ſect. 3. num. 14. pag.* 86. Cajetanum Platonicum eſſe contendit: ait enim inter alia multa [Licèt demus Caietano totum hoc, adhuc non poſſet probare dari univerſale à parte rei: quia ſi natura à parte rei eſt una in omnibus, jam non poterit eſſe multiplex, & conſequenter nec univerſalis: Argumentatur autem Caietanus ex æquivocatione: accipit enim *hominem* in diverſâ ſuppoſitione, jam pro hoc, jam verò pro illo. Licèt autem omnes uno nomine vocentur, ſunt tamen tam diſtincti, quàm lapis & homo, licet non ſint ita diſſimiles. Inſuper accipit *homo* ex ſe, cùm à parte rei nullus ſit homo ex ſe, ſed Petrus, Paulus.] alij eum regerunt aliò: & nos, quia majoribus ſumus occupati, quid Caietanus ſenſerit, aut non ſenſerit, non diſcutiemus, ſed ſupponentes potiùs illum Vniverſale negativum docuiſſe (ſic enim eum intelligunt Viri doctiores) inquiremus, *An detur Vniverſale negativum? an verò omnia ſint poſitiva Vniverſalia?* Puto hanc quæſtionem futuram omni ſcholæ communem, Quia cum inquirimus, An Vniverſale Platonicum ſit negativum? poſſemus etiam inquirere, An Scotiſticum? An Thomiſticum? An Nominale? An Expreſſivum? An quodcumque aliud negativum ſit, aut poſitivum?

Caietani & Platonis diſſenſus.

An Caietanus Scotiſta, vel Thomiſta ſit?

An Academicus?

An Petrus tam ſit diſtinctus à Paulo quã à lapide?

An Vniverſale negativum ab omnibus defendi poſſit?

Vide Arriagam diſp. 6. 4. Logic. ſect. 3.

Caietanus igitur *cap. 4. de ente & eſſentia quæſt.* 6. ſic hoc Vniverſale exponit. Pronuntiat naturam humanam, Petri v. g. diſtingui ab humanâ naturâ Pauli: id verò non provenire ex ipſis naturis, quæ ſecundum ſe ſunt unum quid negativè, quatenus non dicunt ex ſe diſtinctionem, ſed ſolùm ratione individuationum cum quibus identificantur, quod convenit naturis ipſis à parte rei independenter ab intellectu: imò addit, naturæ Petri ſecundum ſe non repugnare à à parte rei eſſe in Ioanne, etſi non dicat aptitudinem poſitivam ad illam,] Et hæc doctiſſimi Viri ſententia Arriagæ, ut ipſe teſtatur, diſplicet propter multa. Hæreas tantiſper apud me, amice Lector, ut videamus rationes propter quas Arriaga hanc ſententiam faſtidit, fortè erunt tales, ut nos cogant eamdem renuere, aut etiam fortaſſis deteſtari.

An hæc opinio ſit probabilis?

CCCC XLIII. Obiectio prima. An natura diſtinguatur realiter à ſingularitatibus?

Diſplicet Caietani doctrina Arriagæ primò, quia videtur diſtinguere à parte rei naturam à ſingularitate: nam ſi à parte rei non diſtinguerentur, non poſſet naturæ convenire non repugnantia ad eſſendum in aliâ individuatione, & ipſi ſingularitati convenire eadem repugnantia: quia repugnantia & non repugnantia nequeunt eidem rei ſimul convenire. Debet ergo defendi ſententia Caietani dependenter à diſtinctione naturæ & ſingularitatis, quę diſtinctio impugnabitur infra.

Sed hoc eſt dicere diſplicet A, quia eſt A: Et dicam ego, eodem jure: mihi placere Caietanum, quia videtur à parte rei diſtinguere naturam à ſingularitate.

Obiectio ſecunda. An aptitudo & non repugnantia diſtinguantur?

Diſplicet Arriagæ ſecundò eadem doctrina, quia diſtinguit inter non repugnantiam & aptitudinem poſitivam ad eſſendum in alio: quæ duo idem ſunt à parte rei: quia, ſi alicui naturæ non repugnat eſſe in alio individuo, ergo poteſt eſſe in alio individuo, ergo habet aptitudinem ut ſit in illo; fruſtrà ergo inter non repugnantiam & aptitudinem quæritur diſcrimen.

At ego exiſtimo eſſe evidens non repugnantiam & potentiam poſitivam diſtingui: nam cœcus habet non repugnantiam ad videndum, non tamen habet potentiam poſitivam ad videndum. Ergo non erit idem naturam non habere repugnantiam ad eſſendum in multis, ac habere potentiam poſitivam ad eſſendum in illis.

Obiectio tertia. An Petrus & Paulus in ratione hominis diſtincti ſint

Diſplicet Arriagæ tertiò eadem Caietani doctrina, quia eo ipſo quòd Petrus & Paulus in ratione hominis non dicant diſtinctionem, tenebitur fateri in ratione hominis non eſſe diſtinctos.

Et hoc in Caietano diſplicet? Ergo teſte Arriagâ Petrus & Paulus in ratione hominis ſunt diſtincti. At hoc Platonicis, Scotiſtis, Thomiſtis, Nominalibus, & omnibus omninò diſplicebit. In omni opinione & ſententiâ, quæ univerſalia admittat, dicuntur Petrus Pauluſque eſſe eiuſdem ſpeciei: rationem hominis eſſe unam & indiſtinctam in utroque. At iam nos docet Arriaga illos in hominis ſpecificâ ratione diſtingui (nam de numerica iſthic non agitur) ergo nos docet aliquid, quod nemini placere poterit.

***

Pro-

Probatio I.

CCCC XLIV. *Quantam Petrus & Paulus ante mentis operationē habeant unitatem?* PLaceat aut displiceat Arriagæ Caietani sententia, probari debet, & contra eumdem Authorem propugnari.

Sic argumentatur Cajetanus. Petrus & Paulus independenter ab intellectu habent negationem distinctionis formalis in ratione hominis, quia non distinguuntur in illâ ratione, ergo sunt unum negativè in illâ. Ait Arriaga falsum esse Antecedens, & malam consequentiam. *Differentia inter distinctionē & dissimilitudinem.* Falsum Antecedēs, quia Petrus & Paulus, etiamsi in ratione hominis non sint dissimiles, sunt tamen distincti, quæ duo valdè sunt diversa & quia à multis non considerata sunt, ideò in has confusiones & idēditates secundum se, & negativè, &c. lapsi sunt. *An idem sit distingui positivè ac negativè?* Addit & consequentiam esse malam; quia si Antecedens esset verum, nō solùm negativè, sed etiam positivè Petrus & Paulus essent idem; quia in rebus positivis non distingui, & esse unum positivè, idem omninò est, diverso modo explicatum. Ergo Si Petrus nō distinguitur à Paulo, positivè erit idē cum illo.

Dominio dissimilitudo est identitas. Sed hæc responsio est insufficiens: quia tametsi imperfectè simile & idem differant; & tametsi coëxistere possint similitùdo imperfecta & distinctio: repugnat nihilominùs, quòd duo sint perfectè & omninò similia, & tamen distinguantur in illâ ratione, in quâ omninò similia sunt. Et hoc, quod ab omnibus radicitùs est examinatum & consideratum, deberet meliùs ab Artiagâ examinari & considerari. Sed hoc inferiùs discutiemus.

CCCC XLVI. *An individua in ratione specificâ identificentur positivè?* Præterea illud quod de identificatione positivâ & negativâ subjungit, etiam majorem considerationem postularet: non enim natura Petri & Pauli identificantur in specifico conceptu positivè, sed negativè. Quod ipsum non tam probare sed demonstrare poterit Caietanus: nam hæc est veritas, quam debet omnis schola & sententia fateri. Vt rem intelligamus, opus erit in memoriam reducere ea quæ diximus superiùs discrimen positivæ & negativæ identificationis illustrantes. *Quid sit identificatio positiva & quid negativa?* [Identificantur positivè duæ formalitates, ut Animal & Rationale in Thomistarum & Scotistarum sententiâ: at identificatio negativa reperitur quando est una sola formalitas, ut cùm Petrus dicitur identificari sibi ipsi: vocatur autem Identificatio negativa quia est non distinctio: hoc enim sensu dicimus materiam positivè uniri formæ, at negativè sibi ipsi; non enim separatur à re ipsâ. Identificatio enim positiva est unio, & unio ubi non dantur duo extrema, reperiri non potest.] Hinc ad Arriagam venio. *Responsio ad Arriagam.* Si natura Hominis specifica esset composita ex multis naturis partialibus identificatis, & in illas divideretur, multa suborirentur absurda, aut saltem cōcedere deberemus Artiagæ illas specificæ naturæ particulas esse identificatas positivè. *Qualis sit natura specifica & qualiter communicetur?* At res aliter omninò se habet: Natura specifica est una, & eo sensu quo est una, eo sensu est tota in singulis; quia est una ratio & formalitas, sibi ipsi non identificatur positivè, sed negativè. Hanc veritatem hoc exemplo dilucido. Christus qui est sub speciebus panis, & qui est sub speciebus vini, identificantur. Quo autem modo? Positivè? non: quia non sunt duo Christi. Ergo negativè. *Identitas Eucharistica.* Igitur de natura specificâ, quæ est in Petro & Paulo philosophator eodem modo. Identificantur. Sed quo modo? Positivè? non: quia nō sunt duę naturę specificæ: sed unica. Ergo negativè.

An non distingui & identificari sit idē? Tandem cespitat Arriaga, cùm ait non distingui esse idem ac esse unum positivè. Sam *non esse album*, non est *esse nigrum*: *non esse animam separatam a corpore*, non est *esse illi unitam*: *non habere gratiam*, secundum se, non est *habere peccatum*: ergo licèt hi termini rarò vel nūquam separentur, si rigorosè loqui velimus, *non esse distinctum* non erit *esse identificatum*: nā identificatio & distinctio sunt duo positivi termini, & non opponuntur contradictoriè, sed contrariè.

Probatio II.

CCCC XLVI. *An homo sit distinctus à Petro?* SEcundam rationem his verbis proponit Arriaga. [Homo ex se neq; est Petrus, neq; illi repugnat esse Petrus: Ergo ex se non est idem cum illo positivè: ergo est negativè distinctus ab illo.] Sic Arriaga: qui omittendo illam particulam *ex se*, ex primâ consequentiâ, quæ vera est, intulit secundam, quæ est falsa. Hæc enim propositio est vera, *Homo ex se est negative distinctus à Petro*: falsa hæc, *Homo est negative distinctus à Petro*. de facto enim apud Caietanum distinguitur positivè, tametsi non distinctione positivâ reali, sed tantummodò positivâ formali.

Vt igitur hanc secundam rationem meliùs capias, adnotato, quod cùm Vniversalo negativum volumus propugnare, *supponimus* communem verborum significationem. Illa enim dicuntur identificari negativè, quæ nec identificantur, nec distinguuntur positivè: & illa distingui negativè, quæ nec distinguuntur nec identificantur positivè. Quam obrem inter Identificationem negativam & Distinctionē negativam solùm est expressiva distinctio. Et his positis dicimus *Primò*, naturam humanam ut sic esse unam negativè. *Secundò*. Eamdem identificari Petro, non negativè sed positivè. *Tertiò* non distingui ab illo realiter, sed formaliter ex natura rei ante mentis operationem, & in hoc genere distingui non negativè, sed positivè. Omnia ad mentem Caietani, D. Thomæ: & tamen omnia aliter, quàm Arriaga pronunciat.

Ergo hinc argumentum non militat pro Caietano: nihilominùs qualecumq; illud sit, examinetur; Prima propositio, *Homo ex se neque est Petrus, neque illi repugnat esse Petrus*: in omni sententiâ & scholâ vera est. Sed differunt à Caietano multi; qui præter non repugnantiam, Vniversali etiam positivam potentiam aut etiam exigentiam concedunt: nam sicut istæ tres propositiones sunt diversæ: I. *Non repugnat, ut videat*. II. *Habet potentiam positivam ad videndum*. III. *Debet videre*. *An talpa careat oculis?* [prima enim verificabitur de cæco: secunda de talpa, si verum sit illum non carere oculis, sed illos habere tectos palpebris: vel si hoc animal oculis carere dicatur, verificari illa poterit de quocumq; dormiente, aut etiam habente clausos oculos:

ar tertia de solo illo qui haber illos apertos.] sic etiam istæ tres sunt diversæ. I. *Natura humana sumpta ut sic, non repugnat identificari singularitatibus.* II. *Eadem habet potentiam positivam ad hanc identificationem.* III. *Eadem exigit, aut debet habere ejusmodi identificationem.* Et quando alij adstruunt positivam potentiã; alij etiam exigentiam & debitum; qui Universale negativum tuentur, solâ non repugnantiâ contenti sunt,

Igitur, ut clariùs innotescat negativum hoc Vniversale non bene impugnari ab Arriagâ, Positiones, quæ debent invadi, proponamus.

Prima. *Natura universalis, nec ex se identificatur suis inferioribus, nec ex se respuit hujusmodi identificationem.*

CCCC XLVII. *Propositiones impugnandæ ab illis, qui universale negativum retinent.*

Secunda. *Homo ex se non est idem positivè cum Petro. Ergo ex se distinguetur negativè à Petro.*

Tertia. *Homo de facto est idem positivè cum Petro.* Nam sicut hæc Materia, tametsi ex se, hoc est, ex suis prædicatis essentialibus, non habeat quod uniatur positivè & actualiter huic formæ: nihilominus illi unitur positivè de facto. Et sicut hæc charta, tametsi ex se non habeat quod positivè scripta sit, nihilominùs est scripta positivè de facto; sic similiter natura Humana, specificè sumpta, tametsi ex se nõ habeat, quod sit Eccecitatibus identificata positivè: nihilominùs illis identificatur de facto positivè.

CCCC XLVIII. His positis videamus, quid probationi isti secundæ Arriaga respondere velit, vel possit.

Negat antecedens: videlicet, *Homo ex se, neque est Petrus, neque illi repugnat ut sit Petrus.* Sed eurquia, ut asserit, homini, qui ex se non est Petrus, essentialiter repugnat esse Petrum: & homini, qui est ex se Petrus, essentialiter repugnat non esse Petrum: quia in illo non est distincta ratio hominis à Petreitate,

An homini ex se repugnet, aut non repugnet esse Petrum?

Sed quis non videat hanc ipsam solutionem destruere omnia Vniversalia; & cùm omnia dico, tam Platonica & Realia, quàm formalia Scotistica & Thomistica, aut etiam Expressiva destrui dico; quod sic probo. Homo & Petreitas distingui debent; & hoc in nullâ negatur scholâ: tota enim disputatio non est in hoc sita, ut quæratur, An istæ formalitates distinguantur, nam supponitur esse distinctas, sed quali distinctione distinguantur. Dico igitur in omni opinione & scholâ debere admitti positionem, quam negat Arriaga: quod sic ostendo. Homo, qui ex se est Petrus, non potest prædicari de Petro & Paulo, sed de solo Petro: At datur homo, qui prædicetur de utroque: Ergo iste nec ex se erit Petrus, nec ex se erit Paulus. Probatur minor. Quia in his propositionibus, *Petrus est homo, Paulus est homo, Fridericus est homo,* &c. est unum & idem prædicatum: quòd si & hoc negetur, quo stabit modo, quod illud prædicatum sit universale: adeòque unum in multis & de multis. Ergo vel dicendum non dari ulla Vniversalia, aut concedendum est antecedens, quod negavit Arriaga,

Ratio superior & inferior in omni scholâ distinguuntur.

An unum & idem homo prædicetur de multis

DISPVTATIO IX.

De Vniversali formali ex naturâ rei.

CCCC XLIX. *An hoc universale Scotisticum sit*

SOlet hoc vocari *Scotisticum*, sed quia video hodie non paucos, eosque valde doctos Scotistas Thomistis aut Nominalibus subscribere, nolui ab Authore nomen petere, sed ab ipsâ distinctione formali. Si scire cupias, quid Scotus senserit in re dubiâ: adire poteris Lalemandetum, qui *disp. 4. Log. part. 4. num. 18. column. 11.* sic inquit, [Nota quosdam Scotistas negare Scotum admisisse unitatem illam formalẽ, & per consequẽs universalia ante opus intellectûs, Cavellus enim *in scholio ultimo citatæ quæstionis Scoti,* ait toto cœlo errare eos, qui putant Scotum posuisse universale positivè à parte rei. Fonseca *5. Metaph. c. 28. q. 5. sect. 2.* accusare videtur repugnantiæ Scotũ, posteà tamen interpretationẽ, & conciliationem inter dicta Scoti affert, quâ Scotum à repugnantia vindicat, dicta autem illa repugnantia Scoti videtur in eo, quòd dicat *in fine cit. quæst.* Vniversalitas non convenit rei ex se, communitas verò convenit ex se, ergo natura ex se non est universalis, attamen si communitas convenit naturæ ex se, ergo naturæ ex se conveniet definitio universalis, quę est, quòd sit unum aptũ inesse multis, natura autẽ ex se secum habeat cõmunitatem, & indifferentiam positivam ad multa, de se erit universalis; quare ne sibi repugnet Scotus, debet aliud intelligere per cõmunitatem, & aliud per universalitatẽ; ait itaque Fonseca per universalem debere intelligi, quòd naturæ non habeant universalitatẽ actu existentem ante operationem intellectûs, sed potentiâ tantùm, habeant tamen communitatem etiam in suis particularibus existentes, & indifferentiã ad omnia sua particularia, quòd ni fallor, est dicere, naturæ sunt universales ante opus intellectûs essentialiter, & formaliter, non tamen existentialiter: per universalitatẽ igitur Scotus intelliget existentiã naturę eamq; dicit fieri universalẽ ab intellectu, quia supponit existentiam à parte rei esse singularium, & hoc communiter ab omni Schola defenditur, & per cõmunitatem naturæ secundùm se spectatæ ad omnia sua particularia indifferẽtiam. Varij alij modi interpretãdi Scotum afferuntur tum à cit. Fonseca, tum à de Rada *part. 2. Controvers. Theolog. Controv. 3.* & à Vallio *parte 1. de universali in communi qu. 3. c. a. 4.* Ingenuè fatetur de Rada insignis Scotista, nõ satis constare inter Scotistas, quid senserit Scotus *quæst. citatâ.*] Sic ille.

Scoti mens.

An communitas ab universalitate distinguantur

Quid sit universalitas

An sit existentia singularium

Arriaga

CCCCL. *Notentur singula.*

Arriaga liberiùs quid doceant Scotistæ pronunciat *disp.5. Logicæ sect.1.subsect.2. num. 4.pag.*88. & sic ait. [Docent Scotistæ in homine v.g. rationem entis distingui formaliter ex naturâ rei à ratione substantiæ, & hanc à ratione corporis, & sic de aliis gradibus, ita ut animalitas hominis potuerit esse cum hinnibilitate equi, & cum illâ constituere equum, non ita ut simul ibi manerent duæ animalitates, sed ut auferretur, quæ erat equi, & poneretur in homine, vel in aliâ specie animalis.]

An dentur duo animalia generica?

Sed propter amorem Dei hæreat hic tantisper Arriaga & se relegat. In nullâ scholâ (Platonica, Scotistica, Thomistica, &c.) dãtur duo animalia generica, quorum alterum in homine, & alterum in equo sit. Animal, quod est genus, est unum in multis (unũ dico, : nõ duo: non plora) Non dicunt Scotistæ, quod animalitas hominis potuerit esse cum hinnibilitate equi: sed dicunt omnes (Reales, Formales, Expressivi, Nominales, &c.)

Nemo ad sunt,

Animalitatẽ genericam esse unam in multis: & eamdem in homine & equo. adduntq, animali ut genere, & rationali ut differentia constitui speciẽ hominis: & animali ut genere, & hinnibili ut differentia, constitui speciem equi. Et quia duæ conspecies non subalternantur duobus animalibus genericis, concludunt illud unum & idem animal genericum, quod est in homine, esse etiam in bruto. Quod ipsum debeo centies repetere propter Arriagam, qui centies oppositum dicit.

Hoc Vniversale formale ex natura rei solet à multis reiici; ab aliis, quod minorem distinctionem admittat quàm Platonicum: ab aliis, quod majorem, quàm Thomisticum: hoc enim habent sententiæ mediæ, ut telis utriusque extremæ sententiæ sint obnoxiæ. Nos illud ad Theses sequentes reducimus.

CCCCLI. *Vera Scoti sententia explicatiot*

Prima. *Gradus inferiores & superiores distinguuntur ante mentis operationem: non quidem realiter, sed formaliter ex naturâ rei.* Hanc tenent Scotistæ universi: qui enim hinc abeũt, Ochamistæ sunt, non Scotistæ.

Ochamista Scotista non sunt.

Hanc habuit & habere debuit Scotus: quem à suis principiis aberrasse monstraturus sit, qui hanc ipsam probet à Scoto negari: tota enim Scoti schola innititur distinctioni formali ex natura rei.

Secunda. *Vna & eadem natura communis & universalis (generica, aut specifica) ante mentis operationem, non quidem realiter, sed formaliter ex natura rei; est in omnibus suis inferioribus.* Colligitur ex præcedenti.

Has duas Propositiones propugnemus; istas rationibus positivis probando, & objectionibus satisfaciendo.

Probatur Scoti sententia.

MVlta & non contemnenda sunt argumenta, quibus Scotus & ejus discipuli suam sententiam persuadent, aliqua brevissimè ponemus & contra Recentiorum prætensas solutiones solidè propugnabimus.

Ratio I.

CCCCLII. *An rationalitas sit principium sentiendi: & animalitas ratiocinandi*

RE ipsa conveniunt opposita prædicata Animalitati & Rationalitati: ergo distinguntur inter se. Probatur Antecedens; quia Animalitati convenit esse principium sentiendi, non verò Rationalitati: item huic convenit esse principium discurrendi, quod repugnat Animalitati, ergo distinguuntur inter se realiter, aut saltem formaliter, ex naturâ rei. Negat antecedens Arriaga: quia Rationalitas hominis tam est principium sentiendi, quàm ipsa Animalitas; & hæc tam est principium discurrendi, quàm Rationalitas.

Sed non adquiesco. Nam sentire & ratiocinari sunt res diversæ, etiam in homine: ergo diversæ sunt potentiæ, quæ correspondent istis actibus. Sed non sunt distinctæ realiter: ergo formaliter ex natura rei,

Ratio II.

CCCCLIII. *An compositio generis & differentiæ præcedat mentem? An in Deo inveniatur?*

HOmo est compositus ex genere & differentia. Atqui vera compositio dicit veram distinctionem, ergo animalitas & rationalitas distinguuntur. *Confirmatur.* Si homo solùm ratione nostra componeretur ex genere & differentia, etiam Deus haberet eam compositionem, quæ tamen illi communiter negatur.

An distinctio ex naturâ rei reperiatur in Deo?

Vt enervet hanc rationem Arriaga, aliqua adducit, quæ Scoti doctrinam confirmare videntur. Ait in primis, etiam in Deo juxta Scoti mentem debere admitti eam compositionem, quæ in homine, quia etiam in Deo sunt prædicata communia & particularia; sed hoc non omnes Scotistæ propugnant: multi enim etiam homini negant compositionem formalem ex natura rei: aliique volunt ea in Deo distingui formaliter quæ in Homine realiter: & ea quæ in Homine formaliter, in Deo nullo modo distingui. Sed esto, omnia, quæ in Homine distinguuntur formaliter ex natura rei, eadem etiam distinctione distinguantur in Deo: quid inde mali, cùm hæc ipsa distinctio nullam imperfectionem importet. Addit Arriaga hominem non componi verè ex genere & differentia; quia cùm genus & differentia formaliter non sint à parte rei, non potest realiter genus & differentia componere: est ergo illa compositio solùm per intellectum, quatenus cognoscitur homo, & per actum qui tendit ad plures species, & per actum qui tendit ad differentiam illarum. Quòd si in Deo hæc compositio non admittitur, ideò est, quia in Deo non admittitur communiter ratio univoca ipsi & creaturis, ut requiritur communiter ad genus.

Sed sopponit hic Arriaga id, quod quæritur. Dicit Scotus compositionem formalem ex natura rei omnem mentis operationem præcedere: & reponit Arriaga non præcedere. Sed hoc ipsum probare deberet alterutet. Præterea, compositionem ex genere & differentia, quam Confirmatio regerebat, non negant Scotistæ Deo: nec video cur reformidanda sint prædicata Creatori & creaturis univoca; tametsi mihi aptiora videantur analoga.

An Ens respectu Dei & creaturarum sit univocum

Ratio III.

CCCCLIV. *Quid sit distinctio ex naturâ rei?*

Dicuntur distingui formaliter ex naturâ rei, quæ diversis definitionibus definiuntur. At communiores gradus diversas definitiones habent ; & minùs communes diversas: Ergo, ut minimùm distinguuntur formaliter ex naturâ rei: quia eadem formalitas diversis definitionibus definiri non potest.

Hoc argumentum non pro Scoto, sed contrà militare ait Arriaga : si enim probare aliquid potest, suadebit naturam distingui etiam à singularitate incompletâ, quod tamen ipse non fatetur. Patet, quia etiam singularitas incompleta definitur diversâ definitione, quàm natura ; singularitas enim incompleta definitur esse id, in quo una natura ab aliâ distinguitur, quæ definitio non est naturæ: non ergo consequenter propter hoc argumentum distinguis singularitatem completam, & id negas de incompletâ.

An dentur singularitates incompletæ?

Sed cur, quæso, his incompletis singularitatibus onerat naturam Arriaga ? Præcisis singularitatibus completis manet una natura & non multæ naturæ ; præcisis ecceitatibus, manet ratio hominis ut sic, non rationes: & hanc ob rem repugnat incompletarum singularitatum conceptus. Fallitur igitur Arriaga, cùm ait, *singularitatem incompletam esse id in quo una natura distinguitur ab aliâ*; nam si non dantur duæ naturæ, non dabitur in quo distinguantur.

De distinctione reali extrinseca.

Respondent alij, tunc solùm posse unam rem dupliciter definiri, quando est principium diversarum operationum ; nam in ordine ad unam operationem unâ definitione, in ordine ad aliam, aliâ definitur.

Sed hæc solutio nec vera, nec sufficiens est. *Non est sufficiens*, quia sentire & ratiocinari sunt operationes diversæ: ergo animalitas & rationalitas, quæ harum sunt actionum principia, poterunt diversis definitionibus dilucidari. *Non est vera*, quia etiam res non operativæ possunt variè definiri: quia etiam possunt convenire genere, & differre specie. Sed quæ erunt realitates non operativæ? Colores proponit Arriaga; at videtur color generare colorem, sicut calorem calor: sed de hoc alibi. Saltem lapides non posse alios lapides generare creduntur, nunquam enim aut saphirus saphirum, aut adamas genuit adamantem : quidquid enim de illo geminante & alio enitente legimus, videtur fabula.

An dentur Entia non operativa?

An color genitivus sit? An etiam lapis?

Ratio IV.

CCCCLV. Si Animalitas, & Rationalitas essent idem, de quocumque prædicaretur animalitas, prædicaretur etiam & rationalitas: ac proinde de equo posset dici esse rationalem, quod est falsum. Negat Arriaga consequentiam; quia de equo non prædicatur ea animalitas, quæ est idem cum rationalitate, sed alia diversa : unde non sequitur rationalitatem etiam prædicandam.

Arriaga tollit universalia.

Et hîc ego rideo omninò. Si enim de equo aliud animal prædicatur, quàm de Homine, neutrum ex istis animalibus erit genus : nam neutrum prædicabitur de multis differentibus specie. Statuẽdum est igitur (& hoc in omni scholâ & sententiâ) unum & idem prædicatum *Animal* dici de Petro & Paulo, de homine & equo &c. unum & idem, inquam; non quidem numero, aut specie, sed genere. Quod ipsum mihi tam clarum est, ut non putem tantâ ingenij acie muniri hominem posse, ut Arriagæ perpetuum præjudicium ad probabilitatem reducat.

Ratio V.

CCCCLVI. *De naturâ secundum se.*

Natura secundum se considerata; hoc est, secundum sua prædicata essentialia neque est singularis, neque universalis, ergo distinguitur à singularitate secundum se. *Confirmatur*: de Petro prædicatur tota essentia Ioannis, aliàs essent diversi specie ; sed non prædicatur singularitas, ergo distinguuntur inter se singularitas & natura.

Eodem modo quo distinguuntur species à singularitatibus, distinguitur genus, à suis differentiis, non majori, aut minori distinctione.

Recognovit hanc rationem Arriaga, & ait, illâ non tam probari distinctionem graduum inter se, quàm à singularitate : quod tamen neque ipse Scotus fatetur. Sed puto *primò* hac ratione æquè probari distinctionem generis à differentiis specificis, quàm speciei ab individualibus : & puto *secundò* Scotum fateri æquè genus à specie, quàm species ab individuo distingui formaliter ex naturâ rei. Probo *primum* rationem eamdem rescribendo. Sic inquam. [Animal secundum se consideratum; hoc est, secundum sua prædicata essentialia, non est rationale, nec irrationale: non est homo, nec brutum: ergo distinguitur à differentijs quibus dividitur, & à speciebus, ad quas contrahitur. *Confirmatur*. De equo prædicatur tota ratio animalis, quæ est in homine : at non prædicatur rationalitas: Ergo distinguuntur inter se animalitas & rationalitas.] Probo *secundum*, quia eisdem argumentis, quibus probatur à Scoto differentias specificas distingui à genere formaliter ex naturâ rei, eisdem probatur eâdem distinctione ecceitates à specie distingui.

OBIECTIONES.

Hinc non erit difficile rationes nonnullas dissolvere, quibus oppetitur doctrina Scoti. Ponam aliquas, & illas difflabo clarissimè, ut videat Lector, si nolit Platoni subscribere, quàm possit securè & tranquillè Scoti defendere formalitates.

Objectio I.

An natura præcisa sit adhuc singularis?

Natura illa, quæ dicitur distingui ab Ecceitatibus formaliter ex naturâ rei, adhuc abstracta & præcisa à singularitate, est [illegible] singu-

singularis; ergo frustra ei additur singularitas formaliter distincta. Antecedens patet, quia adhuc illa natura sine singularitatibus esset indivisa in se, & divisa à quâlibet aliâ; ergo singularis.

Arriaga, hanc rationem esse inefficacem putat; & meritò, non enim urgere hominem poterit, qui mediocriter intelligat istum Tractatum. Sed quia vult Scotistas tueri, quî illos defendat & propugnet videamus. [Hoc argumentum, ait, non probat nullos gradus inter se distingui, sed tantùm singularitatem à rationibus communibus, imò nec de hâc; quia facilè possent Scotistæ respondere, distinguendo duplicem singularitatem, completam unam, aliam incompletam. Singularitas incompleta posset dici illa, quâ natura animalis, v.g. est hæc potius quàm illa, etiam antequam intelligatur contracta ad rationale, quia etiam genus habet immediata individua. Singularitas completa esset ea, quâ non solùm animalitas est hæc potiùs quàm illa in ratione animalitatis, sed etiam ultimò determinatur ad esse hominis, & individui completi, Petri v.g. Posset ergo argumento responderi, naturam ut distinctam à singularitate, esse singularem incompletè, non verò completè, & ad hoc egere singularitate distinctâ, quo totum argumentum corruit.]

An detur duplex singularitas: completa & incompleta?

An dentur individua generica?

At mihi in ista solutione multa displicent: & inter alia præcipuè illa singularitatis completæ & incompletæ distinctio: quæ non est omninò certa, nec impræsentiarum necessaria. Ergo omissâ hac solutione, veram demus.

Respondeo ergo uno verbo negando antecedens: natura enim semel præcisa ab ecceitatibus, nec est completè nec incompletè singularis, sed universalis. Ad probationem dico, illam descriptionem, *Indivisum in se, & divisum à quolibet alio*, latiùs patere, quàm singulare: tale enim est, quidquid est Vnum: quoniam Vnum transcendentale suo modo, Vnum genericum suo, Vnum specificum suo, Vnum differentiale suo, & Vnum singulare suo, est indivisum in se, & (negativè aut positivè: potentiâ aut actu) divisum à quolibet alio.

Vnitas transcendentalis.

Indivisum.

Obiectio II.

CCCCLVIII. *An una & eadem natura sit in multis?*

SI distingueretur Homo à Petreitate, Pauleitate, &c. formaliter ex naturâ rei, sequeretur unam & eamdem naturam humanam esse in omnibus Hominibus; unam & eamdem naturam animalem in omnibus Animalibus; At hoc dici non potest: Ergo.

Ait Arriaga ex hac doctrinâ non sequi in principiis Scoti, in omnibus hominibus esse unam & eamdem naturam, quia potest Scotus respondere eas naturas multiplicari à seipsis per singularitates incompletas, etiamsi à seipsis non habeant esse Petri potiùs quàm Ioannis, ad quod egeant singularitatibus completis: sicut natura divina non eget paternitate ut sit singularis, sed ut sit pater; & materia prima à seipsâ est singularis, licet sit indifferens ut sit cum hâc vel illâ formâ, & constituat hoc vel illud individuum completum; neque eget forma ut sit hæc materia, sed ut sit *hic homo* vel *hic equus*. Quòd si argumenta Scoti pro distinctione naturæ à singularitatibus completis probarent idem de incompletis, inde solùm sequeretur, eum non locutum consequenter (quod nos statim ostendemus) non verò absolutè ex ejus sententiâ sequi, esse in omnibus unam & eamdem naturam, quod argumentum contendebat.

Solutio Arriagæ.

An natura divina sit universalis?

An materia prima à se sit singularis?

At mihi displicet ista solutio. *Primò*, quia recurrit ad singularitates incompletas: quas iam rejecimus: & sensu, quo ab Arriagâ admittuntur, ab omnibus reiici debent. *Secundò*, quia nocet hanc incompletè singularem naturam non habere esse potiùs Petri quam Ioannis. Nam si hoc est verum; ipsa sola sufficit, ut sit in multis: nec dabitur ratio, cur debeat esse in uno tantùm. *Tertiò*, quia singularitatem naturæ divinæ aliunde desumit quàm ab infinitate: nam Divinitas est singularis completè.

Reiicitur ista solutio.

Omissis igitur his tricis, summâ doctrinæ consequentiâ respondeo ad objectionem distinguendo sequelam. Sequi ex doctrinâ Scoti unam & eamdem naturam humanam specificam esse in multis hominibus: & unam & eamdem naturam animalem genericam esse in multis animalibus, concedo: unam & eamdem naturam humanam singularem esse in multis hominibus, & unam & eamdem naturam animalem singularem esse in multis animalibus, nego. At illud prius dici non posse, nego. Imò dici debere tam constanter affirmo, ut contrarium vociferantes patienter audire non possim.

Vera solutio.

Obiectio III.

CCCCLIX. *An dentur multæ animalitates abstractæ?*

ANimalitas hominis v. g. adhuc distincta à rationalitate, est diversa specie ab animalitate equi, quia adhuc distincta dicit ordinem essentialem ad rationalitatem, quem non dicit animalitas equi; hæc enim dicit ordinem ad hinnibilitatem: ergo non rectè Scotus animalitatem distinguit à rationalitate, eò quòd in illâ conveniat cum equo, differat verò in hâc, quia (ut constat) etiam in ipsâ animalitate conveniunt & differunt.

Hîc propiùs accessit ad Scotum Arriaga, putat enim hanc objectionem esse debilem, posseque negare Scotistas, animalitatē hominis ut distinctam à rationalitate dicere ordinem determinatum ad rationalitatem, imò potiùs dicturos esse eam esse indifferentem, ut sit vel in homine, vel in equo: Hinc infert in sententiâ Scoti animalitates distinctæ omninò convenire inter se, sicut in omnium sententiâ materia prima omnium animalium omninò est ejusdem speciei. Imo, censet, dicendum consequenter, semel admissâ Scoticâ distinctione, eas animalitates non esse inter se ullo modo diversas.

Dixi hic propiùs accedere Arriagam, quam aliàs: at non benè tuetur Scotum. Quam ob rem ad objectionem respondeo negando antecedens. Quoniam animalitas hominis nec specie, nec numero completè, nec numero incompletè distinguitur ab animalitate equi: non enim in homine & equo sunt duæ animalitates: sed una generica & universalis: nam aliàs universale non esset unum in multis.

Objectio IV.

CCCCLX. PRæmisit Arriaga rationes, quas judicaverat dissolvi posse; modò subscribit illas, quas insolubiles & evidentes judicat, & sic inquit. [Impugno igitur efficaciter prædictam Scoti sententiam; quia si ratio superior ex se est indifferens, ut hæc vel illa differentia specifica determinetur, ergo ratio entis & substantiæ, quæ reperitur in Angelo & in anima rationali, potest esse de se in lapide; ergo neque Angelus, neque anima rationalis sunt omninò spirituales, quod est absurdum. Patet consequentia, quia nihil spirituale potest reperiri in lapide: sed in eo potest reperiri eadem numero ratio substantiæ, quæ est in Angelo, ergo hæc non est spiritualis, ergo neque Angelus compositus ex illa erit omninò spiritualis. Præterea, ergo in Deo est aliqua ratio communis v. g. entis & substantiæ, in qua sive univocè, sive analogicè Deus convenit cum creaturis, quæ de se sit indifferens, ut eadem numero sit in creaturis & è contrariò in creatura aliqua ratio de se indifferens, ut sit realiter in Deo, quod est erroneum & Chimæricum: quia poneretur in rerum natura aliquid, quod nec sit creatum, nec increatum; non creatum quia potest esse in Deo, in quo nihil potest esse creatum; non increatum, quia poterat esse in creatura, in qua nihil potest esse non creatum.

An aliquid Angelo & lapidi possit esse commune?

An aliquid commune Deo & creaturæ?

Nota illam vocem numero.

An detur aliquid, quod nec creatum nec increatum sit.

Respondeo hanc rationem postulare, ut dicamus breviter, quo modo distinguantur Systemata: nam argumenta quæ sumuntur à lapide ad Angelum, à creatura ad Deum transeunt à Systemate ad Systema, & longi itineris labore fracta carent viribus, quibus nos oppetere possint. Interim alibi hoc uberiùs tractaturus *dico primò*, Systema esse decem prædicamentorum sub uno Ente dispositionem. *Dico secundò*, dari multa Systemata: & præcipua esse Materiale, Intentionale, Spirituale, Supernaturale, Infinitum. *Dico tertiò*, lapidem pertinere ad Systema Materiale; Angelum ad Spirituale; Deum ad Infinitum: eosque plus quam prædicamento differre. *Dico quartò*, rationem substantiæ ut sic, esse universalem & generalem, & secundum se nec esse materialem nec spiritualem, nec divinam nec humanam, nec angelicam; & hanc in lapide, in Angelo, & in Deo reperiri. Negare enim Deo aliquam perfectionem præcisam ab imperfectione Chimæricum & absurdum est: reperiri, inquam, non eamdem numero, ut malè objiciebat Arriaga: sed eamdem genericè.

Distinctio Systematum.

Quid sit Systema?

Quot sint Systemata?

Objectio V.

CCCCLXI REpugnat, rationem substantiæ distingui à ratione entis. Idem est de aliis gradibus: substantiæ enim quantumcumque præcisæ non repugnat existere, ergo erit Ens formaliter, neque ratio substantiæ poterit præscindi realiter à ratione animalis, quia animalitas etiam ut distincta à ratione substantiæ, complet per se animal, & est radix operationum: ergo etiam ut distincta est substantia. Nec proderit aliter de Ente, & aliter de aliis prædicatis universalibus Philosophari: quoniam, si semel concedat Scotist. unum gradum superiorem non distingui ab inferioribus, corruit totum fundamentum suæ sententiæ, desumptum ex eo quòd ratio superior non definiatur eadem definitione, & latiùs pateat quàm inferior, quæ omnia reperiuntur in Ente respectu substantiæ, & in substantia respectu viventis, etiamsi ab illis non distinguatur; ergo idem de omnibus fateri tenetur. Præterquam quod etiam in aliis gradibus potest idem probari, in gradu v. g. *viventis*: hic enim etiam reperitur formalissimè in animalitate & rationalitate, quæ per sensationem & intellectum formaliter moventur ab intrinseco, & vivunt. Item in gradu spirituali, qui etiam reperitur in differentia Angeli, quæ ut sic est indivisibilis & independens à materia; ergo spiritualis, sive Spiritualitas in indivisibilitate, sive in independentia à materia consistat, de quo alibi. Idem de aliis gradibus facilè posset ostendi. In sola animalitate, & ejus speciebus, non videtur ita manifesta conclusio hæc: quandoquidem potest esse unum principium, quod sit sensitivum, & non intellectivum; & è contrariò unum rationale quod non sit sensitivū, unde non tam clarè in ipsa differētia includitur sensibilitas. Sed parū hoc est, quia argumento ex aliis gradibus desumpto, & ex indivisibilitate animi rationalis, ubi propterea non possunt esse duæ radices distinctæ, una sentiendi, & alia discurrendi, sufficienter etiam probatur, nec ibi admittendam eam distinctionem, præsertim cùm argumenta Scoti, si vel in uno prædicato non habent vim, in nullo eam habebunt, est enim difficultas omnibus communis, ut paulò ante notavi.

An Ens possit à substantia præscindi.

An superiores gradus ab inferioribus?

Sic contra Scotum argumentari Arriagæ placuit: sed proponit rationes, quibus omnes Scholæ & opiniones sunt obnoxiæ. Est enim quæstio communis, quæ interrogat, *An genus de differentiá prædicetur? An illa queat ab illo excidi?* Nam si dicas differentias esse Universalium formalitatum modos, stabis genus à differentiâ præcidi posse, & differentiam à genere non posse: præcidi, inquam, realiter in Scholâ Platonicâ: formaliter ex naturâ rei in Scotisticâ: ratione præcisivâ in Thomisticâ: &c. Quam ob rem, cùm hæc controversia sit communis omnibus Scholis, non est, cur ex illâ contra Scotum argumentum sumatur, quia in Schola Scoti alterutrum.

Quæstio omnis Scholis communis.

An differentiæ sint formales modi?

trum poteſt defendi: & alterutrum in quacumque alia.

Obiectio. VI.

CCCC LXII. SI eſſet vera ſententia Scoti, hæ prædicationes eſſent falſæ: Videlicet. *Animal eſt rationale: Vivens eſt ſenſibile: Homo eſt animal.* At iſtæ admittuntur ab omnibus: Ergo.

Omitti jubet Arriaga hanc objectionem: tum quia non mirum, ſi ipſe neget propoſitiones communes, cùm in hac ſententia contrarius ſit omnibus: tùm quia poſſet reſpondere eas eſſe veras, etiamſi animalitas à rationalitate diſtinguatur realiter, quia in illis in recto importatur ſubjectum commune, ſicut hæ ſunt veræ, *album eſt dulce*, etiamſi albedo realiter à dulcedine diſtinguatur: eodem enim modo non poteſt dici, albedo eſt dulcedo, ſicut nec animalitas eſt rationalitas, in ſententia Scoti, in quo nullum videtur abſurdum: Imò P. Suarez *diſp. 6. Metaph. ſect.* 10. etſi impugnet Scotum, prædictas tamen propoſitiones, *Animalitas eſt rationalitas*, cenſet eſſe falſas, nihil ergo ex illis contra Scotum.

Concreta dicunt ſuppoſitum in recto.

Abſtracta de abſtractis non verificantur.

At ego dico illas tres propoſitiones eſſe veras: duaſque priores ad quintum prædicabile, & tertiam ad primum pertinere: nec eſſe cur reiciantùr, aut de earumdem veracitate dubitetur.

At inſtabis, Nullum tunc erit ſubjectum commune, quod in recto ſignificetur: Ergo non poſſunt eſſe veræ prædictæ propoſitiones ratione ſubjecti communis.

An in propoſitionibus formalibus ſit ſubjectum commune?

Reſpondeo primò, hanc ipſam inſtantiam non militare contra Scotum ſolummodò, ſed eſſe communem: in omni enim Schola oſtendendum eſt quo modo verificentur iſtæ duæ propoſitiones *Homo eſt animal, & Animal eſt homo.*

Reſpondeo ſecundò ſubjectum & prædicatum unam & eamdem rem dicere in recto & ſolùm differre in obliquis. Sed quam in recto? Putat Arriaga importari in recto rationem Entis ſummam, aut Ecceitatem infimam. Et ego hanc ultimam exeſſe jubeo, & illam priorem admitto, & illas poſitiones expono. *Homo eſt animal,* æquivalet huic, *Habens humanitatem eſt habens animalitatem.* Et, *Animal eſt homo,* æquivalet huic, *Habens animalitatem eſt habens humanitatem.*

Quid illud commune ſubjectum ſit?

DISPUTATIO X.

De Univerſali Formali Thomiſtico, & Præciſionibus objectivis.

CCCC LXIII. *Dominus.* QVando gradus ſuperiores & inferiores diſtinguuntur formaliter ex natura rei, Vniverſale dicitur *Scotiſticum*: & quando diſtinguuntur ratione ratiocinata, *Thomiſticum*. Scio nonnullos Authores Scotum, nonnullos etiam D. Thomam vel invitos traducere, & ad Ochamiſtarum & Nominalium opiniones torquere: at nos loquimur cum multis: & quidquid de nominibus ſit, non tam nomina, quàm res ipſas, quæ nominibus exponuntur, curamus.

An D. Thomas & Scotus ſint Nominaleſ?

ARTICULUS I.

Exponitur Vniverſale Formale ratione ratiocinata præciſum.

CCCC LXIV. *Vera Vniverſalis D. Thomæ expoſitio.* UT penitiorem notitiam habeas doctrinæ, quam Thomiſtæ tuentur, has Ego Poſitiones poſteà examinandas & dilucidandas præmitto. *Sit prima*: Intellectus humanus cùm res cognoſcit, illarum eſſentias non immutat. *Secunda*: Datur in rebus realiter ſimplicibus & indiviſibilibus capacitas, ut fiant formalitates, & præciſiones objectivæ & hæc ipſa capacitas ab aliquibus dicitur Fundamentalis, & ab aliquibus Virtualis diſtinctio. *Tertia*: Præſcindere eſt unam formalitatem cognoſcere ſine altera. Etiam Iudicio & Diſcurſu præſcindimus ſed modò ſufficit apprehenſionem noviſſe præciſivam. *Quarta*: Quando præſcindo hominem à Petro, cognoſco hominem non cognita Petreitate (Idé dico de aliis gradibus univerſalibus.) *Quinta*: Homo præciſſus, eſt realiter, ut erat ante præciſſionē, multa, non unum: & tamen formaliter eſt unum, non multa: & eſt formalitas quædam univerſalis una in multis.

Hæc eſt vera Idea & explicatio Vniverſalis Thomiſtici: ſed quia libros legis, & aliqua his contraria reperis, debes ſuppunere illud non benè ab omnibus Patribus Dominicanis defendi: non enim pauci ex ipſis in alias Scholas inclinant aut declinant, & propriæ Scholæ doctrinam, aliàs pulchram, alienis coloribus maculant. Et hoc ſuppoſito debes oculos convertere ad Phyſica ut hæc te manuducant in Logicis. Superiùs omnia uberiùs, nunc aliqua, ſed breviſſimè expedio.

Patres Dominicani non omnes nec ſemper ſunt ſeveri Thomiſtæ.

Ariſtoteles & D. Thomas in Phyſicis docent quantum reale habere partes non actu ſed potentiâ diſtinctas: nimirùm diſtinguibiles cùm realiter continuum dividatur: & inferunt in Logicis quantum formale non habere partes ſeu formalitates actu diſtinctas ante operationem mentis, ſed diſtinguibiles ingenij aciei:

An Continuum ante diviſionem habeat partes?

acie: & Scotus, quia negat illud prius, consequenter negare debet hoc posterius: & quia in quanto physico ponit partes realiter distinctas ante omnem realem continui divisionem; ideò in quanto Metalogico seu Metaphysico ponit partes sive formalitates formaliter, & ut ipse loquitur, ex naturâ rei, distinctas ante omnẽ intellectualẽ præcisionẽ.

Præterea Aristoteles & D. Thomas in Physicis docent Materiam ex se nullas habere partes: sed tam entitativas, quàm extensas aut etiam impenetrabiles habere à quantitate: & ad Metalogica venientes inferunt naturam genericam aut specificam ex se nullas habere partes, sed multiplicari per raleitates, à quibus numerum, & discretam quantitatem recipiunt. Nam genus non ratione sui, sed ratione differentiarũ dividitur in species: & species non ratione sui, sed ratione differentiarum dividitur in individua.

CCCC LXV.

An materia hominis & bovis distinguantur?

Materiam hominis & materiam bovis de facto distingui realiter certum est, etiam in Thomistarum opinione. Sed unde hanc distinctionem habet? A quantitate. Et quid, si Deus omnem quantitatem aut adnihilaret de facto, aut à subjectis realiter abstraheret? Remaneret materia, at careret partibus entitativis; & in tali casu non solùm non distingueretur materia hominis à materiâ bovis, sed nec darentur duæ materiæ, sublatâ enim distinctione omnis materia esset una & secundum se non solùm indivisa, sed & indivisibilis & divisibilis remotè, quia posset recipere quantitatem, à quâ redderetur divisibilis proximè, vel actu divisa, si & quantitas esset actu divisa.

An materia præcisa à quantitate partes habeat?

CCCC LXVI.

Unde habet genus divisibilitatem?

Sic ad Aristotelis & Angelici Doctoris mentem Thomistæ in Physicis philosophantur; & ad Metalogica venientes pronunciant animalitatem hominis & animalitatem bovis ante mentis operationem realiter distingui & hoc esse certum apud omnes affirmant. Sed unde habet hanc distinctionem animalitas? A quantitate discretâ Metalogicâ: hoc est, à differentiis divisivis: nimirùm, à rationalitate & mugibilitate. Et hinc venit intelligendus Aristoteles, qui 8. *Metaph. text.* 10. definivit species sicut numeros esse: quoniam à differentiis constitutivis habent, quòd numerari possint soleantque, nam genus secundum se non habet partes. Sed quid, si Deus conservatâ animalitate omnes differentias, illam dividentes, & species (generis partes potestativæ sunt) diversas constituentes, aut adnihilaret aut attraheret ab animalitatibus, & illas alibi miraculosè conservaret, sicut quantitatem in Eucharistiâ sine subjecto manutenet? Remaneret quidem animalitas, at careret partibus potestativis: & in tali casu non solùm non distingueretur realiter animalitas hominis ab animalitate bovis, sed nec darentur duæ animalitates, sublatis enim differentiis divisivis & multiplicativis animalitas maneret indivisibilis & immultiplicabilis, & secundum se esset unica sola animalitas: remotè tamen divisibilis & multiplicabilis, quia posset differentias divisivas

Species sicut numeri sunt.

Quid fieret generi differentiis omnibus ablatis, aut adnihilatis?

& multiplicativas recipere, quarum inhæsione redderetur realiter divisibilis & multiplicabilis, aut etiam realiter divisa & multiplicata, si & illæ essent actu distinctæ seu divisæ.

Sicut de Reali suo Universali Plato, sic de suo Formali D. Thomas philosophatur.

Hæc hypothesis à Platonicis admittitur in Thesis, quorum sententiâ omnia sunt vera de facto, quæ jubentur supponi, impossibilia sint aut possibilia. Hac ergo hypothesi qua etiam utitur P. Thomas Comptonus *disp.* 30 *Log. sect.* 8. *num.* 7. ut Universale D. Thomæ defendat, manuducamur, ut altè calleamus Angelici Doctoris opinionem. Sic discurro. Christus, summo Dei miraculo, summo Dei beneficio, est in cœlo, & in terrâ: ibi modo connaturali, hic supernaturali: ibi distat à nobis, hic est proximus nobis: ibi videtur, & hic comeditur. Et si mente à Christo omnem ubicationem præcido, manebit Christus realiter immutatus; & tamen nec intelligetur esse in cœlo nec in terrâ, nec intelligetur habere *ubi* connaturale, nec supernaturale, nec nobis proximus, nec remotus. &c. & cessabunt omnes differentiæ, quæ illi ratione locorum conveniebant. Si ab eodem mente præciderem omnem colorem, maneret realiter immutatus, essetque de facto, qualis nunc est, candidus & rubicundus, electus ex millibus, at nec intelligeretur esse candidus, nec esse niger, nec esse ruber, nec alio colore distinctus. Ergo similiter de animalitate Thomisticâ philosophemur. Animalitatem hominis & animalitatem bovis in scholâ Thomisticâ ante mentis operationem realiter distingui certum est. Cogitatio mea statum rerum physicarum non mutat: si cogitem te tacere, non ideò te prosterno; si cogitem te volare, non ideò te per aëra rapio; si cogitem te mortuum, non ideò te occîdo; non enim humanæ Imaginationi tantæ sunt vires ut res distinctas & distantes immutet. Ergo cùm hominem, bovem, leonem, &c. cogito animalitates plures, distinctas & differentes cogito. Sed unde habet hanc distinctionem & pluralitatem animalitas? A quantitate discretâ Metalogicâ; hoc est, à differentiis divisivis: nimirùm, à rationalitate, mugibilitate, rugibilitate, &c. Sed quid, si ego conservatâ mente animalitate, nullas differentias illam dividentes, & species diversas constituentes conciperem? Remaneret quidem in homine, bove, leone, &c. animalitas multiplicata realiter à parte rei ut anteà (mens enim mea, ut dixi, extrinseca objecta realiter non immutat) at nec intelligeretur à me multiplicata, nec divisa, sed una; remaneret quidem in cogitatione mea; at non intelligeretur habere differentias, adeòque nec species, quæ sunt generis partes potestativæ: & in tali casu non solùm non intelligerentur distingui animalitas hominis & animalitas bovis, sed nec intelligerentur esse duæ animalitates: nam, sicut ubi nullus intelligitur color, non intelliguntur colores distincti; sic etiam ubi nulla intelligitur differentia, non possunt intelligi animalitates differentes. Ergo animalitas mente præcisa à differentiis diversis & multiplica-

Radix Eucharistica.

Cogitatio nihil mutat in rebus.

Nota hæc attentè.

Cur animalitas multiplicetur?

tivis,

tivis, concipitur his non conceptis; ergo non concipitur ut divisa & multiplicata: imò neque ut divisibilis & multiplicabilis proximè; potest tamen dici esse sub illo conceptu divisibilis & multiplicabilis remotè (eo nimirùm sensu, quo cæcus dicitur visivus: non quod habeat videndi potentiam, sed quod eam habere possit) nam potest affici differentiis, & earumdem affectu subdividi & multiplicari.

Divisibilitas proxima & remota.

Hæc est vera Idæa Thomisticæ universalitatis; quâ qui carent, non bene doctrinam D. Thomæ tuentur. Est sententia communis & vulgaris; & hodie plurium, & quia Arriagæ illa displicet, à nobis hîc propugnari debebit. Arriaga igitur *disp. 6. Logica sect. 3. pag. 106. num. 9.* sic eam proponit. [Non possum non hîc, quod audiverim ipse breviter referre. Quidam enim Vniversalitatem explicantes dicunt, posito, tanquam conditione purè extrinsecâ, meo actu præscindente hominem à Petro & Paulo, v. g. realiter & intrinsecè Petrum & Paulum manere unum indivisibilem hominem indistinctum in se, non minùs verè realiter à parte rei, quàm professor, positis discipulis, sit & realiter Magister. Sic autem putant isti se valdè benè explicuisse universalitatem, dum verè & realiter ponunt ex parte objecti omnium hominum naturam unam indivisibilem realiter, quæ posteà in individuis realiter distinguitur.] Sic Arriaga, cujus verba tantisper ad limam reduco. *Quidam*, ait, *dicunt*: at opinionem quam producit, non est quorumdam sed omnium Thomistarum: nam si aliquis opinatur aliter, non est Thomista. Ponunt isti Authores identitatem at unitatem humanitatis realem, non fictam, at verò post mentis operationem, hoc est objectivam non tamen existentem: non enim ipsi dicunt hominem specificum esse realiter unum, & carere realiter differentiis, sed concedi non conceptis differentiis, adeòque esse objectū reale, actu reali realiter conceptum, quin ullæ differentiæ concipiantur: & siquidem mentis beneficiis manet sine differentiis, mentis beneficio manet unum. Sed Arriaga progreditur. [Crediderim ab his Auctoribus non benè, quæ dicunt considerata; neque enim possum mihi persuadere sibi ipsis voluisse tantam injuriam inferre, ut fateantur, quando ego hic in meo cubiculo præscindo & dico *animal*, eo ipso verè & realiter & intrinsecè ipsos non solùm manere unitos cum animalitate equi aut asini, sed propriè & rigorosè fieri eamdem indivisibilem animalitatem equi aut asini, & hoc non minùs verè & realiter quàm ego habens discipulos sum magister. Certè ego non volo ita de me sentire. Sed age ulteriùs id impugnemus: numquid, quia aliquis sedens Romæ, Pragæ vel Salmanticæ in suo cubiculo, vel disputans in Scholis, præscindat rationem hominis ut sic, ideò omnes homines, qui sunt per totum orbem dispersi, verè & realiter & intrinsecè ad se accedunt paulatim, & fusi in unam massam fit unicus indivisibilis homo intrinsecè? numquid post omnium hominum præcisiones possibiles ego non possum mori vivente Petro, ego ambulare eo sedente, ego dormire, & ille studere? Numquid non sumus duo homines verè & realiter iidem qui antea, & tam oppositi vel similes ac antea? Numquid & quilibet non manet in suo loco, sive totus mundus mente præscindat, sive non? Quomodo ergo potest humana mens vel concipere, non iam dico assentiri ita realiter esse, ut post eas præcisiones ego iam non sim distinctus à Christi humanitate intrinsecè & essentialiter & à parte rei, sed tunc tam sit falsum dicere de me, *Ego non sum Christus*, quam est falsum de homine habente discipulos, eosque docente dicere, *Iste non est horum magister.*] sic placuit Arriagæ discurrere.

CCCCLXVII. Doctrina D. Thomæ est communis.

Exponitur male ab Arriagâ.

An D. Thomæ universale sit Platonicū, sed ab intellectu formatum?

An Thomistæ omnes singulares in cubiculo sunt Christus & ... efficiunt?

At *errat primo* quod identitatem realem existentem, ab identitate reali cogitata, positivam à negativâ non distinguit: non enim ipse impugnat, quæ illi dicunt, sed quæ dicere aut sentire putantur. *Errat secundo*, quia si illi dicerent rerum naturas mea cogitatione realiter identificari non sequeretur hanc propositionem, *Ego sum Christus*, esse veram, aut falsam hanc, *Ego non sum Christus*. non enim ipsi dixissent post præcisionem Ecceitates, sed naturas identificari. quam ob rem ex illâ Thomistarum sententia, si deberet intelligi ad Arriagæ captum, sequeretur Ecceitatem Christi post mentis operationem & præcisionem distingui realiter à suâ humanitate: & etiam Ecceitatem meam à meâ humanitate: & has duas humanitates, (non quidem ad se accedere, & fundi in unam massam, & inde transire in unicam humanitatem; sed) coïncidere sicut coïnciderent eorumdem materiæ, si Deus auferret quantitates. Vnde dici deberet stando improbabili huic probabilissimæ opinionis explicationi ab Arriagâ exornatæ, has solas propositiones posse inferri: *Ergo una & eadem specifica humanitas est realiter in Christo & in Petro. Ergo tametsi nihil individuum & singulare sit nobis commune, nihilominùs nobis realiter communis est natura humana universalis. Ergo Christus & Ego differimus realiter per Ecceitates, & sumus unum realiter in ratione specificâ hominis*: quas omnes hodie Academici seu Reales admittunt.

An Petrus fiat Paulus?

Nota benè.

Progreditur Arriaga: illum comitemur, & audiamus. Sic infit: [Hæc sententia non indiget nisi sui explicatione, ut explodatur. Exemplum quod pro se afferunt de Magistro, ostendit absurditatem sententiæ, ut ex dictis constat. Sed adhuc illi respondeo, me esse magistrum vel discipulum, non esse denominationem intrinsecam in me realiter: neque enim ego aliquid intrinsecum physicè recipio ex eo, quod Petrus audiat me; etiamsi ex eo denominer ego partialiter Magister: sicut quia Rex dicat alicui, *Ego te facio Ducem vel Capitaneum*, non propterea ponit in illo entitatem aliquam intrinsecam; quæ enim illa est, substantialis, an accidentalis? aut quo pacto Rex centum Leucis distans eam entitatem producit? Numquid eam inclusam mittit in litteris, ut cum primùm hæ referentur, ex eis

An dignitates politicæ sint denominationes pura extrinseca.

ex eis evolans ea entitas se in electi Capitanei corpus insinuet, veluti dæmon in corpus energumeni? Quæ quàm sint ridicula nemo non videt.] Sic ille.

CCCC LXVIII. *Causam habet ridendi, qui videt ridentes sine causa?*

Et Ego, ut ab ultimâ periodo incipiam, risibilitatem esse hominis passionem fateor: perturbationem esse diffiteor: & existimo causam subesse ridendi, quando alios videmus ridere sine causâ. Dico igitur Discipulú, Magistrum, Regem, subditum, &c. non dicere denominationes purè extrinsecas, sed relationes: unde siquis contendat omné relationem humanam esse denominationem extrinsecam, debebit juberi Trinitatis sublime mysterium meditari? & si dicat relationem esse modum vel rem, poterit juberi, ut eodem philosophetur modo de relationibus, de quibus agimus. Cùm ergo Thomistæ pronuncient Relationes esse res, non est cur illos ad extrinsecas denuminationes eorum antagonista torqueat.

An omnes relationes sint denominationes extrinsecæ?

An relatio sit modus?

Interim quia pollet ipse summo ingenio, & solutionem prævidit, sic ait. [Sed age concedamus id in Magistro, scilicet, expositione discipulorum produci in eo unum modum intrinsecum, à quo denominetur intrinsecè Magister; numquid ideò à cognitione alterius iam ego intrinsecè fio idem numero & indivisibilis homo cum Paulo? Hoc omninò repugnat. Illud primum possibile est, etiamsi non necessarium: quia non repugnat Deum, expectatâ, ut conditione, præsentiâ discipulorum, producere aliquid intrinsecum accidentale in me, à quo, si velis, perveniat denominatio intrinseca, Magistri. At quæso, quomodo Deus potest facere, ut intrinsecè & realiter duæ animæ simus una indivisibilis? Poterit quidem unam destruere, alteram non, vel forte utramque unione continuativâ copulare (admitto tibi hoc gratis) eo modo quo potest duo puncta materiæ unire: at facere, ut in se eæ duæ animæ sint una indivisibilis res (& idem est de duobus punctis materiæ) nec potest Deus facere, nec vix fingendo potest concipi modus quomodo id fiat. Ratio à priori, quam sæpè insinuavi: quia essentia mea, sicut ex seipsâ est animalitas & rationalitas v.g. & repugnat hanc eamdem fieri à Deo hinnibilitatem vel lapideitatem, ita ego ex me nó sum Paulus, & Paulus non est ego; ergo repugnat, ut Deus faciat me Paulum, & Paulum me, & multò magis, ut utrumque faciat idem omninò indivisibile. Quomodo ergo id, quod nec Deus suâ omnipotentiâ facere ullatenus potest, faciam ego in omnibus hominibus, verè & realiter & intrinsecè, tam dum hæc scribo, eò quòd mente præscindam hominem à suis differentiis.] Sic ille: & paucis lineis multa complectitur, quæ recognosci debent & impugnari.

An à Deo producatur?

An Deus possit duas animas identificaret?

Nota illud hanc eamdem.

Vide Arriagam disp. 4. Logic. nu. 8.

Dico igitur primò me non videre repugnantiam, quæ cogat ne Deus uniat duas Animas aut duos Angelos, sicut unit duo corpora, modò analogia & proportio discurrendi servetur. Dico secundò, nec me ullam repugnantiam videre ne duas animas aut Angelos uniat identicè, maximè in Thomistarum opinione, quæ docet partes homogeneas continui uniri idéticè. Dico tertiò, hoc non sequi ex opinione Thomistarú, etsi, quod malè illis adscribit Arriaga, supponantur asserere mentali præcisione, ut conditione positâ humanitatem Petri realiter distingui à Petro; & realiter identificari alius hominis humanitati. Sed quid sequeretur? sequeretur quidé, non iam Petrum esse Paulum, non iam Petrum & Paulum habere eamdem humanitatem numero; sed eamdem specie; nempè, realiter unam & ab Ecceitatibus præcisam realiter.

An duos Angelos Deus possit identificare?

An partes continui identificentur?

CCCC LXX. His rationibus, quas elumbes non reddidi, sed ostendi, impugnat Arriaga communem & bonam doctrinam, quam expositione nec communi nec bona donatat: Sed iam tandem magis directè se Thomistis opponit. Sic arguit: [Si tota unitas est in Petro & Paulo positâ eâ præcisione: Ergo etiam præcisione cessante manebit unitas tota,] se consequentiam evidenter probaturum promittit: & tu, qui paucas aut nullas evidentias hucusque reperisti in scholis, hanc exspecta. Hæc est ratio evidens, quam producit Arriaga, ut fidem liberet. [Manent omnia, quæ erant in nobis: hæc autem erant tota essentia unitatis: ergo & manebit tota unitas: quia hæc non distinguitur à totâ suâ essentiâ.] Et quidem, si hoc argumentum non iam evidens, sed forte est; etiã erit forte, si mutatis terminis cõtra unitatem materiæ primæ reponatur. Dicunt Thomistæ materiam habere à quantitate partes etiam entitativas: eamque realiter præcisâ quantitate manere unam & indivisam, & immultiplicatam. Arguis contrà. [Si tota unitas est in materia Petri & Pauli positâ reali præcisione materiæ: Ergo etiam hac ipsâ præcisione cessante manebit unitas tota. Consequentia est absurda quia de facto materia Petri distinguitur à materia Pauli: illam probas, & quidem evidenter, ut putas. Nam manent omnia, quæ erant in illis duabus materiis: hæc autem erant tota essentia unitatis: ergo & manebit tota unitas: quia hæc non distinguitur à totâ essentiâ.] Sic tu: & Ego, ut Thomistas defendam, respondeo negando primam consequentiam. Ad probationem, quam evidentem dicis, nego majorem; positâ enim aut ablatâ præcisione multa mutantur. Quantitas est divisibilitas, & multiplicabilitas materiæ; & quia in Petro & Paulo est quantitas divisa & multiplicata, materia Petri & Pauli sunt duæ distinctæ numero. At præcisâ quantitate, spoliatur materia divisione & multiplicatione; imò & divisibilitate & multiplicabilitate: ergo manet indivisa & immultiplicata, imò non manet divisibilis & multiplicabilis.] Dictum puta. Eodem modo ad metalogicum argumentum respondeo, non enim manent omnia, cùm differentiæ præsciduntur, aut naturæ implantantur. Et sic corruit tota illa ratio, quæ opinione sui Authoris erat evidens.

An Materia prima sublatá quantitate habeat partes?

ARTI-

ARTICULUS II.

Thomistarum sententia, ab Arriaga impugnata, defenditur.

CCCC LXXI. INter multos, qui impugnarunt D. Thomæ sententiam, Arriaga *disp. 5. Log. Sect. 2. subsect. 2. nu. 25.* aliquibus utitur argumentis, quæ volo evidenter dissolvere.

Tam repugnat coexistentia termin. oppositorum intentionalium: quàm realium.

ARGUMENTUM I. Ponit principe loco rationem, cui putat nullam solutionem sufficere. Sic ait. [Nonminùs contradictoriè opponuntur *cognosci & non cognosci, respondere: & non respondere ex parte objecti*, quàm *existere & non existere, produci & non produci*: sed repugnat animalitatem hominis existere & non existere ejus rationalitatem, item produci animalitatem, & non produci rationalitatem, quantumvis virtualiter distinguantur: ergo etiam implicabit cognosci animalitatem & non cognosci rationalitatem, & respondere ex parte objecti animalitatem, quin respondeat rationalitas. Consequentia est evidens: minor admittitur ab ipsis adversariis, estque de se evidens, quia inter res, quæ non distinguuntur realiter, non potest una produci & alia non produci: saltem in creatis. Major, in quâ est tota difficultas, sic probatur. *Existere & non existere* opponuntur contradictoriè, quia illa particula *non* cadens suprà Verbum, negat idem quod per illud fuerat affirmatum: negatio autem formæ & ipsa forma opponuntur côtradictoriè, & repugnant inter se; sed *τò non* cadens supra verbum *cognosci*, eodem prorsus modo negat *cognosci*, ac cadens supra verbum *existere*, negat *existere*; ergo non minus opponitur *cognosci* cum *non cognosci*, quàm *existere* cum *non existere*. Ergo sicut animalitati non potest convenire existentia, & rationalitati nonexistentia, ita neque poterit animalitati convenire cognosci, seu cognitio, & rationalitati non cognosci seu negatio cognitionis.] Sic contra Thomistas Arriaga.

An possit una formalitas produci, & altera non produci in creatis?

Contra morbum, contra quem multa sunt remedia, nullum est remedium.

Morbi, contra quos multa & pretiosa recipere jubemur pharmaca, plerumque incurabiles sunt: argumenta, contra quæ multæ & variæ solutiones parantur, plerumque nulli patent: & hanc ob rem Arriaga, ut vel sic hanc rationem insolubilem esse credamus, multas solutiones proponit: cùm sufficeret, si illam exscriberet, quam communiter damus.

Solutio prima.

CCCC LXXII. REspondent aliqui, cognitionem esse formam extrinsecam objecti, formam autem extrinsecam, & ejus negationem benè posse convenire eidem objecto indivisibili, etiamsi illi nequeat convenire forma intrinseca & ejus negatio.

An in denominationibus extrinsecis admittenda sit contradictio?

Hæc solutio omni probabilitate destituta fortissimè poterit oppugnari. Illam sic primò Arriaga. Ideò negatio formæ intrinsecæ, & forma intrinseca opponuntur, quia negatio formæ intrinsecæ negat & destruit formam intrinsecam; Sed etiam negatio formæ extrinsecæ negat & destruit formam extrinsecam; ergo opponitur cum illâ non secus ac negatio formæ intrinsecæ cum formâ intrinsecâ. *Confirmatur*, quia forma extrinseca debet habere aliquid sibi contradictorium: sed hoc non potest esse aliud (ut de se patet) quàm negatio formæ extrinsecæ; ergo contradictoriè opponitur cum illâ. Unde patet, non minùs opponi has, *Petrus est homo*, ac *Petrus non est homo*; quàm hæ, *Petrus videtur*, & *Petrus non videtur*: aut etiam hæ, *Petrus sedet à dextris*, & *Petrus non sedet à dextris*.

An detur saltem?

Eamdem solutionem iterùm sic impugnat: Quoniam *me esse priorem Petro*, est denominatio extrinseca, proveniens & ab existentiâ Petri in tempore, quæ mihi est extrinseca, & à meâ duratione; & nihilominùs non aliter repugnat, me simul esse priorem Petro, & non esse illo prioré, quàm simul esse album, & non esse album, etjamsi hoc proveniat à formâ intrinsecâ: ergo quamvis cognitio sit forma extrinseca respectu objecti, repugnabit cum non-cognitione ejusdem objecti, non minùs quàm productio cum non-productione ejusdem.

Eamdem tertiò sic oppetit. Quoniã quantumvis cognitio sit forma extrinseca, nequit tamen simul convenire cum negatione cognitionis in Angelici Doctoris sententiâ respectu solius rationalitatis, ita ut rationalitas v. g. cognoscatur simul & non cognoscatur: ergo cognitionem esse formam intrinsecam vel extrinsecam, parum refert, ut opponatur vel non opponatur cum negatione cognitionis ejusdem objecti.

Ecce habes tres instantias insolubiles contra primam solutionem, quæ Arriagæ argumento dabatur. An vel hinc constat illud esse fortissimum? minimè; sed primam solutionem ineptã esse. Examinemus aliam.

Solutio secunda.

CCCC LXXIII. REspondent alij, ait Arriaga, etiam in eo casu realiter cognosci rationalitatem, quãdo animalitas cognoscitur, licet formaliter non cognoscatur.

An utraq; formalitas cognoscatur realiter? an utraque formaliter?

Sed hæc solutio sicut præcedens, nec D. Thomæ, nec Thomistarum, nec hominum doctorum est; & hanc ob rem fortiter poterit ab Arriagà aut alio quocumque expugnari. In eam sic ille invehitur. [Tam contradictoria sunt *cognosci formaliter, & non cognosci formaliter*, quàm *cognosci & non cognosci absolutè*: quãdo enim negatio cadit supra modum, tam facit contradictoriam propositionem de modo, quàm si esset propositio simplex: ergo si eadem res secundum diversas formalitates potest cognosci, id est, potest cognosci formaliter, & non cognosci formaliter, poterit etiam cognosci realiter, & non cognosci realiter; existere realiter, & non existere realiter, secundum diversas formalitates.] His verbis ille fregit adversariorum vires, non quod ictus fuerit vehemens, sed quod illæ fuerint vitreæ.

Solutio tertia.

CCCC LXXIV. ASserunt alij, *cognosci & non cognosci* esse quidẽ contradictoria, si comparentur cum unicâ formalitate, v. g. cum solâ rationalitate, non tamen, si comparentur cum duabus formalitatibus: neque enim unam cognosci, & aliam non cognosci repugnat.

Ubi duæ dantur formalitates, una potest cognosci altera incognitâ.

Hæc est vera solutio, & quæ debuerat primo loco, aut unico fuisse proposita. Videamus, quæso, quo illam modo possit aliquis impugnare. Infert Arriaga. Ergo pari ratione deberet

An etiam una producti altera improducta?

dici produci animalitatem non opponi contradictoriæ cum negatione productionis rationalitatis, quia non sunt respectu ejusdem formalitatis: & protestatur se solum contendere ut idem debeant Thomistæ dicere de productione & non productione, existentiâ & non existentiâ, quod dicunt de cognitione & non cognitione; quia tam hæ repugnant inter se, quàm illæ. Quòd si has dixerint non repugnare propter multiplicitatem formalitatum, idem etiam dicere tenebuntur propter eamdem rationem de illis aliis prædicatis, quæ in se videntur opposita.

Hîc ego. Siquidem Arriaga contentus est, si Thomistæ eodem modo de cognitione & non-cognitione, quo de productione & non-productione, existentiâ & non-existentiâ philosophentur: obediemus ejusdem voluntati dicendo Animalitatem eamdem genericam in equo desinere, in homine non desinere: item

De Animalitatis corruptione.

Animalitatem genericam hominis equo inesse, & Rationalitatem hominis equo non inesse: unde post diem judicii, si omnia bruta moriantur, quod tenet communis opinio, hinnibilitas equi peribit, at animalitas equi non peribit; nam æternùm remanebit in homine: est enim animalitas formalitas quædam generica: [notet id bene Arriaga: genericam, non singularem & individuam dico] & eo sensu, quo est generica, eodem est una in multis differentibus specie.

ARGUMENTUM II.

CCCC LXXV. *An cognitio intuitiva præscindat?*

PEr cognitionem intuitivam non potest dari formalitatum objectivarum præcisio: ergo neque per cognitionem abstractivam. Probatur consequentia: quia non minùs cognitio abstractiva attingit objectum indivisibile, quàm intuitiva: ergo non minùs una quàm alia potent præscindere. Ergo utraque, aut neutra.

Considero hanc rationem Arriagæ, & video rem facilem ad difficillimas reduci. Quid scit quæso Logicus, An dentur notitiæ abstractivæ & intuitivæ? ut sciat, noverit esse plurimas Authorum opiniones in earumdem essentiâ & ingenio explicandis: nec ignoraverit multa ad quæstiones nominales post magnos sudores reduci. Sed quia variæ sunt ejusdem argumenti solutiones, unam vel alteram examinemus.

Solutio prima.

CCCC LXXVI.

DIcunt aliqui ideò non posse intuitivam cognitionem præscindere unam objectivam formalitatem ab aliâ, quia attingit objectum indivisibile prout est in se, secùs abstractiva.

Quomodo cognitio intuitiva ab abstractiva distinguatur?

Et mihi liquet primò eos, qui sic respondent, sic intuitivam ab abstractivâ cognitione distinguere, ut illa sit quæ cognoscit objectum ut est in se: & hæc, quæ cognoscit objectum aliter quàm est in se. Et liquet secundò Arriagam alio sensu diverso has easdem voces sumere: sic enim hanc eamdem solutionem impugnat. [Vel attingere objectum, prout est in se, dicit, illud in se attingi; & hoc etiam convenit abstractivæ. Vel illud *prout est in se*, dicit cognosci objectum omninò perfectè: & hoc neque in-

An cognitio intuitiva possit esse confusa?

tuitivæ cognitioni necessariò convenit, quia etiam per cognitionem intuitivam potest ita objectum cognosci, ut nequeat reddi ratio de omnibus ejus prædicatis essentialibus, quando v.g. eminùs video colorem, & non possum dicere utrùm sit albus, an niger. Ergo sicut per te ideò præscindit abstractiva cognitio, quia per illam ita cognosco objectum, ut non possim reddere rationem de omnibus ejus prædicatis; similiter etiam præscindit intuitiva, cùm etiam per illam aliquando non possum reddere rationem de omnibus prædicatis, ut patet in dictâ visione albedinis.

Solutio altera.

CCCC LXXVII. *Unde habeat mens quod præscindere possit?*

REspondent alij negando argumenti antecedens; nam ut putant, tam intuitiva, quàm abstractiva mens potest præscindere. Quoniam præscindendi potestas non convenit intellectui, quà abstractivo, sed quà subtili: cùm igitur intellectûs intuitivi acies non sit minùs subtilis, quàm acies abstractivi, sed multò subtilior & acutior, hinc erit utrumque fore præcisivam.

Sed hæc solutio nec placet Arriagæ nec mihi. Eam ille impugnat *primò*: quia visio divina & omnis cognitio intuitiva est multò perfectior & subtilior quàm abstractiva, & nihilominùs per vos non potest præscindere; ergo subtilitas intellectûs habet se omninò per accidens ad præcisionem. *Secundò*, quia nulla subtilitas intellectûs potest efficere, ut eidem rei simul duo prædicata contradictoria conveniant; ergo neque ut simul eadem res cognoscatur & non cognoscatur.

Præcisio duplex; apprehensiva, & judicativa.

Ostendam igitur & solutionem ipsam ex se esse insufficientem: & nihilominùs (qualis qualis ea sit) insufficienter ab Arriagâ impugnari. *Sanè, non placet* solutio, quia præcisionem apprehensivam cum judicativâ confundit: cum certum sit, eo sensu quo loquuntur, qui solutionem dant, aliter de alterâ, & aliter de alterâ esse philosophandum. *Non placet* ille recursus ad subtilitatem, quia etsi mens subtilis non esset, præscindere posset. *Non placet* prima Arriagæ

An Deus possit præscindere? & quo sensu?

impugnatio, quia Deus potest præscindere judicativè, nam cognoscit Animalitatem & Rationalitatem realiter identificari; & nihilominùs actus sentiendi non à rationalitate, sed ab animalitate provenire: & actus intelligendi non provenire ab animalitate, sed à rationalitate. Et ne tantùm probabilia in exemplum producam, certa dabo. Scit Deus Paternitatem idem esse realiter cum divinitate; & tamen asserit hanc Verbo communicari, & illam non communicari. *Nec placet* impugnatio secunda: quia nullus culter potest facere ut eidem realitati duo prædicata contradictoria conveniant, & tamen, si charta A C F E A

Vide in limine Logicis figuram 13.

de facto dividatur, poterunt duo contradictoria prædicata verificari de partibus singulis: nam de totâ chartâ verificatur, quod sit quadran-

gularis;

gularis: & si eam culter præcidat per lineam B D, neutra pars erit quadrangularis. Dividetur charta in duas partes inæquales: minor erit triangularis, & major non erit triangularis; & etiam major erit quinquangularis, & minor non erit quinquangularis. Ergo eodem modo de intellectu debebimus philosophari. Non facit mens, ut duo prædicata contradictoria de eodem indivisibili subjecto verificentur: sed subjectum dividit, & contradictionem tollit: quia si unum prædicatum dicitur de uno subjecto, alterum de altero, non sunt contradictoria.

Ubi sunt duæ formalitates tollitur contradictio.

ARTICULUS III.

De distinctione naturæ specificæ à singularitatibus.

Dubium incidens.

Videretur uno & eodem modo de distinctione generis & speciei, nec non speciei & individui esse philosophandum. At Arriaga opinatur contrarium. [*Age: ostendamus*, inquit; *etiam si præscinderetur genus à specie, non tamen posse præscindi ex parte objecti neque genus, neque speciem à suâ singularitate.*] ergo examinemus rationes, quibus hic Author sententiam Thomistarum impugnat.

Obiectio I.

CCCC LXXVIII. Præcisionem gradûs specifici à singularitate Thomistæ fundant in distinctione virtuali (*formali*) generis & speciei: sed hæc distinctio non datur inter genus & ejus singularitatem: ergo nec potest dari inter illa præcisio objectiva. Probat minorem, in quâ est difficultas: quia licet animalitas distinguatur à rationalitate, neutra tamen distinguitur à suâ singularitate; quia unitas ita includitur in conceptu entis, ut nullo modo, nec ratione ratiocinatâ ab illo distinguatur, etiam in adversariorum sententiâ; ergo non potest ens concipi sine unitate, ergo nec sine singularitate; quia unitas & singularitas idem sunt. *Confirmatur:* Si singularitas virtualiter distingueretur à naturâ, non posset per eam natura multiplicari (ut suprà ostendimus contra Scotum exemplo naturæ divinæ, quæ quia ex se est una, quantumvis identificetur cum pluribus personis, adhuc non multiplicatur in illis) ergo singularitas naturæ non potest ullo modo ab illâ distingui, nec vel solùm virtualiter; ergo nec potest correspondere ex parte objecti natura sine singularitate, ergo nec præscindi objectivè.

An ratio superior distinguatur à singularitate?

Sed hæc ratio supponit id ipsum, quod quæritur: dicunt enim Thomistæ inter hominem & Petreitatem ante mentis operationem dari distinctionem fundamentalem (virtualem, alij vocant) & post mentis operationem dari formalem.

Obiectio II.

CCCC LXXIX. Quod obiicitur cognitioni, debet esse creabile: Sed nihil est creabile, nisi singulare: Ergo singularia sola obiiciuntur cognitioni.

Sed hæc ratio est inefficax: nulla enim in illâ est propositio, quæ non sit falsa. Major primò reiicitur: nam etiam Deus obiicitur cognitioni; qui non est creabilis, nec creatus. Et quia agimus de universalibus: tametsi hoc prædicatum *Deus*, sit singulare: hoc prædicatum *Persona divina* singulare non est, sunt enim multæ personæ divinæ: ergo in hoc conceptu ratio superior ab inferiore præcisivè distinguitur, licet neutra sit creabilis. Deinde minor reiicitur: nam duabus Platonici viis oppositam sententiam tenentur. Alij docent naturam specificam aut genericam posse à Deo creari seorsim, & annihilatis singularibus conservari; quam sententiam hodie hîc Pragæ propugnat Clarissimus & Magnificus Vir Joannes Marcos, primarius Medicinæ Professor, & Regni Bohemiæ Physicus, seu ἀρχιατρός: alij contrà; illam creari seorsim posse negant; posse concreari affirmant: quia aliud est naturam specificam formaliter esse creabilem à Deo; aliud est esse creabilem solam sine singularitate. Primum est verum, & illud solùm probatur argumento: secundum est falsum, nec necessarium ad rationem creaturæ. Nam sicut potest cognosci animalitas sine rationalitate, etiamsi non sit producibilis sine illâ, cur non poterit cognosci sine singularitate, etiamsi non sit producibilis sine illâ? Sufficienter enim intelligitur conceptus creaturæ, eò quòd absolutè sit producibilis, etiamsi non sola, sed simul cum aliâ: non ergo hoc impugnatur argumento specialiter præcisio inter animalitatem & ejus singularitatem, magis quàm inter animalitatem & rationalitatem.

An omne cognoscibile sit creabile?

An prædicatum hoc Persona, sit in divinis commune?

An universale creari possit?

Obiectio III.

Natura humana v. g. ut obiicitur cognitioni non est una: ergo est plures: ergo obiiciuntur singularitates. Probatur antecedens. Natura solummodò est una per actum intellectûs; sed ille non reflectitur supra se: ergo non concipit naturam ut unam. CCCC LXXX.

Intellectus universale & cognoscit & facit.

Hæc ratio inefficax videtur Arriagæ, & etiam mihi: sed quia diversis motivis inducimur, ideò ejus censuram, propriam subscripturus, præmitto.

Contemnit igitur istam objectionem Arriaga; quia inter *concipi ut unam*, & *concipi ut plures*, datur medium, scilicet præscindi ab utroque; sicut cùm concipio hominem, neque concipio illum ut album, neque ut non album, sed præscindo; ergo licet demus eam naturam non concipi ut unam; non tamen inde infertur, debere concipi ut plures. Quòd si urgeas, ergo à parte rei natura neque est una, neque plures, cùm obiiciatur ut est, & non obiiciatur una nec plures; adhuc non evinces: quia distinctio fundamentalis, seu virtualis efficit ut obiiciatur ac si esset distincta à singularitatibus, cùm tamen verè ab illis non distinguatur, sicut licet animalitas à parte rei non

An inter unum & plura sit medium?

sit nisi vel rationalis vel irrationalis, potest tamen per se præscindi ab utrâque. Semel ergo admissâ distinctione virtuali, inter naturam & singularitates, nullam habene vim argumenta, quibus intenditur probare, non posse præscindi naturam à singularitatibus. Sic discurrit Arriaga.

CCCCLXXXI. Ego faciliùs breviusque, respondeo negando primum antecedens: materia enim prima (casus sit possibilis aut impossibilis) hoc ipso quod realiter separaretur à quantitate Physicâ, esset una negativè, hoc est, non plures positivè: Ergo similiter natura humana, hoc ipso quod formaliter præscindatur à quantitate Logicâ (hoc est, ab Ecceitatibus) erit una negativè, hoc est, non plures positivè.

Præcisio fit hic unum.

DISPUTATIO XI.

De Universali confuso.

Hodie à multis defenditur, & videtur obtinuisse in Societate, illud enim ferè omnes PP. Jesuitæ suis Discipulis tradunt. Attribuitur Ochamo & ejusdem Asseclis; defenditur ab Hurtado *disput. 5. Metaph. sect. 4. §. 39.* Arriagâ *disput. 6. Logic.* & aliis. Considera opiniones sequentes.

ARTICULUS I.

Proponitur Prima sententia.

CCCCLXXXII. *An universalitas consistat in actu significante, an verò in re significatâ?*

***Species universalis prædicabilis est actus repræsentans unum, vel plura individua confusè & sine distinctione*:** exponitur. In hac propositione, *Petrus est homo*: consideras prædicatum, & interrogas quid illud sit? Respondent esse actum mentis repræsentantem unum vel plures homines confusè, & in hoc actu mentis ajunt consistere universalitatem.

Probatur primò. Universale debet esse unum commune pluribus; atqui communis pluribus est actus significans, non res significata: ergò actus significans est universalis, & non objectum illius actûs. De majori non potest esse dubitatio, est enim communissima Universalis diffinitio tradita à Philosopho *3. Met. text. 117.* & *5. I. text. 45.* & *l. 1. poster. text. 15.* & *1. Periherm. c. 5. & sæpè alibi.* Minor probatur. Nihil quod intrinsecùs Petro convenit, de Paulo potest verificari; quia quod Petro intrinsecùs convenit de essentiâ Petri est, essentia autem Petri est ipse Petrus: sed Petrus non potest prædicari de Paulo: ergò nec Petri essentia poterit de Paulo prædicari.

An tota Petri essentia Paulo competat?

Dices totam essentiam Petri Paulo non competere, sed meræ partem: quia Petrus componitur ex homine & Petreitate, Petreitas uni Petro convenit: ratio autem hominis cuicumque competit homini singulari. Sed non placet authoribus istius sententiæ. Idem est, inquiunt, principium constitutivum distinctivumque; sed ratione hominis Petrus constituitur saltem inadæquatè: ergò ratione hominis distingui debet eodem modo: hoc est, inadæquatè.

Probatur secundò eadem conclusio. Universalia sunt vel in rebus, vel in actibus significantibus: atqui non sunt in rebus: ergo consistunt solummodò in significatione. Minorem probant omnes illæ rationes, quas pro Heraclito expendimus.

Quo sensu unum sit plura?

Probatur tertiò. Ratio universalis debet verificari de omnibus individuis: ergo ratio hominis est Petrus, Joannes & Franciscus. Sed repugnat quod unum sit plura quoad entitatem, non repugnat quod sit plura quoad significationem: ergo universale non in entitate, sed in significatione consistit. Unum non posse esse multa quoad entitatem, constat: quia unum & plura opponuntur aut contrariè, ut multis placet, aut ut Doctores asserunt, contradictoriè, ita tamen in omnium opinione, ut sint incomponibilia in eodem fundamento. Unum quoad significationem posse esse multa, hoc est, posse idem signum plurima indigitare comprobant nomina æquivoca, univoca, & analoga, quorum quodlibet simplex cùm sit, multa simul significat; vel seorsim, successivè & expressè si fuerit æquivocum, vel confusè simul si analogum aut univocum sit.

Probatur quartò. Illud est universale quod de Petro prædicatur & verificatur in hâc enuntiatione *Petrus est homo*: sed verificatur non res, sed actus repræsentativus: ergò is solummodò est universalis. Probatur minor. Si homo ipse esset universalis, esset is sensus *Petrus est homo universalis* qui in omnium opinione est falsus. Si actus repræsentans donetur universalitate, erit hic sensus, *Petrus est aliquid universaliter repræsentatum actu universali*, & hic sensus est verus.

An Petrus sit homo universalis?

Hæ rationes favent tribus prioribus sententiis, quæ in exposito assetto conveniunt, & differunt in modo explicandi. Omnes enim dicunt universalitatem consistere in actu repræsentativo: differunt in expositione hujus actûs. Prima sententia universalitate verbum mentale donat: secunda vocale; [illegible] ultima [illegible]

Vide dispu. tationem V.

In quo actu consistat universalitas?

ultima scriptum. Igitur pro prima sententiâ sit Conclusio : *Universalitas consistit in actu significante : non in vocali, non in scripto, ergo in mentali.*

Probatur primò. Universalitas est in actu significante plura per modum unius, sed nec vox, nec scriptura significat plura per modum unius : ergò universalitas nec est in verbo scripto, nec in vocali, sed in Intellectivo. De majore non dubitas, minorem probant. Et primò, verbum mentale *homo* concipit plures homines per modum unius : sed verbum vocale *homo* significat verbum mentale quod est unum & non plura : ergò verbum vocale non significat plura per modum unius. Nomen *homo* non significare multos homines per modum unius, sed solùm verbum mentis simplex constat ex Aristotele *libri 1. Periherm. cap. 1. text. 1.* ibi ait : *Ea igitur quæ in voce consistunt signa sunt affectuum, qui in animâ sunt : & ea quæ scribuntur, nota sunt eorum quæ in voce consistunt. Atque sicut non eadem sunt apud omnes literæ, sic neque voces eadem sunt. Affectus tamen, quorum hæ signa sunt primò, iidem apud omnes sunt.* Hinc constat etiam Scripturas excludendas esse, quia verbum scriptum *homo* non significat homines plures, sed vocem *homo* quæ unica est, & absolutè singularis. [Sed pace Aristotelis, hæc objectio non urget ; voces enim & scripturæ non conceptus, sed res ipsas significant ; at æquivalent ipsis conceptibus : nam sicut duo synonyma (Gladius, Ensis) non significant alterum, sed utrumque eamdem rem, & nihilominus sunt æquipollentia inter se : sic similiter conceptus, voces, & scripturæ.]

An scripturæ & voces significent res vel conceptus?

An voces & scripturæ sint vere significativæ accidentaliter, & conceptus non item?

Probatur secundò. Natura universalis inferioribus essentialiter ac intrinsecùs debet competere, ergò ratio hominis intrinsecùs & essentialiter debet competere Petro & Joanni. Atqui vox *homo* sicut & scriptura *homo* sunt Petro & Joanni accidentales, & conceptus *homo* solùm intrinsecè & essentialiter ipsis competit, ergò in conceptu mentali consistit universalis hominis natura, & non in scripto aut vocali. Minorem probant. Voces & scripturæ significant ad placitum ; ergò accidentaliter. Verba mentis significant naturaliter, ergò tantùm verbum mentale *homo* intrinsecè & essentialiter competit Petro, Joanni, & Francisco.

Tertio. Actus significans plura est universalis : ergò qualiter plura significet, taliter erit universalis. Atqui actus mentalis *homo* significat plura propriè, intrinsecè & essentialiter; vox *homo*, & scriptura *homo*, vel non significant plura ut nuper probabatur, vel si significant, significant ad placitum, hoc est extrinsecùs & accidentaliter ; Ergò mentalis actus est specificè universalis, non tamen vocalis aut scriptus. Probatur consequentia. Quia universale prædicatum debet inesse multis intrinsecè & essentialiter, non tamen extrinsecè & penes placitum Nomenclatorum.

Quartò. Si non darentur voces aut scripturæ, adhuc darentur naturæ universales : ergò universalitas consistit in mentis conceptu ; patet, quia sublatis verbo vocali & scripto solummodò remanet intellectuale.

ARTICULUS II.

Eligitur secunda sententia : & admittuntur exercitij gratia, præcisiones objectivæ expressivæ.

Hæc prima sententia, sic explicata, videtur aliquibus curiosa & pulchra : at mihi difficilis & inintelligibilis. Quam ob rem ab actu mentis ad mentis objectum recurrens, si deberem Universalitatem confusionis tueri, has Conclusiones tanquam fundamentum adsumerem.

Universale debet esse aliquid objectivum.

Prima. *Non minùs opponuntur inter se, concipi confusè & non confusè : quàm concipi & non concipi : esse & non esse.* Corollarium I. *Ergo repugnat unam & eamdem formalitatem concipi confusè & expresè : sive quod idem est, confusè & non confusè.* Corollarium II. *Ergo quando datur ex parte objecti aliquid expressum & aliquid confusum, dantur duæ formalitates.* Corollarium III. *Ergo per actus expressos & confusos recidimus in præcisiones objectivas.* Et patet Corollarium hoc ultimum ; quia, si unam & eamdem formalitatem non possum concipere expresè & confusè ; & tamen, cùm dico *Homo est animal*, expresè in prædicato concipo *Animal*, & confusè *Rationale* ; sequitur duas esse formalitates ante vel post mentis operationem distinctas. CCCCLXXXIII.

Nota hos terminos.

An reincidant hi Authores in præcisiones objectivas?

Secunda. *Præscindere expressivè est unam formalitatem expresè, & aliam confusè concipere.* Hinc patet ; quale sit inter Expressistas & Thomistas discrimen : isti præscindunt concipiendo unum non concepto alio : illi exprimendo unum non expresso alio ; hoc est, unum expresè & clarè, & aliud cognoscendo confusè. CCCCLXXXIV.

Quid sit præscindere expressivè.

Expressivæ & Thomisticæ Scholæ discrimen.

Tertia. *Sicut Thomistæ de Universali suo, sic Expressistæ de suo debent philosophari.* Patet, quia tota differentia in eo est, quod Thomista concipiat Animal non conceptâ Rationalitate & Irrationalitate : Hominem non conceptâ Petreitate, Pauleitate, &c. & Expressista concipit, expresè Animal concipiendo Rationalitatem & Irrationalitatem confusè : & Hominem expresè, concipiendo Petreitatem Pauleitatem, &c. confusè. CCCCLXXXV.

Earumdem Scholarum concordia.

Quarta. *Quando duæ formalitates concipiuntur altera expresè & altera confusè, Natura universalis & prædicabilis est quæ expresè concipitur ; formalitas, quæ confusè concipitur, nec prædicatur, nec verificatur.* Patet ; quia in hac propositione, *Homo est animal*, prædicatur de Homine Animal, non tamen Irrationale, licet illud concipiatur confusè ; quando concipitur expresè Animal. CCCCLXXXVI.

Quid sit natura universalis?

An universalitas formaliter ex parte actûs: an ex parte objecti?

Quinta. *In actu mentis non consistit formaliter universalitas.* Patet: quia ille actus est causa efficiens, non autem formalis constituens universale: non secus ac apud Thomistas. Id enim quod prædicatur se tenet ex parte objecti expressi. Illud est unum in multis. Illud est universale. Et universalitas se tenet ex parte objecti, dependenter tamen ab intellectu tanquam à causâ, quæ exprimendo unam formalitatem, & confundendo alteram (diceret Thomista; concipiendo unam non conceptâ alterâ) efficit Universale.

ARTICULUS III.

Prioris sententiæ argumentis fit satis.

CCCC LXXXVII. SUperest ut rationibus, quæ contra hanc opinionem pro universalitate in actu formali consistente initio formabantur, satisfaciam.

Essentia duplex: partialis & totalis.

Ad primum Respondeo negando minorem. Ad probationem nego illam propositionem. *Nihil quod intrinsecùs Petro convenit de Paulo potest verificari.* Ad hujus probationem respondeo concedendo illam majorem. *Quod Petro intrinsecùs convenit de essentia Petri est*; subsumptam, nempe *Essentia Petri est ipse Petrus* distinguo, Essentia Petri totaliter sumpta est ipse Petrus, concedo: Essentia Petri partialiter sumpta, est ipse Petrus adæquatè, nego. Ratio est: quia *Homo* non est totus Petrus, nec tota essentia Petri, sed pars Petri, Petrus enim componitur ex Homine & Petreitate. In ratione Hominis cum Paulo & reliquis aliis Petrus convenit, in Petreitate dissidet: ideò quando dicimus *Petrus est Homo*, atque *Paulus est Homo*, idem prædicatum specie de utroque individuo verificatur, quia utrique identificatur, licet Pauleitas & Petreitas inter se non identificentur.

An idem constituat & distinguat?

Illud quod subsumebatur indiget aliquâ expositione. *Idem principium constitutivum & distinctivum*, inquis. Quid si negem? Albedine constituitur album, non autem albedine distinguitur à nigro, sed distinctione, quia si albus paries albedine distingueretur à nigro, deberet distinctione dealbari. Hæc esset formarum magna confusio. Unicuique formæ debemus tribuere suum effectum formalem, & albedine paries dealbatur, distinctione distinguitur, similitudine assimilatur, duratione perennat, & reliquos effectus formales recipit à propriis formis, quæ sint hujuscemodi effectibus proportionatæ.

Denominationes formales à formis consentaneis proveniùt.

Esto tamen hoc assertum sit verum. Quid inde? Dicebas. Ratione hominis Petrus constituitur saltem inadæquatè: ergo ratione hominis distinguetur saltem inadæquatè. Respondeo distinguendo antecedens. Nego Petrum formalitate Hominis constitui in ratione hujus, constituitur enim in ratione hominis, atque ideò Petreitate secernitur ab aliis hominibus, humanitate à brutis.

Ad secundum nego minorem. Hanc probabant rationes quæ pro Heraclito, sed his jam etiam satisfeci.

An una & eadem res possit esse simul unum & plura?

Ad tertium admitto rationem universalem debere prædicari, verificari, imò & identificari omnibus individuis, Nego autem unam & eandem speciem non posse identificari pluribus individuis: [potest enim ejusmodi concedi identitas; videlicet vel realiter, vel formaliter, vel expressivè, juxta diversas opiniones.] nec tunc unum & plura opponerentur, quia essent in diversis generibus. Esset illa natura universalis: unica & simplex specificè, & multiplex quoad individuationes.

Quid sit intellectu facilius, ... universale esse ... an ... singulare?

Constat hoc evidentissimè in natura Divinâ; illa singularis cum sit, identificatur tribus hypostasibus, & est unica secundum se, atque trifariam personata; ergo faciliùs intelligi potest naturam specificam & universalem esse simplicem secundum se, atque singularizari multifariam.

An Petrus sit homo universalis?

Ad quartum nego minorem, ad probationem est necessarium respondere expendendo istam propositionem *Petrus est homo universalis.* Dico eam differre ab hac *Petrus est homo*, quia *homo*, qui est prædicatum istius enuntiationis, revera est universalis, non tamen prædicatur ut universalis neque ut particularis, sed consideratus secundum sua prædicata essentialia, ideò idem est dicere *Petrus est homo* ac dicere *Petrus est animal rationale.*

An Petrus habeat naturam universalem?

Posset hic aliquis se interponere & dicere. Esto, hæc propositio *Petrus est homo*, æquivaleat huic *Petrus est homo universalis*, hæc autem est omninò vera: quia unum esse aliud est unum identificari alij, ac ideò idem est dicere *Petrus est homo universalis*, quàm dicere *Petrus identificatur homini universali*; hanc ultimam nemo negare potest: ergo nec primam. *Sed hanc libertatem loquendi* non admittit schola, quæ Petrum esse hominem singularem fatetur, & esse negat hominem universalem: at poterit concedere, si velit, hanc *Petrus habet naturam humanam communem & universalem*: hæc enim apud omnes est vera: Apud omnes, inquam; quia apud Platonicos Petrus habet naturam realiter universalem; apud Thomistas & Scotistas, formaliter universalem, apud expressistas, expressivè universalem: &c.

Obiicis, si Petrus esset homo universalis, etiam esset prædicabilis de pluribus differentibus numero, & syllogizas sic. Homo universalis est prædicabilis de pluribus differentibus numero; Petrus est homo universalis; ergo.

Respondeo hunc syllogismum in nullâ esse figurâ, ac propterea concessis majori atque minori, neganda est consequentia.

Quonam Axiomate aut Principio syllogistica forma fundetur?

Addis hunc syllogismum esse bonum, quia licet non innitatur illi principio. *Dici de omni atque Dici de nullo*, est expositorius, & innititur illi communissimo axiomati. *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.*

Respondeo me fugere dictionum tricas; & hanc ob rem multos syllogismos reiicere, quos vulgus vocitat expositorios: sæpe enim

constant

constant identicis propositionibus quæ vocibus solùm dissidcant. Expositorius est iste, *Marcus est Tullius, Tullius est Cicero, ergo Marcus est Cicero.* Sed hoc est verbis ludere, & tandem est dicere *Cicero est Cicero*: quia licet dentur tres termini vocaliter, datur unus mentaliter, ac propterea mentaliter non datur syllogismus, quia non sunt tres propositiones sed unica & hæc identica. Quando syllogismus expositorius habet tres terminos non solùm nomine sed & objectivè distinctos non mendicat efficaciam ab hoc axiomate *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se* apud multos indubitanter vero; sed apud doctiores falso. [Esse improbabile & indefensabile ostendo, cùm de Dialecticis Principiis ago.] Sed unde sumunt efficaciam? unde cæteri: ex illo principio *Dici de omni*: *Dici de nullo*: nam hic syllogismus, *Pater est hæc Divinitas, Hæc Divinitas est Filius: Ergo Pater est Filius*: æquivalet huic, *Pater est hæc Divinitas: Quidquid est hæc Divinitas, est Filius: Ergo Pater est Filius*. At hujus minor falsa est.

Unde sumit vires syllogismus expositorius?

ARTICULUS IV.

Quæstiones nonnullas examinat.

CCCC LXXXVIII Tota disputatio nonnulla supponere videtur, quæ indigent examine & meditatione: hanc ob rem nonnullas Controversias propono, quarum Resolutio sit utilis aut necessaria.

Quæstio prima. De simplici formalitate.

Quæritur prima: *An simplex formalitas intelligi possit confusè?*

Prima Sententia affirmat: quia intellectus vel percipit totum Petrum, vel tantùm rationem hominis. Si hoc ultimum: ergò jam dantur præscissiones objectivæ, quæ negabantur. Si primum dicas, ergò expressè concipit: quia nulla est confusio in intellectu, quando concipit totum objectum.

Objectio prima. An sensus habeant actus confusos?

Dices, te experientiâ doceri sensus exteriores corporeos sæpè attingere confusè objecta. Visus distantes colores confusos respicit, unde arti pictoriæ occasio, quæ imagines in dissitis locis ponendas crassioribus lineis colorat, ut pigmentis in visu confusis, percipiant oculi oculorum pulcherrimam compositionem, quam intendebat pictor. In hoc pingendi modo non legimus floruisse veteres; colimus atque suspicimus multos ex recentioribus. Extant Jacomi Tintoreti Artificis Morphoses aliquæ in Hispaniâ; quæ, si propior conspicias, præseferunt vastam linearum confusionem ductarum calamo impolito; exhibent tamen verè pulcherrimas imagines obtutui juxta legem distanti. Non secus accidit in aliis sensibus. Auditus sæpè indistinctè percipit, atque ideò non raro ea tibi jubes repeti, quæ vel nondum audieras, vel nondum benè. Ex hoc assumpto excurris sic. Similis est in operationibus Mens sensui exteriori, utitur speciebus impressâ expressâque, & in aliis circumstantiis etiam parallelizat, atqui sensus exteriores sæpè confusè concipiunt sua objecta, ut vidimus: ergò etiam mens habere poterit confusas aliquas notitias rerum.

Ars Pictoria. Visus confusè respicit. Auditus confusè audit.

Respondent sensus externos in multis rebus esse symbolos menti, non in omnibus: imò in hoc ipso de quo agimus à mente dissidere. Ipsi plurima confusè percipiunt, omnia mens clarè. Dant causam. Exteriores potentiæ sensibiles, cùm materiales sint, indigent appropinquatione debitâ, non enim possunt extra suam sphæram debitè operari; mens verò sphæram activitatis non cognoscit, spiritualis est, & ideò in operando non dependet à loco: tam perfectè potero D. Petrum concipere in Empyreo triumphantem, quàm Joannem meum sodalem adhuc viventem & in meâ ipsâ domo commorantem. Accedit quod multa subaudire creduntur, quæ benè quidem audivimus, sed sine reflexione; est enim necessaria ad judicium non solùm perceptio sensus materialis, sed etiam advertentia intellectûs.

An mens confusè intelligat? Intellectus nō dependet à loco. Quid sit subaudire?

Obiicies iterum. Si non darentur notitiæ confusæ, omnes essent æquè docti, quia omnes easdem conclusiones scimus, & tota in eo consistit differentia, quòd doctiores clariùs ac distinctiùs eas sciant, confusiùs eas & imperfectiùs calleant indoctiores.

Objectio secunda. An omnes homines sint æquè docti?

Respondent scientiam esse rem per causas cognoscere, ille autem doctior qui per magis nobiles & necessarias. Defendis eandem sententiam, quàm Petrus; te sapientior ille, si instruatur demonstrativo analogismo, & tu merè probabili. Præterea, admittunt clariùs & perfectiùs concipi objectum ab uno quàm ab alio, & perinde ab aliquo minùs distinctè; asserunt tamen à nemine confusè intelligi. Dant instantiam in scholâ Thomisticâ. Deus immaterialior est Angelis, sed hinc non sequitur Angelos esse materiales, sed solum habere immaterialitatem divinâ imperfectiorem. Non aliter; esto, inconfusiùs intelligat objectum doctus; ergo indoctus intelligit confusè? negant consequentiam, habet enim insipiens in intelligendo objecto inconfusionem imperfectiorem. Confirmant datam responsionem. Nix candidior alabastro est: hoc tamen non est nigrum, sed minùs album. Similiter notitia docti clarior est quàm notitia indocti; notitia autem indocti non est obscura, sed minùs clara.

Quid sit doctiorem esse? An Angeli sint materiales?

Obiicies tertiò. Fatui, ut communis sententia fert, habent notitias rerum confusas, & inordinatas species; ergo non sunt impossibiles confusæ cognitiones.

Objectio tertia. Quo Fatui modo res intelligāt?

Respondent in intellectu confusionem posse bifariam asseri. Primò, si dicatur plures notitias, quæ indistinctè concipiunt sua objecta, esse confusas, hoc est, inordinatas. Secundo, si dicatur notitiam simplicem confusè & obscurè attingere proprium objectum. Hoc ultimum judicant impossibile, non illud prius.

Apprehensio duplex: simplex, & composita. Fatui, stulti & phrænetici distinctas rerum cognitiones confundunt, deordinant, atque indebitè miscent, sed simplicia benè apprehendunt, laborant enim judicio, non tamen simplici apprehensione. *Simplici* dixi, quia laborant apprehensione composita; Vis enim intellectualis apprehensiva non solùm Ens concipit & perseitatem, sed etiam ex utrâque formalitate substantiam, & hanc sine judicio construit & componit; & in hac compositione potest esse error, non in simplicium apprehensione, quia indivisibile & simplex, vel totum attingi debet, vel non attingi. *An Petrus sit entitas simplex?* Ideò si Petrus (ut isti authores asserunt) non componitur ex formalitatibus præscissis objectivè, simplex & indivisibilis entitas est, ac propterea vel tota attingi vel tota non attingi debet. Si tota attingitur; expresse attingitur. Vel dicito in prædicato hujus enuntiationis *Petrus est homo* aliquid exprimitur, quia si nihil exprimeretur, non differret ab hac, *Petrus est*, ergo totus Petrus exprimitur, quia Petrus est indivisibilis, ac per consequens hæc prædicatio est identica, indistincta ab hac *Petrus est Petrus*: vel si totus Petrus non exprimitur, Petrus est objectivè divisibilis.

Objectio quarta. An actus Fidei sint confusi? Obiicis quartò. Datur actus simplex confusus & obscurus: ergo non solùm est possibilis confusio in compositione, sed etiam in apprehensione simplici. Probas antecedens. Actus fidei sunt simplices & tamen sunt obscuri.

An Fides in simplici apprehensione consistat? Respondent in apprehensione simplici nihil esse de fide aut contra fidem, imò neque in compositâ, apprehendere enim Deum quaternum non est hæresis; est tamen hæresis id affirmare; quia hæresis in judicio consistit. *Aliud est actum esse obscurum & aliud esse confusum.* Prætereà, actus fidei obscurus est, confusus non est, neque deordinatus. Benè connectit apprehensiones, atque de ipsis benè judicat, obscurè tamen, non enim scientificè, nec à principiis probabilibus ductus, sed à motivo extrinseco, nempe à divino testimonio: & hæc obscuritas est in alio genere. Clarè concipio quid sit Deum esse trinum, vel ut omnis æquivocatio tollatur, Christum esse passum, ex Maria esse natum; causam tamen intrinsecam harum assertionum non solùm clarè non concipio, sed nec obscurè; ideò dicor obscurè cognoscere, non quod revera non cognoscam, sed quoniam non cognosco per intrinsecas causas, sed solùm per testificationem revelantis. Cæterùm sunto hæc qualiacumque, quia nec resolutioni obsunt, nec obsunt nec prosunt inimicæ.

Objectio quinta. An possint gradus superiores concipere expressè, & inferiores confusè? Obiicis tandem: Video Petrum venientem à longè: priùs concipio ipsum confusè sub ratione corporis: posteà ex motu colligo esse corpus vivens: posteà ex figurâ, si propior fiat, cognosco esse hominem: tandem ex facie & aliis quantitatis organicis dispositionibus cognosco eum esse Petrum. Ergo priùs cognoscebam confusè gradum rationalitatis & vitæ; posteà vita est expresse cognita, & rationalitas confusè; tertiò hæc exprimitur & Petreitas confusè attingitur ab intellectu: tandem Petreitas ultimo actu exprimitur. Dantur igitur cognitiones confusæ, quæ totaliter non attingant objectum.

Hæc ratio non urget. Gradus corporis, vitæ, sensûs, rationis, & ecceitatis distinguuntur ex naturâ rei. Sic quando Petrum è longinquo conspicio, scio esse corpus, rationem corporis expressè attingo; non datur actus confusus, qui confusè attingat vitam atque rationabilitatem, sed has formalitates nec expresse nec confusè concipio. Sic similiter ex motu ab intrinseco expressè colligo illud corpus quod à longè videram esse animal, in quo sensibilitatem expressè concipio; rationalitatem neque confusè nec expressè, quoniam hanc non concipio. Tandem venio in notitiam expressam rationalitatis. &c. Ergo non dantur confusæ cognitiones.

SECUNDA SENTENTIA admittit cognitiones confusas; & quia objectiones contra primam sententiam, non esse bene solutas opinatur, illas resumit & roborat. CCCCXXXIII

Mens animæ oculus. Sæpè videt confusè. Primò enim, ut examinemus operationes mentis, sensuum actus in examen præmittimus, quòd putemus intellectionem esse visionem quamdam spiritualem: cùm igitur experientiâ constet oculos interdum simplices colores confusè cernere, cur negabimus posse & solere ab intellectu attingi confusè simplices formalitates? Disparitas quæritur, non datur: & siqua datur, supponere videtur id quod quæritur.

Cognitio confusa duplex: deordinata, & obscura. Secundam & tertiam objectionem non urgemus: quartam reponimus, & asserimus nomine *cognitionis confusæ* nos non intelligere deordinatam, sed obscuram: adeoque ab actibus Fidei adhuc posse argumentum urgeri. Et ad quintam veniendo, illam primæ accensemus, & stando paritati rationis & experientiæ quotidianæ, mentem actus aliquando confusos, hoc est, obscuros, elicere solere putamus.

Quæstio secunda. INquirit Secunda. *An individuum confusè cognitum sit species? an cognitum confusius sit genus?*

Quid supponatur & quid inde biuum vertatur? Supponit quæstio dari cognitiones confusas, etiam formalitatum simplicium; supponit etiam non dari præcisiones objectivas, nam si in individuo multæ sunt formalitates, quarum una clarè & altera obscurè cognoscitur, tollitur quæstio, & in Thomistarum viam, aut aliam illi parallelam inciditur. Et his suppositis inquirit, An Universalitas à confusione hac efficienter proveniat? An videlicet, Petrus confusè cognitus sit Homo; confusiùs cognitus Animal: & magis adhuc confusè cognitus sit Vivens? &c.

PRIMA SENTENTIA negat, & contraponit istam Thesin; videlicet: *Licet Petrus confusè conciperetur, non ideò esset formalitas quædam universalis,* nec

tis de pluribus prædicaretur. Probatur : Cùm enim confusè cognoscitur Petrus, vel cognoscitur totus Petrus, vel solùm illa Petri pars, in quâ convenit cum aliis speciei Humanæ singularibus. Dicis hoc ultimum? ergo defectionem facis à classe & admittis præcisiones objectivas; juxta hunc enim dicendi modum ratio illa, quâ Petrus ab aliis distinguitur, ne confusè quidem cognoscitur. Si primum dicas, nempe cognosci totum Petrum: infero, Ergo totus expressè cognoscitur, quia per te est indivisibilis, & nequit partim exprimi, atque partim confundi: cum verè nullas habeat partes. Hinc iterum. Totus expressè cognoscitur, ergo nequit de Paulo prædicari; quia hæc propositio *Paulus est homo* redderet hunc sensum *Paulus est Petrus*, quæ est absolutè falsa.

An Petrus, si confusè cognoscatur, totus confusè cognoscatur?

Sed esto : demus hoc argumento, quod Petrus confusè concipiatur. Ergo totus concipitur confusè; patet, quoniam non habet partes, acideò vel totus confusè deberet concipi, vel totus expressè. Ergo hæc propositio *Paulus est homo* æquivalet huic *Paulus est Petrus confusè cognitus*, quæ citra quæstionem est falsa.

CCCCXCI. Secunda Sententia asserit, & est valde communis in Scholis: at me judice est difficilis, & nisi egrediatur è suis terminis & ad connotata recurrat, prorsus inintelligibilis: nam præscindendo ab omni accidenti intrinseco & connotato externo, vellem doceri, quid sit & intelligat actus ille confusus, qui ab his Authoribus dicitur *Homo*; & quid sit & intelligat ille, qui dicitur *Animal*: Etquidem, si semel hos duos actus benè didicero, illos comparabo, & examinando discrimen differentiam reperiam. At experior hujus opinionis Assertores statim ad operationes & externa connotata recurrere. Quam ob rem sit

Quàm sit obscura ista sententia?

CCCCXCII. Conclusio. I. *Id, quod respondet ex parte objecti, quando confusè cognoscitur Petrus, si non dantur præcisiones objectivæ; nihil dicit expressè.* Patet; quia, si diceret aliquid expressè (hoc est, non confusè) aut darentur duæ contradictoriæ veræ, aut duæ formalitates objectivè præcisæ. II. *Ergo, si nec exprimit aliquod accidens intrinsecum (puta, figuram, colorem, motum, &c.) nec aliquod connotatum extrinsecum (puta, causam, effectum, &c.) solùm dicit generalissimum conceptum Entis.* Est nullius Philosophi, quem legerim; at meo judicio valde vera: nam, qui contrarium asserat, inter Animal Hominemque præscindendo ab accidentium & connotatorum distinctione, differentiam ostendat. III. *Habito conceptu Entis universalis facili negotio cæteros gradus exprimet, qui ad externa connotata recurrat.* Patet: quia *Accidens* est Ens in alio; *Substantia* Ens per se, hoc est, non in alio (congruo modo inalietatem hanc intellige) *Vivens* est Ens potens se movere ab intrinseco. *Sensitivum* est Ens intentionaliter materialiter objecta percipiens; & tandem *Rationale* est Ens intentionaliter spiritualiter objecta percipiens. *Animal* est Vivens sensitivum: & *Homo* est Animal rationale: &c.

An in actu confuso aliquid exprimatur?

Gradus prædicamentales Substantiæ per connotata extrinseca explicantur.

Sed contrà resumis instantiam paulò antè positam, & ais : [Cùm Petrum confusè concipio, intelligo Ens: Ergo hæc assertio *Paulus est Ens*, æquivalebit huic, *Paulus est Petrus confusè cognitus.*] Consequens est falsum : antecedens igitur non est verum.

Objectio.

Respondeo id prædicari, quod actu illo, qui se tenet ex parte prædicati percipitur : at illo actu, licet physicè & realiter attingatur Petrus, non percipitur distinctè Petrus, sed percipitur actum illum non carere objecto, at verò quale sit illud non percipitur, & hoc objectum confusum & indistinctum, vocamus *Ens*. [Contraria etiam doctrina probabilis & pulchra est, & inferiùs dilucidabitur.]

Resolutio notanda.

Postulat tertia, *An omnia individua (natura humana, v. gr.) confusè cognita, sint Homo: hoc est, natura humana universalis specifica, prædicabilis de singulis in particulari?* Multos & nimiùm multos video, qui parti asserenti subscribunt: at ego à negativâ sto; & causas negandi subjicio. CCCCXCIII.

Quæstio tertia.

De omnibus individuis confusè cognitis.

Non assero posse mentem omnia individua confusè concipere, quia contrarium constanter teneo. *Primò*, quia omnia Individua sunt infinita, actus nullus creatus infinita potest simul concipere. Nec sufficit, si dicatur ea esse syncategorematicè infinita, quia difficiliùs est simul cognoscere infinitum syncategorematicum, hoc est, in potentiâ, quam infinitum categorematicum, hoc est, in actu; quia hoc est, & ut est cognoscitur; sed illud non est infinitum, neque categorematicè infinitum potest esse, sed tale est ut semper majus possit esse. *Secundò*, quia, ut dicebamus in concl. 1. est contra ingenium apprehensionis simplicis rem simplicem concipere partim expressè, & partim confusè. Cæterùm condono tibi posse non solùm aliqua sed & omnia humana individua confusè concipi, nego illa concepta ut sic habere unitatem universalem: nego illum conceptum objectivum esse speciem hominis prædicabilem de singulis in peculiari. Ratio est quia quomodocumque illam naturam specificam explices; aut ad præcisiones objectivas, aut ad extrinseca connotata recurres. [Nota obiter, hîc multa objecta conglomerari : at de Universali Copulativo & Disjunctivo agemus inferiùs sexto, septimo. &c.]

An sint infinita? & quo modo?

ARTICULUS V.

De Universali confuso præciso : quod ponitur præcisione objectiva concessa.

Egimus de Universali confuso; in quo summi ingenii Scriptores dissentiunt: Examinabimus illam sententiam, quæ actus confusos adstruit & objectivas præcisiones negat, & quia non video cur non possimus faciliorem mire viam, & Universalitatis unitatem ad præcisiones expressivas reducere, hæc pauca addere volui Universali confuso.

Funda-

Fundamentalis Doctrina.

De Vniversali objectivè praciso.

CCCCXCIV. Sicut philosophantur Thomistæ de Universali per objectivas præcisiones abstracto, sic etiam nos philosophabimur impræsentiarùm de Universali abstracto penes præcisiones formales actuum clariorum confusiorumque, quas placuit nominare *Expressivas*. Et ut securè procedamus, istam præmittemus hypothesin; nimirùm. *Apud Philosophos formalitatem aliquam non cognoscere, aut illam confusè cognoscere, perinde est*: non enim Viri docti debent moveri umbris, nec de rebus caligine mersis temerè judicare. Videamus igitur quid dixerimus de Universali objectivè præciso, discutiamusque cur non id ipsum possimus dicere de præciso formaliter. Sit

Quid sint præcisiones expressivæ.

Hypothesis.

Prima Assertio. *Petrus est magis similis Paulo, quàm equo.* Corollarium. *Ergo datur fundamentum in rebus, ut præscindam objectivè similitudinem à dissimilitudine.* Sed quo potero modo formalitates tam intimè connexas distinguere? Si consideratâ plurium hominum ratione convenientiæ & disconvenientiæ, hanc concepero, non conceptis rationibus differentialibus: quia præcisio objectiva est quæ unam formalitatem concipit non conceptâ alterâ.

Individuorum similitudo.

Quid sit præcisio Thomistica.

Secunda Assertio. *Homo abstractus à Petreitate præcisione objectivâ, nihil continet, quod speciale Petro sit: nihil quod repugnet Antonio.* Corollarium. *Ergo natura ab uno homine præcisa, poterit de omnibus & singulis prædicari.* Hæc dicta sint contra Arriagam & alios, qui finxêre nescio quas singularitates inadæquatas: volueruntque naturam abstractam à Petro posse de solo Petro, & non de Antonio prædicari. At ego *Petreitatis* vocabulo omnem differentiam, quæ Petro & Paulo interest, intelligebam: & si velimus stare isti acceptioni vocis, corruit sententia Arriagæ. Sed esto condonemus his Authoribus quidquid desiderant: progrediamur ulteriùs & naturam illam Petri, quam post primam abstractionem adhuc retinere singularitatem incompletam dicebant, ab hac ipsâ incompletâ singularitate præscindamus: ergo (nisi fortè velint processum infinitum admittere) tunc erit natura Petri ab omni particularitate defæcata, & poterit prædicari de Petro, & de quocumque alio.

An natura abstracta ab uno possit de omnibus prædicari?

An dentur singularitates inadæquatæ?

Parallela Doctrina.

De Vniversali confuso, abstracto virtute præcisionis formalis expressivæ.

CCCCXCV. Diximus non concipere ac confusè concipere perinde esse: ergo consideratis Assertionibus præcedentis Articuli, alias eisdem analogas scribamus.

An non concipere & confusè concipere perinde sit?

Prima Assertio. *Petrus est magis similis Paulo, quàm Equo.* Corollarium. *Ergo datur fundamentum in rebus, ut præscindam formaliter similitudinem à dissimilitudine.* Sed quo potest modo has formalitates distinguere præcisione formali? Si consideratis ex. gr. plurium hominum convenientiæ & disconvenientiæ rationibus, illas expressè concepero, istas confusè: quia præcisio expressiva, ut à Thomisticâ & vulgò receptâ distinguitur, unam formalitatem expresse concipit, confusè alteram: quando enim video Petrum venientem à longè, & eum esse hominem percipio, at quis sit non cognosco, totum Petrum cognosco (nam totus intellectui objicitur) at non totum expressè: quà enim hominem illum expressè percipio: at quà Petrum ita confusè, ut perinde sit ac si hanc formalitatem non cognoscerem.

Quid sit expressivè præscindere?

CCCCXCVI. Secunda Assertio. *Homo abstractus à Petreitate præcisione expressivâ, nihil expressè continet, quod speciale Petro sit; nihil expressè quod repugnet Antonio.* Corollarium. *Ergo natura ab uno homine præcisa poterit de omnibus & singulis prædicari.* Patet, quia in illo conceptu objectivo expresso nihil est quod ad dissimilitudinem Petri, Pauli, & Antonij pertineat: ergo nihil quod non conveniat omnibus: nihil igitur quod non possit de singulis verificari. Si ad ecceitates incompletas recurras, & dicas in naturâ abstractâ à Petro, licet completa & ultima ecceitas confusè cognoscatur, cognosci adhuc expressè ecceitatem quamdam & singularitatem (aut dissimilitudinem; si sic placeat loqui) incompletam & inadæquatam, ratione cujus natura illa, quę à Petro excisa, ad Petrum necessariò pertineat, nec possit alteri cooptari. Si sic philosopheris, postulabo, ut confusiore adhuc actu idem objectum recognoscas, & hanc ipsam singularitatem incompletam confusè concipiendo, solam naturam hominis dilucidè & expressè concipias. Tunc ex parte objecti, erunt aliquæ formalitates confusæ cognitæ; erunt aliquæ cognitæ expressè; illæ ita se habebunt ac si non essent cognitæ: & hanc ob rem hæ solummodò poterunt prædicari.

De natura abstractâ ab uno.

De ecceitatibus inadæquatis.

An dentur completa & incompleta similitudo?

Hanc viam existimo faciliorem minusque confusam ut Vniversale cōfusum defendamus.

ARTICULUS VI.

De Vniversali Confuso, Simplici & Copulativo, præcisione objectivâ negata.

Est, ut singuli scimus, hoc ævo valde communis ea sententia, quę Universalia ad actus confusos reducit: & quia duplex est via, quam inire possint & solent, utramque dilucido & sterno. Pono ob oculos integrum Prædicamentum, & quia notius est, propono prædicamentum Substantiæ, & has Propositiones jubeo examinari.

CCCCXCVII.

VIII. I. *Petrus est Ens.*
VII. II. *Petrus est Ens creatum.*
VI. III. *Petrus est Substantia.*
V. IV. *Petrus est Corpus.*
IV. V. *Petrus est Vivens.*
III. VI. *Petrus est Animal.*
II. VII. *Petrus est Homo.*
I. VIII. *Petrus est Petrus.*

Numeri qui crescunt, significant gradus claritatis: & qui decrescunt, gradus obscuritatis.

Et quia ex parte subjecti non est dubium, Petrum enim expressè ponis: quid ponas ex parte prædicati, interrogo. Duas reperio sententias; utramque breviter dilucidabo.

Prima

CCCCXCVIII.

Prima sententia.

Quod universale dicant materialiter: quod formaliter?

Dicunt aliqui Universale esse entitatem aliquam simplicem: & ut prædicata omnium Propositionum, quæ ponebantur, explicent, dicunt in omnibus illis ex parte prædicati realiter loquendo esse Petrum, eumdemque expresè conceptum esse individuum: confus. speciem: confusiùs genus: &c.


Nota hoc, ne putes aliquam latere inconsequentiam.

Ut ergo doctrinam hanc intelligas, debebo nonnulla præmittere quæ tametsi sint asserta prius à nobis contraria, suam probabilitatem habent pondusque, & possunt plausibiliter asseri. Pono igitur cognitionem ideò dici confusam, quia non discernit suum objectum ab omni alio, quod non est ipsum; *confundo* enim duas habet significationes receptissimas: sumitur enim positivè & negativè. Positivè idem sonat, quod *permisceo unum cum alio*, seu *in unum simul fundo*, Negativè, idem sonat, quod *non distinguo*. Prior illa verbi significatio interdù non est utilis Logico, at semper est cognita hæc posterior. Et, quid quæso est distinguere? Aio cognitionem claram esse illam, quæ distinguit suum objectum ab omni eo quod non est ipsum, & ideò dici solet *distincta*, à distinguo quod opponitur confusioni. Quanto igitur cognitio est clarior, tantò magis distinguit suum objectum; quantò verò confusior, tantò minus illud distinguit. Sicut autem non repugnat, idem objectum, v.g. Petrum distingui per cognitionem ab omni accidente, & non distingui per cognitionem ab omni substantiâ; ita non repugnat, idem indivisibile objectum clarè ex parte, & ex parte confusè cognosci per eamdem cognitionem: clarè, quatenus distinguitur ab aliquo, quod non est ipsum; confusè verò, quatenus non distinguitur ab omni eo quod non est ipsum. Nec volo, ut cùm *partim* & *partim* audis, me admittere præcisiones inferas, quasi non possit esse Petrus distinctus & indistinctus, nisi duas ille formalitates habeat, alteram, quæ concipiatur expresè; & alteram, quæ confusè. Non, inquam, id volo: hæc enim divisio fit in termino seu connotato, nam totus Petrus ut homo est, animalibus simul sumptis est partim similis & partim dissimilis: est enim rationalibus similis, & cæteris universis dissimilis. Et hoc nascitur ex majore claritate actûs intelligentis: nam sicut idem indivisibile punctum aëris est capax lucis ut duo, & simul carentiæ lucis ut quatuor: quando advenit major lux, non propterea novum aërem illuminat; sed illum eumdem magis & perfectiùs: [Et in simili suprà diximus, non repugnare, simul eamdem rem esse similem, & dissimilem alteri, in gradibus remissis, ut sic loquar:] Ergo non repugnabit in eodem objecto claritas & obscuritas in gradibus remissis. In gradibus remissis loquor, quoniam omnimodæ claritati, obscuritas quæcumq; repugnat, & omnimodæ obscuritati quæcumque claritas. Considera diagramma subsequens.

Quid sit cognitio confusa?

Quid clara distincta & expressa?

Gradus remissi & disparati non opponuntur.



De sensu composito & diviso.

Hinc patet objectum, cui competit omnimoda claritas, non competere simul aliquam obscuritatem: & quod est distinctum ab omni, non posse confundi cum aliquo: nempè in sensu composito: nam successivè non repugnat, ut quod modò est clarum, cras sit obscurum, aut è contrà.

Quid sit cognoscere Animal distinctè?

Hinc patet secundò, cognosci aliquod objectum esse animal v. g. esse formalissimè distinguere illud objectum à non animalibus; & non cognoscere de illo esse rationale, idem esse, ac non distinguere illud ab irrationali. Hujus ratio ea est, quod homo habeat majorem similitudinem cum irrationali, quàm cum non animali: unde faciliùs est, eum distinguere à non animantibus, quàm ab irrationali, quia faciliùs distinguimus inter dissimiliora, quàm inter similiora.

Secunda Sententia.

CCCCXCIX.

Volunt aliqui Petrum non esse sufficientem, ut omnia Prædicabilia essentialia conformet, & ideo negant Universale pro materiali ex parte objecti dicere aliquid simplex: & recurrentes etiam ad actum confusum ad eum minimùm, qui omnia, aut multa individua cōfusè concipit, & sic conformat gradus prædicamentales. Et hi Authores, cum omnes homines confusè concipiunt, dicunt se concipere *Hominem*: quando confusè non solum omnes homines sed etiam omnia bruta, tunc dicunt se concipere *Animal*: cùm simul cum hominibus bruta & plantas, tunc aiunt se concipere *Vivens, &c.* Hoc Universale Cōfusum copulativū dicimus, illudque impræsentiarum proponimus examinandum.

Multæ

Objectio gravis.

Multa contra illud solent obüci, quæ aliàs præcisiones supponant, aliàs non dependeant ab illis: hanc rationem postulo considerari.

An præcisiones expressivæ etiam in cõfusis actib⁹ sint admittendæ?

[Quando eminùs video animal se movens, cognosco clarè esse animal, & non cognosco esse rationale, ergo præscindo animal à rationali. Confirmatur primò, Judicium distinctum est quo affirmo, *illud esse animal*, ab illo, quo affirmo *esse rationale*: ergo ex parte objecti affirmo aliquid, quod non affirmem per aliud. Confirmatur secundò: Possum de illo affirmare esse animal, & negare esse rationale, etiamsi verè sit rationale, quia mihi visum est brutum: sed repugnat me simul affirmare esse rationale, & illud negare; ergo per primum judicium quo affirmavi *esse animal*, non affirmavi *esse rationale*, aliàs hoc non possem per secundum negare; ergo ex parte objecti sola cognita fuit animalitas sine rationalitate. Confirmatur tertiò, In conceptu animalis affirmantur prædicata superiora, saltem implicitè, quia benè valet, *est animal, ergo vivens, ergo corpus*, &c. & tamen non affirmantur prædicata inferiora, quia non valet, *est animal, ergo homo*; igitur diversò modo cognoscuntur prædicata superiora quàm inferiora. Sed illa cognoscuntur tantùm implicitè, ergo hæc nullo modo cognoscuntur, quia minùs quàm implicitè non possunt cognosci.

An in Animali eodem modo quo superiora, etiam inferiora prædicata intelligãtur?

Hoc argumento utitur Rodericus Arriaga, etiam alij: cui, & ejus confirmationibus tenentur respondere & præscindentes: quia quando eminùs video colorem, possum illum adeò confusè agnoscere, ut nequeam affirmare, An sit albedo, an nigredo, sed solùm esse colorem; & tamen ex illorum sententiâ iste actus visionis non est præcisivus ex parte objecti. Explicent igitur, quâ ratione id contingat sine præcisionibus in visione, & eâdem ratione dicam ego, ait Arriaga, contingere in actibus abstractivis, etiam sine ullâ præcisione.

Claritas & cõfusio habet gradus.

Ecce cognitionem confusam vult Arriaga probare sumptâ paritate à visione confusâ: & bene, quia intellectus est quidam spiritualis oculus Animæ rationali concessus. Sed quid quæso reponeret Arriaga, si Academicus ab quis rationem coloris à ratione albedinis & nigredinis realiter cum Platone distinguens: & quidquæso, si Scotista easdem formalitates distinguens ex naturâ rei; diceret in tali casu, colorem quidem à me videri, albedinem verò aut nigredinem non videri? Quid si & ipse præcisiones visivas, aut etiam visiones præcisivas admitteret?

Mens Animæ oculus.

An sensus externi præscindant?

Sanè dari præcisiones visivas nemo negare poterit, qui sit bonus Peripateticus. Nam, si Continuum, quod vult Aristoteles, non habet partes distinctas realiter ante divisionem, dum ego hanc manum video & brachium (est enim tectum veste) non video, è duabus formalitatibus realiter identificatis, alteram video, & alteram non video, adeòque actione oculari præscindo.

An saltem visus?

An Continuum habeat actuales partes?

Cæterùm, ut Universale confusum tueri possimus, Continuum componi ex partibus ante divisionem & separationem distinctis;

Resolutiones faciliores.

Sensus externos non præscindere: Non dari præcisiones objectivas aut etiam expressivas dicamus: & his positis objectionem sub initium positam consideremus.

Respondent aliqui negantes præcisiones, & concedentes posteà in casu proposito Animalitatem cognosci explicitè, rationalitatem verò implicitè; hincque provenire, ut de animalitate reddi posset ratio, non verò de rationalitate. Et quidem isti Authores, dum maximè præcisiones reiiciunt, illas admittunt; quoniam, ut supenùs exposui, tam contradictoria sunt *cognosci explicitè*, & *non cognosci explicitè*, quàm *cognosci* & *non cognosci*: ergo, si non repugnat, unam formalitatem cognosci, & aliam non cognosci explicitè, nec repugnabit unam absolute cognosci, & aliam non cognosci absolutè. Teneris igitur semel negans præcisionibus servare doctrinæ consequentiam & de utraque formalitate idem omninò affirmare & negare. Si dixeris, alteram cognosci confusè, idem dic de alia. Si unam clarè, idem dic de aliâ; si unam explicitè, idem dic de aliâ: alioquin in sententiam Thomistarum recides, admittesque præcisiones, quas supponis non dari.

Reincidi tur in præcisiones.

Hinc ad Objectionem illam gravem, quam paulò antè posuimus respondent hujus Opinionis Authores; concedendo, me posse, cognoscere de Petro, esse animal, non cognoscendo esse rationale: negant tamen inde inferri, quòd aliquid cognoscatur ex parte objecti, & aliquid non. Ut enim proximè vidimus, solùm inde infertur, cognosci objectum aliquâ claritate, non verò totali: quæ præcisio non ex parte objecti est, ita ut aliquid objecti ignoretur, & aliquid sciatur, sed ex parte actûs; quia deficit mihi actus clarus & perf. ctus circa illam rem, ex cujus defectu non possum illam explicare per vocem *rationale*, ut in simili dixi de voce *homo*, comparata cum illâ, *animal rationale*. Et quia vocibus videmur indigere, hanc præcisionem secundum clarum & obscurum, siquidem est circa idem objectum indivisibile, vocemus *præcisionem formalem*, & *distinctionem rationis ratiocinantis*, nam se tenet ex parte intellectûs: & illam, quæ reperit duas formalitates in scholâ Scoti, *distinctionem* & *præcisionem ex naturâ rei*: & illam, quæ non reperit, sed facit duas formalitates in scholâ D. Thomæ, *distinctionem rationis ratiocinatæ*, & *præcisionem objectivam*: quæ potest adhùc subdistingui in præcisionem formalitatis conceptæ & non conceptæ, & præcisionem formalitatis expressæ & confusæ.

D. Objectioni sub initium positæ satis.

Aliud est cognosci totum objectum, & aliud totaliter.

Cognitio obscura & clara.

Genera distinctionũ.

Sed urgebis, *Esse rationale*, est quid intrinsecum homini, & hoc non possum affirmare de illo, cùm tamen possim affirmare *esse animal*: ergo aliquid intrinsecum affirmo, & aliquid non.

Respondet Arriaga; illud *esse rationale* vel posse sumi pro rationalitate objectivâ, & in hoc sensu falsum est me non affirmasse illam; affirmavi enim animalitatem,

Rationale sumitur realiter & expressè: materialiter & formaliter.

quæ

quæ est idem formalissimè cum rationalitate: vel posse sumi pro ipsâ rationalitate ut clarè cognitâ, & in hoc sensu verum est me illam non cognovisse, id est, me non habuisse cognitionem omninò claram de illâ entitate, eam scilicet cognitionem, quæ explicatur per vocem *rationale*: ex hoc autem non infertur aliquid defecisse ex parte objecti quod cognosceretur, sed tantùm defecisse perfectam cognitionem objecti.

DI. Quo modo differant Minerval & Eleemosyna.

Ego faciliùs ab hac difficultate me expedio. Etsi eadem pecunia numero sit minerval, si detur Magistro; & eleemosyna, si detur pauperi; nihilominus pauperi formaliter non dabitur minerval, sed eleemosyna. Et, si corpus habens quatuor gradus caloris & non plures nec pauciores, vocetur *tepidum*; non habebo aquam tepidam, etsi aquam calidiorem aut frigidiorem habeam. Cùm ergo Petrus in suo esse objectivo gradus claritatis & obscuritatis habeat & secundum octavum claritatis gradum dicatur *Petrus*, secundum septimum *Homo*, & secundum sextum *Animal*. qui viderit Petrum claritate ut sex, non vidit formaliter Petrum sed Animal: & qui vidit idem objectum claritate ut septem, nec vidit Animal, nec Petrum (formaliter loquendo) sed hominem. [Vide gradus claritatis & obscuritatis positos sub initium hujus Articuli VI.]

Quo modo differant gradus sub[...] Alteratis.

DII. Quo modo definitum & definitio distinguantur.

Transeo ad primam confirmationem, & admitto diversa esse judicia, *Ille est homo*, & *Ille est animal rationale*. nego tamen hæc prædicata distingui objectivè aut entitativè, ita ut aliqua formalitas vel connotatum dicat *homo*, quod non dicat *animal rationale*: distinguuntur enim solummodo expressivè: nam *animal rationale* clarius est.

DIII. An possit quis idem affirmare & negare.

Ad secundam confirmationem respondet Arriaga non repugnare me affirmare simul, & negare idem objectum, quando ex ignorantiâ puto esse diversa, ut patet in illis qui negant definitionem de definito, quando falsò putant non esse illam veram definitionem. *At verò* confirmatio non de eo quod falsò à rustico dici potest, aut non; sed de eo, quæ à docto veritate servatâ. Aio igitur viso homine à longè me sæpè nescire, an sit homo vel equus: & in tali casu, concedo me posse dicere *Illud est animal*, & posse non dicere *Illud est rationale*, nego tamen me posse dicere *Illud est irrationale*, aut *Illud non est rationale*.

Aliud est non dicere, & aliud dicere non.

Tertia Confirmatio fortis est, & videtur suadere præcisiones objectivas, & indiget bonâ solutione. *Respondet* Arriaga se per actum, quo cognoscit *animal*, tam præscindere à gradibus superioribus, quàm ab inferioribus. Fatetur per discursum posse inferri ex eo quòd cognoscat esse *animal*, esse etiam *substantiam*; non verò posse inferri, esse *rationale*: non quia diverso modo attingat rationem substantiæ, quàm rationalitatem, sed quia aliunde habet hanc cognitionem universalem, *Omne animal est substantia*, ex quâ infert; illud quod videt, esse substantiam. Unde si careret eâ cognitione universali, quantumvis cognosceret *animal*, non tamen posset cognoscere esse *substantiam*: sicut rusticus, quantumvis cognoscat odorem, nescit tamen illum esse accidens, non quia non attingat rationem accidentis, sed quia non habet cognitionem universalem, quòd *Omnis odor sit accidens*.

An animal à gradibus superioribus [...] distinguatur.

Respondent alij aliud esse concipere minus clarè, aliud confusè. illa inquiunt quæ clarè concipiuntur, licèt minùs clarè innotescant, verificari: non autem, quæ attinguntur confusè. Addunt me, quando concipio clarè *Animal*, concipere quidem *Vivens* & *sensibile* minùs clarè: sed clarè: et tunc *Rationale* & *Irrationale*, non clarè, non minùs clarè, sed obscurè. Et ex dictis concludunt *Vivens* & *Sensibile* de quocumque Animali verificari: *Rationale* & *Irrationale* non de quolibet verificari. *Hæc secunda responsio* videtur facilior, & rationem reddere disparitatis.

An idem sit minus clarè quod confusè concipere.

Hinc patet claritatem & distinctionem distingui: quoniam Vivens sensibile est conceptus clarior & expressior, quàm Animal: non tamen distinctior & minùs confusus: ab eisdem enim alteruter conceptus objectivus distinguitur, & cum eisdem confunditur: quod maximè notandum est.

An idem sit claritas quod distinctio.

Verior sententia.

EXposui opiniones duas, & quia fortè alicui viderentur ambæ præcisiones supponere, vel inferre, has lineas addo, ut possimus Universale confusum tueri omni objectivâ distinctione (tam inter formalitatem conceptam & non conceptam, quàm expressam & confusam) negatâ. Considera Positiones sequentes, non immemor omnium, quæ diximus, duas opiniones antecedentes illustrantes.

DIV. Vide figuram 24. Logicam.

Prima. *Cognitio humana suos habet claritatis gradus*, Hanc probat experientia, hanc paritas: paritas, quia in visione dantur claritatis gradus cùm ex parte objecti, tum ex parte medij, tum etiam ex parte oculorum; alia enim objecta lucidiora & clariora sunt aliis: nam Luna tertio vel quarto ætatis die duas luces habet, alteram valde intensam à sole, & alteram remissam à terra, ut ponit ob oculos figura. Aliàs medium etiam liquidius & clarius: nam aër interdum nebulosus est, interdum fudus & meridie clarus, & in crepusculis dubius & obscurus. Et tandem non omnes oculi sunt æquè clari: nec idem oculus semper est sibi similis: patimur humorum defluxum, & impedimenta majora vel minora sentimus. Cùm igitur Mens sit Animæ rationalis oculus, nemini injurius erit, qui de oculo Animæ sicut de oculo corporis philosophetur, & gradus claritatis admittat.

An luna illuminatur à sole? An à terra?

Mens Animæ oculus.

Sed quot? Physici octo admiserunt, ponentes determinatum numerum pro indeterminato: nos illis subscribamus, & eumdem numerum servemus.

Claritatis gradus quot.

Qui, & quales?

Et qui erunt isti gradus? Iam enumeravi superiùs: sed quia desidero, ut bene eos memoriâ retineas, illos subscribo: sunt enim I. *Ens.* II. *Ens creatum.* III. *Substantia.* IV. *Corpus.* V. *Vivens.* VI. *Animal.* VII. *Homo.* VIII. *Petrus.* [sequor communem Prædicamenti coordinationem; si quis aliter illud coordinare voluerit, fortè ab Authoribus hujus sententiæ in Physicâ aut Metaphysicâ dissentiet: at non ideò dissentiet in Logicâ.]

Quid concipiatur realiter? Suboriuntur difficultates.

Secunda. *In omnibus istis gradibus eadem realitas singularis realiter attingi potest: at non eodem modo exprimitur.*

Hæc Positio tres quæstiones parit. *PRIMA*: An actus quo exprimo Hominem, realiter attingat omnes homines, an aliquos, an tantum unicum? *SECUNDA*, An Petrum confusè cognitum possim prædicare de Paulo: an semper debeam Petrum confusè cognitum prædicare de Petro; & Paulum confusè cognitum de Paulo, quando dico, *Petrus est homo*, & *Paulus est homo.* *TERTIA*, An quando concipio Hominem, concipiam aliquod individuum: ex gr. Petrum: Et tandem *QUARTA*, Quomodo isti gradus distinguantur & confundantur? Peterent hæ quatuor quæstiones multa folia, si fusè deberent tractari: ego omnia, quæ possem fusiùs dicere, ad paginam unam reducam.

DV. An concipiantur omnes homines, cùm concipitur Homo?

Ad primam quæstionem respondeo me tres sententias apud Authores reperire: alii enim volunt huic actui mentis *Homo* omnes homines objici ita confusè, ut unus non distinguatur ab alio: Sed quo modo omnes homines: ipsi sunt nimis multi; nam possibiles (cur hos excludet, qui omnes dicit) sunt infiniti syncategorematicè, & existentes innumerabiles & incogniti mihi. Alii non omnes, sed aliquos illi actui jubent objici. Sed quos? & cur illos potius, quàm illos: sit igitur Positio.

An unus tantùm?

Tertia: *Sufficit unus homo, ut ab illo omnes gradus superiores abstraham.* nimirùm, abstractione rationis ratiocinantis, secundum obscuriores notitias: quoniam præcisiones objectivas & abstractionem rationis ratiocinatæ præsens opinio non admittit.

Probatur Positio: Quia ab uno homine Platonici, ab uno Scotistici & Thomistæ omnes gradus abstrahunt & præscindunt; ergo ab uno poterunt Expressistæ: nec indigent pluribus, ut *Hominem, Animal,* &c. exprimant.

An natura abstracta ab uno possit prædicari de alio?

Ad secundam quæstionem respondeo affirmativè: & in summâ laborare hallucinatione Thomistas, qui docent naturam abstractam à Petro non posse prædicari de Paulo; quos sic impugno. Natura Petri ante abstractionem nihil habet Pauleitatis, Ioanneitatis, aut alterius individuationis distinctæ à Petro: quod est evidens, & debet bene considerari. Tunc sic. Abstracta à Petreitate nihil retinet Petreitatis (aliàs enim esset abstracta & non abstracta) per abstractionem non adquirit Pauleitatem, aut aliam individuationem: ergo abstracta à Petreitate manet universalis. Est certum clarumque: & alibi à nobis Eucharistico radio firmatum. Ergo eodem modo (analogiâ tamen servatâ) de abstractione expressivâ philosophor, ut sit Positio

Quarta. *Quemcumque hominem confusè cognitum possum prædicare de Paulo.* Synthesis. *Petrum confusè cognitum non possum prædicare de Paulo.* Videretur evidens contradictio inter Thesin & Synthesin, sed est æquivocatio mera, quam dilucido aut tollo. Dico igitur realitates considerari posse physicè aut logicè: consideratas primo modo illis accidere ut expresse aut confusè noscantur: at easdem consideratas logicè dicere determinatum claritatis gradum. Cùm igitur nomine Petri intelligamus hanc realitatem expressissimè cognitam stante hac vocis acceptione repugnat simul ut confusè concipiatur. Quod si nomine Petri non jam logicum singulare, sed realitatem physicam intelligere velis, tuo utaris lexico, & deleta synthesi retine thesin.

Quid sit Petrus sumptus logicè: quid sumptus physicè?

Objicies tamen contra thesin, Si quando dico *Petrus est homo*, subjectum terminetur ad realitatem physicam quæ est Petrus, & prædicatum ad realitatem physicam quæ est Paulus, propositio erit falsa: reddet enim hunc sensum, *Petrus est Paulus.* Ergo quando dico, *Petrus est homo*, debeo prædicare de Petro realitatem, quæ est Petrus, & quando dico *Paulus est homo*, realitatem, quæ est Paulus.

Quid prædicetur & verificetur?

Respondeo me non prædicare, nisi quod expresse cognosco, adeòque licèt physicè Petrus se teneat ex parte prædicati, formaliter intentionaliter, & logicè tantùm percipitur ratio communis omnibus hominibus, & hæc de omnibus potest verificari. Hinc oritur Positio.

An realitas expressionis conditio sit?

Quinta. *Realitas physica objectiva & expressio passiva distinguuntur,* [hæc enim consistit in indivisibili; & illa diversarum expressionum est capax:] *Realitas est conditio Expressionis* [nam, si per impossibile esse posset expressio sine Realitate, non esset necessaria Realitas.] *& hanc ob rem non tacta physicè ab actu mentis Realitas, sed solummodo expressio (aut Expressum potius, quà tale) prædicatur & verificatur.* Et probatur: Quia sicut Thomista prædicat de Paulo naturam abstractam à Petro abstractione Thomisticâ, quæ est rationis ratiocinatæ: sic etiam Expressista prædicare de Paulo poterit naturam abstractam à Petro; abstractione nimirùm expressivâ, quæ est rationis exprimentis & ratiocinantis.

Multi in errores doctius inciderunt dum Universalia ...

Sexta. *Si de Petro non potest prædicari alia natura, quàm abstracta à Petro; & de Paulo non alia potest quàm abstracta à Paulo, tollitur doctrina Universalium, & reditur ad errorem Ethnicorum veterum, qui dicebant, Omnia esse singularia.* Hæc thesis [illegible] irrom-
[illegible]

in omni scholâ admitti debet: nam Universale Metaphysicum est unum in multis: & Logicum unum de multis: ergo vel unus & idem homo universalis est in Petro & Paulo, & prædicatur de Petro & Paulo: vel non datur Homo universalis. Nec ergo doctrina de Universalibus, quæ vera & pulchra est, ob nostram hallucinationem periclitetur, dicendum est in his omnibus propositionibus

Resolutio bene consideranda.

Petrus
Paulus
Franciscus } *est animal rationale.*
Antonius
Ludovicus

unum & idem (nempe, specificum) verificari prædicatum.

Tertiæ quæstioni satisfecit iam Positio IV. & ideò non est opus aliquid impræsentiarum addere.

Et quartæ quæstioni satisfactum fuit in primâ sententiâ §. *Vt ergo.* sed hæc pauca subscribo majoris claritatis gratiâ.

Consideratio duplex: Physica & Logica.

Considero simul *Omnia*, hoc est Deum, Res spirituales, Res materiales, Accidentia, Corpora, Elementa, Metalla, Plantas, Bruta, Homines. & aio hanc considerationem Physicam, supponi à Logicâ: at formaliter non esse Logicam.

Primus cognitionis gradus Ens

Hinc primò occasione arreptâ quamcumque ex his realitatibus sumo & ita confusè concipio ut à nullâ ex dictis possit distingui, & hunc voco primum claritatis gradum, & realitatem sic conceptam dico *Ens*.

Gradus secundus. Ens creatum.

Addo vivacitatem & claritatem menti, & distinctiùs idem objectum concipiendo percipio illud à Deo distingui & à cæteris rebus non percipio distingui, & secundum gradum claritatis enumero, & illum denomino *Ens creatum*.

Gradus tertius. Substantia

Intendo studium curamque, & mentis oculos ampliùs aperio, & distinctiùs illud objectum percipiendo, idem ab accidentibus distingui percipio, & idem à cæteris rebus distingui non percipio: & ideò pedem in gradu tertio colloco, & dico obiectum sic expressum *Substantiam*.

Gradus quartus Corpus.

Separo res spirituales à cæteris, & clariùs distinctiùsque objectum illud cognoscendo, percipio illud à spiritualibus distingui, & à cæteris non percipio distingui, & quartum gradum claritatis statuo, & illud obiectum sic expressum *Corpus* nomino. [Et hic obiter notari volo: aliud esse *non percipio distingui*, & aliud *percipio non distingui*.

Gradus quintus Vivens.

Adhuc majori nisu & perfectiùs & distinctiùs cognoscendo obiectum, idem percipio ab Elementis, metallis, lapidibusque distingui, & à cæteris non percipio distingui, & illud sic expressum voco *Vivens*, & in quinto gradu Prædicamenti colloco.

Gradus sextus Animal.

Quando claritas & distinctio tanta est ut illud distinguere possim à Plantis, aio me exprimere *Animal*, & sextum gradum claritatis tenere. Et quando illud distinguere possum à Brutis me occupasse septimum gradum & *Hominem* concipere expressivè.

Gradus septimus Homo.

Tandem, cùm realitatem illam physicam expressissimè concipio; quod tunc evenit cùm à quâcumque aliâ physicâ illam distinguere possum, tunc dico me exprimere *Petrum*, v. gr., & tenere gradum octavum, expressissimum & distinctissimum. *Hinc oritur* Positio.

Gradus octavus. Petrus.

Septima. *Per gradus Prædicamentales Logicus descendit & adscendit, cùm vult: nimirùm, descendit, addendo distinctionem & claritatem: adscendit diminuendo distinctionem & claritatem & addendo indistinctionem, confusionem & obscuritatem.* Et quia aliis nos scholis attemperare volumus; *Descensum* Contractionem; *& Adscensum* Abstractionem *vocamus*. Patent omnia; nec debent pluribus dilucidari.

De abstractione & contractione.

Obiectio I.

DVIII. An differentiæ tollantur?

DIces te audivisse genera & species; at differentias nondum; adeòque ex hac doctrinâ colligis omnes differentias auferri, & Prædicabilium receptorum numerum minui, definitiones proscribi: & per consequens totam Logicam labefactari.

An compositio ex genere & differentiâ sit in objecto?

Respondet Arriaga compositionem ex genere & differentiâ non esse in objecto, sed provenire extrinsecè ab unô actu quo confunditur cum pluribus, & ab alio quo ab illis distinguitur. Item distinctionem rationis ratiocinatæ non esse illam, quæ distinguit objectum indivisibile in duas partes, hoc enim, ut vidimus, repugnat; sed illam, per quam objectum distinguitur à pluribus vel paucioribus rebus. Ideò enim animal distinguitur ratione ratiocinatâ à rationali, quia per animal cognoscitur homo adeò confusè, ut non distinguatur à brutis, a quibus distinguitur per rational: distinctio verò rationis ratiocinantis est illa, per quam objectum, licet diverso modo cognoscatur, non tamen distinguitur à pluribus per unum actum, quàm per alium, nec comparatur cum diversis terminis, quod in homine & animali rationali cernitur; etiamsi hic fortè aliquis posset contendere, dari comparationem ad diversos terminos, id est, ad operationes.

An genus & differentia sint in objecto?

Sed hæc responsio falsa supponit, & objectioni non satisfacit. Ait primò Arriaga compositionem ex genere & differentiâ non esse in objecto. Et quid inde? Genus & differentiam non esse in objecto, ubi ergo? Objectum ipsum est quod distinguitur & confunditur: & hanc ob rem, nisi spontè turbari velimus, debebimus dicere genera & differentias esse specificis objectis intrinsecas, etiam in Scholâ expressiva: at generis & differentiæ distinctionem esse extrinsecam, & à diversis mentis actibus provenire. At oritur ab extrinseco

An distinctio & claritas sint intrinsecæ?

claritas, ait Arriaga: ergo differentia non est intrinseca. Concedo antecedens & nego consequentiam illatam: quoniam etiam lux meridiana, quâ fruimur, à sole provenit, & tamen est intrinseca corporibus illuminatis.

Distinctionis rationis ratiocinantis & rationis ratiocinatæ distinctio.

Expositio distinctionis rationis ratiocinatæ, quam protrudit Arriaga, nec necessaria, nec vera est. Non vera, quia duas habet Logicus distinctiones rationis ratiocinantis & rationis ratiocinatæ: utraque nominibus tam claris insignitur, ut expositione non egeat: distinctio rationis ratiocinantis (ut ipsum nomen præ se fert) se tenet ex parte mentis (hanc vocamus rationem) ratiocinantis; distinctio rationis ratiocinatæ (ut etiam nomen ipsum exponit) se tenet ex parte objecti (& hoc vocat etiam rationem D. Thomas) cogniti seu ratiocinati. Quo ergo fructu nomina clara & recepta confundit? Repugnat, ait Arriaga, distinctio, quæ objectum indivisibile dividat in duas partes. Esto. At dicet Thomista hominem non esse objectum indivisibile; quia licet realiter sit divisibilis aut indivisibilis (hoc enim non curatur in Logicâ) formaliter est divisibilis. Et dicet alius, etsi repugnent formalitates objectivæ, non ideò bene exponi ab Arriagâ distinctionem rationis ratiocinatæ, sed eum debere potiùs dicere talem distinctionem non dari, imò & repugnare. Id clarissimè ostendo. Supponamus repugnare omnia bruta, & interrogo, Quid equus sit? An-ne vi hujus hypothesis respondebis bene dicendo *Equus est animal rationale*? Minimè, sed etiam in tali casu definitio Equi erit, *Equus est animal hinnibile*. at dicetur & Equus, & Animal hinnibile repugnare.

An repugnat rationis ratiocinatæ distinctio?

DIX

Modus inveniendi differentias.

Ad objectionem ergo respondeo, si dentur genera & species, necessariò & differentias dandas; ipsæ enim ex comparatione nascuntur. Rem illustro hoc exemplo. Sint hic omnia animalia: unam ego ex illis realitatibus (quam quamcumque) ita confusè cogito, ut distinguam à plantis, sed à nullo animali distinguam, & dicam me cogitare *Animal*. Posteà Petrum (realitatem nimirùm ejus physicam) paulò distinctiùs cogito, ita ut non illum distinguam à Paulo, & tamen ab omni non homine distinguam, & hunc conceptum expressivum voco *Hominem*. Tandem eumdem Petrum expressissimè & distinctissimè considero, & voco *Petrum*. Conceptus expressus, qui dicitur Animal, est genus: ille, qui dicitur *Homo*, est species: & ille, qui dicitur *Petrus*, est individuum. Tunc sic. Conceptus expressus *Homo*, minùs patet quàm *Animal*, & magis est clarus & distinctus quàm *Animal*. Ergo inter *Hominem* & *Animal* dantur magis & minus: & ille claritatis & distinctionis excessus dicitur *Rationale*, ut est differentia genus contrahens. & eodem modo philosophor de singularitate. Dantur igitur differentiæ intrinsecæ, quæ tametsi per extrinseca congruè exponantur, intrinsecæ sunt, & à rebus quas constituunt indistinctæ,

Animal. *Homo.* *Petrus.* *Rationale.* *Petreitas.*

Obiectio II.

DX.

An præcisiones objectivæ tandem sint admittendæ?

Dices ex hac doctrinâ sequi admittendas esse præcisiones objectivas aut expressivas; videlicet rationis ratiocinatæ, aut rationis expressæ: & non sufficere distinctionem rationis ratiocinantis aut exprimentis. Et probas: quia natura potest exprimi absque eo quod est extra eius essentiam: differentia autem est extra naturæ essentiam: ergo potest natura concipi absque differentia. Ergo natura generica distinguitur ratione ratiocinatâ à differentiis, & natura specifica ab ecceitatibus, quæ sunt differentiæ quæ contrahunt & distinguunt speciem.

Ecceitates etiam sunt differentiæ?

Prima solutio rejicitur.

Respondet Arriaga differentias esse de essentiâ rationis communis: non tamen ita, ut quælibet differentiæ sint de essentiâ cujuslibet rationis communis; sed hæc differentia de hâc ratione communi, seu de hâc animalitate, & illa de illâ ratione communi. Quare hæc ratio communis v. g. animalitatis hominis, benè potest concipi sine differentiâ equi, quæ non est de ejus essentiâ, non tamen sine rationalitate, à quâ nullo modo distinguitur.

An dentur plures animalitates genericæ?

Sed non satisfacit: quia non dantur duæ animalitates, ut semper opinatur Arriaga; sed animalitas generica est unica, & ipsa in omnibus speciebus. Respondeo ergo naturam quidem posse exprimi, at non semper posse concipi absque eo, quod est extra essentiam ipsius. Addo etiam differentias esse extra conceptum rationis communis, eo nimirùm sensu, quo illa ratio communis est: unde differentiæ universalis realis sunt realiter extra rationem naturæ communis: & differentiæ universalis formalis sunt formaliter extra rationem naturæ communis: & tandem differentiæ expressæ, sunt extra rationem universalis expressi. Et concludo, quando dicimus *Animal*, exprimi quidem tantùm *Animal*, sed totam realitatem physicam attingi & indistinctè concipi. Et ad hoc non esse necessarias præcisiones objectivas pronuntio.

Quo differentiæ modo sint extra rationem communem?

Nota.

Authores Universale Confusum cum Connotativo confundunt nec distinguunt.

Placuit tertiam hanc opinionem proponere, dilucidare & propugnare negando omnem præcisionem objectivam, adeòque omnem distinctionem rationis ratiocinatæ, & etiam rationis expressæ; recurrendo ad actus rationis ratiocinantis & exprimentis. Omnia exposui & salvavi, quin ad connotata operationum & effectuum recurrerem. Amo enim doctrinæ puritatem; nec laudo Hurtadum, Arriagam, Franciscum Bonæ-Spei, & alios qui Universale Expressivum & Connotativum confundunt, cùm sint diversa, & possint seorsim propugnari: quod in hoc articulo; & præcipuè

tipnè in expositione hujus tertiæ opinionis præ-!!itimus.

ARTICULUS VII.

An ex hypothesi quod Universalitas in copulativa confusione consistat, eodem modo de Universali in essendo, & de Universali in prædicando debeam philosophari?

DIX. *An illud ipsum quod est in multis prædicetur de multis?*

PUto multum inter hæc duo Universalia discrimen quoad hoc reperiri: cùm enim prædicabilitas sit Universalis proprietas, illud ipsum quod est in multis, debet prædicari de multis. Hanc doctrinam sic proponit Arriaga, *disp.4. Logica sect.6. subsect.1. pag. 110. num. 22.* [Nonnulli censent per actum copulativum confusum, quo omnia individua simul cognoscuntur, ita constitui naturam universalem in repræsentando, seu in essendo, ut etiam per illum actum constituatur universalis in prædicando, ita ut quando dico, *Petrus est homo* ex parte objecti per Tò *homo* cognoscantur omnes naturę omniú singularium; & licet videantur omnes affirmari de Petro, non tamen affirmetur nisi propria ipsius natura.] Et paulò inferiùs *subsect.2. pag.112. num.31.* sic infit. [Asserimus primò naturam constitui Universalem in essendo, seu extra prædicationem, per actum copulativum confusum, quo omnes naturæ simul apprehenduntur, ita ut inter illas non distinguat intellectus. Asserimus secundò, illam naturam sic conceptam esse prædicabilem de quolibet inadæquatè, id est, unam de uno, & aliam de alio: quod sufficit, ut absolutè illa natura sit prædicabilis de pluribus, prout ad Universale requiritur.] Hinc patet eos, qui confusum Universale tuentur, non prædicare omnia individua copulatim sumpta, quia tunc hæc propositio *Petrus est homo*, redderet hunc sensum, *Petrus est omnes homines*: Addo tamen illos non benè prædicare naturam Petri, quia tunc eadem propositio *Petrus est homo*, redderet hunc sensum, *Petrus est Petrus.* Et ideò contra Arriagam & alios Authores pronuntio, in illa propositione prædicari illam naturam universalem, quæ est in multis: Sed quæ est ista natura, quæ est in multis? Respondeo esse illum conceptum objectivum, qui correspondet actui confuso.

An universale sit omnia individua confusè sumpta?

De prædicatione inadequata.

Resolvitur contra Arriagam.

Obiectio I.

DX. *An omne, quod concipitur, affirmetur?*

TOtum quod concipitur ex parte prædicati debet affirmari de subjecto. Sed ex parte prædicati omnes naturæ concipiuntur: Omnes igitur prædicantur. Ergo hæc propositio, *Homo est animal*, æquipollet huic, *Homo est omnia animalia*, quæ falsa est.

Respondetur distinguendo majorem: debere prædicari totum, quod concipitur expressè, conceditur: debere prædicari totum quod concipitur confusè, negatur. Iubetur transire minor. Et negatur illata consequentia.

An totum, quod exprimitur, verificetur?

Et ut hanc solutionem & conclusionem benè capias, adnotato conceptu hoc *Animal*, omnia animalia concipi tam confusè & indistinctè, ut nulla percipiatur distinctio, adeoque nulla percipiatur pluralitas: & hanc ob rem nihil in illo objecto percipi, quod non possit verificari de homine, nihil quod non possit de equo. Non ergo conceptûs objectivi pars, sed totus ille sub expressione *Animalis* prædicatur, & verificatur.

Obiectio II.

DXI. *Reponitur eadem instantia.*

PAucis alteratis hæc eadem ratio solet reponi per hæc verba. Ad veritatem propositionis copulativæ requiritur, ut totum quod enuntiatur per prædicatum, conveniat subjecto; nec sufficit, si aliqua pars tantùm illi conveniat: ergo si ex parte *hominis*, quod est prædicatum in illâ propositione, *Petrus est homo*, correspondent omnes homines copulativè, ut propositio sit vera, debet Petrus esse omnis homo. Atqui Petrus non est omnis homo, ut lumen naturale docet; ergo illa propositio non potest esse vera. Nec sufficit illa distinctio data inter actum copulativum confusum & clarum, tum, quia excogitata est sine ullo fundamento; tum, quia nullus Logicus, neque etiam ipsi Adversarij, dum in summulis docent, ad veritatem propositionis copulativæ requiri, ut totum prædicatum conveniat subjecto, distinxerunt inter copulativam confusam, & claram, quia absolutè in omnibus copulativis veram censent illam doctrinam: tum, quia ipsi Auctores docent, quando ego dico, *Natura divina communicatur*, non correspondere in conceptu naturæ paternitatem, aliàs de illa affirmaretur *communicari*, quod est hæreticum. Unde sic argumentor contra illos: Si tunc corresponderet paternitas, non corresponderet clarè, sed confusè cognita: & tamen per te, quia ibi corresponderet, deberet de eâ affirmari communicatio; ergo etiam in actibus copulativis confusis debet prædicatum convenire toti subjecto cognito copulativè, etsi confusè: ergo non benè distinguis inter copulativum confusum & clarum, quoad punctum præsens.

Quid requiratur, ut copulativa vera sit?

An copulativa confusa debeat distingui à clarâ?

An in Naturâ divinâ confusè intelligatur Paternitas?

Respondetur propositionem prædicati copulativi, qualis est ista *Senatus est Consules & Patres*, differre à propositione universalis prædicati; qualis est ista, *Petrus est homo*: nam in priore tota materia concipitur & exprimitur: & in posteriore tota materia prædicati concipitur, sed non percipiuntur differentiæ, adeòque nulla exprimitur in illo prædicato pluralitas.

Terminus copulativus expressus & copulativus confusus distinguuntur.

***

Obiectio III.

DXII. *Haec ratio militat contra Arriagam: non contra nos.* VRges eamdem objectionem à priori: quia, si in aliquo actu non esset necessarium, totum quod correspondet ex parte objecti, affirmaretur de subjecto, potiùs id esset verum in copulativo claro, quàm in copulativo confuso: quia affirmare unum de alio, & non affirmare totum, est distinguere inter id quod affirmatur, & inter id quod non affirmatur; ergo si aliqua cognitio posset partem objecti affirmare, & non totum, ea esset cognitio clara plurium, quæ

An cognitio confusa distingat. distinguit inter illa plura. At confusa cognitio, quæ non distinguit inter suum objectum, quâ ratione potest prædicare partem objecti, & partem non prædicare, hoc enim jam est distinguere inter partem & partem, quod repugnat cognitioni confusæ. Ergo si cognitio copulativa clara affirmat totum suum prædicatum de subjecto, à fortiori affirmabitur totum per cognitionem confusam copulativam.

Totũ quod exprimitur, prædicatur & verificatur. Respondetur hanc objectionem directè militare contra eos, qui non totum, sed partem prædicati universalis de subjecto verificant: non contra nos, qui illud prædicamus & verificamus. Quid debeant modo respondere Arriaga & asseclæ videre poterunt: nos enim Resolutioni nostræ insistimus, & respondemus, id totum affirmari, quod percipitur: & actu illo confuso quo concipitur *homo*, concipi quidem omnes homines, at eorumdem Ecceitates non percipi, & pluralitatem non exprimi.

Obiectio IV.

DXIII. *Quid sit prædicare unum de aliol* PRædicari unum de alio, nihil aliud est, quàm per copulam unire prædicatum cum subjecto. Ergo, si per prædicati cooncipiuntur omnes naturæ, omnes illæ prædicantur de subjecto. Probatur consequentia: quia copula eodem modo & indivisibiliter respicit totum prædicatum, illud uniendo cum subjecto: neque enim ille actus judicij attingit diverso modo unam naturam ac aliam, cùm inter illas non distinguat; ergo eodem modo unit unam, quo aliam. Si

An prædicata determinentur & limitentur à subjectis? dicas, talia fieri prædicata, qualia importantur per subjecta: ergo si subjectum est quidam homo, faciet ut prædicatum supponatur solùm pro quâdam naturâ. Benè est: sed objectionis Authores te redarguent, & dicent: Ergo non cognoscit nisi unicam naturam, quia prædicatum non supponitur nisi cognoscendo: ergo si pro u-

An in prædicato una sola natura concipiatur? na natura supponitur, unam tantùm cognoscit. Quod si vis conjungere in unum, & cognoscere omnes naturas, & supponi tantum pro una, conjungis repugnantia in terminis.

Id solum quod exprimitur Respondetur antecedens debere eodem modo, quo in solutione præcedentis objectionis distingui: nam prædicari unum de alio, non est subjectum uniri prædicato confuso, sed expresso. *Vel aliter:* Prædicari, esse uniri subjectum prædicato; at prædicati nomine non intelligi quidquid ex parte prædicati concipitur, sed illud solùm quod percipitur & exprimitur. *Vel aliter:* In prædicatione formali non debere subjectum uniri prædicato materiali, sed formali; & nomine materialis prædicati posse intelligi quidquid concipitur: at prædicati formalis nomine, id solummodò, quod exprimitur & percipitur. *verificatur.*

ARTICULUS VIII.

An in prædicatione formali totum prædicatum prædicetur & verificetur de subiecto? Rationes asserendi & solutiones earumdem discutiuntur.

DOctrina hujus Articuli non multum differet à doctrina præcedentis, at illum scribo ut clariorem Lector meus Confusi Universalis cognitionem adquirat. Ad quæstionem ergo in titulo propositã, respondet negativè Arriaga *disp.6.Logica, sect.6.subsect.3.num.31.* putat enim ut vidimus, in hac propositione *Petrus est homo*, non verificari nec prædicari de Petro omnes homines, sed illum solummodò, qui est Petrus: & tamen omnes nemine dempto conceptu illo hominis objectivo comprehendi. Cuius si sequaris doctrinam, debebis ducere Universale esse adæquatè unum in omnibus & de omnibus: at in singulis esse & de singulis prædicari inadæquatè: quia homo, qui est Petrus, nec est in Paulo, nec potest prædicari de Paulo. *An deneur prædicationes & verificationes inadæquatæ*

Sed hæc Arriagæ sententia mihi displicet: & quia aliquas ipse objectiones dissolvit, Verùm illæ diluantur sufficienter, videamus.

Obiectio I.

PEtrus est homo, est propositio vera, & ad secundum prædicabile pertinens. Ergo *Petrus est omnes homines*, erit etiam vera & pertinens ad idem prædicabile. Quia sicut hoc prædicatum *homo* de Petro inadæquatè prædicatur & verificatur, sic etiam hoc prædicatum *omnes homines*, omnes enim inadæquatè prædicabuntur, si unus de uno, & alius prædicetur de alio. *DXIV. An Petrus sit omnis homo adæquatè.*

Respondet Arriaga per hunc actum *(omnes homines)* non fieri universale, nec fieri naturam unam, sed cognosci expressè pluralitatem.

Sed hæc solutio non videtur sufficiens. Nam condonemus hoc prædicatum *omnes homines* non esse universale; saltem verificabitur de Petro inadæquatè: & si non verificatur inadæquatè, frustra ad adæquati & inadæquati distinctionem recurritur: cùm ad distinctionem confusi & expressi deberet.

Obiec-

Obiectio II.

DXV. *De subiecto universali & prædicato universali.*

PRædicatio universalis est illa, quâ tota natura prædicatur de quolibet; quando enim aliqua in particulari tantùm prædicatur, est prædicatio particularis: ergo si nos dicimus de quolibet inferiori tantùm prædicari eius naturam, non admittimus prædicationem universalem.

An in particulari, aut singulari tota natura prædicetur?

Hanc rationem sic contra se formavit Arriaga: ac eam tantisper corrigo: quia non solum in propositione universali, (qualis est *Omnis homo est animal*) sed etiam in particulari (*Aliquis homo est animal*) imò & in singulari (*Hic homo est animal*) tota hominis specifica natura prædicatur. Sed quomodocumque proponi debuerit, quo dissolvatur modo, dispiciamus. Sic ille inquit. [Respondeo ad prædicationem universalem non requiri, ut tota natura universalis prædicetur de quolibet, (ostendi enim id esse omninò impossibile) sed solùm, ut prædicetur illa natura, quæ in apprehensione præcedenti per se requisita ad illud iudicium, fuerat universalis, quia per apprehensionem præcedentem simul cum aliis fuerat confusè, & sine distinctione cognita. Cùm ergo natura illa, quæ de Petro proximè prædicatur, ante prædicationem subiverit simul cum aliis rationem Vniversalis, ideò absolutè prædicatio illius dicitur Vniversalis non à se, sed ab apprehensione illam præcedenti.] Sed hæc omnia sunt falsa: tota enim natura, quæ est universalis, prædicatur de quolibet; & hoc non solùm non repugnat, sed repugnat, ut universalis illa sit, & non tota prædicetur de singulis, sed partialiter & inadæquatè.

Imò requiritur, & non solùm non est impossibile, sed est necessarium.

Vera responsio.

Obiectio III.

DXVI. *An hæc Propositio, Petrus est Petrus, sit secundi prædicabilis? Cur hæc non sit universalis?*

SI conciperem omnes homines confusè, & posteà dicerem *Hic homo est Petrus*, propositionem universalem, ad secundum prædicabile pertinentem, formarem. Patet ad hominem ex solutione Arriagæ, datâ ad obiectionem præcedentem.

Respondet ille hanc positionem non esse universalem, *primò*, quia ad illam non fuit prærequisita apprehensio Vniversalis, per quam natura Petri simul cum aliis confunderetur, & fieret universalis; imò potiùs fuit prærequisita apprehensio clara & distincta de Petreitate, aliàs non posset Petreitas de hoc homine expressè affirmari. Quarè etiamsi eo tempore, quo habeo apprehensionem illam universalem, affirmem de hoc homine esse Petrum, illa tamen apprehensio habet se omninò per accidens in ordine ad prædictam prædicationem. At in eâ prædicatione, quâ de Petro affirmo esse hominem, habet se prædicta apprehensio ut quid prærequisitum necessariò: unde non mirum, si denominet eam prædicationem Vniversalem. *Secundò* dicit, eam non esse universalem, quia non prædicatur tota natura de illo neque disiunctivè, sed una in individuo sola & determinata. Sic ipse.

De prædicatione disiunctivâ.

At non adquiesco: non enim placet prima instantia. Quis enim somniavit universale in prædicando esse illud quod verè est particulare, sed ut concipiatur postulat, ut priùs universale cognoscatur? Non placet secunda, quia hîc de Vniversali copulativo, non de disiunctivo disputamus: de Disiunctivo enim inferiùs Articulo IX. differemus.

Reiicitur utraque solutio.

Obiectio IV.

DXVII.

TAm repugnat, ut ex vi eius apprehensionis confusæ circa omnia inferiora possim ego affirmare, *Petrum esse aliquem hominem*, quam affirmare *Petrum esse Petrum*, quia per illam apprehensionem non solùm non cognoscitur Petreitas, & aliæ singularitates, sed neque cognoscitur expressè pluralitas, unde non poterit affirmari ex vi illius, Petrum esse aliquem hominem, quia qui dicit aliquem, iam agnoscit pluralitatem; ergo neque prædicatio, quæ ponitur ab Arriaga: in quâ de Petro sua ipsa prædicatur natura, poterit esse universalis.

Huic obiectioni satisfacere conatur Arriaga multa immiscendo, quæ à nemine possunt admitti. Asserit hac obiectione probari ad prædicandum de Petro esse aliquem hominem, non sufficere eam apprehensionem universalem, quâ omnia individua confusè cognoscuntur; sed simul cum illa requiri aliam secundam, quâ reflexè cognoscam eam naturam à me confusè apprehensam esse multiplicem, ut inde possim inadæquatè illam de quolibet individuo prædicare. Ad affirmandum ergo de Petro esse aliquem hominem, requiruntur duæ apprehensiones, (quia etiam duo prædico) una hominis, quæ est universalis, & à quâ prædicatio dicitur universalis; alia multiplicitatis naturæ humanæ, ut possim dicere Petrum esse aliquem ex hominibus. At in illa prædicatione, qua dico, *Hic homo est Petrus*, cùm tantùm prædicetur Petreitas, solùm requiritur unica apprehensio Petreitatis; quare ad illam prædicationem nulla prærequiritur apprehensio Vniversalis. Vnde absolutè est prædicatio particularis, & in se & in apprehensionibus ad ipsam prærequisitis. Prætérquam quod potest etiam ea prædicatio dici universalis; quia idem quod per unam prædicationem affirmatur de Petro, potest etiam per aliam affirmari de Paulo, & de quolibet alio singulari: quia de quolibet est verum dicere, esse aliquem hominem, id est, hunc vel illum; non tamen est verum dicere de quolibet, esse Petrum. Vnde non mirum, si hæc sit prædicatio particularis, illa verò universalis.

Quid requiratur, ut prædicetur terminus particularis?

Quid ut terminus singularis?

An terminus particularis sit universalis?

Sed non obstante datâ ab Arriaga solutione, obiectio manet in suo statu: cùm enim exprimitur homo (esto multi, aut omnes homines concipiantur) nulla exprimitur pluralitas nulla distinctio,

Reiicitur Arriaga solutio.

Nota

Notentur quasi singula accentù.

EX dictis *patet primò* prædicatum universale dicere realiter totum id quod realiter concipitur, formaliter verò id quod exprimitur; *patet secundo*, totum id quod exprimitur esse unum, & in omnibus, & de singulis verificari. *Patet tertiò*, ad verificationem perinde esse confusionem ac non cognitionem, adeòque quæ confusè cognoscuntur non verificari, nec ad considerationem Logicam pertinere. *Patet quartò*, perinde esse Logico, si vel dicamus in conceptu hominis expresso, omnes homines realiter concipi, sed confusè; ita ut non possit ulla relucere pluralitas: vel dicamus unum tantùm (nempè quemcumque) realiter concipi, sed confusè; ita ut non possit ulla respectu cæterorum relucere distinctio vel dissimilitudo: alterutrum enim probabiliter defendi potest: at utraque militat directè contra Arriagam.

Vtraque sententia est probabilis.

ARTICULUS IX.

De Vniversali Confuso Disjunctivo.

DXIX. MVlti sunt, qui ne à confusâ Philosophiâ discedant, volunt per actum confusum Vniversalitatem explicare: & quia nesciunt actum simplicem copulativum tueri, ad disiunctivum recurrunt: Videlicet ad actum disiunctivum terminatum ad omnia individua sub disiunctione ad hoc vel illud; ut idem sit dicere, *Petrus est homo*, ac dicere, *Petrus est vel Petrus, vel Ioannes, vel Antonius.* quæ propositio vera est, licet Petrus non est omnes homines; quia ad veritatem disiunctivæ propositionis sufficit, ut unum ex prædicatis conveniat subiecto. Cùm autem una ex illis nathris verè conveniat Petro, etsi non omnes, vera erit propositio, in quâ omnes de Petro disiunctivè prædicantur. Confirmant hanc sententiam auctoritate D. Thomæ *opusc. 55.* ubi hæc ait, *Genus significat formas* (id est differentias) *non hanc vel illam determinate, quam determinatè exprimit differentia.* Deinde ratione: quia per illum actum natura hominis fit una in multis, & prædicabilis de illis, quia omnes naturæ disiunctivè cognitæ sunt prædicabiles de quolibet: ergo ille actus constituit Vniversale.

Quid requiratur ut propositio disiunctiva sit vera?

Consequentia doctrinæ postular, ut eodem omninò modo de Vniversali in essendo & de Vniversali in prædicando philosophemur: eiusdem enim formalitatis objectivæ est esse in multis & prædicari de multis: at semper hic mirabiliter circumcurrunt nonnulli, eorumdem rationes diluamus.

Sicut de Vniversali in essendo, sic de universali in prædicando agendum est.

Obiectio I.

LIcet possit dari disiunctio in prædicatione, tamen in simplici apprehensione non video quâ ratione possit dari ea disiunctio; quia vel per illam apprehensionem simplicem cognoscuntur simul omnia singularia, vel non. Si omnia, ergo non disiunctivè, quia repræsentari copulativè per apprehensionem plura individua, nihil aliud est, quàm simul illa apprehendi. Si verò non respondent ex parte objecti omnia singularia, ergo neque disiunctivè omnia cognoscuntur. Sed actus quo constituitur Vniversale in repræsentando, est apprehensio incomplexa plurium simul cum confusione, ergo illa non potest esse disiunctiva.

An in apprehensione possit reperiri disiunctio?

Respondeo actum alterum Vniversalis esse *esse in multis*, alterum *prædicari de multis* nec intelligere, cur possim dicere *Petrus est Petrus vel Ioannes*: & non possim apprehendere *Petrum vel Ioannem esse in Petro.* Hæc propositio, *Repræsentare copulativè per apprehensionem plura individua, nihil est aliud, quàm simul illa apprehendi*, est falsa. quia quando dico *Petrus vel Ioannes est hic*, simul utrumque apprehendo, non tamen copulativè, sed disiunctivè. Discrimen igitur copulativi & disiunctivi non consistit in eo quod omnia simul cognoscantur, sed quod cognoscantur copulata aut disiuncta: illud enim quod significant particulæ *&* & *vel*, non se tenet ex parte actûs, sed ex parte objecti.

Si disiunctio in predicato, etiam in apprehensione invenitur.

Copulativa & disiunctiva differentia.

Obiectio II.

VT hoc Vniversale disiunctivum impugnent aliqui, condonant posse dari talem simplicem & incomplexam apprehensionem disiunctivam plurium, nihilominùs contendunt per eam non reddendam naturam universalem: quia actus, qui distinguit inferiora inter se, non facit ea unum extrinsecè: sed actus ille disiunctivus, eo ipso quod disiunctivus sit, debet distinguere sua objecta; ergo non facit Vniversale. Probant Minorem: quia actus disiunctivus est, qui dicit, *hoc vel illud*, &c. sed qui hoc dicit, necessariò distinguit inter hoc & illud, inter quæ ponit disiunctionem *vel*; ergò ille actus disiunctivus non confundit plura, ita ut ea faciat unum extrinsecè. DXXI.

An actus disiunctivus faciat Vniversale?

Respondeo primò, hanc objectionem supponere non dari aliam rationem universalis quàm expressam, simplicem aut copulativam, quam articulo præcedenti tradidimus. Et respondeo Vniversalis Disiunctivi propugnatores definire Vniversale Metaphysicum *Vnum disiunctivum in multis* & Metalogicum *Vnum disiunctivum de multis*; & stando istis definitionibus, nihil deesse ad universalitatem.

Dices te non videre unum disiunctivum de multis, sed multa disiunctiva de uno; ut cùm dicimus *Petrus est homo*; hoc est, *Petrus est Petrus, aut Paulus, aut Franciscus*, &c.

Et respondeo hoc totum, *Petrus, aut Paulus, aut Franciscus, aut alius.* &c. esse unum disiunctivum, & hoc unum disiunctivum esse in singulis, & etiam prædicari de singulis; sicut enim de Petro, sic etiam poterit de alio quolibet verificari.

Obiectio

Obiectio III.

DXXII. Quid ad confusionem requiratur?

VT actus non confundat obiecta, sive ut non faciat homines unum in ratione hominis, sufficit si expressè cognoscat illos esse plures, etiamsi non cognoscat perfectè eorum individuationes, ut patet in actu quo dico *omnis homo*, per quem in omnium sententiâ non fit universale, eò quòd expressè cognoscuntur plura, etiamsi perfectè non cognoscantur eorum individuationes. Ergo licèt per actum disiunctivum non cognoscantur perfectè Petreitas, Pauleitas, &c. quia tamen per ipsum cognoscuntur expressè plura, non poterit effici natura universalis. Ratio à priori est manifesta; quia quod opponitur directè & primariò *uni homini*, prout requiritur ad universale (quod debet esse unum in multis) non est Petrus & Paulus, sed multi homines, etiamsi non sciatur qui sint, Petrus-ne, vel Paulus (hoc enim iam requiritur, non ad faciendos plures homines, sed ad cognoscendum omninò clarè eorum individuationes) unde qui cognoscit mille esse, non tamen cognoscit qui sint, non pauciores etiam ex parte modi cognoscit, quàm qui distinctè noscit qui sint illi mille. Vnde etiam suprà dixi, per actum, quo duas albedines ut duas video, & scio esse duas, quia illas duobus in locis video, licet non sciam dicere in quo una ab alterâ differat; dixi inquam, per talem actum non fieri Vniversale: quod & hi Auctores, contra quos ago, fatentur. Ergo si cognoscuntur ut plura, etiamsi clarè non distinguantur individuationes, non fiet Vniversale per actum disiunctivum.

An omni unitati omnes opponantur pluralitati?

Respondeo unitati, quæ ad Vniversalitatem, in opinione quam edisserimus, requiritur, non opponi pluralitatem disiunctivam, sed copulativam: unus enim ex multis est in multis & etiam prædicatur de multis. Addo non indigere nos tot circumloquiis, sed solummodò desiderare, ut ostendant adversarii hoc unum disiunctivum, de quo agimus, aut non esse unum disiunctivum; aut non esse in multis; aut non prædicari de multis: nam si utrumque habeat debebit Vniversale dici, licet de nomine disputare cogamur.

Obiectio IV.

DXXIII. Verbum propositio indefinita & particularis distinguantur?

MVlti docent, quod Individuum vagum eodem modo prædicatur ac natura omnium disiunctivè cognita, ut patet in hâc prædicatione, *Petrus est aliquis homo*, id est, *hic vel ille*, quæ est prædicatio individui vagi, & est eadem cum illâ, quæ ab his Auctoribus ponitur pro Vniversali, scilicet; *Petrus est homo*, id est, *hic vel ille, vel ille homo.* Ergo non minus una quàm alia erit universalis.

Respondeo multos tantùm admittere propositionem indefinitam & particularem labio aut calamo differre, non re: putant enim has, *Homo est animal*, & *Aliquis homo est animal*, esse propositiones æquipollentes: unde & concludunt, idem esse *Petrum esse hominem*, ac esse *aliquem hominem*, aut etiam *hunc vel illum hominem*. Si hæc dicamus (quæ difficulter hîc negare poterimus) obiectio præcedens, & aliæ multæ similes enervabuntur.

Obiectio V.

DXXIV. Quid requiratur ad verificationem disiunctivam.

PRopositio disiunctiva contenta est si aliqua pars prædicati conveniat subiecto nec requirit ut omnia prædicata illi conveniant: at prædicatio universalis petit quantum est ex se, fieri de pluribus: ergo prædicatio disiunctiva non est universalis.

Si tè benè examines, videbis hanc objectionē æquivocatione laborare: aliud enim est, in prædicatione disiunctivâ non requiri, ut totum prædicatum conveniat subjecto, aliud verò, illud prædicatum disiunctivum non posse de pluribus affirmari. Primum est verum, secundum verò falsum: neque ad rationem prædicationis universalis requiritur, ut tota illa natura copulativè conveniat cuilibet individuo; sed solùm, ut tota illa eo sensu quo est una & universalis (& nunc ut disiunctivè cognita) possit de pluribus verificari.

ARTICULUS IX.

Quæstio incidens, de multiplicatione formali.

DXXV. Proponitur

QVæritur. *An natura, non solùm habeat ab intellectu unitatem, sed etiam multiplicitatem & communicabilitatem, superiorum respectu?* Controversia est hæc, quæ in scholâ Platonis, & eorum omnium, qui Vniversale ante mentis operationem propugnant, locum vix habet: at in cæteris, & in eâ præcipuè, quæ Vniversale Confusum adstruit, debet illustrari & resolvi.

Multiplicitas duplex; physica & logica.

Arriaga *disp.6, Logica, sect.6, subsect.3. pag* 113. *num.* 37. respondet distinguendo duplicem multiplicitatem, aliam physicam & realem, & aliam Logicam: illam docet naturam habere à semetipsâ: hanc pronunciat ideò Logicam dici, quod præstet, ut natura possit de pluribus proximè prædicari, & hãc habere ab intellectu, à quo ea natura ita cõfunditur, ut tota de quolibet (indistinctè, aut distinctè disiunctivè, juxta diversas opiniones, quas nuper posui.) prædicetur. An autem dicendũ sit, naturã habere adæquatè universalitatẽ ab intellectu, eò quòd ab illo habet & unitatem & multiplicitatem Logicam, quæstio est de nomine:

An sit quæstio de nomine.

in quâ dicendum putat ab intellectu provenire adæquatè universalitatem Logicam proximam, quia universalitas hæc solùm dicit in recto unitatem & aptitudinem ut de pluribus prædicetur, vel ut repræsentet plura; quæ omnia habet natura ab intellectu immediatè,

licèt

licèt ex parte ipsius naturæ debeat præsupponi multiplicitas physica, quæ non includitur in universali ut prædicabili tanquam pars, sed tanquam objectum. Si verò loquamur de Vniversali Physico (*puto legi debere*, Metaphysico) seu in essendo, dicendum est, partē hujus Vniversalis provenire ab intellectu nēpè unitatem, partem verò realiter esse in ipsis rebus, scilicet multiplicitatem.] Sic ille.

Quomodo natura abstrahatur?

Ego nihilominùs puto hoc modo nos debere discurrere. *Primo* enim individua reperio, quæ si stemus scholæ docenti & tradenti Vniversale Confusum, debebimus necessariò dicere, si formaliter loqui velimus, non esse ejusdem naturæ aut speciei, sed fundamentaliter & potentialiter. *Secundo* præcisione formali aut objectivâ juxta diversas opiniones, abstraho rationem similitudinis à ratione dissimilitudinis, & reperio singulorum naturas talecitatibus præcisis coïncidere, & non esse multas, sed unicam solam naturam. *Tertiò* hanc naturam considero in multis, & Vniversale Metaphysicum formo: eamdemque enuncio de multis & Vniversale Metalogicum prædico. *Quartò*, ex hoc conceptu naturæ Vniversalis & differentâ unum totum conformo [nempe ex naturâ genericâ & differentiâ speciem: ex Specie & Ecceitate Individuum & singulare.] *Ergo* intellectus priùs ingressus dissolutionis & præcisionis viam ex particularibus abstrahens universale, è multis unum eruit: & posteà ingressus compositionis & contractionis viam, universale contrahendo, unum in multa dividit & multiplicat. Ergo hæc non est quæstio de nomine ut Arriaga putavit.

Quomodo contrahatur & dividatur?

***

DISPVTATIO XII.

De Universali Connotante.

DXXVI. *Explicatur opinio.*

HAber ista sententia Authores acutissimos; & juxta hos datur in rebus distinctio quædam fundamentalis, quæ afficit unam simplicem Entitatem, in quâ continetur virtus duorum affectuum specie distinctorum, qui possent à distinctis causis produci. Vocari volunt *virtualem distinctionem*, quia continet eminenter virtutes duarum, & idem præstat, licet unica & simplex causa sit, quod præstaret si haberet virtutes operativas, quæ realiter distinguerentur. Vocari etiam volunt *fundamentalem*, quia præbet occasionem menti ut eam comparet in ordine ad unum effectum, & posteà in ordine ad alium.

Denominationes ab effectibus & operationibus.

Petrus habet unicam & simplicem virtutem, nimirùm, Animam rationalem; sed hæc est principium, quo se movet ab intrinseco, quo sentit, & quo ratiocinatur. Anima Petri prout refertur ad motum progressivum, ad augmentationem &c. vocatur *Vita vegetativa*: prout respicit actus sensibiles videndi, audiendi &c. vocatur *Vita sensitiva*; prout autem actus intelligendi, *Anima rationalis*, prout absolutè & clarè cognoscitur objectum, & connotat alia fundamenta quæ ad communem terminum (nimirùm actus humanos) referuntur, dicitur *Petrus*.

Distinctio graduum superiorum & inferiorum est realis extrinseca.

Hinc colligunt distinctiones & differentias graduum in hac scholâ posse ad miraculum bene explicari: quia animal formaliter loquendo non est rationale, neque è contrario: ratio est, quia subjectum prout comparatur ad actus sensibiles, non refertur ad intellectuales.

Colligunt secundò, hos gradus non distingui intrinsecùs, sed extrinsecùs penes diversa connotata.

Colligunt tertiò, hanc distinctionem extrinsecam esse veram & realem, quia reverà ipsum connotare discursum non est connotare auditionem, & ipsum referri ad motum non est referri ad verbum mentis.

Quomodo distinguatur Animal à Rationali.

Colligunt quartò, non posse mentem præcidere objectivè adæquatè animal & rationale, sed semper concipere eandem formalitatem, nunc in quantum animantem, post in quantum intellectivam, comparando eam ad actus sentientiendi, sive ratiocinandi.

Hæc opinio sic exposita est Hurtadi *disp.* 5. *Met. sect.* 10. *subs.* 1. ubi eam esse Nominalium affirmat.

ARTICULUS I.

Solvuntur objectiones duæ.

DXXVII. *Objectio prima.*

HÆc displicet sententia nonnullis, *Primo* quod simplices, imò formalitatum simplicium apprehensiones, confusas & semiconfusas videatur admittere: nam si Petrus est entitas metaphysicè simplex, & in duas objectivas formalitates incidi nequit, quo quæso modo poterit concipi confusè in quantum Petrus, & expressè in quantum rationalis? quia si objectum partim concipitur confusè & partim expressè, indivisibile non est, sed habet partem & partem, atqui asseritur Petrus formalitas indivisibilis, ergo vel totus expressè concipitur, vel totus confusè conci-

concipitur, aut ut meliùs dicam totus non concipitur, quia mens vel non apprehendit objectum vel apprehendit expressè. *Et secundo*, quia doceri vis, quid mente concipiam cùm dicor concipere *Rationale*; quia vel est Petrus prout verbum mentis respicit, vel omnes homines simul prout referuntur ad mentales actus. Ergo hæc propositio *Paulus est homo*, æquivalet huic *Paulus est Paulus prout verba mentis respicit*; vel saltem isti *Paulus est omnes homines prout referuntur ad mentales actus*. Atque hæc omnia sunt falsa.

Objectio secunda.

Sed duæ istæ objectiones non urgent. *Non prima*: quia eamdem simplicissimam formalitatem posse expressè, & posse confusè concipi, videtur certum: nam sicut una & indivisibilis materiæ pars potest remissiore & intensiore claritate illustrari, sic possunt circa eamdem indivisibilem materiam objectivam actus clari & obscuri versari. Quis enim audebit intellectui negare, quod oculis necessariò conceditur? Nam eumdem indivisibilem colorem Petrus clarius, & Paulus obscuriùs intuetur; eumdem unus & idem homo clariùs & obscurius, quando propinquus vel remotus. Cùm igitur colorem è propinquo respexeram claré, si eumdem è longinquo obscurè aspiciam, non illum divido, non præscindo, non abstraho: sed totum totum, quem priùs claré, postcà obscurè intueor. Ergo eodem modo philosophaberis de mente. Petrum priùs claré & expressè concipio, postea confuse; ac iste actus secundus non est præcisivus aut divisivus: non incidit objectivam alteram formalitatem ab alterâ objectivâ formalitate: sed quem prius conceperat claré, totum totum, eumdem totum postcà confusè concipit.

An una & eadem entitas, possit clarè & obscurè cognosci?

Non secunda: quia nomine *Rationalis* concipio Ens prout respicit actus intelligendi, tanquam proprios: nomine verò *Animalis*, iterum Ens prout respicit actus vitales-sensitivos; & pronuncio, hanc positionem *Paulus est homo*, non æquivalere huic, *Paulus est Paulus prout verba mentis respicit*: neque huic, *Paulus est omnes homines prout referuntur ad mentales actus*: sed huic, *Paulus est Ens quod connotat actus vivendi, sentiendi, ratiocinandi*, &c. Vt id bene defendas utere doctrinâ datâ *disp. 10. art. 4 quæst. 2. sent. 2. concl. 1.* &c.

ARTICULUS II.

Proponitur gravis scrupulus.

DXXVIII. Fateor hic esse aliquid, quod vitare non facile possim vel sciam: nam scio Entis conceptum semel datum per varia connotata contrahere, & dividere: at in extremis hæsito, & non miscere scholas nescio. Summus enim gradus & infimus, (videlicet *Ens* & *Petrus*) vix intelligi poterunt per connotata. Vel dicito, quid est Petreitas? Hominem esse Ens potens vivere, sentire & intelligere, ais: & hoc exactè intelligo. Sed quid erit hic homo? An, Ens potens elicere hos determinatos actus vivendi, sentiendi & intelligendi? An verò, Hoc Ens potens vivere sentire & intelligere? Si primum dixeris, supr[illegible] numero, quos ego elicio, n[illegible] elicposse ab alio, quod valdè difficile est [illegible] multis aut ferè omnibus in scholis negatum. Secundo: concedatur: non ideò difficultas solvitur, non ideò fugitur: pone enim Rationale esse Ens respiciens intellectiones, & Hoc rationale esse Ens respiciens has intellectiones: & interrogo, quo modo intellectio ut sic ab hac intellectione distinguatur: quia si intrinsecè, iam ad aliam scholam fit transitus: & sicut ab hac intellectione intellectio ut sic, sic etiam ab hoc homine distingui potest homo ut sic. Si autem intellectio ut sic ab hac intellectione extrinsecùs distingui dicatur, debebit per alia connotata distingui, & dari infinitus processus. Si dixeris Rationale esse Ens potens intelligere, & Hoc rationale esse Hoc Ens potens intelligere, interrogabo statim, quid objectivè respondeat voci *Hoc Ens*: quid voci *Ens*: non enim sunt æquipollentes, sed debent intrinsecùs distingui vel extrinsecùs: & si extrinsecùs, vitari non poterit infinitus excursus: & si intrinsecùs, cogemur exesse ab hac scholâ, & ad alias confugere.

Quid sit Petreitas.

An effectus unius causa ab aliâ provenire possint?

Quid sit Ecceitas intellectionum?

Discrimen inter Ens & Hoc Ens.

Dices Petreitatem esse quamdam operandi virtutem, quæ non reperitur in Paulo: & infers Petrum esse Ens prout non solùm respicit actus humanos, sed illos etiam speciales & charactericos, qui à Petro elici possunt, & à Paulo non possunt. Et respondeo uno verbo hanc solutionem nec veram, nec sufficientem esse. Dico non esse veram: illi enim speciales actus, qui asseruntur, finguntur: quoniam illos nec ratio evincit, nec authoritas suadet, nec experientia manifestat. Et si dicas hac ratione probari [si nô admittuntur eiusmodi characterici actus, qui sint Petro proprii, & Paulo convenire nequeant, non poterit ostendi distinctio inter *hominem* ac *hunc hominem*: At certum est debere distinctionem statui: Ergo actus characterici sunt admittendi.] Respondebo hanc rationem supponere scholam Connotatistarum esse veram, quam qui admittat forte illos actus charatericos cogetur concedere. Sed quid, si aliquis discurrat hoc modo: [Vel est hæc schola deserenda seu corrigenda, vel sunt admittendæ actiones charactericæ de quibus loquimur: & Ego quia alterum facere debeo; & istas adstruere nô audeo, nolo in hac scholâ remanere.] quid, inquam, illi fieret, qui sic discurreret:

An Petreitas sit operativa?

Dixi hanc solutionem non esse veram: addo nunc, non esse sufficientem: nam si semel actiones ille charactericæ admitterentur, admitteretur necessariò individua singula distingui specie: nam, si ideò homo distinguitur ab equo, quòd possit operationes diversas elicere, quàm equus; etiam Petrus distingueretur specie à Paulo, si haberet operationes proprias, quas elicere Paulus non posset. Præterea quærerem, quomodò distinguerentur istæ duæ apprehensiones *Homo* & *Homo*? si numero, an distinguantur per operationes charactericas:

An individua distinguantur specie?

Fundamentalis Doctrina.

De Universali objectivè præciso.

CCCC XCIV. *Quid sint præcisiones expressivæ.* *Hypothesis.*

SIcut philosophantur Thomistæ de Universali per objectivas præcisiones abstracto, sic etiam nos philosophabimur impræsentiarùm de Universali abstracto penes præcisiones formales actuum clariorum confusiorumque, quas placuit nominare *Expressivas*. Et ut securè procedamus, istam præmittemus hypothesin; nimirùm. *Apud Philosophos formalitatem aliquam non cognoscere, aut illam confusè cognoscere, perinde est*: non enim Viri docti debent moveri umbris, nec de rebus caligine mersis temerè judicare. Videamus igitur quid dixerimus de Universali objectivè præciso, discutiamusque cur non id ipsum possimus dicere de præciso formaliter. Sit

Individuorum similitudo. Prima Assertio. *Petrus est magis similis Paulo, quàm equo.* Corollarium. *Ergo datur fundamentum in rebus, ut præscindam objectivè similitudinem à dissimilitudine.* Sed quo poterò modo formalitates tam intimè connexas distinguere? Si considerata plurium hominum ratione convenientiæ & disconvenientiæ, hanc concepero, non conceptis rationibus differentialibus: quia præcisio objectiva est quæ unam formalitatem concipit non conceptâ alterâ. *Quid sit præcisio Thomistica.*

An natura abstracta ab uno possit de omnibus prædicari? Secunda Assertio. *Homo abstractus à Petreitate præcisione objectivâ, nihil continet, quod speciale Petro sit: nihil quod repugnet Antonio.* Corollarium. *Ergo natura ab uno homine præcisa, poterit de omnibus & singulis prædicari.* Hæc dicta sint contra Arriagam & alios, qui finxêre nescio quas singularitates inadæquatas; volueruntque naturam abstractam à Petro posse de solo Petro, & non de Antonio prædicari. *An dentur singularitates inadæquatæ?* At ego *Petreitatis* vocabulo omnem differentiam, quæ Petro & Paulo interest, intelligebam: & si velimus stare isti acceptioni vocis, corruit sententia Arriagæ. Sed esto condonemus his Authoribus quidquid desiderant: progrediamur ulteriùs & naturam illam Petri, quam post primam abstractionem adhuc retinere singularitatem incompletam dicebant, ab hac ipsâ incompletâ singularitate præscindamus: ergo (nisi fortè velint processum infinitum admittere) tunc erit natura Petri ab omni particularitate defæcata, & poterit prædicari de Petro, & de quocumque alio.

Parallela Doctrina.

De Universali confuso, abstracto virtute præcisionis formalis expressivæ.

CCCC XCV. *An non concipere & confusè concipere perinde sit?*

DIximus non concipere ac confusè concipere perinde esse: ergo consideratis Assertionibus præcedentis Articuli, alias eisdem analogas scribamus.

Prima Assertio. *Petrus est magis similis Paulo, quàm Equo.* Corollarium. *Ergo datur fundamentum in rebus, ut præscindam formaliter similitudinem à dissimilitudine.* Sed quo potest modo has formalitates distinguere præcisione formali? Si consideratis ex. gr. plurium hominum convenientiæ & disconvenientiæ rationibus, illas expresè concepero, istas confusè: quia præcisio expressiva, ut à Thomisticâ & vulgò receptâ distinguitur, unam formalitatem expresse concipit, confusè alteram: quando enim video Petrum venientem à longè, & eum esse hominem percipio, at quis sit non cognosco, totum Petrum cognosco (nam totus intellectui objicitur) at non totum expresè: quà enim hominem illum expresè percipio: at quà Petrum ita confusè, ut perinde sit ac si hanc formalitatem non cognoscerem. *Quid sit expressivè præscindere?*

CCCC XCVI. *De natura abstractâ ab uno.* Secunda Assertio. *Homo abstractus à Petreitate præcisione expressivâ, nihil expresè continet, quod speciale Petro sit; nihil expresè quod repugnet Antonio.* Corollarium. *Ergo natura ab uno homine præcisa poterit de omnibus & singulis prædicari.* Patet, quia in illo conceptu objectivo expresso nihil est quod ad dissimilitudinem Petri, Pauli, & Antonij pertineat: ergo nihil quod non conveniat omnibus: nihil igitur quod non possit de singulis verificari. Si ad ecceitates incompletas recurras, & dicas in naturâ abstractâ à Petro, licet completa & ultima ecceitas confusè cognoscatur, cognosci adhuc expresè ecceitatem quamdam & singularitatem (aut dissimilitudinem; si sic placeat loqui) incompletam & inadæquatam, ratione cujus natura illa, quę à Petro excisa, ad Petrum necessariò pertineat, nec possit alteri cooptari. *De ecceitatibus inadæquatis.* *An detur completa & incompleta similitudo?* Si sic philosophetis, postulabo, ut confusiore adhuc actu idem objectum recognoscas, & hanc ipsam singularitatem incompletam confusè concipiendo, solam naturam hominis dilucidè & expresè concipias. Tunc ex parte objecti, erunt aliquæ formalitates confusè cognitæ; erunt aliquæ cognitæ expresè; illæ ita se habebunt ac si non essent cognitæ: & hanc ob rem hæ solummodò poterunt prædicari.

Hanc viam existimo faciliorem minusque confusam ut Vniversale cōfusum defendamus.

ARTICULUS VI.

De Vniversali Confuso, Simplici & Copulativo, præcisione objectivâ negata.

EST, ut singuli scimus, hoc ævo valde communis ea sententia, quę Universalia ad actus confusos reducit: & quia duplex est via, quam inire possunt & solent, utramque dilucido & sterno. Pono ob oculos integrum Prædicamentum, & quia notius est, propono prædicamentum Substantiæ, & has Propositionas jubeo examinari.

CCCC XCVII. *Numeri qui crescunt, significant gradus claritatis: & qui decrescunt, gradus obscuritatis.*

VIII. I. *Petrus est Ens.*
VII. II. *Petrus est Ens creatum.*
VI. III. *Petrus est Substantia.*
V. IV. *Petrus est Corpus.*
IV. V. *Petrus est Vivens.*
III. VI. *Petrus est Animal.*
II. VII. *Petrus est Homo.*
I. VIII. *Petrus est Petrus.*

Et quia ex parte subjecti non est dubium, Petrum enim expresè ponis: quid ponas ex parte prædicati, interrogo. Duas reperio sententias; utramque breviter dilucidabo.

Prima

Prima sententia.

CCCCXCVIII.

Quid universale dicat materialiter? quid formaliter?

Dicunt aliqui Universale esse entitatem aliquam simplicem: & ut prædicata omnium Propositionum, quæ ponebantur, explicent, dicunt in omnibus illis ex parte prædicati realiter loquendo esse Petrum, cumdemque expresse conceptum esse individuum: confus. speciem: confusius genus: &c.


Nota hoc, ne putes aliquam habere inconsequentiam.

Ut ergo doctrinam hanc intelligas, debebo nonnulla præmittere quæ tametsi sint assertis prius à nobis contraria, suam probabilitatem habent pondusque, & poterunt plausibiliter asseri. Pono igitur cognitionem ideò dici confusam, quia non discernit suum objectum ab omni alio, quod non est ipsum; *confundo* enim duas habet significationes receptissimas: sumitur enim positivè & negativè. Positivè idem sonat, quod *permisceo unum cum alio*, seu *in unum simul fundo*; Negativè, idem sonat, quod *non distinguo*. Prior illa verbi significatio interdū non est utilis Logico, at semper est congrua hæc posterior. Et, quid quæso est distinguere? Aio cognitionem claram esse illam, quæ distinguit suum objectum ab omni eo quod non est ipsum, & ideò dici solet *distincta*, à distinguo quod opponitur confusioni. Quantò igitur cognitio est clarior, tantò magis distinguit suum objectum; quantò verò confusior, tantò minus illud distinguit. Sicut autem non repugnat, idem objectum, v.g. Petrum distingui per cognitionem ab omni accidente, & non distingui per cognitionem ab omni substantiâ; ita non repugnat, idem indivisibile objectum clarè ex parte, & ex parte confusè cognosci per eamdem cognitionem: clarè, quatenus distinguitur ab aliquo, quod non est ipsum; confusè verò, quatenus non distinguitur ab omni eo quod non est ipsum. Nec volo, ut cùm *partim & partim* audis, me admittere præcisiones infectas, quasi non possit esse Petrus distinctus & indistinctus, nisi duas ille formalitates habeat, alteram, quæ concipiatur expressè; & alteram, quæ confusè. Non, inquam, id volo: hæc enim divisio fit in termino fere connotato, nam totus Petrus ut homo est, animalibus simul sumptis est partim similis & partim dissimilis: est enim rationalibus similis, & cæteris universis dissimilis. Et hoc nascitur ex majore claritate actûs intelligentis: nam sicut idem indivisibile punctum aëris est capax lucis ut duo, & simul carentiæ lucis ut quatuor: quando advenit major lux, non proptereà novum aërem illuminat; sed illum eumdem magis & perfectiùs: [Et in simili suprà diximus, non repugnare, simul eamdem rem esse similem, & dissimilem alteri, in gradibus remissis, ut sic loquar:] Ergo non repugnabit in eodem objecto claritas & obscuritas in gradibus remissis. In gradibus remissis loquor, quoniam omnimodæ claritati, obscuritas quæcumq; repugnat, & omnimodæ obscuritati quæcumque claritas. Considera diagramma subsequens.

Quid sit cognitio confusa?

Quid clara distincta & expressa?

Gradus remissi & disparati non opponuntur.



De sensu composito & diviso.

Hinc patet objectum, cui competit omnimoda claritas, non competere simul aliquam obscuritatem: & quod est distinctum ab omni, non posse confundi cum aliquo: nempè in sensu composito: nam successivè non repugnat, ut quod modò est clarum, cras sit obscurum, aut è contrà.

Quid sit cognoscere Animal distinctè?

Hinc patet secundò, cognosci aliquod objectum esse animal v.g. esse formalissimè distinguere illud objectum à non animalibus; & non cognoscere de illo esse rationale, idem esse, ac non distinguere illud ab irrationali. Hujus ratio ea est, quod homo habeat majorem similitudinem cum irrationali, quàm cum non animali: unde faciliùs est, eum distinguere à non animantibus, quàm ab irrationali, quia faciliùs distinguimus inter dissimiliora, quàm inter similiora.

Secunda Sententia.

Vident aliqui Petrum non esse sufficientem, ut omnia Prædicabilia essentialia conformet, & ideò negant Universale pro materiali ex parte objecti dicere aliquid simplex: & recurrentes etiam ad actum confusum ad eum unirùm, qui omnia, aut multa individua cōfusè concipit, & sic conformat gradus prædicamentales. Et hi Authores, cum omnes homines confusè concipiunt, dicunt se concipere *Hominem*: quando confusè non solum omnes homines sed etiam omnia bruta, tunc dicunt se concipere *Animal*: cùm simul cum hominibus bruta & plantas, tunc aiunt se concipere *Vivens, &c.* Hoc Universale Cōfusum copulativū dicimus, illudque impræsentiarum proponimus examinandum. CCCCXCIX.

Multæ

Objectio gravis.

Multa contra illud solent obiici, quæ aliàs præcisiones supponant, aliàs non dependeant ab illis: hanc rationem postulo considerari.

An præcisiones expressivæ etiam in confusis notitiis sint admittendæ?

[Quando eminùs video animal se movens, cognosco clarè esse animal, & non cognosco esse rationale, ergo præscindo animal à rationali. Confirmatur primò, Judicium distinctum est quo affirmo, *illud esse animal*, ab illo, quo affirmo *esse rationale*: ergo ex parte objecti affirmo aliquid, quod non affirmem per aliud. Confirmatur secundò: Possum de illo affirmare esse animal, & negare esse rationale, etiamsi verè sit rationale, quia mihi visum est brutum: sed repugnat me simul affirmare esse rationale, & illud negare; ergo per primum judicium quo affirmavi *esse animal*, non affirmavi *esse rationale*, aliàs hoc non possem per secundum negare; ergo ex parte objecti sola cognita fuit animalitas sine rationalitate.

An in Animali eodem modo quo superiora, etiam inferiora prædicata intelligantur?

Confirmatur tertiò, In conceptu animalis affirmantur prædicata superiora, saltem implicitè, quia benè valet, *est animal, ergo vivens, ergo corpus*, &c. & tamen non affirmantur prædicata inferiora, quia non valet, *est animal, ergo homo*; igitur diverso modo cognoscuntur prædicata superiora quàm inferiora. Sed illa cognoscuntur tantùm implicitè, ergo hæc nullo modo cognoscuntur, quia minùs quam implicitè non possunt cognosci.

Claritas & confusio habet gradus.

Hoc argumento utitur Rodericus Arriaga, etiam alij: cui, & ejus confirmationibus tenentur respondere & præscindentes: quia quando eminus video colorem, possum illum adeò confusè cognoscere, ut nequeam affirmare, An sit albedo, an nigredo, sed solùm esse colorem; & tamen ex illorum sententiâ iste actus visionis non est præcisivus ex parte objecti. Explicent igitur, qua ratione id contingat sine præcisionibus in visione, & eâdem ratione dicam ego, ait Arriaga, contingere in actibus abstractivis, etiam sine ullâ præcisione.

Mens Animæ oculus.

Ecce cognitionem confusam vult Arriaga probare sumptâ paritate à visione confusâ: & bene, quia intellectus est quidam spiritualis oculus Animæ rationali concessus. Sed quid quæso reponeret Arriaga, si Academicus aliquis rationem coloris à ratione albedinis & nigredinis realiter cum Platone distinguens: & quid quæso, si Scotista easdem formalitates distinguens ex naturâ rei; diceret in tali casu, colorem quidem à me videri, albedinem verò aut nigredinem non videri? Quid si & ipse præcisiones visivas, aut etiam visiones præcisivas admitteret?

An sensus externi præscindunt?

An saltem visus?

Sanè dari præcisiones visivas nemo negare poterit, qui sit bonus Peripateticus. Nam, si Continuum, quod vult Aristotelea, non habet partes distinctas realiter ante divisionem, dum ego hanc manum video & brachium (est enim tectum veste) non video, è duabus formalitatibus realiter identificatis, alteram video, & alteram non video, adeòque actione oculari præscindo.

An Continuum habeat actuales partes?

Resolutiones faciliores.

Cæterum, ut Universale confusum tueri possimus, Continuum componi ex partibus ante divisionem & separationem distinctis; Sensus externos non præscindere: Non dari præcisiones objectivas aut etiam expressivas dicamus: & his positis objectionem sub initium positam consideremus.

Reïncidi tur in præcisiones.

Respondent aliqui negantes præcisiones, & concedentes posteà in casu proposito Animalitatem cognosci explicitè, rationalitatem verò implicitè; hincque provenire, ut de animalitate reddi posset ratio, non verò de rationalitate. Et quidem isti Authores, dum maximè præcisiones reiiciunt, illas admittunt: quoniam, ut superiùs exposui, tam contradictoria sunt *cognosci explicitè*, & *non cognosci explicitè*, quàm *cognosci* & *non cognosci*: ergo, si non repugnat, unam formalitatem cognosci, & aliam non cognosci explicitè, nec repugnabit unam absolute cognosci, & aliam non cognosci absolutè. Teneris igitur semel negatis præcisionibus servare doctrinæ consequentiam & de utraque formalitate idem omninò affirmare & negare. Si dixeris, alteram cognosci confuse, idem dic de alia. Si unam clarè, idem dic de aliâ; si unam explicitè, idem dic de alia: alioquin in sententiam Thomistarum recides, admittesque præcisiones, quaa supponis non dari.

D. Objectioni sub initium positæ sit satis.

Hinc ad Objectionem illam gravem, quam paulò antè posuimus respondent hujus Opinionis Authores; concedendo, me posse, cognoscere de Petro, esse animal, non cognoscendo esse rationale: negant tamen inde inferri, quòd aliquid cognoscatur ex parte objecti, & aliquid non. Ut enim proximè vidimus, solùm inde infertur, cognosci objectum aliquâ claritate, non verò totali: quæ præcisio non ex parte objecti est, ita ut aliquid objecti ignoretur, & aliquid sciatur, sed ex parte actûs; quia deficit mihi actus clarus & perfectus circa illam rem, ex cujus defectu non possum illam explicare per vocem *rationale*, ut in simili dixi de voce *homo*, comparata cum illa, *animal rationale*. Et quia vocibus videmur indigere, hanc præcisionem secundum clarum & obscurum, siquidem est circa idem objectum indivisibile, vocemus *præcisionem formalem*, & *distinctionem rationis ratiocinantis*, nam se tenet ex parte intellectûs: & illam, quæ reperit duas formalitates in scholâ Scoti, *distinctionem & præcisionem ex naturâ rei*: & illam, quæ non reperit, sed facit duas formalitates in scholâ D. Thomæ, *distinctionem rationis ratiocinatæ*, & *præcisionem objectivam*: quæ potest adhūc subdistingui in præcisionem formalitatis conceptæ & non conceptæ, & præcisionem formalitatis expressæ & confusæ.

Aliud est cognosci totum objectum, & aliud cognosci totaliter.

Cognitio obscura & clara.

Genera distinctionis.

Sed urgebis, *Esse rationale*, est quid intrinsecum homini, & hoc non possum affirmare de illo, cùm tamen possim affirmare *esse animal*: ergo aliquid intrinsecum affirmo, & aliquid non.

Rationale sumitur realiter & expressè: materialiter & formaliter.

Respondet Arriaga; illud *esse rationale* vel posse sumi pro rationalitate objectivâ, & in hoc sensu falsum est me non affirmasse illam; affirmavi enim animalitatem,

quæ est idem formalissimè cum rationalitate: vel posse sumi pro ipsâ rationalitate ut clarè cognitâ, & in hoc sensu verum est me illam non cognovisse, id est, me non habuisse cognitionem omninò claram de illâ entitate, eam scilicet cognitionem, quæ explicatur per vocem *rationale:* ex hoc autem non infertur aliquid defecisse ex parte objecti quod cognosceretur, sed tantùm defecisse perfectam cognitionem objecti.

DI. *Quomodo differant Minerval & Eleemosyna?* Ego faciliùs ab hac difficultate me expedio. Etsi eadem pecunia numero sit minerval, si detur Magistro; & eleemosyna, si detur pauperi; nihilominus pauperi formaliter non dabitur minerval, sed eleemosyna. Et, si corpus habens quatuor gradus caloris & non plures nec pauciores, vocetur *tepidum*; non habebo aquam tepidam, etsi aquam calidiorem aut frigidiorem habeam. Cùm ergo Petrus in suo esse objectivo gradus claritatis & obscuritatis habeat & secundum octavum claritatis gradum dicatur *Petrus*, secundum septimum *Homo*, & secundum sextum *Animal*. qui viderit Petrum claritate ut sex, non vidit formaliter Petrum sed Animal: & qui vidit idem objectum claritate ut septem, nec vidit Animal, nec Petrum (formaliter loquendo) sed hominem, [Vide gradus claritatis & obscuritatis positos sub initium hujus Articuli VI.]

Quomodo differant gradus subalternati.

DII. *Quomodo diffinitum & diffinitio distinguantur?* Transeo ad primam confirmationem, & admitto diversa esse judicia, *Ille est homo*, & *Ille est animal rationale*. nego tamen hæc prædicata distingui objectivè aut entitativè, ita ut aliqua formalitas vel connotatum dicat *homo*, quod non dicat *animal rationale:* distinguuntur enim solummodo expressivè: nam *animal rationale* clarius est.

DIII. *An possit quis idem affirmare & negare?* Ad secundam confirmationem respondet Arriaga non repugnare me affirmare simul, & negare idem objectum, quando ex ignorantiâ puto esse diversa, ut patet in illis qui negant definitionem de definito, quando falsò putant non esse illam veram definitionem. *At verò* confirmatio non de eo quod falsò à rustico dici potest, aut non; sed de eo, quæ à docto veritate servatâ. Aio igitur viso homine à longè me sæpè nescire, an sit homo vel equus: & in tali casu, concedo me posse dicere *Illud est animal*, & posse, non dicere *Illud est rationale*, nego tamen me posse dicere *Illud est irrationale*, aut *Illud non est rationale*.

Aliud est non dicere, & aliud dicere non.

An Animal à gradibus superioribus & inferioribus distinguatur? Tertia Confirmatio fortis est, & videtur suadere præcisiones objectivas, & indiget bonâ solutione. *Respondet* Arriaga se per actum, quo cognoscit *animal*, tam præscindere à gradibus superioribus, quàm ab inferioribus. Fatetur per discursum posse inferri ex eo quòd cognoscat esse *animal*, esse etiam *substantiam*; non verò posse inferri, esse *rationale:* non quia diverso modo attingat rationem substantiæ, quàm rationalitatem, sed quia aliunde habet hanc cognitionem universalem, *Omne animal est substantia*, ex quâ infert; illud quod videt, esse substantiam. Unde si carerer eâ cognitione universali, quantumvis cognoscerer *animal*, non tamen possem cognoscere esse *substantiam*: sicut rusticus, quantumvis cognoscat odorem, nescit tamen illum esse accidens, non quia non attingat rationem accidentis, sed quia non habet cognitionem universalem, quòd *Omnis odor sit accidens*.

Respondent alij aliud esse concipere minus clarè, aliud confusè. illa inquiunt quæ clarè concipiuntur, licèt minùs clarè innotescant, verificari: non autem, quæ attinguntur confusè. Addunt me, quando concipio clarè *Animal*, concipere quidem *Vivens & sensibile* minùs clarè: sed clarè: et tunc *Rationale* & *Irrationale*, non clarè, non minùs clarè, sed obscurè. Et ex dictis concludunt *Vivens & Sensibile* de quocumque Animali verificari: *Rationale* & *Irrationale* non de quolibet verificari. *Hæc secunda responsio* videtur facilior, & rationem reddere disparitatis. *An idem sit minus clarè quod confusè concipere?*

Hinc patet claritatem & distinctionem distingui: quoniam Vivens sensibile est conceptus clarior & expressior, quàm Animal: non tamen distinctior & minùs confusus: ab eisdem enim alteruter conceptus objectivus distinguitur, & cum eisdem confunditur: quod maximè notandum est. *An idem sit claritas quod distinctio?*

Verior sententia.

EXposui opiniones duas, & quia fortè alicui viderentur ambæ præcisiones supponere, vel inferre, has lineas addo, ut possimus Universale confusum tueri omni objectivâ distinctione (tam inter formalitatem conceptam & non conceptam, quàm expressam & confusam) negatâ. Considera Positiones sequentes, non immemor omnium, quæ diximus, duas opiniones antecedentes illustrantes.

Prima. *Cognitio humana suos habet claritatis gradus*, Hanc probat experientia, hanc paritas: paritas, quia in visione dantur claritatis gradus cùm ex parte objecti, tum ex parte medij, tum etiam ex parte oculorum: alia enim objecta lucidiora & clariora sunt aliis: nam Luna tertio vel quarto ætatis die duas luces habet, alteram valde intensam à sole, & alteram remissam à terra, ut ponit ob oculos figura. Aliàs medium etiam liquidius & clarius: nam aër interdum nebulosus est, interdum sudus à meridie clarus, & in crepusculis dubius & obscurus. Et tandem non omnes oculi sunt æquè clari nec idem oculus semper est sibi similis: patimur humorum destuxum, & impedimenta majora vel minora sentimus. Cùm igitur Mens sit Animæ rationalis oculus, nemini injurius erit, qui de oculo Animæ sicut de oculo corporis philosophetur, & gradus claritatis admittat. *DIV. Vide figurã 24. Logicam.* *An luna illuminetur à sole? An à terra?* *Mens Animæ oculus.*

Sed quot? Physici octo admiserunt, ponentes determinatum numerum pro indeterminato: nos illis subscribamus, & eumdem numerum servemus. *Claritatis gradus quot?*

Qui, & quales? Et qui erunt isti gradus? Iam enumeravi superiùs: sed quia desidero, ut bene eos memoriâ retineas, illos subscribo: sunt enim I. *Ens.* II. *Ens creatum.* III. *Substantia.* IV. *Corpus.* V. *Vivens.* VI. *Animal.* VII. *Homo.* VIII. *Petrus.* [sequor communem Prædicamenti coordinationem; si quis aliter illud coordinare voluerit, fortè ab Authoribus hujus sententiæ in Physicâ aut Metaphysicâ dissentiet: at non ideò dissentiet in Logicâ.]

Quid concipiatur realiter? Suborienter difficultates. Secunda. *In omnibus istis gradibus eadem realitas singularis realiter attingi potest: at non eodem modo exprimitur.*

Hæc Positio tres quæstiones parit. *PRIMA*: An actus quo exprimo Hominem, realiter attingat omnes homines, an aliquos, an tantum unicum? *SECUNDA*, An Petrum confusè cognitum possim prædicare de Paulo: an semper debeam Petrum confusè cognitum prædicare de Petro; & Paulum confusè cognitum de Paulo, quando dico, *Petrus est homo*, & *Paulus est homo*. *TERTIA*, An quando concipio Hominem, concipiam aliquod individuum: ex gr. Petrum? Et tandem *QUARTA*, Quo modo isti gradus distinguantur & confundantur? *Peterent* hæ quatuor quæstiones multa folia, si fusè deberent tractari: ego omnia, quæ possem fusiùs dicere, ad paginam unam reducam.

DV. An concipiantur omnes homines, cùm concipitur Homo? *Ad primam quæstionem* respondeo me tres sententias apud Authores reperire: alii enim volunt huic actui mentis *Homo* omnes homines obiici ita confusè, ut unus non distinguatur ab alio. Sed quo modo omnes homines: ipsi sunt nimis multi; nam possibiles (cur hos excludet, qui omnes dicit) sunt infiniti syncategorematicè, & existentes innumerabiles & incogniti mihi. Alii non omnes, sed aliquos illi actui jubent obiici. Sed quos? & cur istos potiùs, quàm illos? sit igitur Positio.

An unus tantùm? Tertia: *Sufficit unus homo, ut ab illo omnes gradus superiores abstraham*, nimirùm, abstractione rationis ratiocinantis, secundum obscuriores notitias: quoniam præcisiones objectivas & abstractionem rationis ratiocinatæ præsens opinio non admittit.

Probatur Positio: Quia ab uno homine Platonici, ab uno Scotistici & Thomistæ omnes gradus abstrahunt & præscindunt: ergo ab uno poterunt Expressistæ: nec indigent pluribus, ut *Hominem, Animal*, &c. exprimant.

An natura abstracta ab uno possit prædicari de alio? *Ad secundam quæstionem* respondeo affirmativè: & aio summâ laborare hallucinatione Thomistas, qui docent naturam abstractam à Petro non posse prædicari de Paulo; quos sic impugno. Natura Petri ante abstractionem nihil habet Pauleitatis, Ioanneitatis, aut alterius individuationis distinctæ à Petro: quod est evidens, & debet bene considerari. Tunc sic. Abstracta à Petreitate nihil retinet Petreitatis (alias enim esset abstracta & non abstracta) per abstractionem non adquirit Pauleitatem, aut aliam individuationem: ergo abstracta à Petreitate manet universalis. Est certum clarumque: & alibi à nobis Eucharistico radio firmatum. Ergo eodem modo (analogiâ tamen servatâ) de abstractione expressivâ philosophor, ut sit Positio

Quarta. *Quemcumque hominem confusè cognitum possum prædicare de Paulo.* Synthesis. *Petrum confusè cognitum non possum prædicare de Paulo.* Videtur evidens contradictio inter Thesin & Synthesin, sed est æquivocatio mera, quam dilucido aut tollo. Dico igitur realitates considerari posse physicè aut logicè: consideratas primo modo illis accidere ut expresse aut confusè noscantur: at easdem consideratas logicè dicere determinatum claritatis gradum. Cùm igitur nomine Petri intelligamus hanc realitatem expressissimè cognitam stante hac vocis acceptione repugnat simul ut confusè concipiatur. Quod si nomine Petri non iam logicum singulare, sed realitatem physicam intelligere velis, tuo utaris lexico, & deleta synthesi retine thesin. *Quid sit Petrus sumptus logicè: quid sumptus physicè?*

Obicies tamen contra thesin, Si quando dico *Petrus est homo*, subjectum terminetur ad realitatem physicam quæ est Petrus, & prædicatum ad realitatem physicam quæ est Paulus, propositio erit falsa: reddet enim hunc sensum, *Petrus est Paulus.* Ergo quando dico, *Petrus est homo*, debeo prædicare de Petro realitatem, quæ est Petrus; & quando dico *Paulus est homo*, realitatem, quæ est Paulus.

Respondeo me non prædicare, nisi quod expressè cognosco, adeòque licèt physicè Petrus se teneat ex parte prædicati, formaliter intentionaliter, & logicè tantùm percipitur ratio communis omnibus hominibus, & hæc de omnibus potest verificari. Hinc oritur Positio. *Quid prædicetur & verificetur?*

Quinta. *Realitas physica objectiva & expressio passiva distinguuntur.* [hæc enim consistit in indivisibili; & illa diversarum expressionum est capax:] *Realitas est conditio Expressionis* [nam, si per impossibile esse posset expressio sine Realitate, non esset necessaria Realitas.] *& hanc ob rem non tacta physicè ab actu mentis Realitas, sed solummodo expressio (aut Expressum potius, quâ tale) prædicatur & verificatur.* Et probatur: Quia sicut Thomista prædicat de Paulo naturam abstractam à Petro abstractione Thomisticâ, quæ est rationis ratiocinatæ: sic etiam Expressista prædicare de Paulo poterit naturam abstractam à Petro; abstractione nimirùm expressivâ, quæ est rationis exprimentis & ratiocinantis. *An realitas expressionis conditio sit?*

Sexta. *Si de Petro non potest prædicari alia natura, quàm abstracta à Petro; & de Paulo non alia potest quàm abstracta à Paulo, tollitur doctrina Universalium, & redditur ad errorem Ethnicorum veterum, qui dicebant, Omnia esse singularia.* Hæc thesis in om- *Multi Iuniores doctrinas negerent dari Universalia.*

in omni scholâ admitti debet: nam Vniversale Metaphysicum est unum in multis: & Logicum unum de multis: ergo vel unus & idem homo universalis est in Petro & Paulo, & prædicatur de Petro & Paulo: vel non datur Homo universalis. Nec ergo doctrina de Vniversalibus, quæ vera & pulchra est, ob nostram hallucinationem periclitetur, dicendum est in his omnibus propositionibus

Resolutio benè consideranda.

Petrus
Paulus
Franciscus } *est animal rationale.*
Antonius
Ludovicus

unum & idem (nempe, specificum) verificari prædicatum.

Tertia quæstioni satisfecit iam Positio IV. & ideò non est opus aliquid impræsentiarum addere.

Et quartæ quæstioni satisfactum fuit in primâ sententiâ §. *Vt ergo*. sed hæc pauca subscribo majoris claritatis gratiâ.

Consideratio duplex Physica & Logica.

Considero simul *Omnia*, hoc est Deum, Res spirituales, Res materiales, Accidentia, Corpora, Elementa, Metalla, Plantas, Bruta, Homines. & aio hanc considerationem Physicam, suppositâ Logicâ: at formaliter non esse Logicam.

Primus cognitionis gradus Ens

Hinc primò occasione arreptâ quamcumque ex his realitatibus sumo & ita confusè concipio ut à nullâ ex dictis possit distingui, & hanc voco primum claritatis gradum, & realitatem sic conceptam dico *Ens*.

Gradus secundus. Ens creatum.

Addo vivacitatem & claritatem menti, & distinctiùs idem objectum concipiendo percipio illud à Deo distingui & à cæteris rebus non percipio distingui, & secundum gradum claritatis enumero, & illum denomino *Ens creatum*.

Gradus tertius. Substantia

Intendo studium curamque, & mentis oculos ampliùs aperio, & distinctiùs illud objectum percipiendo, idem ab accidentibus distingui percipio, & idem à cæteris rebus distingui non percipio; & ideò pedem in gradu tertio colloco, & dico obiectum sic expressum *Substantiam*.

Gradus quartus Corpus.

Separo res spirituales à cæteris, & clariùs distinctiùsque objectum illud cognoscendo, percipio illud à spiritualibus distingui, & à cæteris non percipio distingui, & quartum gradum claritatis statuo, & illud obiectum sic expressum *Corpus* nomino. [Et hic obiter notari volo: aliud esse *non percipio distingui*, & aliud *percipio non distingui*.

Gradus quintus Vivens.

Adhuc majori nisu & perfectiùs & distinctiùs cognoscendo obiectum, idem percipio ab Elementis, metallis, lapidibusque distingui, & à cæteris non percipio distingui, & illud sic expressum voco *Vivens*, & in quinto gradu Prædicamenti colloco.

Gradus sextus Animal

Quando claritas & distinctio tanta est ut illud distinguere possim à Plantis, aio me exprimere *Animal*, & sextum gradum claritatis tenere. Et quando illud distinguere possum à Brutis me occupasse septimum gradum, & *Hominem* concipere expressivè.

Gradus septimus Homo.

Tandem, cùm realitatem illam physicam expressissimè concipio; quod tunc evenit, cùm à quâcumque aliâ physicâ illam distinguere possum, tunc dico me exprimere *Petrum*. v. gr., & tenere gradum octavum, expressissimum & distinctissimum. *Hinc oritur* Positio.

Gradus octavus. Petrus.

Septima. *Per gradus Prædicamentales Logicus descendit & adscendit, cùm vult*: nimirùm, *descendit, addendo distinctionem & claritatem: adscendit diminuendo distinctionem & claritatem & addendo indistinctionem, confusionem & obscuritatem*. Et quia aliis nos scholis attemperare volumus; *Descensum* Contractionem; & *Adscensum* Abstractionem *vocamus*. Patent omnia; nec debent pluribus dilucidari.

De abstractione & contractione.

Obiectio I.

DVIII. *An differentiæ tollantur?*

Dices te audivisse genera & species; at differentias nondum; adeòque ex hac doctrinâ colligis omnes differentias auferri, & Prædicabilium receptorum numerum minui, definitiones proscribi: & per consequens totam Logicam labefactari.

An compositio ex genere & differentiâ sit in objecto?

Respondet Arriaga compositionem ex genere & differentiâ non esse in objecto, sed provenire extrinsecè ab unò actu quo confunditur cum pluribus, & ab alio quo ab illis distinguitur. Item distinctionem rationis ratiocinatæ non esse illam, quæ distinguit objectum indivisibile in duas partes, hoc enim, ut vidimus, repugnat; sed illam, per quam objectum distinguitur à pluribus vel paucioribus rebus. Ideò enim animal distinguitur ratione ratiocinatâ à rationali, quia per animal cognoscitur homo adeò confusè, ut non distinguatur à brutis, à quibus distinguitur per rational; distinctio verò rationis ratiocinantis est illa, per quam objectum, licet diverso modo cognoscatur, non tamen distinguitur à pluribus per unum actum, quàm per alium, nec comparatur cum diversis terminis, quod in homine & animali rationali cernitur; etiamsi hic fortè aliquis posset contendere, dari comparationem ad diversos terminos, id est, ad operationes.

An genus & differentia sint in objecto?

Sed hæc responsio falsa supponit, & objectioni non satisfacit. Ait primò Arriaga compositionem ex genere & differentiâ non esse in objecto. Et quid inde? Genus & differentiam non esse in objecto, ubi ergo? Objectum ipsum est quod distinguitur & confunditur: & hanc ob rem, nisi spontè turbari velimus, debebimus dicere genera & differentias esse specificis objectis intrinsecas, etiam in Scholâ expressiva: at generis & differentiæ distinctionem esse extrinsecam, & à diversis mentis actibus provenire. At oritur ab extrinseco

An distinctio & claritas sint intrinsecæ?

claritas, ait Arriaga: ergo differentia non est intrinseca. Concedo antecedens & nego consequentiam illatam: quoniam etiam lux meridiana, quâ fruimur, à sole provenit, & tamen est intrinseca corporibus illuminatis.

Distinctionis rationis ratiocinantis ac ratiocinatæ distinctio.

Expositio distinctionis rationis ratiocinatæ, quam protrudit Arriaga, nec necessaria, nec vera est. Non vera, quia duas habet Logicus distinctiones rationis ratiocinantis & rationis ratiocinatæ: utraque nominibus tam claris insignitur, ut expositione non egeat: distinctio rationis ratiocinantis (ut ipsum nomen præ se fert) se tenet ex parte mentis (hanc vocamus rationem) ratiocinantis; distinctio rationis ratiocinatæ (ut etiam nomen ipsum exponit) se tenet ex parte objecti (& hoc vocat etiam rationem D. Thomas) cogniti seu ratiocinati. Quo ergo fructu nomina clara & recepta confundit? Repugnat, ait Arriaga, distinctio, quæ objectum indivisibile dividat in duas partes. Esto. At dicet Thomista hominem non esse objectum indivisibile; quia licet realiter sit divisibilis aut indivisibilis (hoc enim non curatur in Logicâ) formaliter est divisibilis. Et dicet alius, etsi repugnent formalitates objectivæ, non ideò bene exponi ab Arriagâ distinctionem rationis ratiocinatæ, sed eum debere potiùs dicere talem distinctionem non dari, imò & repugnare. Id clarissimè ostendo. Supponamus repugnare omnia bruta, & interrogo, Quid equus sit? An-ne vi hujus hypothesis respondebis bene dicendo *Equus est animal rationale*? Minimè, sed etiam in tali casu definitio Equi erit, *Equus est animal hinnibile*. at dicetur & Equus, & Animal hinnibile repugnare.

An repugnat ratio-nata ratiocinata distinctio?

DIX Modus inveniendi differentias.

Ad objectionem ergo respondeo, si dentur genera & species, necessariò & differentias dandas; ipsæ enim ex comparatione nascuntur. Rem illustro hoc exemplo. Sint hîc omnia animalia: unam ego ex illis realitatibus (quàm quamcumque) ita confusè cogito, ut distinguam à planis, sed à nullo animali distinguam, & dicam me cogitare *Animal*. Posteà Petrum (realitatem nimirùm ejus physicam) paulò distinctiùs cogito, ita ut non illum distinguam à Paulo, & tamen ab omni non homine distinguam, & hunc conceptum expressivum voco *Hominem*. Tandem eumdem Petrum expressissimè & distinctissimè considero, & voco *Petrum*. Conceptus expressus, qui dicitur Animal, est genus: ille, qui dicitur *Homo*, est species: & ille, qui dicitur *Petrus*, est individuum. Tunc sic. Conceptus expressus *Homo*, minùs patet quàm *Animal*, & magis est clarus & distinctus quàm *Animal*. Ergo inter *Hominem* & *Animal* datur magis & minus: & ille claritatis & distinctionis excessus dicitur *Rationale*, ut est differentia genus contrahens. & eodem modo philosophor de singularitate. Dantur igitur differentiæ intrinsecæ, quæ tametsi per extrinseca congruè exponantur, intrinsecæ sunt, & à rebus quas constituunt indistinctæ.

Animal. Homo. Petrus. Rationale. Petreitas.

Objectio II.

DX. An præcisiones objectivæ admittendæ sint?

DIces ex hac doctrinâ sequi admittendas esse præcisiones objectivas aut expressivas; videlicet rationis ratiocinatæ, aut rationis expressæ: & non sufficere distinctionem rationis ratiocinantis aut exprimentis. Et probas: quia natura potest exprimi absque eo quod est extra eius essentiam: differentia autem est extra naturę essentiam: ergo potest natura concipi absque differentia. Ergo natura generica distinguitur ratione ratiocinatâ à differentiis, & natura specifica ab eccetatibus, quæ sunt differentiæ quæ contrahunt & distinguunt species.

Eccetates etiam sunt differentiæ?

Respondet Arriaga differentias esse de essentiâ rationis communis: non tamen ita, ut quælibet differentiæ sint de essentiâ cujuslibet rationis communis; sed hæc differentia de hâc ratione communi, seu de hâc animalitate, & illa de illâ ratione communi. Quare hæc ratio communis v. g. animalitatis hominis, benè potest concipi sine differentiâ equi, quæ non est de ejus essentiâ, non tamen sine rationalitate, à quâ nullo modo distinguitur.

Prima solutio reiicitur.

Sed non satisfacit: quia non dantur duæ animalitates, ut semper opinatur Arriaga; sed animalitas generica est unica, & ipsa in omnibus speciebus. Respondeo ergo naturam quidem posse exprimi, at non semper posse concipi absque eo, quod est extra essentiam ipsius. Addo etiam differentias esse extra conceptum rationis communis, eo nimirùm sensu, quo illa ratio communis est: unde differentiæ universalis realis sunt realiter extra rationem naturæ communis: & differentia universalis formalis sunt formaliter extra rationem naturæ communis: & tandem differentiæ expressæ, sunt extra rationem universalis expressi. Et concludo, quandò dicimus *Animal*, exprimi quidem tantùm *Animal*, sed totam realitatem physicam attingi & indistinctè concipi. Et ad hoc non esse necessarias præcisiones objectivas pronuntio.

An dentur plures animalitates genericæ?

Quo differentiæ modo sint extra rationem communem.

Nota.

PLacuit tertiam hanc opinionem proponere, dilucidare & propugnare negando omnem præcisionem objectivam, adeòque omnem distinctionem rationis ratiocinatæ & etiam rationis expressæ; recurrendo ad actus rationis ratiocinantis & exprimentis. Omnia exposui & salvavi, quin ad connotata operationum & effectuum recurrerem. Amo enim doctrinæ puritatem; nec laudo Hurtadum, Arriagam, Franciscum Bonæ-Spei, & alios qui Voversale Expressivum & Connotativum confundunt, cùm sint diversa, & possint seorsim propugnari: quod in hoc articulo; & præcipuè

Authores Vuversale Confusum cum Connotativo confundunt non distinguimus.

ipuè in expositione hujus tertiæ opinionis pra[ecipu]imus.

ARTICULUS VII.

An ex hypothesi quod Vniversalitas in copulativa confusione consistat, eodem modo de Vniversali in essendo, & de Vniversali in prædicando debeam philosophari?

DIX. *An illud ipsum quod est in multis prædicetur de multis?* PVto multum inter hæc duo Vniversalia discrimen quoad hoc reperiri: cùm enim prædicabilitas sit Vniversalis proprietas, illud ipsum quod est in multis, debet prædicari de multis. Hanc doctrinam sic proponit Arriaga, *disp. 4. Logica. sect. 6. subsect. 1. pag. 110. num. 22.* [Nonnulli censent per actum copulativum confusum, quo omnia individua simul cognoscuntur, ita constitui naturam universalem in repræsentando, seu in essendo, ut etiam per illum actum constituatur universalis in prædicando, ita ut quando dicò, *Petrus est homo* ex parte objecti per Tò *homo* cognoscantur omnes naturę omniũ singularium; & licet videantur omnes affirmari de Petro, non tamen affirmetur nisi propria ipsius natura.] Et paulò inferius *subsect. 2. pag. 112. num. 31.* sic infit. [Asserimus primò naturam constitui Vniversalem in essendo, seu extra prædicationem, per actum copulativum confusum, quo omnes naturæ simul apprehenduntur, ita ut inter illas non distinguat intellectus. Asserimus secundò, illam naturam sic conceptam esse prædicabilem de quolibet inadæquatè, id est, unam de uno, & aliam de alio ; quod sufficit, ut absolutè illa natura sit prædicabilis de pluribus, prout ad Vniversale requiritur.] Hinc patet eos, qui confusum Vniversale tuentur, nnn prædicare omnia individua copulatim sumpta, quia tunc hæc propositio *Petrus est homo*, redderet hunc sensum, *Petrus est omnes homines*: Addo tamen illos non bene prædicare naturam Petri, quia tunc eadem propositio *Petrus est homo*, redderet hunc sensum, *Petrus est Petrus*. Et ideò contra Arriagam & alios Anthores pronuntio, in illa propositione prædicari illam naturam universalem, quæ est in multis: Sed quæ est ista natura, quæ est in multis? Respondeo esse illum conceptum objectivum, qui correspondet actui confuso.

An universale sit omnia individua confusè sumpta?

De prædicatione inadæquata.

Resolvitur contra Arriagam.

Obiectio I.

D.X. *An omne, quod concipitur, affirmetur?* TOtum quod concipitur ex parte prædicati debet affirmari de subjecto. Sed ex parte prædicati omnes naturæ concipiuntur: Omnes igitur prædicantur. Ergo hæc propositio, *Homo est animal*, æquipollet huic, *Homo est omnia animalia*, quæ falsa est.

Respondetur distinguendo majorem: debere prædicari totum, quod concipitur expressè, conceditur: debere prædicari totum, quod concipitur confusè, negatur. Iubetur transire minor. Et negatur illata consequentia.

An totum, quod exprimitur, verificetur?

Et ut hanc solutionem & conclusionem benè capias, adnotato conceptu hoc *Animal*, omnia animalia concipi tam confusè & indistinctè, ut nulla percipiatur distinctio, adeoque nulla percipiatur pluralitas : & hanc ob rem nihil in illo objecto percipi, quod non possit verificari de homine, nihil quod non possit de equo. Non ergo conceptûs objectivi pars, sed totus ille sub expressione *Animalis* prædicatur, & verificatur.

Obiectio II.

DXI. *Reponitur eadem instantia.* PAucis alteratis hæc eadem ratio solet reponi per hæc verba. Ad veritatem propositionis copulativæ requiritur, ut totum quod enuntiatur per prædicatum, conveniat subjecto; nec sufficit, si aliqua pars tantùm illi conveniat: ergo si ex parte *hominis*, quod est prædicatum in illâ propositione, *Petrus est homo*, correspondent omnes homines copulativè, ut propositio sit vera, debet Petrus esse omnis homo. Atqui Petrus non est omnis homo, ut lumen naturale docet ; ergo illa propositio noo potest esse vera. Nec sufficit illa distinctio data inter actum copulativum confusum & clarum, tum, quia excogitata est sine ullo fundamento; tum, quia nullus Logicus, neque etiam ipsi Advers[ar]ij, dum in summulis docent, ad veritatem propositionis copulativæ requiri, ut totum prædicatum conveniat subjecto, distinxerunt inter copulativam confusam, & claram, quia absolutè in nmnious copulativis veram censent illam doctrinam: tum, quia ipsi Auctores dncent, quando ego dico, *Natura divina communicatur*, non correspondere in conceptu naturæ paternitatem, aliàs de illa affirmaretur *communicari*, quod est hæreticum. Vnde sic argumentor contra illos.: Si tunc corresponderet paternitas, non corresponderet clarè, sed confusè cognita : & tamen per te, quia ibi corresponderet, deberet de eâ affirmari communicatio; ergo etiam in actibus copulativis confusis debet prædicatum convenire toti subjecto cognito copulativè, etsi confusè : ergo non benè distinguis inter copulativum confusum & clarum, qunad punctum præsens.

Quid requiratur, ut copulativa vera sit?

An copulativa confusa debeant distingui à clarâ:

An in Naturâ divinâ confusè intelligatur Paternitas?

Terminus copulativus expressus & copulativus confusus distinguuntur. Respondetur propositionem prædicati copulativi, qualis est ista *Senatus est. Consc. & Patres*, differre à propositione universalis prædicati ; qualis est ista, *Petrus est homo* : nam in priore tota materia concipitur & exprimitur : & in posteriore tota materia prædicati concipitur, sed non percipiuntur differentiæ, adeòque nulla exprimitur in illo prædicato pluralitas.

***

Obiectio III.

DXII. Haec ratio militat contra Arriagam: non contra nos. VRges eamdem objectionem à priori: quia, si in aliquo actu non esset necessarium, totum quod correspondet ex parte objecti, affirmaretur de subjecto, potiùs id esset verum in copulativo claro, quàm in copulativo confuso: quia affirmare unum de alio, & non affirmare totum, est distinguere inter id quod affirmatur, & inter id quod non affirmatur; ergo si aliqua cognitio posset partem objecti affirmare, & non totum, ea esset cognitio clara plurium, quæ distinguit inter illa plura. At confusa cognitio, quæ non distinguit inter suum objectum, quâ ratione potest prædicare partem objecti, & partem non prædicare, hoc enim jam est distinguere inter partem & partem, quod repugnat cognitioni confusæ. Ergo si cognitio copulativa clara affirmat totum suum prædicatum de subjecto, à fortiori affirmabitur totum per cognitionem confusam copulativam.

An cognitio confusa distinguat.

Totũ quod exprimitur, prædicatur & verificatur. Respondetur hanc objectionem directè militare contra eos, qui non totum, sed partem prædicati universalis de subjecto verificant: non contra nos, qui illud prædicamus & verificamus. Quo debeant modo respondere Arriaga & asseclæ videre poterunt: nos enim Resolutioni nostræ insistimus, & respondemus, id totum affirmari, quod percipitur: & actu illo confuso quo concipitur *homo*, concipi quidem omnes homines, at eorumdem Ecceitates non percipi, & pluralitatem non exprimi.

Obiectio IV.

DXIII. Quid sit prædicare unum de aliud. PRædicari unum de alio, nihil aliud est, quàm per copulam unire prædicatum cum subjecto. Ergo, si ex parte prædicati concipiuntur omnes naturæ, omnes illæ prædicantur de subjecto. Probatur consequentia: quia copula eodem modo & indivisibiliter respicit totum prædicatum, illud uniendo cum subjecto: neque enim ille actus judicij attingit diverso modo unam naturam ac aliam, cùm inter illas non distinguat; ergo eodem modo unit unam, quo aliam. Si dicas, talia fieri prædicata, quali a important per subjecta: ergo si subjectum est quidam homo, faciet ut prædicatum supponatur solùm pro quâdam naturâ. Benè est: sed objectionis Authores te redarguent; & dicent: Ergo non cognoscit nisi unicam naturam, quia prædicatum non supponitur nisi cognoscendo: ergo si pro una natura supponitur, unam tantùm cognoscit. Quod si vis conjungere in unum, & cognoscere omnes naturas, & supponi tantum pro una, conjungis repugnantia in terminis.

An prædicata determinentur & limitentur à subjecto?

An in prædicato una sola natura concipiatur?

Id solum quod exprimitur Respondetur antecedens debere eodem modo, quo in solutione præcedentis objectionis distingui: nam prædicari unum de alio, non est subjectum uniri prædicato confuso, sed expresso. *Vel aliter:* Prædicari, esse uniri subjectum prædicato; at prædicati nomine non intelligi quidquid ex parte prædicari concipitur, sed illud solùm quod percipitur & exprimitur. *Vel aliter:* In prædicatione formali non debere subjectum uniri prædicato materiali, sed formali; & nomine materialis prædicati posse intelligi quidquid concipitur: at prædicati formalis nomine, id solummodò, quod exprimitur & percipitur. *verificatur.*

ARTICULUS VIII.

An in prædicatione formali totum prædicatum prædicetur & verificetur de subiecto? Rationes asserendi & solutiones earumdem discutiuntur.

DOctrina hujus Articuli non multum differet à doctrina præcedentis, at illum scribo ut clariorem Lector meus Confusi Vniversalis cognitionem adquirat. Ad quæstionem ergo in titulo propositâ, respondet negativè Arriaga *disp.6. Logica, sect.6. subsect.3. num.31.* putat enim ut vidimus, in hac propositione *Petrus est homo*, non verificari nec prædicari de Petro omnes homines, sed illum solummodò, qui est Petrus: & tamen omnes nemine dempto conceptu illo hominis objectivo comprehendi. Cuius si sequaris doctrinam, debebis docere Vniversale esse adæquatè unum in omnibus & de omnibus: at in singulis esse & de singulis prædicari inadæquatè: quia homo, qui est Petrus, nec est in Paulo, nec potest prædicari de Paulo. *An dentur prædicationes & verificationes inadæquatæ.*

Sed hæc Arriagæ sententia mihi displicet: & quia aliquas ipse objectiones dissolvit, Verùm illæ diluantur sufficienter, videamus.

Obiectio I.

PEtrus est homo, est propositio vera, & ad secundum prædicabile pertinens. Ergo, *Petrus est omnes homines*, erit etiam vera & pertinens ad idem prædicabile. Quia sicut hoc prædicatum *homo* de Petro inadæquatè prædicatur & verificatur, sic etiam hoc prædicatum *omnes homines* ... omnes enim inadæquatè prædicabuntur, si unus de uno, & alius prædicetur de alio. *DXIV. An Petrus sit omnis homo inadæquatè.*

Respondet Arriaga per hunc actum *(omnes homines)* non fieri universale, nec fieri naturam unam, sed cognosci expressè pluralitatem.

Sed hæc solutio non videtur sufficiens. Nam condonemus hoc prædicatum *omnes homines* non esse universale; saltem verificabitur de Petro inadæquatè: & si non verificatur inadæquatè, frustra ad adæquati & inadæquati distinctionem recurritur: cùm ad distinctionem confusi & expressi deberet.

Obiectio II.

DXV. De subiecto universali & prædicatione universali.

PRædicatio universalis est illa, quâ tota natura prædicatur de quolibet; quando enim aliqua in particulari tantùm prædicatur, est prædicatio particularis: ergo si nos dicimus de quolibet inferiori tantùm prædicari eius naturam, non admittimus prædicationem universalem.

An in particulari, aut singulari tota natura prædicetur?

Hanc rationem sic contra se formavit Arriaga: ac eam tantisper corrigo: quia non solùm in propositione universali, (qualis est *Omnis homo est animal*) sed etiam in particulari (*Aliquis homo est animal*) imò & in singulari (*Hic homo est animal*) tota hominis specifica natura prædicatur. Sed quomodocumque proponi debuerit, quo dissolvatur modo, dispiciamus. Sic ille inquit. [Respondeo ad prædicationem universalem non requiri, ut tota natura universalis prædicetur de quolibet, (ostendi enim id esse omninò impossibile) sed solùm, ut prædicetur illa natura, quæ in apprehensione præcedenti per se requisita ad illud judicium, fuerat universalis, quia per apprehensionem præcedentem simul cum aliis fuerat confusè, & sine distinctione cognita. Cùm ergo natura illa, quæ de Petro proximè prædicatur, ante prædicationem subiverit simul cum aliis rationem Vniversalis, ideò absolutè prædicatio illius dicitur Vniversalis non à se, sed ab apprehensione illam præcedenti.] Sed hæc omnia sunt falsa: tota enim natura, quæ est universalis, prædicatur de quolibet; & hoc non solùm non repugnat, sed repugnat, ut universalis illa sit, & non tota prædicetur de singulis, sed partialiter & inadæquatè.

Imò requiritur, & non solùm non est impossibile, sed est necessarium.

Vera responsio.

Obiectio III.

DXVI. An hæc Propositio, Petrus est Petrus, sit secundi prædicabilis? Cur hæc non sit universalis?

SI conciperem omnes homines confusè, & posteà dicerem *Hic homo est Petrus*, propositionem universalem, ad secundum prædicabile pertinentem, formarem. Patet ad hominem ex solutione Arriagæ, datâ ad objectionem præcedentem.

Respondet ille hanc positionem non esse universalem, *primò*, quia ad illam non fuit prærequisita apprehensio Vniversalis, per quam natura Petri simul cum aliis confunderetur, & fieret universalis; imò potiùs fuit prærequisita apprehensio clara & distincta de Petreitate, aliàs non posset Petreitas de hoc homine expressè affirmari. Quarè etiamsi eo tempore, quo habeo apprehensionem illam universalem, affirmem de hoc homine esse Petrum, illa tamen apprehensio habet se omninò per accidens in ordine ad prædictam prædicationem. At in eâ prædicatione, quâ de Petro affirmo esse hominem, habet se prædicta apprehensio ut quid prærequisitum necessariò: unde non mirum, si denominet eam prædicationem Vniversalem. *Secundò* dicit, eam non esse universalem, quia non prædicatur tota natura de illo neque disiunctivè, sed una in individuo sola & determinata. Sic ipse.

De prædicatione disiunctiva.

Reiicitur utraque solutio.

At non adquiesco: non enim placet prima instantia. Quis enim somniavit universale in prædicando esse illud quod verè est particulare, sed ut concipiatur postulat, ut priùs universale cognoscatur? Non placet secunda, quia hic de Vniversali copulativo, non de disiunctivo disputamus: de Disiunctivo enim inferiùs Articulo IX. disseremus.

Obiectio IV.

DXVII.

TAm repugnat, ut ex vi eius apprehensionis confusæ circa omnia inferiora possim ego affirmare, *Petrum esse aliquem hominem*, quam affirmare *Petrum esse Petrum*, quia per illam apprehensionem non solùm non cognoscitur Petreitas, & aliæ singularitates, sed neque cognoscitur expressè pluralitas, unde non poterit affirmari ex vi illius, Petrum esse aliquem hominem, quia qui dicit aliquem, iam agnoscit pluralitatem; ergo neque prædicatio, quæ ponitur ab Arriaga: in quâ de Petro sua ipsa prædicatur natura, poterit esse universalis.

Quid requiratur, ut prædicetur terminus particularis?

Huic obiectioni satisfacere conatur Arriaga multa immiscendo, quæ à nemine possunt admitti. Asserit hac obiectione probari ad prædicandum de Petro esse aliquem hominem, non sufficere eam apprehensionem universalem, quâ omnia individua confusè cognoscuntur; sed simul cum illa requiri aliam secundam, quâ reflexè cognoscam eam naturam à me confusè apprehensam esse multiplicem, ut inde possim inadæquatè illam de quolibet individuo prædicare. Ad affirmandum ergo de Petro esse aliquem hominem, requiruntur duæ apprehensiones, (quia etiam duo prædico) una hominis, quæ est universalis, & à quâ prædicatio dicitur universalis; alia multiplicitatis naturæ humanæ, ut possim dicere Petrum esse aliquem ex hominibus. At in illa prædicatione, quâ dico, *Hic homo est Petrus*, cùm tantùm prædicetur Petreitas, solùm requiritur unica apprehensio Petreitatis; quare ad illam prædicationem nulla prærequiritur apprehensio Vniversalis. Vnde absolutè est prædicatio particularis, & in se & in apprehensionibus ad ipsam prærequisitis. Præterquam quod potest etiam ea prædicatio dici universalis; quia idem quod per unam prædicationem affirmatur de Petro, potest etiam per aliam affirmari de Paulo, & de quolibet alio singulari: quia de quolibet est verum dicere, esse aliquem hominem, id est, hunc vel illum; non tamen est verum dicere de quolibet, esse Petrum. Vnde non mirum, si hæc sit prædicatio particularis, illa verò universalis.

Quid ut terminus singularis?

An terminus particularis sit universalis?

Reiicitur Arriaga solutio.

Sed non obstante datâ ab Arriaga solutione, obiectio manet in suo statu: cùm enim exprimitur homo (esto multi, aut omnes homines concipiantur) nulla exprimitur pluralitas nulla distinctio,

Nota

Notentur quasi singula sententia.

Ex dictis *patet primò* prædicatum universale dicere realiter totum id quod realiter concipitur, formaliter verò id quod exprimitur; *patet secundo*, totum id quod exprimitur esse unum, & in omnibus, & de singulis verificari. *Patet tertiò*, ad verificationem perinde esse confusionem ac non cognitionem, adeòque quæ confusè cognoscuntur non verificari, nec ad considerationem Logicam pertinere. *Patet quartò*, perinde esse Logico, si vel dicamus in conceptu hominis expresso, omnes homines realiter concipi, sed confusè; ita ut non possit ulla relucere pluralitas: vel dicamus unum tantùm (nempè quemcumque) realiter concipi, sed confusè; ita ut non possit ulla respectu cæterorum relucere distinctio vel dissimilitudo: alterutrum enim probabiliter defendi potest: at utraque militat directè contra Arriagam.

Vtraque sententia est probabilis.

ARTICULUS IX.

De Vniversali Confuso Disjunctivo.

DXIX. Multi sunt, qui ne à confusâ Philosophiâ discedant, volunt per actum confusum Vniversalitatem explicare: & quia nesciunt actum simplicem copulativum tueri, ad disiunctivum recurrunt: Videlicet ad actum disiunctivum terminatum ad omnia individua sub disiunctione ad hoc vel illud; ut idem sit dicere, *Petrus est homo*, ac dicere, *Petrus est vel Petrus, vel Ioannes, vel Antonius.* quæ propositio vera est, licet Petrus non est omnes homines; quia ad veritatem disiunctivæ propositionis sufficit, ut unum ex prædicatis conveniat subiecto. Cùm autem una ex illis naturis verè conveniat Petro, etsi non omnes, vera erit propositio, in quâ omnes de Petro disiunctivè prædicantur. Confirmant hanc sententiam auctoritate D. Thomæ *opusculo* 55. ubi hæc ait, *Genus significat formas* (id est differentias) *non hanc vel illam determinatè, quam determinatè exprimunt differentiæ.* Deinde ratione: quia per illum actum natura hominis fit una in multis, & prædicabilis de illis, quia omnes naturæ disiunctivè cognitæ sunt prædicabiles de quolibet: ergo ille actus constituit Vniversale.

Quid requiratur ut propositio disiunctiva sit vera?

Consequentia doctrinæ postulat, ut eodem omninò modo de Vniversali in essendo & de Vniversali in prædicando philosophemur: eiusdem enim formalitatis objectivæ est esse in multis & prædicari de multis: at semper hic mirabiliter circumcurrunt nonnulli, eorumdem rationes diluamus.

Sicut de Vniversali in essendo, sic de universali in prædicando agendum est.

Obiectio I.

An in apprehensione possit reperiri disiunctio?

Licet possit dari disiunctio in prædicatione, tamen in simplici apprehensione non video quâ ratione possit dari ea disiunctio; quia vel per illam apprehensionem simplicem cognoscuntur simul omnia singularia, vel non. Si omnia, ergo non disiunctivè, quia repræsentari copulativè per apprehensionem plura individua, nihil aliud est, quàm simul illa apprehendi. Si verò non respondent ex parte objecti omnia singularia, ergo neque disiunctivè omnia cognoscuntur. Sed actus quo constituitur Vniversale in repræsentando, est apprehensio incomplexa plurium simul cum confusione, ergo illa non potest esse disiunctiva.

Respondeo actum alterum Vniversalis esse *esse in multis*, alterum *prædicari de multis* nec intelligere, cùr possim dicere *Petrus est Petrus vel Ioannes*: & non possim apprehendere *Petrum vel Ioannem esse in Petro.* Hæc propositio, *Repræsentari copulativè per apprehensionem plura individua, nihil est aliud, quàm simul illa apprehendi*, est falsa. quia quando dico *Petrus vel Ioannes est hic*, simul utrumque apprehendo, non tamen copulativè, sed disiunctivè. Discrimen igitur copulativi & disiunctivi non consistit in eo quod omnia simul cognoscantur, sed quod cognoscantur copulata aut disiuncta: illud enim quod significant particulæ *&* & *vel*, non se tenet ex parte actûs, sed ex parte objecti.

Si disiunctio in iudicio, etiam in apprehensione invenitur.

Copulativa & disiunctiva differentia.

Obiectio II.

Vt hoc Vniversale disiunctivum impugnent aliqui, condonant posse dari talem simplicem & incomplexam apprehensionem disiunctivam plurium, nihilominùs contendunt per eam non reddendam naturam universalem: quia actus, qui distinguit inferiora inter se, non facit eam unum extrinsecè: sed actus ille disiunctivus, eo ipso quod disiunctivus sit, debet distinguere sua objecta; ergo non facit Vniversale. Probant Minorem: quia actus disiunctivus est, qui dicit, *hoc vel illud*, &c. sed qui hoc dicit, necessariò distinguit inter hoc & illud, inter quæ ponit disiunctionem *vel*; ergò ille actus disiunctivus non confundit plura, ita ut ea faciat unum extrinsecè. DXXI.

An actus disiunctivus faciat Vniversale?

Respondeo primò, hanc objectionem supponere non dari aliam rationem universalis quàm expressam, simplicem aut copulativam, quam articulo præcedenti tradidimus. Et respondeo Vniversalis Disiunctivi propugnatores definire Vniversale Metaphysicum *Vnum disiunctivum in multis* & Metalogicum *Vnum disiunctivum de multis*; & stando istis definitionibus, nihil deesse ad universalitatem.

Dices te non videre unum disiunctivum de multis, sed multa disiunctiva de uno; ut cum dicimus *Petrus est homo*; hoc est, *Petrus est Petrus, aut Paulus, aut Franciscus*, &c.

Et respondeo hoc totum, *Petrus, aut Paulus, aut Franciscus, aut alius.* &c. esse unum disiunctivum, & hoc unum disiunctivum esse in singulis, & etiam prædicari de singulis: sicut enim de Petro, sic etiam poterit de alio quolibet verificari.

Obiectio

Obiectio III.

DXXII. *Quid ad confusionem requiratur?*

VT actus non confundat obiecta, sive ut non faciat homines unum in ratione hominis, sufficit si expressè cognoscat illos esse plures, etiamsi non cognoscat perfectè eorum individuationes, ut patet in actu quo dico *omnis homo*, per quem in omnium sententiâ non fit universale, eò quòd expressè cognoscuntur plura, etiamsi perfectè non cognoscantur eorum individuationes. Ergo licèt per actum disiunctivum non cognoscantur perfectè Petreitas, Pauleitas, &c. quia tamen per ipsum cognoscuntur expressè plura, non poterit effici natura universalis. Ratio à priori est manifesta; quia quod opponitur directè & primariò *uni homini*, prout requiritur ad universale (quod debet esse unum in multis) non est Petrus & Paulus, sed multi homines, etiamsi non sciatur qui sint, Petrus-ne, vel Paulus (hoc enim iam requiritur, non ad faciendos plures homines, sed ad cognoscendum omninò clatè eorum individuationes) unde qui cognoscit mille esse, non tamen cognoscit qui sint, non pauciores etiam ex parte modi cognoscit, quàm qui distinctè noscit qui sint illi mille. Vnde etiam suprà dixi, per actum, quo duas albedines ut duas video, & scio esse duas, quia illas duobus in locis video, licet non sciam dicere in quo una ab alterâ differat; dixi inquam, per talem actum non fieri Vniversale: quod & hi Auctores, contra quos ago, fatentur. Ergo si cognoscuntur ut plura, etiamsi clatè non distinguantur individuationes, non fiet Vniversale per actum disiunctivum.

An omnis unitas omnis opponatur pluralitati?

Respondeo unitati, quę ad Vniversalitatem, in opinione quam edisserimus, requiritur, non opponi pluralitatem disiunctivam, sed copulativam: unus enim ex multis est in multis & etiam prædicatur de multis. Addo non indigere nos tot circumloquiis, sed solummodò desiderare, ut ostendant adversarii hoc unum disiunctivum, de quo agimus, aut non esse unum disiunctivum; aut non esse in multis; aut non prædicari de multis: nam si utrumque habeat debebit Vniversale dici, licet de nomine disputare cogamur.

Obiectio IV.

DXXIII. *Verbum propositionum disiuncto & particularis distinguantur.*

MVlti docent, quod Individuum vagum eodem modo prædicatur ac natura omnium disiunctivè cognita, ut patet in hâc prædicatione, *Petrus est aliquis homo*, id est, *hic vel ille*, quæ est prædicatio individui vagi, & est eadem cum illâ, quæ ab his Auctoribus ponitur pro Vniversali, scilicet: *Petrus est homo*, id est, *hic vel ille, vel ille homo*. Ergò non minus una quàm alia erit universalis.

Respondeo multos rotundè admittere propositionem indefinitam & particularem labio aut calamo differre, non re: putant enim has, *Homo est animal*, & *Aliquis homo est animal*, esse propositiones æquipollentes: unde & concludunt, idem esse *Petrum esse hominem*, ac esse *aliquem hominem*, aut etiam *hunc vel illum hominem*. Si hæc dicamus (quæ difficulter hic negare poterimus) obiectio præcedens, & aliæ multæ similes enervabuntur.

Obiectio V.

DXXIV. *Quid requiratur ad verificationem disiunctivam.*

PRopositio disiunctiva contenta est si aliqua pars prædicati conveniat subiecto nec requirit ut omnia prædicata illi conveniant: prædicatio universalis petit quantum est ex se, fieri de pluribus: ergo prædicatio disiunctiva non est universalis.

Si rè benè examines, videbis hanc objectionè æquivocatione laborare: aliud enim est, in prædicatione disiunctivâ non requiri, ut totum prædicatum conveniat subjecto, aliud verò, illud prædicatum disiunctivum non posse de pluribus affirmari. Primum est verum, secundum verò falsum: neque ad rationem prædicationis universalis requiritur, ut tota illa natura copulativè conveniat cuilibet individuo; sed solùm, ut tota illa eo sensu quo est una & universalis (& nunc ut disiunctivè cognita) possit de pluribus verificari.

ARTICULUS IX.

Quæstio incidens, de multiplicatione formali.

DXXV. *Propositur*

QVæritur. *An natura, non solùm habeat ab intellectu unitatem, sed etiam multiplicitatem & communicabilitatem, inferiorum respectu?* Controversia est hæc, quæ in scholâ Platonis, & eorum omnium, qui Vniversale ante mentis operationem propugnant, locum vix habet: at in cæteris, & in eâ præcipuè, quæ Vniversale Confusum adstruit, debet illustrari & resolvi.

Multiplicitas duplex; physica & logica.

Arriaga *disp. 6. Logicæ sect. 6. subsect. 3. pag. 113. num. 37.* respondet distinguendo duplicem multiplicitatem, aliam physicam & realem, & aliam Logicam: illam docet naturam habere à semetipsâ: hanc pronunciat ideò Logicam dici, quòd præstet, ut natura possit de pluribus proximè prædicari, & hâc habere ab intellectu, à quo ea natura ita cōfunditur, ut tota de quolibet (indistinctè, aut distinctè disiunctivè, juxta diversas opiniones, quas nuper posui.) prædicetur. An autem dicendū sit, naturā habere adæquatè universalitatē ab intellectu, eò quòd ab illo habet & unitatem & multiplicitatem Logicam, quæstio est de nomine: in quâ dicendum putat ab intellectu provenire adæquatè universalitatem Logicam proximam, quia universalitas hæc solùm dicit in recto unitatem & aptitudinem ut de pluribus prædicetur, vel ut repræsentet plura; quæ omnia habet natura ab intellectu immediatè,

An sit quæstio de nomine.

licèt

licèt ex parte ipsius naturæ debeat præsupponi multiplicitas physica, quæ non includitur in universali ut prædicabili tanquam pars, sed tanquam objectum. Si verò loquamur de Vniversali Physico (*puto legi debere*, Metaphysico) seu in essendo, dicendum est, partē hujus Vniversalis provenire ab intellectu, scilicet unitatem, partem verò realiter esse in ipsis rebus, scilicet multiplicitatem.] Sic ille.

Quomodo natura abstrahatur. [uncertain reading]

Ego nihilominùs puto hoc modo nos debere discurrere. *Primò* enim individua reperio, quæ si sistemus scholæ docenti & tradenti Vniversale Confusum, debebimus necessariò dicere, si formaliter loqui velimus, non esse ejusdem naturæ aut speciei, sed fundamentaliter & potentialiter. *Secundò* præcisione formali aut objectivâ juxta diversas opiniones, abstraho rationem similitudinis à ratione dissimilitudinis, & reperio singulorum naturas taleitatibus præcisis coïncidere, & non esse multas, sed unicam solam naturam. *Tertiò* hanc naturam considero in multis, & Vniversale Metaphysicum formo: eamdemque enuncio de multis & Vniversale Metalogicum prædico. *Quartò*, ex hoc conceptu naturæ Vniversalis & differentiâ unum totum conformo [nempe ex naturâ genericâ & differentiâ speciem: ex Specie & Eccëitate Individuum & singulare.] *Ergo* intellectus prius ingressus dissolutionis & præcisionis viam ex particularibus abstrahens universale, è multis unum eruit: & posteà ingressus compositionis & contractionis viam, universale contrahendo, unum in multa dividit & multiplicat. Ergo hæc non est quæstio de nomine ut Arriaga putavit.

Quomodo contrahatur & dividatur.

***

DISPVTATIO XII.

De Universali Connotante.

DXXVI. Explicatur opinio.

HAbet ista sententia Authores acutissimos; & juxta hos datur in rebus distinctio quædam fundamentalis, quæ afficit unam simplicem Entitatem, in quâ continetur virtus duorum affectuum specie distinctorum, qui possent à distinctis causis produci. Vocari volunt *virtualem distinctionem*, quia continet eminenter virtutes duarum, & idem præstat, licet unica & simplex causa sit, quod præstaret si haberet virtutes operativas, quæ realiter distinguerentur. Vocari etiam volunt *fundamentalem*, quia præbet occasionem menti ut eam comparet in ordine ad unum effectum, & posteà in ordine ad alium.

Denominationes ab effectibus & operationibus.

Petrus habet unicam & simplicem virtutem, nimirùm, Animam rationalem; sed hæc est principium, quo se movet ab intrinseco, quo sentit, & quo ratiocinatur. Anima Petri prout refertur ad motum progressivum, ad augmentationem &c. vocatur *Vita vegetativa*: prout respicit actus sensibiles videndi, audiendi &c. vocatur *Vita sensitiva*; prout autem actus intelligendi, *Anima rationalis*, prout absolutè & clarè cognoscitur objectum, & connotat alia fundamenta quæ ad commune terminum [uncertain reading] (nimirùm actus humanos) referuntur, dicitur *Petrus*.

Distinctio graduum superiorum & inferiorum est realis extrinseca.

Hinc colligunt distinctiones & differentias graduum in hac scholâ posse ad miraculum benè explicari: quia animal formaliter loquendo non est rationale, neque è contrario: ratio est, quia subjectum prout comparatur ad actus sensibiles, non refertur ad intellectuales.

Colligunt secundò, hos gradus non distingui intrinsecùs, sed extrinsecùs penes diversa connotata.

Colligunt tertiò, hanc distinctionem extrinsecam esse veram & realem, quia reverà ipsum connotare discursum non est connotare auditionem, & ipsum referri ad motum non est referri ad verbum mentis.

Ancondi… [uncertain reading] stinguatur Animal à Rationali.

Colligunt quartò, non posse mentem præcidere objectivè adæquatè animal & rationale, sed semper concipere eandem formalitatem, nunc in quantum animantem, post in quantum intellectivam, comparando eam ad actus sentiendi, sive ratiocinandi.

Hæc opinio sic exposita est Hurtadi *disp. 5. Met. sect. 10. subs. 1.* ubi eam esse Nominalium affirmat.

ARTICULUS I.

Solvuntur objectiones duæ.

DXXVII. Objectio prima.

HÆc displicet sententia nonnullis, *Primò* quod simplices, imò formalitatum simplicium apprehensiones, confusas & semiconfusas videatur admittere: nam si Petrus est entitas metaphysicè simplex, & in duas objectivas formalitates incidi nequit, quo quæso modo poterit concipi confusè in quantum Petrus, & expressè in quantum rationalis? quia si objectum partim concipitur confusè & partim expressè, indivisibile non est, sed habet partem & partem, atqui asseritur Petrus formalitas indivisibilis, ergo vel totus expressè concipitur, vel totus confusè conci-

concipitur, aut ut melius dicam totus non concipitur, quia mens vel non apprehendit objectum vel apprehendit expressè. *Et secundo*, quia doceri vis, quid mente concipiam cum dicor concipere *Rationale*; quia vel est Petrus prout verbum mentis respicit, vel omnes homines simul prout referuntur ad mentales actus. Ergo hæc propositio *Paulus est homo*, æquivalet huic *Paulus est Paulus prout verba mentis respicit*; vel saltem isti *Paulus est omnes homines prout referuntur ad mentales actus*. Atque hæc omnia sunt falsa.

Objectio secunda.

Sed duæ istæ objectiones non urgent. *Non prima*: quia eamdem simplicissimam formalitatem posse expressè, & posse confusè concipi, videtur certum: nam sicut una & indivisibilis materiæ pars potest remissiore & intensiore claritate illustrari, sic possunt circa eamdem indivisibilem materiam objectivam actus clari & obscuri versari. Quis enim audebit intellectui negare, quod oculis necessariò conceditur? Nam eumdem indivisibilem colorem Petrus clariùs, & Paulus obscuriùs intuetur; eumdem unus & idem homo clariùs & obscuriùs, quando propinquus vel remotus. Cùm igitur colorem è propinquo respexeram clarè, si eumdem è longinquo obscurè aspiciam, non illum divido, non præscindo, non abstraho: sed totum totum, quem priùs clarè, posteà obscurè intueor. Ergo eodem modo philosophaberis de mente. Petrum priùs clarè & expressè concipio, posteà confusè; ac iste actus secundus non est præcisivus aut divisivus: non incidit objectivam alteram formalitatem ab alterâ objectivâ formalitate: sed quem prius conceperat clarè, totum totum, eumdem totum posteà confusè concipit.

An una & eadem entitas possit clarè & obscurè cognosci.

Similitudo oculi.

Non secunda: quia nomine *Rationalis* concipio Ens prout respicit actus intelligendi, tanquam proprios: nomine verò *Animalis*, iterum Ens prout respicit actus vitales-sensitivos; & pronuncio, hanc positionem *Paulus est homo*, non æquivalere huic, *Paulus est Paulus prout verba mentis respicit*: neque huic, *Paulus est omnes homines prout referuntur ad mentales actus*: sed huic, *Paulus est Ens quod connotat actus vivendi, sentiendi, ratiocinandi*, &c. Vt id bene defendas utere doctrinâ datâ *disp. 10. art. 4. quæst. 2. sent. 2. concl. 1.* &c.

ARTICULUS II.

Proponitur gravis scrupulus.

XXXVIII. FAteor hic esse aliquid, quod vitare non facile possim vel sciam; nam scio Entis conceptum semel datum per varia connotata contrahere, & dividere: at in extremis hæsito, & non miscere scholas nescio. Summus enim gradus & infimus, (videlicet *Ens* & *Petrus*) vix intelligi poterunt per connotata. Vel dicito, quid est Petreitas? Hominem esse Ens potens vivere, sentire & intelligere, ais: & hoc exactè intelligo. Sed quid erit hic homo? An, Ens potens elicere hos determinatos actus vivendi, sentiendi & intelligendi? An verò, Hoc Ens potens vivere sentire & intelligere? Si primum dixeris, supr... ...tus numero, quos ego elicio, n... ...elici posse ab alio, quod valdè difficile est ... multis aut ferè omnibus in scholis negatum. Secundo: concedatur: non ideò difficultas solvitur, non ideò fugitur: pone enim Rationale esse Ens respiciens intellectiones, & Hoc rationale esse Ens respiciens has intellectiones: & interrogo, quo modo intellectio ut sic ab hac intellectione distinguatur: quia si intrinsecè, iam ad aliam scholam fit transitus: & sicut ab hac intellectione intellectio ut sic, sic etiam ab hoc homine distingui potest homo ut sic. Si autem intellectio ut sic ab hac intellectione extrinsecùs distingui dicatur, debebit per alia connotata distingui, & dari infinitus processus. Si dixeris Rationale esse Ens potens intelligere, & Hoc rationale esse Hoc Ens potens intelligere, interrogabo statim, quid objectivè respondeat voci *Hoc Ens*: quid voci *Ens*? non enim sunt æquipollentes, sed debent intrinsecùs distingui vel extrinsecùs: & si extrinsecùs, vitari non poterit infinitus excursus: & si intrinsecùs, cogemur excedere ab hac scholâ, & ad alias confugere.

Quid sit Petreitas.

An effectus unius causa ab alia provenire possint?

Quid sit Ecceitas intellectionum?

Discrimen inter Ens & Hoc Ens.

Dices Petreitatem esse quamdam operandi virtutem, quæ non reperitur in Paulo: & infers Petrum esse Ens prout non solùm respicit actus humanos, sed illos etiam speciales & charactericos, qui à Petro elici possunt, & à Paulo non possunt. Et respondeo uno verbo hanc solutionem nec veram, nec sufficientem esse. Dico non esse veram: illi enim speciales actus, qui asseruntur, finguntur: quoniam illos nec ratio evincit, nec authoritas suadet, nec experientia manifestat. Et si dicas hac ratione probari [si nō admittuntur ejusmodi characterici actus, qui sint Petro proprii, & Paulo convenire nequeant, non poterit ostendi distinctio inter *hominem* ac *hunc hominem*: At certum est debere distinctionem statui: Ergo actus characterici sunt admittendi.] Respondebo hanc rationem supponere scholam Connotatistarum esse veram, quam qui admittat fortè illos actus charactericos cogetur concedere. Sed quid, si aliquis discurrat hoc modo: [Vel est hæc schola deserenda seu corrigenda, vel sunt admittendæ actiones charactericæ de quibus loquimur: & Ego quia alterum facere debeo; & istas adstruere nō audeo, nolo in hac scholâ remanere.] quid, inquam, illi fieret, qui sic discurreret?

An Petreitas sit operativa?

Dixi hanc solutionem non esse veram: addo nunc, non esse sufficientem: nam si semel actiones illæ charactericæ admitterentur, admitteretur necessariò individua singula distingui specie: nam, si ideò homo distinguitur ab equo, quòd possit operationes diversas elicere, quàm equus; etiam Petrus distingueretur specie à Paulo, si haberet operationes proprias, quas elicere Paulus non posset. Præterea quærerem, quomodò distinguerentur istæ duæ apprehensiones *Homo* & *Homo*? si numero, an distinguantur per operationes charactericas:

An individua distinguantur specie?

cterícas: quas enim operationes apprehensiones intellectuales habent?

An possit Ecceitas per connotata explicari?

Stat igitur Ecceitates per connotata explicari non posse, adeoque gradum infimum intra huius scholæ limites esse inintelligibilem & inexplicabilem. Veniamus igitur ad gradũ summum, & utrùm illum per connotata extrinseca possimus salvare despiciamus?

An possit Ens exponi per connotata?

Accidens est Ens inhærens. Substantia est Ens non inhærens: hoc bene intelligo; & istam ab isto distinguo penes contradictoria connotata. Sed quid est *Ens*? Dices esse creationis terminum. Et si intelligatur esse terminus *à quo*, intelligetur esse Ens increatum: & si terminus *ad quem*, esse Ens creatum. Bene. Sed quid concipio, quando terminum creationis ut sic? An-ne confusè terminum ut sic, quin alterum ab altero distinguam? Si hoc iam scholam connotatistarum deseto, & in expressivam sive Confusivam ingredior.

ARTICULUS III.

Expungitur præcedens scrupulus.

DXXXI. *Schola Cõnotativa est clarissima.*

SIc placuit toto secundo Articulo contra connotata disserere. Ergo ne hæc illustrissima & facillima schola propter unam aut alterã difficultatem deseratur: *Dicamus primò*, hanc esse scholam clarissimam & evidentissimam, siquidem in duobus solùm locis caliginem & tenebras habet. *Dicamus secundò*, has duas difficultates tolli omninò, si placeat petere suppetias à scholâ expressivâ, & juxta eius fundamẽta de Ente & Ecceitate philosophari.

An debeant peti necessariò suppetiæ à scholâ expressivâ?

Vel si non placeat vel ad latum unguem à cõnotatorum pulcherrimâ doctrinâ discedere, *Dicamus tertiò*, Enti creato & increato non dari connotatum commune; adeòque nec conceptum univocum, sed æquivocum tantùm (aut ad summum analogum.) Addamus Ens ut sic definiri Creationis terminum: adeòque Ens increatum esse terminum *à quo* creationis: & Ens creatum esse creationis terminum *ad quem* [suppono creationem esse actionem characteticam Dei, & creaturæ cõvenire non posse: quod mihi non solùm videtur certissimum, sed ita manifestum & clarum, ut negari non possit.]

An Ens sit æquivocũ?

An possit creatura creare?

Modus (si eiusmodi entitatulæ debeant admitti) est Ens inhærens, à quo subiectum separari potest, quod à subjecto nec divinitùs quidem separari potest.

Quid modus sit?

Accidens etiam subiectum connotat cui inhæreat, hâc lege tamen, ut subiectum naturaliter ab antecedente seiungi possit: accidens sine subjecto conservari naturaliter nequeat, sed divinitùs possit.

Quid accidens?

Substantia est Ens, quod subjectum inhæsionis non habet. Est Ens per se, quod à subjecto non dependet.

Quid substantia?

Substantia est Ens quod à Deo producitur propter se: Accidens est Ens, productũ à Deo, ut exornet substantiam: est Ens quod licet cõproducatur naturaliter, quando Deo placet, seorsim potest & solet produci, aut conservari saltem, ut in Eucharistiæ Sacramento Fidei obscuræ oculis clarè videmus. Modus est Ens q̃ comproduci debet, & seorsim nec produci nec conservari, vel à Deo omnipotente potest.

An accidentia producantur an verò comproducantur?

Substantia materialis est quæ vel à se habet partes entitativas (quod dicunt multi:) vel saltem potest illas recipere à materiali quantitate: omnes enim Entitates spirituales esse indivisibiles probabiliùs defenditur. Quod si spiritualitatem ad penetrationem reducas, materiale impenetrabilitatem, & spirituale penetrabilitatem connotabit.

An materia habeat partes?

An spiritualia sint indivisibilia?

Vivens erit Ens, quod connotat actus vegetativos: aut etiam loco-motivos Et, si istæ vitæ reverà distingui dicãtur, poterit altera per vegetationem, altera per motionem exponi.

Quid sit vivens?

Animal erit Ens, connotans actus vegetabiles, mobiles, & sensibiles. Et tandem

Quid animal?

Homo erit Ens, quod cum Plantis connotat actus vegetandi: cum syderibus locales motiones: cum plantis actiones vegetabiles: cum brutis sẽsationes: & intellectiones cũ Angelis.

Quid Homo?

Quantitas est Ens connotans subiectum cui inhæret; partes in quas potest entitativè dividi, quas extendit, & impenetrabiles reddit.

Quid sit quantitas?

Qualitas; quà accidens etiam subjectũ connotat: quà tale actum aliquem si sit operativa, modum aliquem, si operativa non sit.

Quid qualitas.

Cætera omnia Prædicamenta sunt relativa, nec possunt aliter exponi, quàm per terminos & connotata.

In omnibus Prædicamentis sunt individua, & quid addant supra speciem quęsivimus, nec illa potuimus exponere per cõnotata. At modò aliquid voluimus subscribere, quod istam scholam illustret,

An septem posteriora prædicamenta sint relativa?

Dicimus primò: individuum secundò intẽtionaliter sumptum per connotata explicari debere: dicit enim relationem ad speciẽ, cui subditur, hoc est, ad speciem quę de illo p̃dicatur.

Dicimus secundò Individuum primò intentionaliter sumptũ bene explicari per relationes ad alia individua ejusdẽ speciei, à quibus distinguitur numero. Rem expono. *Homo ut sic* est Ens quod connotat actus vivendi, sentiendi, & intelligendi: in hoc concepto nulla percipitur distinctio numerica. at *Hic homo* est Ens, quod connotat actus vivendi, sentiendi & intelligendi, & distinguitur realiter ab aliis Entibus, quæ eosdem actus vivendi, sentiendi & intelligendi etiam cõnotant. Semper manet aliqua difficultas in conceptu individui, ut illum possimus distinguere à conceptu speciei.

Quid sit individuum?

Quid [illegible]liquis discurreret sic; Quid si diceret? In Divinis omnia sunt idẽ, ubi non obviat Relationis oppositio: Ergo etiã in humanis: creatæ enim omnes Divinarũ perfectionum sunt umbræ. Creaturæ igitur per relationes distinguuntur, nimirũ, gradus subalterni per relationes ad diversa connotata extrinseca: & individua per relationes inter se. Ergo si omnes relationes constitutivę & distinctivæ concipiãtur, concipientur infima singularia: si nulla concipiatur relatio, concipietur Ens summum, q̃ per relationẽ creationis activæ ad Creatorem, & per relationẽ creationis passivæ ad Creaturam contrahetur. Et hunc modum judico faciliorem, quo possit hæc sententia defendi.

An omnis distinctio relationem in divinis & etiam in humanis supponat?

LIBER

LIBER V.

De principio Individuationis in Ente materiali.

DXXXIII. *Quàm difficilis sit hæc controversia?*

HÆc controversia tractatur à paucis, ignoratur à multis; & ab aliquibus ita proponitur, ut & ipsi videantur ignorare, quod rogãt; & nos cogamur sæpiùs aut tacere, aut respondere hominibus, qui rem non capiunt. Quæstio est mirabilis, si benè examinetur; & me nimium exercuit, etiam ante rationis usum; cùm ingeniolum illud meum sub illud tempus, quale quale, incepit ebulire & fervere. Vexabam meos Parentes & Magistros quando loqui vix poteram, dubio quodã quod me totum cruciabat; cujus nullo unquam modo assequi solutionẽ poterã. *An unum individuũ possit trãsire in aliud? An Petrus in Paulum converti?* Altâ mente considerabam me, altâ sororem, & doceri volebam, Cur ego essem ego? cur illa esset illa? cur ego non essem illa, & illa ego? Utrùm posset accidere, ut transformatione aliqua, aut transsubstantiatione potiùs (explico mentem meam, licet verbis fortiotibus, quæ mihi illo tempore ignota) illa eras futura foret ego: & ego, cùm minus putarem, essem futurus illa? Et quidem erat quæstio, à domesticis audita sæpè ad nauseam usque; & licet semper risu excepta; tam difficilis & ardua, ut hodie ingenioli fulgurantis admirer impetum, & me in senectute nescire, dicam liberè, pronunciate vel verbum, quod dubio isti à me olim in infantiâ ipsâ posito, evidenter & clarè satisfaciat. *Mundus literarius dividitur.* Hanc ob rem Ego, ut clariùs in difficili controversia procedam, supponam Mundum literarium multis Scholis illustrari, & inter alias his præcipuè: *Reali*, *Modali*, *Formali*, *Expressivâ* (quam ipsam alij *Nominalem*, & alij *Connotativam* dicunt) *Negativâ*, *Actionali*, *Locali*, & *Divinâ*: videboque, quid in singulis debeat dici, aut negari. *Scholarum nobiliorum nomina.*

Æquivocationes sunt vitandæ. Et ne, quod semper contigit, æquivoca vocum significatio, nos moretur aut turbet, aliqua de nominum significatione & acceptione præmitto.

DXXXIV. *Principiũ quid, & quotuplex?* *Principium* dicitur primum initium: multifariam potest & solet dividi & subdividi, sed nostra impræsentiarũm illa sola interest divisio, quâ illud in *Radicale* & *Formale* partimor. *Principium formale, quid?* Hoc denominat intrinsecè compositum, est enim intrinseca ejus pars: & ab altero exigitur seu infertur: & hanc ob rem aptè possemus Principium formale, *Constitutivum*; nec non radicale principium, *Exigitivum* nominare. *Principiũ radicale, quid?* Ignis, (stemus nunc opinioni cõmuni, veræ aut falsæ) constat materiâ & formâ substantiali, quam *Igneitatem* dicimus, cujus proprietas est *Calor*. Ignis igitur calidus est: sed principium formale ignis ut calidi est calor, qui eum constituit in esse calidi: principium tamen radicale (seu fontale, si uti velis terminis, quibus Salmanticenses *tractatu primo in primam partem*) caloris est ignis forma, quia hæc exigit habere calorem. Calor igitur oritur ab ignis formâ ceu à principio radicali. *Quasi forma ignis, constitutiva?*

Cùm quæritur, quidnam sit individuationis principium, ajunt nonnulli nos non agere de principio formali; certum est enim murum non dealbari cæcitate, nec albedine singularizari. *Exponitur titulus libri.* Scimus, omnes Entitates communes non aliter fieri singulares, quàm receptâ individuatione. At eorum pace duo inquirimus: Alterum quid sit formaliter individuatio, quæ Individuum formaliter constituit: Alterum, quid sit illud quod determinat speciem ad hanc individuationem potiùs quàm ad aliam? Reclamamus majoris claritatis gratiâ exemplum positum. In igne est calor: peto cur potiùs est calor quàm frigus? dices & optimè, quia forma ignis exigit calorem & non frigus. Ecce qualitas genetica prout abstrahitur à calore & frigore ita ab ignis formâ determinatur, ut non sit in hoc subjecto utraque qualitas, sed tantùm altera, nempè calor, quia hunc forma ignis exigit, non illud. Progredior. Species caloris etiam est divisibilis in plurima individua; possunt enim dari multi calores, qui solùm distinguantur numero. Hic ignis habet calorem A, & non calorem B. cur hoc? quid est illud, quod calorem, prout abstrahitur ab omnibus suis individuis, determinat potiùs ad hæcceitatem A, quàm ad hæcceitatem B? cur hic ignis, qui habet calorem A, non habet calorem B, aut quemcumque calorem alium ex innumerabilibus qui possent esse? Sic similiter dubitant de ipsomet igne. Accenditur hoc lignum, igne fit & habet formam ignis A: cur non formam B? Tu habes albedinem & Petrus habet; cur ille non habet albedinem quam tu, vel è converso? quid est, quod tibi determinavit potiùs hanc albedinem, quàm alteram numero distinctam?

Explicavi intentum meum per accidentia, quia hæc magis nota. Sed similis quæstio est de formâ etiam substantiali. Ecce Leones duos. Ecce in eis duas materias, & duas formas. Cur materia hujus Leonis non habet alius formam? quis decrevit huic materiæ istam potiùs formam quàm aliam differentem numero? Et si tantisper extra portè materialium Entium the- *Sicut de accidentalibus, sic etiã de substantialibus formis philosophandum est.*

sautos liceat egredi, idem posset de homine proponi, & quæri. Petrus habet corpus A, animam B; Paulus corpus C, animam D. & interrogo, Cur anima B potiùs informet corpus A, quàm corpus C? cur potiùs corpus Petri, quam corpus Pauli. Et elevando oculos ad cœlos, & suspiciendo Angelos, quæram, cur intellectus Michaëlis non inhæreat Gabrieli, aut alteri? Quod si vel ad distinctionem specificam recurras, & affirmes omnes Angelos distingui specie, adeóq; singulis mentes specie distinctas competere: vel ad indistinctionem confugias, & asseras potentias angelicas (intellectum videlicet, & voluntatem) non distingui realiter à voluntate, nec tolles, nec solves controversiam: quia mutatâ materiâ agam de qualitatibus supernaturalibus. Gratia Gabrielis, Michaëlis, Raphaëlis, & aliorum cœlestium Spirituum una est specie in omnibus, & in singulis distincta numero. Cur igitur Gabriel non habet hanc numero gratiam, quam habet Michaël? cur non iste, quam Raphaël? Qui hanc quæstionem evidenter dissolvat, in controversiâ hac, quam hic Liber edisserit, erit doctissimus.

Ita etiam de spiritualibus.

An omnes Angeli distinguãtur specie?

An potentia distinguantur ab animâ?

Noto obiter, nec Scotum, 2. *Sent. dist.* 3. *qu.* 3. nec Fonsecam 5. *Metaph. cap.* 6. *qu.* 5. *sect.* 1. dum inquirunt formale Entitatis singularis principium, voluisse percallere hanc difficultatem. Ratio enim est, quia ut nuper dicebamus, omnis singularis entitas constituitur formaliter singularitate.

Arguitur Scotus & Fonseca.

Principiũ radicale & exigitivum est individuationis primus fons?

Salmanticenses, 1. *p. tract.* 1. *d.* 1. §. 2. asserunt sermonem non fieri de primo principio extrinseco quale causa est efficiens atque præcipuè Deus, supponunt enim hoc principium quod quæritur esse intrinsecum composito sive naturæ substantiali. Cæterùm inter doctos nihil supponi debet, quod non sit per se notum: principium individuationis esse internum composito à nemine fuit demonstratum. Ergo indiget ulteriore examine hæc quæstio, & siquidem ante hoc, nescimus utrùm individuationis determinatio à principio interno an ab externo desumatur? venit hoc ipsum inquirendum.

An debeamus ad Deum recurrere?

Sed ad cujus Scholæ fundamenta & principia? ad Realis: hoc est Platonicæ, Aristotelicæ, Thomisticæ (hîc enim coincidunt Plato, Aristoteles, & D. Thomas) & in fine colligam deciduas spicas, & quid in aliis Scholis debeat dici brevissimè & clarissimè dilucidabo.

Nota hæc benè.

DISPUTATIO I.

De principio intrinseco individuationis in Scholâ Reali.

NUllam causam extrinsecam (hoc est, separatam realiter ab accidenti) esse individuationis aut multiplicationis principium aiunt Platonici: Ergo intrinseca (hoc est, ipsi accidenti connexa, imò conjuncta) quærenda est. Hæc difficultas etiam torquet illos, qui affirmant ecceitates non distingui ab ipsis accidentibus, debent enim examinare saltem principium illativum. Non quærunt principium, quod constituat hanc albedinem in esse hujus, quia jam sciunt constitui in esse individuæ per hæceitatem. Non examinant, quid sit hęceitas accidentium, quia de hoc aptiori in loco: at inquirunt solummodò principium illativum individuationis hujus accidentis singularis.

Causa extrinseca non est principium individuationis accidentium.

Nos scrupulosiores, non solùm illativum ecceitatis principium, sed etiam constitutivum inquiremus. Principium igitur est duplex, proximum & remotum. Illud est à quo immediatè res oritur: hoc à quo mediatè. Pater dicitur principium proximum & immediatum filij in genere efficiendi, quia à Patre suo Petrus immediatè procedit: Avus est principium remotum, quia Petrus non procedit immediatè à suo Avo, sed à suo Patre procedente à Petri Avo. Principium remotum adhuc potest dividi in penultimum, antepenultimum, & remotissimum. Inter principium penultimum & effectum interest principium proximum ejusdẽ effectûs: inter antepenultimum & effectum debent interesse duo principia, nempe proximum & penultimum. Principium remotissimum est illud quo nullum remotius. Primum radicale, fontale seu originale principium est illud quod à nemine originem trahit in illo genere: ut in genere efficientis causæ Adamus est omnium hominum principium originale, quia à nullo homine genitus totius generis origo fuit. Principium primum aliquando erit proximum, & aliquando remotum, quia ut primum sit non est opus ut mediatè attingat effectum, sed solùm ut non procedat à principio congenere. Esto exemplo Adamus, qui est primum & proximum principium Abelis. Idem Adamus est principium primum non verò proximum respectu Enosij; quia genuit Sethum Enosij Patrem, &c.

Principiũ illativum, & constitutivum: proximum & remotũ:

ultimum, penultimũ, antepenultimũ &c.

Principiũ remotissimum: radicale, fontale, originale.

ARTICULUS I.

De Individuatione Qualitatum.

DXXXVI. OMnia accidentia & Qualitates præcipuè individuari formaliter à subjecto docet Aristoteles in multis locis, & præcipuè *libr.* 5. *Met. cap.* 6. & *libr.* 10. *Met. text.* 25. & etiam *libr.* 12. *co.* 8. manuductus à commentariis D. Thomæ. Quomodo autem hæc sententia debeat exponi & propugnari constabit ex conclusionibus sequentibus.

Subjectum est individuationis principiũ.

Theore-

Theorema I.

DXXXVII. *Qualitas secundum se est entitas universalis.*

QValitas secundum se non est singularis, sed est multiplicabilis & communicabilis multis subjectis.

Patet ex his, quæ suprà intra Scholæ Platonis terminos de universalitate disputavimus; quia albedo ut sic (verbi gratiâ) neque est hæc albedo, neque illa albedo, sed albedo universalis multiplicabilis numero in diversis subjectis.

Theorema II.

DXXXVIII. *Individuantur à subjecto.*

QValitates individuantur immediatè & proximè à subjecto.

In hoc conveniunt accidentia cum formâ substantiali, quod individuatio à subjecto veniat desumenda. Subjectum formæ substantialis est materia prima, & ideò hæc est principium proximum individuationis formæ substantialis. Accidentia etiam à subjecto individuantur, ergò quidquid subjectum accidentium sit, illud ipsum erit proximum principium individuationis formæ accidentalis.

Considerant Thomistæ hæc testimonia. Hoc theorema expressum est à D. Thomâ 1.p.q.29.art.1. ubi sic: *Accidentia individuantur per subjectum, dicitur enim hæc albedo in quantum est in hoc subjecto.* Accinit sibi 1. *part. quæst.* 39. *art.* 3. ubi ait. *Accidentia sicut esse habent in subjecto, ita ex subjecto suscipiunt unitatem & multitudinem.* Hanc doctrinam exemplificat 1. *part. quæst.* 50. *art.* 4. *in cor.* ubi ait: *Impossibile esset dicere, quòd essent plures albedines separatæ; .... cùm albedines non sint plures nisi secundum quod sunt in pluribus substantiis.* Et sæpè alibi. Præcipuè tamen 3.*part. quæst.*77.*art.*2.

Quid sit individuatio? Probatur ratione sic. Individuatio est distinctio sub eâdem specie, & multiplicat ipsam speciem in membra, quæ non possunt ulteriùs dividi neque multiplicari. Atqui albedo ut sic, quæ erat indifferens & universalis prout est in subjecto A, & in subjecto B, multiplicatur in duo membra, quorum neutrum potest ultrà communicari; ergò albedo à subjectis recipit ecceitates. Probatur minor. Albedo prout in A, distinguitur ab albedine prout in B; quia nec albedo prout est in A, est in B, neque è contrario. Ergò jam reperis distinctionem & multiplicationem sub eâdem specie manantem immediatè à subjectis. Ultima multiplicatio est, quam dant hæcceitates, non enim hoc individuum est quod est contrabibile atque multiplicabile. Quod autem hæc formæ accidentalis multiplicatio, quam à subjectis immediatè recipit, sit multiplicatio atque contractio ultima, probatur; quia albedo prout est in subjecto A, non potest esse in multis; ergo prout est in A, non est universalis, sed potiùs singularis atque individua.

Theorema III.

An pendeat à materia prima.

MAteria prima non est principium immediatum individuationis qualitatum quæ inhærent formæ.

Constat ex D. Thomâ *opusc.*29. ibi enim ait. *Advertendum est quod accidentia non individuantur (puta immediatè) per materiam primam.*

An duæ formæ possint esse in eadem materia? Probatur. Quia, si per impossibile ponerentur duo rationales animi in eodem corpore, haberent duos intellectus distinctos numero in omnium sententiâ. Ergo individuatio qualitatis, quæ est in formâ, non sumitur à materiâ. Patet consequentia, quia manente eâdem materiâ numero, reperitur intellectuum numerica multiplicatio.

An sit possibilis forma, cujus repugnet materia? Probatur secundò. Supponamus aliud impossibile: dentur plures animæ distinctæ numero, quarum repugnent corpora, peto an illarum mentes distinguentur numero? respondes assertivè, quia neminem vidi qui asserat naturaliter posse duas animas eâdem mente seu intellectu affici. Ergo intellectuum individuatio non à materiâ, sed ab animâ, quæ intellectûs subjectum est, desumi debet.

Dicis in utroque casu illas duas animas habituras esse unum ac eumdem numero intellectum.

Sed contrà, quia inde sequeretur, quòd idem accidens naturaliter in variis subjectis esse posset. Sequelam probo sic. Hoc instanti A. incipiant repugnare corpora Petri & Pauli (juvant impossibilia assumpta rebus essentiis cognoscendis) ergo ante instans A. ipsi habuerant duas mentes numero distinctas, & post instans A. sunt habituri unam & eandem numero. Hæc, quam posteà habituri sunt, vel est una ex duabus prioribus, vel tertia numero distincta; neutrum potest dici: ergo post instans A. non essent habituri unam numero mentem, sed duas. Minorem probo, & primò quoad priorem partem: quia non est major ratio, cur potiùs corrumpatur hæc mens Petri, quàm illa Pauli: ergo neutra corrumperetur. Consequentia est evidens; si de antecedenti dubites, doce me rationem aliquam verisimilem, ob quam debeat potiùs hæc mens interire, quàm alia. Confirmatur, *Annihilatio non est naturalis.* Natura abhorret annihilationem; ergo neutra mens posset corrumpi: patet consequentia, quia illa corruptio esset annihilatio, & probo. Tunc fit annihilatio quando aliquid convertitur in nihilum, hoc est, ita corrumpitur ut nihil de novo gignatur; atqui in dato casu si altera mens deficeret, ita corrumperetur ut nihil de novo generaretur: ergo fieret annihilatio.

Illam mentem unam numero, quæ asseritur in duabus illis animabus ex datâ hypothesi non esse distinctam numero à duabus prioribus, probatur: quia nulla entitas individua potest asseri de novo in subjecto existens, cujus non detur causa effectrix; atqui hujus tertij intellectûs (seu mentis) de novo producti non est assignabilis efficiens causa: ergo non debet asseri ille intellectus tertius. Causa non potest esse ipsa corporum repugnantia; quia hæc non est operativa: nec aliqua naturalis potest concipi: ergo.

An passiones efficienter ob essentiâ proveniant? Dices ipsasmet animas in dato casu (aliàs impossibili) producturas esse illum tertium intellectum.

An idem effectus produci possit à duabus causis?

Supponis animam producere sibi suum intellectum, quod dubium est; addis duas causas posse in duobus subjectis producere eumdem effectum numero, quod absolutè est falsum.

Theorema IV.

DXL. *Materia prima est principium remotum individuationis qualitatum inhærentium formæ.*

Patet, quia materia prima individuat subjectum actuale, & hoc subjectum actuale est principium individuationis accidentium. In re mihi consentit Joann. de S. Thomâ *quæst. 9. de gener. art. 5. § sed inquires.* verbis autem differt. Affirmat accidentia individuari à subjecto individuato à materiâ, negat autem accidentia individuari mediatè à materiâ primâ. Sed hoc non est intelligere quid sit individuari mediatè. Nec sufficit dicere has esse individuationes in diverso genere; nam materia substantialiter individuat subjectum, hoc verò accidentaliter albedinem exempli gratia; quia etiam dicitur Enosius filius Sethi, mediatè procedere ab Evâ, quia est filius Sethi, qui est filius Evæ; licet à Setho procedat virtliter, & Sethus non procedat virtliter à suâ matre: Mater enim in omnium sententia diversimodè concurrit ad generationem, quàm Pater: quia multi dicunt eam materialiter solùm concurrere; tum etiam, quia licet concurrat efficienter, est summa in ipsâmet efficientiâ diversitas. Thomistam condemnat D. Thomas *3. part. quæst. 77. art. 2.* sic ait. *Quantum igitur ad primum, materia est individuationis principium omnibus formis inhærentibus: quia cum hujusmodi forma quantum est de se sint nata in aliquo esse sicut in subjecto &c.* atqui materia non est principium semper proximum: ergo.

An femina efficienter concurrat?

Assero materiam primam esse principium remotum individuationis accidentium inhærentium formæ: addo subjectum horum accidentium (nempe formam) esse principium immediatum ipsissimæ singularitatis.

Contraria sententia expenditur & debellatur.

DXLI *Proponitur sententia Suarij.*

QUalitatum individuationem à subjecto non sumi docet Suarius *disp. 5. Met. sect. 7.* qui asserit primam radicem accidentis esse ipsummet ut est talis entitas actu vel aptitudine. Ut sit ubique sibi similis etiam de materia & aliis entitatibus similiter philosophatur. *Disp.* illâ 5. *sect.* 6 *nu.* 2. sic ait. *Primò igitur à materia primâ incipiendo dicendum est illam esse in re individuam, & fundamentum talis unitatis esse entitatem ejus per seipsam prout est in re absque ullo extrinseco super addito.* & posteà *num* 5. subjungit. *Formam substantialem esse hanc intrinsecè per suammet entitatem, à quâ secundum ultimum gradum seu realitatem sumitur differentia individualis ejus.* Et *n.* 14. instructus eâdem ideâ ait, *Modus substantialis, quia simplex est & suo modo indivisibilis, habet etiam suam individuationem ex se, & non ex aliquo principio ex naturâ rei à se distincto.* Et Sect. 7. n. 4. quæstionem resolvit de accidentibus asserens *accidentia non ex subjecto sed ex propriis entitatibus habere suam individuationem & numericam distinctionem.* Hæc omnia summâ cum consequentiâ dicta sunt, sed non satisfaciunt controversiæ; vel si satisfaciunt, omnia eò tendunt ut non detur principium individuationis. Petis à Suario cur albedo, quæ in hac manu, sit potiùs albedo A, quàm albedo B? Respondet est albedo A quia habet hanc entitatem numero. Annon hoc est dicere, albedo A est albedo A, quia est albedo A? hoc est, idem per idem. Testatur *ejusdem disput. 5. sect. 7. n. 1.* se non agere cum Scoto qui hæceitatibus quæ nihil aliud sunt quam differentiæ individuales, quæstionem hanc censuit determinandam esse: sed cum Scoto coïncidit. Verè si Suario assentiret, cum ipso non loquerer. Dicerem primò, hæceitatem esse actum constitutivum individui. Secundò, non dari principium individuationis, quod esset intrinsecum composito. Tertiò, dari individuationis principium extrinsecum, nempè efficientem causam. Hoc etiam ipse admittit *disp. 5. sect. 7. n.* 4. id tamen à passo tanquam à posteriori docet determinari ut potiùs hanc entitatem gignat, quam aliam.

Et rejicitur.

Accidentia non individuari à subjecto docuit etiam Durandus testibus Suario *sect. 7. disputationis 5. jam citata, num. 3.* Salmanticensibus *1. part. tract. 1. disp. 2, n. 2.* & alij, qui adoriuntur nos his syllogismis.

Durandus.

Ratio prima.

UNaquæque res per illud formaliter & intrinsecè est una numero quoad principium unitatis seu negationis quam dicit Unitas, per quod est ens actu in rerum naturâ, vel aptum ut sit hujusmodi; sed omnis res per suam entitatem est intrinsecè & formaliter ens actu: ergo per eandem est singularis & individua. Ergo accidentia hoc habent. Majorem probant. Quia omne tale ens est singulare.

Quid sit rem esse singularem?

Respondeo, asserens omnia esse falsa, quæ assumuntur in syllogismo antecedenti. *Major,* sive agamus de principio constitutivo sive de principio exigitivo essentiali, falsa est. Entitas enim (sive substantialis ea sit, sive accidentaria) est ens actu in rerum natura per existentiam, quam habet actu: est apta ut sit hujusmodi, hoc est, in rerum naturâ, per capacitatem quam habet ut habeat existentiam: existentia autem non est principium formale individui quà talis, quia existentia non est hæceitatis, & hæceitas sola est formalitas illa, quæ constituit individuum formaliter. Præterea (& in hoc sensu procedit controversia) existentia non est principium quod essentialiter petit hanc formam singularem; quia formæ futuræ etiam sunt singulares, & non existunt. Sed esto, admittamus existentiam esse principium individuationis formæ accidentalis; inde quid? convincam intentum contra oppositæ sententiæ assertores. Per vos, inquam, existentia est principium accidentariæ formæ quà individuæ; sed hæc

An existentia sit individuationis principium?

An accidentia existant existentiâ subjecti?

existit

existit quia existit subjectum; & non habet propriam existentiam: ergo existentia subjecti est principium individuationis formæ accidentalis. Ergo accidens desumit individuationem à subjecto. Hinc constat ejusdem syllogismi contra nos objecti *minorem* etiam falsum esse, quia nulla res per suam entitatem est intrinsecè & formale ens actu, hoc est, actuale; omnes enim res per existentiam fiunt actuales, & anteà erant aut futuræ aut possibiles.

An essentia & existentia distinguantur.

Secunda ratio.

DXLIII. SUbjectum non potest esse proximum principium individuationis accidentium; ergo tantum poterit esse tale principium entitas intrinseca accidentium. Probatur antecedens. & PRIMÒ quia subjectum non est principium intrinsecum individuationis accidentium, & per se componens atque constituens accidens; quia hîc non agitur de concreto, quod coalescit ex subjecto & accidenti, quale est *Album*, sed agitur de ipsâmet accidentali formâ, puta de *Albedine*, & hanc certum est non componi intrinsecè ex subjecto. SECUNDÒ, subjectum non potest dici principium individuationis hujus albedinis quà terminus habitudinis seu inhæsionis, quam dicit hæc albedo ad subjectum; quia duæ albedines distinctæ numero possunt informare idem subjectum. Tunc sic; illæ albedines non habent à subjectis quòd distinguantur numero: ergo habent à se ipsis.

Subjectum non est pars intrinseca albedinis.

Respondetur negando primum antecedens. Ad primam expositionem dico me non agere tantum de principio exigitivo, sed de utroque, aut principaliter de constitutivo hujus albedinis, investigaturus cur potiùs in hac chartâ sit albedo A, quàm albedo B, quæ est in cygno. Et sic transiens ad alteram expositionem, nego subjectum non posse esse principium individuationis hujus albedinis, quà terminum habitudinis quâ albedo eadem idem subjectum respicit. Ad probationem, nego posse duas albedines distinctas numero esse in eodé subjecto; & inferiùs repugnantiam ostendam.

Addo etiam contrariis non favere illa omnia, aliàs falsa, quæ contra nos assumebantur, si deberent probare accidentia individuati à semetipsis. Ipsorum objectio utrinque clauditur hoc enthymemate. Accidentia non individuantur à subjecto: ergo à seipsis. Quid si condonem antecedens aliàs falsum? an tenebor consequens admittere? teneter ni laboraret consequentia. Licet subjectum non esset individuationis accidentium principium proximum, etiam possent hæc non individuari à semetipsis; puta si individuarentur à materiâ primâ; aut à formâ substantiali; aut ab existentiâ formæ, & non compositi; aut tandem à tempore, loco; aut aliquâ circumstantiâ intrinsecâ, ne ad causas extrinsecas dicatur excurrisse observatio.

Duo accidentia distincta numero non possunt esse in eodem subjecto.

Ratio Tertia.

SI omnia accidentia individuantur à subjecto, etiam relatio; sed hæc non potest à subjecto individuari; ergo accidens non individuatur à subjecto.

De relationibus.

De individuatione relationis tracto inferiùs; ibi fusè huic argumento satisfacio.

Ratio quartà.

SI accidentia individuantur ex eo quod respiciant subjecta, etiam potentiæ, habitus, actus, & similes operationes individuabuntur ab objectis, hæc enim essentialiter respiciunt ipsæ.

De individuatione potentiarum & actuum.

Hæc ratio torquet alios; sed me non urget. Omnes entitates intentionales sunt suum objectum intentionaliter. Et ideò in potentiis, habitibus; & actibus considero duas formalitates, nempe realem, intentionalemque. Realis absoluta est; nec objectum respicit, quapropter de ipsa non potest esse difficultas. Formalitas intentionalis non respicit objectum, sed est objectum ipsum; quia Anima est objectum radicaliter; potentia & habitus est objectum proximè; actus est objectum actualiter.

Objectum & actus &c. identificantur.

Hinc constat, si propriè loqui liceat, scientias potiùs esse objecta quàm sumere speciem aut individuationem ab objectis. Et idcireò non urget argumentum.

Ratio quintà.

LIcet hoc accidens naturaliter non possit esse in alio subjecto distincto numericè, potest tamen de potentiâ absolutâ; quia naturales leges non limitant vim illimitatam. Ergo non sumit individuationem à subjecto: quia si sumeret nec de potentiâ absolutâ posset in alio subjecto collocari.

De potentiâ absolutâ.

Respondeo asserens ita accidens individuari ab hoc subjecto, ut neque de absolutâ potentiâ possit constitui in altero. Repugnantiam ostendam inferiùs art. 4.

Ratio sextà.

SI accidentia à subjecto reciperent individuationem, omnia quæ essent successivè in eodem subjecto, essent idem numero accidens. Et ita calor, qui heri erat in tuâ manu, & periit; iterum reproduceretur hodie, cùm igne diverso calefieres. Hoc autem contra omnium sententiam est. Consequi ex meâ sententiâ non posse dari duo accidentia distincta numero, quæ successivè in eodem subjecto recipiantur, probas ratiocinio evidenti. Quia subjectum est idem, ergò semper exigit idem. Patet consequentia, quia vel designanda est mutatio aliqua ex parte subjecti, vel asserendum semper exigere idem accidens.

De successione accidentium.

Respondeo asserens accidentia ita individuari à subjecto ut nec de potentiâ absolutâ possit fieri, quòd duo accidentia distincta numero informent eandem substantiam. Concedo quidquid contrarij ex meâ sententiâ inferunt: hoc esse absurdum nego. Expedio omnia.

Ratio septima.

De individuatione quantitatis. Si accidens individuatur à subjecto: ergo & quantitas. Patet consequentia, quia hæc est etiam accidens. Tunc sic. Quantitas individuatur à subjecto: ergo materia signata quantitate non est principium individuationis, quia principium individuationis deberet esse ante omnem quantitatem. Materiam autem nudè sumptam prout est ante omnem quantitatem, non posse esse principium individuationis probabitur inferiùs & nunc ostendimus. Quia materia nuda ab omni quantitate esset semper eadem: ergo peteret aut nullam, aut eandem formam. Ut igitur petat successivè diversas formas debeset sigillari diversis sigillis quantitatis.

Respondent, sigillativam quantitatem esse singularem *ut quo* & non *ut quod*, & hoc habere à seipsa. Quia sicut ubicatio non est ubicata, & actio non est producta; & calefactio non est calefacta, sic quantitas sigillativa, sive, quod idem est, hæcceitas non est individua, sed est materialis substantiæ individuatio. Accedit quod teste D. Thomâ etiam ipsa quantitas individuetur à subjecto ut reliqua accidentia: Unde dicendum est illam habere duplicem individuationem sed de hoc art. 7. quia videtur quantitas molis à quantitate numericâ seu sigillativâ distingui.

ARTICULUS II.

De Principio intrinseco individuante Relationes.

DXLIV. *Relatio quotuplex? Unitiva:* Relatio est triplex, unitiva, productiva, atque assimilativa. Unitiva (alias nexus, unio) connectit duo extrema, ut materiam formæ, corpus animæ. Dividitur in materializationem, & informationem. Materializatio est unio, quâ materia unitur suo actui: informatio est unio, quâ actus unitur suæ materiæ. *Productiva.* Productiva est emanatio rei ab efficiente causâ: & est duplex activa & passiva, sive quod idem est actio, & passio. Actio est productio, quâ agens terminum efficit: Fieri ipsius termini, si sit in subjecto, vocatur passio, si sit sine subjecto, est passiva creatio. *Assimilativa.* Relatio assimilativa vel est inter convenientes qualitates, & vocatur similitudo: vel inter disconvenientes, & vocatur dissimilitudo: & dicitur æqualitas vel inæqualitas, si intercedit quantitatibus.

Prima Sententia.

Flandria 5. *Met. quæst.* 16. *art.* 10. Nazarius 1. *part. quæst.* 32. *art.* 2. *contr.* 2. asserunt fundamentum esse principium proximum individuans relationem. *An fundamentum sit individuationis principium?* Petrus habet paternitatem A. & Paulus paternitatem B. pero cur Petrus non habet paternitatem B, & alius A? Respondent isti authores subjecta exigere illas relationes, & non alias numero distinctas. Huic sententiæ subscribere videtur Cajetanus 1. *part. quæst.* 13. *art.* 7. §. *ad tertiam object.* & *q.* 32. *art.* 2. ubi docet unitatem relationis sumi ad terminum; non verò à termino, sed à fundamento. Accinit etiam Bañez 1. *p. q. etiam* 32. *art.* 3. *dub.* 2. *ad* 3.

Secunda Sententia.

Alij è contrario affirmant unitatem relationum sumendam esse solùm ab ejus termino, non verò à fundamento. *An petenda sit à termino?* Ita Soncinas 5. *Met. q.* 32. & Araujus citatus à Complutensibus *in Logic. disp.* 14. *q.* 7. *num.* 83.

Propria mens.

In relatione reperio duas formalitates *esse in*, & *esse ad*, quarum ingenium est dissimile ac ideò oportet de earum individuatione diversimodè philosophari. *An utrique?*

DXLV. PRIMA CONCLUSIO. *Individuatio relationis non à subjecto seu fundamento tantùm, sed etiam à termino desumi debet.* Hæc opinio est Complutensium *in log. disput.* 14. *num.* 84. Suarij *disput* 47. *Met. Sect.* 17. *num.* 15. Rubij *cap. de relat. quæst.* 6. *num* 32. Mat. *ibid. sect.* 2. *quæst.* 6. Sanchij *lib.* 5. *quæst.* 38. Didaci à Jeso *dist.* 14. *part.* 2. *qu.* 2. A quâ non videntur sæpè discedere Bañez & Cajetanus. Allegant pro istâ sententiâ Complutenses D. Thomam *in* 1. *dist.* 26. *quæst.* 2. *art.* 2. *ad* 4. & *in* 3. *dist.* 8 *quæst.* 1. *art.* 5. Cæterùm nullibi loquutus est clariùs S. Doctor, quàm 1. 2. *q.* 54. *art.* 4. ubi statuit legem catholicam relativorum. *Omnia, ait, quæ dicuntur secundùm ordinem ad aliquid, distinguuntur secundùm distinctionem eorum ad quæ* (clariùs *inter quæ*) *dicuntur.* Cæterùm cum relatio dicat *esse in* & *esse ad*, uti distinctione opus est, ut sciamus quî de alterutro philosophabimur.

DXLVI. *De esse in relationis.* SECUNDA CONCLUSIO. *Relatio secundum esse in adæquatè individuatur à subjecto.* Hæc conclusio probatur fortissimo argumento. Quia relatio secundum *esse in* est similis omnibus aliis formis & actibus realibus; atqui omnes reales actus individuantur à subjecto: ergo etiam relatio. Majorem probo, quia forma absoluta non distinguitur à relativa in hoc quod est esse in subjecto, imò in hoc convenit, utraque enim in subjecto est: distinguitur, quia forma absoluta terminum non respicit, quem relativa respicit; ergò forma absoluta & relativa conveniunt in *esse in*, & dissident in *esse ad*. Igitur secundum *esse in* eodem modo debeo de relatione philosophari, ac de reliquis formis absolutis.

Hinc

Hinc intelligendus venit Angelicus Præceptor 3. *part. quæst.* 35. *art.* 5. ubi habet hæc verba: *Unitas relationis, vel ejus pluralitas, non attenditur secundum terminos, sed secundum causam vel subjectum.* Intelligendus est de relatione secundum *esse in.* Causæ nomine intelligit fundamentum, ut benè notat Cajetanus *ibidem*, & Complutenses *cap. de relat. disput.* 14. *nu.* 82. Accinit sibi S. Doctor *quodlibet.* 9. *art.* 4. ubi paucis expressit, quæ alius pluribus vix posset explicare. *Quia verò ex eodem res habet esse & unitatem, ideò realis unitas relationis pensanda est ipso relationis fundamento vel causâ.* Complutenses nuperrimè citati utuntur hoc testimonio, ut probent unitatem essentialem & specificam debere sumi à fundamento, sed verba D. Thomæ solùm probant nostrum intentum, hoc est, individuationis unitatem sumptum iri à subjecto: constat ex illis verbis, *Ex eodem res habet esse & unitatem*, hoc est, ex eodem subjecto à quo res recipiunt existentiam, recipiunt etiam unitatem; atqui à subjecto non recipiunt unitatem genericam, neque specificam, sed solum individualem: ergo hîc agit S. Thomas solummodò de individuali. Præterea agit de relatione secundum *esse in*, & probo, quia assumit S. Doctor modum quo omnes res recipiant unitatem; ergo agit de relatione in quantum convenit cum aliis rebus sive formis. Atqui solùm cum aliis formis convenit in *esse in*: ergo agit de *esse in* relationis. Constat ergo relationem recipere *esse* à fundamento, atque propterea eam existere non existentiâ propriâ, sed subjecti.

Individuatio idem-tica. TERTIA CONCLUSIO. *Relatio secundum esse ad individuatur materialiter & identicè ad esse in.* Probatur evidenter. Quia *esse in* & *esse ad* realiter identificantur: ergo *esse ad* identicè recipit singularitatem *ab esse in.*

De esse ad relationali. QUARTA CONCLUSIO. *Relatio secundum esse ad individuatur formaliter ab ipso termino.* Probatur, quia eadem est Paternitas quâ Pater respicit filium A, & post hujus mortem filium B. Eadem est, inquam, secundum *esse in*, eadem est materialiter loquendo secundum *esse ad*: sed loquendo formaliter est diversa numero secundum *esse ad*, habet etenim distinctos terminos.

Unum & eandem relatio possit respicere multos terminos? Hinc constat unam & eandem relationem posse recipere diversos terminos. Audi D. Thomam 3. *part. quæst.* 35. *art.* 5. ubi sic: *Rectè considerantibus apparet eâdem relatione referri unumquemque ad suum patrem & matrem, propter unitatem causæ (hoc est fundamenti) eâdem enim nativitate, homo nascitur ex patre & matre: unde eâdem relatione ad utrumque refertur.* Et subdit: *Ex parte autem prolis est una relatio secundum rem; sed duplex secundum rationem in quantum correspondet utrique relationi parentum secundum duos respectus.* Simplicem vocat secundum rem, hoc est secundum *esse in*, est tamen duplex secundum rationem, seu ultimum constitutivum, hoc est, secundum *esse ad.* Hoc *esse ad* constituit relationem in esse talis: constitutiva autem *rationes* à D. Thomâ nominantur. Dabo Præceptoris verba in *Met. decimi textu* 25. *lect.* 11. speciem *Constitutivum à D. Thomâ dicitur ratio.* pro ultimo constitutivo sumi demonstrantia. *Est ratio, id est forma, quæ constituit speciem* ..... *Quæcumque contrarietates sunt in ratione, id est, ex parte forma.*

Dubium incidens. Petis. *An eadem numero relatio possit respicere terminos diversos specie?* Dico bifariam posse intelligi esse diversum terminum, nempe formaliter, & materialiter. Illi termini dicuntur esse distincti numero formaliter, qui in ratione terminandi conveniunt, licet differant in materiâ: ita forma equi & forma Leonis (ut multi opinantur, etiamsi entitativè differant specie) in ratione formæ differunt solùm numero, quia formaliter loquendo forma equi est hæc forma. Ergo materia prima quando respicit istas duas formas, respicit duos terminos qui entitativè & materialiter distinguuntur specie: formaliter verò, hoc est, in ratione formæ distinguuntur numero. Tunc termini dicuntur distingui specie formaliter, quando differunt in ipsa ratione terminandi, ut terminus actionis & similitudinis. Idem calidum diversimodè respicit aliud calidum tàm in quantum simile, quàm in quantum agens. Ideò dico quod similitudo non potest respicere agens, nec passio similitudinem. *Terminus bifariam sumitur: materialiter & specificativè, formaliter & reduplicativè.* Hinc explicandi veniunt Authores, qui negant eandem relationem posse habere terminos specie distinctos; quos sic expone ut negaverint eidem relationi terminos specie diversos quà terminos. *Diversarum opinionum conciliatio.* Quia actio non potest respicere terminum actuabilem, terminus enim ut actuabilis respicitur non ab agente sed à formâ: potest tamen respicere quemcumque factibilem, quia omnia factibilia distinguuntur solùm materialiter, & conveniunt formaliter in ratione factibilis.

ARTICULUS III.

Utrùm duæ Qualitates aut Relationes distinctæ puro numero possint esse simul in eodem subjecto?

An eodem modo de absoluta Dei potentiâ & de ordinariâ philosophari debemus? HAnc quæstionem multi in duas dividunt & inquirunt priùs, Utrùm naturaliter possit contingere, quòd duo accidentia numero distincta sint in eodem subjecto? Resolvunt negativè, & inquirunt secundò, utrùm saltem divinitùs id fieri possit? & tunc multi respondent assertivè. Sanè studeo & brevitati & claritati. Sentio hîc non esse confundendas scholas, nam ex diversis fundamentis diversæ conclusiones oriuntur. Et impræsentiarùm Scholæ Reali consonans ajo, inter duo accidentia distincta numero in eodem subjecto esse intrinsecam & essentialem repugnantiam, ita ut nec divinitùs conjungi possint. Addo oppositionem esse talem, ut nec humanitùs possint simul concipi in eodem subjecto; non secùs ac forma & privatio, quæ non solùm simul esse non possunt, sed neque simul intelligi in eodem subjecto. Ex hac resolutione evidenter colligitur, quid respondendum sit quærentibus, an naturæ viribus possint duæ accidentariæ formæ inesse eidem subjecto? non enim naturæ viribus concedi poterit, quod Omnipotentiæ negatur.

Repugnat distinctioni puræ numericæ ut tali, quod duo accidentia ejusdem infimæ speciei sint in eodem subiecto.

DXLVII. *Distinctio est duplex: alia purè numerica, & alia plus quàm numerica.*

Distinctio numerica est duplex, pura & composita. Distinctio numerica non pura, seu composita illa est, quæ versatur inter individua specie differentia. Hic equus & hic homo reverà differunt numero, sed non solùm numero, ideò nec purè numericè: differunt enim etiam in ratione specificâ, quia homo rationalis est; equus irrationalis. Distinctio numerica pura illa dicitur quæ est inter duo individua quæ solùm numero differunt, ac specie conveniunt: ut inter Petrum & Paulum: inter hunc & illum equum.

Non asseritur repugnare quod duo accidentia distincta numero non purè (ut hæc albedo & hæc humectas) sint in eodem subjecto numero: quia de eorum connexione & oppositione inferiùs disputabo. Affirmo tamen non posse dari in eodem subjecto duo accidentia, quæ numero puro distinguantur: hoc est, albedinem A & albedinem B non posse esse in eodem subjecto.

Ita Gajetanus 3. *part. qu.* 35. *art.* 5. Capreolus *in* 1. *dist.* 7. *quest.* 0. Hervæus *quodl.* 3. *qu.* 9. Plaud, *in* 3. *dist.* 8. *qu.* 0. Soncinas 7. *Met. q.* 4. Flandria 5. *Met.* Novarretus, Nazorius, Gonzalez, & alij plures, quos sequuntur Salmanticenses 1. *part. tract.* 1. *dub.* 3. *n.* 58.

Duo accidentia distincta puro numero sine contradictione nō dicuntur eidem inhærere subjecto.

Sequi contradictionem à duobus accidentibus numero puro distinctis idem subjectum informantibus, doceor à D. Thomâ *in* 4. *dist.* 10. *qu.* 1. *art.* 1. *qu.* 3. Erant aliqui, qui asserebant consecratione factâ dimensiones panis & reliqua accidentia subjectari in aëre ceu in vero subjecto. Consequenter tenebantur asserere. *Primò* panis consecrati accidentia transire de subjecto in subjectum, nempe de pane in aërem. *Secundò* dimensiones panis & dimensiones aëris, quæ numero puro differunt, esse simul in eodem aëre. Utrumque erat absurdum, atque omninò impossibile. Cæterùm Præceptori Angelico hoc ultimum visum est impossibilius, & ideò hujusmodi authores legitur adortus in hæc verba. *Cùm ergò omnes dimensiones sint ejusdem speciei in quâcumque materia sint, quia materia non intrat in definitionem earum, si dimensiones panis iterum sint sicut in subjecto in aëre, sequitur quod duo accidentia ejusdem speciei sunt in eodem subjecto, quod est contradictoria esse simul: Quia accidentium ejusdem speciei numeratio non est nisi ex subjecto: unde, si subjectum sit unum, sequitur illa accidentia esse plura & non plura.* Supponere debemus cum Angelico Doctore id quod superiùs jam probavi, nempe accidentia sumere individuationem & multiplicitatem à subjecto. Ex hâc hypothesi vide clarissimè contradictoria sequi ex eo quod duo accidentia numero puro distincta in eodem subjecto concedantur.

De consecratione.

An species sacramentales sint in aëre sicut in subjecto?

Probatur altera contradictio.

Arguo primò sic. Hæc propositio est vera, *Subjectum est unum*, patet, quia unitas subjecti supponitur. Atqui etiam ista est vera, *subjectum non est unum*: ergò dantur duæ contradictoriæ simul veræ. Minorem probo. Accidentia sumunt numericam unitatem & multiplicationem à subjecto: ergò quando accidens fuerit unum, subjectum erit unum; quando accidens unum non fuerit, nec subjectum erit. Sed in præsenti casu accidens nec unum nec simplex est, quoniam duplex supponitur: ergò nec subjectum unum est, quod fuerat demonstrandum.

Probatur altera.

Secundò iterum è converso daturus alias duas contradictorias ex ipsissimâ hypothesi. Hæc assertio est vera, *Accidens est duplex*; liquet, quia tale esse supponitur. Ista etiam est vera, *Accidens non est duplex*: ergò contradictoriæ duæ verificantur. Consequentia est legitima: minorem probo. Accidentium numerica pluralitas sumitur à subjecti pluralitate: ergò ubicumque non dantur plura subjecta, nec dari poterunt plura accidentia, quæ distinguantur solo numero. Sed hîc datur subjectum simplex: ergò accidens non erit duplex.

Hinc constat hanc esse consequentiam necessariam. *Hæc accidentia distinguuntur in eodem subjecto: ergò non solo numero sed etiam differunt specie.* Vires hujus consequentiæ noverat Aristoteles 5. *Met. text.* 15. recenset plures modos, quibus possint cognosci ea quæ distinguuntur specie, & quinto loco de accidentibus agens, asserit distinctum in specie, *Quæcumque in eâdem substantiâ differentiam habent.* Cujus verba clarissima ex se sunt; sed illustriora evadent, si det illis Angelicus Præceptor lucem.

Hic ostendit, ait S. Thomas ibidem lect. 12. *Quot modis dicantur aliqua diversa specie ..... & quintus modus est, quando aliqua accidentia sunt in eodem subjecto, & tamen differunt ab invicem, eò quòd impossibile est, plura accidentia unius speciei in eodem subjecto esse.* Accinit sibi 3. *p. q.* 35. *art.* 5. & sæpè alibi.

An eodem modo, quo de accidentibus connaturalibus, eodem de contranaturalibus aut præternaturalibus sit philosophandum?

Occurrunt adversarij, apud Salmanticenses, 1. *p. tract.* 1. *disp.* 2. *n.* 60. Et sequi illas contradictiones negant etiamsi darentur accidentia puro distincta numero in eodem subjecto. Illa ratio, inquiunt, non convincit universaliter quoad omnia accidentia, sed ad summum quoad connaturalia alicui subjecto. Ratio est, quia licet Petrus non possit habere duas albedines sibi connaturales, potest tamen habere albedinem A, quæ connaturalis sit sibi; & albedinem B, quæ sit connaturalis Paulo. Nam hæ possent optimè distingui numero inter se, etiamsi essent in eodem subjecto. Posse autem conjungi non dubitabit ille, qui cognoverit Omnipotentiam.

Salmanticenses obviam eunt curiosè ex suis principiis satis fusè: ego ex meis breviter tuebor mentem & genuinam expositionem Divi Thomæ. Dico divinitùs non posse fieri quod albedo A, quæ connaturalis est Petro, sit in Paulo aut è contra. Ratio est, quam aliquoties tetigi; quia albedo secundum se non est individua positivè, ac proptereà albedo A & albedo B abstractæ ab ordine actuali aut habituali, quem dicunt ad subjecta, non sunt distinctæ

Ecceitas est inhæsio.

dist uctæ numero positivè . ac perindè sunt eadem nume o negativè. S ngularizantur positivè à subj ctis, & hæceitas formalis accidentium inhæsio est : ergò si dentur plu es inhæsiones, non dabuntur plures individuationes positivæ. A qui repugnant in eodem subjecto dari inhæsiooes plures respectu ejusdem formæ; ergò. Hoc ulnmum probo. Quia inhæsio est relatio : ergò secundum *esse in* individuabitur ab accidenti tanquàm à fundamento, & secundum *esse ad* à composito tanquam à termino. Sed datur idem terminus inhæsionis ut supponitur; & idem fundamentum : ergò & una & simplex inhæsio est : ergò una singularitas. Quod detur idem fundamentum inhæsionis probatur, quia albedo secundum se est fundamentum in quo insidet inhæsio, ut de se patet; & albedo secundum se non est plures albedines distinctæ numero, sed una & eadem numero negativè.

Inhæsio est relatio.

Primæ opinioni adversariorum satisfacio.

DXLVIII. *Adversarij dividuntur in sectas.*

MUlti sunt, qui asserunt posse dari duo accidentia distincta puro numero, idem subjectum perficientia. Sed fundamentis variis insistentes etiam in classes dividuntur. *Primò* multi Thomistæ distinguunt inter accidentia actûs completi & actûs incompleti. Actus completi accidentales dicuntur, qui in suo genere non egent complemento ; ut albedo ; calor; quia nulla aliâ entitate additâ constituunt album, calidum. Incompleti actus substantiales illi sunt, qui in suâ denominatione indigent aliis entitatibus eorum complementis. Sic species impressa est actus incompletus intelligendi in actu secundo, quia non pertinet ad actum primum ; Homo enim constituitur intelligens in actu primo solo intellectu; ac propterea quidquid præter intellectum est, pertinet ad actum secundum. Atqui nec habitus, nec species impressa constituunt intelligentem in actu secundo, sed indigent specie expressâ; ergò sunt actus incompleti. [Ex hac ego doctrinâ propugnavi nonnunquam actum medium, inter primum secundumque; qui illo posterior, & isto prior, est actus incompletus, & interjacet veriùs, quam ad alterum extremum pertinet.]

Forma cōpleta & incompleta.

Actus primus, secundus. & medius.

Hâc doctrina præmissâ, asserunt posse dari in eodem subjecto duo accidentia incompleti actûs, (vel, si sic loqui libeat, incompleti actus) quæ distinguuntur numero : negant posse dari simul in eodem subjecto duo accidentia actuationis completæ.

Ita philosophantur Cajetanus 1. *part. quæst.* 95. *art.* 4. Clariùs Capreolus *in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 2. *ad argument. contra* 9. *Conclus.* Javellus 5. *Metaph. quæst.* 16. quos citat Suarius *disput.* 5. *Metaph. sect.* 8. *num.* 6. & indicant sibi favere Divum Thomam *quæst.* 8. *de Verit. art.* 14. arguunt sic.

An plures actus incōpleti, seu modi esse possint in eodem subjecto?

Plures species distinctæ numero reperiuntur in eodem subjecto ; atqui hæ sunt actus incompleti accidentales : ergò actus incompleti accidentales distincti numero in eodem subjecto possunt esse. Consequentia est evidens ; minor patet ex dictis : majorem probant. Quia in eodem intellectu sunt plurimæ species de eodem objecto ; sed species de eodem objecto distinguuntur numero : ergo dantur plures species quæ distinguuntur numero.

Confirmatur, quia non solùm reperiuntur plures species spirituales in eodem intellectu; sed & plores materiales in eâdem phantasiâ : unde aliqui negantes habitus intellectuales, facilitatem & operationum promptitudinem, quam negare non poterant, numero specierum tribuerunt, quod facilè explicabitur. Habes thecam plenam moneiis argenteis, interseris unum oumisma aureum : requisiturus invenies summâ cum difficultate & molestiâ. Quid si duo millia aureorum numismatum interseruisses? facilitante operationem numero statim unum aut aliud occurreret tibi quærenti. Ergò faciliùs & breviùs elicies unum aureum numisma à multitudine argenteorum, si ibi aurea duo millia haberes, quàm si unum tantùm. Hâc speculatione instructi aliqui de habitibus philosophantur servatâ, analogiâ. Memoria thesaurus specierum est. Habitus sunt qui dant facilitatem intellectualiter operaturo. Si tantùm habeam unam speciem hominis, difficulter cognoscam hominem, quia hæc species inter innumeras alias latebit, & vix potero eam excitare, & ejus determinatione uti. Quod si haberem mille species seu imagines expressas hominis, statim aliqua excitaretur, quia ex multis faciliùs una occurreret, quàm ex paucis. Hinc constat, quid sibi velint Philosophi, cùm dicunt ex actibus habitus fieri; hi enim ex multis speciebus, seu actibus impressis, conflantur.

Quid sit habitus?

An habitus potiùs formentur ex actibus quàm ab actibus?

RESOLUTIO.

DXLIX. *An multæ species distinctæ numero sint in eodem intellectu?*

REspondeo negando posse duas impressas species (si dantur) distinctas numero esse in eodem subjecto, nam in quocumque intellectu non est nisi una species de uno objecto, oisi fortè distinguantur specie, de quo noo disputo ; quia hîc solùm tracto de coexistentiâ accidentium, quæ numero solùm sub eâdem specie distinguuntur. Ad confirmationem dico, species puro distinctas numero esse etiam phantasiæ denegandas. Illud quod subsumitur de habitibus, est acutè inventum, sed liberè negandum. Facilitas intelligendi non consistit in eo quod plures species numero puro distinctas habeas ; sed in eo potiùs quod intellectum meliùs dispositum habeas. Disponitur autem intellectus extrinsecè organi proportione, humorum temperamento, ac passionum corporearum absentiâ ; perficitur intrinsecè qualitate, vel modo aliquo superaddito, ut plerisque ; vel majori radicatione in animâ, ut aliis videtur : quam radicationem aliqui Thomistæ modum realem esse asserunt, & habitum possent appellare. Sed de habitibus suo loco disputabitur.

Quid sit habitus?

Perfectio extrinseca & intrinseca.

Quid sit radicatio?

Sanè concedere actibus accidentariis incompletis, quod possint simul esse in eodem

subjecto

An uno & eodē modo de actibus completis & incompletis, extremis & medio sit philosophandum?

subjecto licet distinguantur solo numero; & hoc ipsum negare actibus completis, impossibile est: quia illa ratio, quæ probat duas albedines distinctas puro numero non posse inesse eidem composito, vel est efficax, vel inefficax. Si sit inefficax, dicamus potiùs duo accidentia distincta numero (sive completa sint, sive incompleta) posse inhærere eidem subjecto; non enim propugnare debemus opiniones fulcitas ratiocinio debili. Quod si ratio sit efficax, æquè probat de accidentibus incompletis. Quoniam accidentia completa non possunt multiplicari puro numero in eodem subjecto, quia à subjecto sumunt individuationem; sed etiam accidentia incompleta à subjecto sumunt individuationem: ergò neq; hæc possunt in eodem subjecto numericè multiplicari.

Reiicitur modus loquendi.

Præterea, sive vocentur accidentia incompleta seu *incompleta actionis*, seu *incompleti actûs*, vox non placet; quia omnia accidentia complete & plenè informant subjectum, & in hoc nulla est inter accidentia distinctio: quòd si aliqua accidentia incompletè operentur, hoc pertinet ad genus efficiendi, non verò ad genus informandi. Genus autem efficiendi non individuat accidentia, sed genus informandi: accidentia enim non efficiendo, sed inhærendo individuantur.

Quomodo fiat intensio?

Objicis. Intensio fit additione plurium partium ejusdem qualitatis in eodem subjecto: ergò saltem sub specie qualitatis debent concedi plures partes distinctæ puro numero, quæ sint in eodem subjecto; quia si essent in diversis, non jam intensio, sed esset extensio qualitatis.

Respondeo negando antecedens. Intenditur forma, non cum major habetur, sed cùm magis habetur: magis habetur cum magis radicatur. Sed de intensione inferiùs.

Secunda sententia proponitur, & impugnatur.

DL. Accidentium alia sūt propria, & alia communia.

JAndunus 5. *Met. quæst.* 36. ab accidentibus communibus propria distinguit. Hæc sunt, quæ intrinsecè à subjecto emanant: communia quæ communicantur ab agente extrinseco. Intellectus, Voluntas, Phantasia accidentis propria sunt, manant à rationali animo, non enim à generante producuntur, ut albedo, calor, & aliæ primariæ ac secundariæ qualitates.

Hic author ergò, & ejus asseclæ, negant posse esse simul in eodem subjecto duo accidentia propria puro distincta numero; concedunt posse esse plura accidentia communia.

Non sunt multiplicanda entia absq; necessitate.

Non posse duo accidentia propria idem subjectum informare conantur probare sic. Frustrà fiunt per plura quæ possent per pauciora præstari, natura enim superfluas entitates abhorret; undè benè Aristoteles, *Deus & natura nihil frustrà operantur*, atqui plures intellectus distincti numero essent superflui in eodem animo: ergò non possunt dari.

An sit necessarium hoc axioma?

Assertio hæc vera est, sed inefficaciter probata. Ex illo principio Philosophico; *Frustra per plura fiũt, quæ possent per pauciora.* Probatur plausibiliter veriùs esse quod animus de facto habeat tantùm simplicem intellectum; non autem inde convincitur, quod non possit habere plures. Vestes non sunt præcisè necessariæ, sed ponuntur ad ornatum: ergò licet duo intellectus necessarij non sint, hoc non obstante possent poni in eodem animo ad ornatum. Ergò opus est recurrere ad alia fundamenta, ut hæc veritas probari possit.

De causarum concursu.

Posse duo accidentia communia, quæ numero puro differant, eidem subjecto inesse, probant sic. Posset idem lignum exponi duorum ignium activitati; ergò posset duos calores recipere distinctos numero. Patet consequentia, quia uterque ignis esset sufficiens illud subjectum calefacere; & uterque ignis potest producere calorem ejusdem speciei in eodem subjecto.

Sed hæc ratio non urget: quia principium individuationis non à causâ efficiente, sed à subjecto debet sumi. Dico igitur, quod in dato casu vel alter ignis priùs operaretur, & alter non: vel si uterque, uterque produceret eumdem effectum. Loquor sub distinctione, quia utrùm agentia duo, quorum alterutrum esset sufficiens totum effectum producere, possint concurrere ad eundem effectum, examino inferiùs.

EPILOGUS.

Formæ aliæ per motum & aliæ sine motu factæ.

ALij distinguunt aliter accidentales formas: puta in eas quæ fiunt vero motu, & in illas quæ sine motu fiunt: ita aliqui apud Suarium *disp.* 5. *Met. sect.* 8. *n.* 10. Ipse Suarius *ibid. n.* 14. *& deinceps.* sub aliquibus limitationibus resolvit istam difficultatem: alii autem sub aliis. Omnibus, brevitati & claritati studens, ex uno & eodem principio satisfacio, asserens omnes accidentales formas esse ex se universales & individuari à suis subjectis formaliter: unde sicut Deus non potest facere quod sis albus sublatâ albedine, sic non poterit facere quod hæc albedo distinguatur ab illâ, sublatâ inhæsione aut actuali aut aptitudinali. Cæterùm, cùm omnia accidentia in hoc univocè conveniant, dicendum est ea omnia, quomodocumque distinguantur, à subjecto individuationem sumere.

ARTICULUS IV.

Vtrùm duo accidentia puro numero distincta possint esse in eodem subiecto successivè.

DLI. Quæ accidentia successivè dicantur?

ILla dicuntur successivè quæ mediatè vel immediatè sibi ipsis succedunt. Hinc locus divisioni, quâ successio dividitur in immediatam & mediatam. Cùm inquiro, Utrùm duo accidentia, quæ solùm distinguuntur numero, possint sibi mutuò in eodem subjecto succedere? intelligendus sum de successione mediatâ. Hæc quæstio ab aliis sic proponitur, *Vtrùm duo accidentia ejusdem speciei possint eidem subjecto inesse in diversis temporibus?*

Verbi causâ. Heri calefactus sum ab igne A, & hodie oppressus frigore calorem illum perdidi, & accessi ad ignem B. à quo iterùm sum calefactus. Inquiritur; Utrùm ille calor, quem heri habui, & jam periit, iterum fuerit reproductus: an verò hodie habuerim calorem, qui numero distinguatur ab eo, quem habui heri?

Minùs vera sententia.

DLII. *Prima opinio.* Durandus, Marsilius, & alij, quorum meminit Suarius *disput.* 5. *Met. sect.* 9. *num.* 8. *& 2. tom.* 3. *part. disput.* 44. *sect.* 6. asserunt non solùm posse, sed & debere subjectum recipere accidentia distincta numero: hoc est, non posse accidentia perdita recuperare. Imponunt rebus necessitatem, nescio an ab eâ Omnipotentiam vindicent: hoc unum scio, quòd vel rationes ipsorum nihil probent, vel convincant nec divinitùs effici posse, ut accidentia quæ perierant, reproducantur. Pro istâ sententiâ arguitur sic.

An actio reproduci possit? Quotiescumque calor producitur, iteratur actio distincta ab eâ, quâ anteà fuit productus; actio enim reproduci non potest, sicut nec entia successiva: ergò etiam actionis illius terminus erit distinctus. Patet consequentia, quia ubi dantur diversæ actiones, diversi termini esse debent.

Præterea: si accidentia, quæ successivè producuntur, possunt esse idem numero; ergò & motus & temporis partes reproduci poterunt: & si possunt reproduci, fortè reproducuntur: imò verisimiliùs esset ea reproduci, supposito quod possint, quia non sunt multiplicāda entia sine necessitate; & si tempus reproduci posset, nulla esset ratio, quæ cogeret, ne hæc potentia de facto etiam admitteretur. Certè ex eo quod accidentia permanentia reproducantur, sequitur etiam & successiva reproduci: Quoniam tota ratio ob quam asserimus successiva entia non posse reproduci, est ipsamet successio; atqui, hâc non obstante, reproducuntur permanentia, ut supponitur, ergò etiam successiva.

Secunda opinio. Suarius *disp.* 5. *Met. sect.* 9. *num.* 8. *& 2. tom. in* 3. *part. disput.* 44. *sect.* 7. loquitur cum aliquâ limitatione, reproductionem accidentium causæ absolutæ concedit, naturæ negat. Deus, in ejus sententiâ, benè potest accidentia perdita reproducere; causæ secundæ, concessæ naturali ingenio & viribus propriis, non possunt.

Opinio Aristotelis exponitur & propugnatur.

DLIII. *Tertia opinio.* Propriùs veritatem tetigit Aristoteles, quem ipsius schola sequitur, nempè Peripatetica, asserens semper reproduci idem accidens, *quotiens agens & passum est idem*: hoc est, ut multi exponunt, quando agens & passum non distinguuntur numero: ita 8. *Met. text.* 11. Juxta hanc sententiam, asserendum est, potentias internas & externas circa idem objectum semper producere eumdem actum. Verbi causâ. Petrus actione continuâ respiciat hunc colorem per unam horam continuam, totâ illâ eliciet unum continuum actum: claudat oculos & iterùm respiciat eumdem colorem, non eliciet, inquiunt Peripatetici, novum videndi actum, sed reproducet perditum. *An vitales actus reproducantur?* Sic consequenter actus ille intellectualis, quo heri cognoscebam Petrum, non distinguitur numero ab illo, quo hodie ipsum cognosco.

Scotici mentem Stagiritæ altiùs examinantes, asserunt Philosophum sensisse semper reproduci idem accidens, quando agens & passum essent idem: nempè non solùm quando agens est idem cum passo, sed etiam quando in secunda productione accidentis est idem agens, & idem passum ac in primâ. Hæc expositio est textui valdè consentanea, & juxta eam dicendum est Petrum, qui heri recepit calorem à Sole, quem perdidit, hodiè à Sole recepturū esse eumdem calorem numero: quia in utrâque calefactione est agens idem, nempe Sol: & passum idem, nempe Petrus.

Qui verò velit sequi sententias Præceptoris Angelici, debet scire Aristotelem asserere semper in eodem subjecto eadem numero accidentia reproduci, etiamsi mutentur agentia agentia, ac propterea sit

DLIV. *Eodē modò de inhærentia simultanea & successiva erit philosophandū.* CONCLUSIO. *Non possunt in eodem numero subjecto produci duo accidentia, quæ distinguuntur numero, etiam si agentia sint diversa.* Ratio est, quia non minùs repugnat esse duo accidentia successivè in eodem subjecto; quàm simul; atqui impossibile est quod sint simul: ergò quod successivè. Majorem probo. Si duo accidentia purò distincta numero essent simul, sequerentur claræ contradictiones; atqui hæ etiam sequuntur, si fuerint successivè: ergò nec successivè possunt in eodem subjecto reperiri.

Accidens secundum se est entitas universalis. Probatur minor; quia tota individuationis ratio à subjecto desumitur: Accidens ex se est unum communicabile, & in pluribus subjectis multiplicatur: unde si non esset possibile nisi unum subjectum accidens esset unum numero: ut patet in intellectu Angelico, si stemus doctrinæ D. Thomæ; juxta cujus principia omnes Angeli differunt specie, ac propterea ipsorum *An Angeli differant specie?* prima proprietas intellectus, in omnibus debet etiam differre specie. Ille intellectus ex naturâ suâ universalis est, multiplicabilis est, in pluribus potest inesse, qui sint in eâdem specie: de facto tamen in pluribus non est, quia non sunt possibiles plures Angeli distincti numero. Sic similiter calor, quem habebam, heri periit, calor quem hodie recipio ex naturâ suâ aptus est esse in multis, aptus est secundum se (quia secundum se non est *hic calor*, est enim *hic* prout inhæret huic corpori) ut fiat numero distinctus à calore quem habui heri. Sim ego duo subjecta, distinguar à meipso, & tunc consequenter calor ille etiam multiplicabitur: Sed implicat me multiplicari numero, ergò & calorem meum; quia ego sum illi principium individuationis, & quousque ipse ego multiplicer, calor nullatenus multiplicabitur.

Ecce

Ecce natura Angelica & singularis humana (quo ad hoc) præcisè symbolizant. Si darentur plures Gabrieles distincti numero, etiam daretur intellectûs Gabrielis numerica multiplicatio; quia accidentis unitas & multiplicitas non nisi à subjecto est; sic similiter, si ego essem plures numero, etiam calor qui in me est multiplicaretur numero. Atqui ego hodie sum idem numero ac eram heri: ergò & calor, quem habebo hodie, erit idem numero, ac ille quem habebam heri.

Explicatur ampliùs. Subjectum ex se est indifferens, ut recipiat diversos colores, atque colore multiplicetur: quid si duobus temporibus recipiat eumdem colorem: erit sibi discolor, an concolor? ergò, si subjectum quod heri recepit albedinem erat album, & hodie recipiens iterum albedinem iterum fit album & non nigrum: similiter accidens, quod heri cum hâc individuatione erat accidens A, etiam hodie si eidem individuationi jungatur, erit etiam accidens A, & non accidens B. Atqui individuatio A accidentis est esse in subjecto A, ergò quotiescumque & quamdiucumque fuerit in subjecto A, erit accidens A, & quousque subjectum non mutetur, non mutabitur numero.

Hæc omnia, quæ expendimus, consonant Stagiritæ testimonio, quod suprà explicaverunt aliqui, quod resumo, ut penitiùs exponam. *Est idem accidens*, ait Aristoteles, *quotiens agens & subjectum est idem.*

Non sunt æquipollentes propositio assertiva & exclusiva.

Respondeo primò, posse sustineri textûs illius alterutram expositionem, ibi enim Aristoteles assertivè loquitur, & nihil negat. Si dicas, illa accidentia non distingui puro numero quæ producuntur ab agente, quod à passo non distinguitur realiter; verùm dicis: si addas, illa tantùm non distingui numero; asseris falsum, quia etiam aliàs accidens reproducitur. Si sis Scoticus, & dicas tunc reproduci idem accidens, cùm eadem est causa & idem passum, assentior: si addas tantùm tunc reproduci, inficias ibo. Vera est hæc propositio, *Europæi homines sunt rationales*; falsa hæc, *Tantùm Europæi homines sunt rationales*. Ideò dicendum est Aristotelem non posuisse *tantùm* in hoc asserto, quia sciebat præter illum casum dari plurimos in quibus posset forma accidentalis reproduci. Sed esto. Definierit Aristoteles casum, in quo accidentia reproducerentur. Esto asseruerit, tantum in illo casu accidentium fieri reproductionem. Dico nihilosecius, aut errare expositores & interpretes, cùm litteram Philosophi expendunt; aut si benè interpretentur & expendant, ipsum Aristotelem errasse.

Solutio facilis ad omnia argumenta ab authoritate petita.

Argumentis partis contrariæ satisfacio.

DLV. POsito eodem subjecto & diversis temporibus, non posse eumdem calorem reproduci asserebant Marsilius & Durandus: debere reproduci, resolvimus. Illi reproductionem Divinæ omnipotentiæ negant; nos non solùm viribus naturæ concedimus, sed etiam adjungimus necessitatem. Implicat contradictionem dicimus dari duo accidentia distincta puro numero, quæ eodem vel diversis temporibus actuent idem subjectum. Ergo ex diametro Durandum & Marsilium respicimus strenuos milites: eorum igitur argumentis occurramus.

Ad primam rationem nego agens producere calorem hodiè actione diversâ ab illâ; quâ calorem producet cras. Pro hujus veritatis intelligentiâ notandum est breviter id quod inferiùs latè expendo, nimirùm actionem esse relationem efficientiæ, quæ est in agente ad passum. Considero in eâ duplex *esse*, nempe *esse in* & *esse ad*. Actio secundum *esse in* semper est eadem, quotiens in eodem agente. Relationis *esse ad* non multiplicatur, ni termini multiplicentur. Hinc carpendus Durandus est, quod ex pluralitate actionis voluerit inferre termini multiplicitatem: cùm potius ex unitate agentis & termini inferre debuisset actionis singularitatem. Deo negat reproductionem accidentium, & in hoc non placet: graviter erravisse à Suario *Met. disp. 5 sect. 9. num. 4. & 2. tom. 3. part. disput. 44. sect. 7.* asseritur: & qui neminem censeo, non auderem hanc opinionem excusare.

Actiones fluunt & refluunt.

Actio est relatio.

Secunda non urget. Quia in mobili considero impulsum, is est virtus expulsiva impressa in projecto, quâ id fugit projectorem. Hæc permanens est, & in eodem projecto nunquam distincta numero. Est etiam spacium quod percurrit, & id semper remanet. Est prætereà successiva ubicatio projecti: quæ relatio est corporis ad spacium, & secundum *esse in* semper est eadem, secundum *esse ad* successivè mutatur numero. Si contingeret quod idem mobile per idem spacium iterum moveretur, motus esset ipsissimus. Spacium fortè Immensitas est, quæ indivisibilis cùm sit, formaliter est divisibilis, componiturque ex infinitis atomis immaterialibus increatis & identificatis infinitè. Ubicatio est participatio finita immensitatis. Sum hic, & non ibi, & fortè, quia habeo hanc realem ubicationem & non illam: & fortè quia dico relationem coexistentiæ ad hanc formalitatem Immensitatis, & non ad illam. Nec major est difficultas de tempore quam fuit de loco. Æternitas realiter simultanea est, formaliterque successiva. Realiter est indivisibilis, formaliter componitur ex infinitis *nunc* identificatis ordine successivo. Tempus est finita participatio Æternitatis. Sum in hoc tempore, & non in illo; quia dico relationem coëxistentiæ ad hanc formalitatem Æternitatis & non ad illam. Reproduci idem tempus diversis temporibus, idem est ac reproduci eandem ubicationem in diversis locis. Potest divinitùs fieri, quod ego Lovanij sim & Romæ; non potest divinitùs fieri quod hæc ubicatio quam hic Lovanij habeo, sit Romæ. Sic similiter potest Deus facere quod sis in instanti A & in instanti G, sed quod instans A sit in instanti G, efficere non potest. Sed de hoc uberiùs, cùm de tempore & ubicatione.

Spacium quid?

Quid ubi?

Qualis æternitas?

Expen-

Expenditur sententia Rabbinorum.

DLVI. *An tempus sit principium individuationis?*

NOster Corduvensis Rabbi Moyses in doctissimo illo opere, quod inscripsit *More nebuchim*, recenset sententiam Doctorum Hebræorum asserentium accidentia individuari à tempore, ac propterea ea esse in perpetuo fluxu, ac singulis momentis mutari. Dabo ejus formalia verba juxta translationem Joannis Buxtorfij, quia liber rarus est, primò ab Authore arabicè conscriptus, & posteà à nostro Hispano Rabbi Samuele Aben Tybbon hebraicè editus, & nuper à Buxtorfio in linguam latinam translatus. Ait igitur R. Moyses *libri citati part. 1. cap. 73. Propos. 6.*

An sint accidentia instantanea?

[Propositio sexta est, *Nullum accidens durare per duo momenta.* Cujus propositionis hic est sensus. Existimant Deum cùm substantiam aliquam creat, simul & eodem momento quoque creare cum illâ accidens aliquod: neque enim Deum posse substantiam creare sine accidente: esse hoc ἀδύνατον. Accidentis autem hanc esse rationem, quod nequidem per duo momenta durare & superstes esse possit, sed quamprimùm creatur, rursùs interire, Deumque statim aliud creare ejusdem speciei: quod cum perierit, iterùm aliud: & sic consequenter fieri in omnibus accidentibus, quorum speciem Deus vult conservare .... Atque hæc est sententia plerorumque. Quidam verò ex sectâ *Muatzali* dicunt, quædam Accidentia ad certum tempus permanere & durare; quædam verò nec per duo quidem momenta. Verùm non habent certam aliquam seriem vel catalogum ut possint dicere: hæc accidentium species manet, ista verò non.] *Et propos. 7.* sic ait, [Credunt privationes habituum esse res existentes in corpore, substantiæ ipsius additas; & esse quoque accidentia existentia, quæ semper & continuè creantur: quamprimùm nempè aliqua perit, alia creatur .... Ut reliqua accidentia ne quidem per duo durant instantia .... Ignorantia ipsis est Ens, & quidem accidens: ideòque quamprimùm est creata, perit iterùm: eâque pereunte, illicò creatur alia, quamdiù subjectum in ignorantiâ permanet. Ita pariter dicunt, vitam & mortem esse accidentia, & palam affirmant, quod vita pereat, & alia quotidiè imò singulis momentis creetur, quamdiù vivit, quod vitâ est præditum] Huc usque R. Moyses.

An substantia accidentibus carere possit?

Schola Muatzali.

Fundamentum hujus sententiæ primum, Subjectum bifariam considerari potest, materialiter, & formaliter. Materiale subjectum accidentium est ipsa subjecti entitas in esse rei sumpta. Formale est prout connotat hoc tempus potiùs quàm illud. Hanc etiam subjecti differentiam admittunt & expendunt Salmanticenses. *1. p. tract. 1. disp. 2. nu. 12. & nu. 64.* ita & Thomisti plurimi.

Fundamentum secundum. Subjectum materiale non potest esse principium individuationis accidentium, quia hoc pertinet ad subjectum formale. Ita Salamanticenses & alij.

Hinc necessariò oritur non posse duo accidentia distincta numero esse simul in eodem subjecto: non posse idem accidens reproduci in eodem materiali subjecto in diversis temporibus, & hoc etiam de potentiâ absolutâ.

Notent hoc Thomistæ & Salmanticenses præcipuè.

Non posse duo accidentia distincta numero esse simul in eodem subjecto suppositis his Thomistarum & Rabbinorum fundamentis, demonstratur accomodando illud ratiocinium, quod superiùs expendimus, quoniam ubi datur simplex principium individuationis, debet dari simplex individuatio; atqui subjectum formale (hoc est prout respicit hoc tempus) est simplex principium individuationis; ergo formæ accidentali, quam individuat, simplicem singularitatem debet dare.

Eodem argumento convincitur non posse idem accidens numero in eodem subjecto reproduci. Quia ubi datur duplex principium individuationis, debet dari duplex individuatio; atqui Petrus, verbi gratiâ, in duobus temporibus diversis est idem subjectum materiale, sed duplex subjectum formale: ergo qualitati communicat duplicem individuationem. Patet consequentia: quia Petrus duplex subjectum formale est, & in quantum subjectum formale (non tamen in quantum materiale) est principium individuationis.

Hinc constat esse omnia accidentia in horum authorum opinione Entia successiva nec remanere duobus momentis posse. Subjectumque habere eamdem albedinem hodiè quam heri, non entitativè, sed continuativè, eò sanè sensu quo dicimus esse idem tempus, eumdem annum: quia sicut ex multis temporis partibus componitur annus continuus, sic ex successivis albedinis partibus continuis componitur una albedo, quæ toto illo tempore constituit subjectum illud in esse albi.

An sicut fluvius, sic & accidentia sint in fluxu perpetuo?

Aliqui Thomistæ asseruot qualitates esse formalitates permanentes: ergo malè supponunt à tempore individuari: quia sicut duo tempora diversa dant qualitati duas singularitates diversas; sic unum tempus in successivas partes divisibile debet communicare qualitati hæcceitatem unam continuam conflatam ex partibus etiam successivis.

Confirm. Hæc pars subjecti in hoc *nunc* temporis recipit partem qualitatis distinctam à qualitatis parte quæ inhæret in aliâ parte subjecti: & hoc est certum, quia albedo quæ in hoc instanti A inhæret manui, non est albedo quæ inhæret pedi, aut aliis partibus humani corporis; quamvis ex omnibus istis partialibus albedinibus conflerur una integra albedo quæ informet totum corpus.

Sic similiter. Petri manus totâ hac horâ est unum subjectum formale, quia est entitas cum uno tempore: est tamen divisibile in plura subjecta formalia partialia continuata; ergo manus totâ horâ habebit etiam unam albedinem conflatam ex multis partibus albedinis successivis. Ratio est; quia tempus quod jam

transit (puta primum instans horæ) non est hoc instans ultimum horæ: ergo si à tempore sumitur individuatio, dicendum est albedinem, quæ erat in primo instanti horæ non esse hanc, quæ est in ultimo horæ instanti; esse tamen illi continuam mediis albedinis partibus, non secùs ac instans horæ ultimum continuatur primo mediis aliis temporis partibus.

Accidens dupliciter consideratur in fieri, & in facto esse.

Audivi aliquos ne in Rabbinorum sententiam inciderent, dicentes subjectum prout tempore affectum esse principium individuationis accidentis in fieri, non autem in facto esse; ac propterea accidens semel eductum posse in suo subjecto permanere: & consequenter qualitates esse Entia permanentia, & in hoc simillima substantiis ipsis.

Potest hoc acumen roborari politicis experimentis. Diebus Dominicis fabrilia nequeunt fieri; facta tamen diebus aliis, perseverant diebus Dominicis: quia illam circumstantiam temporis non festivi requirunt artefacta in fieri, non autem in facto esse. Ergo similiter qualitas hæc potest tale tempus petere ut fiat, & nihilominus semel facta poterit in alia tempora perseverare.

Acuta, non tamen solida speculatio est. Fabrilia nec in fieri, nec in facto esse pendet à circumstantiâ temporis non festivi: faber unus dependet, unde si is die Dominicâ operaretur, etiam & illa fierent. Quod si daretur opus servile aliquod quod non solum penderet ab artifice in fieri sed etiam in facto esse, etiam in facto esse penderet ab illa circumstantiâ temporis. Puta, sustinere pondus opus servile sit, utile sit, fieri non possit in die Dominicâ, ergo nec erit; patet, quia petit non solùm à suo principio fieri, sed etiam conservari.

DLVII. Singularitas in esse & conservari à subjecto dependet.

Hinc ad accidentia naturalia transitus. Hæc pendent à suo subjecto formali non solùm in fieri sed etiam in conservari, quia sublato subjecto ipsa etiam pereunt. Ergo subjectum ea individuat semper, ergo vel semper idem subjectum est, vel accidentia non habent semper eandem individuationem. Si hæc non habent semper eandem individuationem sed successivam Entia permanentia non sunt. Si subjectum formale toto anno est idem, non constituitur connotatione ad tempus, hoc enim singulis momentis variatur.

An una albedo numero sit in omnibus albis?

Sequitur ex Thomistarum sententiâ idem accidens debere simul esse in duobus subjectis realiter distinctis, nempè in hoc instanti A esse eandem numero albedinem in omnibus corporibus albis, quæ sunt in mundo. Consequens est contra ipsorum opinionem; sed probo consequentiam. Subjectum materiale non est principium individuationis accidentium, sed formale: atqui omnia subjecta in instanti A sunt idem subjectum formale: ergo dabunt eandem individuationem. Consequentia est evidens, minorem probo. Quia omnia corpora in instanti A connotant idem numero tempus; atqui hac connotatione constituuntur in esse subjecti formalis; ergo solùm datur in rerum naturâ unum subjectum formale, & materialia multa: ergo vel in rerum naturâ hoc instanti A dabitur solùm una albedo numero, vel dicendum est substantias secundum se & non prout connotant tale tempus, esse subjecta formalia accidentium: & consequenter dicendum est easdem secundum se esse principium individuationis accidentium.

Tota ratio agendi.

Dices, non solùm à tempore, sed à subjecto & connotatione temporis sumi individuationem. Jam non Thomistam agis. An admittis partiales causas? an non calor est tota ratio calefaciendi? & lumen gloriæ tota ratio videndi? cur non connotatio talis temporis, tota ratio individuandi? sed esto subjectum & connotatio temporis sint principia individuationis partialia, superest decernere, quid præter alterutrum.

Individuorum classes & subclasses.

Assens te considerare varias series individuorum, & in quâquâ plurima individua. Addis subjectum materiale determinare accidens quoad seriem, non verò quoad individuum, quia hæc determinatio pendet solùm à temporis connotatione. Hinc esse quòd hoc instanti A sint plures albedines in mundo, quia in quocumque subjecto est albedo ex serie illi propriâ desumpta.

Sed hæc solutio corruit negotio facili: quia albedo hujus seriei & albedo alterius seriei differunt puro numero, vel non. Si non, ergo distant specie, quod est absurdum. Si differunt puro numero, ergo non est albedo hujus seriei ulterius contrahibilis ad hanc & illam hujus seriei, quia illud dicitur esse individuum quod ulteriùs contrahi non potest. Ergo non obstãte solutione ex suâ sentẽtiâ sequitur non esse in toto mundo nunc (nempe hoc instanti) duas albedines distinctas puro numero, quia vel debent dissidere specie, vel convenire etiam numero.

An deficiente tempore (puta, si substantia esset nunquam) darentur reales qualitates?

Præterea, licet objectis nostris Rabbini satisfacerent, non possent ostendere rationem aliquam congruam, quæ suadeat subjectum formale constitui connotatione temporis; quia inde sequeretur deficiente tempore omnia accidentia peritura, quod est absurdum. Sequelam probo, quia non daretur ipsorum subjectum formale.

Deinceps; connotatio illa temporis etiam est accidens & mutatur: detur ergo principium individuationis. Nec valet dicere esse individuam *ut quo*. quia illa connotatio temporis non est hæcceitas, hæc enim una & sola est individua, *ut quo*. quia sicut calidum *ut quo* dicitur quod constituit calidum *ut quod*, sic individuum *ut quo* solummodò dicetur illud quod constituit individuum *ut quod*, hoc autem non est connotatio temporis, sed individuatio.

An connotatio temporis sit individuatio?

Tandem, si connotatio temporis est individuatio, cur Thomistæ aliqui subscribunt in reliquis scholæ Rabbinorum, & posteà inconsequenter asserunt qualitates esse formalitates permanentes? quia si connotatio temporis est individuatio, individuatio successiva erit, quia connotatio illa non nisi successiva est.

An sit individuatio successiva?

Deni-

Denique, si subjectum signatum connotatione temporis est principium individuationis permanentium accidentium; cur & materia signata eâdem temporis connotatione non esset principium individuationis substantialis? Quia sicut multi admittunt sigillari quantitate materiam, non recipiendo ipsam quantitatem, sed connotando; sic possent etiam dicere sigillari tempore, non recipiendo id, sed connotando.

Rejicitur Rabbinorũ doctrina. CONCLUSIO. Maneat igitur integrum temporis connotationem inutiliter à Rabbinis inventam esse, & ineptè ab aliquibus Thomistis admissam; quia in viâ Thomisticâ dicendum est composita substantialia nudè sumpta (hoc est abstracta a tempore vel constituente ut formâ, vel terminante ut connotato) esse subjecta formalia accidentiũ; constituuntur enim in ratione subjecti receptivâ potentiâ, non verò connotatione temporis. Sitque per consequens liquidum, subjecta abstracta ab omni connotatione temporis esse proximum principium individuandi actus accidentales.

ARTICULUS V.

De principio intrinseco individuante formam substantialem.

DLXVIII. An formæ substantiales sint multæ? SPecies rerum substantialium in aliquorum sententiâ sunt paucissimæ, in aliorũ opinione prorsus innumerabiles. Nulla est minutissima animans, quæ si figurâ ab aliis differat, non asseratur etiam specie dissidere. Suppono Naturam substantialem (puta Humanitatem, &c.) habere aliquam substantialem formam; abstraho ab hoc quòd formæ hujusmodi differant aut numero aut specie; solùm examinare intendo, Utrùm substantialis forma, quæ in composito est, sit radix prima individuationis, à quâ reliquæ hæcceitates substantiales oriantur? hoc est, Utrùm mutatâ formâ Humanitatis A, debeant substantialia omnia, imò & ipsamet materia numero mutari? *An in corruptione fiat transsubstantiatio?* & est idem, ac petere, Utrùm sint verè transsubstantiationes illæ, quæ vocantur conversiones seu generationes substantiales?

Sententia prima.

FOrmam esse principium individuationis asseruit noster Corduvensis Averroës, Hispaniæ & sui sæculi decus 1. *de anim. c.* 7. *& libr.* 2. *in princ. & com.* 7. 8. 9. *&* 60. *&* 3. *Physic. com.* 60. *& libr.* 4. *com.* 38. Avicenna 6. *naturalium part.* 1. Subscribunt Niphus 5. *Met. disput.* 5. Sebastianus Perez Oxomensis Episcop. 3. *de anim. concl.* 1. Zimara *theor.* 97. Pro hâc sententiâ citari solet Durandus *in* 2. *dist.* 3. *q.* 2. solet exponi, sed nullus author, meo judicio videtur sententiam hanc severiùs tueri quam ipse. Suarius *d.* 3. *Met. sect.* 4. *Suarius male citatur.* citatur à Salmanticensibus 1. *p tract.* 1. *disp.* 1. *dub.* 1. §. 2. Sed immeritò, quia Suarius *n.* 6. ait, *Simpliciter dicendum est, formam solam non esse plenum & adæquatum principium individuationis rerum materialium.* Ut clariùs procedam, ponam asserta illa quæ defendendæ huic sunt sententiæ necessaria.

Assertum Primum.

FOrma est causa efficiens dispositionis ultimæ. Est commune in D. Thomæ Scholâ, & â me probatur inferiùs: & tametsi evidenter demonstrari non possit, solet gravibus ratiociniis firmari. *DLIX. De ultimâ dispositione.*

Assertum secundum.

NUllum accidens est principium individuationis formæ substantialis. Traditur expressè à D. Thomâ *opusc.* 70. *q.* 4. *art.* 2. *& opusc.* 15. *c.* 7. 7. *Met. lect.* 5. *& in* 4. *dist.* 12. *qu.* 1. *a.* 2. *qu.* 3. *ad* 3. Quem sequitur Suarius *Met. disp.* 5. *sect.* 6. *nu.* 5. *DLX. An accidens sit principium individuationis formæ substantialis*

Probatur. Illud quod est fons & principium alterius debet esse prius originato; atqui forma substantialis est prior accidenti: ergo ab illo non potest sumere singularitatem. Minorem probant. Accidentia vel sunt in materiâ, vel in formâ, vel in composito: ergo forma est prior omni accidenti. *Substantia est accidente prior.* *Primò* eam præsupponi accidentibus, si inhærent formæ, est per se notum; ergo si dicatur accidentia omnia inesse formæ, ab accidenti non poterit forma sumere singularitatem. Si autem dicas aliqua accidentia inesse formæ, reliqua vel materiæ vel composito; habebimus, quod ea accidentia saltem, quę sunt in ipsâ formâ, sint posteriora illâ; ac proptereà illa accidentia non posse formam individuare; ratio est, quia esse principium individuationis est exigere hanc singularitatem, ergo si forma substantialis existit ante accidẽtia illa, quæ sustinet; pro illo priori fuit, *hæc*, non tamen ad exigentiã accidentium, quæ nondum erant. *Secundò* hæc eadem ratio militat contra accidentia, quæ asseruntur composito inhærere; quia hæc sunt posteriora composito, actus enim est posterior subjecto: compositum est posterius formâ, quia totum est posterius parte: ergo accidens quod in composito est; posterius est formâ, ac proptereà non potest exigere eam esse talem. *Tertiò* superest comparare formam cum accidentibus quæ in materia asseruntur. Et hæc esse debent in triplici differentia, quia alia habent oppositionem cum formâ, alia disparatè se habent, & alia habent connexionem. *Tres accidentium classes.* Sanè accidentia illa quæ habent aliquam oppositionem cum formâ, ut frigus cum igne, non possunt esse origo individuationis formæ; *Opposita.* quia non solùm non exigunt hanc formam numero, sed ingenio suo petunt hujus formę expulsionem, quia si accidentia illa non adspirarent in ruinam formæ, non dicerentur formæ esse contraria. Accidentia, quæ nullam habẽt connexionẽ cum formâ, ut figura ovalis respectu formæ lapidis, non possunt esse individuationis fons, quia si hanc formã individuam illa exigerent, haberent necessariam connexionem cum istâ formâ, ac proptereà non essent disparata ut supponitur. *Disparata.* Ergo superest examinare, utrùm ab accidentibus, quæ formæ connectuntur, individuationem sumat forma?

Illa accidentia dicuntur formæ esse connexa, quæ sunt ipsius dispositiones. *Connexa.* Dispositio est duplex necessaria & remota. *Dispositio quotuplex?* Necessaria ultima dicitur, quia hæc necessariò conjungitur cum formâ, & subjectum prædeterminat, ut ipsamet recipiat. Dispositio remota est, quæ ordinatur ad formã remotè atque mediatè, hoc est,

mediâ ultimâ dispositione. Dispositio remota non infert necessariò hanc formam imò nec formam, sæpè enim calefit manus, & non ideò fit ignis: ergo dispositio remota non est origo formæ quà individuæ; hoc est, non est principium quod necessariò postulet hanc individuam formam.

Tota igitur difficultas reducitur ad ultimam dispositionem. Sed ab eâ se expediunt negotio facili; quia, ut asserto primo supponebatur, ultima dispositio efficienter provenit à formâ: & ex duplici capite ostenditur formam non sumere individuationem ab ultima dispositione. Primò, quia forma substantialis est ante ultimam dispositionem; secundò quia est causa efficiens ultimæ dispositionis: & tamen ab effectu an entitate posteriori, non sumitur individuatio causæ.

Assertum Tertium.

DLXI. **M***ateria non est principium individuationis formæ substantialis.*

Prob. 1. Principium debet esse actu, hoc est, existere ante principiatum; atqui materia prima non existit actu ante formam: ergo non potest esse principium individuationis formæ. Minorem probo. Existit existentiâ formæ: ergo non existit ante formam. Patet consequentia: quia existere existentiâ formæ, est recipere existentiâ à formâ: ergo, si recipit existentiam à formâ, est posterior formâ. Sanè materiam primam existere existentiâ formæ asserunt omnes Thomistæ, ut vidimus suo loco. *An materia existat existentiâ formæ?*

Prob. 2. Est particularis difficultas erga Animam rationalem, & probo hujus individuationem non oriri ex materiâ. Ratio est; quia fit independenter à materiâ: ergo ejus individuatio non dependet à materiâ. Patet consequentia: quia si individuatio dependeret à materiâ, ipsa etiam anima dependeret à materiâ: quia ipsa anima est sua individuatio. Quod anima non dependeat à materiâ in *fieri* probo: quia non educitur, sed creatur: quod non dependeat in *facto esse* constat, quia in statu separationis erit individua, & nihilosecius nullam materiam informabit. *An Anima à materiâ dependeat?*

Confirmatur. Anthropophagi in causâ sunt, ut felicissima ingenia torqueantur in quirentia, quomodò in resurrectione carnis caro illa restituetur, quæ fuit nutrimento alij personæ. Cæterùm etiam favet horum barbaries hominum huic conclusioni, & ex illâ instituo casum sic. Petrus comedatur ab Anthropophago, substantia Petri converteretur in substantiam alius, ergo materia quæ erat sub anima Petri, posteà erit sub anima barbari: ergo eadē materia potest recipere successivè in mundo duas animas, quæ numero solùm distinguantur. Posteà sic. In carnis resurrectione illam materiam eandem numero utraque anima repetet, quia debemus resurgere in nostris corporibus, non in alienis; Ergo post resurrectionem universalem, eadem materia habebit simul duas animas distinctas numero. Materia igitur non est principium singularitatis. *De sanctis comestis à barbaris unde insurrexit disputationem integram. An eadem materia possit duas formas numero distinctas recipere?*

Assertum quartum.

F*Orma se ipsâ est singularis, nec ab aliquo principio à se distincto individuationem recipit.* Probatur à singularium sufficienti enumeratione: quia non individuatur ab accidentibus, non à materiâ, non à causis extrinsecis: ergo restat quod à se ipsâ individuetur. DLXII. *Assertio quæstioni respondens.*

Assertum quintum.

F*Orma est principium individuationis materiæ primæ substantialis.* Est Avicennæ 6. *naturalium part.* 1. ubi ait, *formam dare subjecto* (hoc est materiæ) *unitatem numericam.* Cui subscripsit Durandus citatus à Suario *disp.* 5 *Met. sect.* 4. *n.* 2. Ex hoc asserto sequitur *primò*, quod in conversione substantiali mutatâ formâ etiam debeat mutari numero materia, quia hæc individuationem sumit à formâ. Sequitur *secundò*, quod eadem numero materia nec simul nec successivè possit recipere duas formas. Sequitur *tertiò*, non esse eandem numero materiam hominis mortui & vivi: quoniam Anima & cadavereitas sunt duæ formæ, ac propterea constituunt duas materias. Sequitur *quartò*, in carnis resurrectione materiam illorum, qui devorati sunt à bestiis, piscibus, & barbaris, non esse ab horum visceribus petendam, quia periit in instanti mortis; sed debere reproduci in die resurrectionis: aut, si hoc non placeat, sequetur saltem quamcumq; materiam animæ resurgentiū assumant perinde esse; erit enim eadem numero, quæ fuerat antè, modò assumant. DLXIII. *An materiæ individuatio sumatur à forma? Forma cadaveris. Carnis resurrectio.*

Hoc asserium sic expositum probatur breviter. Divus Thomas *quæst. unicâ de anim. art.* 1. *ad* 2. ait unum quodque secundum idem habere *esse* & individuationem; atqui *esse* habet materia à formâ: ergo & individuationem. Minor est communis apud Thomistas, atque plurimos alios. *An materia existat existentia formæ.*

Secundò. Est commune axioma Philosophicum. *Genus sumitur à materiâ, differentia autem à formâ*: atqui materiæ individuatio differentia est: ergo à formâ sumetur. Probatur antecedens: Quia per hæcceitates differunt individua ejusdem speciei.

Tertiò. Forma est primum & radicale principium unitatis specificæ, quam habet materia: ergo etiā unitatis numericæ ejusdem materiæ. Probatur consequentia. Forma singularis est principium reale actuale unitatis specificæ singularis, quia nihil reale potest esse principiū alicujus rei quà universalis; Ergo anima rationalis, verbi gratiâ, est principium propter quod materia prima est materia humana: ergo hæc anima rationalis erit principium, propter quod materia prima sit hæc materia humana. Ergo primæ materiæ individuatio exoritur à forma. *Principium unitatis specificæ.*

Vera Sententia exponitur, & propugnatur.

DUo sunt certissima in scholâ Angelici Doctoris. *Primum*, Concreta substantialia sumere ecceitatem ab Ecceitate Formæ: *Alterum*, Formam sumere individuationem à Materia. Hanc non singularizari à Forma certum est, Forma enim tantùm dat constitutionem specificam, non verò purè individualem. Constat ex ... pluribus, DLXIV. *Certa hypothesis.*

pluribus Aristotelis, & D. Thomæ testimoniis, quæ dabimus inferiùs.

Hanc conclusionem Salmanticenses t. *pag. tract. 1. disp. 1. dub. 1. n.* 12. confirmant hâc ratione. Unitas, quam Materia recipit à Formâ, est unitas specifica: ergo non est distinctio purè individualis. Probatur antecedens. Unitas specifica est unitas formalis, quia est unitas & distinctio secundùm essentiam, quæ est quid formale in unâquâque re; unitas numerica est materialis; ergo numerica unitas exoritur ab ipsâmet materiâ.

An hæc ratio sit efficax? Hanc rationem adeò efficacem judicant, ut eâ rectè expensâ corruant facilè omnia arma, quibus impetitur ab adversariis. Verùm, si rem fatear, hæc ratio magna ex parte nititur in nominis appropriatione: Individuationis differentiæ supponuntur materiales esse, ut inde inferatur eas à materiâ procedere. Quid si hoc adversarii negent, & asserant individua differre formâ individuali? quid si dicant speciem non esse formam individuationis, sed individuationem formam individuantem speciem? Verè,

Cur individuatio dicatur contractio materialis? vel unitas materialis impropriè dicitur, cùm forma ea sit: vel saltem materialis dicitur quasi corporea, quoniam ultimò substantiam corpoream physicam constituit in esse hujus singularis: & sicut vestis humana dicitur, quòd afficiat hominem, sic etiam hæccitas materialis seu corporea dicetur, quòd contrahat specificam substantiam materialem.

Quid sit individuatio? Assero igitur individuationem sive singularitatem formam esse constitutivam individui in esse talis: addo speciem formaliter contrahi per differentias individuantes, non secùs ac Genus per specificantes: dico tandem formæ substantialis individuationem non à formâ, sed à materiâ sicut à primo fonte oriri, ita ut deficiente materiarum pluralitate, deficeret etiam formæ substantialis multiplicatio. Hinc constat optimè vocari individuationes *principia materialia*, *Principia materialia.* utpotè quæ à materiâ oriuntur. Probaturum igitur istam sententiam juvat eam distinguere per partes, ut omnia clariùs, atque liquidiùs innotescant.

I. Conclusio.

DLXV. *Forma substantialis secundum se non est singularis; sed est universalis, hoc est, multiplicabilis & communicabilis multis subjectis.* Pendet ex dictis pro Universalitate reali, qualem Platonici, Peripatetici licet inviti, Thomistæ in materiâ primâ, Joannes Marcus in formâ substantiali, Averroës in quantitate aut etiam qualitate, defendit.

II. Conclusio.

DLXVI. *Forma substantialis multiplicatur numero cum in pluribus materiis, seu subjectis residet.*

An materia prima sit subjectum? Multi asserunt quod forma substantialis non sit in subjecto, sed in materiâ. An non hæc, primum subjectum substantiale? Nec contra nos militant Angelici Doctoris verba. *Opusc.* 31. *in princ. art. Dicitur quod accidens sit in subjecto, non autem dicitur quòd forma substantialis sit in subjecto; &*

Subjectū & materia differunt: *secundum hoc differt materia à subjecto: quia subjectū est quod non habet esse ex eo quod aliquid ei advenit, sed quòd est per se, & habet esse completum. Ut homo non habet esse per albedinem.*

Interim dicendum est formam substantialem esse in materiâ primâ ut in proprio subjecto: quia hæc definiente Aristotele *libro 1. Phys. c. ult. text.* 8. est primum subjectum uniuscujusque rei.

Quid igitur ad Angelici Doctoris verba? *Subjectum duplex.* dico subjectum bifariam posse sumi: quia aliàs subjectum est ens in actu, aliàs est pura potentia. Subjectum actuale non potest dici materia prima, quæ in quantum subjectum primum est, non est in actu. Ideò accidenti concedimus subjectum actuale, hoc est, in actu existens: formæ autem substantiali (nempè unicæ, si non dentur plures subordinatæ: aut saltem primæ, si plures dentur) concedimus subjectum potentiale. Hinc facili negotio conciliari possunt Aristoteles & D. Thomas. Ille asserit primam materiam esse subjectum potentiale; Doctor Angelicus negat esse subjectum actuale, hoc est, in actu existens ante formam.

Sic debere verba D. Thomæ intelligi constat ex ipsomet in aliis locis. Dabo fortissimam periodum ex libro 5. Physicorum citato à Complutensibus *disp. 2 de gener. subst. qu. 6 n.* 68. ubi ait S. Doctor. *Subjectum verò formæ substantialis non est aliquod ens in actu, sed ens in potentiâ tantùm, scilicet materia prima, quæ in principio generationis est sub privatione, in fine verò sub formâ.* Ecce admittit materiam primam formæ substantialis subjectum, non actuale tamen, sed potentiale.

Coclusio sic exposita efficaciter potest probari, & primò authoritate D. Thomæ 1. *p. q.* 50. *Forma omnes separata essent una.* *art.* 40. *in corpore* dicentis; *Impossibile esset dicere quod essent plures albedines separatæ, aut plures humanitates,* (hoc est hominis formæ substantiales) *cum albedines non sint plures* (& idem intellige de formis substantialibus, quia aliàs ineptè à D. Thomâ exprimerentur) *nisi secundum quod sunt in pluribus substantiis.* Ergo ex mente D. Thomæ tunc forma tàm substantialis quàm accidentalis augetur, cum pluribus subjectis inest.

Secundò ratione probatur eadem cōclusio: Illa dicuntur individua, quæ ultra non possunt contrahi; atqui forma ignis ut sic & in specie sumpta, potest contrahi ad hanc formam ignis, & ad illam formam ignis; ergo est forma specifica. Præterea detur subjectum A, & subjectum B. dico hanc ignis formam in subjectis his numericè multiplicari: ratio est, quia forma ignis prout est in subjecto A, non est communicabilis subjecto B; & prout est in subjecto B, non est communicabilis subjecto A. atque ideò in subjecto A. individuatur individuatione subjecti, seu materiæ: & in subjecto B similiter materiæ individuatione singularizatur.

Probatur tertiò. *Idem esse principium constitutivum & distinctivū* asseritur cōmuni pronuntiato. *Exponitur unum Axioma.* Hæc propositio in sensu formali falsa est, quia sicut homo dealbatur albedine, & est dissimilis dissimilitudine; sic etiam constitutione constituitur, distinguiturq; distinctione: unde est falsum dicere esse idem constituendi atque distinguendi principium, quia distinctio non est constitutio. Eadem propositio in sensu fundamentali est vera, quia eadem formalitas, quâ res cōstituitur, est formalitas, in quâ res distinguitur ab aliâ. Scyta albedine constituitur in esse albi;

& eadem albedo est entitas, in quâ est dissimilis Æthiopi nigro. Non secùs metaphysicè. Rationale est formalitas constituens hominem in ratione speciei; ergo eadem rationalitas est formalitas in quâ humana species à speciebus expertibus rationis differt. Ac tandem eâdem analogiâ servatâ. Hæceitas A est formalitas constituens individuum in esse individui A: ergo etiam est ratio, in quâ differt individuum à cæteris speciei ejusdem individuis. Hinc constat nó posse dari duas formas ejusdem speciei, quæ differant, & sint plures quin sint individuæ. Constat etiam illâ formalitate in *esse individuo* constitui, in quâ ipsæ dissentiunt. Forma ignis, quæ ex naturâ suâ est universalis, si communicetur subjecto A & subjecto B, multiplicabitur, quia eadem forma speciei prout est in subjecto A, differet à se ipsâ prout existenti in subjecto B. ergo jam habemus distinctionem & differentiam in eadem specie; ergo numericam multiplicationem. Atqui tota differentia est penes subjecta. Ergo tota individuatio desumitur à subjectis. Ergo materia est principium individuationis formæ substantialis; patet consequentia; quia materia est hujusmodi subjectum formæ.

III. Conclusio.

DLXVII. *An dentur actus, qui non possint numero multiplicari?*

A*Ctus illi quibus repugnat subjectorum pluralitas, non possunt multiplicari numero.*

Colligitur ex antecedenti. Quia si totam multiplicationis numericæ ratione forma substantialis desumat à subjectorum multiplicitate, futurum est ut repugnante hâc subjectorum multiplicitate, etiam repugnet individua formarum multiplicitas.

Hinc inferas futuram esse solùm unam animam rationalem in mundo, si solùm unum corpus humanum in mundo esset possibile. Quod si octo humana corpora sint possibilia, totidem rationales animi poterunt esse.

Infer secundò albedinem (& eodem modo de reliquis accidentibus philosophator) non posse multiplicari numero ex hypothesi quòd solum daretur unum corpus dealbabile, & cætera dealbabilia repugnarent.

IV. Conclusio.

DLXVIII. *An immaterialia multiplicari possint numero?*

A*Ctus abstracti ab omni materiâ non possunt multiplicari numero.*

Sequitur necessariò ex tertiâ, quia si repugnat numerica actuum multiplicatio, quando repugnat multiplicatio subjectorum; impossibilia erit multiplicatio numerica actuum ab omni materiâ abstractorum, quoniam nec hi subjecta habent.

An Deus? An Angelus? Hinc constat nec posse dari plures Deos distinctos numero, nec plures Angelos, quia cum actus spirituales sint, & in nullo subjecto per modum formæ possint esse, ideirco nequeunt numero multiplicari.

Est illatio facta ab Aristotele 12, *libr. Met. c.* 8. & post eum à D. Thomâ *in* 2 *dist.* 3. *q.* 1 *art.* 4. ubi reddens rationem propter quam Angeli non possunt distingui solo numero, ait, *Si enim immateriales ponuntur, cùm nulla forma vel natura multiplicet numerum nisi in diversitate materiæ, oportet quòd forma simplex & immaterialis sit una tantùm. Vnde quidquid est extra eam est alterius naturæ, eo quòd distet ab eo secundum formam, non secundum materiale principium quod ibi est nullum.*

Ut hanc Conclusionem bene intelligas, adnotato nomine hîc *materia* intelligi subjectum receptivum, quia qualitates supernaturales (Fidem, Spem, Charitatem, & Gratiam) licet spirituales sint, admittimus non solùm in hominibus, sed etiam in angelis numero multiplicari, gratia enim hominis & angeli, est ejusdem infimæ speciei, & nihilominùs alia numero in illo, alia numero in isto, quia omnis forma (substantialis aut accidentalis ea sit) ideò multiplicatur, quia ponitur in diversis subjectis.

V. Conclusio.

M*Ateria prima est primum ac originale principiū individuationis formæ substantialis.* DLXIX.

Ita Aristoteles 5. *Met. c.* 6. ubi expresse asserit *Assertio principali* distinctionem numericam (hæc est, quæ in eâdem *controversiæ* specie rationem essentialem multiplicat) *respondens.* provenire à materiâ. Idem sensit 12. *libr. Met. c.* 8. satis clarè ostendentibus Nazario 1. *p. q.* 50. *art.* 4. *controversiâ.* 1. Ferrarâ 2. *contra Gent. cap.* 93. *rat.* 2. & tandem Salmanticensibus 1. *p. tract.* 1. *d.* 1. *dub.* 1. *n.* 9.

Aristoteli accinit D. Thomas, qui explicans *decimi Metaphysicorum textum* 25. Sic ait lectione undecimâ. *In composito est materia & forma, hæc quidem est ratio, id est, forma quæ constituit speciem: hæc autem est materia, quæ est individuationis principium. Quæcumque contrarietates sunt in ratione, id est ex parte formæ faciunt differre secundum speciem. Illa verò quæ sunt ex parte materiæ, quæ sunt propria individui quod est acceptum cum materiâ, non faciunt differre secundum speciem.* Eidem sententiæ subscribit aliis in locis, præcipuè 2. *contra Gentes cap.* 91. *rat.* 2. & 1. *p. q.* 50. *art.* 4. & *de ente & ess. c.* 6. & *in* 1. *dist* 3. *q.* 1. *art.* 4.

Hæc conclusio colligitur ex præcedentibus, *Omnis forma secundum se est universalis.* quia si forma secundum se est specifica & una, & solum multiplicatur in subjectis, hæc erunt principia individuationis formæ substantialis. Atqui subjectum formæ substātialis nullum est præter materiam primam; hæc igitur origo atq; principium est individuationis formæ.

Contrariæ parti satisfacio.

DLXX.

E*Xposui propriam mentem Aristoteli & D. Thomæ consonam, superest rationibus pro contrariâ parte adductis satisfacere, & illa asserta, quibus opposita sententia innititur, examinare.*

Censura primi asserti.

An ultima dispositio proveniat à formâ?

SUpponitur ab adversariis primò ultimam dispositionem efficienter provenire à forma: assentior affirmantibus; est enim sententia probabilissima, & exponendis supernaturalibus dubiis maximè necessaria. Actus contritionis ad gratiam dispositio est, & efficienter provenit ab ipsâ gratiâ. Probabilissimam hanc opinionem dico, non verissimam, negatur enim à plurimis, qui probabilissimè etiam tuentur opinionem contrariam.

Censura

Censura secundi asserti.

An accidentia sint individuationis principia?

IN asserto alteru nihil assumitur quod verum non sit, Nullum accidens principium individuationis est; sed inde non sequitur pertinere ad formam individuare substantiam, quia præter accidentia etiam datur materia, quæ sit origo singularitatum.

Censura asserti tertij.

DLXXI. *An materia existat existentiâ formæ? An sit prior formâ?*

TErtium militat contra conclusiones tertiam, quartam & quintam, atque reverà est falsum.

Ut primi rationi satisfaciam, dico falsum esse primum antecedens; Quia principium non debet præexistere ante principiatum, aliàs enim nullum subjectum existentiam reciperet, quia subjectum principium materiale est, non tamen existit ante existentiam. Aliud est dicere causam esse priorem suo effectu, aliud dicere causam existere ante effectum.

An causa effectu suo sit prior?

Causa effectu est prior in genere dependentiæ; quia is dependet à causâ, non causa ab illo. Et hæc est prioritas, quam naturæ nominant, hoc est, præstantiæ. Idcircò admittam omne principium esse suo principiato prius naturæ prioritate; negabo, si loquamur de prioritate temporis seu existentiæ, quia sufficit quod sint in eodē instanti. Argumentū agit de prioritate existēdi, hoc est, non agit de prioritate naturæ sed temporis, & ideò torquere nos non poterit.

Existentia est extra conceptum essentiæ.

Dixi sufficere quod causa & effectus sint in eodem instanti existendi: Addo causas formales, materiales, illativas, & similes intelligi ante omnem existentiā. Quia est verū dicere, quod gravitas secundum se appetat centrum, magnes ferrum; homo sit animal rationale; anima indigeat intellectu, atque potentiis vita. Calor verè constituit calidum, & materia appetitu innato ambit habere formam. Ex rationali animo inferunt risibilitas & admiratio. Sed, ut ista omnia sint vera, non egemus existentia nec tempore, quia æternùm hæc sunt vera; Gravitas enim non habet ab existentiâ aut à tempore, quod deorsū decidat, sed habet à suo ingenio: cæterùm non cadet actualiter hoc tempore, quin simul etiam existat hoc tempore, sed cadere actu non est de essentiâ gravitatis; sicut nec intelligere actu de essentiâ hominis. Anima spiritualis præsens existenti intellectu indiget; sed futura futuro. Unde est verum dicere; Antichristus futurus componitur ex substantiâ ac potentiis futuris. Calor etiam sublatâ existentiâ adhuc remanet forma constitutiva calidi. Et abstrahendo ab omni existentiâ & tempore risibilitas est proprietas hominis, & ipsi soli competit, non aliis. Ergo principium individuationis (sive sit illativum, exigitivum, sive constitutivum) non indigebit existentiâ; quia sicut ab homine infertur risibilitas aut rationalitas, & hoc independenter ab omni duratione & tempore: sic similiter abstrahendo ab omni existentiâ materia signata quantitate inferet formam hanc tam necessariâ cōnexione, ut sicut non potest esse homo, quin sit risibilis, ita etiam non possit esse hæc materia signata quantitate A, quin forma recipiat à subjecto ipsissimam individuationem.

Individuatio Animæ rationalis.

Ut secundæ rationi satisfacias, opus est, ut breviter scias quomodo individuetur anima rationalis. Est actus spiritualis incompletus, indigens corpore, ut cum eo constituat unum ens completum nempè hominem. Dum in corpore est, individuatur à subjecto, ut aliæ formæ; quia anima prout informat corpus A, non est anima informans corpus B: ecce multiplicationem realem positivam sub eâdem specie. Dissolutus à corpore non perit sicut aliæ formæ, quoniam perennis est. Sed etiam in statu separationis animi inter se distinguuntur diversis privationibus, quia animus prout est privatus informatione corporis A, non est animus privatus informatione corporis B: ecce sub eâdem specie multiplicationem per differentias negativas. Dabo etiam per positivas, quia animus prout est aptus informare corpus A, non est aptus informare corpus B. ergo animi non solùm in corporibus sed etiam separati distinguuntur numero. Sed quid est hæc aptitudo? Respondeo debere esse aliquid (vel modale, vel reale) Animæ universali superadditum: distinctio enim numerica est realis, (aut modalis saltem) & non benè per formalitates, aut expressiones explicatur. Scio Joannem Marcum, ne implicitæ huic objectioni respondeat, asserere Animas rationales esse singulares ex se, nec à subjecto individuari, at summa doctrinæ inconsequentiâ se expedit, ubi posset & faciliùs & clariùs.

An anima à subjecto pendeat?

Ex dictis rationi satisfacio. Animus sit independens à materiâ, tanquam à subjecto eductionis concedo; tanquam à subjecto inductionis, nego. Ergo ejus individuatio non dependet à materiâ, nego consequentiam. Ut clariùs hoc intelligas, annotato formas omnes tam accidētales, quàm substantiales individuari à subjecto, non inquantum ab eo educuntur, sed in quantū in ipsum inducuntur. Ratio est, quia in tantum individuantur, in quantum sunt aut esse possunt in variis subjectis, ut constat ex superiùs dictis: atqui etiam formæ quæ creantur possunt in varia subjecta induci, ac perinde esse in variis subjectis: per inductionem igitur, & non per eductionem formæ individuantur. Sed rationalis animus in corpus infunditur: ergo à corpore singularizatur.

Dices, non assignari tibi causam sufficientem individuationis animi separati, qui asseritur privatus hoc corpore & aptus ut informet illud, hoc debet habere vel à se, vel ab alio: non à se, quia secundum se, hoc est, secundum sua prædicata quidditativa non respicit potiùs unum corpus quàm aliud; unde ergo? *Respondeo*, hanc aptitudinem nasci ex eo quod subsistentiâ hâc (nempè hujus corporis) sustentetur, sustentatus enim à subsistentiâ corporis A non potest corpus B informare.

Multum negotij facessit confirmatio. Satisfiet illi ex professo disputatione subsequente.

Censura asserti quarti & quinti.

HÆc duo militant directè contra nostram sententiam. Illæ consequentiæ, quæ suprà ponuntur absurdæ sunt, sed ex his assertis necessariò inferendæ. DLXXII.

Quot sint in materiâ unitates numericæ? Ad probationem primam annotaro Complutenses *Physic. disp.* 6. *q.* 1. *n.* 14. cognoscere in materiâ tres unitates numericas. Unam negativam, quam habet ante omnem formam. Aliâ positivè radicalem, & hæc provenit à sigillatione quantitatis. Tertiam positivè formalem, quæ provenit ab ipsâ formâ. Hâc doctrinâ supposita facili negotio satisfactes Angelici Doctoris ver. is. Unumquodque secundum idem habet *esse* & individuationem; distinguo majorem: secundum idem habet *esse* & individuationem negativam, nego majorem: secundum idē habet *esse* & individuationem positivam; subdistinguo: positivam radicaliter, nego: positivam formaliter, concedo minorem. Ergo & à formâ habet individuationem, distinguo consequens: negativam, nego; positivam, subdistinguo: positivam radicaliter nego: positivam formaliter, concedo.

Ego autem, qui semper credidi solùm in materiâ dari duas singularitates, unam negativam, quæ convenit omni materiæ secundum se (omnis enim materia eadem est numero negativè) alteram positivam, quæ est numerica quantitas, aliter respondendum censeo. Dico D. Thomam agere de formis accidentalibus, non verò de substantialibus, & in accidentariis esse verum, quod Angelicus Doctor assumit: ipsæ enim & esse & individuationem recipiunt à subjectu.

Quid sit individuatio? Ad secundum dico illud axioma esse verum si benè proferatur. Effero sic, *Genus sumitur ut materia; differentia autem ut forma.* Individuatio forma est, videlicet, numerica substantiæ quantitas. Idcircò individuatio sumitur à formâ, non tamen à substantiali, sed à numericè quantitativâ.

Quid communicet forma materiæ, quid materia formæ? Ad tertium concesso antecedenti nego consequentiam. Ad probationem dico formā singularem esse causam unitatis singularis, quam habet compositum: esse tamen effectum unitatis singularis, quam habet materia. Doctrinæ consequentiâ admitto animam rationalem esse principiū propter quod materia prima sit materia humana: nego autem hanc rationalem animam esse principium propter quod hęc materia sit hæc materia humana; quia attribuendo singula singulis, forma communicat materiæ speciem, & formæ materia singularitatem.

ARTICULUS VI.

Utrùm Materia prima secundum se, an verò signata quantitate sit principium individuationis formæ substantialis?

RESolvimus materiam primam esse proximum principium individuationis formæ: superest examinare quæ sit in materia ratio agendi sive quod idem in præsentiarum est, individuandi.

Materia tripliciter consideratur. Materiam potes considerare multifariam. *Primò*, nudam, præscissam ab omni quantitate. *Secundò*, affectam quantitate radicali. *Tertiò*, actuatam quantitate numericâ.

Inquiro igitur, Utrùm materia secundum se sit sufficiens principium individuationis substantialis, an verò indigeat sigillatione quantitatis? & si indigeat, quid sit hæc sigillatio?

Quæstionis resolutio.

PRoximum principium individuationis formæ substantialis est materia, non secundum se sumpta, sed sigillata quantitate. Quâ quantitate sigilletur, & quomodo, inferiùs explicabo. DL[illegible] *Materia sigillatur quantitate.*

Hæc conclusio est omnium Thomistarū, ita ut Bañez immediatè citandus asserat, esse acceptandā ab omnibus qui se profitentur Angelici Doctoris asseclas. Hanc propugnant præcipuè Abulensis Episcopus Alfonsus Tostatus 2. *tom. super exodum ca* 23. *q* 60. *circa medium.* Bañes 1. *p. q.* 3. *art.* 2. *ad* 2. *&* 1. *de gener. c.* 5. *q.* 3 *art.* 8. Cajetanus *de ente & essentiâ c.* 2 *q.* 5. Ferrara 1. *contr gent. c.* 21. Flandria 7. *Met. q.* 22. *art* 3. Gonzalez 1. *p. q.* 11. *art.* 1. *ad* 2. *disp.* 23. § 2. *concl.* 9. Jabellus 5. *Met. q.* 15. Nazarius 1. *p. q.* 3. *art.* 2. *contr. unicâ* Petrus à Jesu Maria, aliàs Serna Hispalensis *in Logica d.* 3. *sect.* 5. *qu.* 3. *art.* 1. Ripa 1. *p. qu.* 3. *art.* 2. Soncinas 7. *Met. q.* 22. *art.* 3.

Est causa numericæ multiplicationis. Hanc esse indubitatā Aristotelis & Angelici Doctoris mentem optimè asseruit Serna jam citatus. Dabo fortissima utriusq; verba. Philosophus 5. *Met text.* 12. sic ait, *Illa sunt unum numero, quorum materia est una.* quæ verba *ibidē lect.* 8. curiosè expendit D. Thomas. *Numero quidem sunt unum*, ait, *quorum materia est una. Materia enim secundum quod stat sub dimensionibus signatis est principium individuationis formæ.* Resumit iterùm idem Stagiritæ testimonium super Boëtium *de Trinit. q.* 4. *art.* 2. *ad* 1. & suis principiis pulchrè insistens, sic ait; *Cum dicit Philosophus: Numero sunt unum, quorum materia est una, intelligendum est de materiâ signatâ.* Accinit sibi divinus Doctor variis in locis, quos non juvat transcribere; legatur tamen 4. *sent. dist.* 12. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiunculâ* 3. *ad* 3. & 1 *p. q.* 3. *art.* 2. *ad* 3. *q* 30. *art.* 3. & *q* 50. *art.* 4. & *q.* 54 *a.* 3. *ad* 2. & *q.* 56. *art.* 1. *ad* 2. 3. *p. q.* 77. *art.* 2. & *q. de malo. art.* 1 *ad* 8. & 2. *contra gent. c.* 92. & *de ente & ess. c.* 2. *litterâ* H. & *super Boëtium de Trinit. quæst* 4. *art.* 4. *art.* 2. *ad* 1. *ad* 2. *ad* 4. & sæpè alibi.

Dum alias prolixiores rationes inveniūr, dabo brevem & efficacem. Arguo sic. Petrus & Paulus distinguuntur numero, & distinctionis principium materia est; Non nudè atq; præcisè sumpta. Ergo signata quantitate. Probo minorem. Illa sunt unum numero quorum materia est una; atqui si abstrahas ab omni quantitate omnium rerum materia est eadem numero: ergo si materia secundum se esset individuationis principiū, omnia corpora essent unum numero. Hanc rationem didici à D. Thomâ, *super Boëtiū q.* 4 *de Trinitate art.* 2. *ad* 1. asserit materiam signatam quantitate esse principium individuationis substantialis, quia *alias oporteret dicere quòd omnia generabilia & corruptibilia sunt unum numero, cùm eorum sit materia una.* DLXXIV. *Resolutio probatur.*

An demum multa materia sublata quantitate? Confirmo sic. Illa sunt unum numero, quorum materia est una: ergo illa distinguuntur numero, quorum materia est diversa. Atqui sublatâ quantitate omni remanet omnium corporum materia una numero saltem negativè, hoc est, nō dantur materiæ differentes numero positivo; posita quantitate numericâ dantur materiæ, quæ distinguantur numero: ergo materia

materia nudè sumpta non est principium individuationis, sed signata numerali quantitate.

Opposita sententia proponitur, & impugnatur.

DLXXV. ALbertus relatus à Flandria *7. Met. q. 22. ar. 1.* cui ex parte consentit Suarius, si benè examinarunt mentem ipsius Salmanticenses *1. par. tract. 1. disp. 1. num 37.* asserit materiam primam nudè sumptam esse principium individuationis substantialis.

Verba generica loquentium in specie nō urgent.

Ut hanc sententiam propugnent aliqui conglomerant Stagiritæ Philosophi, & D. Thomæ testimonia asserentium individuationem formæ substantialis à materiâ desumi. Sed similia testimonia non urgent, nos enim non negamus materiam esse proximum principium individuationis formæ substantialis, sed asserimus eam individuare substantialem actum, non nudè sumptam, sed sigillatam quantitate. Hanc sigillationem prærequiri in materiâ ut ipsa formam individuet, jam suprà ostendimus ex D. Thomâ.

An materia sola sit individuationis principium?

Magis videntur urgere nos verba desumpta ex opusculo de principio individuationis, ubi non solùm asserit materiam esse principium individuationis, sed & addit ei soli hanc prærogativam convenire. *Materia enim sola, ait, est principium individuationis, quoad illud in quo salvatur ratio primi.* Hæc verba alij intelligunt aliter, ego sic. Dico materiam solam esse principium individuationis quoad illud, vel secundum illud in quo salvatur ratio primi. Materia enim substantia est, & potest concipi ut prima & ut secunda.

Substantia duplex: prima, & secunda.

Materia tunc dicitur substantia secunda, cùm præscinditur ab hæccitate tam positivâ, quàm negativâ. Tunc materia dicitur substantia prima, cùm concipitur affecta singularitate, & est hæc numero materia. Hac observatione instructior resume Angelici Doctoris verba. *Materia sola est principium individuationis, quoad illud* (hoc est secundum illud) *in quo salvatur ratio primi*: videlicet secundum illud quo materia constituitur in esse substantiæ primæ: illud autem, quo materia fit substantia, prima est numerica quantitas, quâ sigillatur.

Quid significet vox Quoad?

Dicis non benè exponi illud *quoad*, sed non me, sed ipsum condemnas Ciceronem. In Lælio ait: *Ut quoad possem & liceret ab ejus latere nunquam discederem*, hoc est, secundum posse, in quantum possem: quia ut benè notavit Ambrosius Calepinus *Quoad* æquivalet Grecæ voci *ἐφ' ὅσον secundum illud.*

DLXXVI. *Objectio prima.*

Materia secundum se, atque nudè sumpta est prima pars compositi substantialis: ergo erit proximum & primum principium individuationis. Antecedens est certum; quia potentia est prior actu, & materia prima non nisi substantialis & intrinseca potentia est. Consequentia est legitima, quia omnium actuum singularitas à primâ radice sumi debet.

Materia prima & secunda.

Respondeo distinguendo antecedens. Materia secundum se est prima pars compositi substantialis, quod sit substantia secunda, concedo, quod sit substantia prima, nego; ac perindè nego consequentiam. Ratio est, quia materia secundum se & præcisè sumpta non est substantia prima, sed secunda; ut prima fiat indiget singularitate, & hæc est numerica quantitas. Ex materiâ ut sic & formâ, coalescit composita substantia secunda. Ex hac autem numero materiâ & formâ coalescit hoc compositum substantiale, sive hæc substantia prima composita. Hinc est quod materia secundum se, vel materia ut sic non sit principium individuationis; hoc enim munus pertinet ad hanc materiam, id est, ad materiam signatam quantitate.

DLXXVII. *Objectio secunda.*

Sicut specificatio sumitur à forma, sic individuatio à materiâ; atqui specificatio sumitur à formâ secundum se: ergo individuatio sumitur à materiâ secundum se, non ergo à materiâ signatâ quantitate.

Aliter specificatio sumitur à materiâ, aliter à formâ.

Respondeo primò negando illud *sicut* quod in majori ponitur. Specificatio sumitur à formâ, individuatio à materiâ, non tamen eodem modo: quia forma ex se habet unitatem specificam, & ideò secundum se sufficit compositum specificare; materia autem ex se non est hæc, nec habet unitatem numericam positivam, sed eam recipit à quantitate numerali; hinc est, quod materia nudè sumpta non sit principium individuationis sed sigillata quantitate.

Unitas universalis & singularis.

Solutionem hanc confirmat ista ratio: Specificatio est unitas universalis, & individuatio unitas singularis. Ergo sicut forma viventis, verbi causâ, non potest dare composito unitatem specificam in quantum hæc forma numero est, sed solùm in quantum vita universalis est; sic similiter materia prima non poterit dare unitatem individuam in quantum materia universalis est (hæc est secundum se, atque præcisè sumpta) sed in quantum hæc est. Atqui in tantum est *hæc* in quantum à quantitate sigillatur: ergo.

Unitas generica & individualis sumitur à materiâ.

Confirmo iterùm ratione quam contra nos instituunt aliqui apud Salmanticenses *1. p. tract. 1. disp. 1. na. 39.* eâ enim potiùs propugnabimur, quàm impugnabimur. Nam unitas generica sumitur à materiâ secundum se, ut optimè expendunt Complutenses *in Logica disp. 5. nu. 75.* Ergo unitas numerica, quæ etiam sumitur à materiâ, debebit sumi à materia non secundum se, igitur à materiâ signatâ quantitate. Quod numerica unitas non possit desumi à materiâ secundum se, probatur. Idem, ut idem, semper facit idem, ita axiomate communi & vero dicimus: ergo materia eadem prima ut eadem semper dabit eamdem unitatem: ergo ut det diversam unitatem, debent materiæ habere differentiam: ergo si materia secundum se & nudè sumpta dat unitatem genericam, materia vestita sigillo quantitatis præbebit individuam.

Aliter contrahitur materia, aliter forma.

Respondeo secundò concedendo illud *sicut*; quod mox negabatur: nego autem minorem, quia sicut individuatio non sumitur à materiâ ut sic, sed à tali materiâ, sic etiam specificatio non sumitur à formâ ut sic, sed à tali formâ: forma ut talis sit contrahitur per differentias propriissimas; materia verò, ut talis sit, contrahitur sigillo quantitatis.

DLXXVIII. *Objectio tertia.*

Materia secundum se sumpta est incommunicabilis aliquo modo, qua ratio superior

commu-

An materia sit pluribus communicabilis?

communicatur inferiori: ergo ex se est prima radix individuationis: ergo ut individuet formam non eget sigillo quantitatis.

Respondeo. Consequentiæ legitimæ sunt, sed nascuntur ex assumpto falso. Materia secundum se substantia est secunda & prima solùm negativè, & communicatur pluribus distinctis numero positivè; ut vides in his prædicationibus, *Materia A est materia, Materia B est materia.* Esse hanc aut illam, materiæ accrescit, eo quod diversâ signetur quantitate.

DLXXIX. *Objectio quarta. An quantitas inhæreat singulari substantiæ?*

Ante quam materia prima signetur hac potiùs quantitate quàm aliâ, debet præintelligi singularis & individua: ergo ipsa nudè sumpta & præcisa ab omni quantitatis sigillo erit principium individuationis. Probatur antecedens, quia hæc quantitas potiùs quam illa nequit recipi nisi in materiâ singulari: cætera omnia sunt pervia.

Respondeo negando antecedens. Ratio est, quia sicut non debet substantia præintelligi existens ut recipiat existentiam, nec ubicata ut recipiat ubicationem, nec alba ut recipiat albedinem: sic similiter non debet præintelligi hæc, ut recipiat singularitatem, sivè quod idem est sigillum quantitatis. Nego etiam consequenter illud quod assumitur in probatione; nempè hanc quantitatem in materiâ singulari debere recipi: nego inquam, quia quantitas A non nisi in materia non singulari potest recipi.

Quid sit materiam signari quantitate?

DLXXX. *Quantitas prædicamentalis.*

PRincipium individuationis materia est, non tamen nudè sumpta, sed sigillata quantitate, ut probavimus. Interrogas, quid sit signari, aut sigillari quantitate. Si consulas Ferraram 1. *contra gent. c. 21.* Soncinatem 7. *Met. q. 34.* Nazarium 1. *p. q. 3. art. 2. controversiâ unica,* & eorum asseclas, respondebunt tibi signari materiam quantitate, esse materiam recipere quantitatem prædicamentalem, ac propterea materiam signatam esse concretum coalescens ex materiâ & prædicamentali quantitate. Salmanticenses dicunt nihil aliud esse materiam signari quantitate, quam recipere modum quempiam determinativum; quo redditur inhabilis ut recipiat alias quantitates præter hanc numero.

Modus sigilli.

Dissidium facili negotio componi potest & solet ab aliquibus, qui sic discurrunt.

CONCLUSIO I. *Quantitas prædicamentalis quadruplex est; nimirùm Universalis, Numerica seu interminata, Terminata seu molis, & Quantitas virtutis.*

CONCLUSIO II. *Materia præcisa ab omni quantitate non est universalis neque particularis, sed est materia secundum se.*

CONCL. III. *Materia affecta quantitate continuâ nondum divisâ (hoc est, indeterminatâ) est materia universalis positivè.*

CONCL. IV. *Signari aut sigillari quantitate, non est solùm recipere quantitatem, sed recipere talem, hoc est, divisam & numericam.* Huic sententiæ subscribunt Ferrara, Soncinas atque Nazarius jam citati. D. Thomas *opusc. 70. q. 4. art. 2.* docet expressis verbis: ait; *Materia secundum se considerata non est principium diversitatis secundum speciem nec secundum numerū; sed sicut est principium diversitatis secundum genus prout subest communi formæ, ita est principium diversitatis secundum numerum prout subest dimensionibus interminatis.*

An duæ communes formæ?

An communis quantitas?

CONCLUSIO V. *Materia signata quantitate est substantia prima.* Dabo D. Thomam *opusc. de naturâ materiæ. c. 5.* ubi sic ait, *Cum enim subjectum in aliquâ specie; seu aliqua pars subjectiva sit prima substantia, quæ individuum dicitur, illud quod tenet rationem primi subjecti est causa individuationis & divisionis speciei in supposita.*

Contra has conclusiones argumentatur P. Suarius *disput. 5. Met. sect. 3.* & alij authores apud Salmanticenses 1. *p. tract. 1. disp. 1. n. 113.* Materia prima priùs continet per modum radicis hanc numero formam substantialem, quàm istam quantitatem; ergo priùs quàm contineat hanc quantitatem in virtute suâ passivâ erit singularis & individua, & radix individuationis. Antecedens probatur. Illos actus priùs materia suâ virtute continet, quos priùs recipit; atqui formam substantialem priùs recipit quàm quantitatem, imò hanc nunquam recipit, si sit verum accidentia subjectari non in materiâ sed in toto composito: ergo substantialis actus priùs continetur in potentiâ materiæ, quàm quantitas. *Confirmatur*, quia hæc numero materia priùs respicit hunc numero actum substantialem, quàm istam quantitatem: & probatur, quia à formâ substantiali habet existentiam & perfectionem absolutam; à quantitate autem solùm recipit perfectionem secundum quid.

An forma substantialis sit prior quantitate?

Huic rationi respondent latissimè Salmanticenses *disput. jam citatâ n. 119.* Sed illa omnia tibi non proderunt, qui niteris diversis fundamentis. Breviter satisfacio concedendo universa. Constant ex dictis quia materia signata, est materia singularis, & ex eo quod sit singularis, præhabet potiùs hanc quantitatem molis, quàm illam; & præhabet etiam hanc substantialem formam potiùs quàm illam; non tamen priùs habet aut respicit hanc quantitatem, quàm hanc substantialem formam. Hinc constat materiam primam, quæ præhabet hanc molis quantitatem in suâ potentiâ passivâ, esse principium individuationis formæ substantialis; non tamen prout respicit hanc quantitatem potiùs quam illam sed prout signatur hac singularitate, unde oritur quòd respiciat hanc quantitatem molis, & non illam. Quantitas enim continua, si concipiatur abstracta à principio & fine, nec erit finita nec infinita; sed erit universalitas & divisibilitas; si concipiatur divisa & habens tale principium erit hæc; si autem concipiatur non solùm habens tale principium sed etiam talem finem, erit tanta, aut ut meliùs loquar, erit Tantitas, hæc est Quantitas molis.

Universalitas, Divisibilitas, Ecceitas, Quantitas, Tantitas.

Objicies. Materia prima ex se est pars intrinseca Entis naturalis non solùm in quantum unum est specificè, sed etiam in quantum est unum unitate numericâ: ergo materia ex se est quid singulare & individuum. Patet consequentia, singulare enim ut tale non nisi individuis partibus componi potest; quia sicut materia ut sic, & forma

& forma ut sic componunt compositum in communi; sic similiter hoc compositum ex hac materiâ & ex hac formâ coalescet.

Respondeo negando antecedens; ratio est, quia materia prima ex se est substantia secunda inadæquata, & ex se est pars intrinseca substantiæ secundæ adæquatæ. Substantia autem prima adæquata non coalescit ex formâ & materiâ ut sic, sed ex formâ & materiâ in signatâ immensuratâ à quantitate, nempè individuatione.

Quomodo distinguantur materiæ sublunares?

Objicis secundò. Omnes sublunares materiæ distinguuntur numero: ergo omnes habent suam unitatem numericam. Antecedens est certum, quia alia est materia in Petro, alia in Paulo: & probatur, quia si materiæ non distinguerentur numero, esset una numero; ergo & eadem numero materia haberet plures formas simul, alias distinctas numero, alias specie.

Respondeo distinguendo antecedens. Sublunares materiæ omnes distinguuntur numero; quia affectæ sunt quantitate, concedo: distinguerentur etiam si non essent affectæ quantitate sive singularitate; nego. Ergo omnes habent suam unitatem numericam; distinguo antecedens: omnes quà affectæ quantitate, concedo: quà non affectæ, nego.

Contra hanc conclusionem invehitur Suarius *disp. 5. Met. sect. 6. n. 2.* rationes, quas adducit, non est necessarium recensere, quia sunt similes examinatis.

Sit igitur notum universis nullam rem secundum se dicere aliquid præter prædicata sua essentialia; homo enim secundum se, nihil aliud est quàm animal rationale; & albedo secundum se considerata nihil est aliud quàm color disgregativus visûs. Ergo materia prima secundum se dicet sua prædicata essentialia; ergo non dicet hæcceitatem. Patet consequentia, quia secundum se materia prima est pura potentia radicalis, non autem est hæc; esse enim hanc debet recipere à quantitate. Confirmatur; Illud quod materia habet secundum se, debet omnibus materiis individuis competere, non secus ac animal & rationale, quæ sunt prædicata essentialia hominis, cõpetunt Petro, Joanni & Francisco: Atqui esse materiam A non potest competere omnibus materiis Universi; ergo materia secundum se non est materia A, sed potentia receptiva formæ. Ergo esse materiam A & non materiam B, non est essentiale & intrinsecum materiæ primæ, sed illi advenit à quantitate numericâ seu singularitate. *Realitas secundùm se.*

Volo hîc tantisper adhuc immorari, & ideam materiæ & quantitatis ob oculos Lectoris ponere. Duas reperio sententias.

Prima sententia.

Prima tenet eamdem esse quantitatem sigillativam & extensivam, sed sub unâ consideratione vocari sigillum, & sub aliâ quantitatem molis. Et, ut hanc opinionem intelligas, hoc paradigma speculator,

V ——————————————— X

Sine principio ——————————————— *Sine fine.*

A B C D E F G H I K L

Quantitas interminata.

Sit linea VX. materia prima: indivisibilis, & quæ secundùm se non habeat partes. Quantitatis particulæ sint literæ A B C D E F G H I K L. & continuatur, & tunc considero materiam divisibilem, affectam quantitate interminatâ, & indeterminata: hoc est, materiam communem & universalem. Hæ quantitatis atomi non sunt æquè præstantes, sed una est, quæ prior est cæteris, & vocatur hæcceitas; nam si illius indeterminatæ & interminatæ lineæ scindatur una portio, prima cæsio fiat inter D & E. & tum E erit prima atomus & singularitas materiæ: sed quanta erit hæc materia? nondum id dici poterit, secundus ictus exspectatur: ergo cædatur inter I & K, & I erit ultima atomus, & materiæ determinatæ tantitas. Ergo E erit atomus quæ primo adquiritur, ultimò perditur, & hæc vocatur Sigillum, Ececitas, Hęceitas, Singularitas. Ab E ad I mensurabitur Quantitas: & tandem I erit terminus & materiæ continuæ Tantitas. Quantitas, dum concipitur sine principio & fine, ex parte esse non potest intelligi, & sic dicitur esse universalitas, seu *quantitas indeterminata.* Quando concipitur habere initium & nondum concipitur habere terminum, vocari solet *Quantitas sigillata, determinata*, sed *interminata.* Et tandem, quando concipitur habere terminum, dicetur *Quantitas terminata.* *Hæcceitas.*

Secunda sententia.

Secunda sententia duas reales Quantitates admittit, Numericam & extensivam: illam dicunt esse alterius subjectum, & volunt priorem illam extendere, & dare non substantiales sed accidentales & quantitativas tantùm partes. Utramque diversis in locis defendi, & nihil expertus sum, ob quod non possint propugnari.

ARTICULUS VII.

De Principio individuante Quantitatem.

DLXXXI.

Diximus formam substantialem individuari à materiâ sigillatâ quantitate: occurrit statim difficultas gravissima; nempè, quale sit principium individuativũ ejusdem quantitatis. Cur hoc suppositum habet potiùs hanc quantitatem, quam alteram numero distinctam? Expendam istam dubitationem, & penitiùs sententiam hanc exponam, ut faciliùs dicenda, & profundiùs percalleas recensita.

Vera sententia stabilitur.

Cur Quantitas sit individuationis origo?

Asserunt communiter Thomistæ hoc esse peculiare quantitati inter alia accidentia & inter cunctas alias formas, ut ex se tanquam à primâ radice individuetur. Ita Capreolus *in 2. dist. 3. q. 1. art. 3.* Cajetanus *1. p. q. 29. art. 1.* Ferrara *4. contr. gent. c. 65.* Bañez *1. de gener. cap. 5. q. 3. art. 8. in 1. sol. ad 3.* Arriaus *de gener. q. 23. art. 2. n. 7.* Joan. Rodriguez *in Philos. quæst. q. 27. ca.* 10. Gonzalez *1. p. di. 23. n. 13.* Salmanticenses *1. p. tract. 1. d. 2. n. 23.* & alij plures. Ego igitur in assertionibus universalissimis reperio innumeras æquivocationes, & ita distinctioni studens mentem meam aliquibus theorematibus manifestabo,

I. Theo-

I. Theorema.

DLXXXII. *Quantitas est quadruplex.*

QVantitas est quadruplex, Vniversalis, Numerica, Molis, & Virtutis.

Constat ex dictis in proprio loco ubi ex professo de quantitatis speciebus & attributis disputo. Utrùm hæ distinguantur specie, an solo connotato extrinseco, non examino, quia de hoc alibi uberiùs.

II. Theorema.

DAntur plures quantitates numericæ, seu hæcceitates.

Demonstratur, quia differentiæ plurium debent esse plures, quia aliàs hæc plura non distinguerentur. *Hæcceitates sunt multa.*

III. Theorema.

DLXXXIII *ISta quantitates numerica, seu hæcceitates non sunt individue* ut quod *sed* ut quo.

De individuo ut quod, & ut quo.

Petitur à Thomistis An aliquo actu realiter distincto sit substantia extra causas? respondent asservivè, quia datur actus physicus & realis, quem *Existentiam* dicunt, quo constituitur substantialis entitas extra causas. Instas: Ista existentia etiam est extra causas; ergo debet habere aliam existentiam: & sic in infinitum. Respondent affirmando existentiam non indigere aliâ existentiâ, ut sit extra causas: quia existentia non existit *ut quod* sed *ut quo*. Analogicè philosophabimur de quolibet concreto accidentali. In prædicamento Quantitatis, si quantitas det partes materiæ, quærenti unde materia divisibilis sit? unde extensa? unde impenetrabilis? respondebunt, hæc omnia illam participare à quantitate. Sed unde habet quantitas, quòd sit divisibilis? unde, quod sit extensa? unde, quòd sit impenetrabilis? An fortè ab aliâ quantitate? Negant: quia quantitas non est divisibilis, extensa, & impenetrabilis *ut quod*, sed *ut quo*. Eodem modo philosophantur in prædicamento Qualitatis. Cygnus enim est albus; in esse albi constituitur albedine: albedo etiam est alba, ergo aliâ albedine dealbatur, & sic in infinitum. Respondent albedinem non indigere aliâ albedine ut dealbetur, quia non est alba *ut quod*, sed *ut quo*. In prædicamento Relationis eodem modo. Album albo est simile, nigrum nigro: ergo jam habemus duas similitudines: sed & ipsæ sunt similes: ergo per superadditas similitudines; quæ etiam erunt similes: ergo dabitur infinitus processus. Negant hunc processum Thomistæ, quia similitudines non sunt similes *ut quod*, sed *ut quo*. Cætera prædicamenta sunt Relativa. Res durant duratione, & tamen ipsa etiam duratio durat, sed non indiget alia duratione quâ duret, quia non durat *ut quod*, sed *ut quo*. Actio fit, sed non novâ actione, quia non fit *ut quod*, sed *ut quo*. Mobile movetur motu; motus etiam movetur, & non motu addito, quia non movetur *ut quod*, sed *ut quo*. Passionem etiam patitur subjectum & non per novam passionem, est enim passibilis *ut quo*, & non *ut quod*. Fieri fit, & non per novum fieri: Unio unitur, & non per novam unionem: Ubicatio ubicatur; Situs situatur; Locus est in loco: Habitus habetur: & non per novam ubicationem, situm, locum, habitum, &c. quia accipiuntur *ut quo*, & non *ut quod*. Philosophemur igitur in præsenti, discursu parallelo. Petrus est individuus, & constituitur hæcceitate: atqui & Petri hæcceitas est individua, ergo indiget aliâ hæcceitate: quæ secunda hæcceitas cum sit etiam individua, etiam aliâ tertiâ hæcceitate individuatione-ve indigebit. Ergo datur processus sine termino. *Respondeo* huic argumento, ideò hæcceitatem non indigere aliâ hæcceitate ut sit individua, quia ipsa est singularis *ut quo* non *ut quod*.

Dantur multa denominationes ut quo, quæ nō sunt ut quod.

IV. Theorema.

QVantitas individuatur etiam à subjecto individuatione negativâ. DLXXXIV

An à subjecto individuetur etiā quantitas?

Pro Theorematis intelligentiâ penitiore notant aliqui quantitatem bifariam posse considerari; primò, prout actus est; secundò, prout actus numericus seu individualis.

Omnis materia totîus mundi sublatâ quantitate numericâ esset ejusdem speciei negativè, hoc est, non esset speciei distinctæ. Ita Complutenses *lib. Physic. disput.* 3 *quæstion.* 3. *num.* 26. In eodem statu considerata (hoc est, si deficeret quantitas) materia prima totius mundi esset una numero negativè, id est, non darentur in toto mundo materiæ quæ distinguerentur. Ita iidem Complutenses *ibid. quæst.* 4. *num.* 40. & 1. *part. tract.* 1. *disp.* 1. *dub.* 1. *num.* 26. *& sæpe alibi.* Si materia prima sublatâ quantitate reciperet vitalem formam, ipsa vita esset singularis & individua negativè, quia non darentur duæ vitæ, quæ differerent numero. Et ita possemus materiam cum vitâ comparare. Materiâ communicaret se vitali formæ, & daret quidquid præhaberet; præhabebat unitatem numericam negativè; ergò communicaret illi formæ unitatem negativè individuam. Forma se communicaret materiæ; ipsa habet vitam, ergo communicaret vitam materiæ. Atque constitueret concretum vivens. In tali casu illa vitalis forma haberet duas singularitates negativas; alteram à seipsâ, alteram à materiâ. Sanè à seipsâ, quia forma vitalis secundum se non est plurca numerò positivè; sanè etiam à materiâ, quia in tali casu non haberet à materiâ aliam unitatem præter illam quam habebat materia; quæ cùm supponeretur una numero negativè, hanc unitatem formæ communicaret.

An omnis materia sublatâ quantitate esset una?

His prælibatis comparant materiam cum quantitate numericâ. Materia se communicat numericæ quantitati: ergò illi communicat quidquid præhabet. Atqui ipsa ante hanc quantitatem habet unitatem numericam negativè: ergò hanc ipsi communicat. Unde si per impossibile, quantitas hæc non esset ex se individua sed universalia, à subjecto ipso (hoc est materia) individuaretur negativè; sicut & aliæ formæ, si actuarent materiam sublatâ quantitate.

Materia & Quantitas componuntur comparanturque.

Com-

Comparant iterùm quantitatem cum ipsâ materiâ, ut cognoscant quid ipsi concedat hæc numerica quantitas. Hæc quantitas numerica, est hæc individuatio, est hic actus singularis *ut quo* actuans materiam primam, quæ præsupponebatur una numero negativè, eamque determinans & contrahens ita ut sit una numero positivè. Ita etiam plures hæcceitates, seu quantitates numericæ materiam unam numero negativè, positivè multiplicant, & faciunt quòd sit plures materiæ distinctæ numero realiter & positivè.

Quantitas dupliciter est individua.

Ecce quantitas in ipsorum sententia bifariam individua est. *Primò*, à subjecto seu à materia individuatur individuatione negativâ: *Secundo*, ex se individuatur *ut quo* & multiplicatur *ut quo* individuatione atque multiplicatione positivâ. Et ita constituit plura individua materialia, quę dissideant numero positivo.

Iam intelligere poterimus Angelicum Doctorem D. Thomam, quem anteà nondum. *Opus. 70. quæst. 4. art. 2. ad 3.* omnia quæ expendimus, complectitur divinâ brevitate. De quantitate igitur agens, ait; *Habet duplicem rationem individuationis: unam ex subiecto, sicut & quodlibet aliud accidens: aliam ex seipsâ in quantum habet situm, ratione cuius in abstrahendo à materiâ sensibili imaginamur hanc lineam & hunc circulum.* Dabo alia ejusdem Doctoris verba parallela præpositis. *quodlib. 7. art. 10.* sic ait. *Quantitas* (nempè hæc de quâ agimus) *non individuatur solùm ex subiecto sicut alia accidentia; sed etiam ex situ, qui est de ratione eiusdem quantitatis dimensivæ, quæ est quantitas positionem habens. Et ideo possibile est imaginari duas lineas separatas eiusdem speciei, numero diversas secundum diversum situm.*

V. Theorema.

DLXXXV. *Primum principium individuationis.*

QVantitas numerica, seu Hæceitas, est principium primum ad quod reduci debet universarum rerum positiva singularitas positivaque multiplicatio.

Patet, quia quantitas numericâ ex se & ex nullo alio habet quod sit singularis *ut quo*, hoc est, ut sit singularitas; quia sicut album, quòd tale sit *ut quod*, debet albedini: hæc autem est alba *ut quo*, & quòd talis sit non debet alteri, sed sibi ipsi: ita individuum, quòd sit unum numero positivè, debet individuationi; individuatio verò non est una positivè *ut quod*, sed *ut quo*; & quod talis sit, sibi debet, non alii.

Totius libri compendium.

Primò quantitas numerica, seu individuatio positiva sigillans materiam ipsam determinat & singulatizat, & constituit hanc materiam individuam in genere causæ formalis. Materia signata quantitate est principium individuationis formæ, ac propterea compositi. Compositum est principium individuationis accidentium, si qua eidem inhærent. ergò de primo ad ultimum progredienti innotescet Quantitatem numericam esse radicem principem, originem primariam, fontem atque primum principium omnium individuationum tàm substantialium, quàm accidentalium.

Contra veritatem expositam adversariorum obiectiones.

QVantitatem numericam non esse ex se individuam modo exposito crediderunt Durandus, Aureolus apud Capreolum *in 2. dist. 3. q. 1. art. 2.* Scotus *quæst. 4.* Suarius *disp. 5. Met. sect. 7. num. 4.* Salmanticensibus *1. part. tract. 1. disp. 2. dub. 2. num. 17.* Proderit eorum fundamenta deijcere, ut securior nostra remaneat resolutio.

DLXXXVI. Obiectio prima. *An Angeli distinguantur specie*

QVantitas numerica non individuatur à seipsâ: ergò à subjecto: Probatur antecedens: quia aliàs non darentur plures quantitates numero distinctæ. Ergo omnis quantitas esset eadem numero: ergò nulla esset corporum multiplicatio, quod est contra experientiam ocularem. *Confirmatur.* Non dantur duo Angeli ejusdem speciei, qui solùm numero dissideant; quia non habent subjecta plura in quibus multiplicari valeant, & ex se nullatenus multiplicari possunt: ergò similiter vel asserendum est quantitatem sumere individuationem à subjecto, ac propterea in ipsissimo multiplicari; vel si non sumat individuationem & multiplicationem à subiecto, dicendum non dari duas quantitates distinctas numero, sicut nec duos Angelos.

Quantitas est individua ut quo

Huic ratiocinio alii per varios ambages satisfaciunt: ego ex meis principiis directè singulis propositionibus obviam ibo. Quantitas numerica non individuatur à seipsâ: distinguo antecedens, non individuatur à seipsâ *ut quod*, concedo; *ut quo* nego. Ergò à subjecto debet individuari: distinguo consequens. A subiecto debet individuari *ut quo*, nego consequentiam: debet à subiecto individuari *ut quod*; subdistinguo, positivè, nego; negativè, concedo, iuxta ea quæ dixi tertio & quarto Theoremate. Subsumitur, Aliàs non darentur plures quantitates numero distinctæ, distinguo subsumptum: non darentur plures *ut quod*, concedo; non darentur plures *ut quo*, nego. Ergo nulla esset corporum multiplicatio, nego consequentiam; quia sicut albedine receptâ in subiecto resultat album; sic ex corpore & multis individuationibus seu quantitatibus numericis resultabunt diversa corpora, quæ positivo numero distinguantur.

Essentia quantitatis est multiplex.

Confirmatio non urget, quia natura Angelica secundum se est una, at natura quantitatis secundum se est multiplex *ut quo* & ideò constituit plura *ut quod*. Addo (& in hoc admittam exempli analogiam) quantitatem numericam, si subiectum deficeret, non fore unam numericè *ut quod*

positivè, sed sumptam *ut quod* fore unam numericè negativè: & eodem modo de Angelis philosophabor; quia in Angelis non debet asseri Individuatio re, aut ratione indistincta à naturâ specificâ, ut docent Salmanticenses *1.p.d.1.n.17. & disp. 2. n. 28. & n. 34.* sed debet admitti individuatio negativa realiter distincta à supposito Angelico, & hæc negatio est negatio individuationis positivæ, unde sequitur quod illa natura nequeat multiplicari. Quia si affirmatio quantitatis numericæ est formaliter & necessariò affirmatio numericæ multiplicitatis: negatio quantitatis numericæ erit formaliter negatio numericæ multitudinis. Hinc est quod sublatis subjectis, nec natura Angelica, nec Quantitativa possint numero multiplicari.

Systema materiale.

Addo me in Systemate rerum materialium reperire potentiam substantialem materialem, actum substantialem materialem, quantitatem numericam materialem, quantitatem molis seu magnitudinis materialem: qualitates, relationes, durationes, actiones, passiones, ubicationes & alias formas accidentarias materiales: nec videre cur non possem eodem modo philosophari de rerum spiritualium Systemate. Et siquidem in ipso Deo Thomistæ essentiam à naturâ distinguunt formaliter, ita ut essentia materiæ primæ & natura formæ substantiali respondeat: cur non poterunt Angelum componere ex potentia & actu substantialibus spiritualibus? cur non admittere ubicationes, motiones, actiones, passiones, durationes, relationes, qualitates & proprietates spirituales? Cur non etiam divisibilitatem spiritualem? (nam accidentia spiritualia in multorum sententia sunt divisibilia: & in aliquorum etiam ipsæ substantiæ) cur non & magnitudinem spiritualem? Et, si hæ admittantur, cur non poterunt *Quantitates spirituales* nominari? Et, si semel in spiritualibus admittatur quantitas continua, cur non etiam discreta, seu numerica, quæ ex continua divisione resultat? Et si hæc omnia admittuntur, cur non poterimus sicut de brutis materialiter, ita etiam de Angelis spiritualiter philosophari?

An in Deo essentia à naturâ distinguatur?

An Angelus ex actu & potentiâ componatur?

An accidentia, etiam spiritualia, sint divisibilia?

An inter Angelos & bruta detur analogia?

DLXXXVII. Obiectio secunda.

An, & cur forma ignis sit hæc?

HAnc quantitatem numericam, seu hæceitatem, debere esse singularem *ut quod* positivè, probas sic. Ex eo hæc forma Ignis verbi gratiâ, est *hæc ut quod*, & positivè, quia est pars positiva hujus ignis A, qui est individuus positivè: atqui similiter hæc quantitas est pars intrinseca positiva & actualis hujus quanti A, quod est individuum *ut quod* & positivè: ergo quantitas hujus quanti erit hæc quantitas *ut quod* & positivè.

Respondeo negando majorem. Forma ignis non est *hæc* ex eo quod sit pars intrinseca hujus totius (loquimur à priori) sed ex eo quod sit in hâc materiâ primâ. Compositum autem ideò est *hoc*, quia hâc materiâ & hâc formâ componitur. Illatio ex hæceitate compositi ad hæceitatem formæ secura est, verùm à posteriori.

Sanè, si objectio urgeret, etiam hæ essent efficaces. Omnis pars ignis existentis existit *ut quod*: Existentia est pars ignis existentis: Ergo existentia existit *ut quod*. Omnis pars ignis ubicati hîc ubicatur *ut quod*: Ubicatio est pars ignis ubicati hîc: Ergo ubicatio ubicatur *ut quod*. &c.

QUantitas est actus, ergò debet individuari ut alij actus: atqui omnes alij actus tàm substantiales quàm accidentales individuantur à suo subjecto (nempè forma substantialis à suo subjecto, quod est materia: accidentalis à suo subjecto, quod est compositum) ergò quantitas debet individuari à suo subjecto: ergò non à seipsâ. *DLXXXVIII.* Obiectio tertia.

Unde sumat singularitatem quantitas?

Quantitatem recipere à suo subjecto individuationem negativam statui *Theorem* 4. & in hoc convenit cum aliis actibus consideratis in subjecto nondum signato quantitate. Alij actus possunt recipere à subjecto individuationem positivam, quia possunt informare subjectum, quod sit singulare positivè; quantitas verò numerica non potest informare subjectum, quod sit singulare positivè, & ideò à subjecto nequit positivè singularizari. Quod quantitas hæc non possit actuare subjectum singulare positivè demonstro. Ubicatio non informat subjectum ubicatum; existentia non advenit supposito jam existenti; nec albedo communicatur corpori jam albo; ergò positiva singularitas (hæc est quantitas numerica) non communicabitur subjecto, quod præfuisset singulare *ut quod* & positivè.

FOrma substantialis est nobilior quantitate; sed substantialis forma non habet ex se quod sit individua: ergò neque quantitas habere id debet. *DLXXXIX.* Obiectio quarta.

Non omnis entitas perfectior potest præstare, quod imperfectior.

Si tibi videatur consequentia legitima, dabo eandem formam syllogisticam, sed mutatâ materiâ. Forma substantialis est nobilior albedine; atqui forma substantialis non disgregat visum: ergo neque albedo. Ad hos syllogismos & similes respondeo negando consequentiam.

IDeò forma substantialis est multiplicabilis numero positivè & *ut quod*, quia est receptibilis in subjecto; atqui etiam quantitas est in subjecto receptibilis: ergo etiam erit multiplicabilis positivè & *ut quod*. Confirmatur. Forma substantialis ex se non est singularis, quia potest recipi in subjecto; atqui in hoc est quantitati similis: ergo quantitas non est ex se singularis, sed à subjecto multiplicari debet. *DXC.* Obiectio quinta.

Cur forma sit multiplicabilis?

Respondeo negando substantialem formam esse multiplicabilem numero positivè & *ut quod*, quia est receptibilis in subjecto, si subiecti nomine intelligere desideras subjectum simplex: concedo eandem propositionem, si nomine subjecti intelligere desideras subiectum multiplex, hoc est, multa subiecta realia positiva distincta numero realiter *ut quod* & positivè: quia si substantialis forma esset receptibilis in uno solummodò subiecto, esset una numero & numericè non multiplicaretur. Ad minorem

dico

dico unam & eandem quantitatem non esse receptibilem in subjectis, sed in subjecto: ipsa enim multiplicatio subjectorum est, non enim dantur subjecta ante quantitatem. Omnis materia totius mundi præscissa à quantitate est eadem numero negativè, atque subjectum simplex, ut constat ex his quæ suprà uberiùs jam probavimus. Ad confirmationem assero ex eo formam dici nonsingularem, quia potest recipi in variis subjectis; dentur mihi varia subjecta in quibus possit recipi quantitas, & etiam ipsa secundum se non erit singularis (nempe *ut quo*, non enim ei aliam concedimus singularitatem.)

An una quantitas possit pluribus inesse subjectis?

Objectio sexta. Cur quantitas sit ex se individua?

Esse ex se individuum, vel convenit quantitati in quantum actus est, vel in quantum talis actus est; utrumque dici potest: ergo non est ex se individua atque singularis, sed à subjecto individuationem recipit, ut aliæ formæ. Non competere quantitati in quantum actus est esse individuam ex se, constat; quia aliàs omnes alij actus ex se individui essent, quod est contra mentem D. Thomæ, & omnium Thomistarum. Non competere quantitati quà tali actui, probatur. Quia illa taleitas est individua, ergò nullum prædicatum addit speciei; sed solùm illam multiplicat. Patet consequentia; quia multiplicatio numerica tantùm est multiplex speciei ejusdem repetitio, & ideò unum individuum nequit habere perfectionem quâ careat aliud. Taleitatem illam, qua actus ut sic contrahitur ad quantitatem numericam, esse singularitatem constat, quia quantitas numerica est singularitas; & singularitas ab aliis actibus dissidet in individuatione.

Quid quantitas numerica sit?

Multa in hoc ratiocinio confunduntur, quæ indigent lumine clariore. Quantitas in quantum actus est recipit à subjecto individuationem, ut actus alii, illam nempe quam subjectum præhabet. A subjecto non recipit singularitatem positivam sed negativam; quia subjectum hanc, non verò illam individuationem præhabuerat ante quantitatem. Non recipit à subjecto multiplicationem: quia id ante quantitatem erat unum numero negativè, non autem erat plura positivè. Quod si per impossibile subjectum præhabuisset aliundè multiplicationem positivam, ipsa quantitas etiam à subjecto reciperet multiplicitatem. Dicendum igitur est quantitatem in quantum actus est habere *ut quod* unitatem numericam negativam, quam à subjecto recipit: & in quantum talis actus est, habere multiplicationem numericam positivam, non *ut quod*, sed *ut quo*, & ideò cum se materiæ communicat, constituit plura individua distincta numero realiter positivè, juxta ea quæ diximus quarto theoremate. Hinc constat quid quantitati conveniat in quantum actus, quid in quantum hæcceitas est, ut satisfacias argumento. Quia in quantum talis non est hæc, sed hæcceitas: non est singularis sed singularitas; non est individua, sed est individuatio.

Nelcitur.

Iuvat scire quî differat una individuatio ab alterâ. Dico hæcceitatem ut sic esse genus ad omnes hæcceitates. Hæcceitas A & hæcceitas B. dicunt pro materiali rationem genericam hæcceitatis & contrahuntur diverso situ, sic Angelicus Doctor differentiam nominat, in quâ una hæcceitas distinguitur ab aliâ. Hæcceitas A. v. g. est singularis *ut quod* negativè, & *ut quo* positivè. Quod sit singularis *ut quo* in sensu positivo liquet, quia ipsa est actus constitutivus individui, quod est singulare *ut quod* & positivè: atque ideò ut albedo est alba *ut quo*, quia constituit concretum quod est album *ut quod*: sic similiter singularitas erit individua *ut quo*, siquidem constituit unum concretum quod sit individuum *ut quod*. Quod autem sumpta *ut quo* sit singularis negativè probatur; quia nulla hæcceitas est multiplicabilis in subjecto neque extra subjectum. Hæcceitas A. extra subjectum non est contrahibilis per differentias positivas, quia est ultimò contracta; dicit enim rationem genericam hæcceitatis ut sic, dicit rationem differentialem A, (hæc est talis divisio, & initium, aut situs, ut loquar cum Doctore Angelico) & tandem dicit negationem multiplicationis; non enim potest esse in materiâ primâ, quæ est una numericè negativè, ut supra ostendi. *Hinc patet* omnes Ecceitates differre specie, nec posse reperiri duas distinctas numero: non enim una in multis potest subjectis realiter multiplicari.

Quo inter se modo differant singularitates.

Cur singularitas sit singularis ut quo?

Singularitates omnes differunt specie.

Objectio septima.

Si quantitas numerica, seu hæcceitas non sumeret individuationem à subjecto, sed ex se esset individua, sequeretur quòd duæ quantitates distinctæ numero possent esse in eodem subjecto. Consequens est contra nostram sententiam, asserimus enim nec divinitùs hoc fieri posse. Sequelam probas. Quia sicut vestis quæ ex se est individua potest applicari duobus hominibus, ita etiam quantitas si ex se esset individua in duobus subjectis esse posset: aut quod simile est, possent duæ quantitates esse in eodem subjecto. *Confirmatur*, Si una vestis esset cum aliâ penetrata, posset etiam idem homo induere simul duas vestes numero distinctas: ergo si una quantitas esset cum aliâ penetrata, posset etiam idem subjectum recipere duas quantitates numero distinctas. Cæterùm posse duas quantitates penetrari certum apparet, tùm quia divinitùs hoc potest fieri, tùm etiam quia fortè viribus naturæ, quantitas enim numerica, de quâ agimus, in conceptu suo non dicit impenetrabilitatem, hæc enim est accidens aut passio quantitatis.

An quantitas sit penetrabilis?

Respondeo ex multis capitibus esse impossibile duas quantitates numericas esse in eodem subjecto positivo. Primò ex eo quòd non dantur, nec possunt dari duæ quantitates quæ *ut quod* differant merè numero: secundò quia si tales darentur, subje-

An duæ quantitates esse possint in eodem subjecto?

objectum dividerent & multiplicarent. Modo de facto differunt numero *ut quo*, (non enim sunt singulares, sed sunt singularitates) & materiam primam quæ una non est positivè sed negativè dividunt in subjecta distincta numero positivè. Præterea, quia non datur subjectum unum positivè, quod recipiat plures quantitates, quia materia quæ has quantitates recipit, non est una numero positivè, sed quantitate individuatur. Similiter nec una quantitas potest esse in duobus subjectis, quia non dantur duo subjecta ante quantitatem, materia enim totius mundi est una numero negativè, hoc est, in toto mundo præscindendo à quantitate non dantur plures materiæ quæ distinguantur numero. Si autem argumentum intendat, quòd duæ quantitates numericæ possint esse in subjecto quod sit idem & unum negativè & non positivè, sine difficultate habebit quidquid postulet; quia sicut plures differentiæ specificæ sunt in eodem genere, non autem in eadem specie; sic similiter plures hæcceitates sunt in eâdem materiâ individuatâ negativè, non verò in eâdem materiâ singulari realiter & positivè. Explico ulteriùs. Lux & tenebræ in aëre esse possunt: sed in aëre illuminato quà tali non possunt esse tenebræ; nec in tenebroso quà tali potest esse splendor; quia si is inesset aëri, jam non esset aër tenebrosus sed lucidus. Sic similiter in eadem materia prima prout caret quantitate numerica, & est singularis negativè, potest esse quantitas numerica A, & quantitas numerica B. Cæterùm in materia singulari positivè, hoc est, habente quantitatem seu hæcceitatem A, non potest esse quantitas B, quia sicut nec tenebræ sunt subjectum luminis, nec albedo nigredinis, nec calor frigoris, sic nec materia signata quantitate A (hæc est materia positivè individua) poterit esse subjectum aliarum numericarum quantitatum.

An lux & tenebra in eodem aëre esse possint.

***

DISPVTATIO II.

De Scholarum consensu & dissensu, circa Principium Individuationis constitutivum.

Discussimus in præcedentibus quid in scholâ reali Platonis debeat dici, cùm Principium Individuationis inquiritur: nunc juvabit dicta resumere, & ex Platonica (quam volens nolens admittit frequenter Aristoteles & D. Thomas) ad alias scholas excurrere. Agemus specialiter de Principio Constitutivo, nam de Exigitivo in sequente Disputatione differemus.

ARTICULUS I.

Schola Realis. *Reponitur Platonis & Academicorum opinio.*

Prima sententia.

Quæ uberiùs hucusque pertractavi, proderit breviter retractare; & quia brevitas placet, dicta omnia ad pauculas lineas contrahemus.

DXCIII. *Quid sit formam puro numero multiplicari?*

Dico primò, *Omnem individuationem, differentiam, & contractionem numericam esse materialem*: quod sic intellige, ut idem sit formam universalem multiplicari puro numero, quàm in multis subjectis replicari. Hinc repugnantia illa, quam D. Thomas adstruit, oritur: non enim vel divinitùs potest fieri, ut duæ formæ singulares distinctæ puro numero dentur separatæ à subiectis (imò nec possibile est, ut concipiantur separatæ) sunt enim duæ, si in duobus subjectis: adeoque, si essent duæ & separatæ, essent in duobus subjectis, & non essent in duobus subjectis.

An dentur formæ individuæ separatæ.

Nec urgent Animæ rationales separatæ, nec accidentia eucharistica separata. *Non illæ*; quia fortè formæ spirituales substantiales aliter singularizantur: illas enim à regulâ communi excludit D. Ioannes Marcus Marci, Platonicus diligentissimus. Et quidquid sit de disparitate hac, humanæ animæ etiam in separationis statu dicunt realem ordinem ad propria corpora: & quia differunt habitudinibus, differunt intra eamdem speciem, ac propterea numero. *Non hæc*: cùm, quia eodem modo possemus de accidentibus Sacramentalibus, quo de Animabus discurrere; videlicet, asserendo ipsa distingui habitudinibus, nam accidentia hæc ordinantur ad panem aut Vinum quod desiit, non ad aliud ullum, ex omnibus, quæ sunt aut esse possunt in mundo, tum, quia omnia accidentia distincta numero quæ reperiuntur in Sacramento Eucharistiæ subjectantur in diversis quantitatis partibus, & in hoc sequuntur regulam communem. Et quantitatis partes non distinguuntur puro numero, sed specie, ut diximus.

Quod sit principium individuationis animarum.

Quod sit principium individuationis quantitatis Eucharisticæ.

An quantitatis partes distinguantur specie?

DXCIV. *Quid sit formas distinguere numero?*

Dico secundò. *Idem esse duo accidentia differre puro numero, quod esse in duobus subjectis.* Addo, *idem esse duas formas substantiales distingui puro numero, quàm esse in duabus materiis*; patet, quia subjectum formæ substantialis est Ma-

est Materia prima : & accidentium est juxta diversas opiniones vel materia, vel forma, vel compositum. Subjungo *idem esse duas materias primas distingui puro numero, quod habere duas quantitates numericas*: patet; unam, quam *singularitatem* Logici aut Metaphysici, illam Physici vocant *Quantitatem numericam*.

Quid sit materias distingui numero?

DXCV. *Quid sit quantitas singularis?*

Dico tertiò, me superiùs de essentiâ Quantitatis numericæ dubitavisse, & sub finem art.6. duas opiniones recensuisse : & ad prioris fundamenta dixisse: *Quantitatem numericam esse primam, hancque inamissibilem quantitatis partem.* Primum enim quantitatis indivisibile vocatur *Quantitas numerica*; ultimum *Tantitas* : & omnia simul constituunt quantitatem molis. Nam si rem bene examines, primum dat materiæ quod sit hæc, ultimum quod sit tanta. Sed quia posterior sententia ibi relata facilior est, poterimus dicere, quantitatem esse duplicem (Numericam & Extensivam) illam dare rei, quod sit individua, hæc quod sit tanta. Sed de hac sententiâ Articulo II. uberiùs.

Relatio duas habet necessitates,

Dico quartò, *Relationes habere duplex esse*, *nimirùm* esse in, & esse ad : *Secundum esse in individuantur, ut cæteræ accidentales formæ : secundum esse ad sumunt a terminis individuationem.*

Hæc sunt, quæ uberiùs discussimus, & quæ in Scholâ Reali ad mentem Platonis & Academicorum debent dici; quæ centies asserit Aristoteles, & D. Thomas : quod centies Peripatetici & Thomistæ: licèt Aristoteles sibi non constet, quæ enim ratione ductus asserit, odio Magistri præoccupatus condemnat: unde mirum non erit, si D. Thomas aut alij Stagiritæ Præceptoris Interpretes sibi sint, aut esse videantur contrarij; sequuntur enim Aristotelis dogmata, quæ non semper cohærent, nec possunt sine contradictione propugnari.

An Aristoteles laboret inconsequentiâ?

ARTICULUS II.

Recentiorum opinio.

DXCVI. *Secunda sententia. Quid sit quantitas discreta seu numerica?*

PLato & Academici, Aristoteles & Peripatetici, D. Thomas & Thomistæ asserunt quantitatem numericam aut esse ipsam quantitatem molis, aut eius partem, ut iterum iterumque explicavi : at hoc ipsum aliquibus videtur difficile, & ad facilitandam hanc doctrinam duas esse species quantitatis affirmant; aliam continuam, & aliam discretam. Addunt discretam, quidquid sit de continuâ, constare indivisibilibus, quorum singula sint singularitates, & individuationes substantiæ. Subjungunt quantitatem discretam, sic expositam, vocari *Quantitatem numericam*. aut etiam *Sigillum quantitatis*. Humanum igitur corpus ideò hoc est, quia habet talem quantitatem discretam seu numericam : & ideò tantum, quia habet tantam quantitatem continuam seu molis. Pono exemplum in corpore humano, quia in reliquis non ita relucet hæc diversitas. Totum quantum est unico indivisibili quantitatis numericæ singularizatur, & quantitate molis quodammodo rarefit & extenditur : & sicut unum indivisibile quantitatis numericæ tot & tantas habeat quantitativas partes, mirum non erit, si aquæ particulæ ex.gr. rarefieri, hoc est inflari aut extendi à nonnullis dicantur : bene enim stat, ut indivisibilis entitas sit divisibilis, si sint sensus diversi, & diversa connotata ponantur: quæ enim numero non possunt multiplicari, augeri, aut dividi, possunt mole vel loco.

Quantitas duplex.

Sigillum quantitatis.

An in corpore humano multa sint necessitates?

Particula inflata.

An indivisibile dividi possit?

ARTICULUS III.

Aliorum opinio.

DXCVII. Tertia sententia. *An existentia sit principium individuationis?*

CEnsent alij quantitatem numericam à molis quantitate distingui; & ne entia dicantur multiplicate sine causâ, ad existentiam recurrunt, & eam dicunt esse principium formale individuationis materiæ. Sed quia dicunt accidentia individuari à subjecto : formas à materiâ : stant doctrinæ præcedenti. Sed quia addunt materiam individuari ab existentiâ, differunt ab aliorum doctrinâ, & videntur asserere unicam esse existentiam in toto composito, vi cuius omnes realitates existant, & hanc pertinere ad materiam. Unde sicut Thomistæ dicunt accidentia existere existentiâ compositi : formam substantialem existentiâ propriâ : & materiam existentiâ formæ : sic isti debebunt consequenter asserere, accidentia existere existentiâ compositi: compositum existentiâ formæ : formam existentiâ materiæ : materiam propriâ. Et quidem hic discursus aut descensus potiùs, meliùs progredi & disponi videtur.

An forma existat existentiâ materiali?

ARTICULUS IV.

Boetij opinio.

DXCVIII. Quarta sententia. *Boetius iniustè condemnatur.*

BOëtij vitam scripsi, nec caruit fructu ille libellus, fuit enim Christianus & Politicus, & scivit longo tempore materiam status, quam vocant, cum pietate conjungere : at tandem, quia maluit Politicam Fidei Orthodoxæ supponere, quàm Politicæ Fidem, damnatus fuit à Theodorico Italiæ Rege, & nobis morum & ingenij memoriam in doctissimis libris reliquit. Dedit operam Scholæ Aristotelicæ multis annis, quam non tàm defendit, quàm correxit : & inter multas opiniones, quas habet, illam eligam, qua individuationem exponit. Fortè alicui videbitur Boëtius aliis locis aliter sentire aut docere : hoc non urgeo, hoc non examino : est enim animus potiùs exprndere ipsammet opinionem, quam eiusdem inventorem aut authorem inquirere.

An sit Peripateticus?

An essentia à substantiâ distinguatur?

An individuatio sit substantiae?

Boëtius igitur *libri ut arabico nomine tertia paginâ*, videtur Aristotelem deserere, non enim veteribus Philosophis Subsistentia fuit nota; debent ita discipuli adhærere Magistris, ut eorumdem erroribus nunquam adhæreant: & si *tota literarum sæcularium Schola* (verba sunt Hieronymi in Epistolâ ad Damascenum, quæ incipit *Quoniam vetusto nihil aliud impostasin nisi usian novit,* præstat, ut ex illâ egrediatur Boëtius, quàm ut in illâ nescire addiscat, quæ Philosophi Gentiles ignorant. Ne igitur errore Peripateticorum inficiatur Boëtius, Subsistentiam ab Essentia distinguit, & asserit Individuationem esse Subsistentiam aut Personalitatem: ait enim: *Persona est rationalis naturæ individua substantia.*

An singularia definiantur?

D. Thomas 1. *part. q. 29. art. 1.* hanc definitionem proponit, & quia contra obiiciebas, [Nullum singulare definitur: Sed Persona significat quoddam singulare: Ergo Persona inconvenienter definitur.] respondet [quod licet hoc singulare vel illud definiri non possit, tamen id quod pertinet ad rationem communem singularitatis, definiri potest: & sic Philosophus *libro Prædicam. cap. 1. de subst. text. 1.* definit substantiam primam, & hoc modo definit Boëtius Personam.] Ergo Persona teste D. Thoma est Substantia prima rationalis: quod ipsum adhuc clariùs constat ex responsione ad secundum; ibi enim ait. [Dicendum est quod *Substantia* (nimirùm, in definitione Personæ) accipitur communiter, prout dividitur per primam ac secundam: & per hoc quod additur *individua* trahitur ad standum pro substantiâ primâ.] His positis Boëtij sententiam ad has Conclusiones reducemus.

Substantia duplex prima & secunda.

DXCIX. Ait enim primò, *Omnem individuationem, differentiam, & contractionem numericam esse materialem: hoc est à materiâ aut subiecto desumi.* Ait secundò, *Idem esse duo accidentia differre puro numero, quod esse in duobus subiectis.* Ait tertiò, *Idem esse duas formas substantiales distingui puro numero, quod esse in duabus materiis.* hucusque strictissimè premit Aristotelis & Peripateticorum sententiam Platoni & prisci ævi Philosophis adhærentium. Ait quartò (& hîc ab universis antiquioribus abit) *idem esse duas materias primas distingui puro numero, quod esse in duobus suppositis*: nam subsistentia est substantiarum singularitas.

Principium individuationis.

DC. Sanè Boëtij sententia non est Peripateticæ & Platonicæ inversio sed correctio: nam illi sub initium bene philosophati sunt; at subfinem, quia ignorabant suppositalitates, debuerunt in consequentiâ laborare. Dicebant, *idem esse multiplicari puro numero, ac in variis subiectis realitatem universalem ac communem aliquam replicari.* Adnuo: & interrogo, Quid sit multiplicari numero accidentia? Quid multiplicari numero formas? & respondent, omnem formam (substantialis esset, aut accidentalis) secundum se non esse singularem, nec multiplicem; multiplicari tamen ex eo, quod sit in diversis subiectis. Et progredior, & rogo unde materia prima multiplicetur: ipsa enim secundum se considerata, nec est singularis, nec multiplex, & tamen reperiri multas materias numero distinctas certum est? Respondet Aristoteles & D. Thomas cum eo, materiam primam non iam multiplicari ex eo, quod sit in diversis subiectis, (ipsa enim primum subjectum est, & primi subiecti non datur subjectum) sed ex eo quod habeat diversam formam quantitativam. An-non vides inconsequentiam manifestam? At respondet Boëtius & cum eo D. Thomas, Omnem individuationem sumi à materia seu subiecto; adeòque omnem formam (tam accidentalem, quàm substantialem) individuari à subjecto aut materiâ: & ipsam materiam primam individuari, sicut formas omnes, à suo subiecto: hoc est, à supposito. Ecce summam consequentiam doctrinæ.

An Boetius antiquiores correxerit?

An materia prima habeat subiectum?

Sed obiicis. Materia prima est primum subjectum: non ergo habet subiectum: nam si haberet subjectum, esset subjectum secundum & non primum.

DCI. Respondeo pro Boëtio subjectum esse duplex; aliud informationis, & aliud sustentationis: & individuationem sumi ab alterutro. Addo subsistentiam esse quidem subjectum sustentationis (nota id bene: Subsistentia enim sustentat naturam, & non contrà) non verò informationis: & hanc ob rem materia prima metirò dicitur primum informationis subjectum. Hanc distinctionem ponimus ob duas causas: primam, ne naturam humanam Verbi Personalitatem informare dicamus: secundam, ne Aristotelem & eius universos discipulos malè loqui dicamus: quod si hoc secundum dicere placeat non debebimus necessariò dicere illud prius quia sicut gratia habet duos effectus formales, primarium, & secundarium: nam primariò reddit hominem, quem efficit Sanctum & supernaturaliter Deo gratum, & secundariò filium Dei adoptivum: & potest carere effectu formali secundario, nam Christum non reddit filium adoptivum, quia hujus denominationis est incapax, cùm naturalis filius sit: sic etiam possemus dicere materiam, quam vocamus primam, esse subjectum Animæ rationalis & formam subsistentiam; possemus addere, Scotistarum pace & veniâ, materiam primam Aristotelicam vocari à Scoto Formam corporeitatis; & subsistentiam ipsam, quam sub materiâ primâ Aristotelicâ detexit fides, vocari ab eo materiam primam: & possemus subjungere, omnem formam sustentari & perficere; illud primariò, hoc secundariò: sustentari quidem à quocumque subjecto; at perficere, non quodcumque, sed subiectum quod perfectionis adquirendæ sit capax: cùm igitur Æterni Verbi personalitas non sit perfectibilis, illam realitatem (quam Aristoteles vocat materiam primam, Scotus formam corporeitatis) sustentare quidem potuit: at ab eâdem perfici & nobilitari non potuit. Nec hinc seque-

DCI. Subjectum duplex.

Subsistentia est basis naturæ.

Gratia habet duos effectus formales.

An Christus sit filius adoptivus?

Subiecti & potentiæ discrimen.

ſequeretur ſubſiſtentiam Verbi eſſe materiam aut potentiam humanæ naturæ; quia poſſemus dicere eamdem realitatem prout ſuſtentat vocari *ſubjectum*, prout perficitur verò *potentiam*, aut etiam *materiam*, ſi velis: quamobrem, cùm Verbi hypoſtaſis humanitatem ſuſtentet, & ab eâ non perficiatur, conſequens eſt, ut ſuppoſitum & hypoſtaſis, aut etiam ſubjectum, non inhæſionis, aut informationis, ſed puræ ſuſtentationis ſit: & tamen materia aut potentia non ſit.

DCII. *Nota ſingula Verba.*

Hanc Boëtij ſententiam D. Thomas 1. *part. quæſt.* 29. *art.* 1. ſequitur; & ſic ait. [Dicendum, quod licèt univerſale & particulare inveniantur in omnibus generibus, tamen ſpeciali quodam modo individuum invenitur in genere ſubſtantiæ: Subſtantia enim individuatur per ſe ipſam, ſed accidentia individuantur per ſubjectum quod eſt ſubſtantia: dicitur enim *hæc albedo* in quantum eſt in hoc ſubjecto. Vnde etiam convenienter individuæ ſubſtantiæ habent aliquod ſpeciale nomen præ alijs, dicuntur enim *hypoſtaſes* vel *primæ ſubſtantiæ*. Sed adhuc quodam ſpecialiori & perfectiori modo invenitur particulare & individuum in ſubſtantiis rationalibus, quæ habent dominium ſui actûs, & non ſolùm aguntur ſicut alia, ſed per ſe agunt; actiones autem in ſingularibus ſunt. Et ideò etiam inter cæteras ſubſtantias etiam quoddam ſingulare nomen habent ſingularia rationalis naturæ, & hoc nomen eſt *Perſona*. Et ideò in prædictâ definitione perſonæ ponitur *Subſtantia individua*, in quantum ſignificat ſingulare in genere ſubſtantiæ: additur autem *rationalis naturæ*, in quantum ſignificat ſingulare in rationalibus ſubſtantiis.] Hæc D. Thomas. Vbi nota accidentia individuari per ſubjectum: nota idem eſſe hanc albedinem, ac eſſe albedinem in hoc ſubjecto: hanc doctrinam ad formas ſubſtantiales extende; ipſæ enim à ſubjecto ſuo, hoc eſt, à materiâ primâ, individuantur. Sed unde individuatur ſubſtantia? *Subſtantia*, ait D. Thomas, *individuatur per ſe ipſam*: non ergo per quantitatem: niſi velis nomine quantitatis numericæ ipſam ſubſiſtentiam ſeu perſeitatem intelligere: tunc enim de nominibus non diſputabo.

Quo modo individuentur ſubſtantiæ.

Hypoſtaſes ſubſtantiæ primæ.

Quid ſit Eccëitas?

DCIII. *An hæc doctrina ſit damnata?*

Dices hanc Boëtij ſententiam eſſe in Gilberto Porretano à Concilio Rhemenſi & Eugenio III. condemnatam, aiunt enim Patres in Symbolo. *Credimus & confitemur, ſolum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum ſanctum æternum eſſe; nec aliquas omninò res, ſive relationes, ſive proprietates, ſive ſingularitates vel unitates dicantur, vel alia huiuſmodi adeſſe Deo, quæ ſint ab æterno, & non ſint Deus.* Et infers ad mentem Concilij relationes ſeu ſubſiſtentias divinas non eſſe ſingularitates.

An divinæ ſubſiſtentiæ ſint ſingularitates?

Reſpondeo duo Gilbertum dixiſſe; alterum, relationes divinas eſſe quaſdam ſubſiſtentias æternas realiter à Divinitate diſtinctas: alterum, eaſdem ſubſiſtentias eſſe ſingularitates. Et Patres contrà, non negant, ſed tacitè potiùs confirmant ſubſiſtentias eſſe ſingularitates; eſſe æternas; & erat negant eſſe realiter ab eſſentiâ diſtinctas.

Gilberti error.

ARTICULUS V.

Prodiga aliquorum ſententia.

DCIV. *Quinta ſententia.*

VOlunt alij omnem contractionem ab aliquo principio formali provenire: adeòque ſubſtantiam materialem affirmant eſſe realitatem quandam communem & univerſalem, & in ſubſtantiæ Prædicamento ſummam. Eam vocant *Materiam primam*, & onerant formâ corporeitatis, ut ſit corpus organicum, & diſtinguatur ab inorganicis, quæ corpora dicuntur impropriè. Corpus contrahunt ad Vivens & Non-vivens per formas oppoſitas vegetandi & non vegetandi. Corpus vivens, ſive vegetativum contrahunt ad ſenſibile & inſenſibile per oppoſitas ſentiendi formas: & corpus vegetativum ſenſibile appellant *Animal*. Et hoc contrahunt ad Rationale & Irrationale per formas oppoſitas intelligendi & non intelligendi: & ſi ſit Animal intelligens, vocatur *Homo*. Et tandem Hominem contrahunt ad Petrum, Paulum, Franciſcum, &c. per formas reales ultimas, quæ individuales dicuntur, quod individuam ſubſtantiam conſtituant; nimirùm ſubſtantiam, quæ ulteriùs contrahi & ſubdividi nequeat. Eodèm modo de accidentibus philoſophantur, & dicunt Qualitatem ex. gr. caput tertij Prædicamenti, dividi in quatuor ſpecies (Habitum & diſpoſitionem, Potentiam & impotentiam, Paſſionem & paſſibilem qualitatem, Formam & figuram) per formas veras & reales contractivas. Addunt paſſibilem ſeu ſenſibilem qualitatem per formam ſpecialem contrahi ad viſibilem, & *Colorem* vocari. Subdividunt Colorem & addunt per formam etiam ſuperadditam diſgregare viſum, & dici *Albedinem*. Et quia multas Albedines in mundo inveniunt, rogati unde hæc multitudo proveniat, aiunt, dari etiam formas individuales, quæ Albedinem (eodem prorſus modo de quocumque alio Accidente philoſophandum eſt) contrahant & numero pitro multiplicent.

An eccëitas contrahat ſpeciem?

Sufficit in toto unica exiſtentia.

Sic illi. At eorum Ego Philoſophiam prodigam aio; quia, ſi diſtinguitur exiſtentia ab eſſentiâ, unica exiſtentia in toto compoſito ſufficit, ut omnia dicantur exiſtere, quæ illi hærent: Et ſi diſtinguitur ubicatio à ſubſtantiâ, unica ubicatio in toto compoſito ſufficit, ut omnia dicantur ubicata, quæcumque ei intrinſecùs unita ſunt. Ergo, ſi ſingularitas à ſpecie realiter diſtingui ponatur, fruſtra ponentur multæ ſingularitates in compoſito, cùm dici poſſit, omnes realitates, quæ in illo reperiuntur, unicâ ſubſtantiæ ſingularitate individuari.

Vnica Vbicatio.

Et unica Haccëitas.

***

ARTICULUS VI.

Schola Modalis. *Expenduntur varii modi dicendi.*

DCV. Sexta sententia. *An singularitas sit modus?*

MVlti primæ Realium opinioni consentiunt, quam tamen ita exponunt, ut individuatio sit quædam entitas modalis, quæ additur speciei. Et dicunt

Primò, *Omnem formæ individuationem esse modum unionis aut informationis, quo illa unitur subiecto.* Secundò: *Idem esse duo accidentia differre puro numero, quod inhærere duobus subiectis.* Ergo accidens ex naturâ suâ est realiter universale, & aptum inhærere multis subjectis & per multiplicem modum inhærentiæ fit multiplex, & numero multiplicatur. Addunt *idem esse duas formas substantiales distingui puro numero, quod informare duas materias.* Ergo forma substantialis ex naturâ suâ est realiter universalis, & apta informare multas materias, & per multiplicem modum informationis fit multiplex, & numero multiplicatur. Subiungunt, *idem esse duas materias puro numero multiplicari, quod habere plures quantitates*, quas, si *numericas*, aut etiam *sigillativas* dixeris, de vocibus non disputabunt. Dicunt

Omnes Formæ sunt realiter universales.

Tertiò *Quantitatem ipsam esse substantiæ modum, & ideò quæ distinguuntur mole seu singularitate, tantummodò distingui modaliter.* Sic illi primam Realium sententiam ad Modalium Scholam, quæ hoc ævo est florentissima, transferunt.

Septima sententia. *An quantitas sit modus?*

Vt secundam Realium sententiam propriis fundamentis attemperent, duo priora Asserta admittunt, ut paulò anteà; at tertio loco statuunt, *Individuationem non esse quantitatem continuam seu molem, sed esse eius sigillum, hoc est, modum quemdam specificæ naturæ superadditum, qui illam individuat, singularizat, & constituit in esse huius, & individuum sic constitutum distinguit à quocumque alio.*

Octava sententia. *An existentia modus sit?*

Opinio tertia Realium ad existentiam recurrebat, & hanc esse singularitatem substantiæ communis putabat: & se facili negotio ad Scholam Modistarum transportat asserendo existentiam esse modum quemdam essentiæ possibili additum; vi cuius illa extra causas ponatur. Multi enim dicunt essentiam & existentiam distingui, non realiter sed modaliter tantùm.

Nona sententia. *An subsistentia sit modus?*

Et Boëtius, cuius opinionem quarto loco recensui, asserebat subsistentiam esse primum originale & fontale principium individuationis; & si modo addat subsistentiam, non rem, sed modum esse, non deseret opinionem priorem quoad substantiam, sed quoad modum: & tamen nomen dabit Modistarum Scholæ.

Decima sententia. *An singularitates sint modi?*

Tandem, si singulæ species formaliter & per differentias intrinsecè informantes contrahantur, possemus adhuc dicere in hoc genus à specie distingui, quod illud contrahatur realiter, & hæc modaliter: hoc est, quod genus contrahatur per differentias reales, species verò per modales.

ARTICULUS VII.

Schola Actionalis. *An rerum fieri earumdem sit individuatio?*

EMinentissimus Cardinalis de Lugo nos evocat: ipsi enim Scholam Actionalem debemus, & vult videre, An omnes istas quinque Realium aut etiam Modalium opiniones, sciamus suis dogmatibus attemperare? Et quia vano conatu laborare non volumus, quidquid dici possit, aut non possit, servatâ paritate doctrinæ, expono. Dico igitur DCVI. Vndecima sententia.

Primò, *Omnem individuationem, contractionem & differentiam numericam ab actione desumi: nimirum à passivâ, seu fieri.* Productio activa causam potiùs denominat, quàm terminum: nam iste à passivâ productione unitatem & multiplicitatem desumit; & hoc sive actio & passio distinguantur realiter, sive non. *Quid sit individuatio.*

Secundò. *Sunt realitates aliquæ, quæ producuntur: & sunt aliquæ, quæ comproducuntur. Illæ quia producuntur productione propriâ, ideò etiam singularitate propriâ individuantur: istæ, quia producuntur productione alienâ, ideò singularitate alienâ individuantur.* Hinc patet, quid respondendum sit rogantibus, unde potentiæ Animæ individuationem assumant? Nam, si dicantur produci ab ipsâ Animâ, ideò sunt hæ, quia earumdem *fieri* est hoc, & si earumdem *fieri* esset aliud, ipsæ aliæ essent. Si dicantur non produci ab Animâ, cujus sunt potentiæ, sed ab Authore Animæ comproduci, tunc etiam singularitate Animæ individuabuntur. nam sicut productio una & eadem, primariò Animam, & secundariò eius potentias producit: sic similiter unum & idem *fieri*, seu productio passiva, primariò Animam & secundariò ejus reales potentias singularizat.

Aliæ creantur, & aliæ concreantur.

An potentiæ animæ comproducantur?

DCVII. Quæris: Vtrùm unum ac idem individuum permaneat? Et ratio dubitandi est: quia *fieri*, seu productio passiva non remanet; & *fieri* dicitur individuatio. *An mutetur individuatio?*

Respondere poterunt hujus propugnatores sententiæ, conservationem esse quamdam continuam productionem: poterunt addere, actionem causæ primæ & secundæ eamdem esse: & hanc ob rem, non solùm cessante causæ secundæ influxu, sed etiam ea pereunte, manere eamdem numero actionem, prout à Deo; adeoque eamdem etiam individuationem.

Quid sit conservatio.

An causæ primæ & secundæ sit unus & idem concursus?

Quæris etiam. Vtrùm omnia, quæ olim fuerunt, & iam perierunt, possint divinitùs reproduci? Solent Philosophi distinguere Entia permanentia à successivis; actiones à terminis: solent-que asserere terminos ipsos posse reproduci, at ipsorum motus & actiones non posse. At in hac Scholâ non habet locum *De reproductione.* *Nota bene.*

locum hæc distinctio, quia, si repugnat actionis reproductio, termini reproductio necessariò repugnat; quoniam mutatâ actione, terminum numero mutari opus est.

ARTICULUS VIII.

Schola localis. *An Vbicatio sit principium Individuationis?*

DCVIII. *Duodecima sententia.* SI locus (internus aut externus) esset rerum ecceitas, quæ multis locis posita, numero multiplicarentur: adeòque Christus, qui sacramentaliter est in pluribus locis, etiam multiplicaretur numero. At, si Philosophiam naturalem tractemus, & miracula, quæ ad supernaturalem spectant præscindamus, posset dubitare nonnullus, An loci unitas aut pluralitas constituat unum individuum vel plura? Fortè aliquid magis subtiliter quàm probabiliter posset edici: *Locus non est principium individuationis.* resolvo tamen locum non esse individuationem, nec speciem ideò esse in uno individuo formaliter, quia in uno loco: aut ideò esse in multis individuis, quia in multis locis: quoniam singularitas pertinet ad individui essentiam, & essentias Deus non potest mutare aut alterare. ergo sicut non potest facere Deus, ut Christus multiplicetur numero, sic etiam nec posset facere, ut Christus replicetur loco, si idem esset formaliter loco & numero multiplicari. At ille replicatur in innumerabilibus hostiis, & tamen manet idem numero: Ergo aliud est replicari in diversis locis, & aliud numero multiplicari. Accedit, quod si locus esset Ecceitas, loci mutatio esset singularitatis mutatio: adeoque Entia successiva mutarentur numero successivè, nec haberent majorem identitatem quam fluvius, qui nomen retinet, licèt semper fluat & fluat nova aqua. *An singularitas sit successiva.* At hoc ipsum fortè aliqui nec absurdum nec falsum judicarent: Ergo agamus de Entibus permanentibus. Etiam ista mutantur loco: ergo, si hæc sententia esset vera, mutarentur numero & singularitate: Ergo, si mitto Petrum ad arcem, qui erat Petrus meæ domi, ut ad arcem venerit, jam non erit ampliùs Petrus, sed erit Paulus: nam mutatis locis, etiam mutantur ecceitates.

Notandum.

DCIX. INterim licèt non admittam esse probabile Ecceitatem & Vbicationem coïncidere, nihilominùs ex Vbicationis doctrinâ oritur paritas & analogia, ut possit fortè aliquis intelligere aliquem modum multiplicationis numericæ, quam multi obnubilant, cùm magis illustrare conantur.

Probabile est unionem non esse realitatem, non modum, non formalitatem ab extremis distinctam: probabile ubicationem nec realitatem esse, nec modum nec formalitatem: & tamen certum est Christi humanam substantiam in multis locis repeti, & in pluribus posse. Cùm in multis locis replicatur nullam formam realem, nullam modalem, nullam formalem ille adquirit, & tamen verè & realiter repetitur & replicatur: & est idem met Christus in multis locis repetitus localiter. Cur ergo non poterimus de Specie & Individuis eodem modo philosophari? Cur non poterimus dicere Naturam humanam v. gr. cùm in multis individuis repetitur & replicatur, nullam novam formam realem, nullam modalem, nullam vel formalem adquirere; & nihilominùs numero multiplicari? Cur non addere, Humanitatem specificam multiplicari numero, nihil esse aliud, quâ pluries repeti & replicari: non quidē localiter, aut ubicaliter, sed substātialiter & singulariter: & quid tandē erit repeti & replicari singulariter? Erit quædam repetitio & replicatio substantialis analoga & simillima repetitioni & replicationi locali, ad Prædicamentum Substantiæ principaliter & primariò spectans; & semel benè exposita & intellecta ad alia Prædicamenta transiens. *An Ecceitates sint mera numera specifica repetitiones.*

DCX. Semel expositâ multiplicatione numericâ in Prædicamento substantiæ, & ad ideam replicationis localis elimatâ, facile erit Rarefactionem & Condensationem in Quantitatis Prædicamento exponere: facile Intensionem & Remissionem in Prædicamento Qualitatis. Dici enim poterit Condensatio esse eiusdem Quantitatis repetitio in eodem spacio: & Intensio ejusdem Qualitatis repetitio in eodem subjecto. Hinc est densa sibi derelicta rarescere & maius spacium occupare: & intensa extendi, quà possiunt; videtur enim vis inferri naturæ, cùm vel eadem Quantitas vel eadem Qualitas, vel quæcumque alia res replicatur.

Hæc hîc insinuasse sufficiat. Scio posse rationibus singula gravibus firmari & infirmari, at meum non fuit integram Philosophiam hîc ponere, sed quid ex multiplicatione & replicatione locali sequi queat, breviter insinuare. *Hæc indigent maiori examine, sed hîc illa insinuasse sufficiat.*

ARTICULUS IX.

Schola Formalis. *Quo debeamus philosophari modo, si à Specie Ecceitas distinguatur formaliter.*

DCXI. *Tertiadecima sententia.* SI singularitas realiter identificatur speciei, sive sequamur Scotistas, sive Thomistas, sive Nominales aut Expressistas, singulæ realitates, quæ existunt, erunt singulares & individuæ, & non indigebunt extrinsecâ singularitate. *An singularitas sit intrinseca?* In hac scholâ hæ debebunt Assertiones admitti.

Prima. *Omnis individuatio, & omnis contractio aut differentia numerica est formalis.* Patet, quia non sumitur à materiâ aut subjecto, sed à superadditâ formalitate: nam sicut Sensibilitas est forma quædam intelligibilis, quæ informat Vivens, & constituit Animal: & sicut Rationalitas est forma quædam intelligibilis, *An individuatio sit differentia formalis.*

gibilis, quæ informat Animal & constituit Hominem: Sic etiam Petreitas est forma quædam intelligibilis, quæ informat Hominem, & constituit Petrum. [Nomine formæ intelligibilis illam intelligo, quam vocitant *Formalitatem*.]

Quid sit formalitas?

Scio esse non paucos, qui nobiscum sentiunt, & nihilominùs volunt singularitates *differentias materiales* vocari: quos existimo abuti vocabulis ut videantur assentiri Aristoteli, cùm ab illo toto cœlo dissentiunt. Scio eosdem magno molimine velle ostendere se bene loqui, sed quia hoc non credo, nec credere volo, frustrà illos auditurus sum. Nõ stat mihi tanti Aristotelis Lexicon, ut cùm ab illo mens abit, lingua in vinculis hærere debeat. In Schola Reali, siquando Aristotelicè philosopher, etiam eloquar Aristotelicè, at in Formali, ubi contra Aristotelem me sentire profiteor, cur cum eo loqui debeo? Stet igitur singularitates esse differentias formales.

An loqui cum Aristotele necessariò debeamus?

DCXIII. Secunda: *Idem est duo accidentia distingui puro numero, quod habere duas singularitates: hoc est duas formas intelligibiles, seu formalitates, speciem ultimò contrahentes, & multiplicantes.* Tertia: *Eodem omninò modo de formis substantialibus, & materiis primis philosophabimur.* Ergo quærenti, cur hæc albedo, quæ huic chartæ inhæret, sit albedo A, & non sit albedo B? responderi debebit, albedinis conceptum specificum contrahi per varias formas intelligibiles distinctas ab eo (vel ex naturâ rei juxta Scotum, vel ratione ratiocinatâ juxta D. Thomam, vel ratione ratiocinante juxta alios) & aggregatum ex albedine ut sic, & taleitate A, esse albedinem A; & aggregatum ex albedine ut sic, & taleitate B, esse albedinem B. Ergo quærenti, cur hic homo sit Petrus, & non Paulus? responderi debebit, hominis conceptum specificum contrahi per varias formas intelligibiles formaliter ab eo distinctas (nempe juxta varias sententias) & aggregatum ex homine ut sic, & Petreitate, esse Petrum; & aggregatum ex homine ut sic & Pauleitate, esse Paulum. Ergo etiam roganti, cur hæc anima, quæ est in me, sit anima A, & non anima B? responderi debebit conceptum specificum animæ contrahi per varias formas intelligibiles (nempe per A, per B, &c.) & contractam per differentiam individualem A, esse animam A, & contractam per differentiam individualem B. esse animam B *Et hoc modo* servatâ doctrinæ paritate de Materia etiam primâ: hoc de quibuscumque formis; hoc de Quantitate: hoc de Qualitate: hoc tandem de quocumque accidenti vel modo poterimus philosophari.

Quid sit haeceitas accidentium?

Quid haeceitas substantiæ?

DCXV. Et quia modorum mentio incidit, in memoriam revocari præcipio triplicem esse distinctionem formalem: nam forma intelligibilis seu rationis, vel est formalitas substantialis, vel accidentalis, vel modalis. *Porrò, si dixerimus* Ecceitatem esse formalitatem essentialem (& hoc sensu etiam, si sic loqui libeat, substantialem) stabimus sententiæ tertiæ-decimæ, quam huc usque exposuimus. *Si verò asserere placeat*, Ecceitatem esse formalitatem accidentalem, non statim inferri debebit mihi accidere esse Ioanni; quia Ecceitas non diceretur in tali casu individui accidens, sed speciei: nam sicut nigredo accidit homini, & non accidit Æthiopi, hunc enim sine nigredine non concipis, sic etiam Petreitas accidit homini & non Petro, hunc enim nemo intelliget præcisâ Petreitate. Nec est cur nimiùm in formalitatibus scrupulosi simus, cùm videamus primæ sententiæ Authores Ecceitatem ad molis quantitatem reducere, quæ in eorumdem sententia est verum & physicum accidens, *Et tandem, si dicamus* Ecceitatem esse formalitatem modalem, ingrediemur viam probabilissimam, & poterimus sextam, septimam, octavam, nonam, & alias similes Modalistarum opiniones ad formalitates revocare.

Formalitas est triplex: Substantialis, Accidentalis & Modalis.

Quarta-decima sententia.

Haeceitas est speciei accidens.

Quinta-decima sententia.

ARTICULUS X.

Schola Deiformis. *Vtrùm Deus sit formale principium individuationis?*

DCXV. AGo de formali & constitutivo principio; nam de activo & determinativo inferiùs disputabo. Et primò Incarnatio Divini Verbi occurrit: & quia Angelicus Doctor 3. *part. quæst.* 1. 2. 3. & 4. aliqua rogat, quæ videntur solutione indigere, hîc aliqua dubia proponam, & omissis rationibus, quas alij congerunt, & ego alibi expendo, eadem resolvam & breviter dilucidabo.

Quæstiones aliquot.

DCXVI. QUæris primò. Vtrùm Divinæ Personæ conveniat adsumere humanam naturam? *Secundò*, Vtrùm una persona sine alia possit naturam creatam adsumere? *Tertiò*, Vtrùmquelibet persona divina potuerit naturã humanã adsumere? *Quartò*, Vtrùm plures personæ divinæ potuerint unam & eamdem numero naturam adsumere? *Quintò*, Vtrùm una persona divina possit adsumere duas naturas humanas? *Sextò*, Vtrùm natura intellectualis sola sit adsumptibilis? *Septimò*, Vtrùm Verbum Dei adsumpserit naturam abstractam ab omnibus individuis;

Hæ sunt septem quæstiones, quæ debent breviter dilucidari, & ut commodiùs possint, per singulas Scholas & earumdem sententias discurremus.

Ad primam.

DCXVII. ASsertivè respondet D. Thomas 3. *part. quæst.* 3. *art.* 1. quia cùm adsumere sit ad se aliquid sumere, in quo & principium actûs, & terminus denotatur, & utrumque personæ conveniat, certum est personæ divinæ propriissimè convenire adsumere. Et in hoc summus est omnium Scholarum consensus.

Quid sit assumere?

Ad

Ad secundam

DCXVIII. *An adsumptio sit cōmunis omnibus tribus personis?*

IDem Sanctus *art.4.* respondet assumptionem denotare actionem & terminum, ex parte actionis esse communem omnibus tribus personis, at verò ex parte termini non esse communem: unde infertur unam personam sine aliâ posse humanitatem adsumere. Hæc doctrina est contra Sabellianos, è quorum numero (saltem quoad hoc) erat ille, cujus meminit S. Anselmus *libr. de Incarn. Verbi cap.* 1. dicens. *Cùm adhuc in Becci monasterio essem Abbas, præsumpta est à quodam Clerico in Franciâ talis Assertio,*

An personæ divinæ sint tres res?

[*Si in Deo tres personæ sunt una tantùm res, & non sunt tres res, unaquæque per se separatim, sicut tres Angeli, aut tres Animæ, ita tamen ut potentiâ & voluntate sint idem: Ergo Pater & Spiritus sanctus cum Filio est incarnatus.*] Et cap.1. circa medium, hanc

An omnes adsumpserint carnem?

conjecturam ponens, *Puto, quia sic ratiocinabatur secum* (ille nimirùm Clericus.) *Si una & eadem numero res Deus est, & ipsa eadem est Pater & Filius, cùm Filius sit incarnatus, quomodo non & Pater est incarnatus? de unâ quippe & eâdem re non est vera simul affirmatio & eius negatio.* Ita Anselmus apud Vazquez *3.part. disp.* 520.*cap.1.num.7.*

DCIX. *Ratio Clerici Galli.*

Ratio illius Clerici, ut putat Anselmus, erat hæc,

Pater est natura divina:
Natura divina est Filius:
Filius est incarnatus:
Ergo Pater est incarnatus.

quæ est Syllogismus abundans, & ad Soritem & formas Platonicas reducitur, & multas exceptiones patitur: nam, ut esset expositorius, & tribus tantùm terminis componeretur, deberet sic formari.

Pater est Filius:
Filius est incarnatus:
Ergo & Pater est incarnatus.

& tunc nihil concluderet, quia esset maior falsa.

Puto meliùs (aut, ut veriùs loquar minus malè) Philosophari potuisse illum Clericum, si dixisset.

An actiones ad extra sint omnium personarum?

Omnes actiones factæ in tempore, sunt communes omnibus tribus Personis:
Sed Assumptio est actio facta in tempore:
Ergo est communis omnibus tribus personis.
Ergo non solus Filius, sed & Pater & Spiritus sanctus naturam humanam adsumpserunt.

An dentur actiones notionales?

huic argumento vix satisfacere poterit Schola realis, tametsi admittat nescio quas actiones notionales ad extra, quæ indigent summo examine, & videntur expositæ summis periculis: quas in suis Authoribus admirabundus lego, & alibi examinaturus nunc omitto. Satisfecit Angelicus Doctor stando Scholæ expressivæ seu connotativæ. Rem dilucido exemplo. Conveniunt Canonici & decernunt eum fore Episcopum, quem plures eligant. Positâ hac compromissione & communi consensu; plurium suffragia Ioanni favent.

Exemplum morale.

Ergo vi compromissionis sequitur, quod omnes velint Ioannem esse Episcopum, & cùm omnes, dico, nec ipsum Ioannem eximo. Hæc voluntas prout dicit *esse in* communis est, prout dicit *esse ad* unum respicit: & tamen secundum *esse in* adhuc dividi potest, & diversis nominibus significari: nam prout est pluriū; vocatur *Vox communior*; prout Seniorum & meliorum, *Vox sanior*: prout est cæterorum; *Electio*: prout est Ioannis, dicitur *Acceptatio*. Sic similiter Expressivi, Connotatistæ, & Thomistæ cum ipsis de Incarnatione philosophantur. Omnes tres Personæ Christi Animam crearunt; omnes tres Christi corpus

Appropriatur Incarnationi.

formarunt & conservant: omnes tres illud Personalitati verbi uniunt: omnes tres activè ad Incarnationem concurrunt: & si liceat sic loqui, omnes tres Filium Dei incarnant: at hinc non sequitur omnes tres incarnari, sed Filium incarnari concurrentibus activè omnibus tribus. Hic concursus activus omnium trium Personarum est: at ipse prout procedit à Verbo, sub hac reduplicatione, vocatur

Quid sit Adsumptio?

Assumptio: & non vocatur *Assumptio* prout procedit à Patre aut Spiritu sancto: Ergo stante identitate concursûs est verum dicere *Filius assumpsit naturam humanam*, & esset falsum dicere, *Pater* (aut *Spiritus sanctus*) *adsumpsit.*

Ad tertiam

DCXX. *Quæcumque persona potuit carnem adsumere?*

FAcilis est responsio. Asserit D. Thomas *art.5.* cujus conclusio est. *Cùm una sit trium Personarum potestas, potuit quævis persona divina humanam naturam adsumere.* Placet conclusio: at ratio conclusionis, nisi fortè limitetur, non placet: roganti enim An quælibet persona potuerit à Verbo procedere? malè responderes, si diceres, Cùm una sit trium Personarum potestas, potuit Pater & quævis Persona divina à Verbo procedere. Ergo

Non quæcumque quamcumque produceret?

distinguere oportet actiones ad extra & ad intra: & de illis est explicandus D. Thomas.

Ad quartam

DCXXI. *An una natura à pluribus potuerit assumi?*

REsponsurus, ab omnibus discedere debebit, qui sequitur opinionem Boetij, quam præcedente Articulo exposuimus, & quarto loco collocavimus. Sancti Thomæ *art.6.* est Conclusio: *Non est impossibile personis divinis, ut duæ vel tres adsumant unam numero naturam humanam.* Et quidem intra aliarum Scholarum cancellos nemo repugnantiam ostendit. At tu stando fundamentis Boetij hanc Conclusionem Angelico Doctori negas, & contradictionem ostendis. Sic arguis. Principium formale Individuationis est hypostasis: quia idem est naturam multiplicari numero, quàm esse in multis suppositis seu hypostasibus. Ergo natura humana, si

esset

esset in tribus suppositis, multiplicaretur numero, & esset triplex natura: ergo, qui supponit eam esse unicam, & tamen esse in tribus suppositis, repugnantia supponit: nam supponit esse unam & non esse unam: esse unam & esse ternam: esse simplicem & esse triplicem.

Quæstio incidens: quæ indiget expositione. Esset hîc tamen aliquid, quod Authores hujus opinionis illustrare deberent; magnis enim illud tenebris obsidetur. Inquiro enim: *An Christi corpus sumptum fuerit ex Virgine?* hoc est, *An hoc numero corpus, quod modo subsistit subsistentiâ Verbi, ante Incarnationem fuerit in corpore Virginis?* nam si nunquam ibi fuit, nunquam inde sumptum à Verbo est. Sanè ante Incarnationem dicunt communiter Theologi materiam illam, ex quâ formatum fuit Christi corpus, in corpore Virginis fuisse (vel tanquam partem veram, vel alio modo, quia hoc non prodest disquirere) & transsubsistentiatam fuisse, hoc est, perdidisse propriam subsistentiam, & adquisivisse divinam. (quia in hoc differt Christi corpus ab animâ, quod illud præhabuerit propriam subsistentiam, eamque in Incarnatione perdiderit: & hæc nunquam habuerit propriam, sed à primo suæ creationis instanti substiterit subsistentiâ Verbi.) Sed hæc manuteneri nequeunt à Boëtianis: Ergo. Probo minorem. Quia, si differre subsistentiâ, est differre numero, illa materia numero, quam habet Christus, ante incarnationem non fuit in corpore Deiparæ: nam ante Incarnationem illa unita Verbi personalitati non fuit. Hæc est Scylla, in quâ periclitatur mens, cùm vult asserere subsistentiam esse individuationis principium: quam, si superet, cætera ordinatè compinget. Sed quia tracto philosophica tantùm, nolo hic diutiùs hærere; sufficit insinuasse periculum, & polliceri me proprio in loco hanc difficultatem radicitùs examinaturum.

An corpora filiorum, parentum corporum sint partes?

An corpus Christi fuerit transsubsistentiatum? An etiam anima?

Ad quintam

DCXXII. *An una subsistentia duas possit naturas subcolleret.* EX præmissis fundamentis Boëtiani respondebunt negativè: & necessariò quidem: nam stando fundamentis Boëtij impossibile omninò est, ut una & eadem substantia subcollet duas numero distinctas naturas. Stando aliis Scholis fortè arbitraria esset Decisio, & utraque pars contradictionis defensabilis: fortè posset adduci & prodesse distinctio, & deberemus aliter de coëxistentibus, & aliter de succedentibus naturis agere: nam multi negant materiam primam posse recipere simul duas formas, qui tamen concedunt posse habere duas numero distinctas successivè: non enim dicunt formas corruptas reproduci, cùm vel lignum extinctum iterùm accenditur, aut iterùm calorem recipit: at Boëtiani tenentur sine distinctione discurrere, & asserere involvi contradictionem notoriam, si dicatur, eadem subsistentia simul aut successivè duas numero distinctas naturas sustentare: ut enim naturæ sint duæ, debent habere duas singularitates, hoc est, duas subsistentias: nam subsistentia est singularitas. Ergo illæ naturæ essent duæ; quia supponitur. Ergo essent unica; quia haberent unicam singularitatem, hoc est, unicam subsistentiam.

Tota hæc doctrina est contra D. Thomam, qui *art.7.* sic hanc Conclusionem pronunciat: *Quoniam potentia Divina Personæ infinita est, potest Divina Persona præter humanam naturam, quam adsumpsit, etiam aliam adhuc humanam naturam puro numero distinctam adsumere.* At negant Boëtiani conclusionem: rejiciunt rationem: quæ enim contradictionem involvunt, fieri nequeunt à potentiâ infinitâ. *D. Thomæ Conclusio.*

Ad sextam

DCXXIII. *An esset indecens adsumere naturā bruti?* NOn pauci respondent assertivè, reducendo realem controversiam ad Ethicam: quasi indecens sit, si Deus naturam canis, equi (aut etiam, si liceat hoc scribere, porci) aut similem aliam suscipiat. Alij admittunt omnem irrationalem adsumi potuisse divinitùs, negant omnem potuisse intellectualem: nam si Angelica habet essentiam identificatam subsistentiæ & inseparabilem, adsumi, ut opinantur, nequit. At ego existimo omnem naturam posse adsumi, nec oppositum sufficienter probari. *An in Angelis essentia & subsistentia distinguatur?*

Ad ultimam

DCXXIV. VNiversi Boëtiani tenentur aut jurata fundamenta deserere, aut respondere affirmativè. Debent eis contradicere omnes alij.

Hanc controversiam tractat D. Thomas 3.*part.quæst.6.art.*4. & negativè respondet: ex quo Patres Dominicani sequentem Conclusionem diducunt. *Quoniam natura humana ab omnibus individuis abstracta non existit: nec si esset, mereri aut videri per eam quispiam posset: eam sic abstractam à Filio Dei adsumptam esse dicere non licet.* Quæ verba possunt ad duos sensus reduci: aliud enim est quærere, Vtrùm natura assumpta à Christo sit nunc universalis & communis de facto? & aliud toto cœlo diversum, An ipsa secundum se sit communis, saltem negativè, & à Verbo eo ipso quo assumpta, reddita fuerit singularis? Proderunt Assertiones sequentes. *Qualis esset homo abstractus?* *Exponitur quæstio.*

Prima. *Dantur formæ universales (substantiales & accidentales) & tamen hæ non sunt de facto extra subiecta: nec in ipsis prout unitæ sunt universales: quia ipsamet unio est earumdem formarum singularitas.* Hanc admittit Schola Realis & Modalis. *De formis Vniversalibus.*

DCXXVI. *De anima leonis universali: An mortuis omnibus leonibus sit perennatura?* Secunda. *Probabiliter posset dici negari Deum posse conservare unam formam universalem separatam ab omnibus suis individuis.* Hodie Clarissimus D. Ioannes Marcus, in Regno Bohemiæ Archiater, tenet extinctis omnibus

Leoni

Leonibus, v. g. rugibilem Animam universalem & communem, quæ erat in singulis, adhuc perennaturam ad Universi ornatum, nec aliter illam quam per creationem fuisse productam, nec aliter quàm per adnihilationem posse desinere. Ubi notandum est, singulos leones generari, at animam illam universalem & communem, quæ in ipsis, creatam esse: & multiplicari numero, quia multiplicari numero in opinione realium est in variis subjectis replicari.

DCXXVII
De naturâ hominis universali.

Tertia, *Prima, secunda, aut etiam tertia Realium sententia stando, non videtur omninò impossibile, quod Verbum potuerit adsumere naturam universalem & communem*: Sed dices. Esto Verbum potuerit humanitatem communem & universalem adsumere; nō illam adsumpsit de facto. Sed cur? quia de facto hæ positiones, *Natura Petri est natura Verbi*, *Natura Ioannis est natura Verbi*, &c. sunt falsæ, & in tali casu essent veræ, non secùs ac hæ, *Natura Petri est humanitas*, *Natura Pauli est humanitas*, &c. aut etiam hæ, *Petrus est homo*, *Paulus est homo*, &c. Et probas, quia,

An Christi natura sit Petri?

si Deus à naturâ ipsâ Christi, quam hodie habet, auferret quantitatem numericam (quidquid ea sit) non ideò auferret subsistentiam, & tamen eò ipsò auferret singularitatem. *Respondeo* in omni sententiâ admitti debere istam propositionem, *Verbum & Petrus habent unam & eamdem humanitatem specie*. negari hanc, *habent unam & eamdem naturam numero*. Et hinc objectioni est satisfactum.

DCXXVIII.
An D. Thomas bene impugnet Boetium?

Quarta, *Stando sententiæ Boetii, Verbum adsumpsit humanitatem communem & universalem & adsumendo contraxit & singularizavit: ita ut humanitas subsistens nunc sit individua & singularis.* Huic Assertioni directè opponitur Doctor Angelicus, & ideò examinare placet totum illum Articulum, ut videamus, quàm ipse fortiter impugnet Boetianorum sententiam. In corpore articuli sic ait. [Respondeo dicendum, quod natura hominis vel cujusque alterius rei sensibilis, præter esse, quod in singularibus habet, dupliciter potest intelligi. Uno modo quasi per se ipsam esse

Potest homo tripliciter considerari.

habeat præter materiam, sicut Platonici posuerunt. Alio modo sicut in intellectu existens, vel humano vel divino, per se quidem subsistere nōn potest, ut Phi. probat *in 7. Metaph.* quia ad naturam speciei rerum sensibilium pertinet materia sensibilis, quæ ponitur in ejus definitione: sicut carnes & ossa in definitione hominis. Unde non potest esse, quod natura humana sit præter materiam sensibilem.] Sic S. Thomas: & quia erant aliqui qui aliter opinabantur, in argumento *Sed contra*, illis opponit Damascenum, qui libri III. Orthodoxæ Fidei capite XI. sub initium sic inquit: [*Deus Verbum incarnatum non eam, quæ nudâ contemplatione consideratur, naturam assumpsit: non enim incarnatio hoc, sed deceptio & fictio incarnationis esset.* Sed humana natura, prout est ab individuis separata vel abstracta, in nudâ contemplatione cogitatur: quia se-

An universalia sint ficta?

cundum seipsam subsistit, ut ibidem Damascenus dicit. Ergo filius Dei non assumpsit humanam naturam, secundum quod est à singularibus separata.] Sed D. Thomas asserit suam sententiam, non tamen illam probat nec authoritas Damasceni Realium opinionem impugnat; concedunt enim isti Verbum Divinum non eam adsumpsisse naturam, quæ nudâ contemplatione consideratur: quia ita est natura ficta, & decipiuntur homines cùm eam considerant: & tamen addent, adsumpsisse naturam humanam realem, realiterque distinctam à singularibus, eamque adsumendo juxta Boëtii sententiam contraxisse & singularem reddidisse. Et inde negabunt minorem, ne possint urgeri à consequentiâ. *Et hic obiter* notari volo *primò*, confundi à D. Thomâ separatam & distinctam naturam: benè enim staret, nec dari, nec posse dari naturam Leonis universalem separatam, & nihilominùs dari realiter distinctam ab individuis. At Ioannes Marcus, cujus superiùs memini, eò evehit Dei omnipotentiam, ut nō solùm Leonis naturam in suis individuis, sed etiam illam ab eisdem separatam conservare posse, (imò fortè ad ornatum mundi conservaturum) eruditissimis verbis affirmet. Et volo notari *secundò*, D. Thomam & Damascenum, dum videntur Universale reale & Platonicum reiicere illud admittere: ut enim probent illam naturam non esse universalem, sed singularē, ad subsistentiam recurrunt, asserentes eā subsistere: ergo eorumdem opinione subsistētia est hæceitas naturæ humanæ: at reste D. Thomâ subsistentia distinguitur realiter à naturâ: ergo & hæceitas. Ergo in Platonicas ideas & realia universalia reinciditur.

An subsistentia sit hæceitas?

An eadem sit natura distincta & separata?

An Damascenus & Thomas Platonicas Ideas admiserint?

Etiam si potuisset assumere quameumque singularem, debuisse universalem & communem adsumere nonnulli proclamant, & apud D. Thomam his tribus argumentis utuntur.

An universalem naturam Christus, non solum adsumere potuerit, sed & debuerit?

Arguunt primò, quoniam Assumptio humanæ naturæ facta est ad communem omnium hominum salutem: unde dicitur 1. *ad Timoth.* 4. de Christo, quod est salvator omnium hominum, maxime fidelium: sed natura prout est in individuis, recedit à suâ communitate. Ergo filius Dei debuit humanam naturam assumere, prout est ab omnibus individuis abstracta.

Respondet D. Thomas, quod filius Dei incarnatus, est communis omnium Salvator, non communitate generis vel speciei, quæ attribuitur naturæ ab individuis separatæ: sed communitate causæ, prout filius Dei incarnatus, est universalis causa salutis humanæ.

Christus est universalis in salvando.

DCXXIX.

Et quidem nihil evidenter falsum respondet Angelicus Doctor: at ejus ego responsionem elido, & objectum ratiocinium adfirmo. Sic discurro. Frustrà fiunt per plura, quæ per pauciora possent: ergo ne multiplicarentur entia sine necessitate, debuit Christus naturam cōmunem & universalem adsumere. Probo antecedens. In Sacramento Eucharistico quidquid est Christi est eo mnne; at, quę accidentia cōcernunt, non repetūtur, nec replicātur. Ergo quādo peccavit Adā, vel infecta

Prudentia amat compendium.

Exemplum Eucharisticum.

An peccatum originis infecerit naturã communem & universalem?

fuit Adameitas, vel universalis natura. Si primum: solus Adam fuit maculatus. Si secundum: macula universos transcendit: atqui maculam transcendere universos est verum, nam omnes peccant in Adam: Ergo infecta fuit natura universalis. Urgeo paritatem rationis, & infero: Ergo, quando redemptus Adam fuit, si natura aliqua quà talis, aut naturæ alicujus taleitas sanctificata est: solus Christus fuit Sanctus. Si verò sanctificata est natura ipsa communis & universalis, omnes sunt Sancti: nempè aut in actu secundo aut in primo, aut in radice.

Conceptio Virginis immaculato.

Sed hæc omnia retorqueri poterunt: non enim omnes de facto sumus sancti, & omnes solâ Virgine exceptâ infecti culpâ originali nascuntur: adeòque nec sanctitas videtur naturam communem & universalem affecisse: si enim affecisset naturam, omnes non solùm nascerentur sancti, sed non possent peccare; quod ipsum esse falsum demonstrant frequentissimæ singulorum miseriæ.

DCXXX. *Quid sit homo per se?*

Arguunt secundò, Quia in omnibus id, quod est nobilissimum, est Deo attribuendum: sed in unoquoque genere illud, quod est per se, potissimum est. Ergo filius Dei debuit assumere hominem per se. Qui quidem secundum Platonicos est ipsa humana natura ab individuis separata. Hanc igitur debuit filius Dei assumere.

An detur homo separatus? An Ideæ Platonicæ sint in mente Divinâ?

Respondet Angelicus Doctor, quod per se homo, non invenitur in rerum natura: ita quod sit præter singularia, ut Platonici posuerunt. Quamvis quidam dicant, quod Plato non intellexit hominem separatum esse, nisi in intellectu divino. Et sic non oportuit quod assumeretur à Verbo, cum ab æterno sibi affuerit.

Exemplum Eucharisticum.

Sed quid, si daretur homo realiter distinctus à singularibus, tametsi non reperiretur præter singularia, hoc est, separatus, existens sine singularibus? Et quid, si & homo dari posset qui & esset separatus à singularibus & in concavo Lunæ resideret, & nihilominùs in singulis hominibus intrinsecè reperiretur: eo modo, quo Christus Dominus licèt sit in Empyreo, & ibi sit ab omnibus hostiis separatus nihilominùs est in singulis hostiis intrinsecè. Et quid, si daretur homo, qui nulli esset intrinsecus, sed subsisteret præter singularia? Multa semper supponit D. Thomas.

DCXXXI. *An Verbum adsumpserit hominem?*

Arguunt tertiò. Humana natura non est assumpta à filio Dei, prout significatur in concreto per hoc nomen *homo* ut dictum est. Sic autem significatur, prout est in singularibus, ut ex dictis patet. Ergo filius Dei assumpsit naturam humanam, prout est ab individuis separata.

Respondet D. Thomas, quod quamvis natura humana non sit assumpta in concreto, ut suppositum præintelligatur assumptioni: sic tamen assumpta est in individuo, quia assumpta est, ut sit in individuo.

An in divinis detur *subsistentia communis? An etiam in humanis?*

Sed possent adhuc instare Boëtiani, & dicere. Probabile est in Trinitate præter tres subsistentias relativas dari unam subsistentiam absolutam communem omnibus tribus personis: ergo in humanis præter subsistentias singulas, quæ sunt hominis singularitates, dari poterit subsistentia aliqua communis omnibus individuis: ergo dici posset Verbum adsumpsisse hominem in concreto; videlicet hominem communem & universalem: non verò hunc hominem singularem. Possent addere illam causalem, *Assumpta est in individuo, quia adsumpta est ut sit in individuo*, malam esse. *Consideretur hæc causalis.* Forma enim (substantialis, aut accidentalis) apud reales universalis est, universalis unitur, & informando redditur singularis.

DCXXXII

Doctrinam Divi Thomæ & Realium argumenta discussimus. Omnibus respondet S. Doctor negando esse possibilem naturam cõmunem & realiter universalem. Sed quid si illa fuisset possibilis: Respondet adhuc in istâ hypothesi non fuisse conveniens, ut à Verbo Divino adsumeretur: & rationibus his persuadere conatur. *An fuerit expediens ut natura universalis adsumeretur?* *Prima:* quia adsumptio ista terminatur ad personam; hoc est contra rationem formæ communis, ut sit in personâ: quia in personâ individuatur. *Secunda:* quia naturæ communi non possent attribui nisi operationes communes & universales: secundũ quas homo non meretur, nec demeretur. Cùm tamen illa assumptio ad hoc facta sit, ut filius Dei naturâ assumptâ nobis mereretur. *Natura universalis non eliceret actiones singulares.* *Tertia:* quia natura sic existens non est sensibilis, sed intelligibilis: Filius autem Dei assumpsit naturam humanam, ut hominibus in eâ visibilis appareret, secundum illud *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Baruch. 3. Et quia nonnulli solent obtorquere Platonem, eumque de Ideis intellectualibus exponere, contra hos sit *Quarta ratio:* Non potuit assumi humana natura à filio Dei, secundũ quod est in intellectu divino: quia sic nihil aliud est, quàm natura divina, & per hunc modum ab æterno esset in filio Dei humana natura. *Quinta:* non convenit dicere quod filius Dei assumpsit humanam naturam, prout est in intellectu humano: quia hoc nihil aliud esset, quàm quod intelligeretur assumere naturam humanam. Et sic si non assumeret eam, in rerum natura esset intellectus falsus. Nec esset aliud ista naturæ humanæ assumptio, quam fictio quædam Incarnationis: ut Damas. dicebat,

DCXXXIII. *Natura universalis contrahi debet.*

Sed non obstantibus istis rationibus posset adhuc Boëtius in priori opinione persistere, & respondere *Primam* rationem esse totam pro se: sentit enim Boëtius formam ex se esse universalem & in subjecto individuari: & consequenter naturam esse universalem, & in supposito individuari. Posset addere non solùm non esse contra rationem formæ communis, quod sit in persona, sed esse contra rationem formæ communis, quod non sit in persona: ideò enim communis dicitur, quod sit in omnibus personis. Et retorquendo instantiam in eumdẽ D. Thomã posset istũ syllogismũ opponere: nimirũ. Sicut de Universali formali formaliter, sic de reali est realiter philosophandũ: At formale per hæcceitates formaliter distinctas

con-

contrahitur formaliter: Ergo & reale per hæcceitates (seu personalitates) realiter distinctas contrahitur realiter. *Ad secundam* posset respondere nec naturæ communi adtribui operationes communes, nec singulari singulares: quia actiones non sunt naturarum, sed suppositorum, & Christus est suppositum divinum singulare: & Christus est, qui fuit operatus & meruit: non natura: quoniam ad operationes natura concurrit *ut quo*, persona *ut quod. Ad tertiam*: naturam universalem & communem, si colorata esset, fortè & fore visibilem: sed hoc non integeret, quia non indiget: licet enim natura universalis non sit sensibilis: natura singularis est sensibilis: & natura humana universalis semel adsumpta, fuit ipsàmet adsumptione contracta, & facta singularis. *Ad quartam & quintam* posset addere hanc naturam, quam adsumpsit Verbum æternum, esse quidem communem & universalem, non tantùm in intellectu divino aut humano, sed ante omnem operationem intellectûs. *Posset addere* illa ultima verba, satis clarè probare D. Thomam in eâ fuisse sententiâ, ut sentiret ex hypothesi, quòd omnes realitates à parte rei sint singulares, actû quin conciperetur universale esse falsum, & omnem universalitatem certissimè fictionem esse. At hic actus nec falsus est, nec universalitas est fictio: Ergo cogetur D. Thomas admittere universalia realia, quæ sint ante mentis operationem.

Actiones sunt suppositorum.

An esset sensibilis natura communis & universalis?

An adsumptio sit contractio?

An D. Thomas admittat universalia realia?

Sic placuit ex diversarum scholarum fundamentis discuttere: & quia nihil relucet contra fidem, & omnia rationes habent fortes, videntur omnia esse probabilia, & plausibiliter defendi posse.

DISPVTATIO III.

De Princi pio Individuationis extrinseco: videlicet, exigitivo, seu determinativo.

DCXXXIV. *Principiū duplex: constitutivum & exigitivū.*

Principium Exigitivum à Constitutivo distinximus: nam in materiâ, quam tractamus, Constitutivum est quod formaliter constituit Individuum; videlicet, in Petro Petreitas: Exigitivum autem, aut determinativum, quod liberè aut necessariò (efficaciter tamen) tollit indifferentiam & facit, ut hoc potiùs sit individuum, quàm aliud. [Hoc sæpiùs dixerim: sed juvat eadem interdum repetere, ut altiores radices in memoriam immittant.] Hæc Disputatio locum vix habet in Scholâ Reali, quia individuatio est quædam materialis cōtractio, ut videmus, & talem singularem formam subjectum non exigit, sed constituit. Habet locum in cæteris scholis, quæ docent singularitatem (distinguntur à formâ realiter aut formaliter) non consistere in subjecto formaliter. Pono exemplum. Est alba manus mea, & ista charta: illius albedo vocetur A, & hujus vocetur B. & inquiro, Cur manus non habeat albedinem B, & charta non habeat albedinem A? Respondeo contractionem ultimam, hoc est, singularitatem esse duplicem: materialem, formalem juxta diversas opiniones. Qui dicunt hæcceitatem esse contractionem materialem, sic discurrunt: Ajunt esse albedinem A, esse inhærere manui; & esse albedinem B, esse inhærere chartæ, & quia repugnat quòd inhærere manui sit inhærere chartæ; ideò etiam repugnabit, quod manus habeat albedinem B. Hæc responsio tollit totam hanc Disputationem tertiam. At alij docent individuationem esse non jam contractionem materialem, sed formalem (nota benè discrimen) adeòque hæcceitatem esse quamdam formam (realiter aut formaliter à specie distinctam) & addunt albedinem manûs esse albedinem A, non quia est in manu, sed quia habet hæcceitatem A: quæ est quædam formalitas realis rationem specificam afficiens & contrahens ad individuum A: & albedinem chartæ esse albedinem B, non quia est in chartâ, sed quia habet hæcceitatem B. &c, quâ retentâ ubicumque ponatur, erit albedo B. Hic igitur ingreditur dubium, quod sic propono. Manus secundum essentiam suam considerata erat indifferens habere albedinem A, vel albedinem B. neutra enim repugnat aut contradicit prædicatis essentialibus manûs. & tamen de facto habet albedinem A, & non B. quid ergo hanc indifferentiam sustulit, & fecit, ut potiùs hanc albedinem manus, quàm illam reciperet? An-ne illam indifferentiam aufert solus Deus omnes hæcceitates determinando? An causa efficiens secunda? An materia? An forma? An aliquod intrinsecum aut extrinsecum aceidens? Hæ sunt hodie evolvendæ & examinandæ controversiæ; & quia difficiles, attentum Lectorem desidero, & à præjudiciis liberum, quoniam impossibile est, ut assequatur veritatem animus quamdiu præjudiciis præpeditur.

Realis schola vix agnoscit extrinsecum individuationis principium.

Quid sit singularitas?

Subjectum est indifferens ad multas formas.

Quis auferat hanc indifferentiam?

Semper impediunt præjudicia.

***

ARTICULUS I.

An Causa Prima sit Principium determinativum Individuationis?

Quis & qualis fuerit Rabbi Moyses?

DCXXXV FVit Rabbi Moyses filius Majemonis natus Cordubæ (urbs est Hispaniæ celeberrima) anno mundi 4891. hoc est Christi 1131. sedente Romæ Ioanne XIX. & habenas imperij habente Conrado II. Franconiorum duce. Ab Hebræis vocatur *Rabbi Mose ben Maimon* & sumptis dictionum capitibus more Cabalico, RaMBaM. Hic est, qui *Doctor perplexorum* dicitur quòd ad dubia & obscuriora S. Scripturæ loca intelligenda præbuerit clavem. In suo More-Nebokim expendit curiosissimè Rabbinorum sui temporis sententias, quæ in Academiâ synagogicâ plausibiliores & probabiliores videbantur.

Rambam.

De Hebræorum scholis & academiis.

An Hebræi habuère Academias: an in illis Scholas? Respondeat Volduci liber ille, qui inscribitur, *Ecclesia ante legem*: & ostendit, etiam ante diluvium ipsum fuisse in pretio literas, & homines coluisse ingenium. Post Salomonem floruere apud Iudæos scientiarum & Artium omnium Facultates, & tot videntur fuisse Sectæ Philosophorum, quot hodie apud nos: nam Rabbinorum placita per diversas luxuriant, & ad nostras negotio facili reduci possunt. Floruit, ut dicebam, inter Eminentes Physicus Rabbinus iste, & *part. 1. cap. 74. viâ 3.* asserit multos admodum in eâ esse opinione ut judicent *possibile esse ut hæc res prout est habeat talem formam, mensuram, talia accidentia, istud tempus vel locum; & possibile quoque est quod sit maior vel minor, ut habeat contrariam formam, alia accidentia, aut existeret ante illud tempus vel post, alioque in loco. Proinde dum ei assignata & appropriata est certa figura, mensura, tempus, locus, aliaque accidentia cum possibilitate tamen ut contrario modo se habeant, sequitur necessarium esse, ut sit aliquis qui appropriaverit & elegerit alterum ex istis possibilibus.* Si petas ab hujuscemodi Iudæis Doctoribus, quisnam sit iste Appropriator, cujus decreto hæc accidentia & hæc forma materiæ appropriatur & non alia, respondent (*apud eumdem authorem*) se nomine Appropriatoris intelligere Causarum Causam, quam Creatricem nominant, prout materiam produxit & conservat; Appropriatricem verò prout eidem materiæ has numero formas appropriat & non alias. Hujus etiam opinionis meminit idem Author *ibidem part. 1. cap. 73. §. Ad hoc autem.*

Quis determinet causas indifferentes?

Appropriator, quis sit.

Deus est causa individuationis.

DCXXXVI. Deum esse principium prædeterminativum individuationis docent ex nostris Authores non ignobiles. Gregorius Ariminensis *in 1. dist. 17. q. 4. art. 2. ad 7.* & *dist. 35. quæst. 1. art. 1.* & *in 2. d. 37.* eam sequutus est Suarius *disp. 5. metaph. sect. 3. num. 34.* & *sect. 9. num. 7.* ubi retractat opinionem suam, quia olim subscripserat contrariæ. eidem adstipulatur Toletus *8. physic. q. 3. concl. 2. rat. 3. de anim. q. 18. concl. 2. & 3.* Conimbricenses eam tuentur *libr. 2. Phys. c. 7. q. 15. art. 2.* & *1. de gener. cap. 11. quæst. 1. art. 3.* Eandem prosequitur Lorinus *in act. 17. 27. vers. Profecto.* Salas *de peccatis disp. 13. sect. 10.* Fonseca *1. Met. cap. 2. q. 3. sect. 8.* Eandem veriorem esse censet Hurtadus *in Phys. disp. 10. sect. 4.* ubi & adlegat Lælium *disput. de Angelorum & hominum prædest.* & asserit huic sententiæ subscribere præter citatos, alios etiam juniores non indoctos. Qui dubitaverit de mente horum Authorum consulat Hurtadum *jam citatum* & Vazquez *1. tom. in 3. p. disput. 74. cap. 7.* ubi curiosè probant hos Authores in hac sententiâ fuisse.

Mentem suam Hurtadus *citata disputationis decima* §. 61. Sic exponit. Causa creata ignis, verbi gratiâ applicatur huic ligno: ipse habet virtutem calefaciendi ut octo, sed sunt plures calefactiones ut octo quas ipse possit producere, quas & passum possit recipere, ac propterea indiget divinâ prædeterminatione ut potiùs hanc calefactionem eliciat, quàm alteram numero distinctam. *Hurtadi opinio.*

Probatur hæc sententia primò. Sublata prædeterminatione quoad individuationem dimanante à Deo sequitur necessariò vel ignem in applicato ligno nihil esse producturum, vel infinitos calores numero distinctos producturum. Vtrumque est absurdum: ergo Deus debet determinare causas omnes quoad effectuum singularitates. Sequela probatur. Ignis est indifferens ex suâ naturâ, ut producat quemlibet calorem producibilem; calores autem possibiles nullo numero distinguuntur: ergo ignis habet indifferentiam, ut producat calores prorsus innumerabiles. Omnes igitur debet simul producere, aut aliquem in singulari; Non quempiam in singulari; quia ipse ad omnes est æquè indifferens, & non datur ratio, cur potiùs hunc quam alium producat: ergo producet innumerabiles calores simul. Hoc autem esse contra rationem & experientiam nemo non conspicit. DCXXXVII. *Suadetur.* *An ignis aut [illegible] nullum [illegible] possibilium producturus aut infinitos?*

Confirmatur. Ignis positis quibuscumque circumstantiis extrinsecis adhuc est indifferens ut eliciat calefactiones qualescumque. Ergo vel hæc indifferentia tollitur à Deo, aut non tollitur. Si tollitur, Deus est principium individuationis determinandæ, quod probandum fuerat: si non tollitur hæc indifferentia, non poterit ignis operari: quia cùm non possit omnes possibiles calores elicere, debet determinari ad aliquem in individuo; quod si ad aliquem in individuo non determinetur, nec aliquem in individuo operabitur.

Quod si dicas positis circumstantiis singularibus temporis, loci & passi ignem determinari, atque propterea non indigere determinatione à causâ primâ, te adorimur sic. Locus est quid extrinsecum, nec est operativus; ergo non potest determinare agens, ut potiùs producat hunc calorem, quàm DCXXXVIII. *An locus sit principium individuationis?*

quàm alium. Quoniam si determinat locus hujus caloris singularitatem, vel hoc facit prædeterminando agens, ut hunc producat, & non alium; vel prædeterminando passum, ut hunc unum & non alium recipiat: neutro modo hoc fit: ergo. Primò probatur non prædeterminari agens ubicatione aut loco passi: quia locus passi nihil producit reale in agente, quo agens alteretur; ergo agens remanet ita ut priùs; ergo eodem modo operabitur. Secundò probatur idem agens non determinari ubicatione propria; quia etiam alibi posset producere eumdem numero effectum: vel si hoc non credas, videbis ipsissimam adhuc difficultatem perennare. Ignis hic in hoc loco positus produxit ignem A in hoc subjecto, extinguatur lignum hoc & iterùm accendatur. Ignis ipse iterum accendet idem lignum atque producet ignem B; interrogaris, cur primò produxit ignem A & posteà ignem B? cur non potiùs priùs produxit ipsum B? quis agens hoc determinavit? non locus agentis, quia supponitur idem. Ergo Deùs.

An passum determinetur à loco.

Locum non determinare passum, ut hunc potiùs calorem aut ignem recipiat, quàm illum, constat, quia manente eodem loco & agente etiam ipsissimo, imò in eodem loco possunt duo ignes produci successivè, seu duo calores, qui distinguantur numero, ut immediatè probabamus: ergo quis determinaturus est uter ignis anteriùs, & uter posteriùs sit producendus?

Præterea, subjectum non mutat formas substantiales, neque quantitatem, neque qualitates, etsi varientur loca. ergo signum est quod earum individuatio à loco non prædeterminetur.

DCXXXI

An tempus sit principium individuationis?

Contra eos, qui dicunt agentia ad producendum unum potiùs individuum quàm alterum distinctum numero, determinari tempore, etiam est ratio fortissima, quæ etiam determinationem emanantem à loco eliminabit. *Primò*, Quia hoc tempus, in quo producitur ignis A ab hoc agente, vel disparatè se habet ad ignem B, vel respectu ipsius dicit impossibilitatem, contradictionem, contrarietatemve: nullam ex his tribus designare poteris: ergo quando productus est ignis A, potuit produci ignis B, nec erat creata aliqua causa, quæ posset determinare agens (aut passum) ad istum ignem in singulari. Minorem probo. Primò, quia si tempus (idem de loco dicito) disparatè se habebat ad ignem producendum, hoc est, si nullam connexionem habebat cum igne A, nullam oppositionem cum igne B; non potuit agens (aut passum) ad ignem A determinari, quia determinatio non nisi infallibilis connexio est. *Secundò*, tempus respectu ignis B non dicit incompossibilitatem, quia incomponibilitas aut incompossibilitas est oppositio, quæ est inter duas formas substantiales, & tempus forma substantialis non est. *Tertiò*, dici non potest inter tempus & ignem B esse contradictionem, quia hæc debet esse inter entitatem negativam & positivam, & hic uterque terminus positivus est. *Præterea* contradictio talis ingenij est ut de potentiâ Dei absolutâ admitti nequeat: nequit Deus facere ut coëxistant duo extrema, quæ aliquam contradictionem dicunt. Ergo non potuit Deus hunc Mundum facere antè aut postquàm condidit. Ergo non potuit Christum Mundo dedisse antè aut postquàm dedit, Ergo omnia sunt necessaria: ergo tollitur divina providentia. *Tandem* nec potest asseri hic esse contrarietatem; quia contraria (ut constat ex definitione) debent esse sub eodem genere proximo, ut calor, frigus, nigredo, candor: & non sufficit quòd sint sub eodem genere remoto; quia candor frigori, nigredo calori non contrariatur licèt sint sub eodem genere remoto, nempè sub qualitate. Atqui ignis B & tempus non solùm non sunt sub eodem genere proximo, sed vix sub remoto, quia ignis & tempus prædicamento differunt: ergo ignis B & tempus nullam dicunt contrarietatem.

An incompossibilitas & repugnantia componere possit Deus

Quid sit contrarietas

DCXLI

Prætereà esto tempus hoc dicat incompossibilitatem, contradictionem, aut contrarietatem contra ignem B, atque adeò hunc non potuisse produci: ergo nec potuit produci ignis A, qui supponitur genitus. Probo consequentiam; quia si calor est contrarius frigori huic, etiam erit contrarius omnibus frigoribus individuis contentis sub specie frigoris. Privatio caloris non solùm opponitur caloti A, sed omnibus & quibuscumque. Incomponibilitas duarum formarum substantialium non solùm facit, ut formæ equi non possit conjungi forma leonis; sed etiam, ut nulla alia. Ergo si tempus (locus) habeat oppositionem cum igne B, ac propterea in tali tempore nequeat produci; etiam habebit oppositionem cum omnibus individuis contentis sub specie ignis, ac propterea etiam cùm igne A, ergo, ignis A, qui supponitur genitus, produci non potuit.

Constat igitur ex dictis causas secundas naturales (hoc est, non-liberas) non determinari ad effectuum individuationem ab aliquo principio creato, sed solum à Causarum Principe. Hoc ipsum clariùs videbitur in causis liberis. Arguitur sic.

De causis liberis.

Liberum arbitrium non potest præferre hanc dilectionem A dilectioni B, si sint in æquali intensione & erga idem objectum. ergo tunc indiget prædeterminatione manante à primâ causâ seu à principio individuationis decernendæ. Patet consequentia; quia ubicumque indifferentia reperitur, ut hæc tollatur, requiritur prædeterminatio. Antecedens probatur. Liberum arbitrium præfert unam actionem alteri mediâ cognitione; atqui ecceitates dilectionum non cognoscuntur: ergo arbitrium liberum non poterit hanc dilectionem præligere alteri. Minor est certa, quia cog-

noscendo objectum amo illud actu amoris, quem non cognosco.

Communis sententia.

DCXLI *An Philosophus liceat confugere ad Deum?* SEd contra hanc doctrinam cæteræ omnes scholæ occlamant. Aliqui illam Philosophi improbabilem: alij magis urbani minùs probabilem esse asseverant: nec illam audire dignantur. Nos eam [quia impræsentiarùm Reales sumus, & hodie Platoni, Aristoteli, D.Thomæ, & severioribus Peripateticis & Thomistis subscribimus (hodie nempe: cras enim in aliâ scholâ aut aliâ) dicere poterimus contrarium.] impugnandam suscipimus: quia confugere ad Deum in philosophicis ignorantiæ ingenuissima confessio est. Ipse est causa prima, & juxta exigentias secundarum causarum operatur: contra naturam nunquam; supra hanc tunc solùm cùm miracula facit. In mundi regimine naturalis ordo, non miraculum perenne est. Quod si causam secundam ignores, quæ sit individuationis principium, faciliùs est fatearis insipientiam quam habes, quàm quòd Deo denominationem tribuas quam non habet. Omnia fiunt, quia Deus vult, sed si hæc veritas non deberet congruo modo explicari, deberent & Scholæ claudi, atque libri comburi. cur? quia essemus satis docti, & non indigeremus magisterio. Non torquerent nos quæstiones obscurissimæ. Non esset necessarium recurrere ad Lunam, ut maris reciprocationes salvaremus; non ad astra, ut elementorum mutationes: non ad circulos, ut Planetarum motus. Petenti enim, cur similia acciderent, responderemus; quia Deus vult. Philosophia debet omnium effectuum causas secundas quærere, & licet non inveniat remanebit φίλια σοφίας, id est, sapientiæ amor. Cæterùm dari causam secundam, quæ determinet individuationes singularium nunc suppono, inferiùs comprobandum. Considera suppositas resolutiones,

Conclusio prima.

DCXLII. *SI datur scientia media, impossibile est Deum formarum prædefinire & prædeterminare individuationes.*

Hæc conclusio non solùm probabitur, sed etiam demonstratur hoc syllogismo. Deus scientiâ suâ simplici ante decretum omne cognovit veritatem hujus propositionis, *Si præveniam Petri voluntatem cognitione tali congruâ, assentietur*; ergò cognovit assensum Petri: atqui non cognovit assensum ut sic, quia Deus in ipsorum sententiâ non cognoscit universalia sine singularibus: ergò cognovit aliquem assensum singularem. Ergò Deus sub tali hypothesi non solùm scivit voluntatem Petri operaturam esse, sed quem actum operatura esset. Ante omne decretum igitur se causa determinat (aut necessariò aut liberè de quo non curo) ad actus singularitatem.

Hanc rationem attingit Vazquez citatæ disputationis *num.* 53. Hurtadus occurrit aliis ipsius Vazquez argumentis, & hoc pertransit, cùm potiùs huic uni deberet respondere.

Dices, Deum in dato casu cognoscere hanc propositionem, nimirùm, *Si præveniam Petri voluntatem cogitatione tali congruâ, assentietur quidem, sed eliciendo assensum illum singularem quem voluero.* Si hæc notitia in Deo admittitur, cur non etiam hæc, *Si præveniam Petri voluntatem cogitatione tali congruâ, eliciet actum quem voluero.* Ergò vel debet Deus causas prædeterminare etiam quoad speciem actuum, & carere scientiâ mediâ; vel debet illas non prædeterminare quoad individuationem.

Conclusio secunda.

SI intensio qualitatum fiat gradibus perfectioribus sub eadem specie, hoc est, distinctis purè numero, impossibile est Deum de facto individuationes actuum determinare. DCXLIII.

Sensui omnium nota qualitatum intensio est: modus quo fit est obscurissimus, ipsaque obscuritas in causa, ut sint innumeræ de hac re sententiæ. Illa apud Cistercienses est celebris, quæ asserit primò omnia individua esse inæqualis perfectionis, & sub eâdem specie esse individuationes sicut numeri, hoc est, nobilitatis inæqualis: unde illa numero distingui dici debent, quorum essentia specifica est eadem, sed perfectiones individuales sunt inæquales. Quæ addit qualitatum intensionem fieri per mutationem numericam earumdem qualitatum. Habebas in manu calorem ut quatuor, accedis ad ignem, is intenditur, advenit caloris gradus quintus, qui à quarto non specie, sed numero solo dissideat. Ita noster Lorca Complutensis Academiæ primarius Moderator *3.p.disp.* 43. *num.* 5. *Quo fiat modo apud Lorcam intensio?*

Dico igitur Lorcistarum scholam non posse asserere Deum esse principium individuationis decernendæ sive determinandæ. Demonstro sic. Liberum arbitrium vitaliter & ab intrinseco se determinat non solùm ad amorem Dei in specie, sed etiam ad amorem Dei intensum ut tantum, ergò intensio non determinatur à solo Deo. Atqui intensio est ecceitas ut supponitur, mutatur siquidem intensio mutatâ solummodò ecceitate: ergò agens liberum sese ultrò determinat ad hanc potiùs, quàm ad aliam. Major inter Catholicos est per se nota; quia sequeretur inde non mereri plus, qui eliceret actum contritionis ut 4, quàm qui ut 5. ratio est; quia hæc differentia non esset illi libera, ac proptereà nec illi meritoria; non enim potest meritum intelligi sublatâ libertate. Consultò dixi *à solo Deo*, voluntas enim, si à solo Deo determinaretur, in horum Authorum sententiâ libera esse non posset. *Actuum liberorum intensio etiam est libera.*

* * *

Con-

Conclusio tertia.

DCXLIV. *Datur causa naturalis aliqua sit principium individuationis formarum.* Non est difficilis, & debet firmis rationibus probari.

Probatio prima.

PRimò argumentatur Vazquez *ubi suprà n.* 51. Deus non potest prædeterminare causas secundas ad actuum singularitatem, quin lædatur libertas: ergò non prædeterminat. Verùm hæc ratio est omninò inefficax; quia in omnium Thomistarum sententiâ physicè prædetermioat Deus ad speciem actus & nihilosecius immunitas arbitrij non læditur: ergò similiter sine liberi arbitrij læsione posset Deus etiam prædeterminare ad individuum actum, quin tolleretur libertas; si præfuisset. Hoc ultimum consultò addidi, quia ad individuationem suorum actuum caret libertas libertate.

Adversitates voluntatis non concurrit liberè.

DCXLV. *In quolibet um arbitrium situm sit.* Vt meliùs hanc veritatem calleas, annotato, libertatem in eo consistere, quòd objectum propositum possit voluntas amare aut non amare, diligere seu odio prosequi, hâc vel illâ intensione, non autem in eligendis actibus æquè intensis, qui solùm differant in hæcceitate. Exemplum esto. Divus Petrus actu amoris relictis omnibus sequitur Redemptorem; posteà peccat; resipiscit, & actu amoris iterato convertitur. Supponamus hos duos actus esse eiusdem speciei, ut sunt: ejusdem intensionis, ut potuerunt esse: differunt tamen numero in Vazquezij sententiâ. Vocetur primus, A; secundus, B. Hic ego. Eximie Domine Magister Vazquez; fuitne Petro integrum & liberum elicere actum B cùm primum sequutus est Dominum? ergò sicut actum quem heri feci ex viribus naturæ non possum reproducere, nec potero nunc elicere actum quem die crastina sum producturus. Ergo tota libertas non est in eo quòd possim elicere actum A, potiùs quàm B; sed in eo, quod contrarios atque contradictorios, & inæqualiter intensos possim: unde hic & nunc possum operari & non operari, ex suppositione quod sim operaturus adhuc mihi est liberum amare aut odio prosequi: ex hypothesi quod amaturus sum, adhuc est mihi liberum remissè vel intensè amare: tandem si supponor amaturus esse amore ut 4. & supponuntur etiam esse possibiles plurimi amores ut quatuor, non est mihi liberum eligere hunc vel illum amorem ut 4. ut constat ex illo exemplo D. Petri. Ergò ex suppositione quod sim operaturus actum amoris ut quatuor, necessariò determinandus sum, ut hunc actum A eliciam. Ergò sive à Deo, sive à me, sive ab aliâ causâ creatâ prædeterminer ad individuationem istius actûs, prædeterminabor sine læsione libertatis, quia, ut probatum est, quoad individuationem actuum est nulla.

Nulla est libertas circa individuationem actuum.

DCXLVI. *Hæc doctrina clarissimè illustratur exemplo.* Confirmatur hæc veritas & explicatur ampliùs. Liber es, potes linguam movere aut non movere; ex suppositione quod moturus eam sis, potes adhuc movere articulatè vel non articulatè: ex hypothesi quod articulatè eam moturus sis, adhuc remanes liber ut loquaris hispanicè, belgicè, latinè &c. Supponamus quod latinè loquuturus sis, adhuc poteris loqui benè vel malè, concinnè, aut inconcinnè, honesta vel turpia. Verùm ex hypothesi quod loquuturus sis, non poteris non movere linguam A, quia non habes aliam. Ergo à naturâ determinaris, ut vel non utaris linguâ vel utaris linguâ A. Eodem modò de quolibet actu philosophator; determinat te per modum naturæ aut Deus aut causa aliqua secunda, non ad hoc ut operer is necessariò, sed ad hoc ut opereris actum A dilectionis, si diligas, & actum B tædij, si te tædeat ejusdem propositæ personæ. Ergò potest benè coexistere libertas ad speciem, & necessitas ad individuum facta hujuscemodi suppositione.

Libertatem quoad speciem jequi potest necessitas quoad individuum.

Sunt aliqui, qui Christo Domino tribuant libertatem omnimodam, hoc est, non solùm ad objectum, sed etiam ad individuationem actûs ejusdem voluntatis. Hanc libertatem Christi Domini defendi Compluti in actu majoris illius Vniversitatis, asserens juxta Magistrum Loream Christum non habuisse præceptum moriendi, Deus enim juxta Loream ipsi non præcepit, sed solùm insinuavit suam voluntatem, cui factus fuit obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Ratio erat, quia si Christò imponeretur præceptum huiuscemodi, congruum erat, ut indiceretur illi non solùm genus mortis, sed & universæ passionis circumstantiæ, quæ ipsi erant liberæ, imò & passionis & mortis acceptatio hæc in individuo, quia Christus supponebatur esse liber ad actuum singularitatem, & omnia quæ sunt in obedientis libertate possunt ab habente supremam authoritatem, legibus atque præceptis regulari. Si omnes essemus liberi quoad actuum individuationem, quod falsum esse jam probavi, adhuc hæc libertas non læderetur evidenter physicâ prædeterminatione concessâ divinitùs, quia ut in principio notabamus, si Deus salvo libero hominis arbitrio determinat voluntatem quoad actuum speciem, cur etiam non quoad individuum? Certùm tamen est hanc determinationem quæ ad actuum singularitatem est, (sive à Deo sit, sive à creata causa) non obesse libertati humanæ, quoniam ista non datur quoàd individuationem, ut hucusque exposuimus.

An quoad ecceitates actuum Christus fuerit liber?

An Christus habuerit moriendi præceptum.

An præceptum decc[illegible] actuum.

Physicas prædeterminationes, ut probabiles, non ut certas admitto.

Probatio secunda.

TOta ratio, ob quam Deo tribuitur individuorum determinatio, est quia aliàs effectus corrupti reproducerentur. Sic multi, iique eruditissimi dicunt. Sed hæc non sufficit: ergò non est ad causam primam, sed ad secundas recurrendum.

An detur rerum reproductio?

Minorem probo primò: Quia adhuc non est evidenter certum non reproduci res productas. Quis demonstrare poterit hunc equum nunquam iterum fuisse? quis hunc calorem probabit esse alium numero ab eo quem habui anno præterito? Est decretum à

Cur non detur? An recurrendum sit ad divinū decretum? An homines reproducantur?

Deo, inquit, Hurtadus *disp.* 10. *Met.* §. 78. nullum effectum materialem reproducendum esse. Sed quis ipsi istud decretum revelavit? decreta Dei libera constant à fide, & non debet esse cuique integrum decreta fingere sine ratione aliquâ. Ergò superest ut discamus ab Hurtado, unde sciat hoc à Domino decretum esse. Homines mortuos non reproduci à suis parentibus est certum, sed formæ humanæ non sunt corruptibiles, & sic posset quis de hominibus alio modo, quàm de reliquis animantibus philosophari.

Ostenditur hanc probationem secundam non sufficere.

Dicamus igitur causas secundas non reproducere effectus corruptos, quid inde? Ipsi ut tueantur creata agentia non habere potentiam ut reproducant effectus qui perierunt, confugiunt ad asylum, nempè ad Deum, sed recidunt majori discrimine in ipsissimam difficultatem. Arguo sic. Si causa secunda à primâ prædeterminaretur ad actuum individuationem, sequeretur posse reproducere effectum jam corruptum. Consequens supponitur absurdum, & fugitur ab adversariis: ergò Deus non est principium individuationis actuum determinandæ. Majorem probo. Ignis verbi gratiâ ideò non reproducit calorem corruptum, sed alium numero distinctum, quia à Deo determinatur ad producendum calorem hunc, non autem alium: ergò in sensu diviso erat indifferens ut quemlibet calorem produceret: ergò ante hujuscemodi determinationem poterat producere calorem, qui perierat. Omnia ista admittunt adversarii, hinc autem ego sic. Igitur positâ prædeterminatione istâ divinâ adhuc ignis potest producere alium calorem, qui perierat: patet, quia potentia productiva in igne est simplex, & unâ & simplici potentiâ producit effectus universos possibiles: hæc autem prædeterminatio non aufert ab igne istam potentiam, sed eam inclinat aut necessitat ad unum effectum singularem. Ex his nascitur syllogismus hujusmodi; [Ignis ante determinationem habebat potentiam, ut produceret effectum corruptum; determinatio hæc non aufert ejus potentiam, sed perficit atque determinat: ergò positâ prædeterminatione hujuscemodi, adhuc ignis habet potentiam, ut producat effectum, qui iam desiit.] Hunc eundem Syllogismum confirmo. [Ignis ante determinationem potest reproducere effectum corruptum: Non repugnat eum divinitùs prædeterminari ad productionem effectûs iam corrupti: Ergo possibile est, ut etiam positâ determinatione ignis reproducat effectum iam corruptum.]

Hæc ratio ad hominem, ut dicitur, militat contra oppositæ sententiæ authores, quia sive asseramus effectus corruptos reproduci, sive negemus, ratio ipsorum clarissimè enervatur.

DCXLIII. *Probatio tertia.*

Convincor hoc unico argumento, quamdiu in Scholâ Platonica, Peripatetica, & Thomistica (hoc est, Reali) manere placeat; nimirùm [Omnia creata finita sunt in omni genere; nec judico probabile dari creaturam in aliquo attributo infinitam. Ergò potentia productiva agentis (vel receptiva passi) est finita. Ergò habet suos limites extra quos non potest operari; patet, quia aliàs esset verè infinita. Ergò causa à suo ingenio intrinsecè, & non à Deo ad hos effectus extrinsecè determinatur. *Confirmatur.* Causa ex eo indiget extrinsecâ prædeterminatione, quia supponitur ab adversariis indifferēs ad quoscumque effectus; atqui effectus possibiles sunt infiniti. Ergò virtus causæ est infinita.

Omnis creatura est omninò finita.

DCXLIX. *An, & quō possibilia modo sint infinita?*

Dices causæ virtutem esse infinitam syncategorematicè, non verò categorematicè & simpliciter: in hoc autem nullum me reperire inconveniens. Respondeo me reperire maximum, quia effectus infinitus syncategorematicus infert virtutem causæ categorematicè infinitam. Creaturæ possibiles sunt infinitæ syncategorematicè, quia ut probabilior pars fert, Deus nequit producere effectum, qui simpliciter sit infinitus; nihilominùs ex effectibus syncategorematicè infinitis benè inferimus esse infinitam-simpliciter omnipotentiam, ita ut hucùsque nemo asseruerit esse infinitam syncategorematicè sive secundum quid. Hæc veritas ostenditur breviter & efficaciter. [Efficaciter dico nō evidenter, sentio enim rationem subsequentem fortem, at non evidentem esse:] Si omnes effectus possibiles simul existerent hoc nunc temporis essent infiniti in actu: atqui in virtute causæ actualiter existunt: ergo ipsa habet formalitates infinitas.

Hæc ratio tantùm est probabilis.

An materia possit formas infinitas recipere?

Dices: materiam primam posse recipere formas infinitas syncategorematicè. Et ne fortè posse successivè concedam; & posse simul, negem; ad qualitates transis, & supponens eas intendi additione partis ad partem, ais esse intensibiles in infinitum; & tamen negas inde sequi causam materialem, quæ simul recipit partes qualitatis innumerabiles syncategorematicè, esse intrinsecè & entitativè infinitam.

An calor intendi in infinitum queat?

Et respondeo me agere tantummodò de causâ efficiente, non verò de causâ materiali, & de effectibus distinctis specie, cum ex infinitate syncategorematicâ effectuum inferimus infinitatem categorematicam causæ: nam effectus distincti puro numero, licèt infiniti syncategorematicè, non inferunt agentem virtutem infinitam: ignis enim potest infinitos syncategorematicè producere, & intellectus humanus actus infinitos syncategorematicè elicere: & tamen neuter est infinitus simpliciter & categorematicè.

An Continuum in infinitum dividatur?

Dices. Continuum dividi in partes infinitas syncategorematicè, & tamen non est infinitum categorematicè: ergo non benè ab uno ad alterum infinitum recurritur.

Respondeo antecedens negari à Zenone: distingui ab Aristotele; nam si agatur de partibus æqualibus alicui designatis, & se non communicantibus, negatur: aliàs conceditur. Interim, si daretur linea à quâ in infinitum possem excidere partes æquales isti lineæ ——— ex hac syncategorematicâ partium infini-

infinitate categorematicam ejusdem infinitatem inferrem.

Ne igitur causis creatis concedamus perfectiones & formalitates categorematicè infinitas, asseramus quamcumque causam creatam respicere determinatos effectus, ultra quos nullum possit producere. Causa creata naturaliter finita est, ac proptereà naturaliter determinata.

Argumentis, quæ militabant pro parte contraria, satisfacio.

DCL. *An ignis possit producere calores infinitos?*

AD primam rationem oppositæ sententiæ dico, sublatâ illâ, quæ fingitur prædeterminatione, qua Deus effectuum decerneret individuationes, nec sequi ignem non esse operaturum, nec sequi productutum esse calores infinitos. Ad probationem nego ignem ex natura sua esse indifferentem ut producat calores infinitos: quia ut suprà dicebamus, ipse naturaliter finitus est, ac proptereà naturaliter determinatus, nimirùm, vel à causa efficiente, vel à materiali extrinsecùs, vel a se ipso intrinsecùs. Sed de hoc disseremus statim.

Eodem modo ad omnes confirmationes respondeo negando illam, quæ supponitur, indifferentiâ in causis ad operandum possibilem quemcumque effectum; quia si hæc daretur, esset in causis virtus actu infinita, ut jam probavi. Negatâ hâc indifferentiâ, non est necessarium recurrere ad tempus, seu ad locum quæsituri determinationem, quia causa quæ ab adversariis supponebatur indifferens ad effectus innumeros, à me probatur intrinsecùs aut extrinsecùs determinata.

Voluntas, quoad individuationem actuum non est libera. Proderit tamen satisfacere ultimæ illi rationi oppositæ sententiæ, quæ superiùs ponebatur. Libertatem humanam exposui, & modò breviter necessaria resumo. Voluntas non habet libertatem circa actuum individuationes, ut probavi. non tamen est indifferens, ut producat infinitas dilectiones distinctas numero, sed naturaliter determinatur, ut dilectionem hanc producat & non aliam. Patet, quia si non determinaretur ad aliquem actum in individuo, naturaliter esset indeterminata ad omnes possibiles, ergò in suâ virtute contineret infinitos; ergò haberet virtutem infinitam. ut expendi nuper & uberiùs & clariùs.

ARTICULUS II.

Utrùm Causa creata efficiens sit Individuationis Principium extrinsecum exigitivum?

DCLI. *An finis aut exemplar sint principium individuationis?*

PRobavimus Causam primam non esse determinativum principium Individuationis & cogor ad causas secundas recurrere; sed ad quam? Ad Materialem? Formalem? Efficientem? Finalem? Exemplarem?

Finalem & exemplarem causam multi expungunt; intentionales enim sunt, & Individuatio pertinet ad ordinem rerum realem. Sed hæc ratio non sufficit: media enim in exsequutione realia sunt, & reali modo fiunt, & tamen ab intentione exordium sumunt.

Finem Ego & Exemplar ab hac quæstione elimino: & pronuncio non posse esse Individuationis exigitiva aut determinativa principia; sed ob aliam rationem. Finis enim Exemplarque semper operantur mediâ cognitione: atqui sæpè causa secunda quæ principium individuationis dicitur, non operatur mediâ cognitione: ergo Finis, aut Exemplar non est principium singularitatis. Major est certa, minorem probo. In effectibus causarum naturalium nullus est usus arbitrij aut cognitionis, puta in calefactione aquæ subterraneæ in hyeme, in generatione metallorum; fiunt enim productiones hujusmodi à causis necessariis & non cognoscitivis, mediis naturalibus, in subjectis quæ carent cognitione. Ergo talium actuum non datur causa intentionalis. Ne ergo tradamus in consequentiis turbatam disciplinam, debemus asserere individuationem non oriri sicut à fonte, à causâ intentionali; hoc est, ab Exemplari aut Fine. *Quo modo operetur finis, quo exemplar?*

Intentionalibus causis explosis, adhuc remanent tres (Materia, Forma, & Efficiens) physicæ & reales. A quâ ex istis provenit, quod habeas in manu albedinem hanc & non aliam? quia, vel potes habere in manu albedinem aliam vel non potes. Si potes; quis decrevit tibi istam albedinem potiùs, quàm alteram? si non potes: unde tibi provenit ista impotentia? an ab extrinsecâ effectrice causâ? Hoc est, quod vellem lynceis oculis examinare.

Exponitur opinio affirmans.

SEntentia asserens est curiosissima, defenditur hodie à Scholâ Cisterciensi, Antesignano manuducente Reverendissimo D. D. Angelo Manrique Cisterciensis Ordinis per Hispanias Generali, & Salmanticæ olim Professore primario: deinde Pacis-Iuliæ Episcopo: iam cœli incolâ. Hanc doctus sum à meis institutoribus; hanc defendi aliquoties Salmanticæ. Cæterum indiget aliquibus hypothesibus, ut benè possit propugnari. DCLII. *Angelus Manrique quisnam?*

Supponendum est primò, non posse duas causas simul concurrere in eodem genere ad productionem ejusdem totalis effectûs, nec in totalis genere, neque in partialis causæ. Ita Scotus, & plurimi Thomistæ citati à Suario *disput.* 26. *Met. sect.* 4. *num.* 3. quibus & ipse *num.* 9. subscribit sub aliquâ limitatione. Est expressè contra Lorcam 3. *p. disp.* 25. *num.* 15. & 16. *De plurium causarum concursu.*

Supponendum est secundò, effectus causæ A non posse fieri à causâ B. unde calor genitus à Sole debet distingui numero à calore producto ab igne, quin calor qui ab igne producitur vel produceretur, gigni à Sole, aut ab *An effectus unius causæ possit produci ab alia?*

aliquo

aliquo alio agente valeat. Contra Lorcam *ibidem.* Est opinio plurium Rabbinorum, quorum meminit noster Corduvensis R. Moysea *in More-Nebochim part. 3. cap. 74. viâ secund.*

An quæcumque ignis omnes ignes possibiles possit produceret An omnes calores possibiles?

Supponendum est tertio, causam quamlibet continere in virtute suâ non omnes effectus possibiles, sed aliquos; ratio est, quia si contineret in potentiâ suâ ignis hic calores universos, posset producere effectus alius causæ, quod impossibile est juxta ea quæ diximus in secunda hypothesi. Habet igitur ignis A hos calores à se producibiles, quos concipis in ista classe: & Ignis B habet alios effectus numero distinctos à prioribus, quos in aliâ classe concipias. Dico: Ignis A potest producere quemcumque calorem ex his qui sunt in classe A, nullum ex iis qui sunt in classe B. Sic similiter ignis B poterit gignere calorem quemlibet ex illis qui in classe B comprehenduntur, nullum tamen ex his qui in classe A numerantur.

An singulæ causæ habeant determinatũ effectuum numerum? Quid sit sterilitas, & quotuplex?

Supponi debet quartò, istas effectuum producibilium classes non continere effectus possibiles innumerabiles, sed complecti determinatum effectuum numerum, ultra quẽ nihil agens valeat producere. Hinc est sterilitatem in animante accidere posse non solùm ex impedimentis corporeis, sed etiam ex eo quod tandem sit exhausta potentia gignitiva.

Cur B. Anna fuerit sterilis?

DCLIII. Hinc progrediebatur ulterius Angelus, & quia in Sacrâ Paginâ Sanctam Annam Deiparæ matrem sterilem esse legebat, rogans de radice hujus sterilitatis, dicebat illam evenisse, vel ex eo quod illa nullum verum semen decidendum habuerit, vel ex eo quod ejus uterum indispositione laboraverit: & addebat, ex alterutro capite provenerit, divinitùs fuisse sublatam. Sed in quo miraculum constitit? Si secundum dicatur, in impedimentorum ablatione, & corporis recuratione: quæ fortè à causis naturalibus provenire potuisset; multa enim interdum miraculosè patrat Deus, quæ si vellet, fieri possent à causis naturalibus. Sed si primum dicatur, tunc inferendum erit, Mariam fuisse novam creaturam, non fuisse in parentum potentiâ generativâ, nec potuisse ab illis gigni, etsi omnia impedimenta & morbi tollerentur, sed debuisse Ioachimi lumbis implantari, aut etiam umbilico Annæ (disputant enim Philosophi, An mulier concorrat activè vel passivè) & sic tandem produci, quæ aliàs in thesauris meræ possibilitatis æternùm fuisset latitatura.

An fœcunditas in eâ fuerit miraculosa? Unde hæc provenerit?

Non omnia miracula excedunt vires naturæ quoad substantiã.

An Deipara fuerit nova creatura?

An fœmina concurrant activè?

An sit possibilis ignis sterilis? An ignis, qui calefactivus non sit?

Sed hæc magis Theologica quàm Philosophica videntur: & ideò ad naturalia rediens, interrogas, An dari possit ignis, qui calefactivus non sit? & ratio dubitandi est: quia licet steriles animantes viderimus, steriles ignes non vidimus. Sed facili negotio huic objectioni satisfaciam. Quæcumque potentia est qualitas, & habet tot formalitates, quot effectus potest producere. Intenditur per radicationem, tunc autem radicari dicitur magis ac magis, cum ea qualitas quæ recipiebatur secundum quatuor formalitates, recipitur secundum plures. Ergo qualitas intensa ut octo si operetur, non remitti non poterit. Ratio est quia qualitas ut octo illa dicitur quæ omnes suas formalitates subjecto communicat atque radicat, atqui cum producit effectum perdit unam formalitatem, ergo remitti debet. Patet consequentia, quia calor qui communicabat subjecto suo octo formalitates, si unam amittat, non poterit octo communicare, amissâ enim unâ non habebit octo, sed septem. Ergo quò plus calor operetur, magis remissus fiet. Ignis petit caloris determinatum gradum ut dispositionem (puta quietum) dico ignem remansurum esse dum sit calor sufficiens ut illa materia disponatur in quâ residet; addò eum exstinctum iri cùm primùm calor ultra terminum ab ignis ingenio petitum remittetur. Hinc constat esse verum illud axioma Philosophicum asserens: *Omne agens in agendo repati.* Hinc constat non dari ignem quin sit calefactivus; dari autem animantes quæ generativæ non sint, quia potentia generativa non est dispositio ad formam animantis; calor autem est dispositio ad ignem; idcircò sublato calore, necessario perit ignis, animal non occidit etiam si eius potentia gignitiva extinguatur. Adjungunt ignem etiam nutriri, & perditas formalitates suo modo restaurare.

Cur agens in agendo repatiatur?

Quomodo intendantur & remittantur qualitates?

Vis doceri quomodo concipiant authores hujusmodi sententiæ in calore (& idem conceptus erit erga alias formas) istas formalitates propter quas dicitur posse intendi, ac posse generare? Considera mille calores distinctos numero identificatos: erunt realiter una qualitas simplex sed formaliter multiplex. Quicumque ex his caloribus est una formalitas ab aliis distincta ex rei naturâ, & potentialiter; hoc est, non distincta realiter, sed distinguibilis. Intensionem existimant fieri hâc ratione. Calor in primo instanti suæ existentiæ communicat subjecto primam formalitatem: hoc est, in primo illo instanti unitur subjecto prima formalitas caloris non reliquæ, atque ideò solùm prima præbet suum effectum formalem, reliquæ non inexistunt, sed identicè, in quantum identificantur illi gradui aut formalitati, quæ inexistit ac informat subjectum. In secundo instanti unitur caloris secunda formalitas, pòst tertia, dein quarta, & sic intenditur qualitas: remittitur contrario motu, nimirùm cùm aliqua formalitas aut aliquæ à subjecto illo disjunguntur: corrumpitur, cùm omnes excidunt. Ecce curiosissimam intensionis per radicationem defendendæ ideam, suo loco uberiùs explicandam.

Quomodo qualitas intendatur?

Quomodo agentia generent?

Hæ ipsissimæ hujus caloris (qui supponebatur esse realiter unus, ac formaliter millecuplex) formalitates sunt effectus intecausas. Tunc calor A calorem producit, cùm communicat passo partem formalem sui, hoc est, unam aut plures caloris formalitates, veruntamen identificatas. Calor ergò ut mille producat in passo calorem ut centum,

assero

assero agens in agendo necessariò repati, communicabit enim passo formalitates centum, ergò si mille habebat ante calefactionem, post hanc habebit nongentas.

Cur altera causa alterius effectus non producat?

Liquet igitur cur causa A non possit producere effectus causæ B. quia producere est communicare aliquam formalem sui partem; & sicut ex thecâ A non possunt extrahi quæ sunt in thecâ B. sic similiter nec à causâ A potest oriri effectus, qui in virtute causæ B continetur.

DCLV. An effectus possibiles dicant ordinem?

* *Supponendum est quintò*, formalitates istas, quæ identificantur, non esse confusas in causâ, sed ordine identificatas, puta per modum lineæ, ac ideò ordine debere communicari. Hinc est, quod priùs debeant communicari formalitates superiores quando causa operatur, quia hæ extrahuntur ab ipsâ causâ, & rueret ædificium si extraherentur formalitatum fundamenta.

Putat tamen Mantiquus hanc ordinis necessitatem, respicere causas secundas & naturalem cursum rerum; posse tamen divinitùs & miraculosè mutari: nam si ignis iste v. g. possit producere effectus A. B. C. D. E. producat nunc E, post hujus productionem aut quiescet aut producet effectum D. & hoc stando cursui rerum: at hoc non tollit, quod intermisso D. possit divinitùs fieri, ut, producatur C, vel B, vel A. Et hinc colligat Ethicus jura primogenituræ non pendere ab arbitrio aut fortunâ, sed à rerum naturâ, nec potuisse naturaliter fieri, ut primogenitus gigneretur post fratrem germanum.

Resolutio.

Ex hujuscemodi hypothesibus sequitur causam efficientem creatam esse unicũ principium individuationis: & ad eam debere reduci omnes quæstiones, quæ examinant, cur in hoc subjecto sit potiùs hęc forma quàm alia numero distincta? Ecce ignem; incende facem A, & posteà facem B. Faces hæ habent ignes numero distinctos: petis, cur fax A non habeat ignem illum quem habet fax B? Respondeo causam illam effectricem esse ingenio suo determinatam ad tot effectus ordine tali producendos, ac propterea illam facem habuisse primum effectum, quæ priùs applicata; quod si altera applicata esset priùs, altera illum eundem numero ignem recepisset.

Explicatur.

Expono ulteriùs; Esto hîc ignis, habeat producibiles effectus individuos I, H, G, F. dico effectum F, primò producendum esse, pòst G, deinde H, &c. Addo, si igni producturo effectum F, applices hoc vel illud passum; effectum F, & non alium producendum esse. Producto effectu F, elige tibi passum quod malueris, quodcumque applicetur, recipiet ab agente effectum G, & sic in posterùm quousque tota virtus causæ exhauriatur. Ecce, vides ab efficiente oriri formarum omnium individuationem.

Dilucidatur claro exemplo.

Id exemplo illustratur; sit in filo gemmarum series; qui primò veniat (sive Petrus sive Franciscus sit) extrahet primam: qui veniat secundò, secundam; &c. ergò eodem modo de igne philosophandum est. Habet calorum seriem; ergò passum quod priùs venerit sive homo sit, sive canis, habebit primum calorem & passum quod immediatè post accesserit, recipiet calorem secundum; quod posteà, tertium: &c.

An effectus possit reproduci?

Deum constituebant unicum principium individuationis decernendæ, qui non reperiebant rationem aliquam naturalem, quæ causas disponeret, ne effectus corrupti iterùm producerentur. Sed ecce hic modum excellentissimum. Ignis produxit effectum F. dico, si effectus is pereat, non manere virtutem in causâ, ut illum reproducat; Ratio est, quia iste effectus, antequàm reproduceretur, erat formaliter in ipsâ causâ, ut hucusque explicavimus; cùm producitur, à causâ extrahitur, & in virtute causæ non remanet, ac propterea effectus F, qui in virtute causæ non est, à causa hâc, in quâ non est, exoriri non potest.]

Hinc patet individuationem, si stemus huic sententiæ, non pendere à passo, non à loco, non à tempore, sed ab agente solo: adeòque hoc solùm sub considerationem venire, cùm agitur de individuatione.

Vera sententia exponitur & comprobatur.

DCLVI. Reiicitur Mantiqui opinio.

Exposui omnia sententiæ contrariæ fundamenta, quibus defendi potest. Plausibilis opinio est, à Mantique Viro magno, olim Magistro meo, demùm collegâ meo & summo amico inventa; Salmanticæ frequenter, tum à me, tum ab aliis summâ felicitate propugnata: nihilominùs si benè illam examines, reperies esse veritatis expertem, atque adlicere nos adulterinâ venustate. Nihil supponitur, quod probabile esse non judicem, plurima autem, quæ reverà sunt falsa.

Effectum unius causæ posse produci ab aliâ.

Primò contra veritatem supponitur eundem numero effectum non posse provenire à duabus efficientibus causis. Posse probabo aptiore loco. Hinc est quod diruto hoc fundamento, tota machina, quæ in illo innititur, corruere debeat.

Principium individuationis esse intrinsecum.

Constat igitur nullam causam extrinsecam decernere individuationem singularium, & hanc oriri à principiis intrinsecis, nempe à materiâ aut formâ. Formarum aliæ sunt substantiales, accidentales aliæ: illæ principaliores. Siquidem hucùsque non reperimus quæsitam individuationis originem, examinemus: Vtrùm substantialis forma sit fons à quo omnes individuationes exigantur?

***

ARTI-

ARTICULUS III.

De Individuationis Principio Exigitivo in Schola Reali.

Autandum venienda sit ad Deũ, ut hacceitatem radicitus intelligamus?

DCLVII. FOrmæ (aut substantialis, ant accidentalis) nimirùm, quà individuæ, in Platonis scholâ non datur principium exigitivum: quia repugnat in hac scholâ esse aut concipi aliam numero in eodem subjecto. Sed cur materia est hæc? Quia haber hanc quantitatem molis & non aliam: & quidem si non haberet hanc quantitatem molis, sed aliam, non esset hæc sed alia. Sed cur hanc habet quantitatem molis? Frustrà ad causas recurretur secnndas, si quantitas coæva materiæ primæ asseratur: nam in tali hypothesi recurrendum erit ad Deum, dicendumque quantitatem hanc esse quantitatem A, & non quantitatem B, quia sic Deus voluit: posita enim tali voluntate divinâ, quæ velit hic esse quantitatem A, & non quantitatem B, necessarium est, ut hîc illa sit, & non ista. Et hinc patebit hujus sententiæ Authores eodem nmninò modo de Individuis ac de speciebus philosophari, quia si petas, Cur Petrus sit homo, & non equus? non recurram ad Deum, sed ad rerum essentias, & dicam Petrum esse hominem debere, quia est animal rationale. Et si subpetas, Cur sit in orbe terræ, & non in orbe Lunæ? recurram ad Deum, qui homines in terrâ posuit, & in Lunâ non posuit. Ergo eodem modo, si quæras, Cur sit Petrus? respondebo, eum esse Petrum, quia est homo Perreitate contractus: & si requiras, Cur sit hîc? ad causas efficientes recurram.

Cur Petrus sit homo & non equus?

Cur non sit in cœlo?

Eodem philosophari modo debent Authores secundæ sententiæ: quod enim de quantitate molis in primâ, hoc totum de quantitate illâ numericâ à molis quantitate distinctâ, dicere in secundâ debemus.

DCLVIII. Si singularitas cum existentiâ confundatur, quod facit tertia Realium sententia, & quæras, Cur hæc albedo in hac sit chartâ? respondebo, non esse hanc ad exigentiam alicujus, quia alia esse in hac chartâ non potest, sumit enim individuationem ab hoc subjecto. Si requiras, Cur subjectum sit hoc, & non aliud numero distinctum? recurram ad formam, & ideò esse hoc asseram, quia habet hanc formam. Sed cur hæc forma substantialis est hæc, & non illa? Quia inest huic materiæ & non illi: Et cur hæc materia est hæc & non illa? Quia habet hanc existentiam, & non illam. Sed cur hæc existentia est hæc & non illa? Hic sisti debet: quia ejus quidditas est, quod sit hæc & non illa. Hucusque progressi sumus immemores principij exigitivi: at nunc ad illud venio, & inquiro, Cur tandem ex tot foliis numero distinctis tu habeas hoc potiùs, quàm aliud? & nunc ad causam efficientem aut etiam electivam & adportativam debebo necessariò recurrere. Nam, si vel Artifex nõ fecisset hoc folium, vel si à Typographo fuisset fractum omissumve; vel tibi non fuisset propositum, illud non legeres, etsi aliud numero distinctum legeres.

Eodem modo philosophari teneor in Boëtij sententiâ (nempè in quartâ, quam illi vel adscribo vel adfingo, ut ab Authore illam denominem, & ab alijs distinguam) quousque enim ad subsistentiam (hæc est, individuatio) veniatur, omnia fluunt: & si quæras, Cur Petri primogenitus sit Paulus & nõ Franciscus potiùs? respondebo eum esse hominem Pauleitate contractum, & hanc ob rem esse Paulum: & fore Franciscum, si Franciscitate contraheretur. Si requiras, Cur primo loco potiùs, quàm secundo vel tertio natus fuerit Paulus? extra principia constitutiva positus, agam de exigitivis, & ad Deum aut Parentes, juxta dicta disput. I. & II. recurram.

Cur Petrus non sit Paulus?

Cur sit primogenitus?

Et tandem doctrinæ paritas me conducet, ut philosopher juxta quintæ Realium sententiæ fundamenta.

ARTICULUS IV.

De Individuationis Principio Exigitivo in Schola Modali.

PRimus fons, radix & fundamentum, quod constituit individuum in Scholâ Reali est quantitas numerica. Hanc putant aliqui esse quantitatem molis; alij esse quamdam quantitatem discretam à continuâ distinctam: alij esse existentiam: alij esse subsistentiam: alij esse formam ultimam: quas sententias jam vidimus. Quid, si dixerit aliquis, quantitatem numericam (aut continua aut discreta sit: existentia, subsistentia, aut forma ultima sit) esse quamdam Entitatem modalem? transibit ad Modalem Scholam: & sicut in Reali priùs fuerat, poterit philosophari in Modali: illa enim, quæ de quantitate continuâ & discretâ; de existentiâ, subsistentiâ, & formâ ultimâ dixerat, tanquam de rebus, eadem dicere poterit tanquam de modis, proportione servatâ. DCLIX.

Quid sit hacceitas?

Quantitas duplex.

An hacceitas transit in modos?

Posset etiam, cùm venitur ad principium exigitivum creatum affirmare, ipsammet exigentiam modum esse: & ideò hoc exiget & non illud, quia talis exigentia datur, & talis non datur.

ARTICULUS V.

De Individuationis Principio Exigitivo in Schola Actionali.

PRincipium constituens individuum in hac Scholâ est *Fieri*, est *Passio*. nam si quæras, DCLX.
Cur hic homo, qui tibi adest est Petrus? respondebunt hanc Scholam professi, eum esse Petrum & non Ioannem, quia Petreitate & non Ioanneitate contrahitur. Et, si quæras, Quid sit Petreitas & Ioanneitas? respondebunt *Fieri A*, esse Ecceitatem A: *Fieri B*, esse Ecceitatem B. Et si adhuc curiosiùs inquiras,

Cur

Actio primum individuationis principium.

Cur detur in rerum naturâ hoc *Fieri* potiùs, constitutivum Petri, quàm aliud numero distinctum? respondebitur Actionem A exigere *Fieri* A. & actionem B, *fieri* B. Ergo primum principium exigitivum in actione consistit. Sed quid, si adhuc interroges, Cur detur in rerum naturâ Actio A, & non B? Respondebo illegitimè ad humanam libertatem recurri; non enim actionum etiam intellectualium aut actuum liberorum individuatio libera homini est. Et hoc probo. Cum has duas lineas —— —— formo, manum moveo duobus motibus distinctis numero: & tamen mihi non fuit liberum primo loco secundum motum facere, secundo primum. Amavi heri Deum liberè, hodie eumdem amo, nimirùm amore numero distincto à priori: interim liberum mihi non fuit, aut heri elicere amorem hodiernum, aut hodie hesternum.

Tandem sistitur in Deo.

Quo ergo recurrendum erit, ne ex Scholâ egrediamur, & tamen primum illud principium reperiamus, quod quærimus? Ad concursum Divinum. Ipse actio est, & non distinguitur ab actione creaturæ in multorum sententiâ: si distingui dicatur, ad actionem creaturæ concurrit, & imperat ne sit hæc potiùs quàm alia numero distincta.

ARTICULUS VI.

De Individuationis Principio exigitivo in Schola Locali.

DCLXI. *An dentur realia universalia?*

SUpponunt isti Authores nullam entitatem esse realiter universalem; sed omnes esse realiter singulares & individuas: & hanc ipsam suppositionem ferè omnes Philosophi, qui hodie vivunt, admittunt: quoniam naturas universales, realiter à singularitatibus distinctas, quales Plato, si benè exponatur, asseruit, pauci hodie in Europâ tuentur.

Proponitur quæstio.

Hac præmissâ hypothesi vident aliam albedinem esse in hac chartâ, quam vocant A: & aliam numero distinctam in folio sequenti, quam vocant B: & inquirunt, Cur albedo A sit in hac chartâ, cur albedo B in sequenti? cur non potiùs albedo B, in isto folio sit, & albedo A in illo: & ego, ut illis satisfaciam, cum Complutensibus & Salmanticensibus ad loci & temporis circumstantias recurro.

Incenduntur duo ligna; & quia formam ignis esse substantialem existimant; rimantur duas; alteram in hoc, & alteram etiam in illo: & inquirunt, Cur illius ligni forma non sit in hoc ligno, & hæc non sit in illo? Et ego similiter stando huic Scholæ ad loci & temporis circumstantias recurro.

Tandem sistitur in Deo.

Hæc & alia, quæ postulat consequentia doctrinæ, sum dicturus intra terminos Localis Scholæ: affirmans interim faciliorem, clariorem & probabiliorem videri recursum ad Deum: non enim dabitur ratio sufficiens quæ persuadeat posito hoc loco & tempore (adde passum, adde agens) hanc albedinem debere produci & non aliam: et ò tandem ad Deum veniendum est, qui imperet, ut sub talibus circumstantiis hæc accidentia, & sub aliis alia numero distincta producantur.

ARTICULUS VII.

De Individuatione Entium successivorum.

UT scias, quo debeas modo de Entitatum successivarum individuatione disputare, proponam Dubium, quod torsit veteres, junioresque, è cujus solutione decisio Quæstionis deducatur. DCLXII.

An homo mutetur individualiter?

Componebant antiqui nutritionem & unitatem, & putabant esse omninò opposita. Dicebant aliqui: [Nutritur homo, adquirit et deperdit partes: non ergo manet idem numero.] alij contrà: [Manet semper idem numero: non ergo ullam deperdit partem, aut novam adquirit.]

Priori ratiocinio convicti asserebant nonnulli hominem singulis diebus alium esse, & hanc ob rem hodie illum hesternis votis aut juramentis non teneri, debitis heri contractis non obstringi; erat enim heri alius, hodie alius: & ad vota aut juramenta, quæ alius emisit; aut ad debita, quæ alius contraxit, nullus homo tenetur.

Caro & carnositas.

Posteriori nonnulli pressi pronuntiabant per nutritionem non carnem sed carnositatem (hoc est, mollem & carnem non vivam) adquiri: & volebant in infusione animi esse carnem à naturâ dispositam & ab animâ rationali informandam: à qua nihil deperderet; & cui nihil adderet, à cibis abstineret, aut non.

D. Thomas 1. *part. quæst.* 119. *art.* 1. inquirit, An aliquid de alimento convertatur in veritatem humanæ naturæ? & numero quinto hoc contra se argumentum proponit. [Si alimentum in veritatem humanæ naturæ transiret, nihil esset in homine, quod non posset recedere & reparari. Quia id quod in homine generatur ex alimento, & recedere, & reparari potest. Si ergo homo diu viveret, sequeretur, quod nihil, quod in eo fuit materialiter in principio suæ generationis, finaliter remaneret in ipso: & sic non esset idem homo numerò per totam vitam suam; cùm ad hoc ut sit idem numero requiratur identitas materiæ. Hoc autem est inconveniens: Non ergo alimentum transit in veritatem humanæ naturæ.] Ecce Angelici Doctoris verbis primum ratiocinium reposui; quo illi modo respondeat ipse Sanctus Doctor audiamus. [ait, Quod sicut Philosophus dicit *libr.* 1. *de gener. text.* 88. quando aliqua materia per se convertitur in ignem; tunc dicitur ignis de novo generari: quando verò aliqua materia convertitur in ignem præexistentem, dicitur ignis nutriri. Unde si tota materia simul amittat speciem (*formam*) ignis, & alia materia convertatur in ignem, erit alius ignis numero.

Unitas ignis. Unitas hominis.

mero. Si verò paulatim combusto uno ligno aliud substituatur, & sic deinceps, quousque omnia prima consumantur, semper remanet idem ignis numero, quia semper quod additur, transit in præexistens: & similiter est intelligendum in corporibus viventibus in quibus ex nutrimento restauratur id quod per calorem naturalem consumitur.] Ergo ignis manet unus & idem numero, quamdiù non extinguitur totus. Ergo pluvia manet eadem quamdiù non cessat. Et universaliùs loquendo motus manet idem numero, quamdiù non interrumpitur.

An sit unitum morale? At hîc ego difficultatem magnam invenio, quia hæc identitas videtur potiùs esse moralis & civilis, quàm realis, & si non conceditur major unitas homini, quam igni, quidquid sit de unitate morali, corpus pueri & senis realiter & physicè unum non est.

DISPUTATIO IV.

Qui fieri possit, ut in carnis resurrectione nostra corpora, & non aliena resumamus?

DCLXIII. *An hæc quæstio sit facilis?* VLtima verba, quæ ex D. Thomâ sumpta, occasionem præbuerunt, ut hanc Disputationem adderem: & quidem multis videtur valdè facilis: mihi etiam olim: at crescente rerum notitiâ & usu, incepit videri difficilis: imò tam ardua, ut ex suppositione multa audeam dicere, at pauca præsumam resolvere.

Casus proponitur. Proposuit difficultatem Titulus: illum Ego dilucido & expono isto casu. [Petrus comeditur ab aliquo barbaro, & convertitur in substantiam aliti: Petitur, illa materia ad quod corpus pertineat? verè ad utrumque. Quis autem eam resumet in resurrectione universali: præcipuè si Petrus in cælo sit & barbarus fuerit condemnatus? Hinc sequuntur plurima inconvenientia, moralia & naturalia. Si illa pars materiæ, quæ conversa supponitur, concedatur barbaro, sequitur corpus sancti condemnatum iri æternis rogis; illa enim materia ex corpore Petri est, qui sanctus supponitur. E contrario, si illa pars materiæ concedatur Petro, sequetur partem aliquam corpoream comporem ultimæ impœnitentiæ, atque consortem sensualium scelerum iri glorificatum. Et utrumque contra æquitatem esset. Nec vacat hæc quæstio inconvenientibus naturalibus & metaphysicis; quia eadem materia prima posset saltem successivè recipere duas animas numero distinctas, quod est contra doctrinam individuationis, quam Platonici, Peripatetici, & Thomistæ nobiliores admittunt.

An duæ animæ possint informare unum corpus? Nec juvaret dicere illam materiam ab utroque animo repetendam esse, quia hinc sequeretur contra Philosophiam esse eandem numero partem materiæ sub duabus formis substantialibus distinctis numero: sequeretur etiam contra Theologiam dari eandem partem materiæ condemnatam atque glorificatam. Hinc nasceretur Petrum non esse beatum utpote qui in parte determinatâ sui corporis haberet terribiles cruciatus, & æternos dolores: sed hoc ultimum urgere nou volo; quia partes mei corporis, siquæ informantur aliâ animâ respectu mei insensibiles sunt, non secus ac quæ animâ carent.]

An in nostris corporibus simus resurrecturi? Casu isto sic proposito iterùm quæro. *Qui fieri possit, ut in carnis resurrectione corpora nostra resumamus?* Non quæro, Vtrùm resurrecturi in nostris corporibus simus? nam asserētē partē Fides Orthodoxa me docuit: [ait enim Iob: *Scio enim, quòd Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terrâ resurrecturus sum, & rursum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum salvatorem meum: quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.* *Iob. 19. C. 20.* *Nota illud mea:* Et S. Athanasius in symbolo: *Ad cujus (Christi) adventum omnes resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt de factis propriis rationem.* *Et istud suis.* *Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum.*] Sed quæro, quo modo fiet istud, quoniam virum, qui id benè exponat, non cognosco.

Realium opiniones.

REalium opiniones disp. 1. & 2. exposui: nunc singulas recognoscere volo, & quo earumdem Propugnatores modo possint & debeant respondere controversiæ præsenti, examinare. DCLXIV.

I.

Resurrectionis veritas. PRima ajebat quantitatem numericam & individualem esse primam partem quantitatis continuæ, quam materiæ sigillum & characterem nominant: & ut stando huic fundamēto sciamus, quid possit quęstioni respōderi, præbebunt lucem Resolutiones subsequētes.

PRIMA. *Anima cujuscumque hominis resumet materiam illam primam (nempè corpus) quam semper habuit.* Constat ex illis, quæ paulò antè sunt dicta. Et quidem D. Petri nascentis è matris suæ utero, & resurgentis à mortuis, est una & eadem materia, non solùm formaliter, sed etiam materialiter & entitativè.

Negativa. SECUNDA. *Materia D. Petri à primo instanti genesis usque ad vitæ ultimum semper fuit eadem numero unitate negativa numerica.* Constat ex dictis, quia omnis materia totius mundi est eadem numero negativè.

TER-

Expositiva materiæ unitas. TERTIA: *Eiusdem materia semper fuit eadem numero positivè.* Patet, quia constituitur una numero positivè, positivo sigillo quantitatis; atqui nusquam mutavit quantitatis sigillum: ergò remansit eadem numero positivè. Minorem probo, quia non datur motus naturalis ad sigillandam materiam: ipsa enim à solo Deo sigillatur, & ut sic sigillata remanet principium totius individuationis. Confirmatur, quia si quantitas sigillans posset aliqua actione naturali tolli, maximè augmētatione, aut diminutione, isti enim motus sunt qui ad quātitatē terminantur; atqui neutro horū posset: ergò non datur causa naturalis, quæ possit naturaliter mutare materiæ sigillationē, numericamve quantitatem. Minor probatur: *Quæ sit materiæ characteristica seu sigillata.* quia est sigillum quantitatis & prima atomus, aut particula saltem, quæ est principium reliquarum, & quasi seriei basis & fundamentum; atqui nunquam tanta esse potest corporis diminutio ut prima particula perdatur: ergò.

An eadem materia duarum formarum sit capax. QUARTA. *Non potest materia hæc huius hominis informari animâ alterius hominis.* Hoc theorema alijs verbis proponi solet eundem sensum habentibus. Nempe, *Eadem materia duas formas numero distinctas sub eadem specie nequit habere simul, nec successivè.* Patet; quia individuatio formæ sumitur à materiâ: atqui hæc ut constat ex Assertione III. semper est eadem numero positivè: ergò forma semper erit eadem numero positivè.

II.

DCLXV. HÆc dicere debemus omninò stando primæ Realium sententiæ. Sed quid si staremus secundæ? *Quod materia corporis humani (aut etiam bellvini) est organica: & habet partes, quæ mole differant, entitativè autem est indivisibilis, & una numero positivè.* Quantitas est duplex; numerica & molis. Hæc constituit corpus quantitativum mensurabile & divisibile, & ideò absolutè vocatur quantitas. *Quantitas duplex.* Quantitas numerica semper vocatur cum addito, nempe Quantitas signans, sigillans, singularizans, individuans &c. *Quid sit quantitas numerica?* Est ergo quantitas numerica, quædam realitas prior quantitate molis, & individuum in esse individui constituens; & si velis, molis quantitatem recipiens & sustentans. Dico igitur materiam viventis esse divisibilem secundum molem, in partes quæ differant mole quantitativâ. Dico tamen non habere partes sigillativas, sed esse unam numero & indivisibilem positivè.

Ergo stando huic sententiæ impossibile est, ut pars aliqua substantiæ Petri accrescat Paulo, etiam si carne humanâ vescatur. Ergo infertur nutritionem vix ab augmentatione differre: *Quid sit augmentatio?* nam in nutritione non crescit substantia corporis entitativè, sed quantitativè: eademque accretio prout novæ est molis acquisitio dicitur *augmentatio*: *Quid nutritio?* & prout est veteris substantiæ sub novas quantitatis partes extensio, nominatur *nutritio*.

III.

DCLXVI. *An hæcceitas sit existentia?* SI existentiam cum singularitate confundamus, quod faciunt Authores opinionis tertiæ quam *cit. disp. 1. & 2.* dilucido, poterimus eodem modo philosophari.

IV.

DCLXVII. *An corpus & anima unica subsistentia subsistant?* STando quartæ illi sententiæ, quam Boëtio adscripsimus, facilior resolutio est. Dicendum corpus & animam unicâ subsistentiâ, hoc est, singularitate, contrahi, & singularizari: adeòque animam, adhuc separatam esse hanc, propter subsistentiam quam habet. *An sit subsistentia amissibilis?* Addendum subsistentiam esse inamissibilem (est enim subsistentia substantiæ Ecceitas: & sublatâ ecceitate tollitur individuum:) & materiam, quādiu priorem subsistētiam retineat, non posse informari aliâ animâ.

Si obijcias sequi eamdem subsistentiam stando huic doctrinæ replicandam esse multis locis: & hoc probes dicendo, S. Laurentij animam in cœlis esse, corpus in terris; & non totum simul: dispersit enim venerabiles reliquias devotio, & particulas per Europam ad varias Ecclesias transmittit: ergo, si est unica corporis & animæ subsistentia, & ea inamissibilis, sequitur eamdem entitatem indivisibilem naturaliter esse in cœlo & in terris, in Europâ & Americâ, Romæ, Viennæ, Parisiis, Madriti, Hispali, Mexici. Si hoc, inquam, obijcias, concedit omnia facili negotio Boëtius, dicetque humanæ naturæ Syntaxin, si miraculosa non sit, saltem esse naturaliter irregularem, & hanc ob rem nec debere nec posse legibus aliarum substantiarum *An anima sit singularis?* obstringi. Addit animam rationalē post mortem esse naturaliter mobilem, motu corpo- *An sit immobilis?* ris, debereque apud illud manere, nec ab eo posse naturaliter separari. Subjunget eam moveri juxta Dei imperium, & si Deus illam in cœlis esse velit & corpus in terris manere, dabit omnia quæ sint ad separationē necessaria.

V.

DCLXVIII *An forma sit singularitas materiæ primæ?* ETrandem stando quintæ sententiæ dicendum est ecceitatem esse formam, adeòque materiam primam præcisam ab omni formâ non esse hanc positivè, sed esse realitatem communem & universalem: & singularem negativè. Ergo manente incorruptâ animâ rationali, impossibile erit quòd alia materia admittatur, repugnat enim esse materiam sub anima A, quæ non sit materia A: quia singularitas pendet à formâ. Ergo nec de potentia Dei absolutâ poterit anima A informare materiam B.

Ab hac sententiâ non multùm abest Durandus, Suarius, Ioannes de S. Thomâ, Complutenses, & alij, quorū opiniones jā examino.

VI.

Vtrùm Durandus huic dubitationi satis-faciat?

DCLXIX. DVrandus, ut curiosè notavit Suarius *disp. 5. Met. sect. 4. n. 2,* asseruit *formam* ((sunt

verba expressa Suarij) *non tantùm habere vim unidi vel duandi compositum, sed etiam materiam ipsam; quia forma non tantùm dat esse composito, sed etiam materiæ: unde fit, ut hoc ipso quod materia jungitur eadem forma numero, sit ipsa eadem numero.* Ecce hic Author subtilissimus & nobilissimus amplectitur quintam Realium sententiam: & jacit fundamenta, ex quibus huic quæstioni difficili, facili negotio satisfaciat. Asserit in corrupto & in genito non esse eandem materiam; ac ideò in casu posito Petri materiam non remanere in Petri cadavere, ac proinde non esse dicendum anthropophagum materiam Petri comedisse. Addit materiam cadaveris non uniri animæ barbari; quia per nutritionem mutatur forma, ac proptereà debet materia ipsa mutari.

An alimentum hoc convertatur in substantiam aliti?

Supponit principium ut expeditè satisfaciat quæstioni: illud autem non propugnabit expeditè. Sequitur ex sententiâ Durandi Sanctorum exubias corporeas non esse venerandas, & probatur. Quia in D. Petri cadavere nihil est, quod fuerit S. Petri. Forma non est Sancti Apostoli, sed animæ ejus ita contraria, ut altera debuerit egredi & cedere loco ingressuræ. Materia est alia numero, ut supponitur. Accidentia omnia sunt diversa; quia hæc vel subjectantur in materiâ, vel in formâ, vel in composito; atqui nec remanet eadem materia, nec forma eadem, nec compositum idem: ergo nec eadem accidentia. Patet consequentia, quia sublato accidentium subjecto, illa auferri necessarium est. Ergo cadaver D. Petri nihil habet, quod connexionem habeat cum D. Petro; ergo non debet coli.

An sint veneranda reliquiæ?

An hæc corpora post mortê maneant?

Dicet Durandus se colere Sanctorum corpora, non ut partes substantiales, sed ut vestes, quæ tetigerunt partes substantiales. Ideò sicut veneratur tunicam, quæ corpus tetigit; sic similiter venerari formam cadaveris, quæ animam Petri expellendo tetigit; & se venerari materiam illius cadaveris, quæ etiam tetigit materiam D. Petri: unde tota hujus cadaveris dignitas, non à substantiâ, sed à contactu est.

An sint vestes Sanctorum venerandæ?

Sed insto. Atqui non datur talis contactus: ergo in hoc cadavere nulla est dignitas: ergo nulla occasio reverentiæ. Consequentiæ legitimæ sunt: probo antecedens. Non possunt contactu conjungi, quæ non sunt simul in eodem instanti; atqui forma cadaveris in nullo instanti coëxistit animo Petri: ergo eum contingere non potuit. Idem dico de materiâ cadaveris, non enim dabitur instans in quo fuerint simul materia cadaveris atque materia D. Petri. quia aliàs vel una materia haberet duas formas, vel essent duo corpora naturali virtute penetrata, quæ omnia ita sunt impossibilia ex principiis Durandi ut neque divinitùs præstari possint.

DCLXX. *An duæ formæ sint simul in eodem instanti?*

An materia duas formas queat habere?

An duo possint corpora penetrari?

Arguo secundò. Sequitur ex sententiâ Durandi Verbum æternum non sumpsisse carnem humanam ex purissimis visceribus B. Mariæ: quod est contra Catholicam omnium sententiam. Sequela demonstratur. Materia Christi nunquam fuit in visceribus virginis, ergo non est inde desumpta. Antecedens probatur. Materia quam habebat Virgo, habebat formam distinctam numero ab animâ Christi; ergò materia Christi nusquam fuit ante animam Christi; ergo nunquam fuit Virginis. Quod non fuerit ante Christi animam probatur, quia ab animâ recepit singularitatem. Ergò si nulla materiæ pars fuit Virginis, quæ posteà Christi, sequitur hujus carnem non fuisse à Virgine desumptam, ac per consequens totam Ecclesiam falli. [Nota huic argumento esse obnoxios Boëtium & Durandum: & sicut alter respondeat, posse etiam alterum respondere.]

DCLXXI. *An Verbum assumpserit carnem ex visceribus B. V. Mariæ*

Tertiò. Sequitur dari duos Christos, rationalem alterum, & alterum irrationalem. Quia Christus dicitur persona Divina habens naturam creatam. Moritur Christus & succedit forma cadaveris, & ista in causâ ut etiam materia alia succedat: ergò Christus in triduo habuit duas naturas completas; cadaver enim componitur ex materiâ & formâ. Prætereà velim doceri quid factum fuerit de corpore Christi in triduo. Non potuit manere sine formâ, non potuit non perseverare, quia verbum quod semel assumpsit nusquam dimisit, ut loquitur B. Augustinus. Quid ergo?

DCLXXII. *An habeamus duos Christos?*

Confirmo istam instantiam & corroboro sic. Forma cadaveris vel fuit unita Verbo, vel non. Si fuit Verbo unita, quando & cur dimissa? Sed dicunt probabiliùs non fuisse Verbo unitam: ergò habuit propriam subsistentiam distinctam à personalitate Verbi; substantia enim, ni recipiat divinam, habebit creatam subsistentiam, ut de se patet. Ergò corpus Christi mortui fuit suppositum distinctum à Christo; dabantur enim forma cadaveris, materia prima distincta à materiâ Christi, & subsistentia creata: Ergò corpus Domini in triduo nullâ fuit dignum reverentiâ, nullo cultu, quia illud suppositum erat exanime, & nihil fecerat honore dignum. Prætereà etiam discere velim, quid fuerit factum de illo supposito completo, quod fuerat in sepulchro: an annihilatum fuerit? an ibi remanserit? quia hæc omnia militant contra Christianam religionem.

DCLXXIII. *An cadaver Christi fuerit verum suppositum creatâ subsistentiâ subsistens*

Quartò. Durandus ut carnis resurrectionem faciliorem reddat, reddit difficiliorem. Ex communi sententiâ opus est ad hominum resurrectionem non productione novæ formæ, quia est immortalis animus; non productione novæ materiæ, quia hæc non est generabilis: sed solùm est opus unione concessâ divinitùs corpori & animo existentibus. In Durandi autem sententiâ opus est reproducere materiam primam. Ergò in ejus sententiâ est difficilior resurrectio.

DCLXXIV *Quo modo resurrectio fiat*

Quintò impugnemus etiam Durandum ratione philosophicâ. In hoc conversio distinguitur à transsubstantiatione, quòd illa sit mutatio formarum in communi

DCLXXV *Quid conversio, quid transsubstantiatio sit*

muni subjecto, ut quando convertitur calidum in frigidum, quia corrumpitur calor & gignitur frigus subjecto ipsissimo perseverante. Transsubstantiatio autem est conversio totalis, in quâ nón solùm formæ sed etiam mutantur subjecta remanente aliquâ ratione communi, ut videre est in Sacramento venerabili. Totum corpus panis adæquatè convertitur in corpus Christi, ita ut neque materia panis, nec forma maneat; & hæc conversio adæquata fit sub communibus speciebus panis. Ergo magis mirabilis est generatio quæcumque substantialis in sententiâ Durandi, quàm transsubstantiatio Eucharistica in sententiâ communi: quia hîc saltem dantur species Sacramentales communes pani & Sacramento, sub quibus transsubstantiatio fiat; in generatione autem substantiali Durandicâ nihil remanet corrupti in genito. Ergò nun est cur Ecclesia tanti commendet fidem in Sacramento venerabili, siquidem majora præstare sufficit natura, imò præstat in Durandi opinione.

Vtra sit mirabilior?

Ergo ne tot inconvenientia cogaris admittere, consultum est, ut censeas esse Durandi sententiam durissimam, & non solùm theologicè, sed & philosophicè improbabilem.

VII.

An Suarius, & eius asseclæ dubitationi faciant satis?

DCLXXVI *An mutatâ numero materiâ primâ, numero mutetur substantia?* SVarius *disp.5. Metaph. sect. 6.* duo asserit. PRIMVM, quòd hoc compositum A, non constat essentialiter formâ A atque materiâ A; sed potiùs ex formâ A & materia quacumque. SECVNDVM (& hoc ex primo asserto nascitur) quòd corpus *hoc* non pertinet ad essentiam hujus hominis, & ideò non esse opus quòd anima repetat suum corpus in resurrectione carnis, sed sufficere quod repetat quodcumque corpus; sive id fuerit alterius hominis, sive alterius irrationalis creaturæ. Vnde Divus Petrus erit idem numero, etiam si relicto suo corpore, resumat, cùm surrexerit, corpus Caîni: aut, si mavelis, materiam unius canis.

An Suarius sit Realis Philosophus? Sic Suarius. An-ne debebit Realibus adnumerari, qui Realis non est, sed sæpè Modalis aut Formalis? debebit: quia tametsi non sit verè & realiter Realis, hîc virtualiter Realis est: omnia enim, quæ docent Reales (nimirùm in quintâ sententiâ) de materia primâ, illa omnia dicit Suarius esse vera moraliter & virtualiter. Duas igitur singularitates habet corpus, sive materia prima, ad mentem Suarij; alteram realem, & alteram moralem. illa est quædam formalitas ipsi materiæ identificata, tametsi distincta formaliter: hæc est quædam virtualitas (aut moralitas, si sic placeat loqui) quæ desumitur à formâ: unde hoc secundo sensu

Habet materia prima singularitates duas realem & moralem.

illa est materia A, quæ habet unitatem virtualem A: & illa habet unitatem virtualem A, quæ formam A. [Si velis dicere utramque esse realem, sed alteram materialem, alteram formalem: illam propriam, hanc alienam: illam intrinsecam, & hanc extrinsecam: in idem recidet opinio, & tantummodò nomina mutabuntur.]

Et quidem materiam ut sic esse necessariam ad constitutionem compositi ut sic, admittit Suarius: hanc numero materiam requiri ad constitutionem hujus compositi, si agatur de unitate & singularitate virtuali (morali) formali, alienâ & extrinsecâ, etiam admittit: si de reali, materiali, propriâ & intrinseca, negat. Et ratio illud asserendi & hoc negandi est, quia mutatâ materiâ adhuc idem numero compositum remanet: & probas. Quia Petrus singulis diebus perdit partes materiæ, quam habuit in generatione: diebus singulis acquirit nutritione novas: Ergò contingere potest, quòd senior aliquis jam tandem perdiderit totam materiam quam habuit in infusione animæ (quæ reverà non est magna) & acquisierit novas partes materiæ. Hinc pro Suario argumentum. In tali casu, idem numero Petrus esset; atqui materia esset diversa; ergò mutatâ materiâ remanet unitas numerica hominis: ergo etiam si in resurrectione mutetur hominis materia, ipse remanebit idem numero.

An materia sit de essentiâ compositi?

Vtrùm hîc homo possit totam hanc materiam perdere & per nutritionem aliam numero distinctam adquirere?

Cæterùm doctrinam Suarij non auderem defendere, quia pariter easdem Theologicas, imò & naturales difficultates, quas opinio Durandi, quam mox impugnabamus. Vnde non omninò condemnandos judico Complutenses, qui *disp.6. Physic. num.9.* Durandum & Suarium conjunxerunt; quia licet Suarius non assentiatur alteri, nihilosecius tenetur satisfacere ferè omnibus illis rationibus, quas explosimus contra Durandum.

Arguo tamen specialiter contra Suarium ratione desumptâ a Divo Thomâ *1. part. quæst. 15. & quæst. 119. art. 1. & in 4. dist. 44. quæst. 1. art. 1.* quæ potest reduci ad hos terminos. Sicut se habet materia prima ad compositum ut sic, ita hæc-materia ad hoc-compositum; atqui variatâ materiâ secundum speciem variatur etiam compositum secundum speciem: ergo variatâ ipsâ materiâ secundum numerum, variabitur compositum secundum numerum. Minorem probaturus, suppono materiam cœlestem specie differre à sublunari, quod multi dicunt, ut ex suppositione, aliàs falsâ, essentia materiæ atque compositi penitiùs innotescat. In tali casu vel forma equi posset informare materiam cœlestem vel non posset. Si non posset, resumit vires argumentum. Quia sicut se habet materia sublunaris ut sic ad formam sublunarem ut sic: pari modo hæc materia sublunaris ad istam sublunarem formam. Atqui forma sublunaris non potest actuare materiam, quæ non sit sublunaris, ut supponitur: ergo hæc forma non poterit informare nisi hanc materiam. Si dicas formam equi posse informare mate- DCLXXVII.

An materia cœlestis & sublunaris differant specie.

riam ætheriam, sic insto. Dentur duo equi; alter habeat materiam sublunarem, alter cælestem; formaliter essent ejusdem speciei, sed differrent specie materialiter. Ergo si Petrus resurgens non habet eandem materiam, quam habuit vivens, erit idem Petrus formaliter, hoc est, secundum formam seu animam: differet autem à seipso numero materialiter, hoc est, secundum materiam. Quod explicatur clariùs: detur vestis A. induat eam Petrus, & posteà Paulus. Ecce, duo vestiti formaliter secundum vestem non differunt numero, quia uterque habet vestem ipsissimam numero, ut supponitur; materialiter secundum suas entitates differunt. Ergò sic dicendum esset, quod ibi essent duo individua materialiter, & simplex formaliter: quod nec Suarius admittet.

An colenda sint sanctorum reliquiæ? Præterea si esset sententia Suarij vera; tolleretur veneratio exhibita Sanctis corporibus. Ideò ego carnem vel ossa Sancti venerot, quia credo illammet carnem & ossa glorificauda esse; atqui ex Suarij sententia mea fides esset contingens & fallibilis, quia posset contingere quòd illa materia condemnaretur, & addiceretur flaminis gehennæ: ergò debemus fugere talem sententiam. Minorem probo. Posset quis reprobus se alere corporibus Sanctorum, ita ut tota ipsius materia sit desumpta ex corporibus sanctorum.

Dices istam omnem materiam debere restitui illis Sanctis, in quibus priùs fuit: ita enim debere fieri colligis ex D. Thomâ *in add. q. 80. art. 4. ad 3.* Quomodò ergò resurget barbarus in suo corpore, cujus totum corpus distribuitur aliis? Si Deus quà omnipotens novum corpus huic animo creat, saltem non facit, quòd is animus corpus resumat, quod dimisit. Ergò ille resurget in corpore non suo. Ergo fallitur Iob cùm dicit, *Rursum circumdabor pelle meâ, & in carne mea videbo Deum.* fallitur Athanasius, cum ait, *Omnes resurgere habent cum corporibus suis.* &c.

Præterea esto materia pertineat ad illum in quo priùs fuit: an non est absurdum, quòd materia, quæ in uno homine servivit luxui & peccaminosæ voluptati, in altero resurgat atque gloriâ donetur?

VIII.

Ioannis de sancto Thoma & Complutensium opinio.

DCLXXVIII. *An materia singularis sit de essentiâ singularis substantiæ?* IOannes de sancto Thomâ *in Physic. quæst. 6. de composit. artic. 1. §. Respondetur*, admittit hanc materiam esse de essentiâ hujus compositi. Ecce, videtis militem directè contra Suarium loquentem, quem videbitis in re cum Suario convenire. Vnitas materiæ, ait, bifariam sumitur, nempè materialiter, atque formaliter. Dicitur materia formaliter eadem, quando manet sub eâdem habitudine & ordine partis, puta sub eadē figurâ & dispositione, continuatione & successione ad formam. Materialiter autem est materia eadem, quando enitativè non mutatur. Addit, sufficere ad unitatem determinatæ materiæ constituentis totum, quòd sit materia eadem formaliter: non tamen requiri quòd sit eadem materialiter, & entitative. Ideò asserit in resurrectione omnes animos resumpturos esse sua propria corpora, illa ipsa quæ in genesi habuerunt; quæ licet entitativè nihil habeant materiæ, quam habuerant in genesi, manent eadem formaliter continuâ successione partium, eadem dispositione & ordine. *An corporis singularitas sit successiva & in fluxu consistat?* Et quidem materiam partium successione non mutari numero, demonstrant fluvij & fontes: semper ijdem numero manent, & tamen semper aqua mutatur, & lapsæ lapsura succedit. Quod ipsum adfirmat D. Thomas *in Additionib. quæst. 80. art. 4. ad 3.* affirmans *non præjudicari unitati numericæ per hoc, quòd partes fluant & refluant.*

Cæterùm hæc sententia sic exposita verbis solummodò differt ab opinione Suarij. Vterque admittit posse contingere quòd materiam quam habuit homo in nativitate, non habeat in resurrectione. Vtrùm debeamus dicere mutavisse corpus, qui mutavisse materiam asseritur; non de re, sed de nomine controversia est. Et ideò hæc opinio easdem patietur difficultates, quas antecedens.

Putant aliqui Suario, aut saltem Ioanni de sancto Thomâ favere Angelicum Doctorem quem citavi; sed alij tenent contrà quia, ut ipse Ioannes *ubi suprà* notavit, Divus Thomas, si quando favere videtur huic sententiæ, loquitur ex suppositione; & quando loquimur ex suppositione, non loquimur ex mente, non ex veritate, sed ex doctrinæ consequentiâ.

IX.

Suavis Complutensium opinio.

COmplutenses vix ab hâc sententiâ dissentiunt. Advertunt tamen (& optimè) quod licèt metaphysicè loquendo non repugnet omnes partes materiæ, quas Paulus habuit in primâ conditionis atomo, aut posteà acquiret, fuisse priùs concessas alteri, cui sint necessariò restituendæ: attamen ad suavitatem regiminis & providentiæ spectare, suppositâ futurâ hominum resurrectione, res ita disponere, ut tota hujus individui materia ad alteram non pertineat; & ita casuum incidentias disponere, ut in novissimâ resurrectione unicuique possit concedi propria materia, ita ut unum & idem numero individuum maneat. DCLXXIX. *An debeamus ad Deum in hac controversiâ recurrere?*

Providentia Dei multiplex. Adderem, si huic sententiæ subscriberem, spectare ad divinam rerum gubernationem ita rerum incidentias disponere, ut nullus in

ulti-

ultimo anhelitu alienam materiam obtineret. Hoc posset multis modis fieri. Primò faciendo quod antropophagi non nutriantur verâ materiâ humanæ carnis, sed humorum superfluitate & carnositate, quæ non pertinet ad veritatem humanæ naturæ: & hoc notavit D. Thomas. *addit. q. 80. art. 4. ad 3.* Vel secundò faciendo, quòd eæ partes materiæ alterius hominis, si quæ conversæ fuissent in substantiam aliti, consumantur calore naturali ante mortem antropophagi. Et hoc supposito (quod satis probabile esset) nullus locus esset difficultati.

X.

Modalium opinio.

DCLXXX *Doctrina Realium modalitatibus attemperatur.* QVinas sententias tuetur Realium schola, divisa & subdivisa in classes: & illis totidem in scholâ Modalium possunt correspondere: si illa Realitas, quæ dicebatur Ecceitas, in Modalitatem cõvertatur. ERGO possemus dicere *primò*, quantitatem continuam esse modum: *secundò*, illam discretam, quæ à continuâ distincta ecceitas est, modum esse: *tertiò*, existentiam, si hæc individuare substantiam dicatur, esse modum: *quartò*, subsistentiam, si speciem contrahat & singularizet, esse modum: *quintò*, formam illam, quæ dicebatur ultima & vocabatur singularitas, esse modalem. *Et his positis* possemus in controversia hac sicut de realitatibus, sic etiam de modalitatibus per analogiam & doctrinæ paritatem philosophari.

DCLXXXI. *An dentur habitus? an sint entitates modales?* Volo subjungere novam quamdam opinionem, quæ præcedentibus addatur. Suppono singularitatem quomodocumque (realiter, modaliter, aut etiam formaliter) à specie distingui: & sic discurro. Actus intelligendi non perennant; cessant, excidunt: & tamen relinquunt vestigia, quæ nominamus *Habitus*. quos singuli aliter explicant, & qui diceret Modales entitates eos esse, de *An formæ substantiales relinquant in materiâ vestigia?* crimine in Philosophiæ leges commisso non posset argui. Potentiores formæ substantiales videntur, & cur non posset dici etiam ipsas, cùm excidunt, relinquere suæ existentiæ vestigia: nimirùm modum aliquem, qui cuicumque formæ ejusdem speciei opponatur: vi cujus materia, quæ semel fuit leonina, iterùm informari formâ leonis non possit: non priori, quia illa jam *An possit materia successivè recipere formas substantiales distinctas numero?* excidit: non novâ, quia sicut existente priori formâ Leonis non potuit nova altera eamdem informare materiam, sic etiam existente isto modo, qui sapit naturam prioris formæ, à quâ fuit derelictus. Ergo cineres ardere non possunt, quia aliàs haberent duas formas substantiales numero distinctas successivè: quod ipsum experientia confirmat. Ergo ramus siccus virescere & crescere nequit etsi implaterur terræ fertili, quia aliàs haberet duas animas vegetativas successivè: quod esse absurdum, aut inconveniens, hæc ipsa experientia corroborat. Ergo cadaver Equi non potest novam formam hinnibilem recipere; quia aliàs haberet duas animas sensitivas successive: quod ipsum experientia persuadet. Ergo tandem infertur eamdem materiam humanam non posse recipere duas animas rationales successivè. Igitur caro lupi comesta ab alio lupo, & caro leonis comesta ab alio leone, & caro hominis comesta ab alio homine non convertitur in carnem aliti; sed in carnositatem tantummodò: & consequenter caro Martyris comesta à barbaro non pertinebit ad substantiam vivam & veram barbari, sed ad carnositatem carni veræ accrescentem. Ergo ex istis principiis non tam solvitur, quàm tollitur felicissimè quæstio. *An caro humana convertatur in substantiam hominis aliti?*

Hinc patet comedere carnes humanas esse contra legem naturæ: quia homines jubemur comedere ut nutriamur & sustentemur: cùm autem carnibus humanis homo nutriri nequeat; sequitur eum invertere ordinem à naturâ præscriptum, cùm illas comedit. Hoc Corollarium hæc videtur sententia fortiùs probare, quàm hucùsque: quia comedere carnes humanas esse contra naturam multi dicunt, nulli verò demonstrant. Nulli, inquam: quia nec hæc ipsa ratio, quam fortiorem cæteris, quæ solent fieri, dixi, demonstrativa est, est enim solutioni obnoxia: nam respondere posses, naturam indixisse homini ut comederet, non quidem ut nutriretur & cresceret, sed solummodò ut se sustentaret & viveret: & cùm carnes humanæ sufficientes sint ad alimentum (multos enim sustentari illis vidimus & videmus) & ad accrementum (nam & carnositatis aggeneratione roboramur) immò etiam ad veram nutritionem, quia inter paucas veræ carnis particulas, multas habet homo quilibet carnositates, quæ non informantur animâ rationali, & in aliti veram & viventem substantiam verti possunt. DCLXXXII. *An comedere carnes sit contra legem naturæ?* *An carnibus humanis ali homines possint?*

XI.

Formalium & Angelici Doctoris sententia.

INter Formalistas Principes sunt D. Thomas & Scotus; uterque enim præcisiones objectivas admittit (hic ante mentis operationem, ille pòst) & uterque asserit singularitatem formaliter à naturâ distingui. DCLXXXIII.

Sed quo Doctor Angelicus modo ab hac disputatione se expedit? Respondeo eum in Addition. *quæst. 80. art. 4. ad 3.* hæc habere. *Vnaquaque materiæ pars in eo resurget, in quo magis accessit ad perfectam participationem & constitutionem speciei. Et, si æqualiter in utroque pertinuit, resurget in illo, in quo primò fuit: & ideò si in carnibus comestis fuit aliqua superfluitas* (carnositas) *quæ non pertinuerit ad veritatem humanæ naturæ in pri-* *An eadem caro possit ad duos pertinere?*

mo, resurgere poterit in secundo: aliud illud, quod pertinuit & habuit ordinem ad resurrectionem in primo, resurget in eo, & non in secundo. Sed in secundo, loco eius sumetur, vel aliquid de eo, quod ex aliis cibis in carnem conversum est: vel si nullo alio cibo unquam pastus fuisset, nisi carnibus humanis, divinâ virtute aliunde supplebitur, quantum indigebit ad perfectionem quantitatis: sicut etiam suppletur in illis, qui ante perfectam ætatem decedunt (omnes enim resurgemus in plenitudinem magnitudiuis Christi) *nec per hoc præjudicatur identitati in numero, sicut nec præjudicatur per hoc quod partes secundum materiam fluant & refluant.* Ecce Angelicus Doctor carnem à carnositate distinguit: ecce ait nullos in resurrectione pygmæos, nullos gigantes, nullos pueros, nullos dectepitos: sed omnes in ætate & proceritate virili resurrecturos: ecce admittit in entibus successivis unitatem numericam perseverare, non obstante partium vario fluxu & refluxu.

Caro à carnositate distinguitur.

Sed, si rem bene examino, non tam vitat aut solvit difficultatem, Angelicus Doctor, quàm transglutit: quia si eadem caro duorum fuit, quorum alter beatus, & alter condemnitus est: quocumque illa ponatur, inconvenientia sub initium insinuata resultant: non enim cœlitùs coronari illa debet, est enim hominis condemnati caro: non debet æternis flammis condemnari, est enim hominis beati caro: si in utroque resurgat, aut in neutro, præter replicationem, etiam nova inconvenientia suborientur.

An Angelicus Doctor solvat difficultatem?

XII.

Propria sententia.

DC LXXXIV. ***An essentiæ consistant in indivisibili?***

SEntio hominem esse substantiale compositum: & quia essentiæ consistunt in indivisibili, existimo substantiam hominum non mutari toto vitæ decursu: & hanc ob rem, quidquid sit in homine, quod mutetur, esse extra ejus essentiam. Petrum esse substantiam primam realem physicam aio. Vt semper maneat Petrus, nec sit in senectute Paulus, qui in iuventute Petrus erat, realem unitatem & idemtitatem requiro, nec morali esse volo contentus; si enim unitas motalis sufficeret, Petrus iunior & Petrus senior essent unum individuum moraliter, & realiter distinguerentur.

An unitas Petri pueri & senis sit moralis?

Hanc doctrinam omnia omninò confirmant. Syllaba AB. non est syllaba EB. & compositum ex corpore A, & animâ rationali B. non est compositum ex corpore E. & animâ rationali B: unde, si illud compositum est Petrus, hoc non erit Petrus: &, si illud successivè transivit in hoc, Petrus successivè transivit in unum individuum, quod non est Petrus, sed est Paulus. Hæc nimis clara sunt; & videntur manibus palpari posse. Et meo judicio tam certa, ut contrarium dicere aut intelligere repugnet omninò meo captui.

Nota hoc bene.

Sed, inquies, hæc omnia falsò assumi, quoniã doctrinæ de nutritione & augmentatione constare non possunt. Imò, inquam ego, hæc omnia esse certissima & lumine naturali nota (quis enim tam erit stupidus, ut dicat AB esse EB?) & siquidem constare non possunt (sic ais) communi de nutritione & augmentatione doctrinæ, aio hanc communem doctrinam esse falsam: quoniam veritas nunquam veritati repugnat. Oportet igitur non ad mentem Aristotelis nostram eliminare Philosophiam & Theologiam cum detrimento decentiæ & veritatis, sed potiùs Aristotelicam doctrinam corrigere, ne nos cogat admittere aliqua, quæ vel unitatem hominis tollant, vel sceleratam antropophagi carnem cœlo donent. Ergo nos dirigent Conclusiones sequentes.

Quanti faciendus sit Aristotelica de nutritione doctrina?

An Aristoteles sit corrigendus?

DC LXXXV. ***Carnositas à carne distinguitur.***

Prima. *Caro humana comesta à barbaro in substantiam aliti non convertitur.* Hanc probat experientia, quæ carnem vivam à carnositate non vivâ distinguit. Caro humana comesta à barbaris per poros distributa sicut alia alimenta, & vitâ privata, carnositas est, & tametsi aliquamdiù incorrupta permaneat, tamen semper gravat, & tandem aliquando corrumpitur. Hinc morbus ille Indicus, qui translatus in Europam vocatur hodie Gallicus, & in putrefactione harum fibrarum non viventium consistit. Et cur, quæso, caro humana non nutrit? Respondeat Conclusio.

Origo morbi Gallici.

DC LXXXVI. ***Cur non nutriat humana caro?***

Secunda. *Quæri debet ratio aliqua naturalis, ob quam humana nutritiva non sit, quæ suadeat nimirùm carnem hanc comestam à quocumque animali, aut saltem comestam ab homine, non transire in substantiam aliti: &c. si hæc inveniri non possit, recurrendum est ad Deum* (quod Complutenses citati à nobis super §.9. fecerunt) *& dicendum regiminis suavitatem postulare, ut ex suppositione quod non solùm animabus Deus, sed etiam corporibus, stipendia meritorum daturus sit, eadem caro humana, nec simul, nec successivè informetur duabus animabus rationalibus.*

Sed quid, si barbarus tota vitâ nihil aliud comederet, quàm humanam carnem? Si datur ratio naturalis, quæ conversionem carnis humanæ in humanam impediat, ex illâ ratione est huic instantiæ succurrendùm: si ratio talis non detur, debebimus iterùm ad Deum recurrere, qui suaviter omnia gubernat, & poterit facere, ut casus positus nunquam accidat, & sic tollitur quæstio; aut permittere quod casus accidat, & antropophagus non carnem sed carnositatem adquirat: adeòque morbos & ante diem mortem incurrat.

Dubium instans.

Iterum recurritur ad Deum.

Tertia. *Petrum puerum & senem esse non tantùm moraliter sed realiter eundem Petrum, certum est: ergo est quærendus modus explicandi nutritionem, quicum hæc veritas componi queat: vel si reperiri iste non possit, communis doctrina de nutritione absolutè est neganda.*

Sanè in Tractatu de Vniversalibus & totâ hac Disputatione multi modi dicendi reperiuntur,

tiuntur, qui ſatisfaciunt huic difficultati, at nos ipſi in alias majores impellunt: ergo in ſcholâ Reali & Modali; ut ſecurè pronunciare poſſimus, debebimus dicere

Primus modus reſolvendi quæſtionem.

Materiam individuari ſigillo quantitatis ſive quantitate numericâ, & hanc realiter à molis quantitate diſtingui: & per augmentationem adquiri novam quantitatem, & per nutritionem indiviſibilem ſubſtantiam materiæ ad novam quantitatem extendi. Nec videbitur difficilis hæc extenſio, poterit enim poni eo modo, vel analogo, quo apud Peripateticos anima rationalis extenditur in nutritione; non enim ipſa novas ſubſtantiæ partes adquirit. Nec mirum videri debet ſi hanc materiam eſſe indiviſibilem entitativè dixerimus: quoniam etiam Thomiſtæ præter quantitativas partes, quas à quantitate molis habet materia, nullas entitativas in eâ admittunt.

DC LXXXVIII *Secundus modus.*

Si nolis quantitatem ſigillativam à quantitate molis diſtinguere, adhuc aperiam aliam viam æquè facilem, quam poſſis ingredi. Formas habere ſæpè duos effectus formales certum & nimis tritum apud Phyſicos eſt: ergo inſiſtens paritati rationis, nemini erit injurius, qui dixerit

De materiâ primariâ & ſecundariâ.

Formam habere ſubjectum primarium, ſecundariumque; eſſentiale & accidentale: illud eſſe de eſſentiâ & veritate hominis individui, hoc eſſe ſicut veſtes, & non pertinere ad eſſentiam: illud informare per ſe, hoc per accidens: illud dando vitam & ſenſum; hoc conferendo totum id quod neceſſarium ſit, ne corrumpatur. Ergo ſubjectum primarium vocemus *Carnem*: ſecundarium *Carnoſitatem*: & partes, quas paulò antè carnoſitates vocabamus; & dicebamus nec uniri nec informari ab animâ, *Superfluitates.*

Caro. Carnoſitas, & ſuperfluitas.

His poſitis, ad hominis generationem & nutritionem veniendo dicamus,

Quo modo fiat nutritio?

Animam à Deo creatam & corpori præparato infuſam illud ſigillare, & cum illo individuum conſtituere humanæ naturæ: poſteà hominem nutriri & adquirere carnem ſecundariam, ſive carnoſitatem. Secundariò oſſium particulas ſeu oſſitates, at numquam vel micam veræ carnis deperdere vel adquirere poſſe.

Os & Oſſitas.

Addamus *cibos non tranſire in ſubſtantiam primariam alti, ſed in ſecundariam & accidentalem, hoc eſt, non in carnem, ſed in carnoſitatem converti; adeòque non eſſe timendum regiminis ſuavitati & juſtitiæ ſinceritati, ſi homo ab Antropophago comedatur, quoniam ſubſtantia martyris comeſti non convertetur in carnem & veram ſubſtantiam barbari, ſed in carnoſitatem tantùm, quæ ad veritatem humani individui non pertinet.*

Philoſophia Theologiæ ancillari debet, dominari non debet.

Hos duos modos propoſui: uterque videtur facilis & probabilis: ſi neuter placeat, quæratur & detur tertius melior, illum amplectar: at non tolerabo, ut doctrinam de reſurrectione & Divina Æquitate vel in minimo dubiam aut implicatam reddant hauſta ab Ariſtotelico lyceo præjudicia: illa enim doctrina ſtare debet, & ad illam Ariſtotelis lyceus conformari.

DISPUTATIO V.

De Principio Individuationis conſtitutivo in Syſtemate ſpirituali. Quo modo Animi Humani individuentur? Quo Angeli? An omnes Angeli; aut etiam omnes Homines, diſtinguantur ſpecie?

DC LXXXIX.

TRes dedimus diſputationes de Individuationis principio in Syſtemate purè corporeo: quartam addidimus de Hominis ſingularitate & unitate, in quâ dubia expedivimus, quæ obſcura & difficilia lumine egere videbantur: addamus igitur adhuc iſtam quintam Diſputationem, in quâ de Spiritualibus ſubſtantiis & accidentibus diſſeramus.

Non omnes Spiritus in ſpeciè poſſibiles ſunt condita.

In theſauris Omnipotentiæ multi Spiritus hærent, at conditi ſunt Animi & Angeli; utrique immateriales, & à ſenſuum cenſu remoti; & utrique conſideratione indigent & ſtudio, ut perfectè & exactè noſcantur.

***

ARTICULUS I.

De Rationalium Animorum individuatione.

DCXC. *De materialibus formis nihil eſt ab Eccleſiâ definitum.*

EGimus de Formarum materialium individuatione ſuperiùs, & aliqua immiſcuimus de Animo: interim de illis egimus liberè, de hoc ſcrupuloſè & valdè cautè. De Formis corporeis ſubſtantialibus nihil nos docuit Fides, nihil evicit ratio; adeòque, quas negat Localis Schola, poſſunt reliquæ limitare, & multis modis & legibus obſtringere & dilucidare.

Et de formis ſpiritualibus definita ſunt multa.

At de Animis multa à Fide didicimus. Scimus eos eſſe. Scimus eſſe immortales, & informare corpora: & poſt mortem præmio aut pœna donari. Scimus

An animæ sint indivisibiles & spirituales?

mus Iudicij universalis die illos corpora resumpturos: &c. illos esse spirituales & indivisibiles asserimus : & non specie , sed numero distingui pronunciamus. At quia numerica hæc distinctio non caret tenebris , illam breviter dilucidabo.

Schola Realis.

DCXCI. *An duæ formæ distinctæ numero in eodem subjecto esse possint?*

DOcet Doctor Angelicus *libr.5. Met. ad text,15. lect.12.* & *in 4. dist. 12. quæst.1.art. 1.quæst.3.* & iterùm *1. part. quæst. 29.art. 1.* & *quæst. 39. art.3.* & sæpè alibi impossibile esse duas formas (substantiales aut accidentales) distinctas puro numero esse simul in eodem subjecto. Et ne aliquis hanc impossibilitatem ad naturæ difficultatem reduceret , mentem suam exposuit & ait, *esse duo accidentia ejusdem speciei in eodem subjecto, esse duo contradictoria esse simul.* [Literam D. Thomæ dedi *superius disp.1. art. 3.*] Et posteà *1. part. quæst. 50. art. 4. in corp.* agens de formis separatis sic inquit. *Impossibile est dicere, quod essent plures albedines separatæ,* * * *cum albedines non sint plures , nisi secundum sint in pluribus substantiis.* Hinc colligo sensisse D. Thomam cum Platonicis subjecta dare ecceitates formis ; & ubi multa sunt subjecta , esse multas ecceitates ; & ubi nullum , nullam esse. Repugnat ergo, ut vel multæ sint formæ in uno subjecto, aut separatæ ab omni subjecto. Ergo oppositum , ne quidem miraculosè potest fieri ; quia nec contradictoria conjungere Deus, nec repugnantia potest facere.

Individuatio sumitur à subjectis.

An Deus possit facere contradictoria?

DCXCII. *An duæ formæ distinctæ numero possint esse separatæ?*

Hac doctrinâ præmissâ dicunt Reales formas individuationem sumere à subjectis : & separatas à subjectis , non habere ullam pluralitatem. Audis & infers. *Ergo non sunt plures albedines separatæ. Ergo ruit Eucharistia , in quâ multa separata videntur. Ergo non sunt multæ Animæ rationales separatæ. Ergo ruit , quidquid de immortalitate animarum asseritur.* Primam consequentiam ais esse expressam à D. Thomâ loco citato : secundam suboriri ex primâ : si enim multæ albedines sunt in multis hostiis , & repugnat esse multas albedines separatas à substantiis (sic asserebat D. Thomas) illæ albedines non carent substantiis : manet igitur post consecrationem panis substantia ut illas albedines sustineat , & numero etiam multiplicet. Quis hæc toleret ? & tamen consequenter dicuntur. Et eodem modo de Animâ rationali possemus etiam philosophari : quia , si à subjectis individuantur Animæ , repugnat , quòd separatæ plures sint.

An in Eucharistiâ post consecrationem maneat panis?

An miraculosè sint plures albedines separatæ?

Recurret ad miraculum aliquis , dicetque , hæc omnia secundum ordinarium naturæ cursum fluere ; addet tamen Deum de potentiâ absolutâ aliter disposuisse : & quia tota Eucharistia miraculosa est, etiam in ipsâ hoc relucere prodigium, quòd albedines separatæ , quæ secundum naturæ cursum esse plures non possunt , miraculosè plures sint, & quia rationalium Animarum immortalitas & pluralitas etiam est prodigiosa , in statu separationis , cui naturaliter repugnat Animarum pluralitas , nihilominùs multas puro numero distinctas reperit.

An animarum separatarum pluralitas sit miraculosa?

At iste recursus præcluditur à D. Thomâ : si enim duæ contradictoriæ ex pluralitate formarum (nempè puro numero distinctarum) aut positarum in eodem subjecto , aut separatarum ab omni subjecto, sequuntur : inter ordinariam & absolutam Dei potentiam distinguendum non est: non enim naturaliter aut miraculosè potest fieri , ut duæ sint contradictoriæ simul veræ. Vt igitur huic difficultati respondeam,

Deus non potest facere ut duæ contradictoria sint veræ?

DCXCIII. *An omnes albedines hostiarum sint una albedo?*

Dico primò. *Si quantitas non est subjectum qualitatum , albedo Eucharistica caret subjecto , & stando doctrina Realium , cum repugnet plures esse albedines separatas , omnes albedines omnium hostiarum sunt una : non quidem una numero positivè , sed una specie positivè , & una numero negativè.* Equidem vellem videre rationem aliquam evidentem , quæ probaret duarum hostiarum albedines distingui numero positivè.

DCXCIV. *An quantitas sit qualitatum subjectum?*

Dico secundò. *Si quantitas est subjectum qualitatum satisfactum est objectioni: nam in multis hostiis erunt plura qualitatum subjecta , adeoque plures albedines distinctæ numero.* Et quidem hodie communissima sententia est , quæ qualitates omnes quantitati , tanquam subjecto implantat , & infert qualitates non carere subjecto , sed post consecrationem inhærere quantitati connaturaliter. *At dices* in idem reincidere, quia potest argumentú mutatâ materiâ reponi. Et sic instas. [Non possunt duo accidentia separata distingui puro numero : ergo , si albedines separatæ , etsi viderentur diversæ, essent unica albedo (unica specie positivè , & unica numero negativè) etiam duæ quantitates separatæ puro numero distinctæ repugnabunt. Omnes ergo hostiarum quantitates erunt unica.] *Et respondebunt Reales* quantitatis partes non esse individuas *ut quod* , sed *ut quo* , & à se illas & non à subjecto sumere pluralitatem ; juxta ea, quæ superiùs tradidimus. Vide disputationem primam, art. VII. hujus libri.

An repugnent plures quantitates separatæ?

DCXCV. *An accidentia spiritualia individuentur à subjectis?*

Dico tertiò. *Nullum est inconveniens si accidentia spiritualia (naturalia aut supernaturalia) à subjecto sumant individuationem.* Vel qui aliquod observaverit , illud producat. Hinc sequeretur , inquies, non posse esse duas qualitates spirituales distinctas puro numero in eodem subjecto : nec posse duas qualitates distinctas puro numero à subjectis separatas distingui. Et Platonici respondebunt. Quid inde?

DCXCVI.

Dico quartò. *Si homines non morerentur,*

An Animæ sumant individuationem à subiecto?

tur ; aut etiam si moverentur , modò Animæ non separarentur , possemus dicere Animas omnes æquè ac formas corporeas individuationem sumere à materiâ ; & ideò esse plures ; quia sunt in diversis materiis. Patet , quia contra hunc individuandi modum argumenta tantùm ab Animâ separatâ sumuntur. *Quia* (& nota id bene) *si individuatio à materia sumeretur , sicut plures albedines separatæ , sic etiam plures Animæ separatæ repugnarent.* Ergo dicendum est

Realium hic est doctrina difficilis.

Reales Philosophos difficulter posse individuationem Animarum rationalium defendere , si asserant illam à materiâ desumi. Difficulter dico: non enim impossibile judico Realium etiam hic opinionem tueri : si enim quis vellet studere , cur non posset rationem reperire , quæ Animas informantes ad regulam generalem reduceret , & separatas à generali regulâ separaret ; nam sicut quantitas panis ante consecrationem existit existentiâ subjecti , in Angelici Doctoris sententiâ , & post consecrationem acquirit novum quemdam modum essendi aut existendi , quem *parypostasim* Græci vocarent : sic Anima informans posset sumere numerum & pluralitatem à corporibus , & separata adquirere modum aliquem individuationis novum vices gerentem proprij corporis , qui illam similiter individuaret.

DCXCVII. *Quid sit Animæ rationalis hæcceitas?*

Dico quintò. *Hæcceitas Animæ rationalis est quædam formalitas naturæ specificæ Animæ superaddita.* Patet : quia hæc Assertio est intellectu facillima , & tollit omnia inconvenientia , quæ ex aliis sententiis nascuntur. Si hanc formalitatem velis vocare *Existentiam* aut *Subsistentiam* non disputabo de nominibus : at petet Scholæ Realis puritas , ne res diversæ confundantur.

Schola cætera.

Hæcceitatis & Animæ rationalis distinctio.

Hæcceitas est aliquid reale Spirituale superadditum naturæ specificæ Animæ rationalis , & illam afficiens & contrahens & in esse singularis constituens. Sic dixi. Sed quo hæcceitas ista modo distinguitur à naturâ specificâ?

Reales dicunt distingui realiter : Modales modaliter : Formales formaliter: Expressistæ expressivè. Et singuli de Animâ & ejus actionibus analogicè philosophantur.

ARTICULUS II.

Schola Realis. *Individuatio Angelorum sumitur à Materia.*

DCXCVIII. *An distinctio numerica à materia sumatur?*

Qvæcumque de hoc argumento subtili & peregrino Doctor Angelicus scripsit, realia sunt , & realibus fundamentis innixa. Agit de substantiâ Angelorum *p.* 1. *q.* 50. per totam. & *art.* 4. interrogat , An Angeli differant specie ? & resolvit differre. & probat , *Ea enim quæ conveniunt specie & differunt numero , conveniunt in formâ , & distinguuntur materialiter. Si ergo Angeli non sunt compositi ex materia & forma , ut dictum est q.* 5. *art.* 1. *sequitur , quod impossibile sit esse duos Angelos unius speciei : sicut impossibile esset dicere , quod essent plures albedines separatæ.*

An Angeli comparantur physicè?

Quid sit hæcceitas?

His paucis ille verbis & sententiam & sententiæ fundamenta complexus est. Rem considera. Albedo hujus folij & albedo sequentis , sunt duæ qualitates distinctæ numero : [Vocentur illa A , ista B.] conveniunt realiter in ratione albedinis ; & differunt realiter per ecceitates. Quid est ecceitas A ? inhærentia albedinis universalis ad hoc folium : quid ecceitas B ? inhærentia ejusdem albedinis communis & universalis ad folium sequens. Ergo , si separetur albedo ab omni subjecto ; separabitur ab omni inhærentiâ : ergo & ab omni singularitate & ecceitate. Ergo albedo separata ab omni subjecto non erit albedo in isto aut in illo subjecto ; sed albedo in nullo subjecto. Ergo non erit multiplex albedo , sed simplex.

An omnes Angeli distinguantur specie?

Posito hoc fundamento facile erit examinare , An Angeli numero multiplicari possint ? Dicuntur enim Formæ spirituales : & si sint materiæ , in quibus multiplicari possint , non repugnabit esse multos Angelos distinctos numero : & si non dentur hæ materiæ , repugnabit. At Angelos omni carere materiâ asserit D. Thomas : ergo debet consequenter asserere omnes Angelos distingui specie : & repugnare vel duos distinctos puro numero.

Consentiunt Angelico Doctori Thomistæ , & præter ipsos etiam aliqui , qui existimant de absolutâ Dei potentiâ fieri non posse , ut duo Angeli ad eamdem infimam speciem pertineant. Ita Hervæus *in* 2. *dist.* 3. *q.* 2. *art.* 2. Cajetanus 1. *p. q.* 50. *art.* 4. & fusius *de Ente & essentia cap.* 5. *quæst.* 9. Soncinas 12. *Metaph. tex.* 49. Dominicus à Flandriâ *in* 5. *Met. quæst.* 9. *art.* 4. & *quæst.* 29. *art.* 4. Abulensis *in cap.* 25. *Exodi. quæst.* 62. & *in cap.* 21. *Numerorum quæst.* 19. & *Paradoxo* 4. *cap.* 3. Granadus 1. *p. contr.* 7. *disp.* 4. Nazarius & alij , qui omnes varia testimonia D. Thomæ congerunt , & præcipuè ex 1. *p. quæst.* 50. *art.* 4. & 3. *part. quæst.* 77. 2. & 2. *contra gentes. cap.* 93. & *de spiritual. creat. quæst. unic. art.* 8. & *de Ente & essent. cap.* 5. ubi hanc eamdem sententiam adscripsit Arabi Avicennæ. Sic possunt & solent philosophari Reales Platonici , sic Thomistæ.

DCXCIX. *An Angeli sint substantiæ simplices & incompositæ?*

Ego quidem standò huic Scholæ , si & dicantur Angeli esse substantiæ indivisibiles & incompositæ ; puto Angelici Doctoris sententiam veram esse , & oppositam probabiliter defendi non posse. At quia Angelos esse substantias simplices & incom-

incompositas certum non est, volo liberiùs hic discurrere, & aliquid consonum Platoni & Academicis, dissonum verò D. Thomæ proponere. Quid si diceremus primò, substantiam completam materialem componi ex duabus incompletis; potentiâ videlicet, & actu, materiâ & formâ? Quid si adderemus secundò, substantiam completam spiritualem componi ex duabus spiritualibus incompletis: videlicet ex potentiâ spirituali, & actu vel formâ spirituali? Quid si subjungeremus tertiò oportere, sicut de materialibus materialiter, sic etiam de spiritualibus spiritualiter philosophari? Positis his tribus fundamentis, quæ nemo evertere poterit, sic discurram. In Angelis est lumen gloriæ; in omnibus idem specie, & in singulis distinctum puro numero. Et cur puro numero? Quia forma in subjectis multiplicatur: idem enim est multiplicari numero, quàm in multis subjectis collocari, & ista gloriæ lumina in multis Angelorum intellectibus sunt. Sed unde habent isti intellectus, quod sint multi? quia insunt formis Angelicis, quæ sunt multæ: nam in Angelis est forma Angelica, eadem specie in omnibus, in singulis diversa numero, quia est in multis potentiis receptivis; aut, si liceat sic loqui, in multis materiis spiritualibus. Sed unde habent hæ potentiæ (aut materiæ spirituales) ut sint multæ? Unde materia corporalis. Nam, vel potentia spiritualis est divisibilis entitativè, quod multi de materiâ-primâ asserunt: vel afficitur divisibilitate continuâ, qualis est quantitas molis in corporibus: vel saltem divisibilitate numerica, qualis est in corporibus discreta seu numerica quantitas.

An detur potentia & actus spiritualis?

Vide articulum I. §. Dico tertiò.

An materia sit divisibilis?

Manet igitur in Scholâ Platonicâ exclusâ Angelorum simplicitate & admissâ compositione ex potentiâ & actu spiritualibus esse Angelos puro distinctos numero defendi posse: at stante Angelorum simplicitate, quam tuetur D. Thomas, non posse.

Quæstio resolvitur?

ARTICULUS III.

Schola Realis. *Individuatio Angelorum sumitur à Subsistentia.*

DCC

An D. Thomas anceps hæreat?

REales amat & sequitur D. Angelicus, & individuationem sumi à subjecto asserit: at aliquando in Platonem & Aristotelem, aliquando in Boëtium inclinat: aliquando utramque sententiam conjungit, & quasi parùm referat unam tueri vel alteram, utramque probabilem judicat. Lego *in quæst. 50. art. 4.* ista verba. *Impossibile esset dicere, quod essent plures albedines separata, aut plures humanitates, cum albedines non sint plures nisi secundum quod sunt in pluribus substantiis.* Ecce albedo separata esset simplex, quia careret subjectis: Ecce humanitas separata esset simplex; sed cur? quia careret multis suppositis, seu subsistentiis. Hoc ultimum, (nimirùm à subsistentiâ individuationem desumi) supponimus in hoc Articulo: & consonamus Ioanni de S. Thoma, qui *quæst. 8. de specie, art. 3.* sic ait. *Ipsa autem carentia formæ, ut præbet modum incommunicabilitatis & fundat subsistentiam & singularitatem completam, & sic præbet modum individuationis, & repugnat multiplicationi.* Et his præmissis inquirimus, An Angeli distinguantur specie?

Modus individuationis.

Natura humana secundum se considerata nec est una numero nec plures numero: est una specie in omnibus suppositis, & distinguitur numero in singulis: & cur non poterimus eodem modo de Angelicâ philosophari?

Pronuncio igitur quinque esse posse de Angelorum subsistentiâ sententias: *primam*, quæ dicat illam esse negativam & non positivam. *secundam*, quæ doceat esse quidem positivam, sed naturæ identificatam: *tertiam*, quæ distinctionem inter subsistentiam & naturam admittat, addat tamen illam carere omni subsistentia non posse, & habere duas simul non posse: *quartam*, quæ statuat omnem subsistentiam Angelicam in unam confluere, & unicam simplicem subsistentiam per identificationem componere: *quintam*, tandem, quæ admittat multas subsistentias possibiles, distinctas realiter à naturâ, & potentes eam simul sustentare. *Singulas* sententias exponamus.

Opiniones de subsistentiâ Angelicâ.

Prima.

DCCI

An subsistentia aliquid negativum sit?

SCotus, & ejusdem discipuli, & non pauci è Iesuitis existimant non dari subsistentias positivas creatas, sed naturas corporeas unicâ, duabus, aut etiam pluribus negationibus terminari & subsistere, quod ipsi subtiliter explicant, & plausibiliter tuentur. Quid, si aliquis Boëtianus diceret, subsistentias corporum esse entitates positivas, & subsistentias spirituum positivas non esse? Et, si illum inconsequentiæ argueres; quid, si diceret, Corpora ob imperfectionem ingenitam subsistentiis positivis egere, & Spiritus propter perfectionem ingenitam eisdem non indigere? Et, si ad Deum confugeres, & objiceres eum esse perfectissimum & tamen positivis personalitatibus præditum; quid si ob oculos poneret lapidem, leonem, & Deum, in quibus sensibilitas reperitur in leone, & tamen negatur Deo & lapidi; illi ob perfectionem, huic ob imperfectionem?

An eadem res alteri ob imperfectionem, & alteri ob perfectionem sit neganda?

Sanè, si dicatur subsistentia Angelica esse entitas negativa, & principium formale constitutivum individui, necessariò dicendum est repugnare duos Angelos distinctos puro numero, non enim est negationum numero distinctarum varietas, nisi suma-

tam

tur ab extremis, quæ non reperiuntur in Angelis: natura enim Angelica ab omni subsistentiâ negativâ præcisa, est una specie: subsistentia hæc negativa (simplex aut composita sit) multiplicabilis non est: ergo stando huic fundamento repugnarent duo puri Angeli puro distincti numero.

Quid si Deus naturam Angelicam assumeret?

Consultò *puros* dixi: nam in tali casu si aliqua persona divina, aut omnes tres simul, illam naturam communem assumerent, haberemus tres Angelos, divinâ subsistentes hyposthasi; non secùs ac tres Homines, si omnes tres personæ divinæ humanam naturam assumerent.

Secunda.

DCCII. Angelorum subsistentias esse formalitates positivas & naturis identificatas homines doctissimi affirmant. Ex hac identificatione non sequitur repugnare plures subsistentias, sed plures Angelos distinctos numero. Sic discurro.

An repugnet unum eundemque Angelum plures habere personas?

In Patre æterno veneror & adoro essentiam divinam Paternitatis subsistentia prædicatam. Deus est Pater: & quia statim eamdem ipsam essentiam divinam secundâ subsistentiâ intelligo, statim tertiâ, rogo, an tres Deos intelligam, an unicum in trinis personis? Hoc ultimum dicendum credo; & quia credo, certiùs assentior, quàm si me ratio impelleret evidentissima. Igitur stando huic secundæ sententiæ *dici debet* repugnare duos Angelos distinctos puro numero; *addi debet*, non repugnare Angelos singulos subsistere in binis aut pluribus quibuscumque personis.

Tertia.

DCCIII. Materiam primam, formamque distingui realiter, & materiam nec carere omni formâ nec duas simul habere posse communis est Thomistarum opinio. Habet argumenta pro & contrà: & quia neutra evidenter convincunt, nec præscribit Thomistarum opinio, nec ab orbe literario proscribitur, sed inter probabiles remanet. Et quid, si consequentiæ doctrinæ insisteremus, & de essentiâ & subsistentiâ philosopharemur eodem modo; Quoniam, si subsistentia res est & non modus; quod multi asserunt, &, si est res substantialis, quod iidem dicunt: &, si naturam afficit, quod multi putant; forma est: & si forma, aut substantialis altera, aut non multum à prima & constituente substantiam differens. Dicatur igitur Michaëlis natura ex. gr. subsistentia omni destitui non posse, binas simul habere non posse: & hinc oritur nova quædam in Theologiâ sententia, quæ adserat sub eadem infimâ specie plures Angelos distinctos puro numero, successivè esse posse; simul non posse. Inferatur primò debere Deum unum Angelum corrumpere ut alterum produceret in eâdem specie. Secundò hujus posterioris Angeli productionem non fore creationem, sed meram transsubsistentiationem.

An materia carere formâ posset? An multas haberet?

An esse possint plures Angeli successivè?

De transsubsistentiatione Angelorum.

Quarta.

DCCIV. Si omnes possibiles subsistentias Deus crearet simul, & creando identificaret, nulla remaneret creabilis: ergo si in conditione Michaëlis sic processit; nulla erit subsistentia possibilis, aut imaginabilis, qua ille careat. Quam ob rem cùm præter subsistentiam non sit possibilis Ecceitas & singularitas, sequitur Michaëlem in suâ specie socium habere non posse.

An singuli Angeli habeant sua speciei omnes haecceitates identificatas?

Suas difficultates pati solet hypothesis, quam multi Recentiores impugnant: & alij admissâ adhuc existimant non posse D. Thomæ conclusionem defendi.

Contra hypothesin militat creaturarum possibilium infinitas, si omnes subsistentiæ possibiles in Michaëlis personalitatem confluxerunt, habet illa subsistentias infinitas identificatas, & per consequens est infinita.

An subsistentiæ sint infinitæ?

Sed quid, si aliquis diceret subsistentias possibiles non esse infinitas, nam subsistentia est terminus; & una linea non nisi duos habere potest: cur ergo non posset reperiri natura, quæ non possit habere plures subsistentias, quàm tot? Quid, si diceret, esse quidem infinitas sed Syncategorematicè? Video infinitatem hanc ab Aristotele & Peripateticis in quâcumque etiam parvâ quantitate continua reperiri; nec audiri Zenonistas, si fortè inferant, [Continua hæc quantitas habet infinitas partes Syncategorematicè, ergo est categorematicè infinita.] Quid tandem, si assereret esse infinitas (etiam categorematicè, si velis) at non ideò sequi subsistentiam Michaëlis esse perfectionis infinitæ: quia licet Scoto & aliis licuit dicere subsistentias divinas nullam dicere perfectionem ab essentiâ distinctam, sic poterit etiam licere aliquid ipsum affirmare de Angelicis.

An subsistentia aliquam perfectionem importet?

Positâ hypothesi, contra conclusionem Angelici Doctoris militat hæc instantia, Deus, qui omnes subsistentias simul condidit & identificavit, potuit aliquas producere tantùm, & eas non identificare; & potuit jam productas & identificatas dividere: ergo adhuc stante hypothesi manet Deum de absolutâ potentiâ potuisse plures Angelos in eâdem specie creare. Manet, inquam, nisi fortè dices illas subsistentias talis esse quiditatis ut non possint aliter existere quàm identificatæ nec aliter quàm omnes simul; quia, si hoc supponatur (quod ipsum faciliùs pronuncies, quàm probes) omnes Angeli distinguuntur specie, & duos esse sub eâdem specie repugnat.

An subsistentia Angelica debeant omnes produci simul?

Quinta.

Opinio facillima. HVjus opinionis Authores facillimam ingressi viam, posse eamdem naturam specificam plures simul habere subsisteotias (hoc est, apud Boëtianos, ecceitates) affirmant: & inde necessariò inferunt non solùm secundum absolutam potentiam, sed etiam secundum ordinariam ereati posse Angelos multos in eâdem specie. Fortè & creatos fuisse. Fortè omoes, quotquot sunt, ad unam & eamdem iofimam speciem spectare.

ARTICULUS IV.

Schola Modalis. *Individuatio Angelorum Modus est.*

DCCV. EXposuimus superiùs opinionem illorum, qui dicebant ecceitatem Entis eorporei modum esse (nimirùm, sigillum quantitatis modalem, aut etiam quantitatem modalem: aùt fortè modum existentiæ, vel subsistentiæ, vel qoempiam alium) modò ad Systema spitituale elevo oculos, & ecceitatem esse asseram quamdam entitatem modalem.

Vniversalitas est modus: & etiam haecceitas est modus. Hojos opinionis mentionem faeit Franciseus Amicus *disp. 3. de Angelis sect. 6. num.* 126. ubi ait: *Hacceitas, quæ est in Gabriele consequitur essentiam ipsius, ut proprietas seu modus.* Illam sequitur Ioannes à S. Thomâ, qui *quæst. 4. de specie. art. 5.* asserit primò universalitatem esse modum, ait enim *Itaque indifferentia naturæ ex proprio modo suo communicabilis est ad plura.* Et post multa: *Quod species ista habeat universalitatem prædicabilem de multis, non pertinet ad rationem ponendi in prædicamento, sed ad conditionem, seu modum rei, quæ ponitur in prædicamento. Et talem modum non repugnat, quod natura Angelica habeat.* &c. ubi asserit secundò singularitatem esse modum, inquit eoim: *Repugnantia ad pluralitatem, non est ex naturâ, sed ex modo individuandi naturam, quia non est aliud principium individuandi,* &c. *Igitur, si concipiatur natura inadæquatè, hoc est, quantum ad rationem speciei, & non modus ipse individuandi naturam.* &c. & in responsione ad primum. *Natura Angelica habet repugnantiam, ut prædicetur de multis ex modo individuationis & incommunicabilitatis ipsius formæ:* &c. *& licèt ipse modus individuationis sit intrinsecus naturæ Angelicæ, non tamen secundùm conceptum naturæ ut natura est; sed ut irreceptibilis & includens modum naturæ, quo ipsa individuatur. Unde licèt concepta adæquatè natura cum modo prædicari non possit de multis, si tamen inadæquatè concipiatur & sine illo modo, & cum potentiâ ad ipsum, concipitur ut prædicabilis.* &c. Et post pauca: *Concurrit modus individuandi, ex quo habent esse impossibilia.* Et statim: *Quando concipitur sine modo individuationis.* Et mox sibi sic objicit: *Modus ille irreceptionis in materia essentialiter convenit Angelo:* &c. *Modus irreceptionis.* *Ergo non potest abstrahi natura specifica Angeli ab illo modo individuationis.* Et inferiùs: *Præbet modum individuationis, & repugnat individuationi. Unde quando abstrahimus naturam specificam Angeli à modo individuandi, non præscindimus in tali natura id quod essentiale est quantum ad constitutionem quidditatis, sed id quod in natura illa pertinet ad modum individuationis.* Et paulò inferiùs: *Non posset concipi ut universalis, quia explicaret modum naturæ, qui est singularitas.* Sic ille: sic alij.

Si semel stet singularitatem in Angelis modum esse, non erit entitas negativa, quia modi positivæ sont entitates: nec erit naturæ omninò identificata, sed ab illâ distioguetur modaliter. *An singularitas distinguatur à natura modaliter?* At posses dicere *primò*, naturam Angelicam duos subsistentiæ modos successivè habere posse, simul non posse: & hanc ob rem plures Angelos ejusdem speciei posse esse successivè, nunquam autem posse existere duos simul. *An unum corpus in duobus locis esse possit?* Nec carere exemplis, quibus id dilucidares, nam Petrus duas ubicationes successivè habere potest, at teste D. Thomâ simul non potest. Idem à fortiori dicito de duabus durationibus, si & ipsæ modi sint. Idem de duabus sessionibus. Idem de aliis modis. &c. Posses *secundò* dicere omnes modos singularitatum possibilium in illum modom per identitatem coïncidisse & per consequens tam simul quàm successivè duos Angelos ejusdem speciei repugnare. Posses *tertiò* dicere non repugnare ut coëxistant simul multi modi singularizantes naturam Angelicam, & idcireò posse multos Angelos puro numero distinctos concedi. *Vide* præcedentis Articuli sententiam III. IV. & V. & juxta ibi insinuata philosophare.

ARTICULUS V.

Schola Actionalis, *Individuatio Angelorum sumitur à Fieri, seu Creatione passivâ.*

SI corpora creatione passivâ individuantur & multiplicantur, etiam Angelicæ naturæ hoc modo contrahi poteruot & multiplicari. Si non repugnat posse materiam primam (nempè, eamdem specie) multis creationibus realiter distinctis produci, nescio cur repugnabit naturam Angelicam (nimirùm, specificam) produci hic creatione A, & contrahi ad Angelum A; & produci alibi creatione B, & contrahi ad Angelum B. *Dicamus* DCCVI. *An possibiles sint multæ creationes distinctæ numero? An distinctæ specie?*

igitur

igitur naturam Angelicam secundum se considaratam non esse hanc aut illam singularem, sed esse specificam & universalem; saltem negativè; hoc est, non singularem positivè. *Addamus*, eamdem contrahi & individuari per creationem passivam; ita ut Angelus A, sit aggregatum ex naturâ Angelicâ & creatione A: & Angelus B, sit similiter aggregatum ex naturâ Angelicâ & creatione B. *Subjungamus* esse possibiles plures Angelos distinctos puro numero, si plures creationes respectu ejusdem specificæ naturæ sint possibiles: & si repugnent istæ, etiam eos repugnare.

An & repugnant istæ? Alterutram contradictionis partem facillimo negotio defenderem, neutram benè probarem. Vt enim non repugnantiam tuear, utar hoc ratiocinio: [Sicut de materialibus suo modo, sic agendum est de spiritualibus suo. Sed naturæ materiales pro passivarum creationum varietate individuantur & multiplicantur. Ergo & Spirituales.] Vt autem repugnantiam, isto: [Ideò materiales naturæ contrahuntur, & in singularibus multiplicantur, quia diversis creationibus producuntur: ideò possunt esse ejusdem naturæ respectu plures creationes, quia rerum materialium creatio est divisibilis & materialis. At rerum spiritualium creatio est immaterialis & indivisibilis: ergo immultiplicabilis & impartibilis. Ergo speciem, quam afficit, non partitur, nec multiplicat. Ergo non dantur Angeli distincti numero.] Duo ista ratiocinia sufficientia videntur, ut defensivè pugnes, hoc est, ut respondeas: at verò, ut pugnes offensivè, hoc est, ut arguas, armis securioribus utere.

An creatio divisibilis sit?

ARTICULUS VI.


Schola Formalis. *Individuatio Angelorum pendet à formalitate specifica naturæ superaddita.*

OMitto Localem Scholam; quia & locus ipse corporeus est, & illa intra corporum amplitudinem se continere debet, vel exorbitare omninò, si in Divina aut Angelica audeat. Omitto & Negativam, non quod locum ipsa in Angelicis aut etiam Divinis non habeat, sed quod iam in Reali prædicta omnia, quæ hic occurrunt. Vide Articulo tertio sententiam illam primam; quæ Angelos subsistentia negativâ afficiebat, & identitate aut paritate rationis positâ philosophare. Ad formalem subvenio: & quia inter Reales hîc & Formales æquivocationem summam & apertam reperio, hæc paucola de vocibus dicturus sum. DCCVII.

An individuatio Angelica sit negativa?

Tenent Reales omnes Angelos distingui specie: Formales verò eosdem distingui numero: Ecce discrimen clarum certumque: ecce sibi contradicunt omninò. At omnia consistunt in verbis; &, si quæstionem examines, ubi maximè videntur differre, exactè & præcisè conveniunt. Sic rem expono. Sit A. ratio generica, in quâ Angeli universi

An Reales & Formales conveniant?



conveniunt: & per differentias divisivas B, C, D, &c. contrahâtur ad species AB, AC, AD. &c. Tunc singulæ species adhuc contrahantur per novas formalitates advenientes: species AB, per differentias E & I: species AC per differentias O & V. &c. Vltima hæc differentia non dividitur nec contrahitur ulteriùs: & hoc in omni Theologorum sententia. Sed hæc ultima formalitas quale nomen sortitur? Apud Reales vocatur differentia specifica: Ergo apud ipsos ABE, & ABI. distinguentur specie, & per consequens non erunt duo in cœlo Angeli distincti numero. Apud Formales vocatur differentia individualis: Ergo apud ipsos ABE, & ABI. distinguentur numero, & per consequens multi erunt in cœlo Angeli qui non distinguantur specie. Dicunt Reales: omnem distinctionem numericam sumi à subjecto (quod materiam vocant) idem enim est juxta eorum Lexicon albedinem esse hanc, quam esse in hoc subjecto: idem esse plures albedines, quàm albedinem esse in pluribus subjectis: & quia nulla species Angelica in pluribus subjectis est, ideò nulla species Angelica in eorum sententiâ habet plura individua: imò nec unum positivè: (& hoc attentè, & optimè observandum est) quia una singularitas positiva est esse in uno subjecto positivè; & cùm non detur in toto Empyreo species, quæ vel in uno sit subjecto, nulla erit, quæ habeat vel unum individuum positivè; sed negativè tantùm: ideò enim Michaël est unus numero, quia non est plures numero: Michaël igitur est unus numero negativè, & non positivè. Contrà Formales: negant enim singularitatem esse inexistentiam in subjecto: & negant multiplicari numero esse pluribus inesse subjectis. Vtrique sanè easdem admittunt in Angelo formalitates. Reales ultimam vocant *specificam*, & penultimam *genericam*: & quia vident omnes Angelos differre ultimâ, omnes (aut plerosque; quid de hoc scimus?) convenire in penultimâ, pronunciant, omnes differre specie: at omnes (aut plerosque) genere convenire. Formales autem Philosophi admittunt easdem formalitates in Angelo; & quia ultimas vocant *individuales*, penultimas

An tota hæc disputatio reducatur ad quæstionem de nomine?

Quid sit hæcceitas?

An Angeli sint singulares positivè?

verò *specificas*, dicunt omnes Angelos (aut multos) convenire in formalitate penultimâ; hoc est, specie: differre ultimâ; hoc est, numero. Ergo Angeli, quoad rem, eodem modo concipiuntur à Realibus & Formalibus: at verò non eisdem verbis explicantur: nec mirum Reales dicant distingui specie, & Formales numero, si differentiam illam ultimam, quæ in ipsis reperitur, Formales *Singularem* appellent, & *Specificam* Reales.

Variæ Formalistarum Opiniones. Semel admissâ hæcceitate formaliter ab Angelicâ natura distinctâ, & eâdem superadditâ, nemo teneretur alterius inhærere sententiæ, sed poterunt sibi vias speciales aperire singuli, unam aut alteram expono: aut potius ad superiùs positas opiniones eximo.

DCCVIII. Prima Opinio. *An materia cœlestis sit ad formam unicam determinata.* Posset aliquis dicere naturas Angelicas esse ad unicam hæcceitatem determinatas, & à nostris differre, ut materia cœlestis differt à sublunari. Materia sublunaris est indifferens ut multas habeat formas, cœlestis verò est ad unicam determinata, ita ut aliam recipere non possit. Et natura (Leonina v. gr.) est indifferens, ut multas formalitates individuales (singularitates) recipiat, quibus multiplicetur: at natura Angelica determinata est ad unicam singularitatem, & aliam habere non potest. Stando igitur huic opinioni repugnant Angeli distincti puro numero.

DCCIX. Secunda Opinio. *De successione formarum.* Posset alius asserere naturas spirituales specificas esse similes materiæ primæ sublunari Thomisticæ: hæc enim formâ carere non potest, nec duas simul habere potest, at successivè multas habere potest: & natura specifica unius Angeli, singularitate carere non potest, nec duas simul singularitates habere potest: at successivè multas habere potest. Ergo stando huic sententiæ in specie Gabrielis repugnat naturam illam existere ab omni individuo separatam: repugnat illam duo simul habere individua: at corrupto hoc Gabriele A produci Gabrielem B, à priori distinctum numero non repugnat.

Posset alius tenere naturam Angelicam specificam ex se esse indifferentem ad recipiendas plures singularitates, si darentur: at esse impossibiles istas, & ideò illam ab extrinseco habere, quòd non possit numero multiplicari. Sic plurimi Thomistæ discurrunt. Tertia Opinio. *Detur-ne ad terminum repugnantem capacitas?*
Sed quo probabunt modo plures singularitates repugnare? Sanè, qui dicunt individuationem esse formalitatem negativam, benè probant non esse possibiles plures hæcceitates in unâ Angelorum specie; quia esse unam negativè, est carere omni hæcceitate positivâ, quod multiplicari non potest. *An repugnet hæcceitatum pluralitas?* Cæterùm, qui singularitatem Angelicam esse positivam affirmant, unde erunt quæso non esse plures singularitates possibiles, maximè cùm dicant naturam specificam esse capacem plurium, & repugnet ad terminum repugnantem capacitas. *An singularitas sit positiva?*

DCCX. Quarta Opinio. *An hæcceitates possint identificari?* Posset tandem alius, innumerabiles singularitates in quâcumque Angelicâ specie possibiles esse affirmare, & addere illas talis esse ingenii, ut petant simul existere, & inter se identificari, & etiam identificari naturæ: quo admisso stat in singulis Angelorum speciebus esse unicum tantùm individuum, habens hæcceitates innumeras identificatas.

Harum Opinionum Censura. Hæ sunt etiam in hac Scholâ sententiæ, quæ defendi possunt: suas singulæ patiuntur objectiones & difficultates: &, ut video, faciliùs ponuntur, aut supponuntur etiam, quàm probantur.

LIB.

LIBER VI.

De Vniversalitate Logicâ, sive de Prædicabilitate.

DCCXI. *Quid sit Logica Vniversalitas? Quid Prædicabilitas?* LOgica Vniversalitas nomen est, quod variè exponitur à Scholasticis. Mihi est idem ac *Prædicabilitas*: unde Vniversale Metaphysicum definio *Vnum in multis*, at Logicum *Vnum de multis*. Accidit Vniversali Metaphysico fieri Logicum, hoc est, accidit de multis prædicari, non accidit posse de multis prædicari; quia prædicabilitas proprietas Vniversalis est, quâ id carere non potest. *An sit proprietas?* Est igitur *Prædicabilitas* (ut decernunt Complutenses *disp. 4. de passionibus Univers. q. 3. mihi pag. 238.* & alij) *potentia seu aptitudo naturæ ut prædicetur*, quid Prædicatum sit, & quomodo à subjecto differat, exposui superiùs in Logicâ. *Propositionum differentia.* Prædicationes possunt formari multifariam: nimirùm, aut dicendo concretum de concreto, ut *Homo est animal*: aut abstractum formale de abstracto formali, ut *Albedo est color*: aut abstractū fundamentale de fundamentali, ut *Humanitas est animalitas*, vel *Albedineitas est coloreitas*: aut commiscendo & confundendo abstracta cum concretis, hæc cum abstractis, &c.

DCCXII. *Quid in recto dicant concreta substantialia?* Concreta substantialia dicunt in recto rationem suppositi & in obliquo naturam habitam, ideò *Homo est Deus*, æquivalet huic *Suppositum habens naturam Divinam*; non verò huic, *Natura humana in supposito est natura Divina in supposito*, in nullo enim sensu admitti debet naturam humanam esse naturam Divinam. Non aliter hæc assertio. *Prima persona divina non est secunda persona divina*, æquivalet huic, *Prima persona habens divinitatem non est secunda persona habens devinitatem*, non verò huic, *Divinitas quæ in prima personâ non est divinitas quæ in secundâ.*

DCCXIII. *Quid accidentalia?* Concreta accidentalia dicunt in recto suppositum substantiale per modum habentis, & accidens habitum in obliquo: naturam autem substantialem non dicunt. Idcircò *Album* est idem ac *Suppositum habens albedinem*, non verò idem ac *Albedo in supposito*. Hæc propositio *Homo est albus*, est vera, quia exponitur *Suppositum habens humanitatem, est suppositum habens albedinem*, quæ absolutè esset falsa, si è contrario exponeretur, *Humanitas habens suppositum, est albedo habens supposit[illegible].*

An concretum accidentale dicat subjectum? Fuit olim dissidium inter Averroëm & Avicennam, Authores celeberrimos. Iste asserebat in concreto accidentali, quale est *Album & Nigrum &c.* subjectum substantiale includi, ille negabat. Testis est mihi D. Thomas *in 1. dist. 18. q. 1. art. 2. ad 3.* ubi ait, *Subjectum non includitur in significatione nominis significantis accidens concretivè, ut dicit Commentator* (hic est, *Averroes*) *4. Metaphysicæ; quamvis Avicenna contrarium senserit.* Hoc dissidium facili negotio componitur: quia Avicenna docuit in concreti accidentarij nomine subjectum sustentationis, hoc est, formalitatem suppositi exprimi, Averroës in eodem concreto accidentario exprimi subjectum inhæsionis negavit: & juxta doctrinam meam utrumque est verum. *Averroes & Avicenna conciliantur.*

Formæ accidentales abstractæ à subjectis receptivis, dicunt in recto rationem Habentis, & in obliquo formalitatem habitam: hæc enim prædicatio, *Albedo est color*, æquivalet huic, *Habens albedineitatem est habens coloreitatem*: non verò huic, *Albedineitas habita est coloreitas habita.* *Abstracta alia sunt à subjecto*

DCCXIV. *& alia à fundamento.* Abstracta à suo fundamento metaphysico (cujusmodi sunt, *Humanitas, Animalitas, Coloreitas,*) non sunt composita ex recto & obliquo, quia sunt abstracta ultima, & formalissima: nam ex Humanitate & fundamento substracto fit Habens humanitatem, quod est Homo: ex Animalitate & substracto fundamento fit Habens animalitatem quod est Animal: tandem ex Coloreitate & fundamento substracto fit Habens coloreitatem, quod est Color: at Humanitas, Animalitas, Coloreitas, &c. compositione recti & obliqui carent.

DCCXV. *Quomodo distinguantur?* In prædicamento substantiali omnia abstracta sunt præcisa à supposito seu fundamēto habente. In prædicamentis reliquis abstracta sunt formæ præcisæ à subjecto, immò & à totâ substantiâ, non verò à proprio fundamēto, quod in causâ est, ut per se stare dicantur, quia *Qualitas est habens qualeitatem*, & *Nigredo est habens nigredineitatem*. Abstracta autem ultima, sunt formalitates omninò præcisæ, nēpè à subjecto informationis, à subjecto sustētationis substantialis, & à fundamento sustentationis accidētalis: talia abstracta sunt, *Qualeitas, Quanteitas, Albedineitas, Nigredineitas*, & similia. Hinc patet aliud esse abstrahi unum prædicamentum ab alio, & aliud formam abstrahi intra limites ejusdem prædicamenti. *Abstractio duplex.* quando enim ab Albo abstraho Albedinem, abstraho à substantiâ qualitatem: at verò quando ab Homine Humanitatem, à Quantitate Quantitatem, à Qualitate Qualitatem, concretum abstractumque se continent in eodem prædicamento.

Abstracta Formale, Fundamentale, Vltimum, Penultimum.

Sed quo modo denominabimus hæc abstracta, ut etiam voce distinguantur? Abstracta à subjecto, vel ab alio prædicamento, vocantur *Formalia*: abstracta verò à fundamento *Formalissima* illa *Non-ultima*, & ista *Vltima*: illa (si sic loqui placeat) *Abstracta*, & hæc *Abstractissima*.

Suppositũ, Persona, Hypostasis, Parypostasis, Subsistentia.

De Fundamento, quod sustentat abstractissimas realitates, suo loco uberius, nunc breviter dico illud in substantiis materialibus nominari *Suppositum*, in intellectualibus, *Personam* aut *Hypostasim*: & in accidentibus *Parypostasim* hoc est *Hypostases minoratam*. & quocunque nomine sit indicandum, est realitas quædam positiva, quæ habet naturam (substantialem, aut accidentalem) & ideò hoc nomine *Subsistentiæ* [illegible] significabitur.

Opinionũ varietas.

Scio esse multos, qui accidentibus Parypostasim negent, multos qui substantiis subsistentias merè negativas concedant, multos qui merè nominales: sed [illegible] alter probabiliter dici [illegible] consulens [illegible] inter probabiles sententias, illas eligere & supponere, quæ dilucidant hanc Prædicabilium doctrinam, quam hoc libro debeo radicitus examinare.

Variæ Prædicationum differentiæ.

DCCXVI. *Porphyrius correctus.*

P[illegible] esse in Prædi[illegible] determinando notavi in Logica [illegible] uberius demonstrabo. Com[illegible] dicitur, quod constat [illegible] & [illegible] metaphysicæ [illegible]. Afferitur componi logicè, quod ex genere & differentia coalescit. Physicè [illegible], quod ex materia & forma; & integraliter quod ex partibus integralibus. Ab [illegible] partibus denominantur Propositiones.

Quid sit compositio Metaphysica, Physica, Logica, & Integralis?

Metaphysicas dicam illas, quæ constituuntur terminus significantibus partes metaphysicas, quales sunt *Persona Divina suus persona, & quus est suppositum &c.* Appellabo Logicas constructas genere & differentia: & pariformiter Physicas & Integrales, quæ habeant extrema tales partes significantia.

Propositiones Metaphysica, Physica, Logica, & Integrales quæ?

De Prædicabilibus Logicis.

DCCXVII. PRimum sibi locum vindicat Prædicatio Logica, videtur enim etiam esse Logicæ quia Prædicatio Est ipsius character compositio ex genere & differentiâ, qualis est in animali quod logicè componitur ex Vivente & Sensibili.

Prædicatio triplex.

Prædicatio igitur Logica est triplex, Inadæquata, Adæquata, & Condistincta. Adæquata dicitur cùm nihil Logicum ponitur in uno extremo quod non reperiatur in alio; Inadæquata, cùm aliqua Logica formalitas est in uno quæ non sit in alio. Condistincta verò, cùm [illegible] habet in obliquo alter terminus quod [illegible] reperitur.

DCCXVIII. PRÆDICATIO ADÆQVATA subdividitur in Identicam, Definitionem directam, Definitionem indirectam, & Specificam directam & Specificam indirectam.

An dentur identica propositiones?

I. *Identica* illa dicitur, cujus extrema nec expressione quidem distinguuntur, ut *Homo est homo, Petrus est Petrus* & *Rationale est rationale*. Putant aliqui has propositiones ad linguam pertinere, aut ad calamum, easque esse apprehensiones puras mentales: quibus libentissime adhæreo.

II. *Definitio directa* est in quâ de specie genus & differentia prædicantur, ut *Animal est Vivens sensibile*. Nihil continet prædicatum quod in subjecto non sit, sed continet clarius & expressius.

III. *Indirecta definitionis* subjectum clarius & expressius est suo prædicato, ut cùm speciem de genere & differentiâ prædicando, dicimus, *Vivens sensibile est homo*.

An species prædicetur adæquatè?

Specifica prædicat totam formalitatem de totâ formalitate, ad [illegible] alteri extrema; nempe aut subjecto & erit directa, aut prædicato & erit indirecta. IV. Directæ exemplant *Hic homo est homo*, *Hoc animal est animal*. V. Indirectæ autem *Homo est Petrus*, *Animal est hoc animal*. Has prædicationes adæquatas dicimus, quia Ecceitas nec est genus nec differentia, sed reperitur purè materialis; non enim est quantitas [illegible] singulum ante divisum quantitatis. Sed de hoc inferius, ubi de prædicabili secundo dixeramus.

Quænam sint propositiones necessariæ?

Ex his quinque prædicabilibus, quatuor priores imbibunt necessariam veritatem affirmativè, & falsitatem negativè; non enim possunt falsè asseri, aut verè negari. Vltimum contingens est, & tam asserendo quàm negando potest carere & non carere veritate.

Sed & Porphyrius ex eisdem tantùm cognovit quartum, quod secundo loco posuit & *speciem* vocavit.

DCCXIX. *De prædicationibus inadæquatis.*

PRÆDICATIO INADÆQVATA illa est, in qua aliqua formalitas logica reperitur in altero extremo, quæ non reperitur in alio, ut cùm dicimus *Animal est vivens*, reperitur in subjecto sensibilitas, quæ non dicitur in prædicato. Et dividitur in Genericam & Differentialem & utraque in directam & indirectam subdividitur.

VI. *Generica directa* illa est, in quâ genus de specie dicitur, ut in hac propositione *Animal est vivens*.

An differentia sit universalis?

VII. *Differentialem directam convertibilem* nominamus prædicationem, in quâ differentiam de specie enuntiamus, qualis est hæc, *Animal est sensibile*. Et in tali prædicatione ille terminus *sensibile*, non sumitur ut Vniversalis positivè, sed ut Vniversalis-negativè; certum enim est differentiam prout speciem respicit non esse in multis positivè, species enim non potest in multas species subdividi: est autem universalis comparatus ad inferiora speciei.

De convertibilitate.

VIII. *Differentialis directa non-convertibilis* est enuntiatio, in quâ differentia de inferioribus speciei prædicatur, ut cùm dicimus, *Hoc animal est sensibile*.

De indirectis.

PRÆTER hæc directa inadæquata, dantur etiam alia prædicabilia indirecta & inadæquata, & constituunt varias enuntiationes: videlicet,

IX. *Genericam indirectam*: talis illa dicitur in quâ

in quâ species de genere dicitur, ut *Substantia est vivens, Vivens est animal.*

X. *Differentialem indirectam convertibilem* in quâ de differentia species prædicatur, ut cum dicitur, *Sensibile est animal.*

XI. *Differentialem indirectam non-convertibilem*, in quâ de differentiâ inferiora speciei prædicamus, ut cùm dicimus, *Sensibile est hoc animal.*

Ex indirectis, sola convertibilis veritatis necessariæ est si asserat, falsitatis si negetaliæ duæ contingentes sunt, & possunt esse veræ aut falsæ.

De condistincta. XII. CONDISTINCTA *directa* prædicat genus de differentia, ut *Sensibile est vivens*, Condistincta dicitur, quia genus & differentia dicunt formalitates condistinctas, unitas hypostaticè ratione communis suppositi. Hæc prædicatio semper erit vera, & negatio erit falsa.

XIII. *Condistincta indirecta*, differentiam de genere prædicat, ut *Vivens est sensibile*: quæ veritatis contingentis est, vivens enim alias sensibile, alias insensibile est.

Ex his tredecim Prædicabilibus Porphyrius solùm cognovit sextum, octavum, & fortè septimum.

De Prædicabilibus Physicis.

DCCXX. *Quænam dicantur partes physicæ.* PArtes physicas Materiam & Formam appellant, & Prædicabilia physica dicentur quæ hujusmodi partes significant. Forma aliàs est substantialis, aliàs est propria, aliàs numerica, aliàs accidentalis. Substantialis, forma subsistens est, & substantiam constituit intra lineam primi prædicamenti. Propria est character speciei, & convenit omni, soli, & semper. Numerica individuum constituit. Et tandem accidentalis, est forma communis: potest aliquibus illius speciei singularibus non convenire, & potest aliis speciebus competere: quod infrà uberiùs declarabitur.

Prædicationes ergò physicas, ut analogicè procedam, dividam in Adæquatas, Inadæquatas & Condistinctas.

DCCXXI. PRÆDICATIO ADÆQUATA subdividitur in Identicam, Definitionem directam & Definitionem indirectam.

An identicam sit propositio eam exponam. I. *Identica* propositio est, in quâ idem de eodem dicitur, ut *Constans corpore & animo constat corpore & animo*, in quâ prædicatum est omninò idem cum subjecto.

Qualis sit definitio physica? II. Definitio physica, ut exposui exponit naturam subjecti seu definiti per partes physicas, ut cum dicitur, *Homo est constans corpore & animo rationali.* & tunc vocatur directa. III. Indirecta diceretur hæc, *Constans corpore & animo rationali est homo*, quia subjectum exponit naturam prædicati.

IV. Ad physicas definitiones reducerem has prædicationes, ut, *Æthyops est homo niger*, *Nanus est homo parvus, Gigas est homo magnus &c.*

DCCXXII *De propositionibus inadæquatis.* PRÆDICATIO INADÆQUATA est directa formalis & necessaria, cùm prædicatum includitur in subjecto, indirecta & contingens, cùm subjectum includitur in prædicato: & dividitur in Materialem & Formalem, illa est similis genericæ, ista differentiali.

Materialis directa partem materialem prædicat de toto composito, ut cùm dicimus V. Substantialiter, *Homo habet corpus*, 1 vel quod idem est, *Habens corpus & rationem est homo*, Habens corpus : VI. Propriè, *Homo risibilis est homo*: VII. Accidentaliter, ut *Homo albus est homo.*

VIII. *Formalis directa*, talis dicitur quod de composito enuntiet partem formalem; IX. Substantialiter quidem, ut *Homo habet animam rationalem* : X. Propriè, ut *Homo risibilis est risibilis* : XI. Individualiter, ut, *Hic homo est hic*, aut, *Habens hominitatem & sigillum quantitatis A, est habens sigillum quantitatis A*: XII. Accidentaliter, ut *Homo albus est albus.*

Omnes hæ prædicationes directæ, si affirmativè fiant veræ sunt, falsæ si negativè: ad indirectas devenimus.

De indirectis. *Materialis indirecta*, de parte materiali totum prædicat: nempè XIII. Substantiale, ut *Habens corpus est homo* XIV. aut Proprium, ut *Homo est homo risibile*: XV. aut Individuale, ut *Homo est homo habens Petreitatem*: XVI. aut Accidentale, ut *Homo est homo albus.*

Formalis indirecta, de formali parte compositi prædicat totum: nimirum XVII. Substantiale, ut *Habens animam rationalem est homo*: XVIII. & Propriu, ut *Risibile est homo risibile*: XIX. & Individuale, ut *Habens quantitatem A, est homo habens quantitatem A*. XX. & tandem Accidentale, ut *Nigrum est Æthyops*, *Album est homo albus*. Ex quibus indirectis sola XIV. & XVIII. quæ pertinent ad Proprium sunt necessariò veræ: & reliquæ sunt contingentes.

De condistinctis. CONDISTINCTA physicè dicetur illa propositio in quâ realitas subjecta, considerata secundum id quod in obliquo dicit, condistinguetur à realitate prædicata. Directam dicam illam propositionem in quâ subjicitur illud quod physicè est materia, Indirectam verò in quâ forma physica subjicitur, & materia prædicatur.

Directè igitur procedendo, efformare possumus multas propositiones: nempè XXI. Substantiales, ut, *Habens corpus est habens animam*: XXII. Proprias, ut, *Homo est risibilis*, XXIII. Individuales, ut *Homo est hic*, XXIV. Accidentales, ut *Homo est albus.*

Omnes istæ contingentes sunt: ex quibus Propriam & accidentalem cognovit Porphyrius, cùm fuit suas Prædicationes fabricatus.

De Prædicabilibus integralibus.

DCCXXIII. *Quænam modo prædicationes integrales?* PArtes integrales sunt, quæ membra constituunt & portionem materialem componunt: ut caput, manus, pedes &c. Ex terminis igitur has integrales partes in concreto significantibus, componuntur propositiones adæquatæ & inadæquatæ, quales sunt subsequentes. I. Adæquata identica, ut *Habens caput habet caput*. II. Inadæquata directa, ut *Habens caput & manus habet caput*, vel *Habens caput & manus habet manus*, III. vel inad-

inadæquata indirecta, ut *Habens caput habet caput & manus*, IV. vel tandem condistincta, ut *Habens caput habet manus*. Ex quibus duæ priores necessariæ sunt, & duæ posteriores contingentes.

De Prædicabilibus Metaphysicis.

DCCXXIV *Quæ Metaphysica.* IVvat hæc curiosâ brevitate percurrere. Prædicationes adæquatas reperio tres, videlicet Identicam, Definitionem directam, & Definitionem indirectam. I. Identica est hæc, *Habens humanitatem est habens humanitatem*, quia nihil exprimitur in uno propositionis extremo, quod non exprimatur in altero II. *Homo est habens humanitatem*, enuntiatio est, quæ hominis naturam directè & metaphysicè definit. III. Hæc autem *Habens humanitatem est homo* est indirecta definitio.

Inadæquatæ prædicationes paucæ sunt, solùm enim possumus directè dicere IV. *Habens humanitatem est habens*, & V. indirectè *Habens est habens humanitatem*.

Ex his Metaphysicis affirmationibus omnes adæquatæ sunt veræ, & directæ inadæquatæ illæ solummodò, quæ ad quintam seriem pertinent, sunt contingentes.

Iam scimus ad quod Prædicabile pertineat hæc enuntiatio *Substantia est ens*, sive quod idem est, *Habens perseitatem est habens*; est enim *An Ens sit prædicabile & quale sit*

Inadæquata-directa-metaphysica: quam
Genericam-metaphysicè possumus
nuncupare.

DISPVTATIO I.

De Genere.

DCCXXV. *De numero Prædicabilium. An omnia Porphyrius cognoverit?* SVnt igitur Prædicabilia Logica tredecim; Physica viginti quatuor; Integralia quatuor; & quinque Metaphysica. Omnia simul quadraginta-sex, aut fortè plura, si eorum numerus curiosè & scrupulosè quæratur. Ex quibus omnibus sola quinque cognovit Porphyrius, nimirùm tria ex Logicis, nempè GENVS, SPECIEM, DIFFERENTIAM: duo ex Physicis, nempè PROPRIVM, & ACCIDENS. Ne igitur extra communes controversias divager, hæc quinque Prædicabilia examinabo: ex quorum notitia innotescet, qui debeamus de reliquis philosophari.

ARTICULUS I.

Quid sit genus exponitur.

DCCXXVI *Generis definitio.* GEnus est, inquit Porphyrius cap. 1. *quod prædicatur de pluribus differentibus specie in eo quod quid*. Ita transfert Boëtius, quem sequuntur omnes recentiores, vel ut vertit Peronius, *cùm quid res sit quæritur*.

Eadem definitio explicatur. Hinc eamdem Generis definitionem tradidit Aristoteles 1. *Topic. cap. 4.* & *lib. 4. cap. 1. & 2.* Item 1. *Metaph. cap. 28.* Eam etiam approbat Doctor Angelicus *opusc. 48. tract. 1. cap. 2.* & *in 2. dist. 34. quæst. 1, art. 2. ad 1.* & est in usu apud omnes Doctores. Indiget tamen paraphrasi clariore. *Genus*, inquam, *est suppositum, quod materialiter-quiditativè prædicatur de pluribus differentibus specie*. Clariùs. *Genus est pars materialis Logica essentialis, prædicabilis de pluribus differentibus specie*.

Hâc definitione essentia Generis traditur satis clarè. *Suppositum* dicitur, ut innotescat, abstracta de abstractis non posse prædicari formaliter, sed solummodò identicè, hoc est, in sensu physico & materiali. Nomine suppositi etiam parypostasim intelligere poteris; hæc enim propositio *Albedo est color*, æquivalet huic *Habens albedinitatem est habens coloreitatem*. Et in ipsâ est parypostasis illud *Habens*. Per hoc quod est *prædicari de pluribus differentibus specie* differt ab ipsa specie, quæ prædicatur de multis differentibus numero. Genus enuntiatur *quiditativè* & in hoc dissidet à proprio & accidenti: convenit cum differentiâ, quæ etiam quiditativè prædicatur. A differentiâ tamen differt in modo prædicandi: illa enuntiatur formaliter quiditativè, Genus autem quiditativè-materialiter, ut patet in his propositionibus. *Animal est vivens*, *Animal est sensibile*. Vtraque est essentialis atque quiditativa. In prima autem prædicatur *Vivens*, illud nempè quod *Animal* dicit pro materiali; in alterâ prædicatur *Sensibile*, quod est metaphysica forma constitutiva Animalis.

Adversariis sit satis.

SVnt aliqua quæ expositione indigent, atque syllogisticâ satisfactione. Sæpè in materia facili negotio respondemus dubio, quod si ad artis regulas reduceretur, posset torquere sollertissimos. Militant contra meam resolutionem rationes aliquot, quas juvat recensere, diluere, explanare. *Discrimen inter genus & differentiam.*

QVidquid diffinitur debet esse species, quia diffinitio per genus & differentiam traditur, genus autem & differentia non constituunt genus sed speciem: ergò genus diffiniri non potest. DCCXXVII. *Objectio prima.*

Respondeo negando assumptionem. Possunt quiditativè diffiniri accidentia in concreto, & etiam singularia. Album est habens albedinem. *An sola species possint diffiniri?*

dinem. Petrus est homo, cujus materia signatur quantitate A, &c. Cæterum licèt admittatur solùm speciem posse diffiniri, nihil convincet argumentum: possem enim in formâ satisfacere, expendens propositiones sic. *Quidquid diffinitur debet esse species*, distinguo majorem: *debet esse species ut quod* concedo; *ut quo*, nego. *Genus & differentia non constituunt genus, sed speciem*, distinguo minorem: *non constituunt genus quod*, concedo, quia genus *quod* potiùs est speciei pars, quàm totum aliquod: *non constituunt genus quo*, nego; quia genus *ut quo* species est universalis. *Ergo genus non potest diffiniri*, distinguo consequens, *genus quod, non potest*, concedo: *genus quo, non potest diffiniri*, nego.

Genus bifariam sumitur: ut quod & ut quo.

Ad profundiorem hujus difficultatis notitiam adnotato *Genus* bifariam sumi posse, videlicet *ut quod*, & *ut quo*. Genus *ut quod* est substractum ipsius genereitatis, sive quod idem est, id quod est genus. Sic vivens genus est respectu animalis. Genus *ut quo*, sumitur formaliter & est suppositum quod habet genereitatem. Sub istâ consideratione Genereitas est species universalitatis.

Genus ut quo est species.

DCCXXVIII. Objectio secunda.

ENs prædicatur de pluribus differentibus specie: atqui Ens non est genus: ergo tradita definitio convenit aliis à definito: igitur non est apta, peccat enim contra Logicæ regulas. Minor constat ex Aristotele 3. *Metaph. cap.* 3.

Aliqui, ut huic argumento satisfaciant, recurrunt ad analogiam, alii ad transcendentiam, quia alterutra circumstantia in eorum sententia sufficit ad hoc ut Ens non sit univocum, atque propterea non sit genus. Cæterùm utraque ratio ficta atque inefficax, quia nec Ens completum Metaphysicum transcendit differentias, neque contrahitur analogicè, sed eodem prorsùs modo, quo Vivens, Corpus, aut Substantia. Objectioni respondeo minorem absolutè negans. Ad probationem dico Aristotelem asseruisse Ens non esse genus subalternum, seu intermedium (de illis erat sermo) non autem asserere non esse genus supremum, caputque altissimum Catholici prædicamenti. Vel dicam Aristotelem, quando negavit Ens esse genus, egisse de Ente adjectivo, quod incompletum multi dicunt, & ajunt transcendere omnes formalitates inferiores.

Utrùm Ens completum transcendat?

Utrùm Ens incompletum?

DCCXXIX. Objectio tertia, de Anima [illegible]

ANima prædicatur de pluribus differentibus specie; sed hæc non est genus: ergò malè diffinitur genus per hoc quod est prædicari de pluribus diversis specie. Probatur major, quia prædicatur de Rationali, Vegetativa, & Sensitiva.

Respondent aliqui Animam esse entitatem incompletam atque propterea non esse genus, ad rationem enim generis requiritur quod illa prædicabilis formalitas sit univoca & completa. Sed hæc ratio non sufficit, quia tam essentialiter possunt supposita incompleta de aliis incompletis prædicari, quàm de completis completa. Præterea si est suppositum incompletum, & prædicatur de pluribus differentibus specie, cur non asseretur esse genus etiam incompletum.

An sit [illegible] incompletum? An [illegible] incompletum?

Dico igitur Animam immediatè non prædicari de Vegetativa, Sensitiva & Rationali, sed illam immediatè enuntiari de sensibili & non sensibili. Animæ autem non sensibilis differentia est spiritualitas: sed de hoc suo loco; Et hinc ad argumentum respondeo, Animam esse genus.

ARTICULUS II.

Utrùm genus prædicetur de specie ut totum, an ut pars?

PRIMA sententia affirmat prædicari non solùm ut partem potentialem, sed etiam ut partem actualem Metaphysicam. Ita Paulus Venetus *cap. de Specie.* & Scotus *quæst.* 16. *Prædic.* Oña *cap. de Gener. art. ultimo.* Sanchez *lib.* 1. *cap.* 6. DCCXXX

Pars est duplex: actualis & potestativa.

SECUNDA sententia distinguit inter partem actualem & potentialem: asseritque genus de suis speciebus prædicari ut partem potentialem; non posse autem verificari ut partem actualem.

TERTIA sententia censet naturam genericam non posse prædicari de speciebus in quantum est pars (sive partis nomine actualem, sive potentialem intelligas) debere autem prædicari in quantum totum quoddam potentiale est, quod dividitur, & in inferioribus multiplicatur. Ita Cajetanus *de Ente & Essent. cap.* 3. Sotus *cap. de Gener. quæst. unica art.* 2. Masius *sect.* 1. *quæst.* 1. Rubius *quæst.* 5. Complutenses *disp.* 5. *quæst.* 5. *num.* 68. Suarius *disp.* 15. *Metaph. sect.* 1. *num.* 15. Qui omnes credunt se sequi D. Thomam *opusc.* 48. *tract.* 1. *cap.* 4. & *in prim. dist.* 25. *quæst.* 1. *art.* 1. *ad* 2. & *de ente & essen. cap.* 3.

Notanda ante resolutionem.

HÆc quæstio (ut optimè Complutenses *disp.* 5. *log. num.* 68. advertunt) communis est non solùm Generi, sed etiam differentiæ (imò & speciei & Accidentibus.) Potest etiam inquiri, an Differentia, an Species, an Accidens prædicetur ut totum, an ut pars? DCCXXXI.

An hæc quæstio communis sit?

Compositio quadruplex est, ut nuper dicebamus, nimirùm Integralis, Physica, Logica, & Metaphysica. Integraliter componitur continuum ex partibus ejusdem rationis: Physicè totum substantiale ex potentia & actu substantialibus: & totum accidentale ex potentiâ & actu accidentalibus.

Compositio est quadruplex.

Compositio Logica est compositio ex supposito magis communi atque minùs communi (hoc est, ex genere & differentiâ, aut ex specie & hæccitate) ut patet in animali, quod ex vivente sensibilique coalescit. Pro cujus compositione annotato in animali

De compositione Logicâ.

dari

dari subsistentiam distinctam ab animalitate, & hanc esse unam & indivisibilem re & ratione. Ratio est, quia hæc subsistentia non componitur ex duabus formalitatibus ex rei natura, virtualiterve condistinctis, sed est simplex realitas, atque simplex formalitas, quæ potest fundare varias naturæ partes. Animalitas componitur ex genere & differentia in abstracto sumptis: hoc est, ex vita & sensibilitate. VIVENS *est suppositum habens vitam*; dicit in recto rationem suppositi, in obliquo formalitatem vitæ. *Sensibile* analogicè, quia in recto dicit Suppositum, in obliquo sensibilitatem. *Animal* verò in recto dicit idem ipsum Suppositum & in obliquo vitam atque sensibilitatem. Idcircò hi termini logicè sic exponuntur; *Vivens* est Suppositum habens vitam, *Sensibile* est Suppositum habens sensum, *Animal* est suppositum habens animalitatem, hoc est, vitam & sensum simul.

An subsistentia sit indivisibilis?

Quo modo concreta exponantur?

Circa voces notanda.

Hæc compositio Logica, ab aliis vocatur Metaphysica, ut benè notant Complutenses *in Log. disp. 5. de Gener. quæst. 5. num. 60.* sed de nomine non est disputandum, cùm de re conveniamus. Addunt communiùs vocari Metaphysicam quàm Logicam: quamvis autem propterea communis modus loquendi possit retineri; propriùs tamen & meliùs ipsam compositionem & partes ejus (nempè genus & differentiam &c.) dici Logicas, tùm quia sic eas vocavit Aristoteles, sic D. Thomas 3. *part. quæst. 90. art. 2.* tùm etiam quia meliùs distinguitur compositio ex genere & differentiâ à compositione ex essentiâ & subsistentiâ, quæ propriè vocatur Metaphysica. Accedit quod Lovanij compositio hæc vocetur Logica, unde censerem potiùs Complutensium labium, quàm Lovaniensium corrigendum esse.

Compositio ex genere & differentiâ.

Compositio ex naturâ & subsistentiâ.

Potentiale totum habet potestativas partes.

Totum potentiale Proclus vocat universale respectu suorum inferiorum, hæc nominat potestativas partes. Multi censent hanc esse impropriam locutionem, & solùm pendere à metaphorâ: quia universale cùm multiplicatur per differentias dicitur dividi ab usu vocis; dividi enim metaphoricè, est verè & realiter multiplicari. Cæterùm non immeritò Procli authoritas ac usus prævaluit, & isti termini remanent in usu, ac propterea dicendum est nihil aliud esse totum potestativum quàm universale. His positis breviter quæsito satisfaciam. Abero à communi sententiâ; sed fundamenta mea sunt securissima, quibus resolutio innitens, despiciet rationes adversarias.

Quæstionis dissolutio.

DCCXXXII. Dico igitur PRIMÒ. *Nulla prædicatio erit vera in quâ totum illud quod subiectum in recto dicit, non dicatur etiam in recto prædicati.*

Unde oriatur quod propositio falsa sit?

Constat ex omnibus propositionibus quæ veræ esse dicuntur. Exponatur gratiâ exempli, quæ sequitur, videlicet; *Animal est vivens*, reducta ad rigorem Scholasticum debet proferri sic. *Suppositum habens animalitatem est suppositum habens vitam.* Ecce totum quod subjectũ in recto dicit est suppositum & idem suppositũ est totũ quod in recto dicitur à prædicato. Suppositũ quod ponitur in subjecto nõ distinguitur re neque ratione intrinsecè à supposito quod ponitur in prædicato, quia idem ipsissimum suppositum, quod habet animalitatem, illud ipsissimum & vitam habet. Eodem modo de differentiâ debes philosophari. *Animal est sensibile*, æquivalet huic enuntiationi, *Suppositum habens animalitatem est suppositum habens sensum.* Dico igitur quòd in ratione suppositi nec re neque ratione intrinsecâ differat subjectum ab ipso prædicato, ac proinde nulla est distinctio ex parte recti, sed tota distinctio se tenet ex parte connotati. Et sic in reliquis.

SECUNDÒ. *Si totum illud quod in recto dicitur à subjecto, dicatur etiam in recto à prædicato; & totum etiam illud quod in recto dicitur à prædicato, dicatur etiam à subjecto, licet obliqua sint diversa, propositio erit formalis.* Aliter breviùs. *Propositio formalis illa est in qua subjecti rectum non differt distinctione intrinseca reali aut virtuali à recto prædicati.* Loquor consultò de distinctione intrinsecâ, quia extrinsecè & ex parte connotati certum est subjecti rectum distingui posse à recto prædicati, ut quando dicimus, *Homo est albus*, sive quod idem est, *Suppositum habens humanitatem est suppositum habens albedinem.* Rectum subjecti intrinsecè non differt à recto prædicati, quia ipsissimum suppositum quod habet humanitatem, illud idem est quod habet etiam albedinem. Recta autem hæc differunt extrinsecùs & ex parte connotati, quia rectum prædicati albedinem, & rectum subjecti connotat humanitatem. DCCXXXIII.

Distinctio duplex: intrinseca & extrinseca.

TERTIÒ. *Rectum prædicati dicitur de recto subiecti, non ut totum actuale, non ut pars physica, nõ ut pars metaphysica, non ut pars logica.* DCCXXXIV.

Omnes Veterum opiniones rejectæ.

Hæc conclusio est contra primam, secundam atque tertiam sententiam. Et probatur clarè. Pars non est totum, ut per se patet. Ergò in illo sensu, in quo formalitas aliqua sit pars, non est totum. Ergò in eodem sensu nec pars de toto potest, nec totum de parte prædicari. Patet consequentia, quia prædicari & verificari est unum esse aliud, distingui verò est unum non esse aliud.

An, quæ distinguuntur formaliter, possint verificari formaliter?

Dices te prædicare logicè partes metaphysicas de toto metaphysico. Sed quid refert? illa extrema distinguuntur ratione? ergò propositio non est formalis, sed realis; quæ materialiter est vera, atque formaliter est falsa: quæ enim ratione distinguuntur, distinguuntur formaliter; eorum autem, quæ distinguuntur formaliter, unum non est aliud formaliter: ergò non possunt in sensu formali prædicari.

QUARTÒ. *Rectum prædicati dicitur de recto subiecti tanquam idem de semet-ipso.*

Copula dicit identitatem.

Constat, quia illud (*est*) identitatem extremorum exprimit non realem solùm, sed formalem. Quia aliàs non darentur enuntiationes quæ essent essentiales formaliter.

QUIN-

QVINTÒ. *Omnium prædicabilium differentia desumi debet ab obliquis.*

An discrimen in obliquis consistat? Est appendix quarti. Quia si in recto nulla sit differentia inter subjectum & prædicatum, constat totum discrimen in obliquis consistere, ac secundum illa differre formalitates prædicabiles.

SEXTÒ. *Propositio in qua obliquum prædicati est pars obliqui subjecti est propositio in quid, ac necessariò vera.*

DCC XXXV. *Genus in obliquo dicit partem materialem speciei: & differentia formalem.* Tales sunt enuntiationes primi, secundi & tertii prædicabilis. *Animal est vivens*, est prædicabilis primi enuntiatio: scholasticè exponetur sic. *Suppositum habens animalitatē est suppositum habens vitam.* In rectis adæquatè conveniunt subjectum prædicatumque, differunt solùm in obliquis, quia vita est pars animalitatis, hæc enim ex vitâ & sensibilitate coalescit. Huic similis est in tertio prædicabili hæc propositio, *Animal est sensibile* æquivalet huic, *Suppositum habens animalitatem est suppositum habens sensibilitatem.* En, prædicati obliquum est sensibilitas, quæ est pars animalitatis. Tales propositiones sunt veræ in quacumque materiâ. Dedi exempla logica in quibus genus de specie prædicabatur: genus in recto totum rectum speciei dicit, sed in obliquo dicit partem: constat ex his quæ dicebamus. Si partes sint physicæ rem mebit propositio vera. Ecce hanc, *Homo est materialis*, hoc est, *Suppositum habens humanitatem habet materiam primam.* Etiam si pars fuerit continua verificabitur. *Homo habet brachium* est propositio vera. A fortiori hæc *Suppositum habens res A & B, habet rem A.* Sic similiter si partes fuerint metaphysicæ. *Homo existens est homo*, vel per modum differentiæ, *Suppositum habens humanitatem existentem habet existentiam, &c.*

Prædicatio generica. SEPTIMÒ. *Propositio illa in qua obliquum prædicati est pars materialis subjecti est propositio generica & pertinet ad primum prædicabile.*

Patet in hâc enuntiatione *Animal est vivens*, obliquum subjecti est animalitas, obliquum prædicati est vita. Animalitas autem componitur ex vitâ & sensibilitate, ex vitâ materialiter, & ex sensibilitate formaliter.

Differentialis. OCTAVÒ. *Si obliquum prædicati fuerit pars formalis obliqui subjecti propositio spectabit ad tertium prædicabile.*

Conspicitur in istâ enuntiatione *Animal est sensibile.* Prædicati obliquum est sensibilitas, & hæc est pars formalis animalitatis, ut in septimo declarabamus.

Specifica. NONÒ. *Cùm obliquum prædicati continet totum obliquum subjecti, præter hæceitatem, tunc prædicatio est specifica, & pertinet ad secundum prædicabile.*

Talis est hæc, *Paulus est homo*, obliquum subjecti est hæc humanitas, obliquum prædicati humanitas: ergò differunt solùm hæceitate.

An dentur identica propositiones. DECIMÒ. *Si obliquum subjecti nullo modo differat ab obliquo prædicati propositio erit identica:*

Hujuscemodi sunt hæ. *Homo est homo. Petrus est Petrus. Albus est albus.* &c. Sed jam dixi ejusmodi propositiones ad linguam pertinere & ad calamum: & in mente non nisi simplices esse apprehensiones.

Prædicatio accidentalis. VNDECIMÒ. *Si obliquum prædicati sit totum respectu obliqui subjecti propositio erit accidentalis in quarto aut quinto prædicabili.*

Tales sunt hæ propositiones, *Vivens est animal*, pertinet ad quintum prædicabile, quia habenti vitam accidit habere vitam & sensibilitatem.

Hæc autem, *Sensibile est animal*, ad quartum prædicatum pertinet, quia licet habere vitam & sensum conveniat habenti sensum omni & soli, tamen de sensibilitatis conceptu formali non est vita.

De quarto & quinto prædicabili. DUODECIMÒ. *Cùm obliquum prædicati condistinguitur ab obliquo subjecti propositio erit contingens in quinto, aut certa in quarto prædicabili.*

Tales sunt hæ propositiones. *Vivens est sensibile, Sensibile est rationale, Homo est albus*, quia omnes contingentes sunt & ad quintum spectant prædicabile. Sunt certæ & spectant ad quartum hujuscemodi; nempè *Sensibile est vivens, Rationale est sensibile, Homo est risibilis.*

Dubium incidens. Petis ad quod prædicabile pertineat hæc assertio. *Album est coloratum?* Respondeo esse primi prædicabilis non secùs ac ista *Animal est vivens*, quia coloratum est genus respectu nigri & albi.

DISPVTATIO II.

De Specie prædicabili.

DCC XXXVI. *Species duplex est: subiicibilis & prædicabilis.* Species est duplex subiicibilis & prædicabilis: utraque definitur à Porphyrio. *Subiicibilis suppositum est de quo dicitur genus*, ut in hâc prædicatione *Animal est vivens*, illud *Animal* species subiicibilis est de quâ genus *vivens* prædicatur. *Species prædicabilis est, suppositum quod dicitur quidditativè materialiter de pluribus differentibus numero.* Vt homo in hâc propositione *Petrus est homo.* Prædicatur homo de Petro *in quid* & essentialiter, & adæquatè, quia Petrus est habens humanitatem & Petreitatem; homo autem est habens humanitatem. Rectum subjecti & prædicati nullo modo differunt, obliqua differunt solummodò Ecceitate, quæ non esse substantialis formalitas asseritus. *Exhibeo definitiones veteres ad mea fundamenta elimatas.*

ARTI-

ARTICULUS I.

Propugno speciei prædicabilis defini-tionem.

Illam prædicabilis speciei definitionem tradiderunt olim Stoici,ut testatur Laërtius *l.7.de vitis Philos.* eamque adducit Damasc. *in suâ Log.* 2. videturque desumi ex doctrinâ Arist.2.*Top.c.2.& l.4.c.1.& alias.* Contra illam tamen argumentaris sic.

DCC XXXVII. Objectio prima.

DAntur multæ species , quæ non prædicentur de multis differentibus numero; ergò illa definitio non potest tollerari, non enim convenit omnibus definitis. Antec.prob. Sol,Luna,Phœnix sunt,& tamen non habent plura individua de quibus dicantur ; non enim dantur aut plures Soles aut Lunæ plures, non datur Phœnix multiplex sed unus tantùm.

An stella distinguãtur specie?

Respondent huic objectioni authores multifariam. *Primò* negant in specie Lunæ dari tantùm unum individuum, quia ut judicant, stellæ non distinguuntur specie; sed Sol, Luna, & reliqua cælestia corpora distinguuntur solùm magnitudine, luce, distantiâ, quæ omnia accidentia quæpiam sunt ; conveniunt tamen in prædicatis essentialibus stellæ erraticæ.

An sint multi Soles & multa Lunæ?

Secundò alij admittunt Solem distingui specie à Luna: negant tamen dari solummodò unum Solem, unam Lunam, aliæ enim regiones gaudent alterius Solis & syderum benignitate, quòd videtur probari satis clarè ex Virgilio in operis divini lib.6.ubi ait

— Solemque suum sua sydera norunt.

An sint multi Soles, Luna & stella possibiles?

Alij denique asserunt reverà unum solummodò dari Solem, unam Lunam, unum Phœnicem, sed esse alios possibiles: ideò ista prædicata,inquiunt,sunt specifica, quia, licèt de multis differentibus numero non prædicentur, poterunt tamen prædicari.

Hæc ultima solutio aptior atque solidior est, sed patietur te argumentantem sic. Ideò ais, Solem, Lunam, Phœnicem esse species, quia licèt non dicantur de multis, de multis tamen possunt dici; at hoc non est necessarium: ergò. Minorem probas. Angelicæ species, nec dicuntur de multis, nec dici possunt, quia absolutè non possunt dari duo Angeli ejusdem speciei.

An sint possibiles duo Angeli, qui distinguantur puro numero?

Si dicam posse dari duos Angelos ejusdem speciei, salva res erit, & remanebit efficax solutio ultimo loco data. Sed ex hypothesi quod duo Angeli nequeant produci, qui numero puro dissideant, dicunt Thomistæ speciem quantum est ex se, esse de multis prædicabilem, si darentur illa talia multa. Quòd autem in Angelis non possit dari talis multiplicatio non est defectu naturæ specificæ quæ benè multiplicari posset, si potentia illa prima Angelica posset signari quantitate, unde in singulis speciebus datur solùm unum negativè individuum, & nullum positivè ; individuatio enim in Angelo non est hæcceitas positiva, sed negatio plurium hæcceitatum. Aptè individuum unum negativè dicitur, quia Angelus non est plura individua positivè. Hæc modò breviter insinuasse sufficiat, ut satisfiat replicæ, hæc enim controversia est gravis, & postulat disputationem specialem, quam ponemus inferiùs.

Vide libri III. disp 5. & libri IV. disp 3. art. 2.

DCC XXXVIII. Objectio secunda. *An persona divina distinguantur numero?*

DEus prædicatur *in quid* & essentialiter de pluribus personis Divinis differentibus numero, atqui Deus non est species : ergò non benè traditur Speciei definitio Probatur major. Tres personæ constituunt Trinitatem, quæ verè est numerus ternarius, ergò differunt numero, quò respexisse videtur ille qui dixit; — *Numero Deus impare gaudet.* Confirmatur. Personæ non sunt una numero, ergò differunt numero.

Quid sit Trinitas?

Resp. Neg. majorem, quia Deus, etiam admisso Trinitatis mysterio, non est plures numero; quia Deus scholasticè loquendo non dicit numerum ternarium sed Trinitatem, hoc est, trium unitatem. Pluralitas non reperitur in absolutis, sed in relativis, ideò Deus habet plures personas, non tamen est species sed individuum. Videatur D. Tho. 1.p. 30.a.1.ad 2.& in 1.dist.24.

ARTICULUS II.

De individui relatione.

DCC XXXIX. *Quid sit individuum?*

DIximus speciem prædicabilem esse unam in multis individuis : sed individuum quid? est compositum ex naturâ specificâ & singularitate. Hoc dicit relationem subjicibilitatis ad speciem ut patet in hâc propositione *Petrus est homo.* Petrus præter humanitatem, etiam Petreitatem includit, & dicit relationem subjicibilitatis ad speciem. Stando principijs relativis quæ in individuo considero in ordine ad enuntiationes diffinio id sic.

Est duplex subjicibile & prædicabile.

Primò. *Individuum est quod subjicitur speciei,* sive quod idem est, *est de quo atoma species prædicatur.* Ecce individui subjicibilis definitionem essentialem.

Secundò, Individuum quà prædicabile definitur esse *quod non dicitur de multis.* Aliter, *quod solùm dicitur de semet-ipso.*

Obicis. Individuum est prædicabile de multis, ergò. Assumptum probas. Prædicatur de Petro, Paulo & Francisco, est enim verum dicere, *Petrus est individuum, Paulus est individuum &c.* Ergò.

Sumitur bifariam: primo & secundo intentionaliter.

Respondeo aliud esse prædicari naturas ipsas, aliud denominationes seu relationes Logicas, definitio agit de sensu naturali & absoluto (vel ut alij vocant, primæ impositionis, quia individuum non est prædicabile de multis primò intentionaliter, possumus enim dicere *Petrus est Petrus*, non autem *Paulus est Petrus*, aut *Joannes est Petrus* Hæc autem prædicatio, *Petrus est individuum* non est prædicabilis Individui, sed potiùs quinti, est enim similis huic *Vivens est genus*, & huic *Corpus est subjicibilis speciei*, & huic *Sensibile est differentia*,

quæ

quæ omnes pertinent ad quintum prædicabile.

Istæ autem relationes Logicæ universales sunt & possunt de multis prædicari.

Hæ prædicationes *Hoc genus est genus, Hæc species est species. Hæc differentia est differentia, Hoc individuum est individuum &c.* sunt prædicabilis secundi, quia sunt essentiales, obliquum enim prædicati continetur & includitur in obliquo recti, à quo differt solummodò hæceitate.

ARTICULUS III.

Vtrùm Genus totum possit salvari in unica specie? an hæc in unico individuo?

SCotus *cap. de Specie quæst.* 18. Joannes Anglicus *quæst.* 15. *in prædicabilia Scoti.* Lovanienses *cap. de Specie p.* 4. utrumque affirmant. Oña *de Specie quæst.* 2. *art.* 2. & alij utrumque negant. Mediâ procedunt viâ Complutenses *c. de Specie disp.* 6. *n.* 21. ubi citant Sotum, Flandriam, Masium, Sanchez, Toledum, Rubium, & alios.

DCCXL. *Genus & species dupliciter possunt considerari: vel quoad existentiam:* Quæstio sanè est facilis, & quantum colligere sufficio, laboramus æquivoco, qui de hâc materiâ disputamus. In re convenimus, differimus loquendi modo. Ut quæstionem percalleas, adnotato naturam genericam & specificam bifariam posse considerari, vel physicè, hoc est, quoad existentiam, vel Metaphysicè, hoc est, quoad perfectibilitatem. Si quæstio procedat in priori sensu inquiritur, *Vtrùm genus totum possit existere in unicâ specie? & an species tota in unico individuo?* Huic dubitationi non est qui non respondeat assertivè. Homo species est, & in creatione Adami reverà existebat non inadæquatè sed totus, nempè in uno individuo: Adamus enim non erat semihomo, ergò tota hominis ratio erat in ipso. Post carnis resurrectionem totum genus animalis verè existet; verè dabuntur prædicata illa essentialia, quæ actu petennent, non tamen dabuntur plures species animalis, sed unica. Homo solus resurget, qui æternùm supererit sublatis brutis universis. Hæc clara & pervia sunt, & à nemine negari possunt.

vel quoad perfectibilitatem. Si in altero sensu procedat controversia, inquiritur, *Vtrùm genus totaliter possit perfici unicâ specie? utrùm species unico individuo? an appetitus perfectionum, qui reperitur in toto potentiali, satietur unâ differentiâ? an verò pluribus? an infinitis?* Notandum est dari duas perfectibilitates, aliam intensivam, alteram extensivam. Perfectibilitate intensivâ crescit perfectio Universalis, quia contrahitur differentiis magis ac magis excellentibus. Extensibilitate non augetur Universalis perfectio, sed eadem magis extenditur, quia contrahitur per differentias similes æqualesque. Dico igitur genus contrahi differentiis perfectione inæqualibus, quia vivens magis perficitur sensu, quàm insensibilitate; ideò ut perficeretur, quantùm perfectibile est, deberent dari tot species quot differentiæ sunt possibiles, sive istæ finitæ sint sive infinitæ.

De differentiis.

Perfectibilitas duplex intensiva & extensiva.

Hinc constat totum genus perfectibiliter & metaphysicè salvari non posse in unâ vel alterâ specie, sed requirere omnes possibiles, ut dicatur esse perfectum adæquatè.

De individuatione triplex est opinio. Alij asserunt hæceitates esse inæqualis perfectionis, alij esse æqualis; alij nullius. Nonnulli viâ procedunt mediâ & sentiunt aliquas esse æquales, aliquas inæquales esse. Quidquid sit de æqualitate aut inæqualitate hæceitatum, esto hypothetica difficultatis resolutio. Si individuationes sint perfectionis inæqualis, eodem modo debemus de specie, quo de genere philosophari. Illud semper est ampliùs perfectibile, quousque omnes differentias habeat: hæc enim semper esset perfectibilis, quousque actu haberet omnes hæceitates. Cæterùm si individuationes nullam perfectionem dicunt, species in unico individuo salvabitur, & erit unâ hæceitate adæquatè perfecta; quia cùm secunda hæceitas non adderet speciei aliquam perfectionem, ideò intensivè (ut sic loquar) non perficeretur per plures singularitates. Sed quid, si individuationes dicant perfectiones æquales? Si eamdem repetunt (quod multi putant) salvabitur in unico individuo species: si autem æqualem sed diversam dicunt, (quod multi sentiunt) non poterit salvari in unico: quia sicut plus sunt decem aurei, quàm unus, licet iste sit æqualis singulis, sic etiam plus sunt decem hæceitates, quàm unica.

An Ecceitates dicant perfectionem? An omnes dicant æqualem?

Si de perfectibilitate extensivâ agatur, dicendum est speciem æqualibus hæceitatibus contrahibilem in uno individuo salvari non posse; ratio est, quia in simplice individuo non esset extensa quantùm extensibilis est; & propterea indigeret omnibus possibilibus individuationibus, ut extenderetur adæquatè. Si existerent omnia individua simul, tunc esset in eis species secundum universam suam extensibilitatem, non enim posset ultra extendi.

De perfectione extensivâ.

Ex hâc doctrinâ remanet satisfactum omnibus rationibus quæ adduci possent à contrariis. Omnia meo judicio sunt tam pervia & clara ut non indigeant examine ulteriore.

ARTICULUS IV.

An Prædicatio Speciei sit adæquata?

DCCXLI. *Prædicatio generica est inadæquata.* OMnes aut ferè asserunt: nec tamen semper omnes intelligunt, quid asserant: nam hæc ratio indiget solutione. [Hæc prædicatio, *Homo est animal,* est inadæquata: at hæc, *Petrus est homo,* est illi similis; ergo etiam est inadæquata. Probatur minor: Ideo prima propositio est inadæquata, quia homo dicit plus quàm animal, at etiam Petrus dicit plus quàm homo: ergo etiam secunda propositio erit inadæquata. Probatur minor: quoniam sicut homo dicit rationalitatem, quam non dicit animal: sic Petrus dicit Petreitatem, quam homo non dicit.]

Usus sum semel hac ratione, in florentissimo quodam gymnasio, & dimissus sum sine responso; quod enim malum est, virtualiter loquendo nullum est, *An adæquata possit dici*

Ajebant, Philoſophos, cùm dicunt ſpeciem prædicari adæquatè, non agere de Eccecitate. Pulchra ſolutio! dicant ergo ſimiliter genus prædicari adæquatè, & quando id dicant, non agant de differentiâ quæ illud contrahit. Quo ergo modo reſpondere debebimus? Subiicio.

Hæ propoſitiones, *Species prædicatur adæquatè entitativè. Species prædicatur adæquatè perfectivè. Species prædicatur adæquatè quidditativè*: ſunt conſideratione digniſſimæ, & debent à nobis exponi.

Quid ſit multiplicari numero?

Veræ ſunt omnes tres in ſcholâ Platonis, & omnium illorum, qui affirmant pluralitatem numericam eſſe materialem & à ſubjectis deſumi, nihilque aliud eſſe dari tres albedines diſtinctas numero, quàm albedinem ſpecificam eſſe in tribus ſubjectis. Et patet; quia nihil entitatis habet plus ſingulare, quàm univerſale: & per conſequens, nihil plus perfectionis aut quiditatis.

An plus entitatis dicat Petrus, quàm homo? An & plus perfectionis?

In illorum ſcholis, quæ dicunt hæceitatem eſſe entitatulam quamdam ſpecici ſuperadditam; realiter, modaliter, formaliter aut expreſſivè ab eâ diſtinctam; prima propoſitio falſa eſt: nam plus entitatis dicit Petrus, quàm homo. Secunda etiam eſt falſa, ſi hæcceitas dicere aliquam perfectionem teneamus: vera, ſi nullam perfectionem, ſed meram repetitionem importat. Tertia in omni ſcholâ eſt vera. Et ut illam intelligas, adnotato has voces *Quiſitas, Quitas, Quætas, Quoditas, & Quiditas*, non eſſe ſynonymas: aliud enim eſt quærere, Quid ſit Petrus? & aliud, Quis ſit Petrus? Aliud, Quid ſit pallium? & aliud, Quod ſit pallium, quod debeo ferre? Aliud, Quid ſit menſa? & aliud, Quæ ſit menſa, cui debeo adſidere? Aliud, Quid ſit liber? & aliud, Qui ſit liber, quem jubeor legere? *Quid* rogat eſſentiam ſpecificam: cùm enim petimus, Quid ſit Petrus? non dices, eum eſſe illum hominem, qui heri mihi loqutus fuit; ſed eum eſſe Animal rationale. Ergo non datur plus quiditatis in Petro, quàm in homine. Ergo quando dicimus, *Petrus eſt homo*, prædicatur de Petro tota quiditas, non tota quiſitas. Hæc pronomina, *Quis? Qui? Quæ? Quod?* rogant non quiditatem, ſed ſingularitatem, hoc diſcrimine, quod primum ad ſola individua intellectualis ſpeciei, puta homines, Angelos, &c. pertineat: cætera etiam de aliis individuis interrogent.

Quiſitas. Quitas. Quætas. Quoditas. Quiditas.

An individuum plus dicat quiditatis quàm ſpecies?

Quid ſignificet pronomen interrogativum?

ARTICULUS V.

An hæcceitates ſint differentiæ materiales.

DCCXLII

Affirmant omnes, aut ferè: & tamen non ſemper rationem affirmandi video. Hæc phraſis Platonica eſt, & vera apud illos, quibus idem eſt formam multiplicari numero, ac eſſe in multis materiis aut ſubjectis: cæteri autem omnes, qui docent hæceitatem eſſe entitatem à naturâ diſtinctam (realiter, modaliter, formaliter, expreſſivè; juxta diverſarum Scholarum ſententias) & eidem ſpecificæ naturæ ſuperadditam, dicere debent hæceitates eſſe differentias formales.

Quid ſit hæceitas?

Ajunt nonnulli ſe differentias individuales vocare materiales, quòd nullam perfectionem importent, non quòd à ſubjecto aut materiâ ſumantur. Id aliquando audivi in celebri gymnaſio à Præſide eximio & præclaro: at illa die duo repoſui, nempè Præſidem malè ſentire, & malè loqui. Malè ſentire; quia entitatem poſitivam, eamque realiter, modaliter, formaliter, aut expreſſivè à naturâ diſtinctam, quæ tamen nullam importet perfectionem, putarem omninò impoſſibilem: non enim rationem uſquam vidi, quæ perſuadeat contrarium. Malè loqui; quia aliud eſt contrahi per differentias nullam importantes perfectionem, & aliud contrahi per differentias materiales: nam & divinitas, ut plurimis placet Scotiſtis, per modos nullam dicentes perfectionem ad perſonas contrahitur, & tamen non dicitur per modos materiales contrahi.

An entitas poſitiva entitas ſit bona?

An quidquid caret perfectione ſit materiale?

An perſonalitates divinæ nullam perfectionem importent?

DISPUTATIO III.

De Specie ſubjicibili.

DCCXLIII

An univerſalitas, ſubjicibilitas, & prædicabilitas ſint relationes?

Univerſalitas duplex eſt, alia poſitiva, negativa altera. Poſitiva eſt relatio vera ad inferiora: negativa non niſi privatio poſitivæ individuationis eſt. Concipimus etiam naturam ſecundum ſe; hæc autem abſtrahitur ab omni ſingularitate & univerſalitate. Subjicibilitas eſt relatio realis ſpeciei ad genus.

Proponitur quæſtio.

Igitur natura ſecundum ſe ſubjectum eſt harum formalitatum, videlicet univerſalitatis negativæ, univerſalitatis poſitivæ ſeu prædicabilitatis, & ſubjicibilitatis. Petitur, *Utrùm formalitates iſtæ ſint connexæ, an verò diſparatæ? quod ſi connexæ, quomodo comparentur inter ſe? utrùm dicant ordinem prioris & poſterioris? utrùm aliqua poſſit deficere & à reliquis duabus ſeparari?*

ARTICULUS I.

Quæſtio reſolvitur.

DCCXLIV

Variæ ſententiæ.

Cajetanus *c. de Specie* cui ſubſcribit Araujus *l.3. Met. q.4. art.3. concl.3.* aſſerit univerſalitatem à prædicabilitate diſtingui, & addit naturæ ſecundum ſe primò advenire ſubjicibilitatem, ab hâc tanquam à radice emanare univerſalitatem priùs, & poſteriùs prædicabilitatem.

Toletus

Toletus *cap. de Specie q. unicâ in solut. ad* 1. asserit primam naturæ proprietatem universalitatem esse, & ab his ceu à radice prædicabilitatem & & subiicibilitatem emanare. Complutenses *c. de Specie disp. 6. q. 3. n.* 31. judicant relationes istas nullum inter se habere ordinem, nec unam oriri ex aliâ, sed esse omninò disparatas. Supponunt contra veram doctrinam has relationes fingi ab intellectu, qui liber est hanc anterius fingere vel aliam. Hæ autem relationes reales sunt, ideò de illis disputo, quia aliàs prorsùs omitterem, non enim est animus chimœras & ficta entia expendere, sed inquirere rerum veras & proprias quidditates.

An relationes Logicæ sint veræ & reales?

CONCLUS. I. *Nulla species de facto existit aut existere potest, quæ habeat privationem singularitatis, hoc est, quæ habeat nullam singularitatem.* Probatio hujus cõclusionis multa occuparet folia, si deberemus per omnes Scholas discurrere. Sed stando Platonicæ & Reali suadetur: quia omnes species rerum materialium existunt in materiâ signatâ, hoc est, habente singularitatẽ. Rationalis animus, aut à regulâ communi propter immaterialitatem excipitur, aut singularizatur per infõrmationem in actu primo, seu per aptitudinem quam habet ad materiam actuandam. Species Angelicæ individuantur negativè, idcircò nec habent nec habere possunt singularitatem positivam, ac propterea non habent privationem, sed negationem singularitatis. Cæterùm, ut rationem aliquam generalem proponam, & brevitatem servem, sic discurro. Si natura habeat hæcceitates, dividetur in plura individua positivè: si nullam habeat, erit singularis negativè: ergo repugnat naturam omnino carere singularitate, si enim nullam habeat positivè, tunc singularitatem habebit negativè.

Singularitas duplex: positiva & negativa.

CONCLUS. II. *Subjicibilitas & prædicabilitas sunt relationes reales.* Probatur, quia sunt hypostaticæ quædam identificationes extremorùm realium, perfectiores informatione aut materializatione substantiali: utporè quæ intimiùs & perfectiùs connectant sua extrema.

An subjicibilitas & prædicabilitas sint entia rationis.

CONCLUS. III. *Genus metaphysicè materializat differentiam: & hæc actuat genus.*

CONCLUS. IV. *Genus componit intrinsecùs speciem tanquàm pars materialis indemnificata quoad actum.* Priùs intelligitur genus componere speciem quam intelligamus speciem esse compositam & constitutam in suo esse. Priùs hæc intelligitur constituta in suo esse, quàm componat intrinsecè individuum. Ergò priùs intelligitur relatio generis ad speciem, & immediatè speciei ad genus, quia magis necessaria est hæc consequentia, *Genus componit speciem, ergò species componitur à genere*, quàm ista, *Genus componit speciem: ergò hæc componit individuum.* Atqui magis necessaria sunt priora: ergo priùs est quod species respiciat genus quàm quod respiciat individuum. Esto igitur ex dictis

Quomodo genus sit pars speciei?

Quo species est pars individui?

[illegible] Logicarum [illegible].

CONCLUS. V. *In specie prior est subiicibilitas prædicabilitate.*

ARTICULUS II.

Utrùm omnis infima species subiicibilis sit prædicabilis?

SI omnes species essent in multis individuis, DCCXLV.
vel possent saltem dari divinitùs plura singularia sub quâcumq; specie, non haberet locum hæc quæstio. Undè illi omnes, qui sentiunt dari, aut dari posse simul vel successivè plures Angelos ejusdem speciei non poterunt non respondere affirmativè. Consultò dixi *successivè*, quia aliqui sentiunt naturam Angelicam adæquatè actuari unicâ individuatione, ac propterea non posse recipere secundam quin perdat primam: quam sententiam plausibiliorem reddit materia prima, quæ successivè potest, simul autem non potest habere duas formas substantiales.

An Angeli distinguãtur specie?

Ex hypothesi autem quod Deus non possit creare duos Angelos distinctos puto numero, procedit controversia. Speciem Michaëlis, verbi gratiâ, subiicibilem esse, non autem prædicabilem docent noster Cibetus *tract. 3. disp. 3. dub.* 3. Raphaël de Aversâ *quæst.* 8. *sect.* 4. Molina 1. *part. quæst.* 50. *art.* 4. Suarius *disp.* 5. *Metaph. sect.* 2. *num.* 18. noster Perez *in Laurea Salmantina certamine* 3. *scholastico.* Rubius *de spec. quæst.* 4 Hurtadus *disp.* 5. *Logicæ sect.* 3. Complutenses *cap. de Specie disp.* 6. *quæst.* 4. *num.* 39. docent speciem Angelicam (naturam Michaëlis verbi gratiâ) bifariam posse considerari, nempè secundum se & secundum nostrum modum concipiendi. Addunt secundum se non esse prædicabilem, nostro tamen imperfecto modo concipiendi subire denominationem prædicabilis. Ideò eos ex Thomistarum classe segrego, quia inquiro quales naturæ Angelorum sint benè conceptæ; omnia enim licerent Philosopho si hoc unicum impunè liceret, videlicet malè concipere entitates.

An species Angelicæ sint prædicabiles?

Natura dupliciter consideratur.

Michaëlis naturam esse speciem prædicabilem docet Divus Thomas 1. *part. quæst.* 13. *art.* 9. DCCXLVI Resolutio.
& *quæst.* 50. *art.* 4. & *opusc.* 42. *cap.* 5. *art.* 8. *ad* 4. Subscribunt ferè omnes Thomistæ. Consule Capreolum *in 2. dist. 3. qu. 1. ad 2. contra 5. conclus.* Cajetanum *cap. de Specie dub* 3. *qu.* 13. Raphaëlem de Ripâ *quæst.* 50. *sequenti articulo* 4. Zumel *ibid. quæst.* 1. *conclus* 6. Araujum 3. *Met. quæst.* 4. *art.* 4. Sanchum *lib.* 3. *quæst.* 8. qui citat Soncinatem, Iabelum, Masium, & alios Subscribit Gallegus *contr.* 15. asserens hanc esse sententiam discipulorum D. Thomæ, nec censeri debere esse Thomistam qui senserit contrarium.

Pro expositione hujus difficultatis annotato colorem esse visibilem à multis, de quo non dubitas: quid si unum tantummodò visivum existeret in rerum naturâ & omnia alia visiva repugnarent? Color sanè ille quantum esset ex se posset à pluribus videri; quod autem hæc potentia non reduceretur ad actum, proveniret non à colore ipso, sed à visivorum pluralitate repugnante: quia sicut non est in culpa color

Natura ex se universalis est, & potest esse in multis. Unde ergo nascitur repugnantia?

quod expositus non videatur de facto à pluribus, cùm unus solus aspicit; sic similiter non esset in causâ ne à pluribus videri posset, si unus tantùm haberet potentiam visivam, quæ aliis non posset nec divinitùs communicari.

Dictum puta. Natura specifica Michaëlis secundum se potest esse in multis individuis: sed non dantur plura individua quæ possint illam naturam specificam participare; hoc non accidit defectu naturæ specificæ, sed defectu individuationum; quæ si per impossibile darentur, statim naturam specificè-Angelicam participarent.

Tunc sic. Natura Michaëlis v.g. ex se potest esse in multis, ergo est universalis, igitur prædicabilis. Hæc est mens expressa Angelici Doctoris *opusc. 42. cap. 5. de spiritualibus creaturis art. 8. ad 4.* ubi ait. *Natura hujus Angeli non prohibetur esse in multis ex eo quod pertinet ad rationem speciei, sed ex eo quod pertinet ad rationem individui.*

DCC XLVII. Objectio. *Utrùm natura Angelica sit in multis? & in quibus illa multis?*

Natura illa Michaëlis specificè-Angelica non est una in multis; ergò nec est prædicabilis, nec universalis. Assumptum probatur. Si est in multis, vel est in multis existentibus, vel in multis possibilibus, vel in multis confictis. Supponitur non esse in multis existentibus aut possibilibus: Ergò superest quod sit in multis fictis ab intellectu. Hanc autem fictionem esse impossibilem probatur. Quia intellectus non potest connectere repugnantia, atqui supponitur repugnare plura individua in eâdem specie Angelicâ: ergò intellectus non potest illa conjungere. Major constat ex his quæ dixi in Libro Paralogico, ubi probavi non dari entia rationis, nec intellectum concipere posse impossibilia.

Prætereà: esto intellectus illa individua fingat, erunt rationis entia: ergò species illa Angelica non potest de illis prædicari, quia ens reale non verificatur de ente rationis.

Objectionis solutio.

Respondeo distinguendo antecedens. Natura Angelica non est una in multis quantum est ex se, nego: per accidens non est una in multis, concedo. Ad probationem dico, illa multa quantum est ex naturâ specificâ esse possibilia, aliundè tamen repugnare: Ideò à specie respici ceu possibilia, licet in se talia non sint ob aliud impedimentum. Cernis imaginem cortinâ tectam, visivus es illius imaginis, illa ratione cortinæ videri non poterit? tu quantum ex te est videre illam imaginem posses, sed defectus se tenet ex parte objecti, non ex parte potentiæ. Sic similiter, considera individuationes A, B, C, natura Angelica secundum se non habet impedimentum quo minùs has recipiat singularitates, hæ autem dicunt essentiale impedimentum & nequeunt illam naturam contrahere.

Aliæ objectiones solent fieri, quas judicavi omissione potiùs quàm expensione dignas, quia remanent dissolutæ ex dictis.

ARTICULUS III.

Quid dici debeat in opinione illorum, qui docent in singulis Angelorum speciebus omnia individua, ad illas pertinentia, realiter identificari.

DCC XLVIII. *Exponitur quæstio.*

QUæ hucùsque dicta, duabus oppositis opinionibus, quarum prior individuationem à materiâ seu subjecto sumebat, & posterior à formalitate naturæ universali superadditæ: placet nunc illorum meminisse, qui dicunt, sub quâcumque Angelorum specie innumeras esse hæcceitates possibiles, atque ipsas essentialiter petere, ut vel nulla ex ipsis existat, vel omnes simul existant, secum & cum naturâ specificâ identificatæ: quam ob rem in hoc Angelo (Michaële v. gr.) dicunt innumeras singularitates reperiri identificatas de facto. Posità igitur hac sententiâ, quam dedi & exposui superiùs,

An sint possibiles duo Angeli distincti numero?

Dico primò, *Repugnat alius Angelus distinctus puro numero ab hoc Angelo, qui ab illo distinguatur realiter.* Patet: quoniam, si omnes hæcceitates possibiles sunt identificatæ in hoc Angelo: & præter omnes possibiles nulla sit possibilis, alius Angelus ab isto realiter distinctus repugnabit.

DCC XLIX. *An hæc ratio sit fortis? An alius mundus sit possibilis?*

Hoc argumento usus est Aristoteles, ut repugnare alium mundum ostenderet: dicebat enim. [In hoc mundo est omnis materia possibilis: & præter omnem materiam possibilem nulla est materia possibilis; & sine materiâ mundus esse non potest: ergo non est alius mundus possibilis.] Et tu rationem Aristotelis recognoscis, cum ratione à nobis datâ illam componis, summam paritatem miraris, & sic inquis. [Hæ rationes (nimirùm Aristotelica, quâ ipse conatur probare non esse possibilem alium mundum; & nostra, qua volebamus persuadere, non esse alium Michaëlem possibilem, qui puro numero distinguatur ab isto Michaële, qui nunc est) sunt per omnia similes: at Aristotelica nihil probat; ergo nec nostra aliquid probare poterit.

Efficacia non à forma modo, sed etiam à materia pendet.

Respondeo in hac & quâcumque aliâ ratione duo considerari debere, materiam formamque. Fateor Aristotelicam nostramque in formâ convenire omninò, sed differre materiâ: nostra enim assumit propositiones veras, & Aristotelica falsas: si enim Aristotelicæ argumentationis prima propositio esset vera, cæteræ necessariò succederent.

DCC L. *An omnes hæcceitates Angelicæ in speciebus singulis identificentur?*

Dices: Aristotelem supposuisse omnem materiam esse in hoc mundo: & ideò errasse: & nos, supponere omnem hæcceitatem possibilem esse in hoc Michaële, & ideò similiter errare. Respondebo, me nunc non edisserere hanc quæstionem, sed inquirere solùm, quid sequatur, ex hypothesi verâ vel falsâ.

Dico

DCCLI. Dico igitur secundò. *Inquâcumq; Angelorum specie dantur innumeri Angeli distincti puro numero: at omnes sunt realiter identificati.* Et, quomodo distincti? formaliter: nimirùm vel ex naturâ rei, vel ratione ratiocinatâ. Et inter hos duos modos distinguendi formaliter, hunc secundum eligerem; quia si illæ formalitates sunt distinctæ ante mentis operationem, & ex natura rei dabitur infinitum actu, quod pauci admittunt: si autem eædem ab intellectu distinguuntur, erunt infinitæ potentiâ, non tot, quin plures.

An istæ hæcceitates identificatæ distinguantur ex natura rei? An detur infinitum actu?

DCCLII. Dico tertio. *De his singulis natura specifica Angelica est prædicabilis; nempè prædicatione, quæ ad secundum prædicabile spectet.* Ut hanc Assertionem intelligas considera istas propositiones. *Petrus est homo. Paulus est homo. Ioannes est homo.* Veræ sunt, & ad secundum prædicabile Porphyrij pertinentes. Ergo in ipsis *Homo* est prædicatum universale, est enim in multis, & de multis. Quid, si Deus hos tres homines identificaret? [At dices, hanc trium aut plurium hominum identificationem esse impossibilem; esto: non enim quæro, An possibilis sit, licet nemo impossibilitatem demonstrabit: sed quæro, quid sequeretur in Logicâ, si illi homines essent identificati de facto?] Ajo igitur in tali casu Petrum, Joannem, & Paulum, fore realiter unum & eumdem hominem, & fore tres homines formaliter. Addo de singulis his tribus formalitatibus rationem hominis verificandam, & sicut ante identificationem, ita etiam nunc admissum iri illas propositiones, *Petrus est homo, Paulus est homo, Ioannes est homo.*

An repugnante pluralitate individuorũ realiter diffinderetur natura specifica sit universalis & prædicabilis? An duo possint homines identificari?

DCCLIII. Firmat hanc doctrinam Peripateticorum Continuum, quod non habet partes actu realiter distinctas, sed habet realiter distinguibiles; Unde, si maria sint unum Continuum, benè dicemus, *Mare Mediterraneum est aqua: Mare Atlanticum est aqua: Mare Germanicum est aqua:* &c. ubi plures vides propositiones in quibus unum essentiale & quidditativum prædicatum dicitur de pluribus individuis, quæ apud Aristotelicos realiter non distinguuntur. Si tibi Continui hæc compositio non placeat, dicam nec tibi Aristotelicam placere doctrinam, & aliud quæram exemplum, quo datam assertionem confirmem.

An continuum habeat partes actu?

Homo componitur formalitatibus realiter indistinctis Thomistarum & Scotistarum sententiâ: videlicet, vitâ, sensibilitate, & rationalitate; est enim Vivens sensibile rationale: & tamen de singulis possumus idem, & de singulis diversa prædicata affirmare: veræ enim sunt istæ propositiones, *Vita est formalitas substantialis: Sensibilitas est formalitas substantialis: Rationalitas est formalitas substantialis:* veræ etiam istæ, *Vita est principium crescendi. Sensibilitas est principium percipiendi. Rationalitas est principium intelligendi.* Ergo etiam illo Angelo in multas formalitates individuas diviso, poterit conceptus specificus de singulis verificari.

An una formalitas subjici possit, quin alia subjiciatur?

DCCLIV. Et in scholâ Scoti Intellectus & voluntas sunt potentiæ formaliter distinctæ ab animâ, & tamen duæ: & altera esse subjectum propositionis potest, in quâ altera non subiciatur. Hæc est bona & vera propositio, *Intellectus est potentia spiritualis:* & etiam hæc, *Voluntas est potentia spiritualis:* ubi, ut vides, hoc prædicatum *spiritualis* dicitur de duobus subjectis, quæ realiter non distinguuntur. *Ergo,* ut natura aliqua sit universalis, & dicatur de pluribus, requiritur, quod sit una in illis: at illa realiter distingui non requiri. *Ergo,* si omnes homines essent identificati, æquè ac nunc; ratio hominis abstracta, de singulis prædicaretur; & esset species. *Ergo,* si omnia animalia essent identificata, æquè ac nunc ratio animalis de singulis prædicaretur, & esset genus. *Ergo* (& hæc consequentia est, quam intendimus impræsentiarùm) si omnes Angeli, qui pertinent ad speciem Michaëlis v. gr. sunt identificati, ratio Michaëlis prædicabitur de singulis; & tunc Michaël non erit nomen proprium sed appellativum: nam & *Adam* (hoc est, *homo*) quando unicus erat, proprium fuit: & posteà fuit nomen speciei.

An intellectus & voluntas realiter distinguantur ab animâ?

An illa multa de quibus dicitur Universale debeant distingui realiter?

An Michaël nomen proprium sit Angeli? Adam?

NOTA.

DCCLV. PEnultima consequentia me monuit, ut ad Geryones, Briareos, &c. imò etiam ad Hircocervos, Centauros, Hippocentauros, Minotauros, & alios

Semibovesque viros, semivirosque boves.
Semicaprosque viros, semivirosque capros.
&c.

quorum apud Poëtas multa mentio, convertam oculos, & inquiram quomodo debeat Logicus procedere, si contingat de illis debere disputare.

Meditatio de Monstris.

Dices, debere Logicum hìc severè procedere, & omnia hæc monstra fabulis accensere. Esto. Neget omnia: at fuerunt possibilia, inquam ego, & volo videre, quid inconveniens sit, si ea, quæ possibilia sunt, existere de facto supponamus.

An Hircocervus, &c. fuerint possibiles?

Repones non esse possibilia hæc monstra, & ideo Entibus rationis, chimæris, & fictionibus illa à Logicis adnumerari.

DCCLVI. Sed mihi non satisfacis *primò*, quia impossibilitatem non percipio: nam si Deus & Homo uniuntur hypostaticè, etiam poterunt tres in Geryone homines, & centum in Briareo hypostaticè uniri? & in tali casu tres Geryones & centum Briarei essent una persona. Et, si id non repugnaret, non repugnaret etiam Hircum & Cervum ab eodem sustentari supposito, quod esset Hircocervus. Et, si non repugnaret Hircocervus, nec Fauni nec Satyri, nec cæteræ montium umbræ: non Tritones, nec Syrenes, nec Nymphæ, nec cæteræ, quæ ab undis fuisse natæ asseruntur. *Secundò*; quia, si unio hypostatica in creaturis impossibilis esset, quod nunquam demonstraturus es, identificatio non esset impossibilis: nam, si duas Continui partes, quas Academici distinguunt realiter ante omnem divisionem, Peripa-

De unione hypostaticâ creaturarum.

De identificatione rerum creatarum.

An Continuum habeat partes.

Peripatetici identificant: &, si intellectum, voluntatem, & cæteras facultates, quas Thomistæ distinguunt ab Animâ realiter, Scotistæ identificant: &, si Essentiam Existentiamque, quas multi realiter distinguunt, alij identificant: &, si Essentiam, Perseitatem, Corporeitatem, Vitam, Sensibilitatem, Rationalitatem, & Hæcceitatem, quas Platonici realiter distinctas asserunt, Aristotelici identificant: cur non individua aut species, quas hucusque distinxit realiter naturæ communis defluxus, non poterit Deus identificare? repugnantiam non video, nec plurimi Doctores mecum.

An potentiæ realiter distinguantur ab Animâ? An essentia & existentia? An gradus superiores & inferiores? An natura & hæcceitas?

DCCLVII. Præterea. Esto hæc omnia sint impossibilia. Quid, si essent possibilia? Respondeo, hanc hypothesim multam lucem allaturam Logicæ, & in eâ controversiâ præcipuè, quæ interrogabat, An species Angelicæ sint prædicabiles? *Addo* Geryones sive dicantur hypostaticè uniti, sive identificati, (hos enim duos modos expendo, alios multos omittens, ne nimis sim prolixus longusque) fuisse tres homines formaliter distinctos, & has propositiones, *Geryon A, est homo. Geryon B est homo. Geryon C, est homo.* æquè ac istas, *Petrus est homo, Ioannes est homo*, &c. esse secundi prædicabilis. Idem dico de Briareis, & quibuscumque aliis monstris individuorum pluralitate conglobatis. *Subjungo* Hircum & Cervum, sive dicantur hypostaticè uniti, sive identificati, etiam in Hircocervo esse duo animalia distincta formaliter, & has propositiones, *Hic hircus est animal, Hic cervus est animal*, (designo in utrâque illum hircum, & illum cervum, qui est in Hircocervo) tam esse formales & veras, quam istas, *Incitatus* (Caligulæ equus fuit) *est animal. Zephirus* (cujusdam equi mei erat nomen) *est animal.* Hæc intelligenti sufficiant, quoniam de monstris cæteris pariformiter philosophabimur.

Sæpe impossibiles hypothesis juvant, ut verâ essentia noscantur. An Geryon fuerit triplex homo? An Briareus?

DCCLVIII. Objicis primò non valere ejusmodi prædicationes, quia Hircocervus non est totum quoddam compositum ex identificatione aut hypostaticâ unione (loqui sic vis, ut meliùs intelligi possis) Hirci & Cervi: sed tertiam quamdam speciem ex duarum priorum confusione & commixtione resultantem. Et ego indico tibi silentium uno verbo: nam hîc procedimus ex suppositione, & duarum aut plurium naturarum aut unionem hypostaticam, aut identificationem supposuimus; de specierum verò commistione (possibili aut impossibili) non disputavimus.

An in monstris sit naturarum unio, an confusio?

DCCLIX. Objicis secundò, has debere enunciationes rejici, quia de parte prædicant totum; quoniam in Hircocervo, non reperitur Hircus integer, & Cervus integer, sed dimidium Hirci, dimidium Cervi, componentia unum animal. Respondeo hoc non esse necessariò verum, & contra suppositionem militare: integrum enim Hircum integro Cervo unitum insertumque supponebamus. Addo, etiam in novâ hypothesi à te propositâ illas propositiones veras esse: nam integritas non ad substantiam sed ad quantitatem spectat: & maximè in D. Thomæ scholâ, quæ tenet non solùm formas substantiales & accidentales, sed ipsammet materiam primam, non habere partes à se, sed illas nancisci à quantitate.

An in Hircocervo sit cervus integer & hircus integer? An substantia sine quantitate habeat partes?

ARTICULUS IV.

Doctrina posita radio Theologico adfirmatur, ideamque divinarum perfectionum dilucidat.

DUæ meditationes occurrunt, quarum altera doctrinam præcedentem dilucidet, & eâdem altera dilucidetur. Sum in Formali Scholâ, (omnia, quæ in toto Articulo præcedenti dicta ad Formalem spectant) adeòque inde rationes & ideas, ut meam mentem exponam, accuratè subsumam.

THomistæ & Scotistæ Deum formalitatibus componi affirmant, quarum pluralitas (cum distinctionem formalem tantùm, & non realem importet) sive mentis operationem præcedat, sive sequatur, nullam imperfectionem dicit. Consideremus istas: nempe *Essentiam, Naturam, Intellectum, Voluntatem, Paternitatem.* Omnes sunt realiter identificatæ: & tamen possum formare propositiones, in quibus agam de unâ & non de alterâ: possum reperire prædicata, quæ dici possint de singulis; & prædicata, quæ non possint. Veræ sunt omnes istæ propositiones: *Essentia est infinita. Natura est infinita. Intellectus est infinitus, voluntas est infinita.* &c. etiam istæ. *Essentia Patris Verbo communicatur, & Paternitas non communicatur. Verbum non per voluntatem, sed per intellectum procedit: & Spiritus-Sanctus per voluntatem procedit, & per intellectum non procedit.* &c. DCCLX.

Meditatio prima: An distinctio formalis dicat aliquam imperfectionem? Processio Verbi, & Spiritûs Sancti.

Ergo similiter de Angelis poterimus philosophari. Si enim omnia individua, quæ sub specie Michaëlis sunt possibilia, omnia fuerint in hoc Angelo Michaële identificata, poterimus formare propositiones, in quarum subjecto unum individuum, & non aliud ponamus, dicentes, *Michael A est Michaël. Michael B est Michaël.* &c. & istæ tam erunt secundi prædicabilis, quàm essent, si Michaël A, à Michaële B, & à cæteris Michaëlibus (qui identificati supponuntur) realiter distinguerentur.

LUna lucem recipit, ut impertiatur, & communicet terris: & doctrina præcedens lucem recepit, ut impertiatur & communicet cœlo lumen, quo videre possimus Deum verè absconditum: notitiam, quâ possimus formalitates divinas explicare. Sic discurro. DCCLXI.

An Luna habeat lucem propriam?

Deus est omnium perfectionum possibilium & cogitabilium aggregatum; ergo sub Ente Divino reperiemus decem categorias identificatas: & in quâcumque multos perfectionum ordines, multa genera, &c. similiter identificata. Omnia ad tabulam subsequentem reduco.

Ordo prædicamentorum.

ENS

Substãtia. *Quantitas.* *Qualitas.* *Relatio.* ... *Actio.* *Passio.* ... *Ubi.* *Situs.* *Habitus.*

ENS infinitum.	*Substantia Infinita seu Aseitas. Essentia, Natura*: &c.	
	Magnitudo infinita: seu Immensitas.	
	Attributa infinita.	
	Omniscientia, Omnipotentia. &c.	
	Relationes infinitè perfectæ.	
	Duratio infinita; seu Æternitas.	
	Productio infinita. &c.	
	Processio infinita. &c.	
	Ubi infinitum seu Ubiquitas.	
	Formalitatum ordo	
	Dominium infinitum.	

DCCLXII Ecce Ens infinitum dividitur in decem genera summa; seu categorias nobilitatis infinitæ; ecce sub singulis summis generibus reperiuntur species subalternæ & infimæ innumerabiles; identificatæ omnes, & tamen prædicabiles & subiicibiles. Istæ prædicationes formales sunt. *Essentia Divina est substantia infinita. Natura Divina est substantia infinita. Omnipotentia est attributum infinitum.* &c. *Processio Verbi est relatio passiva. Relatio passiva in divinis est relatio infinita.* Istæ etiam, *Aseitas est ens infinitum. Immensitas est ens infinitum. Omniscientia est ens infinitum. Omnipotentia est ens infinitum.* &c.

An divina verè distinguantur? Ut benè hæc divina prædicamenta intelligas, te Nominales juvant, & nonnulli Thomistæ. Inquiunt illi Substantiam Quantitatemq; corporeas constituere duo prædicamenta & tamen non distingui realiter; sed formaliter; & addunt Substantiam dividi in viventem & non viventem; viventemque in sensibilem & insensibilem subdividi; in quas species non dividitur Quantitas: & Quantitatem dividi in lineam, superficiem, corpus: lineam subdividi in rectam, obliquam, curvam, &c. in quas substantia non dividitur.

Multi Thomistæ docent Actionem, Passionem, Fieri, Motum, esse quatuor ejusdem realitatis formalitates; & tamen duo, aut plura prædicamenta constituere.

Ergo sicut illi, duo illa prædicamenta (Substantiam, & Quantitatem) & isti alia duo (Actionem & Passionem) identificant; nec ideò numerum prædicamentorum diminuunt; poterit Formalista Theologus omnia decem identificare in Deo; & integro eorum numero assignare formalitates genericas & specificas, subalternantes & subalternatas, tam dilucidè & claré ac si realiter distinguerentur. Stat ergo Deum esse Πᾶν, quamdam omnium perfectionum omnitatem & universitatem; vel minimæ imperfectionis incapacem; & ideò (quod iterùm iterùmque novisse me memini) ab antiquis Hispanis dictum Πᾶνα (& hinc regio appellatur Hispania) nomine ab universitate desumpto.

* * *

ARTICULUS V.

De Archeo, sive Anima Mundi. De eius Unitate & Pluralitate: nec non de Prædicamentis & Prædicabilibus, quæ illa conformat.

DCCLXIII Mundi Animam; qualem posuerunt Arabes, refero & expono, non reiicio vel approbo. Lego eorum Opera Philosophica, Astronomicaque: & eruditionis gratiâ expendo, qualiter debuerint essentialia aut accidentalia prædicata concipere & verificare. Non convenerunt omnes: quoniam duas alij Animas, alij unicam adfinxerunt materiæ: illi effectricem, formalemque; isti formalem tantùm: & nos aliò mittendo effectricem, de solâ formali disputabimus. *An anima Mundi sit unica?*

DCCLXIV Archeum formalem esse Mundi Animam dixerunt dicuntque, at illum â Deo conditum asserunt, & esse finitæ perfectionis: at tantæ, ut omnes materialium formarum (non enim spirituales cognovisse videntur) complectatur. *An sit creata? An finita?* Addunt, esse unicam realem Entitatem, in quâ omnes materiæ formæ, quæ nobis videntur diversæ, essent identificatæ, & solummodò formaliter distinguerentur. Positâ hac formâ universali; quam *Archeum* dicunt, distinguebant rerum genera & species hoc modo. *Archeus est forma universalis.* Eadem forma realis, quæ constituit hunc canem; est forma quæ constituit hunc equum, quæ istam platanum, quæ istum lapidem: *An in omnibus rebus sit forma unica?* habet inter alias plurimas formalitates, Corporeitatem, Vitam, & Sensibilitatem [omittamus Rationalitatem, & nihil dicamus de Humano Animo, ne nimium exorbitet Arabum opinatio.] *An sit Anima rationalis in Archeo?* & quando constituit lapidem, non communicat illi gradum vitæ vel sensûs, sed gradum corporis: & quando constituit hanc arborem duas materiæ communicat & unit formalitates (corporeitatem, vitamque vegetabilem) & quando constituit canem, unit materiæ corporeitatem, vitam, sensibilitatem & latrabilitatem; & quando equum, unit materiæ non se totam, sed formalitates corporeitatis, vitæ, sensibilitatis & hinnibilitatis. *Forma mundi non se totam communicat.*

Et quidem posse unam formalitatem communicari alterâ non communicatâ non temerè asserebant Arabes; nam hodie plerique Theologi ponunt formalitates in divinis, & ajunt Paternitatem Divinitatemque esse eamdem rem, at distingui formaliter, & Verbo Æterno communicari totam Divinitatem Paternitate non communicatâ. *An communicari possit una formalitas alterâ non communicatâ? Filio essentia divina communicatur, & Paternitas non communicatur?* Et ne ad cœlum videar Mahometanos conducere, & eorumdem doctrinam mysterio Trinitatis, quod nesciunt negantque, confirmare; demittamus ingenij alas, & ad inferiora descendamus. Capillos, ungues, ossa, sanguinem, carnem, nervos, & cerebum in homine informari unâ & eadem Animâ rationali multi asserunt; & quando *An Anima eadem informet modo omnes partes?*

quærimus, an calcaneus intelligat, aut pili sentiant, respondent Animam esse unam entitatem realem, at nihilominùs habere formalitates, quas distribuat, partialiter communicando.

An sanguis vivat?

Informat ajunt sanguinem uniendo illi formalitatem corporis; capillos, unguesque

An capilli sentiant?

uniendo illis formalitatem corporis & animæ vegetativæ: carnem, nervos, &c. uniendo corporeitatem, vegetabilitatem & sensibilitatem:

An caro intelligat?

& tandem cerebrum, divinissimam corporis partem, uniendo illi omnes formalitates.

De intensione.

Etiam Thomistæ aliqui, ut intensionem per majorem radicationem fieri ostendant, gradibus qualitatem componunt, & licet asserant illos realiter identificari, volunt successivè communicari materiæ.

Quid sit major radicatio.

Calorem ut duo dicunt esse eumdem realiter cum calore ut quatuor: addunt manum esse calidam ut duo, quando ille calor unitur secundum gradus binos; & quando per quaternos unitur, esse calidam manum ut quatuor: unde emanavit significantissima illa phrasis, *Manus, cùm fit calidior, non adquirit majorem calorem, sed magis (hoc est, penes plures formalitates) habet priorem calorem.*

Habere majorem calorem: & magis habere calorē.

Hæc omnia dicta sunt, ut ostenderem, non erravisse Arabes asserendo posse subjecto communicari unam formalitatem, alterâ non communicatâ. Ergo illorum doctrinâ (verâ aut falsâ) suppositâ, dialecticemur & has propositiones exponamus: nimirùm. *Incitatus est equus. Incitatus est animal. Incitatus est hinnibilis. Incitatus est vivens.* &c. *Pinus est planta. Adamas est lapis.* &c. singulas explicemus.

Incitatus fuit equus Caligulæ.

Incitatus est equus, æquivalet huic, Incitatus est corpus: habens animam mundi, non quidem secundum omnes formalitates gradusque, sed secundum corporeitatem, vitalitatem, sensibilitatem & hinnibilitatem. Et hæc Positio ad secundum spectat Prædicabile.

Incitatus est animal, æquivalet huic, Incitatus est corpus habens mundialem formam unitam communicatamque penes gradum animalitatis. Et est similis huic, *Petrus est animal*: & ad Prædicabile primum reducitur.

Incitatus est hinnibilis, æquivalebit huic, Incitatus est corpus habens aut suscipiens formam mundi secundum hinnibilitatis formalitatem: & hæc propositio pertinet ad tertium Prædicabile. [Dedi tres propositiones, in quibus speciem, genus, & differentiam prædicavi: quia cæteræ possunt exponi ex analogiâ, pono calamum: & prædicabilium distinctionem expono.] Sit

DCCLXVI Conclusio I. *Tametsi forma mundi realiter contineat omnes gradus, non denominat subjectum secundum omnes, sed secundum illos tantummodò, qui communicantur.* II. *Communicantur gradus qui uniuntur & informant subjectum, alij non.* III. *Forma mundana in lapide caret formaliter & virtualiter omnibus gradibus & formalitatibus non communicatis.*

An eadem possit forma varias denominationes dare?

Et quid est carere formaliter? Habere quidem realiter, at illos non communicare, nec secundum illos informare. Et quid erit eisdem gradibus carere virtualiter? Ita se habere, ac si careret realiter. Ergo in formâ lapidis gradus, qui non communicantur, absunt virtualiter, quoniam ita se habent, ac si abessent realiter: imò ita se habent, ac si in rerum naturâ non essent.

Carentia formalis & virtualis.

IV. *Sunt ejusdem speciei infimæ illa corpora, quæ forma mundi secundum eosdem gradus informat.*

Species.

V. *Conveniunt genere, quæ ita informantur & constituuntur ab animâ mundi, ut conveniant & differant.*

Genus.

Nam Equus Canisque eamdem animam habent realiter; non verò eamdem formaliter & virtualiter: utrique enim communicat illa gradum animalitatis; & hunc sine ulla differentia: At gradum hinnibilitatis communicat Equo & non Cani: & gradum latrabilitatis Cani & non Equo.

Species & genera sunt univoca.

V. *Differentia (seu tertium Prædicabile) continet illam formalitatem, quæ addita generi constituit speciem*; & constat ex exemplis positis.

Differentia.

VI. *Individuatio sumitur à materiâ.* Patet, quia ex merâ multiplicatione corporum species numero multiplicantur.

Principium individuationis.

VII. *Forma mundi, qualiscumque sit realiter, formaliter & virtualiter est communis & universalis.* Patet, quia vel est realiter universalis, qualem olim Plato & Academici, & modò Reales ponunt: vel est realiter singularis; &, si realiter singularis est, est universalis formaliter & virtualiter: formaliter, quia non unitur secundum formalitatem singularem, sed secundum communem & universalem: virtualiter; quia ita se habet, ac si esset realiter universalis.

An Anima mundi sit communis & universalis?

Universalitas formalis & universalis.

Hinc patet Arabes admissâ unicâ Mundi formâ, non dixisse nec debuisse dicere omnia esse ejusdem speciei, sed potuisse æquè ac nos sub unâ Formâ decem prædicamenta constituere realiter identificata, quæ formaliter distinguerentur: ita ut Corpus esset vivum, si formam secundum gradum vitæ reciperet; &, si secundum gradum candoris, candidum.

An omnia sint ejusdem speciei?

Hinc patet etiam, in singulis eos Prædicamentis gradus subalternos posuisse, & species generibus subordinasse.

An dentur subalterni gradus?

Hinc patet etiam Prædicabilia eosdem omnia admisisse, quæ Porphyrius & alij. Et ut Prædicabilia Arabum melius intelligas, definitiones addo.

DCCLXVII. *Genus.*

Definitio I. *Genus est prædicatum quod dicit unam formalitatem, quam Anima mundi multis subjectis communicat, addendo singulis aliam, & diversam in singulis formalitatem.* Pono exemplum in Animali. Hoc prædicatum est genericum: dicit animalitatem: & hanc multis Archeus communicat, addendo in singulis aliam formalitatem: nam animalitatem communicat Equo & Leoni, illi addendo hinnibilitatem, & huic addendo rugibilitatem.

DCCLXVIII. *Species.*

Definitio II. *Species est prædicatum, quod dicit unam formalitatem, quam multis subjectis Anima mundi communicat, non addendo aliam formalitatem.* Patet in duobus equis, qui distinguuntur puro numero, & ideò tota se tenet distinctio ex parte corporum: nihil enim qui dditatis aut formæ reperitur in uno, quod non reperiatur in alio.

An individuatio à sola materia sumatur?

DCCLXIX. *Differentia.*

Definitio III. *Differentia est prædicatum quod dicit illam formalitatem, quam addit supra genus species.*

Definitio

DCCLXX. *Proprium.* Definitio IV. *Quando Anima mundi, si unam formalitatem communicet, tenetur alteram, quæ non est pars prioris, etiam communicare, hæc posterior appellatur Proprietas: & ad quartum modum Porphyrianum spectat.* Consultò dixi, *quæ non sit pars prioris*, nam communicatâ specie, etiam genus & differentia communicantur: quæ sunt speciei entitativæ partes.

DCCLXXI *Accidens.* Definitio V. *Quando Anima mundi post unius formalitatis communicationem, potest aliam communicare aut non communicare, hæc posterior dicitur prioris Accidens, & in quintum Prædicabile poni debet.* Patet; quia, si communicat materiæ rationem lapidis; non tenetur communicare talem colorem; sed potest nigrum conferre, aut purpureum aut album.

NOTA I.

DCC LXXII. *Ἄρχαιος. Ἀρχή. An Arabici voces veniant à Græcis? Areg.* EGi de re: de ipso nomine subiicio paucula: Ἄρχαιος dicitur: & nomine Græco si velis, à voce ἀρχή; quæ Principium significat. An-ne à Linguâ Græcâ nomina usurpaverunt Arabes? Cur non; si & ipsam Philosophiam à Græcis. Quod si etymon istud displiceat, Vocem à radice ארג *Areg*, quæ *texere* significat, erue: ita ut forma mundi dicatur quædam realitas omnium rerum sensibilium perfectionibus texta. *Artuchabani.* Corrupto illam vocabulo *Artuchabani* appellarunt quàm multi, sed malumus Ἄρχαιον dicere, & vocem puriorem retinere.

NOTA II.

PEtis, *An hæc Arabum doctrina sit probabilis?* DCC LXXIII. *Consideratio duplex?* Respondeo eam esse dupliciter considerandam: est enim & Physica & Logica; Physica, quatenus exponit, quæ sit corporum singulorum forma: Logica, quatenus hujus realis formæ formalitatibus Prædicamenta & Prædicabilia constituit. Ajo igitur Arabes non peccare in Dialecticam; & omnia quæ dicunt posse componi cum regulis Logicæ & Metaphysicæ: adeòque ex hypothesi; quòd non peccent in Physicâ; posse à nobis facillimo negotio defendi. Addo illos, si Animam rationalem Archeo intexunt, errare omninò, *An Anima rationalis sit in Archeo?* non enim intellectualis Anima filum est aptum illi materiali texturæ. At ipsi, si Animam rationalem (quod præcipiente me debuerunt facere) à lege generali excludant, & formalitatibus Archei solâ concreta purè materialia (substantialia & accidentalia) conforment, nullam repugnantiam reperio: & quia hanc *Posita Quæstionis resolutio.* mundi formam multis Medicis doctissimis placere video, illam dico probabiliter posse defendi.

DISPUTATIO IV.

De differentiâ.

DCC LXXIV. *Differentia triplex?* DIfferentia à Philosophis dividitur in communem, propriam & propriissimam. Hæ tres differentiæ constituunt tria prædicabilia, quæ vocantur *Differentia, Proprium, & Accidens*. Differentia communis accidentalis est: propria est speciei passio, ut risibile respectu hominis: propriissima est forma Metaphysica constitutiva speciei, ut rationale respectu hominis. *An divisio sit bona?* An hæc differentiæ distributio adæquata? dubitant aliqui apud Sanchez *libr. 3. Logic. quæst. 23.* demonstratur tamen à Masio *cap. de specie sect. 1. quæst. 2.* facillimo argumento, quod potest sic ad formam reduci. Omnia quæ differunt, aut differunt essentiâ, aut passione, aut aliquo accidente. Atqui inter illa, quæ essentiâ differunt versatur differentia propriissima, ut inter sensibile & insensibile: Inter ea quæ dissident passione versatur differentia propria, talis est risibilitas: Inter illa, quæ accidente differunt, datur differentia communis, Inter Pygmeum & Gygantem differentia est in magnitudine; discrimen Scytæ & Æthyopis est in colore: color autem & magnitudo sunt communia accidentia. Nec præter hos tres inveniri poterit alius modus differendi.

An sit essentialis? Petis, Utrùm hæc divisio sit essentialis? Aliqui voluerunt esse æquivocam, impugnatur efficaciter à nostro Capero *in Logic. tract. 3. disput. 4. dub. 2.* & ab Oña *cap. de spec. quæst. 1. art. 2.* Esse analogam voluerunt B. Albertus Magnus *tract. 5. in Porphyr. cap. 1.* Jabellus, Cajetanus, Sotus *in cap. de specie.* Masius *ibidem sect. 1. quæst. 3.* cui subscribit Sanchez *libr. 3. qu. 22.* cui consonat Scotus *cap. de specie. qu. 23.* Rubius *ibidem quæst. 2.* Complutenses *in Log. disp. 7. q. 1. num. 12.*

Respondeo tamen esse accidentis in subjecta: quia non est de essentia illarum formalitatum distinguere, sed constituere concreta. Non est de essentiâ rationalis distinguere hominem ab equo, sed solum dicit esse principium discurrendi atque ratiocinandi, quia solum hominem secernit ab equo fundamentaliter, quia est fundamentum actualis distinctionis. Clariùs adhuc in colore conspicitur. Non est de quiditate albi, quod Scytam distinguat ab Æthyope, sed quod sit color disgregativus visûs. Ideò Cathegoria prædicabilium prout ad nos spectat debet deduci sic

- Prædicabile
  - Genus .... I. Genus
  - Species .... II. Species
  - Differentia
    - Propriissima .... III. Differentia
    - Propria .... IV. Proprium
    - Communis .... V. Accidens.

DCC LXXV. *De modo prædicandi.*

Si respicimus modum prædicandi, aliter possumus categoriam coordinare. Quia aliud est prædicari adæquatè aliud inadæquatè. Species adæquatè prædicari dicitur tum quia in multorum sententiâ hæccitates sunt materiales differentiæ, & nullam dicunt perfectionem: tum præcipuè quia omnia prædicata formalia sunt genus & differentia, hæccitas enim est materiæ sigillatio. Et ideò loquendo in sensu formali (quia entitativè certum est individuum componi ex naturâ specifica & individuatione.) Prædicabilium categoria disponenda esset sic.

An species sit prædicatum adæquatum.

- Naturæ secundum se accidit
  - Universalitas sive prædicabilitas
    - Inadæquata in qua prædicatur de toto pars
      - Materialis: Hoc prædicabile vocatur *Genus*, & est in hac enuntiatione *Animal est vivens.*
      - Formalis: Hoc vocatur *Differentia*, Et reperitur in hac propositione *Animal est sensibile.*
    - Adæquata in qua prædicatur de toto tota quiditas.
      - Hoc dicitur *species* & in hac affirmatione est *Petrus est homo.* Tota quiditas consistit in ratione hominis; hæccitas extra hominis quiditatem est.
    - Cōdistincta in qua prædicatur pars de cōparte,
      - quæ vel est passio, & : *Proprium* dicitur, Ut *Homo est risibilis.*
      - vel est accidens, & : *Accidens* appellatur, qualis est hæc *Homo est albus.*
  - Subiicibilitas
    - specifica: Species subiicibilis est de qua prædicatur genus, ut in hac enuntiatione *Animal est vivens*, illud *Animal.*
    - individualis: Individuū est, quod subiicitur speciei, *Vt in his prædicationibus, Albedo est albedo. Petrus est homo.* Ambo utriusque propositionis subjecta habent subiicibilem individuationem.

Consultò omisi individui prædicabilitatem, quia hæc ut alibi dixi, non est doctrinalis, solùm enim reperitur in identicis, quales sunt hujuscemodi. *Petrus est Petrus, Hic homo est hic homo. &c.*

ARTICULUS I.

Vtrùm differentia sit universalis respectu speciei quam constituit, an respectu inferiorum?

Quæstio exponitur.

AGimus tam de differentia infima, quàm de subalternâ, quia sicut hæc constituit concretum prædicabile de inferioribus, sic etiam illa. Discrimen in hoc est, quia differentia subalterna constituit concretum prædicabile de pluribus differentibus specie, At infima constituit concretum prædicabile de pluribus differentibus numero.

DCC LXXVI. R...

Differentia bifariam potest concipi vel in quantum prædicabilis est, vel in quantum universalis est. In quantum universalis est, debet de multis enunciari: propterea non dicitur universalis respectu speciei quam constituit, sed respectu inferiorum. Unde hæc propositio *Animal est sensibile*, non pertinet ad istud universale, quia non est prædicatio universalis, sed æqualis de æquali, non enim prædicatum latiùs patet, quàm subjectum. Defendunt hanc sententiam Oñi *cap. de differ. q. 1. art. 2* Jabellus *ibid.* Didacus de Jesu *disp. 8. q. 2.* Sanchez *libr. 3. q. 25.* Differentia in quantum prædicabilis est, potest habere unum subjectum de quo dicatur, & ideò potest prædicabilis respectu speciei dici; & cur non prædicabilis respectu speciei dicenda est, quæ actu de specie prædicatur? Sanè comparata cum specie, quam constituit, prædicabilis est, universalis non est positivè; posset tamen universalis negativè aut abstractivè dici, hoc est, abstracta à singularibus.

Objicis mihi Cajetanum, Scotum, Toledum *cap. de differ.* sentientes differentiam esse universalem quà respicit ipsam speciem, cujus est actus, constitutivumque formale. Verè hi authores non satis expresè loquuti sunt, & pro verâ sententiâ facili negotio, si velim, potero explicare.

Objicis tamen hanc rationem. Differentia quatenùs talis, universalis est; sed differentia constituitur in esse talis ordine ad speciem: ergo

ergo in ordine ad speciem est universalis: potest igitur universaliter de specie dici.

Respondeo negando majorem. Differentia prout speciem constituit prædicabilis est, universalis non est, talis enim constituitur respectu ad inferiora: at ubi non dantur plura inferiora non potest dari universalitas.

Objicis iterùm. Nulla differentia est convertibilis cum suâ specie, latiùs enim patet specie differentia. Intellectuale convenit non solùm Homini, sed etiam Angelis: ergo illa differentia constituet plures species, nempe Humanam & Angelicam, respectu quarum poterit dici universalis.

Debere negari majorem articulo sequenti ostendam. Si major illa est falsa corruit tota vis argumenti.

An Angeli possint differre numero? *Adhuc instas.* Supponamus differentiam, unicam solùm speciem constituere: an ideò dicenda non est universalis? speciem Angelicam non possunt habere multa individua, & nihilominùs asseritur universalis: ergo sic similiter licet sola species, quæ differentiâ constituitur, illam habere possit, analogicè asserenda est illa differentia universalis. Nec valet dicere (inquies) speciem Angelicam ex se posse communicari multis individuis, si darentur talia individua, quæ possent recipere eandem speciem. Hoc non sufficere asseres, quia etiam de differentiâ dici posset quantum est ex se esse contrahibilem à multis si darentur illa multa quæ ipsam possent contrahere: quia nulla est disparitatis ratio.

DCC LXXVII. *An repugnat differentiæ contrahere diversa genera?* Respondeo inter speciem Angelicam & differentiam propriissimam esse discrimen maximum. Quia speciei quà tali non repugnat esse in multis: esse in multis speciebus quas formaliter constituat, repugnat differentiæ quà tali. Ratio est, quia si daretur una differentia quæ ex se posset pertinere ad duo genera, illa etiam genera ex se possent recipere illam differentiam, ergo non esset impossibilis connexio ut supponebatur. Præterea, si unica differentia esset in duobus generibus esset differentia & non esset differentia: differentia, quia supponitur: non differentia, quia per illam convenirent illa genera & non differrent. Tandem. Esset simul genus & differentia: differentia, quia supponitur: genus, quia in illa daretur concursus & convenientia specierum.

An differentia habeat propria inferiora? *Superest explicare* quæ sint ista inferiora de quibus differentia prædicatur. Aliqui quos suppresso nomine citat Sanchez *lib. 3. cap. 28.* affirmant inferiora de quibus differentia debet prædicari universaliter, esse individua ejusdem differentiæ. In eorum sententiâ Vegetabile dicitur non de sensibili aut insensibili, non de animali aut arbore, sed de hoc aut illo vegetabili; sic sensibile de hoc aut illo sensibili. Falluntur tamen, quia similes prædicationes ex vi prædicandi sunt essentiales & formaliter adæquatæ, in quibus subjectum solùm à prædicato dissidet hæcceitate, quæ est differentia materialis. Quia hæ propositiones, *Hoc animal est animal, Hoc ens est ens, Petrus est homo. Pegasus est equus, Hoc rationale est rationale, Illud sensibile est sensibile,* & aliæ similes sunt specificè-essentiales.

DCC LXXVIII. *An prædicetur de inferioribus speciei?* Dicendum autem est differentiam esse universalem prout respicit inferiora speciei quam constituit. Sic *Sensibile* constituit viventis speciem, & est universale respectu ad inferiora animalis. Sic *Animatum* constituit viventis speciem, & est universale respectu ad viventis species: de illis enim ut pars formalis prædicatur. Patet in hac propositione *Animal est Animatum.* Hoc prædicatum est actus respectu corporis, & potentia respectu sensibilis, Animal enim est *substantia animata sensibilis.*

Hinc constat differentiam in quantum actus ultimus subjecti est, non esse universalem, quia ut talis solùm de una specie potest prædicari, ut *Animal est sensibile, Vivens est vegetabile.*

ARTICULUS II.

An differentiæ propriissimæ convertantur cum speciebus quas constituunt?

DCC LXXIX. *An omnis definitio duobus debeat terminis claudi?* RESpondeo affirmativè. Subscribo D. Thomæ *Post. lect. 13. & 7. Metaph. lect. 12.* B. Alberto Magno. Sim. Avic. Masio, Complutensibus, *disp. 7. Logic. quæst. 3. num. 28.* & aliis pluribus.

Volunt probare hanc conclusionem testimonio Aristotelis desumpto *ex 7. Met. text. 4.* docentis possibile esse quod definitio ex duobus constituatur, quorum unum sit genus, & aliud differentia. Hoc exponens Boetius asseruit vocum penuriâ sæpè nos cogi verba multiplicare, sed si haberent omnes formalitates nomina, diffinitionem omnem habituram esse solummodò duos terminos, genus videlicet & differentiam.

An differentia possit latiùs patere quàm diffinitum? Sed in hoc testimonio (si attentè concipiatur) non cognoscitur opinio Stagiritæ, quia etiam possent hæc omnia esse vera, licet differentiæ convenirent pluribus. Supponamus intellectuale esse differentiam constituentem hominem, & hanc convenire etiam Angelis: etiam ex hac hypothesi homo diffiniretur duobus terminis, nempè *Animal Intellectuale*: quorum uterque latiùs pateret; uterque simul cum ipso definito ipso converteretur.

Certè clarius *ibidem text. 47.* exposuit mentem suam præcipuè juxta interpretationem D. Thomæ. Inquit Arist. *Et sic semper vult procedere, quousq; veniat ad non differentia.* Exponit Doctor Angelus. *Ad non differentia,* inquit, *id est, ad ultimas differentias, quæ non dividuntur ulteriùs in alias differentias.* Ergo ex mente D. Thomæ & Aristotelis ultimæ differentiæ non conveniunt aliis quàm generi extrinsecus, quod dividunt; & intrinsecùs speciei, quam constituunt. Ergo dicendum est differentias uni tantum subjecto generico convenire, & non posse plura genera actuare.

Assero probabilissimam illam esse opinionem, quæ docet non dari differentias communes multis generibus, sed ita esse proprias suo generi ut sensibilitas non possit competere alteri quàm viventi vegetativo. Rationalitas nulli

posse

posse competere quam animali. Ratio, quâ cogor sic discurrere, duplex est. *Prima* desumitur ab experientiâ. Quia non reperimus unam differentiam hospitem alius categoriæ: ergo credendum est quòd natura rerum sic exigit. *Secunda* est antecedentis confirmatio; quia si semel admitteremus tales differentias communes, nulla esset propriissima, ac propterea nulla esset essentialis: quod magis liquet ex distinctione differentiæ communis & propriissimæ, quàm suprà exposui. Vocavi probabilissimam istam sententiam, quoniam opposita videtur etiam probabilis, etiam à multis in scholâ recepta. Si hanc opinionem teneas, nega adversarios aliquâ experientiâ manuduci: imò dic stare experientiam & authoritatem è contrario, nam homo sentit cum brutis & intelligit cum ipsis Angelis. Concede non dari differentias propriissimas, quas illi difficulter probabunt.

An dentur differentiæ propriissimæ?

ARTICULUS III.

De differentiis propriis.

DCC LXXX. *Quomodo Elementa compenantur, & distinguantur?*

DAntur præter propriissimas differentiæ propriæ, quarum meminit Themistius 2. *Post. cap.* 20. Philopponus *ibid. cap.* 14. Averroës 7. *Metaph. text.* 43. quos citat Masius *cap. de differ. sect.* 1. *quæst.* 6. Elementa verbi causâ differunt inter se differentiis propriis non propriissimis. Et differentiæ constitutivæ elementorum seorsim alibi possunt reperiri. Omnia elementa genericè conveniunt in ratione corporis viventis-physicè. Distinguuntur & constituuntur differentiis propriis. Aqua est corpus frigidum, Aër humidum, Ignis calidum, Terra siccum. Differunt specie propriâ, non propriissimâ; hoc est, non distinguuntur specie substantiali sed differunt primariis qualitatibus.

De vitâ physicâ.

De his loquutus fuit Aristoteles 2. *Post. cap.* 14. ubi sic ait. *Talia eo usque sumenda sunt, quousque tot fuerint sumpta, ut unumquodque illorum quidem pluribus competat, cuncta autem simul non ad plura se extendant.* Accinit sibi 2. *Topic. cap.* 7. *& lib.* 6. *cap.* 3. *& lib.* 1. *de partibus animalium cap.* 2. Sequitur Aristotelem Porphyrius *cap. de communitatibus generis & differentiæ*, licet in ponendo exemplo fortè erret, quia Rationale ut ipse credidit non est differentia propria, sed est multorum opinione propriissima.

An rationale sit differentia propriissima?

ARTICULUS IV.

Utrùm differentia inferior includat superiores?

DCC LXXXI.

AFfirmant Nominales quibus subscripsit sed ostentationis causâ Soncinas 7. *Metaph. quæst.* 37. Negant communiter Thomistæ cum D. Angelico 3. *Metaph. text.* 10. *lect.* 8. *& lib.* 5. *lect.* 12. *& de Ente & Essent. cap.* 7. *&* 1. *contr. gent. cap.* 17. Capreolum, Flandriam, Jabellum, Ferraram, Toledum, & alios citant & sequuntur Sanchius *libr.* 3. *quæst.* 18. Masius *cap. de differ. sect.* 2. *quæst.* 3. Complutenses *disp.* 7. *Logic. quæst.* 4. *num.* 41. Rubius *quæst.* 7. Accinit Thomistis Scotus *in* 4. *dist.* 11. *quæst.* 3. *&* 7. *Metaph. quæst.* 17. Antonius Andreas *ibid. quæst.* 15.

Resolutio.

SEmper judicavi certo certius, differentias inferiores à suis generibus, ac propterea à suis superioribus differentiis esse condistinctas; hoc est, nec genus illas continere, nec illas contineri in ipso. Ita expressè Aristoteles 4. *Topic. c.* 2. sic dicens. *Omne quod participat genus, vel species vel individuum est. Differentia autem neq; (est) individuum neque species. Manifestum igitur quod non participat genus differentia.* Consonat sibi 3. *Met. text.* 10. DCC LXXXII.

Probatur ratione. Species dissidet à differentiâ: ergò hæc rationem genericam non continet. Patet consequentia; quia si genus contineret differentiam, à specie, quam constituere dicitur, nullatenus distingueretur. Species enim nihil dicit aliud præter genus & differentiam. Equidem hæc ratio est fortissima, & quo magis expendatur, melior.

An species à differentiâ distinguatur?

Secundò. Vel admittendus est processus in infinitum, vel deveniendum ad differentias ultimas quæ adæquatè differant, in nullàque formalitate conveniant. Probatur. Quia differentiæ vel totaliter differunt, vel in aliquâ ratione conveniunt; si primum dicas habeo intentum. Si secundum asseras; ergò differunt per alias differentias. De quibus iterùm inquiro utrùm conveniant in aliqua formalitate? quod si in aliqua conveniant, debent differre etiam per differentias, de quibus possumus dubitare, utrùm in aliquo conveniant. Ergò vel admittendus est processus in infinitum, vel dicendum differentias omninò differre inter se. Et hæc etiam ratio est valde fortis, quia nemo in formalitatibus processum infinitum admittit: sed quid illi fieret, qui talem processum admitteret? Sicut in Physicâ defenditur Continuum in partes semper divisibiles dividi: sic in Logicâ formalitates possent dividi in semper divisibiles formalitates.

An dentur differentiæ ultimæ? *An formalitates dividantur in semper divisibiles formalitates?*

Tertiò. Si differentia inferior contineret superiores essent omnes definitiones malæ. Esset ineptum dicere *Animal est vivens sensibile*, quia perperam repetebatur illud *vivens*, siquidem in sensibili comprehendebatur. Redderet hunc sensum enuntiatio. *Animal est vivens-vivens sensibile*, qui non est tolerabilis.

Definitionum bon.

Obiectio Prima.

EXhibes contra resolutionem nostram Aristotelis authoritatem asserentis differentias superiores claudi in infimâ. Ita 7. *Metaph. text.* 43. DCC LXXXIII.

An Aristoteles fuerit erroris capax?

Respondeo claudi illativè, non contentivè; hoc est, non contineri infimâ, sed inferri; ubi enim

enim infima est, aliæ etiam concomitanter debent esse. Si hæc sufficiat explicando laudo tuum Aristotelem: si aliam desideres, nulla occurrit aut facilior aut verior quàm quæ docet Stagyritam erravisse.

Obiectio II.

DCC LXXXIV.
An aliqua differentia sit actus purissimus?

ARguit Socinas. Si differentiæ superiores in inferioribus non clauderentur, sequeretur differentiam infimam esse actum purissimum expertem potentialitatis. Sequelam probat, quia genus supremum est potentia pura expers omnis actualitatis: ergo actus infimus erit purus expers totius potentialitatis.

An detur differentia ultima?

Sed hæc ratio deficit ex multis capitibus. Primò nulla datur differentia ultima: nam vel datur processus infinitus in formalitatibus, quod paulo-antè insinuavi: vel Deus potest inter speciem infimam & individua alios gradus & species subalternas locare: licet enim nunc de facto *rationalis* sit differentia ultima in prædicamento substantiæ; cur non poterit Deus addere aliquam novam formalitatem in categoriâ? Si faceret, nec rationale esset differentia ultima, nec homo esset species sed genus.

An ultima differentia quid potentiæ habeat?

Præterea demus differentiam infimam esse ultimam, non autem inde sequitur esse actum purum. Potentia receptiva est respectu intellectûs, spiritualis appetitûs, admirationis, & risibilitatis: quæ omnes passiones sunt animæ non quatenùs sensibilis, sed quatenùs est rationalis.

Accidit quod illa differentia in multorum sententiâ existat existentia distinctâ, ac propterea non sit suum esse, nec possit esse actus purus. Deinde purus actus nunquam est in potentiâ: Rationale ante Mundi genesin fuit in potentiâ ut crearetur; nunc est in potentiâ ut in nihil omninò convertatur. Sunt & aliæ rationes propter quas differentia illa ultima actus purus dici non debeat, quas esset prolixum recensere.

Obiectio III.

DCC LXXXV.
An rationalitas sit ancea?

HÆ enuntiationes sunt veræ *Rationale est substantia, Rationale est spirituale vel corporale.* Genus ergo supremum substantiæ de rationali dicitur, & etiam differentia spiritualis.

Substantia multis modis accipitur.

Respondeo substantiam bifariam posse considerari: adjectivè & substantivè; item completè & incompletè: item positivè & negativè. Addo Rationale esse substantiam adjectivè, & non substantivè: est enim substantialis formalitas. Subjungo esse, etiam formaliter loquendo, substantiam quamdam incompletam, non verò completam. Subscribo esse negativè, non autem positivè substantiam. Quoniam substantia positivè sumpta dicit illum summum categoriæ gradum & non potest de rationali prædicari. Sumpta negativè opponitur accidenti, & est idem ac non-accidens, hæc denominatio transcendit totum prædicamentum, & in hoc sensu est verum dicere Rationale esse substantiam, hoc est, non esse accidens. Accidit quod illud [*est*] possit illativè sumi (ut in responsione primæ objectionis dicebamus) cæterùm si illativè sumatur, enuntiatio illa est vera & necessaria, quia æquipollet huic, *Rationalitas infert substantiam*, vel *Necesse est, illud quod rationale est substantiam esse.*

Copula illativa.

Ad illam prædicationem *Rationale est spirituale*, dico spirituale non esse differentiam alicujus generis sed attributum entis transcendens omnes formalitates substantiales.

NOTA.

DCC LXXXVI.
Distinctio duplex: adæquata & inadæquata: realis, modalis.

Ut controversia præcedens lucem majorem habeat, has pauculas lineas subscribo. Sicut à parte rei datur distinctio adæquata & inadæquata (vel ut alij loquuntur, realis & modalis) quarum illa est inter duas res separabiles: hæc inter duas entitates, quarum altera (quæ res est) sine alterâ potest existere: altera (quæ modus est) sine alterâ existere non potest: sic etiam inter formalitates: nam sunt aliquæ, quæ distinguuntur adæquatè, illæ nimirum quarum alterutra potest intelligi sine alterâ: & sunt etiam aliquæ, quæ distinguuntur inadæquatè (vel si sic placeat loqui, formaliter-modaliter) quando nimirùm altera quæ realitati est similis, concipi potest sine altera; & hæc altera, quæ modo est similis, sine altera concipi non potest.

An dentur modi formales?

Resolutio superiùs posita explicatur.

Hanc vis doctrinam poni, & quia *differentias inferiores non claudere superiores* diximus, interrogas, An teneat ista resolutio, quoquo modo eas distingui dicamus? Et ego respondeo affirmativè, & probo evidenter & clarè: nam si dicamus gradus superiores & inferiores distingui adæquatè (realiter aut formaliter) salva res est: postulat enim adæquata distinctio ne claudantur. Si verò distinguantur realiter modaliter, non clauduntur, quia in conceptu sessionis intrinseco non clauditur homo, neque subjectum in intrinseco alicujus modi conceptu. Ergo tota eò volvetur difficultas, ut examinemus quid dicendum sit, si differentiæ sint generis modi formales?

De distinctione superiorum & inferiorum graduum.

Si aliquis mordicùs vellet defendere, eo casu genera & differentias superiores claudi in inferioribus, non posset evidenter convinci; maximè si esset eloquens. Cæterùm, si rem examinemus accuratè, aliud est unam formalitatem non posse esse sine aliâ realiter, & aliud includere aliam realiter: & hanc ob rem, aliud etiam erit unam formalitatem non posse concipi sine alterâ, & aliud includere alteram; multi enim Thomistæ docent non posse materiam concipi sine formâ, & interim eamdem dicunt secundum se esse puram potentiam nec includere formam: ergo licet diceremus nec differentiam sine genere, nec hæcceitatem sine specie concipi posse, non ideò teneremur dicere non distingui, & genus in differentiâ, aut speciem in hæcceitate claudi.

Nota hanc doctrinam.

An materia possit concipi sine formâ?

ARTICULUS V.

An differentia qualibet det perfectionem generi?

DCCLXXXVII. *Complutenses diversas quaestiones confundunt.* COmplutenses *disp. 7. Log. quaest. 5.* videntur non satisfacere quaesito. Petunt in titulo, *An qualibet differentia sit perfectior genere?* sed post paucas lineas. Inquirimus ergo; *An qualibet differentia determinet genus ad specialem naturam, addendo aliquam perfectionem, ita ut semper verum sit quod species in perfectione per differentiam excedat genus?* Hae duae difficultates sunt longè diversae, nec deberent sic coalescere & confundi. Quod sint diversae difficultates liquet; quia posset aliquis affirmativè alteri, & alteri respondere negativè. Verbi causâ vivens habeat perfectionem ut 4. Sensibile ut 3: ergo Animal ut 7. Hic ego: in tali casu differentia 3 non esset perfectior genere 4, determinaret tamen genus 4 ad speciem addendo aliquam perfectionem: ita ut verum esset dicere speciem 7. constitutam per differentiam superare in perfectione genus.

Ne ergo duas quaestiones tam absimiles videar confundere, inquiro, *Utrùm omnis differentia constitutiva speciei addat aliquam perfectionem generi?* statim quaestionem alteram illustraturus.

Resolutio.

DCCLXXXVIII. *Differentia duplex positiva & negativa.* DIco PRIMÒ, *Genera bifariam contrahi positivè & negativè.* Ita substantia in vivens & non vivens. Vivens subdividitur in sensibile & insensibile. Ecce species plurimae negatione constituuntur.

Negatio nō dicit perfectionem. SECUNDÒ. *Differentia negativa nullam addit perfectionem generi.* Patet, quoniam negatio ipsa perfectio non est, sed verae carentia perfectionis.

Omnis formalitas positiva est perfecta. TERTIÒ. *Differentia positiva semper addit aliquam perfectionem entitativam generi.* Constat, quia qualis et res est perfectio, unde apte D. Thomas (*in 2. dist. 13. q. 1. art 6. ad 1.*) *Habere intellectum sic, nobilius est quàm habere intellectum simpliciter: & habere sensum sic, quàm habere sensum simpliciter*; Accinit sibi *de spiritualibus creaturis art. 8. ad 9 & 1. p. qu. 50. art. 4. ad. 1. & quaest 57. art. 2. ad. 2.* subscribunt ferè omnes Doctores. Consultò dico *ferè omnes*, nam Scotistae, qui dicunt Personalitates Divinas esse formalitates positivas, & tamen nullam perfectionem imbibere, etiam possent eadem probabilitate dicere in creatis esse aliquas formalitates positivas, in quibus nulla reperitur perfectio: &, si semel ejusmodi possent formalitates admitti, cur non possent illarum censui aliquae differentiae adnumerari?

Perfectio duplex. QUARTO. *Non omnis differentia addit aliquam perfectionem radicalem generi.* De hac perfectione radicali exponendus est Oña *cap. de diff. quaest. 1. art. 5.* & moderni qui eum sequuntur apud Complutenses *ibidem. disput. 7 quaest. 5 num. 45.* Perfectio est duplex, alia essentialis seu entitativa, alia radicalis seu naturalis. Perfectio essentialis est entitatis nobilitas consideratae in ordine ad existentiam: Perfectio naturalis est nobilitas ejusdem entitatis comparatae cum operatione. Haec distinctio nascitur ex distinctione essentiae & naturae, quam expendit D. Angelicus. 1. *part.* Essentia enim ab essendo dicitur, & natura quà talis operativa debet esse. Perfectionis entitativae augmentum fit additione entitatis, sed naturae augmentum debet fieri additione alicujus formalitatis radicalis quae sit principium operationis alicujus. Sic substantia naturaliter augetur per vitalitatem, vivens etiam naturaliter augetur per sensibilitatem, omnes hae differentiae dicunt perfectiones naturales, sunt enim principia operationum. *Essentiae & Naturae discrimen.* *An differentiae sint operativae?*

An addi possit entitas & diminui vis? Potest contingere quod rei perfectio augeatur entitativè & diminuatur naturaliter. Considera hominem compedibus, manicis, & catenâ impeditum: haec omnia addunt ei entitativam perfectionem, quia entitativè loquendo perfectius est aggregatum, quod ex homine & ferro coalescit, quam homo tantùm. Naturalis autem hominis virtus diminuitur extrinsecùs, quia non potest progredi, qui anteà poterat, usuro enim vegetativâ vita catenae sunt impedimento.

Quo impedimenta sensu addant perfectionem? quo imperfectionem. Sic similiter in philosophicis discurrere nobis oportet. Oculi humor chrystallinus constituitur carentiâ coloris; nubecula oculo accidit, & chrystallum colorat, remanet oculus perfectior entitativè, quia habet colorem quem ante non habebat; remanet tamen imperfectior naturaliter seu operativè, quia hinc videre non potest, qui antè videbat.

Differentia propria. proprissima. perfectiva. Veniamus igitur ad differentias positivas constitutivas specierum. Sive illae propriae sint, sive proprissimae, veniunt eadem lege censendae. Si sint principium novae operationis, ut patet in vita & sensu, dicendae [illegible] addere naturalem & radicalem perfectionem. Si sine in causâ ut formalitas generica perfectiùs operetur, quamvis non addant novas operationes, genus ipsum perficiant, ac ideo dicendae sunt non addere novam perfectionem generi, sed augere generis perfectionem. *indifferens.* Si virtutem operativam generis nec impediant nec adjuvent, vocari debent naturâ ancipites, & indifferentes. *diminutiva.* Si inficiant, asserendum est eas diminuere generis virtutem in ordine ad operationem, sive quod idem est impedire: *impeditiva.* ut patet in aliquibus animantibus aliquo sensu captis. Quia si est verum illud, quod multi dicunt de talpa & pisce, quorum prior asseritur carere visu, alter olfactu, debemus dicere differentiam illam (sive propria illa sit, sive proprissima) quae contrahit animal ad esse piscium, aut privare aut impedire olfactum: illam, quae constituit talpam, aut tollere aut impedire visum. *An talpa visu, & pisces olfactu careant?*

Dilucidè & acutè, qui nunquam non acutè & non bellè. *De spiritualibus creaturis art. 8. ad 9.*

sic D.

sic D. Thomas, *illud quod constituit in specie est nobilius eo, quod constituit in genere, sicut determinatum indeterminato, habet enim se indeterminatum ad determinatum ut actus ad potentiam.* Ecce hucusque loquutus est D. Angelicus de perfectione entitativâ, quæ semper reperitur: ne autem crederemus generis perfectionem naturalem crescere adventu differentiæ cujuslibet, subjunxit. *Non autem ita. quod semper illud, quod constituit in specie, ad nobiliorem naturam pertineat, ut patet in speciebus animalium irrationalium. Non enim constituuntur hujuscemodi species per additionem alicujus naturæ* (hoc est principii operativi) *nobilioris supra naturam sensitivam, quæ est nobilissima in eis. Sed per determinationem ad diversos gradus in illâ naturâ.* Ergo ex mente Angelici Doctoris differentiæ illæ propriæ quæ constituunt varias animalium species, non addunt perfectionem naturalem, sed solùm determinant genericam eorum virtutem, aut verè impediunt in innumeris operationibus.

Notentur ... hæc ... ba.

Hinc doceot animantes differre per differentias proprias non proprissimas, hoc est, per accidentia characterica, ut suo loco explicabimus.

ARTICULUS VI.

An differentia sit nobilior genere?

DCCLXXXIX.

SI differentia negativa sit, non est quæstioni locus, quia certum est genus dicere aliquam entitatem positivam ratione cujus perfectius sit omni negatione. Si differentia præcisiva sit, est locus propositæ difficultati.

Resolutio.

Respondeo non esse necessarium, quòd differentia sit nobilior genere; imò & sæpè contingere nobiliora genera contrahi differentiis ignobilioribus. Leo exempli gratiâ, est animal rugibile. Rugibilitas (sive propria differentia sit, sive proprissima) non est nobilior sensibilitate, imò ignobilior multù. Resumam ex verbis D. Thomæ, quæ nuper citaveram, quæ mihi utilia. *Non ... constituuntur*, ait, *hujuscemodi species per additionem alicujus naturæ nobilioris supra naturam sensitivam, quæ est nobilissima in eis: sed per determinationem &c.* Igitur in Leone, videlicet in vivente sensibili rugibili, non est rugibilitas nobilissima formalitas, sed sensibilitas.

DISPUTATIO V.

De Proprio, & Accidenti.

DCCXC. *Prima Proprietatis acceptio:*

PRoprii varias acceptiones omitto; non enim Lexicon, sed Philosophiam tracto. Quatuor adducit Porphyrius, *Prima* est proprietas quæ convenit soli speciei, non autem omni individuo: ut esse Geometram; quod convenit soli homini, sed non omni: *Secunda* accidit toti speciei, sed non soli, ut bipedem esse, etenim dantur & pedes aves. *Tertia* convenit soli & omni non autem semper, ut dividi in corpus & animam permanentia. Convenit hoc soli & omni homini, non autem semper, sed in morte: ubi obiter noto exemplum Porphyrii non esse aptum, quia reverâ canescunt plurima animalia. *Quarta* est quæ appellatur *maximè propria* ut vertit Petronius: seu *verè propria* ut habet Argyropilus. Hæc unica, quæ utilis in præsenti. Pr[illegible]eatum proprium dico esse illud quod subjecto uni convenit, ubique & semper. Hoc in scholis dicitur proprium in quarto modo: vel quia constituit quartum Porphyrii prædicabile, vel quod est quarta expositio Proprii, inter illas quas idem author expeodit, cum de hoc prædicabili tractavit.

Secunda. *Tertia.* *Quarta*

Solent hîc authores superstitiosè inquirere, An proprii alii tres modi ad hoc prædicabile pertineant? Asserunt Lovanienses & Cantetus *cap. de propr.* Murcia *ibid. quæst. 1. in fine.* & Hurtadus *disput. 6. Logica. sect. 5. §. 21. & 22.* Secundum modum saltem ad hoc prædicabile spectare docuit Fonseca *5. Metaph. cap. 28. sect. 19.* Tertium modum admittunt teste Rubio *cap. de propr. quæst. 1.* Recentiores aliquot. Thomistæ tamen sequuntur suum Doctorem Angelicum *opusc. 48.* & asserunt solùm Proprium in quarto modo ad prædicabile reduci posse, omnes alias proprii acceptiones ad quintum protsùs pertinere. Ita Cajetanus, Jabellus, Sotus, Masius, Complutenses, Toledus, Oñ[illegible], Rubius, Conimbricenses, Gallegus, & alii *cap. de propr.* Arauxus *libr. 3. Met. quæst. 4. art. 7.* Sanchius *libr. 3. qu. 53.* Facilè omnes hos authores concilias. Quæstio de nomine est, non de re. Vide in quâ significatione velis accipere nomen Prædicabilis, & ex ejus significatione judicato.

In quâ acceptione Proprietas constituat quartum prædicabile?

DCCXCI. *Proprietas duplex.*

Proprietas est duplex. Constitutiva, & Non-constitutiva. Proprietas constitutiva speciei est eadem quæ differentia propria, quæ contrahit aliquod genus, & constituit aliquam speciem propriam. Sic frigiditas & siccitas sunt differentia propria Telluris, Corpori generi accidunt, & speciem (non proprissimam) sed propriam constituunt distinctam ab aliis elementis.

Proprietas non constitutiva, accidit rei constitutæ in suo esse, ipsi autèm convenit universaliter ubique & semper, ut esse risibilem, convenit soli & omni homini ubique & semper; non tamen constituit ipsum hominem, sed emanat ex homine jam constituto.

Utra huc pertineat? Petis, *An proprietas utraque* (nempè constitutiva, & non-constitutiva) *pertineat ad præsens prædicabile?* Si differentia propriissima sola pertineat ad tertium, dubium non est: debet utraque ad quartum spectare. Quod si velis differentiam propriam (hæc est proprietas cõstitutiva) reducere ad tertium, impunè poteris, quia hæc dispositio maxima ex parte ex nominis expositione pendet.

Respectu quorum sit universale? Inquiris, *respectu quorum Proprium sit universale?* Quid dicendum sit, patet ex iis quæ expendimus de differentiâ *disp. antecedenti art. 1.* Proprium respectu speciei, quam constituit, vel à quâ emanat, est prædicabile, non verò universale. Est universale respectu inferiorum speciei: Hæc enunciatio *Homo est risibilis*, pertinet ad quartum prædicabile, non verò ad quartum universale, quia *risibile* respectu hominis non est universale, sed respectu Petri, Joannis, & Pauli. Hæ enim & similes sunt propositiones de prædicato universali, *Petrus est risibilis. Franciscus est admirativus.*

DE ACCIDENTI.

DCCXCII. *Quid sit accidens?* INter alias definitiones accidentis illa est optima, quæ apud omnes admissa, nempè *Accidens est, quod adest, & abest absque subjecti corruptione.* Et quia Accidens est duplex reale & formale: Accidens reale illud erit, quod realiter adesse & abesse poterit: formale illud, quod potest abesse formaliter: videlicet, quod identificatur rei, at est extra ejusdem conceptum illud, sine quo res potest intelligi.

Porphyrius accusatur: Avicenna & Alpharab. & alij Arabes (testis mihi Magnus Albertus *tract. 7. Logica. cap. 1.*) Porphyrium carpunt, quod statim ordine & methodo mutatis accidens diffinierit. Expedivisset potiùs in eorum sententiâ aliquas priùs Accidentis acceptiones & expositiones declarasse.

& defenditur. Sed injustè reprehenditur, qui potiùs deberet in eo culpari, quod aliquando potiùs egerit Grammaticum quàm Logicum aut Metaphysicum. Explicuit vocum significantias, non quia hoc sibi argumentum proposuit, sed quia aliter non poterat intento propositoque satisfacere. Ideò exposuit voces, quibus indigebat, imò quando indigebat. In præsenti prædicabili non erat dubio locus; quia quidquid non pertinet ad quatuor prima, ad hoc debet necessariò reduci.

Hoc ultimum perpendens, nec unum verbum de prædicabili accidentali addam.

UT *meliùs Prædicabilium doctrina cognoscatur, nonnulla Dubia & eorumdem Solutiones subscribo: quæ peto accuratè legantur.*

DUBIUM I.

An possimus Prædicabile quartum negare?

DCCXCIII. *An omnia accidentia sint communia?* DUos sensus habere hoc dubium potest: nã vel quærimus, *An bene aliquis diceret omnia accidentia esse communia, nec designari aliquod posse, quod omni soli semper & ubique conveniat?* vel quærimus, *An bene aliquis diceret risibilitatem v.g.* (& idè de cæteris prædicatis, quæ *propria quarto modo* dicuntur) *esse differentiam genericam, hucusq; ab Authoribus male explicatam?* *An proprietates sint differentiæ?* Et quidem uterq; Quæstionis sensus examine & consideratione est dignus, attentumque Lectorem meretur.

DCCXCIV. *Resolvitur Dubium, juxta sensũ primum. An apta exempla reperiantur?* QUi Porphyrium religiosè sequuntur, maximè allaborant in congruis exemplis designandis: doctrina enim benè disposita videtur, si exempla suppeterent, quæ distribui commodè possent per illas quatuor Proprietatum classes.

Proprium primo modo dicunt, quod accidit alicui soli speciei, sed non omni individuo: ut esse Grammaticum respectu Hominis. At Angeli Grammaticas idiomatum nostrorum sciunt: & nescio, cur hoc unico nomine non sint etiam Grammatici. *An Angeli Grammatici sint?* Imò dantur linguæ cœlestes & Angelicæ, quod Paulus Apostolus dicens, *Si linguis hominum loquar & Angelorum loquar*, &c. videretur supponere. *Lingua Angelica.* Et, si asseras linguas Angelorum esse intellectuales & non Grammaticas, non te expedies, quia probabile est, non per conceptus Angelos, sed per signa cogitationes suas manifestare. *Quomodo loquantur Angeli?*

Proprium secundo modo dicunt, quod omni & non soli accidit: ut habere duas pedes; quod homini omni convenit, licet non soli; nã & aves sunt bipedes. *Sciapodes. Monosceli. Unipedes.* At hoc exemplum non subsistit, nam seperti sunt Schiapodes, qui unico eoque magno pede instructi velocissimè currunt, Plinius libr. 7. cap. 2. *Hominum genus est, qui Monosceli vocantur, singulis cruribus, miræ pernicitatis ad saltũ, qui & Sciapodes vocantur, quòd in majori æstu jacentes resupini umbrâ se pedum protegant. Non longè à Troglodytis absunt.*

Proprium tertiò modo, quod omni soli, non tamen semper accidit, ut canescere respectu hominis: illi enim omni & soli, non tamen semper cani, sed in senectute conveniunt, ut opinabatur Porphyrius. *An etiam animantes canescant?* At experientia docet canes, equos, corvos, & alias multas animantes canescere.

Propriũ quarto modo, quod convenit omni soli ubiq; & semper: ut Risibilitas respectu hominis: omnis enim homo, ut ajunt, ubique & semper est risibilis. At Viennæ Austriæ in promotione Philosophicâ P. Angelus Brogolius S. I. me præsente conatus est ostendere, Equos, Elephantes, Canes, & alias nonnullas animantes, etiam esse risibiles. *An bruta risibilia sint?*

Posset igitur aliquis dicere non videri impossibile, ut Deus præter accidentia cõmunia, etiã propria producat; at hucusq; ne unicum quidẽ condidisse, quod Modis Porphyrianis respondeat. *Prædicata propria videntur reperiri non posse.* Ergo, si velit subtiliter rem meditari Logicus, poterit pace Porphyrij totum illud Prædicabile quartum expungere, & relinquere hæc quatuor, *Genus, Speciem, Differentiam, & Accidens.*

Qui

DCCXCV. *Resolvitur Dubium juxta sensum secundum.*

QUi negant differentias communes, & volunt divisivas generum & constitutivas specierum esse propriissimas, & cum specie quam constituunt converti, si admittant prædicata (& nota id benè) quæ conveniant omni soli & semper, adhuc poterunt negare quartum Prædicabile Porphyrij, & hæc eadem prædicata ad tertium, hoc est, ad differentiam reducere. Sed quomodo? Jam dico.

An potentia volitiva sit intellectivæ proprietas?

Ajunt Voluntatem esse passionē & proprietatem Intellectûs adeoque omne intellectivum esse volitivum: & existimant S. Thomam, Deū esse volitivum clarè demonstravisse illo argumento, *Est intellectivus, Ergo & volitivus.* Addunt Admirationem esse attributum & proprietatē, Intellectum & Voluntatem consequentem: omnis enim homo naturaliter scire desiderat, & quando aliquid videt, cujus causam ignorat, in admirationem rapitur, & hic affectus est quædam potentiarum rationalium proprietas.

An & enim sit admiratio proprietas?

Subjungunt Risibilitatem esse sensûs, intellectûs, & appetitûs proprietatem: cùm enim homo videt, quod placet, attidet; & iste affectus non est intellectio aut volitio, sed aliquid actus hos subsequens.

An & risibilitas?

Et quid quæso, si quis categoriam substantiæ ab Animali descendendo (nam superiores gradus alibi posuisse, & etiam exposuisse me memini) ad has lineas & specierum ordinem subalternum reduceret.

Animal seu Vivens sensibile	*Appetitivum*	*Rationale*	*Volitivum*	*Admirativum.*	*Risibile.*	*Petrus. Ioannes.*
	Non appetitivum	*Irrationale.*	*Non volitivum.*	*Non admirativum*	*Non risibile.*	*Franciscus. Fridericus.*

DCCXCVI. *An possit creari sensitivum, quod appetitivū non sit?*

Singulas divisiones expono. Animal est vivens sensibile. Posse Deum producere animantes, quæ appetitivæ nō sint multi docent Philosophi & Theologi. Ergo poterit Animal in Appetitivum & Non-appetitivum dividi. Animal non appetitivū non est creatum a Deo; at ideo non debet perdere suum locum in prædicamento Substantiæ.

An etiam creatura possibiles habeant locum in prædicamentis?

Animal appetitivum subdividitur in Rationale & Irrationale. Condidit Deus multas Irrationalium Animalium appetitivorū species: & Rationalium potuit duas, Volitivam & Non-volitivam. Nondum condidit Homines non-volitivos: at qui illos repugnare demonstret, magno ingenio pollebit.

An possit creari intellectivū, quod non sit volitivum?

Arriaga disp. 11. de Animâ, num. 127. & tractatu de voluntate Dei disp. 24. sect. 1. num. 1. nullam in hoc dari repugnantiam ostendit. Homo Volitivus in Admirativum & Non-admirativum subdividitur: &, si admiratio ex effectuum notitiâ & causarum ignoratione nascitur; & est probabile posse Deum creare mentem aliquam limitatam, quæ aliqua objecta & non alia cognosceret, quod docet Arriaga libr. de Animâ, disp. 6. num. 6. pag. 725. admirationis esset incapax, qui vel nullum effectum, vel omnem causam nosceret: aut etiam ille, qui eorum effectuum, quos cognosceret, causas non ignoraret.

An limitatam ad aliqua tantū objecta?

An incapax admirationis?

An incapax risibilitatis?

Homo admirativus dividi adhuc ut genus in species posset in Risibilem & Non-risibilem: nam si potest Deus homines non-volitivos, cur non poterit non-risibiles condere?

DCCXCVII. *An Christus differat à nobis specie? An fuerit risibilis, & admirativus?*

Objicies. Ex hac dispositione Prædicamenti sequi Christum non benè convenire nobiscum, sed specie aut etiam genere à nobis differre. Primò enim, ais, Christum risibilem non fuisse: non enim legimus illum unquam risisse. Et secundò non fuisse admirativum: scivit enim omnia, & qui omnia scit, admirationis non est capax.

An riserit?

Respondeo, Christum fuisse risibilem. Ex eo enim, quod non legatur eum risisse, non sequitur risum illi negandum. Habuit quidem ridendi potentiam. An & actum? risum indecentem non habuit: at modestum subrisum cū gravitate conjunctum, cur negavero? Addo Christum fuisse admirativum: licet enim scivit omnia, quorum notitiâ indiguit, fortè nescivit aliqua, quorum notitiâ non egebat: unde Doctores Lovanienses interdum me præsente propugnarunt in Christo, etiam quà homine, ignorantiam non fuisse, nescientiam fuisse: & vocum rogati differentiam dicebant, ignorantiam importare defectum, at multa nesciri, quorum notitia & cognitio noceret. At usus non approbat horum nominum ab illis inventam distinctionē.

An omnia scieverit?

Ignorantia & nescientia discrimen.

Præterea Esto Christus nihil ignoraverit, nihil nescìverit, quid inde, si multa potuit nescire & ignorare? possemus dicere eum nunquam elicuisse actum admirationis, at habuisse potentiam, quâ uti poterat.

An Christus aliqua ignorare potuerit?

Tandem, licet dicatur, nequidem potuisse admirationis actum elicere, non deberet ad aliud hominum genus reduci: quia etiam dicitur Christus non potuisse peccare: non quod careret libero arbitrio, quòd in nobis peccatorum est fons: sed quòd habeat illud gratiâ & præcipuè unione hypostaticâ munitum & fortificatum, ut in sensu composito labi nequeat: ergo similiter possemus dicere sanctissimam Christi humanitatem bifariam posse considerari, aut secundum essentiam suam, aut secundum dotes superadditas: nam licet habitus scientiarum naturalium & supernaturalium infusi mentem illuminent & omnem ignorantiam tollant, ignorantia non repugnat Animæ Christi secundum sua prædicata essentialia consideratæ.

An potuerit peccare?

Sensus compositus.

Christi humanitas dupliciter considera-tur.

DUBIUM II.

Quid sit prædicari in quid: in quale: *&* in quale-quid?

DCCXCVIII. *Propositio essentialis, & accidentalis.*

IN propositione *in quid* prædicatum est de essentia subjecti: in propositione *in quale*, prædicatum est accidens, & ideò extra essentiam subjecti: sed quid dicemus de prædicato *in quale quid?*

An eadem res possit prædicari in quale, & in quid?

Primò, hoc sumi debere disiunctivè, ita ut differentia vel *in quale*, vel *in quid* possit prædicari; nunquam tamen simul prædicetur utroque modo; eadem enim differentia prædicatur de genere ut qualitas; & de specie, quam constituit, ut quiditas: ut patet in his accidentalibus propositionibus, *Vivens est sensibile. Vivens est insensibile. Animal est rationale. Animal est irrationale.* &c. & in his essentialibus, *Animal est sensibile, Homo est rationalis.* &c.

An substantia possit modo accidētali prædicari?

Secundò hoc ipsum sumi copulativè, quod sic intellige. Substantiva dicuntur prædicari *in quid* & essentialiter; adjectiva *in quale* & accidentaliter. Cùm ergo Differentia sit de substantiâ speciei, & tamen sit nomen adjectivum, considerata secundum id quod prædicatur, propositio est essentialis & *in quid*: & secundum modum, quo prædicatur, est accidentalis & *in quale*: unde prædicatur *in quale-quid*: quia est formalitas quædam essentialis quæ adjectivè adeòque tanquam adjecta & accidens prædicatur.

DUBIUM III.

Vtrùm Prædicabilia substantivè an verò adiectivè sumantur.

DCC XCIX. *Duplex prædicationū modus.*

CОnsiderari jussi aliquando Propositiones subsequentes; videlicer.

Homo est animal.	*Homo est animalis.*
Petrus est homo.	*Petrus est humanus.*
Petrus est rationale.	*Petrus est rationalis.*
* * * *	*Petrus est visibilis*
* * * *	*Petrus est albus.*

Et colligo duobus modis fieri prædicationes (adjectivè & substantivè) substantivè nec solent nec possunt prædicari accidentia: ad substantiæ substantivè & *in quid*, & adjectivè & *in quid ut quale* prædicantur.

An differentia substantivè sumatur?

Te non vidisse apud Philosophos ais, hæc & similia substantiva: nimirùm, *Vegetabile, Sensibile, Rationale.* &c. omnes enim quotquot scripserunt hucùsque illis utuntur adjectivè. Et respondeo non omnes illis usi adjectivè, ut putas: nam apud Valerianum Magnum & alios substantivè ponuntur. Addo voces debere servire conceptibus, & quia rationalitas substantia est, posse & debere prædicari ut *Animal*: quod & substantivè & adjectivè prædicatur. Ergo, qui *Homo est animal*, & *Homo est animalis* dicimus; etiam *Homo est rationale*, & *Homo est rationalis* dicamus. [Et hîc obiter nota Universale Prædicabile, Individuum, &c. substantivè etiam sumi, sæpè enim legimus, *Speciem esse Vniversale: Differentiam esse Vniversale. Materiam esse individuum.* &c.]

Vniversale & Prædicabile an nomina substantiva sint?

DUBIUM IV.

An addendum sextum Prædicabile sit propter Individuum vagum?

MUlti existimant Individuum vagum Speciemque nullo modo distingui: & consequenter Indefinitam Particularemque confundunt, saltem in materiâ contingenti, [quoniam in necessariâ indefinitam putant universali æquivalere] asserentes coïncidere terminos indefinitos & particulares; ut videre est in sequentibus propositionibus. DCCC. *An Species ab Individuo vago distinguatur? An indefinita particulari, an verò universali æquivaleat?*

Petrus est homo. / *Petrus est aliquis homo.*	Æquipoll.
Homo currit. / Aliquis homo currit.	Æquipoll.
Homo est animal / *Omnis homo est aliquod animal.*	Æquipoll.

Multi contrà, indefinitos terminos & particulares distinguunt. Et quia summâ aliqui inconsequentiâ laborant, quid debeat dici, aut non dici, requiris.

Respondeo in Individuo vago præter rationem universalem concipi indeterminatam contractionem: quæ non dicitur necessariò in specie: quam ob rem in Scholâ, quæ admittit Universale confusum, Species & Individuum vagum non distinguitur: at in Reali, Modali, & Formali, aliud est dicere *Hominem*, aliud *Aliquem hominem*. Si enim daretur *Homo Platonicus* à parte rei, ille non esset individuum vagum, sed species: *Aliquis* enim *homo* est homo contractus, cujus tamen contractio non exponitur: aliud enim est considerare *Hominem* non consideratâ contractione; & aliud considerare hominem affectum indeterminatâ aliquâ contractione. *Quid sit individuū vagum? An Homo Platonicus esset Individuum vagum?*

Hinc patet quid sit respondendum Quæstioni: nam qui admittet Universale Confusum, tenebitur consequenter dicere Individuum vagum non distingui à Specie: at cæteri illud esse prædicatum contractius Specie, & abstractius Individuo determinato. *Individuū vagum est prædicatū inter singulare & speciem.*

* * *

LIB.

LIBER VII.

De Propositionibus.

DCCCI. EGimus de illis variis locis, & libris de Animâ iterùm acturi sumus; semperque erit aliquid quod indigeat examine & illustratione: nunc tamen nonnulla diluam dubia, quorum penitiore notitiâ Dialecticus carere non potest.

Dubium Proœmiale.

Et quidem in ipso limine occurrit, *An Iudicium sit simplex qualitas?*

Respondeo nihil hîc fuisse demonstratum aut demonstrandum, & hanc ob rem unamquamque Scholam posse opinionem eam defendere, quæ suis Principiis & Dogmatibus consonat. *Reales* igitur, dicant propositionem Mentalem esse compositam realiter: nimirùm tribus actibus (subjecto, prædicato & copulâ) quibus & Vocalis componitur. Et, si noline tres actus admittere, affectant Propositionem constare duobus (subjecto & prædicato) & quia isti duo actus copulantur (& quomodo? ut duæ partes Continui: aut ut potentia & actus) non indigere actu tertio, quo copula significetur. *Modales* dicent uniones esse modos, & possent duci rationis paritate & addere, copulam mentalem modum esse. *Formales* judicium esse simplicem qualitatem asserent, formaliter tamen compositam tribus formalitatibus, quæ respondeant subjecto prædicato & copulæ; at peterem, ut & ipsi legerent Grammaticam audacem, & præcipuè à num. 295. *Expressivi* tenent propositionem esse simplicem qualitatem, & in eâ non dari formalitates intrinsecas, sed extrinsecas.

An unio sit modus? An propositionis copula sit modus?

P. Comptonus *disp. 21. de Animâ sect. 2.* Formalium opinionem tuetur, at ibi (quod alibi annotasse meminerim) rationes ponit, quæ vel debiles sunt, vel solent ab adversatiis sæpè, tanquam objectiones opponi. Cæteri etiam tela debilia torquent, est enim obscura materia, & omnia, quæ voluerit, in illâ poterit ingeniosus Philosophus affirmare aut negare.

An aliquid certò decidi possit?

DISPUTATIO I.

De Propositionibus quoad se, & quoad nos.

DCCCII. OCcurrunt statim propositiones per se notæ, quarum aliæ dicuntur per se notæ quoad se, aliæ quoad nos: &, si nihil aliud succurreret, Metalogica mea hac disputatione careret; non enim tanti illam divisionem Propositionis facio, ut multis eam vellem expendere. At, quia sunt multa, eaque subtilissima, quæ in istâ distinctione fundantur, illam explicandam suscipio, *acturus primò* de Propositionibus per-se-notis secundum se, & de per-se-notis secundum nos: & hinc occasione sumptâ de illis, quæ sunt per-se-notæ secundum se & secundum nos simul; & de illis, quæ neq; sunt per-se-notæ secundum se, neque secundum nos, Agam, inquam, de hac divisione primo loco, quoniam de duobus prioribus ejusdem membris multa apud Authores, & præcipuè Theologos sum reperturus, quibus me dirigam ulteriùs. *Agam secundò* de propositionum veritate; aliæ enim sunt veræ quoad se, aliæ quoad nos, aliæ neutro modo: & aliæ utroque. *Disputabo tertiò*, de universalitate propositionum; quarum aliæ sunt universales quoad se, aliæ quoad nos, aliæ etiam utroque modo, aliæ autem neutro. *Et quartò*, de propositionum particularitate; sunt enim aliquæ particulares & indeterminatæ quoad se, aliæ quoad nos; aliæ neutro, & aliæ utroque modo.

De per se notis quoad se, & quoad nos.

De veris quoad se & quoad nos.

De universalibus quoad se & quoad nos.

De particularibus quoad se & quoad nos.

DCCCIII. Volui hîc integram Logicam breviter conformare; hæc enim divisio, *quoad se, & quoad nos* non solum Propositiones afficit, sed & terminus, & syllogismos.

Terminos? quia sunt multæ res inintelligibiles secundum se, & intelligibiles secundum nos: (tot enim præjudiciis laboramus interdum, ut nos intelligere & capere putemus, quæ intelligi & capi non possunt:) multæ contrà sunt inintelligibiles secundum nos, & intelligibiles secundum se: aliæ utroque sunt modo, & aliæ neutro. Hoc multi Philosophi observarunt & adnotarunt. P. Valerianus Magnus

De rebus intelligibilibus quoad se & quoad nos.

in suis Axiomatibus. cap. 3. pag. 12. §. Hinc quaestio. *Inintelligibilitas est duplex.* duos praecipuos inintelligibilitatis modos edisserit, dum ait: [Scito igitur, Theophile, inintelligibilitatem esse duplicem: una respicit imperfectionem intelligentis (puta Quadra- *Impossibile est inintelligibile.* turam Circuli, quam nos homines ignoramus, etiamsi Angeli fortassis eam intelligant:) altera est absoluta (puta Triangulum rectilineum, habens tres angulos majores duobus rectis: haec enim figura est impossibilis, & consequenter est absolutè inintelligibilis.)

DCCCIV. *De syllogismis bonis quoad se, & bonis quoad nos.* *Syllogismos?* Reperio enim interdum bonas illationes quoad se: bonas quoad nos: bonas utroque modo: & bonas neutro: imò bonas quoad hos, & non quoad illos: haec enim,

An intellectivum inferat volitivum?

Deus est intellectivus:
Ergo per consequens est volitivus.

apud Thomistas est demonstrativa, & nullius ponderis & momenti apud alios. Vide Henze *disput. 11. num. 5.* qui Angelicum Doctorem, Cajetanum & Thomistas tuetur: & Arriagam *tractatu de volunt. Dei disput. 24. sect. 1. num. 2.* qui doctrinam Thomistarum impugnat. Et quidem difficultatem distinguendi inter bonum & malum syllogismum multi senserunt & exposuerunt, & non omnes illationes, quae sunt bonae aut malae quoad se, esse tales quoad nos, diligenter notarunt, & inter illos Magnus, *in libello Axiomatum. cap. 2. pag. 9. §. Neque existimes.* sic ait. [Experiens frequentissimum eximiumque solatium ex evidentissimâ incom- *De consequentiis obscuris & reconditis.* mutabilitate hujusmodi propositionum: saepiùs enim infertur conclusio tam recondita, tantique momenti in Philosophiâ, ut trepidi exhibeamus nostrum assensum. Verùm conjecti in eam necessitatem, quae nos compellat, aut assentiri illatae conclusioni, aut negare Ens esse seipsum, intrepidi assentimur illatae conclusioni. &c.]

Omissis igitur terminis & syllogismis *quoad se, & quoad nos*, de propositione *quoad se, & quoad nos* & illâ de terminis congeneribus, & ex illâ de syllogismis congeneribus, disputaturi sumus: & licet uberiùs possemus, quia finem imponere volumus Scientiae tantùm non infinitae, omnia breviter examinabimus.

ARTICULUS I.

De Per-se-notis quoad se & quoad nos.

DCCCV. VOcant nonnulli *Persenotas*, positiones, quas probare non possunt; &, si discurrunt benè, erit eis per se notum, Turcam modò dolere capite, & Turcam modò non dolere capite, quia neutrum efficaciter probare possunt. Sanè persenotas non posse probari, certum est: at omnes, quae probari non possunt, esse persenotas, evidenter est falsum.

Quae sit propositio per se nota? Quid ergo, ut sit propositio per se nota, requiritur? ut tam necessaria sit, ut cognitis terminis cognoscatur. *Talis est ista, Triangulum est figura habens tres angulos.* quae tam est clara, ut non indigeat quis alio duce, quàm solâ intelligentiâ terminorum: qui enim sciat, quid significet haec vox *Triangulum*, & quid ista, *Figura habens tres angulos*, hoc ipso subjecti & praedicati necessariam connexionem percipiet, & assensum praebebit.

Propositio per se nota est sextuplex: Idem- DCCCVI. *Quotuplex sit?* tica, Definitiva, Generica, Differentialis, Specifica, Propria seu Illativa: sed haec ultima potiùs immediata dicitur, quàm per se nota. In duabus prioribus (videlicet in Identica & Definitivâ) praedicatum dicitur adaequatè & completè: in aliis duabus (Genericâ & Diffe- *Genus & Differentia* rentiali) inadaequatè & incompletè: in quintâ *praedicantur incompletè: species an completè?* (nimirùm, specificâ) dubio modo: alii enim specificam praedicationem completam esse statuunt, & alii incompletam esse contendunt: quorum dissidium partim à vocum acceptione, & partim à diversitate opinionum circa naturam & ingenium individuationis & singularitatis dependent. [Vide librum de Praedicabilibus disput. 2. articul. 4.] In ultimâ *Quid sit proprietas?* praedicatum non clauditur in subjecto, sed ab eo evidenter infertur per necessariam terminorum connexionem, ita ut subjecto cognito praedicatum ignorari non possit. Omnia exemplis dilucido.

Primò enim, quis negabit has propositiones DCCCVII. *Assertiones Dagani.* esse veras, *Petrus est Petrus*; *Homo est homo*, *Animal est animal*? Hae sunt illae Assertiones, quas Identicas vocitat Logicus, quas fastidit Politicus, & nimiae veritatis aut etiam claritatis condemnat, & Latinè agens, *Positiones Dagani*, & Hispanicè, *Verdades de Pedro Grullo* appellitat: *Verdades de Pedro Grullo.* unde Berengarius Scholasticus, Discipulus Petri Abaëlardi, in Apologiâ pro suo Magistro contra Senonense Concilium & Mellifluum Bernardum (mihi cap. 12.) carpens nimis *Bernardi Tractatus de diligendo Deo.* veras sententias, quibus Tractatus de diligendo Deo fundatur, sic inquit. [Sic philosophantur in textrinis aniculae. Sic propositiones Dagani cum joco mirari solemus: cujus propositionibus aliquas exempli gratiâ interseram. *Filius, inquit, sum matris meae. Placenta est panis. Caput meum est grossius pugno meo. Cùm meridies est, dies est.* &c. Quis est cui, auditâ tam ridiculâ veritate, risu labia non quatiantur? &c.] Sed fortè identicae propositiones ad linguam & non ad mentem pertinent; verùm hoc alibi examinabo.

Secundò Propositio definitiva est per se nota, DCCCVIII. *Definitio.* exprimit enim in praedicato duobus verbis (conceptibus) aut pluribus, quod unico in subjecto exprimebat. Ut *Homo caecus est homo carens visu*: quis enim, quaeso, negare poterit hanc assertionem? & quis, quaeso indigebit discursu, ut illi assensum praebeat? qui enim sciat, quid significet haec vox *Homo caecus*, & quid haec, *Homo carens visu*, ex ipsâ connexione & coincidentiâ terminorum intelliget datam propositionem esse veram.

Sanè, si interroges, An definitiva sit iden- *An propositio definitiva sit identica?* tica? respondebo, formaliter loquendo non esse; quia clariùs praedicat de obscuro; & formaliter loquendo clarum & obscurum non sunt idem.

Tertiò

DCCCIX. *Propositiones per primo & tertio prædicabilia.* Tertiò istæ propositiones *Homo est animal, Homo est rationalis*, reddunt hunc sensum; *Habens humanitatem* (*hoc est, animalitatem & rationalitatem*) *habet animalitatem. Habens humanitatem* (*hoc est, animalitatem & rationalitatem*) *habet rationalitatem*: adeòque sunt similes istis; *Qui habet pileum & clamydem, habet pileum. Qui habet pileum & clamydem, habet clamydem*: quas quis quæso, qui terminorum significationem intelligat, negare poterit?

DCCCX. *Propositio per quartum prædicabile.* Quartò hæc propositio, *Triangulus est figura descripta tribus lineis*, aliquid dicit in prædicato, quod non dixerat in subjecto, sed tam clarè connexum cum subjecto, ut qui Δ triangulum attentè inspiciat, certissimè visurus sit, tres angulos habere debere tres lineas, & tres lineas eoire debere in tres angulos. Huc poterunt propositiones quarti Prædicabilis Porphyriani reduci: quoniam proprietas est aliquid quod non clauditur in subjecto intrinsecus, at tantam habet connexionem cum illo, ut qui subjectum probè intelligat, non possit prædicatum negare.

De Persenotis quoad se, & quoad nos.

DCCCXI. *An divisio sit bona?* Magna est inter Thomistas & Scotistas disceptatio, de istâ Persenotæ propositionis divisione. Thomistis asserentibus hanc divisionem esse necessariam & bonam assentitur Valentia *disput. 1. quæst. 2. punct. 1.* & Scotistis contendentibus esse superfluam subscribit Arriaga *tract. de Deo uno. disput. 2. sect. 1. num. 1. pag. 27.* At Ego imprimis desiderò auferri æquivocationes & rem ipsam nudè considerari; & pronuncio quatuor esse Persenotarum propositionum classes: aliæ enim sunt per se notæ quoad se: aliæ quoad nos; aliæ utroque modo: aliæ neutro.

Vide Vasquez. disp. 19. nu. 6.

Per se notæ quoad se. Persenotæ quoad se, sunt omnes propositiones necessariæ, quæ non benè intelliguntur à nobis: istæ enim habent omnia requisita intrinsecùs, ut sint persenotæ quoad nos; & & tamen quoad nos persenotæ non sunt, defectu notitiæ; hæc enim propositio, *Triangulus est figura tribus lineis descripta*, est clarissima secundum se: at respectu rustici, qui nesciat, quid significet vox *triangulus*? quid vox *figura, linea*, &c. erit obscura, ignorata & incerta.

Per se notæ quoad nos. Persenota quoad nos, & non quoad se; illa est, quæ non est necessaria, & tamen nobis aliquo præjudicio præoccupatis necessaria videtur; ut hæc, *Omne intellectivum est necessariò volitivum*, quam ajunt Thomistæ esse persenotam & claram, unde hanc ipsi demonstrationem eruunt, *Omne intellectivum est volitivum: Deus est intellectivus: Ergo & volitivus*: cùm tamen multi contrà dicant, majorem illam esse evidenter falsam, & syllogismum nihilominùs evincere, atque adeò non esse demonstrativum. Et quidem, si hoc verum (nota illud *si*) illa major non est per se nota quoad se, sed quoad homines; & non quoad omnes homines, sed quoad Thomistas. Cæterùm, si sententia Thomistarum est vera (nota etiam istud *si*) illa major erit necessaria, adeòque quoad se & quoad Thomistas per se nota.

Intellectivum est necessariò volitivum?

Tandem omnes propositiones falsæ, & contingentes veræ, si cognoscantur ut sunt (nota etiam hoc *si*) nec erunt per se notæ quoad se, nec quoad nos.

Hæc est doctrina, quam verissimam puto; at quia alij duobus tantùm membris prioribus hujus divisionis contenti sunt; & alij totam omninò divisionem censent esse superfluam, hanc ob rem aliquid subilcere libuit, ut eorum auditis & examinatis fundamentis, sententiam nostram securiùs propugnare possimus.

Arriaga opinio.

DCCCXII. Stat contra Thomistas & nos P. Rodericus Arriaga: & quia magno pollet ingenio, existimo cæteris iri satisfactum, si illi clarè & manifestè satisfiat. Ipse igitur *tom. 1. Theol. disp. 2. sect. 1. num. 1.* sic discurrit.

An divisio à nobis posita sit persua? Arbitratur primò eum Scoto *apud Vasquez. disput. 19. num. 6.* eam distinctionem esse superfluam. Ut id ostendat, supponit, quod omnes admittant propositionem veram in communi dividi in per se notam, & non notam per se. Unde infert aliquas debere esse per se notas, aliquas non notas per se; alioquin frustra traderetur ea divisio, quæreretur que, an aliqua propositio sit per se nota, si omnes necessariò essent tales. Et Ego omnia concedo, & quomodo usurus sit hac doctrinâ videbo.

Propositio duplex: per se nota, & non per se nota.

DCCCXIII. Hinc secundò infert, quando membrum illud, *propositio per se nota*, dividitur in per se notam secundùm se, & per se notam quoad nos, non debere dividi alterum membrum illi oppositum, id est, *propositio non nota per se.* Et hæc omnia sunt vera. At his positis probare vult Arriaga divisionem sub initium positam non esse bonam. Et cur? Nam in uno ejus membro comprehenduntur omnes propositiones veræ, cùm tamen (ut paulò antè supposui) debeant multæ non comprehendi, omnes scilicet illæ, quæ dicuntur non per se notæ simpliciter, ergo, &c. Probat primam partem antecedentis: nam nulla est propositio vera, quæ in se non sit per se nota; id est, quæ si clarè cognoscatur, non appareat per se nota: ergo nulla est, quæ hac divisione non comprehendatur, etiam illæ quæ ad extremum oppositum pertinent: quod est absurdum. Sed hæc ratio non urget, aliud enim est propositionem esse veram, & aliud per se notam: hæc enim, *Petrus est albus*, licet sit vera, non erit per se nota, non enim qui cognoscat terminos assentietur; neque ex subjecto inferet intrinsecum prædicatum, quoniam hæc consequentia, *Est homo, ergo est albus*, est extrinseca & mala.

An omnis propositio vera, sit quoad se per se nota?

An sit per se nota quoad Deum? An quoad Angelos? Probat suam opinionem iterùm; nam videtur esse repugnantia in terminis, dum dicitur, *Propositio per se nota secundùm se, & non quoad nos.* Vel enim per *illud nos* excluduntur non solùm homines, sed etiam Angeli, & Deus ipse cognoscens; & tunc termini implicantur: nam veritas

veritas non noscitur à se, sed ab aliquo cognoscente, unde non debet dici nota quoad se; & non quoad ullum cognoscentem: vel excluduntur soli hominea, & tunc impropriè vocatur ea nota secundum se; sed debuisset dici, *alia est per se nota quoad nos, alia quoad Angelos & Deum*, & sic clariùs procederetur: facilè

An Deo & Angelis omnia sint per se nota?

tamen tunc reijci potuissent, eò quòd dum dividitur communiter propositio in per se notam, & non notam, solùm est sermo de nobis: nam vel Angelo vel Deo omnia sunt per se

Per se nota propositio duplex: potentiâ & actu.

nota: ergo per se nota non deberet rursùm dividi in per se notam nobis, & per se notam Angelo aut Deo. Sed dico illam esse per se notam secundum se, cujus prædicatum est de quidditate subjecti, etiamsi ea connexio non sit nobis nota: ita id videtur D. Thomas declarasse, & fusè P. Tannerus *disp. 2. quæst. 1. dub. 2.* Et, ut rem meliùs intelligas aliis Ego verbis

An passiones sint per se notæ?

eandem divisionem repono. Dico propositionem per se notam esse duplicem: nimirùm per se notam potentiâ, & per se notam actu. Per se nota potentiâ illa est, quæ habet secundum se omnia necessaria ut sit per se nota quoad nos, & ideò non est talis, quia nos aliqua notitiâ necessariâ caremus. Per se nota actu est illa quæ etiam quoad nos est per se nota.

Hæc est D. Thomæ sententia, hæc illustrium Virorum; at displicet Arriagæ, quoniam hoc sensu essent etiam per se notæ secundum se omnes rerum definitiones, proprietates & passiones, item possibilitates omnium creaturarũ in particulari, quia de eorum subjectorũ quidditate essent ea prædicata; hoc autem procul dubio est extra mentem omnium. Quandò

An Deum sit per se notum?

enim Scotus & alij dixerunt, *Deum esse* nullo modo esse per se notum, non voluerunt dicere, prædicatum *esse* aut cætera quæ de Deo affirmãtur, non esse illi essentialia; hoc enim à nemine negatur; ergo non intellexere nomine propositionis *per se notæ* eam, in qua prædicatum secundum se convenit subjecto. Respondeo nos jam exposuisse, quid *Per se nota* nomine intelligendum sit: & consequenter ajo, omnes propositiones definitivas, omnes primi, secundi, & tertij prædicabilis esse per se notas. Addo propositiones quarti prædicabilis esse illativas: & quinti non esse per se notas. Si aliter philosophetur Scotus, erit audiendus & impugnandus: sed modò audire debemus Arriagam:

DCCCXIV *An propositio contingens sit per se nota?*

Sic enim arguit. Etiamsi prædicatum non sit de quidditate subjecti, sicut albedo quæ non est de quidditate lactis & pariens; dicit tamen Valentia *suprà*, esse per se notum & in se, & quoad nos, eo quòd nos clarè id intuentes, non possumus aliundè id probare: ergo cum respectu Angeli & Dei aliæ omnes veritates sint per se notæ, sine dubio etiam erunt in se per se notæ, & consequenter nulla erit non per se nota, ut suprà inferebam: ergo non consistit esse per se notum secundum se, in eo quòd prædicatum sit de essentia subjecti; ergo neque hoc modo potest salvari ea divisio. Et respondeo Per se notum quoad nos esse per se notũ nobis; nempè nobis hominibus: quia hîc nec agimus de Deo, nec de Angelis. Addo Valentiam confundere Propositiones per se notas & veras: veræ enim aliæ sunt quoad se, aliæ quoad nos, ut inferiùs videbimus.

An ordo sit duplex, possibilis & actualis. Nota ad hominem.

Ut ergo nos clariùs procedamus, videamus quid concludit Arriaga, & nostram subiiciamus Censuram. Est ejus Prima Assertio: Propriè loquendo, nulla propositio dici potest *per se nota secundum se*: semper enim illud *per se nota* dicit [illegible] ad intellectum eam cognoscentem. Et hanc quomodo probat? Dicendo, [Hæc est explicans terminis clarissima; nec potest ab ullo negari.] Pulchra probatio!

Est ejusdem secunda Assertio: Aliquæ veritates sunt, quæ non possunt à priori propriè probari, sed explicatione terminorum; ut v.g. *hominem esse animal rationale*, & sic de omnibus aliis, in quibus definitio prædicatur de Definito; sive non eas definitiones noscamus, sive ignoremus. Et addit si hæ vocentur *per se nota*

An sit quæstio de nomine?

secundum se, jam dixi suprà fore quæstionem de nomine, & contra acceptionem communem: quia non dicuntur communiter per se notæ definitiones omnium rerum, multò minùs omnium rerum possibilitates. Et Ego respon-

An propositio definitiva sit per se nota?

deo propositiones definitivas (omnes, omnes) esse per se notas: & hoc dici communiter, & tantùm ab Arriagâ negari.

An quarti prædicabile sit per se notum?

Ejus Assertio Tertia erat, Aliæ veritates sunt, quæ probantur propriè à priori; sic prima passio per definitionem essentialem, item secunda passio per primam: hæ autem quandò ignorantur à nobis, non possunt ullo modo dici *per se notæ in se*, tum quia in se sunt à priori demonstrabiles, ergo non sunt per se notæ in se; tùm quia etiam quoad nos non sunt notæ, ergo. Et respondeo ejusmodi propositiones non esse propriè per se notas, sed solere immediatas vocari, at addo esse certas, aliquando quoad se, & aliquando quoad nos: sed de illis inferiùs disputabo. Erat Arriagæ Assertio Quarta: Aliæ sunt, quæ ita sunt claræ, ut tantùm indigeant terminorum explicatione; v.g. *Duo & tria sunt quinque; Quodlibet est vel non est;*

Tandem Arriaga amplectitur nostrã sententiã.

Totum est majus suâ parte; hæ autem sunt propriè, quæ vocantur per se notæ. Unde concludit illam esse propositionem simpliciter per se notam; quæ explicato significato vocis positæ ex parte subjecti, & vocis positæ ex parte prædicati, cuilibet intellectui apparet statim ea duo esse idem. Sic Arriaga: & post ambages tandem incidit in nostram sententiam.

DCCCXV *Propositiones per se notæ duplex consideratio.*

Attendite. Illa est propositio per se nota, inquit Arriaga, quam nemo negaturus sit, cui explicetur vocum significatio. Ergo illam in duplici statu considera: nimirùm, antequam termini explicentur, & postquam termini sunt explicati. In primo statu considerata, dicitur per se nota quoad se, hoc est, per se nota in actu primo; aut per se [illegible], si rigorosè loqui velis: in secundo dicitur per se nota quoad se & quoad nos; aut per se nota in actu secundo. *Ergo Veritas est una: & si rem benè examinemus, omnes tandem sentiemus & dicemus idem.*

* * *

ART.

ARTICULUS II.

De Propositione verâ quoad se, & quoad nos.

DCCCXVI *Veritas est certitudo distinctio.*

COmptonus optimi ingenii vir *disput. 46. Logica. sect. 1. num. 5. pag. 177.* inquit: [aliud esse propositionem esse, aliud esse certam: ad primum requiri solùm, ut objectum ita se habeat sicut actus enunciat: ad secundum autem exigi, ut hoc innotescat dicenti.]

Veritas duplex: absoluta & relativa.

Hinc patet veritatem Propositionum esse duplicem, quoad se, & quoad nos: illamque veritatem absolutam, hanc veritatem relativam seu certitudinem appellari.

An una propositio sit verior altera?

Cùm quæritur, Annon propositio sit verior alia? si agatur de veritate absolutâ, difficilis controversia proponitur: si de relativâ facillima: certum est enim alias propositiones magis nobis innotescere, alias minùs: & unam & eamdem propositionem, non solùm notiorem esse Petro, ignotiorem Francisco, sed etiam respectu ejusdem hominis diversis temporibus, diversis notitiis, aut fortè præjudicus præoccupatum, esse aut saltem videri diversam.

Hinc patet, quid sibi velint Scriptores, cùm sententias, quas habent, dicunt esse veriores, & illas quas rejiciunt minùs veras: tunc enim nomine veritatis intelligunt veritatem relativam, veritatem quoad ipsos: hoc est, probabilitatem & certitudinem, non evidenti sed gravi fundamento subnixam: quo sensu non repugnat duas esse contradictorias simul veras.

Possunt esse duæ contradictoriæ simul veræ quoad nos.

An materia habeat partes sine quantitate?

Nam, si interroges, Utrùm quantitas det materiæ partes? an verò materia sine quantitate illas habeat? sive asserentem sive negantem contradictionis partem veriorem dixeris, veram utramque dixeris: non enim potest alterutra esse verior, nisi utraque sit vera: hæc enim comparativorum ratio est, ut positivum habere utrumque debeat: non enim nix chartâ est candidior, nisi utraque candida sit: neque lucidior Jove Sol, nisi uterque sit lucidus.

Veritas quadruplex.

His ergo sic discussis propositiones quadrifariam respicere veritatem dicamus: aliæ enim sunt veræ quoad se, aliæ quoad nos, aliæ utroq; modo, & aliæ neutro.

DCCCXVII. *Veritas neutro modo.*

Sunt neutro modo veræ, quæ falsæ sunt utroque modo: nimirùm, quæ verè falsæ sunt, & à nobis tanquam falsæ rejectæ: ut *Sol est tenebrosus*, hæc enim cùm sit falsa quoad se & quoad nos, nec quoad se, nec quoad nos erit vera. Hujus generis sunt omnes illæ, quarum nobis est nota falsitas, ut *Numerus binarius est impar; Septenarius est Binario major*: & aliæ similes.

Veritas utroque... neutro modo.

Sunt veræ utroque modo, omnes illæ, quarum nobis est nota veritas: ut *Cùm Sol lucet, dies est*: hæc enim, & enunciat rem prout est in se, & nos scimus illam objecto suo correspondere.

Veritas quoad se.

Sunt veræ quoad se tantùm, quæ objecto correspondent, & tamen nobis non constat esse veras: ut cùm dicimus, *Astra sunt paria, Astra sunt imparia*: Sanè ex his duabus propositionibus altera est vera quoad se, altera est falsa: & utra sit vera, & utra falsa, novit Deus, quem nihil latet: sed ignoramus nos: & hanc ob rem neutra quoad nos est vera, neutra falsa: sed utraque est quoad nos dubia & incerta.

Dubium quoad nos.

DCCCXVIII. *Veritas quoad nos.*

Et tandem aliæ propositiones sunt veræ tantummodò quoad nos; ut cùm falsas putamus esse veras, quod sæpè contingit: & in hoc propositionum genere reperitur maxima latitudo; potest enim una & eadem propositio respectu Joannis esse vera; respectu Friderici falsa, respectu Theophili incerta: & quod mirabilius videbitur, respectu unius hæretica, respectu alius catholica aut etiam tenenda de fide. Omnia hæc reperientur in hac Assertione, *Continuum componitur indivisibilibus*: quam Zenonistæ esse veram prædicant; Peripatetici esse falsam: multi Recentiores dubiam incertamque: alij hæreticam, & inter errores Joannis Hussij ab Ecclesiâ damnatam, alij contra eumdem Joannem Hussium ab Ecclesia receptam: nam inter alias propositiones quæ damnantur, etiam damnatur hæc modalis, *Continuum componi ex puris indivisibilibus, est error.* Si enim Joannes Hussius Zenonis opinionem esse erroneam ajebat, & Concilium hanc ipsam censuram cõdemnavit, positionem de inesse fecit esse catholicam, & ex fide, aut saltem ex urbanitate erga Patres (si extra canonem index propositionum harum sit) ab universis defendendâ. Hæc dixi ut Logicus, aliorum opiniones recensens: quid sentiam de compositione continui in Physicis resolvam & dilucidabo.

An Continuum componatur indivisibilibus?

An circa Continuum aliquid definierit Ecclesia?

ARTICULUS III.

De Universalibus quoad se, & quoad nos.

DCCCXIX. *Propositionis Universalis copulativa & distributiva differentia.*

UNiversalis Copulativi à Distributivo, nota est distinctio; hoc utimur in communibus Platonicis & Aristotelicis syllogismorum formis figurisque, non aliorsquam ob rem damnantur isti syllogismi,

Omnia peccata venialia à nemine caveri possunt:
Mendacium jocosum est veniale:
Ergo mendacium jocosum à nemine caveri potest.

Copulativa non est utilis in syllogismis.

Omnes Apostoli Christi sunt duodecim.
Petrus est Apostolus Christi:
Ergo Petrus est duodecim.

Omnes Apostoli, sunt plures omnibus Evangelistis:
Petrus & Paulus sunt Apostoli:
Ergo Petrus & Paulus sunt plures omnibus Evangelistis.

majores enim non sunt universales distributæ, sed copulatæ; & ideò loco consequentiarum monstra inferunt.

Distributiva quadruplex.

Omissâ igitur Universali copulatâ, de distributivâ acturus sum: eamq; esse quatuor modis universalem (videlicet, quoad se; quoad nos: utroque modo: & neutro) affirmo: & divisionis membra expono.

Uni-

Quid sit Universale. Universale quoad se est unum in multis: ut homo, qui est unus formaliter, & tamen reperitur in multis: videlicet in Petro, Paulo, Antonio: &c. Et, si cognoscatur bene hominis universalitas, erit etiam universalis quoad nos: adeòque universale quoad se, & quoad nos simul.

DCCCXX. *Universale quoad se.* Universale neutro modo (ut hinc sumam exordium) est individuum expressè cognitum; hæc enim propositio, *Petrus currit*, neque est universalis quoad se, neq; quoad nos. Et quid, quæso, erit Universale quoad nos tantùm? Erit aliquid singulare quoad se, nullam realiter aut formaliter habens indifferentiam, sed ab ignoratione nostrâ indifferentiam & universalitatem desumens. Rem exemplis diluci do. Hæc propositio, *Quilibet homo est animal*, aut *Omnis homo est animal*: est universalis distributiva, tam quoad se, quàm quoad nos: supponit enim multos esse homines, & in singulis essentiam animalis includi; tanquam unam in multis. Hæc autem, (& considera *Universale quoad nos.* illam benè) *Quicumque fuit legitimè electus à Septemviris Romani Imperii est Cæsar*: est universalis quoad nos, & singularis quoad se: non enim sunt multi nunc legitimè electi, qui Cæsares de facto sint. Hodie Romanorum & Germanorum Imperator, unicus est (videlicet, Ferdinandus III. semper Augustus: quem ad majorem gloriam suam, & Europæ solamen & securitatem incolumem conservet Deus ad multos annos) Ergo ratio Imperatoris non est hodie in multis coëxistentibus actu: ergo ratio Imperatoris hodie viventis non est universalis, ergo neque de multis prædicabilis. Ergo hæc propositio, *Inter eos qui hodie vivunt, ille qui fuit à Septemviris legitimè electus, est Imperator vivens*, habet prædicatum singulare, *Singulare quoad se, commune quoad nos.* ergo quoad se est singularis; quia prædicatum singulare est de uno solo prædicabile. Sed quoad nos non est omninò determinata & singularis: si enim omnes homines videremus, & nesciremus quem elegissent Septemviri; nemo nobis determinatè esset Imperator, & tamen quoad se aliquis determinatè esset Imperator. Ergo illa propositio, *Qui legitimè est electus est Imperator*, esset in tali casu singularis quoad se, & universalis quoad nos.

NOVA DIALECTICA.

DCCCXXI *Dialectica est fecunda.* Hic novus aperitur oceanus, & novam Artem conformare possimus: at, quia volo me semel expedire à Dialecticis, quæ succurrunt non persequar, sed solummodò breviter insinuabo, ut viam aliis apertam progrediendi si velint.

Æquipollentia, Subalternatio & Oppositio.

Universales quoad nos aliquando sunt affirmativæ, & aliquando negativæ, & comparantur inter se interdum ut Oppositæ, interdum ut Æquipollentes. Considera Positiones sequentes.

I. *Qui est Pontifex Romanus est Summus Pontifex.*

II. *Qui non est Pontifex Romanus, est Summus Pontifex.*

III. *Qui est Pontifex Romanus, non est Summus Pontifex.*

IV. *Qui non est Pontifex Romanus, non est Summus Pontifex.*

Prima & quarta ferè coincidunt: & per me stat, ut *Æquipollentes* nominentur: sed, si rem accuratiùs examinem, quarta erit universalis distributiva, & æquipollebit huic,

Nullus, qui non est Pontifex Romanus, est Summus Pontifex.

Duæ intermediæ (secunda & tertia) opponuntur extremis, & præcipuè primæ, si prima quæ in isto certa est, in exemplis aliis similibus, in quibus mutetur materia, sit vera.

Descensus & Ascensus.

A Propositione universali quoad nos alio modo adscenditur & descenditur, quam ab universali distributivâ quoad se. Juxta numeros communis Dialecticæ iste Descensus bonus est: DCCCXXII. *Ascensus & descensus concernunt universale quoad se.*

Omnis homo est animal:
Ergo Petrus est animal.
Ergo Paulus est animal. &c.
Ergo nullus cognoscitur homo, qui non sit animal.

Etiam est bonus hic Ascensus:

Petrus est animal:
Paulus est animal: &c.
Et nullus cognoscitur homo, qui non sit animal:
Ergo omnis homo est animal.

At iste Descensus malus est: videlicet, *non verò universale quoad nos.*

Religiosus, qui habuit in electione plures voces, quicumque sit ille, Abbas est.
Ergo Religiosus A. est Abbas.
Ergo Religiosus B. est Abbas. &c.
Ergo nullus est religiosus, qui non sit Abbas.

Quo ergo modo uti debemus positionibus Universalibus quoad nos? & quo ex illis poterimus descendere & ascendere? Ne te multis fatigem, dabo loco regularum exempla: hic enim descensus est bonus.

Religiosus, qui habuit in electione plures voces, quicumque sit ille, Abbas est: *Ascensus & descensus conditionatus tolerat Universale quoad nos.*
Ergo Religiosus A, si habuit plures voces, est Abbas.
Ergo Religiosus B, si habuit plures voces, est Abbas.
Ergo idem dicendum est de cæteris.
Ergo nullus est Religiosus, qui habuerit plures voces, & non sit Abbas.

Huic Descensui Ascensus iste correspondet:

Religiosus A. si habuit plures voces, est Abbas.
Religiosus B. si habuit plures voces, est Abbas.
Et cæteri simili modo.
Ergo quicumque habuit in electione plures voces, est Abbas.

Ecce

Ecce ex Universali quoad nos absolutâ descenditur ad particulares aut singulares conditionatas: & ex particularibus conditionatis ascenditur ad universalem quoad nos absolutam. Exempla recognosce, & considera.

Syllogismus.

DCCCXXIII. *An universales quoad se sint utiles in syllogismo?*

COnformantur optimi syllogismi ex propositionibus universalibus quoad nos; ut videre est in subsequentibus.

Qui habuit in electione plures voces est Abbas:
At Petrus plures habuit:
Ergo Petrus est Abbas.

Qui est Cæsar, ipse est Caput Germaniæ:
At Ferdinandus est Cæsar:
Ergo Ferdinandus est caput Germaniæ.

Qui est Episcopus Romanus, ipse est caput Ecclesiæ:
At Innocentius X. est Episcopus Romanus:
Ergo Innocentius X. est caput Ecclesiæ.

Et in quibus, quæso, modis possunt conformari similes syllogismi? In formâ Platonicâ, & in quâlibet figurâ Aristotelicâ. Denominemus ergo Modos, & supponentes A significare universalem affirmativam: E universalem negativam: I. particularem affirmativam: O particularem negativam, dicamus RA significare universalem quoad nos. Aliquos igitur syllogismos ponamus: & primò in Platonicâ formâ.

Forma Platonica.

Rarara.

Quicumque est Caput Mundi, est Imperator:
Quicumque est Imperator, est major universis Regibus:
Ergo quicumque est Caput Mundi, est major universis Regibus.

Ad hanc formam potest fieri Sorites; ut si dixero.

Sorites analogus.

Qui fuit legitimè electus à Cardinalibus, ille est Romanus Episcopus:
Quicumque sit Romanus Episcopus, est Summus Pontifex:
Quicumque sit Summus Pontifex, est Petrus hodie regnans:
Quicumque est Petrus hodie regnans, est Vicarius Christi:
Quicumque est Vicarius Christi, est Caput universæ Ecclesiæ: &c.
Ille igitur, qui fuit legitimè electus à Cardinalibus, est Caput universæ Ecclesiæ.

Sequens syllogismus habet particularem conclusionem;

Innocentius fuit legitimè electus à Cardinalibus:
At, qui fuit legitimè electus, est Summus Pontifex:
Ergo Innocentius est Summus Pontifex.

Etiam possumus intermiscere negativas, ut probant exempla subsequentia:

Errantes.

Nullus habuit duas tertias partes vocum:
At qui habet duas tertias partes vocum est Antistes (suppone esse veram)
Ergo nullus de facto est antistes.

Gementes.

Nullus habuit duas tertias partes vocum.
Nullus, qui non habet duas tertias partes vocum est Antistes (ut supponis)
Ergo nullus hucusque est Antistes.

Orabo.

Petrus non habuit duas tertias partes vocum:
Qui habet duas tertias partes vocum est Episcopus. &c.
Ergo Petrus non est Episcopus.

Commendo.

Anselmus non habuit plures voces.
Nullus, qui non habet plures, est Abbas.
Ergo Petrus non est Abbas.

Commendo & *Gementes* sunt etiam syllogismi infiniti, de quibus in Herculis Logici labore I. lect. II. disputavi: poteris ergo nomina alterare, si velis.

Si major mutetur in minorem, & contrà; ex formâ Platonicâ nascetur Aristotelis prima figura: in quâ admittemus istos Modos: videlicet, *Radentes* & *Ramoso*. — *Prima Figura Aristotelis.*

In secundâ figurâ fiunt syllogismi etiam boni. Considera duos subsequentes. — *Secunda Figura.*

Raporto.

Qui est Episcopus Romanus, est Summus Pontifex:
Fridericus non est Summus Pontifex:
Ergo Fridericus non est Pontifex Romanus.

Rageren.

Qui est Episcopus Romanus, est Summus Pontifex:
Nullus Ethnicus est Summus Pontifex:
Ergo nullus Ethnicus est Episcopus Romanus.

DCCCXXIV. Isti duo modi *Raporto* & *Rageren* sunt directi; &, si transmutentur præmissæ erunt *Moravo* & *Serrantes* etiam directi: & quia scis universalem negativam simpliciter posse converti, Modum *Serrantes* esse directum asseris: at de Modo *Moravo* subdubitas: & ego hoc exemplo totum dubium decido.

Morava.

Fridericus non est Summus Pontifex:
Qui est Episcopus Romanus est Summus Pontifex:
Ergo Episcopus Romanus non est Fridericus.

In secundâ figurâ, si stetur communibus legibus, nihil ex affirmativis concluditur: cæterum si utamur propositionibus universalibus quoad nos, quæ realiter singulares sunt, etsi sint asserentes, inferent conclusionem legitimam, ut exempla subsequentia demonstrant.

Rapinis.

Quicumque est pater omnium hominum est Adamus,
Hic homo est Adamus.
Ergo hic homo est pater omnium hominum.
Ergo pater omnium hominum est hic homo.

Rarara. Qui est Romanus Episcopus est Papa:
Qui est Vicarius Christi est Papa:
Ergo, qui est Vicarius Christi, est Romanus Episcopus
Ergo, qui est Romanus Episcopus est Vicarius Christi.

Qua est realitas omnium antiquissima, est Deus:
Qua est realitas omnium perfectissima, est Deus:
Rarara. *Ergo qua est realitas omnium antiquissima, est omnium perfectissima.*
Ergo, qua est realitas omnium perfectissima, est omnium antiquissima.

Ergo adhuc ad secundam figuram pertinebunt hi modi: videlicet, *Rapinis*, *Rarara*, & *Mirati*.

Tertia Figura. Nascitur ex secundâ. Tertia figura nascitur ex secundâ; conversæ enim propositiones medium è prædicato transferunt ad subjectum: hic enim secundæ figuræ syllogismus

Omnis homo est risibilis:
Omne rationale est risibile:
Ergo omne rationale est homo.
Ergo omnis homo est rationalis.

Si singulæ propositiones convertantur simpliciter (possunt enim) transibit in tertiam figuram: nempe in hunc,

Omne risibile est homo:
Omne risibile est rationale:
Ergo omne rationale est homo.
Ergo omnis homo est rationalis.

Igitur non erit necessarium tertiam figuram exemplis aut regulis dilucidare. Dicta tamen resumo, & reperio nomina, quæ ad versus sequentes reduco.

Modus communis.

Formarũ & figurarũ distributio, & modorũ nomina. Rarara *in quâvis poteris formare figurâ.*

Forma Platonis.

Orabo, Errantes, Irati *forma Galeni est.*

Figura I. Aristotelis.

Ramos, Radiis, Radentes *prima figura.*

Figura II. Arist.

Serrantes, Moravos, Ragerens, Raporto, Rapinis.

Figura III. Arist.

Mirati, Merape, Corrado, Ravene, Radolphe.

Cur non singulaberibus expendantur? Possem plures Modos adscribere, & de horum reductione & confirmatione multa addere: cæterùm, quia Logica est ars immensa, & vita hominibus concessa est brevis, ut possim altiora perficere debebo permittere ut etiam alij Logicæ promovendæ allaborent.

NOTA.

De Angelis.

DCCCXXV. *An repugnent duo Angeli distincti puro numero?* Cum egimus de Universalibus, cùm de Individuationis principio, cùm de Prædicabilibus, agere debuimus de illâ Angelici Doctoris sententiâ, quæ docet repugnare duos Angelos ejusdem infimæ speciei. Hac opinione suppositâ quæsivimus, An naturæ illæ Angelicæ essent prædicabiles & universales? *An immultiplicabiles* & varios modos dedimus explicandi & defendendi partem affirmativam. Qui autem negativam tueretur, & diceret naturam, quæ in multis esse nequit, non esse universalem; *natura Angelica sint universales & prædicabiles?* posset nomine obludere, & asserere, easdem Angelorum naturas esse singulares quoad se ipsas; item quoad Deum, qui cognoscit omnia, ut sunt in se: item quoad ipsos Angelos, qui seipsos clarè & intuitivè cognoscunt: *An sint singulares quoad se & universales quoad nos?* at easdem ipsas esse, non jam singulares, sed universales quoad homines; non quidem quoad omnes, sed quoad discipulos Præceptoris Angelici: cæteri enim, aut ferè, qui hanc controversiam ex aliis fundamentis decidunt, docent communiter posse esse multos Angelos ejusdem speciei: & quodcumque prædicatum, quod est in hoc Angelo, & in alio, qui ab eo distinguatur puro numero, esse non possit, non esse specificum, sed singulare.

* * *

ART.

ARTICULUS IV.

De Particularibus quoad se, & quoad nos.

DCCCXXVI. *Quid sit propositio particularis?*

PArticularis Propositio, est singularis indeterminata: & hæc ipsa indeterminatio, vel est secundum rem, vel secundum rationem: & illa dicitur indeterminatio quoad se, ista quoad nos. Rem exemplis dilucido. Dum hæc scribo Alexandro pio & docto sacerdoti condoleo, quem nocturnus fur & vitâ & pecuniâ privavit: & dico, *Aliquis homo Alexandrum occidit*: & verum dico. Ergo-ne homo indeterminatus, aut individuum vagum, illum sacerdotem occîdit? respondeo, parricidam fuisse hominem singularem & determinatum quoad se, at vagum & indeterminatum quoad nos: & hanc ipsam indeterminationem non ex naturâ rei, sed ex nostrâ ignorantiâ subnasci.

An individuum vagum sit determinatū, & quomodo?

Sed quid est indeterminatum quoad se? illud, quod independenter ab omni nostrâ ignorantiâ aut notitiâ habet indeterminationem. Talia sunt omnia illa, quæ sunt determinata quoad speciem. Pono commune exemplum, ut melius intelligi possim. Sic inquam: *Aliquis equus est necessarius ad equitandum*: sed quis equus? an aliquis determinatus? Aliquo equo, non solùm determinabili, sed determinando indiges ad equitandum: non enim equitare quis poterit equo universali: at non indiges aliquo determinato, quia ex naturâ rei, nullus equus in particulari requiritur ad equitandum; & tamen aliquis requiritur, quia sine aliquo nemo poterit equitare. Hujus generis sunt aliquæ propositiones. Apud Thomistas hæc, *Necessaria est aliqua forma singularis, ut existat materia*: sed quæ? nulla in particulari. Apud alios hæc; *Necessarium est, ut homo sit in aliquo loco*: sed in quo? in nullo determinato: quia hæc necessitas, si datur, est quoad speciem, & non quoad individuationem.

De indeterminato quoad se.

Examinatur hæc propositio, Aliquis equus est necessariꝰ ad equitādum.

DCCCXXVII. *Termini specialis confusionis.*

Hanc multi veritatem observarunt & adnotarunt, & inter ipsos Thomas Comptonus *disput.3. introd. sect.1. num.8. pag.* 10. sic inquit. [Hic verò notandum, dari aliquos terminos, ut vocant, *specialis confusionis*, quales sunt, *Requiritur*, *Necessarius*, *&c.* qui faciant terminum, cùm apponuntur, supponere pro aliquo individuo singulari omninò indeterminatè etiam sub disiunctione. Ut cùm dicimus, *Equus requiritur ad equitandum* de nullo affirmari potest, etiam sub disiunctione quòd requiratur. Imò licet duo tantùm forent, & de altero determinatè affirmaretur, quod non requiratur, non sequitur alterum requiri; nam licet prior non requiratur, est tamen sufficiens. At in suppositione determinatâ, si duo homines solùm essent, & diceretur, *Homo currit* negareturque de uno, necessariò affirmari deberet de altero, quod hîc non contingit, nam etiam ex suppositione quod alter oculus requireretur ad videndum, non sequitur requiri alium, cùm prior sufficiat. Ratio est, tum quia in illo exemplo, *Homo currit*, cùm importetur actio exercita, hæc exerceri non potest nisi ab aliquo determinatè; unde si negetur de cæteris omnibus, necessariò debet determinatè affirmari de ultimo; at in altero casu solùm significatur necessitas generaliter vel equi ad equitandum, vel oculi ad videndum, quæ necessitas in nullo determinatè reperitur, cùm quolibet deficiente, alter sufficiat; unde vagè de iis dici debet, *vel hic oculus vel hic requiritur ad videndum.*] Sic Comptonus: in cujus verbis hæc ultima linea non placet. Et rationem subjungo.

Nota id hoc.

Hujus doctrinæ ratio.

Patet, inquam, Descensum disiunctivum & Dilemma, si à particulari proveniat, esse obnoxium errori: non enim à quacumque possunt particulari provenire, sed ab eâ, quæ sit singularis quoad se, & particularis quoad nos: non autem ab ea quæ sit particularis & indeterminata quoad se. Et quidem iste est bonus Descensus.

DCCCXXVIII. *Descensus à particulari, quādo est bonus; quando malus.*

Aliquis homo est Imperator:
Ergo vel Petrus, vel Paulus, vel Ferdinandus. &c. est Imperator.

malus verò iste,

Aliqua forma requiritur, ut materia existat in rerum naturâ: (Ponamus sententiam D. Thomæ esse veram.)
Ergo vel hæc forma, vel illa, vel ista, &c, requiritur.

Prior Descensus fuit bonus, quia illa propositio erat determinata quoad se [quia reverà Ferdinandus, qui singularis homo est, lauro est præditus] & est malus posterior, quia illa propositio particularis unde oritur, est indeterminata quoad se: [quia necessitas afficit formam ut sic, & nullam in particulari: ideò enim utimur equo singulari ad equitandum, & navi singulari ad navigandum, quia non datur in rebus equus universalis aut navis universalis, si enim darentur, non esset necessarium ad aliquod individuum recurrere.]

Nota id bene.

DISPUTATIO II.

De Propositionibus futuri contingentis. An habeant determinatam veritatem, aut falsitatem?

Quæstio proponitur. Propositio, de quâ loquimur, illa est, quæ effectum aliquem incertò futurum enuntiat: ut cùm dicimus, *Cras ninget, Post mille annos imperium Turcarum subvertetur.* Petitur ergo, *An verè Propositiones hujusmodi habeant veritatem aut falsitatem aliquam determinatam, licet nobis ignotam: an vero nullam habeant omninò?*

ARTICULUS I.

Proponitur sententia negans.

DCCCXXIX. *Quid senserit Aristoteles?* HOc secundum asseruit Aristoteles, qui putavit omninò hujusmodi Propositiones nec esse determinatè veras, nec esse determinatè falsas; adeòque Deum, qui cognoscit illas prout sunt in se, debere cognoscere eas nec veras, nec falsas esse.

Eisdem Propositionibus de futuro contingenti negavit determinatam veritatem & falsitatem; & inter determinatè verum & determinate falsum, medium reperire conatus est Jacobus Molitor, in Benedictinâ Salisburgensi Academiâ Philosophiæ Professor Ordinarius, editis Thesibus, quas *Pronuntiata Logica* nuncupavit, & publicè propugnavit mense Novemb. M. DC. XXVIII. cum Superiorum facultate, & Eximij Clarissimique D. Andreæ Vogt S. Theologiæ & Juris Canonici Doctoris & Professoris, Universitatis Procancellarij approbatione & censurâ, adeòque existimo hanc sententiam, prout à Molitore pronuntiata fuit, aut esse probabilem, aut saltem florentissimæ Universitati talem visam: absit enim, ut in Academiâ Benedictinâ, à Benedictino studioso, sub Benedictino Professore in Doctorum Benedictinorum concessu defensa dicatur Positio, quæ impia aut scandalosa judicata. *An negativa pars sit probabilis?* Cæterùm, An sit vera, examinaturi & discussuri ipsummet Molitorem audiamus; ipse enim suam doctrinam ad hæc Pronuntiata perstringit.

DCCCXXX. PRIMUM. *Ex Propositionibus de futuro contingenti singularibus, neutra est determinatè vera, neutra determinatè falsa.* S. Thomas in exp. Cap. 6. Perih. *Considerandum est*, inquit, *cum Verum hoc significet, ut dicatur aliquid esse quod est, hôc modò aliquid verum est quô habet esse: cum autẽ aliquid est in præsenti, habet esse in seipso, & ideò verè dici de eo potest, quod est. Sed quamdiu aliquid Futurum est, nondũ est in seipso, est autem aliqualiter in suâ causâ, quod quidem contingit tripliciter.* Et quibusdam interpositis: *Tertiò* inquit, *aliquid est in suâ causâ, purè in potentiâ, quæ etiam non est magis determinata ad unum, quàm ad aliud. Unde relinquitur quod nullo modo potest de aliquo eorũ determinatè dici, quod sit futurũ.* Cur? quia hæc est natura futuri contingentis, ut antequam sit, antecedenter in causâ, ad fore nullo modo determinatum sit, aut ad non fore; sed subsistat intra puram causæ suæ potentiam, quæ non magis huc, nec magis inclinat illuc. Unde ex determinatione objecti, neutra propositio falsa, neutra vera est: hoc est, sic & ideò vera, quia aliquid fore enunciet vel non fore, quod ad hoc jam ut futurum sit, vel non futurũ, in causâ determinatum sit; tale enim nullum est futurum contingens, quamdiu cõtigens est, & contingenter futurum, seu id cui per causæ determinationem, & ut futurum sit potest accidere, & ut non sit futurum.

SECUNDUM. *Omnis Propositio de futuro contingenti affirmativa falsa est seorsim, & omnis negativa vera.* DCCCXXXI. Et quidem falsam ajo omnem propositionem de Futuro Contingenti affirmativam, & negativam veram omnem: at nõ determinatè, seu ex determinatione objecti: sic enim, ut omnem causæ determinationem antevertunt, neque aliqua vera est; neque aliqua falsa est. Sequitur ex doctrina S. Thomæ. Cùm enim verum hoc significet, ut dicatur aliquid esse, quod est: hoc modo aliquid est verum, quo habet esse, ergò si esse in se determinatũ nõ habet, nec dum de eo dici potest quod determinatè in se est, Et si esse futurum determinatè, seu determinatum in sua causa nec dum habet, nec dum dici potest, quod determinatè futurum est, neque omninò quod futurũ seorsim: nam futuro contingenti seorsim futurum esse, non nisi per determinationem causæ convenit; ex se enim futurum contingens merè possibile est fore, vel non fore: cum S. Thomas dixerit, futurum contingens, de quo est præsens intentio, esse in sua causa, *purè in potentiâ*, quæ nõ est magis determinata ad unũ, scilicet, ut factura sit, quã ad aliud, ut sit scilicet, non factura: ergo neque effectus futurus magis quam non futurus est, sed ut sic, in pura possibilitate persistit, è qua ad futuritionem non nisi per antecedentem causæ determinationem extrahitur. Hæc verò determinatio intelligi in causa non potest, quamdiu effectus in statu contingentiæ, intra indifferentem causæ suæ, ac indeterminatam potentiam latet. Unde de tali futuro dici non potest verè quod futurum sit; non enim ei adhuc futuritio convenit, quin potiùs convenit non esse futurum, negativè scilicet: nec quasi positiva ad hoc ut sit non futurum, aliqua determinatio præcesserit: negativè inquam, eo ipso, quia non est futurum, seu nondum futurum.

At videat hic prudens lector, an nõ sit idem esse non futurum negativè, ac non esse futurum positivè? & examinet, an inter terminos contradictorios id locum habeat.

TER-

DCCCXXXII. *An veritas & falsitas in futuris contingentibus contradictoriè opponitur.*

TERTIUM. *Inter determinatè fore, & determinatè non fore, Medium est.* Quoniam determinatum esse ad fore, & determinatum esse ad non fore non sunt contradictoria; negatio enim posterioris non destruit totam affirmationem prioris. Unde determinatum esse ad fore, & determinatum esse ad non fore, Medium admittunt: quod est, neque ad hoc ut futurum sit, neque ad hoc ut sit non futurum determinatum esse, sed non esse determinatum ad alterutrum, quod solum effectui in pura suæ causæ potentia existenti convenit, scilicet ut ei tam fore, quàm non fore, per positivam causæ determinationem possit contingere. Tria hîc distingue in effectu: Extrema duo, & unum Medium: Extrema: *Esse in potentia seu possibile*, & *Esse in actu*: Medium, *Futurum esse*. Esse in potentia seu possibile, primum est: esse in actu, ultimum, Medium verò futurum esse: quod & potentiam sequitur, & actum antecedit. *Quòd possibilis sit* effectus, & *quòd futurus*: utrumque à causa habet; sed primum a virtute causæ & potestate, secundum à determinatione causæ liberâ, si ea libertate pollens, in utrumque potens est. Tandem verò *Esse in actu* & *Præsens esse*, effectus habet à seipso, in se ipso jam extra causam positus. Ipsum verò contingens, nihil differt à possibili secundum rem, nisi quod respectum rationis ad futurum vel non futurum addat; Contingens enim futurum id dicimus, quod non tantùm ad hoc ut sit, vel non sit in actu, indeterminatum est: sed quod neque ad hoc ut futurum, vel non futurum sit, positivè determinatum est: ab utroque abstrahens, utriusque capax, & cui possit utrumque ex causæ arbitrio obtingere.

Possibile & Futurum. — *Præsens.* — *Contingens.*

DCCCXXXIII. *An hæc doctrina Angelici Doctoris sit?*

QUARTUM. *Præcedens doctrina de futuris contingentibus est S. Thomæ.* Quamobrem, non terrere debent illa quorumdam fulmina, qui Aristotelis doctrinam negantis determinatam futuris contingentibus veritatem, Præscientiæ Divinæ adversam tonant: qui Errorem nuncupant: qui ajunt hinc Catholicam Fidem detrimenta accepisse: ex hoc fonte Simonem Magum, Wiclephi hæreses hausisse, mirantur que Catholicum quempiam seu Philosophum seu Theologum ad hanc posse sententiam adduci. Mirentur isti Doctorem Angelicum, cui horror nunquam fuit ad hanc Aristotelis sententiam accedere, eamq; explanare passim; non eò solùm loco ubi Commentatoris munus sustinet, & Philosophum agit, sed alibi etiam, ubi ex propria animi sententia Theologum. *In qq. Disp. qu. 16. de Dæmonibus, Art. 7. In Argumento* Sed contra. *Præterea* inquit, *cognitio non est nisi veri, sed futura contingentia non habent veritatem determinatam, ut Probat Philosophus in 1. Periherm. ergò Dæmones futura determinatè non cognoscunt.* Neque Dicas, aliquam determinatam veritatem in his futuris delitescere, quæ licet neque Nobis, neque Dæmonibus pervia sit, à Deo tamen & Prophetis divino lumine perfusis, cognoscibilem: Nam *S. Thom. 1. p. q. 14. art. 13.* docet: *Contingens aliquod considerari posse dupliciter; uno modò in se ipso secundùm quod jam in actu est. Et sic non consideratur ut futurum, sed ut præsens; neque ad utrumlibet contingens, sed ut determinatum ad unum. Et propter hoc sic infallibiliter subdi potest certa cognitioni. Alio modo potest considerari contingens, ut est in sua causa. Et sic consideratur ut futurum, & ut contingens, nondum determinatum ad unum: quia causa contingens se habet ad opposita: & sic contingens non subditur per certitudinem alicui cognitioni. Unde quicunque cognoscit effectum contingentem in causâ suâ tantùm, non habet de eo nisi conjecturalem cognitionem. Deus autem cognoscit omnia contingentia, non solùm prout sunt in suis causis: sed etiam prout unumquodque eorum est actu in seipso.* Hæc S. Doctor qui si aliquam in hisce propositionibus, quæ de futuro contingenti sunt, veritatis determinationem agnovisset, ab ejus cognitione divinum intellectum nunquam, exclusisset, quem novit infinitâ cognoscendi potentiâ ad omne verum ita attingere, ut eum latere nulla possit aut fugere qualiscunque quomodocunque cognoscibilis veritas.

Nota I. Quæ contra Aristotelē dicta, non ideò minùs erant vera, quod illis D. Thomas subscripsit, si tamē subscripsit.

Nota II. Ubi Commentatorē agit, non sequitur propriam sententiā.

Contingens bifariam potest considerari.

DCCCXXXIV. *Hæc doctrina cum divinâ præscientiâ conciliatur.*

QUINTUM. *Præcedens doctrina de futuris contingentibus non est præscientia Dei adversa.* Et ratio est; quia eâ tantùm ratione neganda est determinata futuris contingentibus veritas, ut præscire Deum concedas tamen futura contingentia, ac certò posse prædicere; cognoscere verò ut in actu sunt, & ut præsentia, quam præsentialitatem suo Deus intelligendi lumine anticipat. *S. Thom. in qq. Disp. q. 2. de scientia Dei art. 12. in 6.* dixit: Id quod nostræ cognitioni futurum est, divinæ visioni futurum non esse. *Difficultas autem* ait *in hoc accidit, eò quod divinam cognitionem significare non possumus nisi per modum nostræ cognitionis, consignificando differentias: si enim significaretur, ut est, Dei scientia magis deberet dici, quod Deus scit hoc esse, quam quod sciat futurum, quia sibi nunquam sunt futura, sed semper præsentia. Unde ut etiam Boet. dicit in 5. l. de consolatione, Ejus cognitio de futuris magis propriè dicitur dicitur Providentia, quam Prævidentia.* Quanquam ergo futura contingentia ut futura sunt, & in causis, nullam habeant determinatæ veritatis cognoscibilitatem, habent tamen ut in se, ut in actu, & ut præsentia sunt; sicque à Deo præcognosci determinatè possunt.

Deo nihil futurum. Deus potiùs providet, quàm prævidet. Tam dici potest postvidere, quàm prævidere.

Dices: Hæc Futuris Absolutis aptari possunt, Conditionatis non possunt, cum ea nullam in aliquâ temporis differentiâ existentiam habitura sint. Deus verò & scit, & prædicit utraque. Testis est David *Domine Deus Israel indica servo tuo, si veniente Saule in Ceilam, tradent me Viri Ceilæ?* cui dixit Dominus: *Tradent.* Deinde quid? *Si in Tyro & Sydone?* Quid? *Si Ioas percussisset quinquies, aut sexies, sive septies* Terram jaculo? Nonne *percussisset Syriam usq; ad consumptionem?* Respondeo: Percussisset. At unde, sive hoc Propheta scivit, sive illa Deus? Ex decreto divinæ voluntatis: Non Absoluto, sed Conditionato.

De conditionatè futuris. — *1. Reg. 23.* — *Unde futura conditionata noscat Deus?*

Scit Deus non tantùm quid absolutè facturus sit aut permissurus, verum etiam quid esset quibuscunque conditionibus positis. Tyriis & Sydoniis si miracula vidissent, efficax auxilium fuerat misericorditer largiturus, cum quo credituri infallibiliter fuissent; & sine quo infallibiliter non credituri. Deinde quod

Sed quia Didacum Alvarez citat Molinæ scientiam videri severissimum, & tamē tertiā

quidquid consequentia Scientiam mediam & doctrinam Molina supponere. David essent Ceilitæ tradituri, *non cognovit Deus* [ut inquit l. 2. de Auxiliis gratiæ Didacus Alvarez. disp. vii. ad 1.] *antecedenter ad omne decretum suæ voluntatis, sed in decreto quô statuit permittere, ut David traderetur, & concurrere ad ipsam traditionem in quantum erat actio* : nisi David Ceilâ egressus fuisset, *mansissetque in monte solitudinis Ziph, in monte opaco.*

DCCCXXXV. *Non Deus solum, sed & Prophetæ noverunt futura, docti à Deo.* Fatemur ergò Prophetas sæpenumerò in numeratis habuisse, quæ eventura essent mortalibus : quæ læta, quæ tristia. Neque vel cæcum Deum, vel Futurorum ignaros Prophetas facimus : Difficultas verò accidit, [*ut ex S. Thomâ dedicimus*] eò quòd enunciandi & prænunciandi modus alius est, quàm præcognoscendi, cùm Absoluta intuentur, secundùm aliquam secuturi temporis differentiam existentia. Cùm verò ex gratiæ dono divina nonnunquam Decreta, seu Absoluta seu Conditionata aspiciunt, atque inde enunciant : Futuritionem prædicunt, quam eventus, non in secundis semper causis sive sunt, sive forent habituri : sed quam habent in causâ primâ. Futurum autem per ordinem ad causam, aliquid dicitur : 1. *part. quæst.* 16. *art.* 7. *ad* 3. Audi S. Thomam. *Dicendum* : inquit, *quòd illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit, antequam esset quia in causâ suâ erat, ut fieret.* Et paulo post: *Unde non sequitur, quòd ea quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura: nisi quatenus in causâ sempiternâ fuit, ut essent futura, quæ quidem causa solus Deus est.* Immò sanè si ad causam secundam respexeris, aliud sæpè in ipsa repeties, quam prædictum sit. Cùm trinam Petro negationem Christus prædixisset, obfirmato Petrus in contrarium arbitrio, in gladios ac enses, mortemque ipsam individuum se se comitem promisit : negavit negaturum. Ea igitur prædictio de Futuro fuit, ut erat vel in divinâ cognitione præsens, vel ut ex primæ causæ permissu futurum. In causâ autem primâ, semper necesse est priùs aliquo modo esse, quæcunque extra ipsam vel simpliciter aliquando sunt, vel sub conditionibus forent. *Si quidquid est, aut Deo permittente, aut Deo cooperante est: non omnia, quæ sunt, Deo cooperante sunt.* Augustini sententia est ; qui in Ench. ad Laur. cap. 95. *Non fit aliquid*, inquit, *nisi Omnipotens fieri velit : vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* Non ignorat verò Deus, quid, seu sit, seu foret, vel facturus, vel permissurus. Atque hâc voluntate semel suppositâ de eventibus certus est, nisi fortè aliquid, quod divinam voluntatem fallere possit, vel voluisse Deum, vel sinere voluisse, velis.

Examinet hoc Augustini testimonium Durādus. Hæc paulò fusius ob censuras quorundam immodicas, quibus hanc de Futuris Contingentibus doctrinam onerant, ac pene omninò damnant, argumentisque Theologicis Logicæ hanc partem obruunt.] *Hucusque Molitor.*

ARTICULUS II.

Proponitur sententia affirmans.

DCCCXXXVI. *An Molitoris opinio differat ab Aristotelica?* OMnes acres censuræ, quæ contra Aristotelis sententiam fulminantur, Dei præscientiam tuentur, videtur enim hæc Philosophi opinio contra prædestinationem & providentiam militare ; at Molitor hos scopulos vitat, & Deo certissimam contingentium futurorum notitiam & præscientiam attribuens, omnem censuram & notam theologicam fugit, & intra Philosophiæ naturalis terminos est judicandus. Puto igitur Aristotelis & ejusdem sententiam æquivocatione laborare, adeòque debere discuti & examinari accuratiùs. Sit igitur

CONCLUSIO I. *Grammatica Philosophica indiget tempore aliquo indeterminato, ad conceptus suos efferendos : indiget & tempore universali, quod omnia reliqua comprehendat.* Novit primam veritatem Inventor Linguæ Græcæ, & Aorista posuit, quæ sunt quædam indefinita tempora, & solent variè verificari; licet in hoc displiceat, quod Auristica tempora ad præteritum tantùm pertinere dicantur. Novit eandam Nomenclator Latinus, qui cùm non haberet universalia tempora, Ampliationem invenit, vi cujus tempus præsens ad præterita omnia & futura omnia ingeniosè produceret. Sed quia nesciremus, quando Indeterminatio aut Ampliatio habitura esset locum, nisi notâ aliqua juvaremur; ideò numer notis & literis, prout superiùs in Grammaticâ Audaei num. 1091. & in Logicâ num. 1526. exposui : ex quibus 3. 4. & 5: hoc est consideratione durationis æternæ, ampliatæ, & præcisæ utemur nunc, ut mentem explicare & tradere veritatem possimus. DCCCXXXVII. *Grammatica Latina est imperfecta. Tempus præcisum & ampliatum. Græcorum aoristica. quid significent, est. 3. & est. 4 & est. 5.*

Creatura possibilis : merè possibilis : existens. Hinc patet, quid sit creatura merè possibilis, & quid creatura existens, quæ illi contradictoriè opponitur : quoniam tametsi utraque sit possibilis, illa in nullâ temporis differentiâ existit, hæc in aliquâ saltem : nam de priore verificatur, quod nec exstitit, nec existit, nec exstitura est; de hac quod vel exstitit, vel existit, vel exstitura est : & ad nostrum calamum breviùs & clariùs scribimus; *Creaturam merè possibilem non esse* (9); *existentem esse* (2)

Æterna veritas in divinis. Hinc patet, quid sit æterna veritas, & æterna existentia ; quoniam hæc Propositio, *Deus est* (3) est vera ; & æquivalet huic *Deus omni tempori præterito, præsenti, & futuro, adeòque simultanea suâ duratione semper præsens est.* Et hæc, *Homo est* (5) est etiam vera ; quia æquivalet huic, *Homo alicui tempori, nempè præterito, præsenti, aut futuro præsens est.* At hæc, *Homo* (3) *est* est falsa ; non enim ab æterno homo est, adeòque neque omni tempori præterito præsens est. Hæc autem, *Hominem esse animal rationale, verum est* dicitur æternæ veritatis, quia illud *est* (4) per omnia ampliatum tempora, non afficit ipsam substantiam & existentiam hominis, sed existentiam veritatis ; quoniam tametsi homo non fuerit ab æterno, ab æterno fuit & in æternum erit verum dicere, eum esse animal rationale.

Præsentia æternitatis. Hinc patet, quid sonet hæc propositio, *Leo esse ab æterno & in æternum est Deo præsens in mensurâ æternitatis.* Non enim dicimus Leonem esse (3) aut esse (4) sed esse (5) : scimus

enim

enim illum nec ab æterno fuisse, nec in æternum fore; sed tamen in suâ temporis differentiâ *esse* (5) (hoc est, fuisse, esse, vel fore) præsentem illi eidem nunc æternitatis, quod est 3. (hoc est, ab æterno fuit, æternùm est, & in æternum erit.)

DCCCXXXVIII. *Veritas & certitudo distinguuntur.*

CONCLUSIO II. *Aliud est propositionem esse veram, aliud esse certam.* Et ostenditur; veritas enim non dependet ab hominum notitiâ; quia sive id Turca sciat, sive non sciat, te has lineas legere verum est; at id quod absolutè verum est, ipsi Turcæ certum non est, quoniam ille te legere certus non est. At tu te legere certus es.

Hinc patet posse eamdem veritatem esse certam alteri, alteri incertam; at propositio secundum se præscindendo à Petro aut Paulo, qui illam sciat aut nesciat, vera est; adeòque si illa est vera, non est non vera.

Hinc patet etiam, aliud esse, quærere, *An propositiones de futuro contingente habeant determinatam certitudinem?* & aliud omninò diversum, *An habeant determinatam veritatem?* quoniam, si tu hodie liberè & contingenter scribis, heri fuit verum dicere, *Cras scribes*, fuit falsum dicere, *Cras non scribes*, & tamen, id ipsum quod erat verum, Deo certum erat, homini verò incertum; videlicet defectu notitiæ; quod ut insinuabam, non est speciale in futuris, cùm etiam in præsentibus reperiatur: nam ut utar iterum exemplo posito, Te legere has lineas verum est; & tametsi non jam futurum sed præsens sit, hoc ipsum Turcæ ignotum est, adeòque incertum est. *His positis* Pronuntiata addamus, quæ Pronuntiatis Molitoris respondeant.

DCCCXXXIX. *Resolutio præcipua.*

PRIMUM, *Ex Propositionibus contradictoriis singularibus, quæ sunt de futuro contingenti, altera necessariò est determinatè falsa, & altera determinatè vera.* Et ostenditur, Nam si heri Petrus dixit, *Cras pluet*; & Joannes, *Cras non pluet*: necessarium est, alterum dixisse verum, falsum alterum; quoniam necessarium est, quòd hodie pluat vel non pluat; impossibile est enim hanc diem carere simul pluviâ & pluviæ catennâ. Progredior: consulo ipsam experientiam, & aurem. Quid? Pluit? Ergo Petri propositio fuit vera, Joannis falsa. Non pluit totâ die? Ergo heri propositio Petri fuit falsa, Joannis vera; at neutra homini certo, non enim hominum est cognoscere certa & infallibiliter contingentia futura, juxta illud, *Dicite nobis, quæ sunt futura; & dicemus, quòd Dij estis &c.*

Futura non ab hominibus noscuntur, sed à Deo.

Confirmatur. Hæc Propositio, *Cras pluet*, si philosophicè consideretur, sic potest aut debet exponi. Hodierna & crastina sunt duæ dies; illa prior, hæc posterior; in hac posteriore est pluvia; ergo in priore est verum dicere, *Post hodiernam diem* (5) *est crastina, & in ipsâ est* (5) *pluvia*: aut breviùs, *Cras erit pluvia.* Dilucidatur: nam hæc positio, *Heri pluit Romæ*, est determinatæ veritatis aut falsitatis, tametsi ego non possim certò scire, an sit vera: ergo hæc, *Cras pluet Romæ*, etiam erit determinatè vera aut falsa, tametsi ego nunc scire non possim, utrùm ipsa sit falsa vel vera. Et ostenditur; nam si heri Romæ pluit, in æternum erit verum dicere, *Die tali talis mensis & anni Romæ pluit*; ergo si cras Romæ pluet, ab æterno fuit verum dicere. *Die tali talis mensis & anni Romæ pluet.*

DCCCXL. *D. Thomas exponitur.*

Et quia hoc nostrum Pronuntiatum primum primo Molitoris contradicit, oportet huic ingenioso Authori satisfacere. Respondeo igitur D. Thomam vel nomine *Veritatis* intellexisse veritatem relativam; hoc est, certitudinem, quod ego puto; vel veritatem, quod ipse asserit; si certitudinem, pro nobis est; nam certitudo veritas relativa est; & bene potest contingere, quod mihi Propositio aliqua nec vera, nec falsa videatur; non tamen potest contingere, quod nec vera, nec falsa ipsa sit. Quoniam ex his duabus Propositionibus, *Turca sedet, Turca non sedet*, in Molitoris & omnium sententiâ altera determinatè est vera in se, altera in se determinatè falsa; ut mihi neutra determinatè vera est, neutra falsa; sed utraque incerta. Nec aliud unquam vel dixit S. Doctor, vel voluit. Quod si mordicùs teneat Molitor Angelicum Thomam de veritate absolutâ, non verò de respectivâ, hoc est, de certitudine intelligendum, dicam errasse D. Thomam, & Molitorem Doctori subscripsisse erranti. Ergo ne dicamus S. Thomam errasse: à Molitore illum malè exponi dicamus. Et quidem sincerè mihi singula perpendenti, verba S. Thomæ, si exponantur ut Molitor jubet, non placent. Sic ajebat, *Considerandum est, cùm verum hoc significet, ut dicatur aliquid esse quod est, hoc modo aliquid verum est, quo habet esse.* Omnia sunt vera: sed progreditur, *Cùm autem aliquid est in præsenti, habet esse in se ipso, & ideò verè dici de eo potest, quod est.* Concedo omnia. Subsumit; *Sed quamdiu aliquid futurum est, nondum est in se ipso, est autem aliqualiter in suâ causâ, quod quidem contingit tripliciter. &c.* Infero. Ergo quamdiù aliquid futurum est, nondum est in seipso, sed erit, hoc est futurum est. Vel si non erit, futurum non est; & si futurum non est (nota id bene) quamdiu aliquid futurum est, futurum non est; quod contradictionem involvit. Subdit D. Angelicus, *Tertiò aliquid est in suâ causâ purè in potentiâ, quæ etiam non est magis determinata ad unum quàm ad aliud.* Sed quid inde? Quoniam tametsi sit in causâ purè in potentiâ, erit in eâdem causâ reductâ ad actum; quæ quidem, tametsi nunc non sit magis determinata ad unum quàm ad aliud, est omninò ad unum potiùs quàm ad aliud determinanda. Et ideò illa sequentia verba, nimirùm, *Unde relinquitur, quod nullo modo potest de aliquo eorum determinatè dici, quòd sit futurum*: si agatur de veritate relativâ, seu hominibus cognitâ, concedo: si verò de absolutâ & secundum se consideratâ, nego. Sed cur hæc verba nego?

Veritas duplex: absoluta & relativa.

Erravit ne D. Thomas?

Quomodo sint futura in suis causis.

Verba Molitoris retorquentur & natura futuri cõtingentis exponitur.

Quia hæc est natura futuri contingentis (Molitoris verbis utor, in sensum contrarium retortis) ut tametsi antequam sit, prout intelligitur antecedenter in suâ causâ, ad fore nullo modo determinatum sit aut ad non fore, sed subsistat intra puram causæ suæ potentiam, quæ non magis huc, nec magis inclinat illuc; nihilominùs necessariò [*cur necessariò, an non sufficiet contingentia, aut libertas?*] est determinandum ad esse, aut ad non esse, & erit in causæ suæ potentiâ, quæ inclinabit potiùs huc quàm illuc. Quoniam cùm nos dicimus *Cras pluet*, non dicimus, Nunc elementa esse determinata, ut crastina die futura sit pluviâ; sed dicimus nunc illa eadem elementa esse indeterminata, sed esse cras determinanda, ut dent pluviam. Unde ex determinatione futurâ objecti, altera propositio de futuro est vera, altera falsa: quoniam ut verè aliquid fore enuntietur, non est opus ut hoc jam ut futurum in causâ determinatum sit, sed sufficit, quòd in causâ determinandum verè sit: nam quando Petrus dicebat, *Si oportuerit me mori tecum, te non negabo*, verum erat dicere, *Petrus negabit Christum*, aliàs mentitus fuisset Christus eùm negationem determinatè futuram revelavit. Ubi apertè vides negationem verè futuram, ipsamque non ideò esse futuram, quòd in voluntate Petri esset jam de facto determinata ad fore, nam in illâ potiùs erat determinata ad non fore; sed quia erat in voluntate, quæ tametsi de facto volebat non-negationem, erat tamen volitura negationem; quæ tametsi non erat determinata, erat determinanda. Cujus voluntatis verè futuram resolutionem & determinationem Christus prævidit & prædixit, ut nos doceret Propositiones de futuro contingenti, habere determinatam veritatem, quæ nobis occulta est, non verò Deo, qui omnia cognoscit.

Negatio Petri, quãdo erat indeterminata quia tamen erat determinãda, prædicitur. Nota hoc.

Omnium futurorum contingentiũ veritas, nota Deo.

Ergo *ex dictis colligitur*, primò Positiones de futuro esse determinatè veras aut falsas: secundò Nos non cognoscere utra sit vera falsa-ve; adeòque nobis neutram esse veram, neutram falsam, quia neutrîus veritatem cognoscimus: tertiò D. Thomam eisdem propositionibus hoc secundo sensu veritatem negasse, & concessisse primò; mens enim hujus Angelici Doctoris *libr. 1. Peri-hermenias cap. 6.* ita clarè ponitur, ut in sensum Molitoris torqueri non queat: ait enim, *Ponamus, quòd sint duo homines, quorum unus dicat aliquid esse futurum, puta, quòd Sortes curret; alius verò dicat hoc idem ipsum non esse futurum, suppositâ præmissâ positione, quod in singularibus & futuris contingit alteram esse veram, scilicet affirmativam vel negativam, sequetur quòd necesse sit, quòd alter eorum verum dicat, non autem uterque; quia non potest esse quod in singularibus propositionibus futuris utraque simul sit vera* (sive utraque, etiam neutra) *scilicet affirmativa & negativa.* Quid clarius? Hæc dicit doceteque S. Doctor, ubi ex professo hanc materiam pertractat: qui quidem pro suâ in Aristotelem observantiâ subscripsisset illi, si ejus sententiam judicasset probabilem. Stat ergo S. Thomam correxisse hîc opinionem Philosophi, & hinc debere exponi, siquando ab aliquo in contrariam opinionem vel invitus torqueatur.

Ostenditur clarè, quæ fuerit sententia D. Thomæ.

Vide Aristotelem de interpretat. lib. 1. cap. 6. Hurtadum disput. 9. de animâ. Suarium in opusc. libr. 2. de scient. Dei cap. 2. nu. 12. Vazquez. disp. 66. nu. n.

Secundò. *Molitoris Primum Pronuntiatum contradicit secundo.* Hæc est necessitas, quam inducit deceptio, ut opus sit involvere contradictoria. Porrò, si ex Propositionibus de futuro contingenti, neutra est determinatè vera, neutra determinatè falsa, quomodo omnis affirmativa falsa est, & omnis negativa vera? Pono duas. *Cras pluet*, *Cras non pluet*; & dicit Pronuntiatum primum, *Neutra est vera*, & secundum replicat *Altera* (negativa videlicet) *est vera*. Dicit illud, *Neutra est falsa*; resumit hoc, *Altera* (videlicet affirmativa) *est falsa*. An-non est clara contradictio? Non est respondet Molitor, *ajo enim falsam omnem propositionem de futuro contingenti affirmativam, & negativam veram omnem: at non determinatè, seu ex determinatione objecti; sic enim ut omnem causæ determinationem antevertunt, neque aliqua vera est neque aliqua falsa.* Quo ergo modo est vera, si non est determinatè vera? Quo ipsa modo est vera enuntians objecti determinationem, si illud non habet determinationem, qualem enuntiat propositio? Sanè illæ propositiones omnem causæ determinationem actualem antevertere debent, at futuram non possunt, quia si Petrus hodie negat Christum, heri erat illum negaturus, & si heri non erat determinatus, heri erat determinandus: nec potuit illa propositio, *Petrus negabit Christum* dici in tempore, ante quod non fuisset negationis illius futuritio, nam quod semel futurum fuit, ab æterno futurum fuit; sicut etiam quod semel præteritum est, in æternum præteritum erit.

DCCCXLI. *Molitor sibi cõtradicit.*

Petri negaturi Christũ voluntas nõ erat determinata, sed determinanda.

Hinc patet primò, Molitorem non prævidisse, aliud esse, *Causam esse de facto determinatam ad futuritionem effectûs*, & aliud omninò, *Illam esse determinandam ad existentiam effectûs.* Condonamus enim illi in futuris contingentibus non reperiri illud priùs; at deberet probare non reperiri hoc posterius, quod sufficit ad Propositionum veritatem. Quoniam cùm dixit Petro Christus, *Ter me negabis*, non significavit, Petrum tunc habere de facto voluntatem determinatam ad futuritionem trium negationum illarum, non enim sic determinata voluntate, sincerè ille diceret, *Si oportuerit me mori tecum, te non negabo*; sed potiùs significavit Christus, Petrum habere voluntatem, quæ tametsi tunc erat determinata ad *non-negationem*, *erat tamen* post horas paucas timori cessura, & ad negationem determinanda. DCCCXLII.

Hinc patet secundò, Molitorem confundere propositiones aliquas. Ex istis, *Verum est, quod cras pluet*, *Verum non est quod cras pluet*; affirmativam dicit Aristoteles falsam, negativam veram; sed has cum istis, *Cras pluet*, *Cras non pluet*, confundit Molitor, è quibus Aristoteli neutra est vera, neutra est falsa: è quibus utraque est falsa negativè, hoc est, non vera: utraque est vera negativè, hoc est, non falsa.

Molitor nonnulla confundit.

Ter-

An inter contradictoria detur medium?

TERTIUM. *Inter determinatè fore & determinatè non fore medium non est.* Et utar eodem Molitoris discursu in partem contrariam translato. Non datur medium inquam; quoniam tametsi *esse determinatum ad fore*, & *esse determinatum ad non fore*, non sint contradictoria; scio enim huic, *Est determinatum ad fore*, non opponi hoc, nimirùm, *Est determinatum ad non fore*: sed hoc, *Non est determinatum ad fore.* & scio interesse medium, videlicet, *nullam habere determinationem, nec ad fore, nec ad non fore.* At aliud est, *determinatè fore*, & aliud *esse determinatum ad fore.* ut enim actus voluntatis sit determinatè futurus, non requiritur voluntatem nunc de facto esse determinatam ad futuritionem illius actûs, sed sufficit omninò eam esse determinandam ad existentiam actûs: quam ob rem, tametsi istæ propositiones, *Voluntas est determinata ad fore actûs*, & *Voluntas est determinata ad non fore actûs*, non sint contradictoriæ; hæ *Voluntas est determinanda ad fore actûs*, *Voluntas non est determinanda ad fore actûs.* item hæ, *Actus erit*, *Actus non erit*; non secus ac istæ, *Actus est*, *Actus non est*, aut etiam istæ, *Actus fuit*, *Actus non fuit*, sunt contradictoriæ. Omnia, quæ addit Molitor, eidem errori insistunt, quam obrem ubi Contingens describit, ut bene res claudatur, verba paucula addamus. Ait ille; *Contingens, futurum id dicimus, quod non tantùm ad hoc ut sit vel non sit in actu indeterminatum est; sed quod neque ad hoc ut futurum vel non futurum sit, positivè determinatum est: ab utroque abstrahens, utriusque capax, cui possit utrumque ex causa arbitrio obtingere.* Sed hæc omnia conveniunt Contingenti possibili; actus enim voluntatis meæ, qui nunquam eliciendus est, est merè possibilis, & tamen nec voluntas est determinata ad eliciendum illum modò, nec est determinata ad omittendum illum; nec est determinata ad futuritionem aut non futuritionem illius; sed potiùs ab utroque abstrahens, utriusque capax est. Ergo effectum futurum dic esse, *illum, cujus causa, tametsi non sit determinata ad existentiam, nec ad futuritionem ipsius, est tamen determinanda ad contingentem existentiam ipsius.*

Quid sit contingens?

Quid sit futurum contingens?

DCCC XLIV.

Qua fuerit sententia D. Thomæ?

QUARTUM. *Molitoris doctrina de futuris contingentibus non est S. Thomæ.* Hoc ponimus, non quod in D. Thomæ verba jurare placeat, sed quia illum sequimur, ubi illum acutè processisse cognoscimus, & quia hîc non erravit, aut saltem ex testimoniis à Molitore citatis id non colligitur, omninò defendendus est.

DCCC XLV.

Dico igitur ad primum testimonium, S. Thomam agere de veritate relativâ, non verò de absolutâ; nam se non sumit veritatem pro certitudine; argumentum valde multa concluderet, quæ non admitteret Doctor Angelicus. Illud erat: *Cognitio non est nisi veri; sed futura contingentia non habent determinatam veritatem: ergo Dæmones futura determinatè non cognoscunt.* Infero ego; *Ergo nec Deus cognoscit.* Patet consequentia. Quoniam omnia & singula cognoscit Deus, ut sunt in se; at futura contingentia non sunt vera determinatè, ergo in illis nullam determinatam veritatem cognoscit Deus: vel si cognoscit aliquam, quam ipsa non habent, illa non cognoscit Deus ut sunt, sed aliter omninò quam sunt. Ergo ut intelligatur D. Thomas, qui Deo scientiam futurorum contingentium negaturus non est, exponendus est de veritate relativâ, hoc est, de certitudine; & syllogismus ille ad ista verba reducendus. *Cognitio non est nisi veri proportionati (multa enim sunt vera, quæ ab uno cognosci solent, & ab alio ignorantur.) Sed futura contingentia respectu creaturarum (Angelorum, Dæmonum, & Hominum) non habent determinatam cognoscibilem aliquam veritatem; hæc enim scientia est character Dei: Ergo Dæmones (& idem dicendum est, de Angelis, Hominibus-que) futura determinatè non cognoscunt.*

An Deus futura contingentia cognoscat?

Ratio D. Thomæ resumitur.

DCCC XLVI.

Contingentia habent duplex esse: alterum in se, & alterum in causâ.

Ex secundo ejusdem Doctoris testimonio idem omninò colligitur: sic enim ait; *Quicumque cognoscit effectum contingentem in causa suâ tantùm, non habet de eo nisi conjecturalem notitiam. Deus autem* (lege attentè) *cognoscit omnia contingentia, non solùm prout sunt in suis causis, sed etiam prout unumquodque est actu in se ipso.* Ergo contingentia, sicut & necessaria habent duplex esse, alterum in se, alterum in causâ. In se ipsa sunt determinata, in causâ sunt indeterminata: ergo Deus illa esse determinatè vera cognoscit, id homo non cognoscit. Ergo non ideò non cognoscit homo illorum veritatem, quia illam non habent; quoniam si veritatem non haberent, in ipsis veritatem non cognosceret Deus: sed ideò homo illorum veritatem non cognoscit, quia respectu hujus objecti cæcus est; tam enim potest mens humana intueri futura, quàm oculus videre præterita. Tenendum igitur est D. Thomam sensisse *primò*, Futura contingentia habere determinatam veritatem; *secundò*, Hanc ipsam clarissimè cognosci à Deo: *tertiò*, Eamdem non cognosci determinatè à creaturis: *quartò*, Eam ipsam non esse ipsismet creaturis omninò incognoscibilem, sed posse per conjecturalem cognitionem investigari.

N.B.

Resolutiones.

His positis *dicendum est primò*, Effectum futurum necessariò, posse certò cognosci ab eo, qui determinationem præsentem causæ cognoscat: certò enim cognoscimus solem die crastinâ esse illuminaturum, quoniam hic effectus illi necessarius & naturalis est. *Dicendum est secundò*, actum cras futurum liberè aut contingenter in instanti B. non posse hodie cognosci in substantiâ voluntatis, hæc enim indifferens est; nec posse in hodiernâ determinatione voluntatis, quoniam hodie possum contrarium velle, & cras voluntatem mutare: sed debere cognosci aut in determinatione voluntatis futurâ in illo instanti B, aut in ipsâ existentiâ actus futurâ in eodem instanti.

Quomodo futura cognoscantur?

QUIN-

Si futura non habent veritatem, nec Deus habet præscientiam.

QUINTUM. *Sententia, quæ docet Propositiones de futuro contingenti nec esse determinatè veras, nec esse determinatè falsas, est omninò præscientiæ Dei adversa.* Quam ob rem, necessarium est, ut qui illis Propositionibus determinatam veritatem neget, neget earumdem præscientiam Deo; & qui præscientiam Deo concedit, illis etiam concedat determinatam veritatem. Unde Jacobus Molitor, qui illis determinatam veritatem negat, & Deo præscientiam determinatam concedit, dicendus est sententias repugnantes & inconsistentes conjunxisse.

An veritas à cognoscibilitate distinguatur?

Ut video semper Molitor cognoscibilitatem & veritatem confudit, cùm tamen multæ veritates sunt homini ignotæ. Nam si Deus cognoscit hanc propositionem, *Petrus ter me negabit*, esse veram, aut ipsa vera est, aut decipitur Deus: atqui hoc dici non potest, igitur illa vera est. Nec valet dicere cognosci à Deo in se ipsâ, & ab homine in causâ; quia non inquirimus utrùm hæc propositio habeat veritatem, quæ in causâ cognosci possit; sed utrùm habeat determinatam veritatem: & resolvimus affirmativè.

DCCCXLIX. *An Deus omnibus rebus sit præsens.*

Sed attendamus parum, & examinemus, An sui obliviscatur Molitor, & contradictoria asserat, ut dicebamus. In probatione quinti illius Pronuntiati, quod impugno, ponit omnibus rebus Deum esse præsentem, quod admitto, & statim subjungit. *Quamquam ergo futura contingentia ut futura sunt & in causis, nullam habeant determinatæ veritatis cognoscibilitatem, habent tamen ut in se & ut in actu & ut præsentia sunt, sicque à Deo præcognosci determinatè possunt.* Et his paucis verbis totam priorem doctrinam, quam fusè tradiderat retractat. Singula verba perpendamus.

Distinguuntur possibilia & futura.

Errat primò Molitor, cùm putat idem esse futura contingentia esse futura, ac esse in causis: nam effectus prout in causâ est, non est futurus, sed possibilis. Servanda est enim summa discursûs analogia, dicendumque, effectum actualem illum esse, qui actu est extra causas; effectum futurum, qui nondum est extra causas, sed erit; effectum possibilem, qui nondum est extra causas, sed potest. *Errat secundò* asserens eadem futura nullam habere veritatis determinatæ cognoscibilitatem; quoniam tametsi volitio mea futura nullam habeat determinatæ veritatis cognoscibilitatem, si consideretur, ut possibilis; hoc est, in voluntate meâ prout modo est determinata (fortè enim modò volo contrarium, quàm olim voliturus sum) nihilominùs habebit determinatæ veritatis cognoscibilitatem, si consideretur ut futura, hoc est, in voluntate meâ determinandâ.

Distinguuntur voluntas determinata & determinanda.

Errat tertiò, putans idem esse non habere determinatæ veritatis cognoscibilitatem, ac non habere determinatam veritatem; fatemur enim contingentia futura habere determinatam veritatem, & tamen hujus determinatæ veritatis cognoscibilitatem respectu creaturarum illa habere negamus. *Errat quartò*. cùm putat contrariæ sententiæ defensores asserere eadem futura contingentia habere cognoscibilitatem & veritatem prout sunt Constantinopoli, aut prout sunt in potentiâ; (tam enim ad rem esse in potentiâ pertinet, quam esse Constantinopoli) dicunt enim volitionem, quæ erit in instanti M, & instanti A dicitur esse futura, quia instans A est priùs instanti M. habere determinatam veritatem & cognoscibilitatem prout est extra causam suam & existit actu & est præsens in instanti M. quam tamen veritatem & præsentiam ego qui sum in A. non scio, at cum veniam ad M rescire potero: quam Deus etiam nunc, in instanti A, præscit; quia simul est in A. & in M, & in reliquis aliis instantibus; quam homo etiam noscere posset, si quando est in A esset etiam in M. Ergo si cœcus solem non videt, ne dicat illum luce coloreque carere; sed se oculis. Ergo similiter, si homo futura contingentia non cognoscit, ne dicat illa veritate determinatâ carere, sed se potiùs potentiâ, quæ cognoscat veritates futuras.

Deus est in omnibus temporibus simul.

Errat quintò, quia non videtur percallere vim propositionis de futuro: est enim extra controversiam, hanc propositionem, *Nunc verum est dicere, Cras pluet*, æquipollere huic, *Cras erit verum dicere, Nunc pluit.*

Æquipollentia propositionum de futuro.

Transit statim Molitor ad conditionata futura, & §. *Dices hæc.* asserit illa cognosci à Deo in conditionato decreto; cur non etiam futura absoluta libera aut contingentia in absoluto Dei decreto? Teneo enim hæc bifariam cognosci divinitùs; *primò* in ipsâ voluntate divinâ æternùm tametsi liberè determinatâ, ab æterno enim decretum fuit quod hæc scribam hodie. *secundò* in causâ libera, cujus determinatio tametsi nobis futura sit, Deo præsens est; heri enim meæ volitionis hodiernæ existentia respectu hominum non erat determinata, sed determinanda; & nihilominùs erat determinata coram Deo, cui omnia futura sunt præsentia, ipse enim æternùm omnibus temporibus præsens est. Unde, si Deus esset successivus & æternitate simultaneâ careret, adhuc contingentia futura in suo decreto cognosceret. Et si ad illa non concurreret, sed ipsa independenter à Deo, casu aut fortunâ producente evenirent, adhuc eadem Deus vi suæ præsentiæ æternæ ab æterno, aut potiùs æternùm cognosceret.

Quomodo cognoscat Deus conditionata? quo absoluta?

Denique §. *Fatemur ergo.* Prophetias sibi obiicit Molitor, nec tamen objectis facit satis. Et quidem semper omninò diversa confundit. [Cùm petimus, Utrùm argentum album sit? non rogamus, An sit album in lapide, an in cupro; sed an in se? non petimus, An omnes id videre possint? scimus enim esse homines cœcos, qui de coloribus non judicant; & eorum non obstante cœcitate resolvimus, Argentum album esse; nempè in se; quale enim sit in cau â non curamus: addimus ejus colorem à cœco non videri, non tamen omninò ignorari, quia doceri solet, & loqui in fide referentos.] DCCCL.

De prophetia.

Ergo in nostro casu analogo discursu procedamus. Sic inquam. [Cùm petimus, Utrùm propositio de futuro contingenti habeat determinatam veritatem aut falsitatem? non

Omnia hæc ratione paritatis ostenduntur.

Quæ Propositio modò futura libera aut etiam contingentia prædicans? non rogamus, An habeat illam determinatam veritatem in cœlis aut in terris, sed an in se? non petimus, An omnes eam possint cognoscere? scimus enim respectu futurorum contingentium oculos creatarum mentium cæcos esse, qui de futuritionibus hujusmodi nîl certò definire possunt: at eatumdem non obstante cæcitate resolvimus, Propositionem de futuro contingenti habere determinatam veritatem aut falsitatem; nempe in se; qualia enim futura sint in se exprimimus, & qualia sint in causâ non curamus: addimusque hanc ipsam determinatam veritatem non videri à mentibus creatis, sed à solâ Divinâ; nec tamen ab illis semper & omninò ignorari, quoniam sæpè homines prophetiæ donantur spiritu, & futura libera aut etiam contingentia docentur, & prædicunt, non quidem ex scientiâ, sed ex fide; loquuntur enim in verbo Domini revelantis.] Et hæc ad Prophetiæ expositionem, quam Molitor proposuit, sint satis.

DCCCLII. *Aliter possibilia, aliter futura, & aliter præsentia cum propriis causis comparantur.* Sed quia ipse progreditur, & duas S. Thomæ authoritates producit, breviter examinandum est, An-non ipsæ sententiam Molitoris infirment. PRIMA ERAT. *Illud, quod nunc est, ex eo futurum fuit antequam esset, quià in causâ suâ erat, ut fieret.* Sed quid hinc Molitor? Illud, *ut fieret*, nos notamus. Aliter enim ad causas suas possibilia, aliter futura, aliter præsentia comparantur. Possibilia enim non sunt quæ in causâ determinatâ, aut determinandâ, sed quæ in determinabili: Futura sunt in causâ non determinatâ, nec purè determinabili, sed determinandâ; non quidem ut merè possint fieri, *An conservatio à productione distinguatur?* non ut nunc fiant, sed ut tunc. Præsentia fluunt (conservatio enim continua quædam productio est) à causâ suâ determinatâ actu ut actu fiant. Hoc docet D. Thomas, hoc dedocere vult Molitor, qui futura considerat in causâ non determinatâ, cùm deberet in determinandâ.

DCCCLIII *Unde futuritionem suam futura habuêre?* SECUNDA ERAT. *Non sequitur, quod ea quæ sunt, semper fuerit verum ea esse futura, nisi quatenus in causâ sempiternâ fuit ut essent futura, quæ quidem causa solus Deus est.* Ecce, non negat Divus Thomas, ea quæ contingenter sunt, fuisse ab æterno contingenter futura; sed fuisse futura ab æterno contra Molitorem statuit; & præterea unde suam futuritionem determinatam habuerint investigat, & docet à causâ sempiternâ, ut à primâ radice, suam futuritionem habuisse: quod nemo negat. Ut igitur Angelicum Doctorem meliùs, & meliùs communem doctrinam contra Molitorem percalleas; considera nos duos audientes Christum Dominum cùm Petro dixit, *Ter me negabis.* Et dico Propositiones de futuro contingenti esse aut determinatè veras, aut determinatè falsas: ut constat ex hac, *Petrus negabit Christum*, quæ Propositio de futuro libero & contingenti est, & tamen vera est. Ecce jam examinavimus quæstionem, quam sub initium proposuimus, cùm nos an hujusmodi Propositiones haberent determinatam veritatem rogavimus. Sed moves secundam Controversiam, & *Cur hæc ipsa Propositio, quæ de libero & contingenti futuro est, sit determinatè vera?* requiris. Non recurro ad revelationem [non enim ideò Petrus fuit negaturus Christum, quia id Christus dixit: sed potiùs Christus dixit, quod Petrus erat facturus, sive Christus taceret sive non.] sed has ergo causales concateno. I. Ideò hæc Propositio, *Petrus negabit Christum*, est vera, quia Petrus illum verè & infallibiliter negaturus est. II. Petrus verè & infallibiliter est negaturus Christum, non quòd voluntas ejus jam sit determinata ad negationis futuritionem, nam potiùs est determinata ad negationis non futuritionem, cùm mori mavult, quàm negare Magistrum; sed quòd voluntas ejus est determinanda ad negationis existentiam. [determinandam dico, quod verum est tam in Thomistarum quàm in Molinistarum sententiâ.] III. Petri voluntas erat sic determinanda, quia illam Petrus sic determinaturus erat; hoc est, sic Deo permittente voliturus. ECCE hunc discursum firmat clauditque Augustini illa authoritas, quam Molitor sub finem producit, *non enim fit aliquid, nisi Omnipotens fieri velit; vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo.* ECCE sublatâ causâ primâ hoc est, Deo nulla essent futura; nam futuritio rerum ab aliis causis præcisis à primâ non sequitur; cùm omnes egeant conservatione, & cooperatione, aut saltem permissione causæ primæ.

ARTICULUS III.

Adduntur aliqua, ut meliùs præcedentia sciantur.

ADhuc paucula profari libet, ut meliùs hanc controversiam capias: sed quæ nulla nova, sed ex dictis excerpam aut recognoscam aliqua, quæ debent speciali diligentiâ reteri.

I. Meritò hæc disputatio præcedenti est adnexa: quoniam ibi propositiones dupliciter consideravimus, quoad se, & quoad nos: & artic. 2. egimus de veritate quoad se, & quoad nos: & re bene consideratâ omnia futura contingentia habent veritatem aut falsitatem quoad se, neutram verò quoad nos. DCCCLIV *Veritas duplex: quoad se, & quoad nos.*

II. Si contingentia futura quoad se non habent veritatem nec falsitatem, eorumdem veritas vel falsitas non cognoscitur à Deo. Imò, si ab aliquo deberet cognosci, potiùs cognosceretur ab homine, quàm à Deo. Et demonstro priorem Resolutionis partem, & statim demonstrabo illud *potiùs*. Deus, inquam, ejusmodi futura (sicut & universa omnia) cognoscit ut sunt; ergo, si nec sunt alba nec nigra, DCCCLV. *An futura contingentia cognoscantur à Deo?*

cogno-

cognoſcet Deus illa albedine & nigredine carere: ergo, ſi nec ſunt vera nec falſa, cognoſcet illa Deus carere veritate & falſitate: & erraret Deus, ſi aliter illa cognoſceret, quàm ſunt in ſe. Angelus nullum colorem habet: & ſi interroges, An ille ſit albus vel niger in mente Divinâ, reſpondebo eum in Divinis oculis neutrum habere colorem, quia in ſe nullum colorem habet, & à Deo cognoſcitur ut eſt in ſe: Ergo idem de futuris contingentibus dicito: quia, ſi omnia illa veritate & falſitate carerent, & tamen in mente Divinâ eſſent vera vel falſa, cognoſcerentur aliter quàm ſunt: ac per conſequens erraret Deus.

Omnia cognoſcit Deus ut ſunt in ſe.

DCCCLVI. *An homo in futuris ejusmodi poſſit veritatem, aut etiam falſitatem cognoſcere?*

Dixi, ex hypotheſi, quòd ejusmodi futura, quæ ſecundum ſe nullam habent veritatem aut falſitatem, & cognoſci à Deo, & non cognoſci ab homine à Molitore dicebantur; ab altero deberent cognoſci; potiùs ab homine deberent, quàm à Deo: & clariſſimè id probo. Non poteſt cognoſci eſſe vera propoſitio, quæ revera non eſt vera, niſi ab intellectu errori obnoxio: (nam putare eſſe veram, quæ non eſt vera, errare eſt) at Divinus intellectus errare non poteſt, humanus poteſt: ergo in ejusmodi futuris contingentibus in tali caſu, reperire veritatem aut falſitatē poſſet homo, & non poſſet Deus.

Deus errare non poteſt.

DCCCLVII. *Obſervanda.*

III. Retineat bene Lector meus omnia quæ Articulo præcedenti ſunt dicta: & præcipuè, aliud eſſe voluntatem non eſſe determinatam & aliud non eſſe determinandam: aliud eſſe effectum adhuc hærere intra cauſam operaturam, & aliud intra cauſam operativam: Contrariæ enim opinionis Authores ſemper poſſibilitatem cum futuritione, aut è contrà, confundunt, & ideò non poſſunt veritatem adſequi.

Hæc ſufficiat dixiſſe: qui majorem notitiam requirat, legat Tractatus de Scientiâ Dei, de Providentiâ, & de Prædeſtinatione, quos vel nos, vel alij ſcripſimus vel ſcribemus.

DISPUTATIO III.

An Propoſitio vera tranſire in falſam poſſit? an falſa in veram?

DCCCLVIII. *Quàm ſit hæc materia difficilis*

SUbtilis eſt hæc controverſia: & in ipſâ multi ſubtiles Viri, neſcio quo fato mirabiliter hallucinantur. Multa dicere poſſem, at quia in magnam excreſcit molem Tomus iſte, pauca dicturus ſum: at ſufficientia, ut veritas ponatur ob oculos tam clarè, ut nemo dubitare poſſit, ſi ſemel has periodos perlegat. Non ero in impugnandis aliorum ſententiis prolixus, nam id alibi facturus ſum. Ergo, ut citò me expediam,

DCCCLIX. *Exponitur quando hic tranſitus eſt impoſſibilis.*

Dico primò. *Aptiſſimè poſſe concipi tempus componi multis ſucceſſivis inſtantibus indiviſibilibus, ſe immediatè ſequentibus.* Dico ſecundò, *Hanc quæſtionem à Continui compoſitione non pendere, ſed poſſe juxta ſententiam etiam Peripateticorum explicari.* Ideam propono deſcribendo iſtam lineam.

A B C D E F G H I K L M N

Pono non eſſe plura inſtantia poſſibilia, & nobis eſſe præſens inſtans G: & hoc majoris claritatis gratiâ. His ſtatutis, nonnullas Poſitiones ſubſcribo.

Hæc, *Mundus ſemper fuit*, æquivalet huic, *Mundus in omnibus his inſtantibus (nimirùm, A. B. C. D. E. & F.) fuit.* Et tranſire nequit de verâ in falſam: quia ſi vel uno inſtanti non fuerit, falſa eſt. Et hæc non poteſt veritatem perdere, & falſitatem adquirere.

Iſta, *Mundus aliquando fuit*; ut ſit vera requirit, quòd vel unico inſtanti fuerit; ut ſit falſa, quòd nullo; & quia repugnat, quòd fiat ut, ſi in uno inſtanti fuerit, verum ſit quòd in nullo fuerit, tranſire de falsâ in veram, aut de verâ in falſam non poteſt.

Idem à fortiori eſt dicendum de hac, *Mundus in inſtanti C. fuit*: quæ nullam latitudinem habet, ut de verâ in falſam mutari poſſit.

Et concluditur, *Quòd ſi tempus præſens* (eodem modo de præterito & futuro philoſophor) *ſit aliquod determinatum inſtans, Propoſitio eadem tametſi duret duabus horis, non poterit eſſe priore horâ vera, & poſteriore falſa; nec contrà.*

DCCCLX. *& quando eſt poſſibilis.*

Cæterùm, *Si tempus præſens non ſit determinatum aliquod inſtans, ſed illud, quo durat Propoſitio, quodcumque illud ſit, ipſa è verâ in falſam & è falsâ in veram tranſire poterit.* Quod, ut meliùs intelligas, adnotato, me cùm dico, *Nunc Petrus currit*, loco illius *nunc* poſſe intelligere vel aliquod inſtans temporis (nempe G.) quod eſt immobile: & ideò mea propoſitio erit immobilis veritatis & falſitatis: vel poſſe intelligere illud inſtans, quo durat actu mea propoſitio (non aliquod in quo duraverit, ſed illud in quo durat) &

Præſens duplicitèr accipi poteſt.

quia

Instans duplex: mobile & immobile.

quia hoc ipsum instans est mobile, mobilis erit veritas aut falsitas propositionis. Ostenditur. Hanc Propositionem, *In instanti, quo hoc dico, Petrus vivit*, profero in instanti A, illam repeto in B. illam in C. illam in D. Eruntne quatuor propositiones? minimè, sed erit eadem quater repetita. [loquor logicè: nam entitativè fortè erunt propositiones realiter distinctæ.] Si Petrus moreretur in C. illa in duabus prioribus repetitionibus esset vera, & in duabus posterioribus falsa. Quid, si hæc duratio repetita & discreta fieret continua? non ideò mutaretur objectum. Ergo tunc illa eadem in instanti A & B esset vera, in instanti C & D esset falsa.

DCCC LXI. *Scripturæ perennant.*

Sed quia fortè dices vocem perennare non posse, volat enim irrevocabile Verbum; & te mentis naturam non satis habere exploratam, ad scripturas converto oculos, quæ faciliùs possunt observari & intelligi. Porrò hæc scripta Propositio, *Hodie ingreditur Sol in Arietem*, unâ solâ die totius anni verificabitur; quia ex rigore idiomatis vox *hodie*, non significat XX. aut XXI. diem Martij, sed hunc præsentem, quicumque ille sit; & tamen semel scripta, semper manet. Multæ sunt in locis publicis Tabulæ, quæ temporibus debitis exponuntur; ex quibus constat, quid adverbia & pronomina omnium opinione significent: nam cum agitur de vocum significatione doctiores iudices sunt pueri Grammatici. Verbi gratia. Sunt multi dies in anno, in quibus lucrari possumus indulgentias; multi qui hoc apostolico favore carent. Ergo exempli gratiâ dicamus feriâ IV. & VI. illas obtineri posse, alijs ferijs non posse. Curo fieri pulchram aliquam tabulam, & in eâ scribi, HODIE SVNT INDVLGENTIÆ. Illam expono feriâ IV. & verum dicit; expono feriâ VI. & etiam verum dicit: si exponeretur feriâ V. falsum diceret: ergo vox *Hodie* non significat aliquem diem determinatum, sed quemcumque præsentem. Idem dico de adverbio *Hic*. nam si in altari A, sit Sacramentum venerabile, & addatur inscriptio, HIC EST PANIS, QVI DE CŒLO DESCENDIT, ipsa erit vera; si Sacramentum ad altare B. transferatur, & ipsa in altari A maneat, erit falsa; & si ipsa posteà ad altare B. transferatur, iterùm erit vera. Ergo certissimū est unam propositionem scriptam posse & solere transire de verâ in falsam, & de falsâ in veram: ergò certum est etiam veritatem & falsitatem non pertinere ad scriptæ propositionis essentiam. Ergo eodem prorsus modo de propositione vocali philosophandum est; nam cùm utraque significet ad placitū & utraque aut perennet tempore aut repeti possit, non potest ulla designati disparitas. Ergo eodem modo philosophandum est de mentali: quia scripta non ideò transire in falsam potest, quòd ad placitum significet, sed quia perennat, & nemo negare audebit eamdem positionem mentalem posse & solere perennare.

Propositio scripta de vera in falsam (& contrà) transire potest.

Iudices de significatione.

Quid voces Hodie & Hic significent.

De propositione mentali, vocali & scripta, analogicè est philosophandum.

NOTA.

DCCC LXII. *De adverbiorum & pronominum significatione.*

Dixi hanc disputationem ab intelligentiâ verâ vocum pendere, sed repeto: & volo harum vocum *Hic, Nunc, Hodie*, & aliarum similium significationem benè percipi, & ut illam intelligas ad pronomina, *Hic, Iste, Ille: Ego, Tu*, & similia recurro.

Quid significat *Ego*? Petrum-ne, an Paulum? neutrum. quem ergo? primam personam, sicut *Tu* secundam, & *Ille* tertiam. Ergo habent hæc pronomina significationem indeterminatam, & ab omnibus individuis abstractam, addentem individuo Vago differentias denominationis personæ primæ, secundæ & tertiæ. Et quid significat *Hodie*: quid *Hæc dies*? an diem aliquam determinatam, nempè Lunæ aut Mercurij? minimè. quid ergo? aliquam diem? Respondeo hanc vocem plus significare, quàm aliquam diem: significat enim illam præsentem diem, quæ actu fluit, quando ego illud verbum pronuncio. Ergo hæc vox *Hodie* significat tempus contractum, non hæcceitate A, aut hæcceitate B. sed differentiâ temporis quod transit quando illam pronuncio. [Nota singula bene.] Ergo, si quando illam assertionem pronuncio, rem enunciat ut est, erit vera: si aliter quàm est, erit falsa; &, si per duos dies illa durat, & in primo significat rem ut est in se, & in secunda aliter quàm est in se; propositio transibit de verâ in falsam. Ergo eodem omninò modo de significatione vocum *Hic, Nunc*, & similium philosophare.

DISPUTATIO IV.

De Propositionum Conversione.

DCCC LXIII.

Conversam & Convertentem in mente esse simul, sive propositio sit simplex qualitas, sive ex partibus congruis composita, docui superiùs in Logicâ Mentali de hac re disputans. Modo doctrinam varijs in locis positam recognosco, & ut intelligatur meliùs dubia aliqua, quæ succurrunt, illustro.

... Mentali Lib. VII.

Primo igitur loco illa antiqua carmina.

Simpliciter FECI: *convertitur* EVA *per accid.*

ASTO *per contrap. Sic fit conversio tota.*

Quæstio I. prooemialis. *Fonseca regularum Author.*

& inquiro, *Quis illorum sit Author*: Stengelius de Conversione §.19.pag.89. inventa ait fuisse à Fonseca, Viro ingenioso & erudito, & traditâ *libr.3.Instiut.cap.8.&13.* Et nos, quia literâ V. etiam utimur, ne subsit aliqua æquivocatio, non scripsimus, EVA, sed EBA: & quia per contrapositionem non solùm A & O. hoc est, universalis asserens, & particularis negans sed etiam I. hoc est, particularis asserens, converti potest, hanc dictionem delevimus, & vocem ACTIO substituimus.

DCCCLXIV. Quæstio II. prooemialis.

Quæru[illegible] aliqui, *An Conversio ad secundam, [illegible] manes operationem pertineat*? [illegible] placuit Fonsecæ qui *libr. 6.1[illegible]* inter quatuor consequentiarum [illegible] enumarat; eamque [illegible] consequentiam appellat. Il[illegible] [illegible]dis, qui Conversionem [illegible] quodâ mentis operatione [illegible] non esse contrarias has sententias, [illegible] facilè componi posse: nimi[illegible], si dicamus Conversam Convertenteque dupliciter posse considerari, vel ut judicia, vel [illegible].& primo illas sensu ad secundam, & secundò ad tertiam mentis operationem pertinere.

DCCCLXV. Quæstio III. prooemialis. *Quo modo adiectiva convertantur?*

Sæpè nos implicant propositiones adjectivæ, ut *Homo currit.* & inquiris, *Quo modo convertantur?* nam inter istas, *Homo currit, & Currit homo,* non tam videtur intercedere Conversio, quàm æquipollentia: imò non tam æquipollentia, quàm Identitas. Et, si non [illegible] propositiones convertantur hoc modo, quid, obsecro, facturi sumus, cùm propositio [illegible] nine & verbo adjectivo coalescit? illud resolvere in copulam & prædicatum: & posteà convertere: ita ut hîc etiam audiendi sint, qui dicant à divisione exordium desumendum esse. Pono exemplum. Iubebas converti hanc propositionem *Homo currit*: Verbum ego adjectivum resolvo, & dico, *Homo est currens*; & mox converto dicens, *Currens est homo.*

DCCCLXVI. Quæstio IV. prooemialis.

Cùm autem Logici non nisi propositionibus veris utantur in exemplis, inquiris, *An etiam falsis uti possent*? Respondeo posse. nam datâ conversâ, verê aut falsâ, qui illam admittat, tenebitur convertentem admittere. quam [illegible] sequitur *Homo est animal*, Ergo *Animal est homo*: tam bene etiam sequitur, *Homo est lapis*, Ergo *Lapis est homo.*

ARTICULUS I.

De universalium affirmativarum Conversione.

DCCCLXVII. *A negativis præponenda sint affirmativis*

VOlunt aliqui à negativis exordium sumere; vel quòd in carmine & voce FECI præponantur: vel quòd privatio formam præcedat: vel tandem quod sic soleat fieri, & expedit sequi universos. Non est res tanti, ut debeat uberiùs controverti: sed non convincunt rationes positæ, nec cogunt nos majorum vestigiis insistere. nam, si negantes ante-posuit Fonseca, affirmantes potuit, nec eius nos mancipia sumus, ut debeamus vel inviti adhærere. Sed neque negatio est entitate prior, Deus enim entitas positiva est, & omni privatione anterior: & si privatio esset prior formâ, cujus privatio dicitur, non tamen necessariò esset prior formâ alterâ, quam comitatur, aut etiam subjecto, cui inest. Nec mores communes nos rapiunt; nihil enim aut in urbibus pejus, aut in scholis falsius, quàm quod commune. Ergo, quia inter omnes propositiones universali affirmativâ nulla est dignior, ab illâ sumamus exordium.

An negatio sit entitate prior. *An omnia communia sint optima*

DCCCLXVIII.

Dico igitur primò Universalem asserentem converti per accidens ut *Omnis homo est animal*, Ergo *Aliquod animal est homo.* Sic convertuntur omnes, in quâcumque materiâ, ut patet ex voce EBA, quæ jubet converti illas per accidens

Dubium incidens.

Sed inquiris, *An in ista Universalium conversione, non solùm [illegible], sed etiam servetur necessitas: an verò [illegible] necessaria Enunciatio in contingentem, contingens in necessariam, aut vera in falsam convertatur*? Et quia potiùs videri vis Diffinitor, quàm Inquisitor, sequentes consequentias producis.

Considerentur eis a propositionet.

Omne Grammaticum est homo:
Ergo aliquis homo est Grammaticus.
Omnis homo est Grammaticus:
Ergo aliquod Grammaticum est homo.
Omnis homo al[illegible]
Ergo aliquis homo [illegible] albus.
Omne vigilans est animal:
Ergo aliquod animal est vigilans.
Omne viride est corpus:
Ergo aliquod corpus est viride.
Omne vivens actu videns est animal.
Ergo aliquod animal est vivens actu vid[illegible].
Omne dormiens est vivens
Ergo aliquod vivens est dormiens.

Reiicit sententia prima.

Stengelius de Conversione §.28.pag.121. ex necessario non posse contingens inferri, confidenter respondet. *In bona nota consequenti*, ait, *contingens ex necessario [illegible] non debet; non potest: ne falsum ex [illegible] sequatur, indigna tam parente soboles.* Sub[illegible] nunquam sequetur falsum ex [illegible] necessario contingens inferri [illegible] Ratio igitur Stengelii est inefficax.

DCCCLXIX. *Dantur propositiones de [illegible] non [illegible]. [illegible]*

Conimbricenses *in prima Philosophia editione. libr.1. Prior. quæst.[illegible]* [illegible] in his exẽplis nõ esse bonas cõversiones, si termini non eodem modo accipiãtur. Quis enim vel somnians non intelligit, etiam omnibus omnino dormientibus, tamen verissimam esse hanc propositionem: *Omne quod vigilat, est animal*; at si omnibus omninò somno sepultis inferre velis, *Ergo aliquod animal vigilat*, omnes tam vocaliter clamante falsimmnia tua à somno excitabis. Item, si nullus in nive candor, in cygno nix, aut nullius cygni hominis color in

toto

toto terrarum orbe existat: si omnia corvis carbonibusque nigriora essent in toto hoc Universo, tamen verè Philosophicèque diceres, *Omne subjectum de facto album est corpus*: at eodem rerum statu vultuque permanente nequaquam tibi dicere liceret, *Ergo aliquod corpus est subjectum de facto album*. inciperent enim reclamare omnes homines in Æthiopem deformati, omnes aves in corvum pictæ, omnes lapides & ceteræ res in carbonem pullatæ. Ita etiam si de ceteris loqui exemplis velimus. Etenim in his exemplis termini conversarum habent ampliationem, termini autem convertentium habent statum. Quia igitur cura est, ut conversionibus ejuscemodi propositionum consulamus; ajo ad bonitatem talium conversionum opus esse, ut termini

Subjecta debent supponi & existere, ut propositiones possint converti. conversarum accipiantur etiam secundū statum: vel ut termini convertentium accipiantur etiam ampliativè. Quod si fiat, terminique sumantur in eadem suppositione; exempli gratiâ, si tam subjectum, quàm prædicatū pro existentibus tantùm sumantur, tunc & convertens & conversa vera erit, *si aliquid* verbi gratia, *animal existat & vigilet*; falsa autem, *si nullum existat aut nullum vigilet*. Quamvis ut hoc etiam leviter attingamus, signum universale, *Omne* propriè loquendo requirat plura quam unum. Unde si termini in conversa sumantur non tantùm pro existentibus, sed etiam pro possibilibus, in convertente autem accipiantur tantùm pro existentibus (ut planè ex communi usu & usitato loquendi modo sumi videntur) tunc non est bona consequētia, quia mutatur suppositio terminorum: sicut neque in hoc syllogismo, *Omnis homo Physicus est sciens, omnis homo Physicus est animal, ergo quoddam animal est sciens*, est enim nullo animali quidquam sciente major & minor vera, nisi itidem ex suppositione, sed periculosè

Nec ex hypothesi thesis, nec ex conditionatâ potest absoluta deduci. loqui, & consequens necessarium vocare velimus. Sed tunc mirum est, quâ licentiâ ex meris hypotheticis absoluta conclusio inferatur. Concedet enim prius, *Si Physicus est, animal est*, non autem debeo mox etiam concedere, *ergo aliquod animal de facto est Physicum*.

DCCCLXX. *Servanda est suppositio.* Sic placuit ad mentem Conimbricensium discurrere. Nunc breviter propriam expono. DICO PRIMO: Debere in convertente teneri eamdem terminorum acceptionem & suppositionem, quæ ex verbis facilè solet intelligi, nec debet circumloquiis exponi. DICO SECUNDÒ, In his propositionibus *Omne Grammaticum est homo*, *Omnis homo albus est homo*.

Subjectum debet existere. &c. supponi dari in rerum naturâ Grammaticos existentes, & Homines albos etiam existētes; & si vel nullus in mundo sit Grammaticus, vel nullus Homo albus, tunc illæ propositiones non erunt veræ: quia erunt de subjecto non supponente. DICO TERTIÒ, sufficere

Quid requirat Dialectica? ad securitatem Dialecticæ ex vero non posse falsum sequi, nec requiri non posse ex necessario contingens, aut ex contingenti necessarium inferri: maximè cum utrumque demōstrari videatur. Demonstrari inquam, quia

An ex necessario sequi possit contingens. multa dici solent contrà, at nihil quod videatur probabile. Considerentur obsecro hi syllogismi:

Omnis homo est animal:
Omnis homo est vivens:
Ergo aliquod vivens est animal.

Omnis albedo est color:
Omnis albedo est qualitas:
Ergo aliqua qualitas est color.

Omnis Geometra est Mathematicus:
Omnis Geometra est homo:
Ergo aliquis homo est Mathematicus.

in quibus omnibus præmissæ necessariæ sunt, & quidquid dicas, aut non dicas, consequentia est bona, & tamen consequens est contingens. *Præterea* ex contingente inferri posse necessarium demonstro ita clarè, ut non sit locus replicæ. Peto, an detur Deus? an sit ejus existentia demonstrabilis? & si sit, cùm à priori non possit, an non debeat demonstrari ab effectibus? Affirmas omnia: & ego sic discurro. *An ex contingente necessarium?*

[Omnes effectus, quicumque illi, sunt cōtingentes: Deus est Ens necessarium: atqui ab effectibus probatur Deus: Ergo ex præmissis contingentibus, veris tamen, infertur necessarium consequens.] Nescio huic ratiocinio respondere, & ideò contra communem opinionem assero ex contingenti posse necessarium deduci: & in confirmationem istos syllogismos produco: *Quomodò demonstratur Deus?*

Omnis homo est coloratus:
Omnis homo est albus:
Ergo aliquod album est coloratum.

Omnis homo est Mathematicus:
Omnis homo est Arithmeticus:
Ergo aliquis Arithmeticus est Mathematicus.

Omnis homo movetur:
Omnis homo currit:
Ergo aliquod currens movetur.

Hæc legis, nec vis contradicere, sed inquiris, DCCCLXXI. *Quæstio incidens.*
An dentur aliquæ Propositiones universales affirmativæ, quæ non possint converti? Respondet Stengelius §. 28. pag. 125. *valde probabile videri multas vel penitus non converti, vel converti oportere terminis scilicet, vel utrinque secundum statum, vel utrinque ampliativè acceptis; quod tamen ipsum satis à periculo prope abest.* & pagina 126. *Idcirco fortasse melius respondeatur multas ejusmodi enunciationes penitus non converti:* Sic ille: & tamen suspicionem ipse suam non probat: illud enim exemplum, quod adducit ex Fonsecâ libr. 3. Institut. cap. 8. videlicet,

Aliquis Philosophus non est Socrates:
Ergo Socrates non est Philosophus. *Quomodo particularis negativa convertatur?*

non est ad rem. Primò, quia non est propositio universalis; de hac enim specialiter loquitur. Secundò, quia propositio particularis negativa non debet converti simpliciter, sed per contrapositionem, ut si dicas,

Aliquis Philosophus non est Socrates:
Ergo aliquis, qui non est Socrates, non est non Philosophus.
vel. *Ergo aliquis qui non est Socrates, est Philosophus.*

DCCCLXXII. *Quæstio alia.*

Progrederis ulterius, & suppetis, *An Propositiones affirmativæ simpliciter possint converti?* Respondeo aliquas posse, alias non posse. Possunt simpliciter converti primò, omnes quæ ad tertium Prædicabile pertinent: & secundò, quæ ad quartum: possunt tertiò, quæ ad diffinitionem spectant, ut patet in exemplis sequentibus:

Omnis homo est rationalis:
Ergo omne rationale est homo.
Omnis leo est rugibilis:
Ergo omne rugibile est leo.
Omnis homo est risibilis:
Ergo omne risibile est homo.
Omnis homo est animal rationale:
Ergo omne animal rationale est homo.
Omnis canis est animal latrabile:
Ergo omne animal latrabile est canis.

An Conversio à Reciprocatione distinguatur

Vbi observa non esse audiendos, qui has non esse Conversiones, sed Reciprocationes affirmant: quia rem curiosam & scitu dignam reducunt ad quæstionem de nomine.

Quæstio alia.

Hoc esse valdè verum vides, & cùm semper audiveris, non posse simpliciter converti universales asserentes, interrogas, *An hoc quod de secundo & tertio prædicabili, & de definitione dixi, & multi, aut fere omnes ignorant, scriverit Aristoteles?* Sunt qui in omnibus illi faveant, & non tolerant hæc & alia ignorasse, sed leviter potiùs tractasse, *libr.1. Priorum cap.2. & 3.* Ita Stengelius §.20. *pag.96.* cui ex urbanitate subscribe.

ARTICULUS II.

De Vniversalium negativarum Conversione.

DCCCLXXIII. *Quomodo convertantur.*

Simpliciter & per accidens solent converti: ut patet in exemplis sequentibus,

Nullus homo est lapis:
Ergo nullus lapis est homo.
Ergo aliquis lapis non est homo.
Nullus leo intelligit:
Ergo nullum intelligens est leo.
Ergo aliquod intelligens non est leo.
Nullus Angelus est corpus:
Ergo nullum corpus est Angelus.
Ergo aliquod corpus non est Angelus.

Contra conversionem per accidens nihil occurrit speciale: sed contra simplicem nonnulla.

Obiectio prima.

De hoc termino necessitatis egi libr. de propositionibus disp. 2. artic. 4.

Arguis primò. Dabitur propositio universalis negativa, quæ simpliciter conversa sit falsa. Ergo converti non potest simpliciter. Probas antecedens producendo eamdem propositionem: nimirùm,

Nullus equus est necessarius ad equitandum:
Ergo nulla res, necessaria ad equitandum, est equus.

Incitatus Gaii Imp. equus.

Antecedens est verum: quia neque Bucephalus est necessarius, cum equitare possis Pegaso. Sed neque Pegasus est necessarius, cùm equitare possis Incitato; sed neque est necessarius Incitatus, cum possis uti Hirpino, aut quovis alio. Et tamen consequens est falsum, quia equo solo, nulla aliâ re equitamus. Atqui in bonâ consequentiâ ex vero non sequitur falsum: ergo conversio simplex universalibus negativis non convenit.

DCCCLXXIV. *Solutio prima.*

Stengelius manutenet Regulam generalem, atque, subjectum propositionis convertendæ duplici modo accipi posse, sicut & subjectum propositionis convertentis, copulativè nimirùm, & copulatim. Si copulativè accipiatur utrimque tam in propositione convertente, quàm in conversâ, utraque propositio vera erit, & ipsa conversio optima: sin copulatim utrimque sumatur, tum utraque in eo sensu falsa erit propositio, & sic licèt conversio concedatur, non tamen falsum ex vero sequetur: si denique subjectum in antecedente copulativè, in consequente autem copulatim sumatur, quid mirum est, mutatis terminis, immò potiùs ipso propositionum sensu, fugere rationem conversionis? Vere enim dicitur in sensu copulativo, *Nullus equus est necessarius ad equitandum*, id est, *hic equus non est necessarius ad equitandum: & hic equus non est necessarius ad equitandum: & ille equus non est necessarius ad equitandum*, &c. Falsò autem dicitur in sensu copulato, *Nullus equus est necessarius ad equitandum*, id est, *hic, & hic, & iste, & ille &c. equus non est necessarius.* Pari modo rectè dicitur in sensu copulativo, *Nullum necessarium ad equitandum est equus*, id est, *hoc necessarium ad equitandum non est equus, & istud necessarium ad equitandum non est equus; & illud necessarium ad equitandum non est equus.* Longissimè autem à vero abest in sensu copulato eadem propositio, *Nullum necessariũ ad equitandum est equus*. id est, *hoc & istud, & illud necessarium ad equitandum non est equus.* cum aliquod prorsus indeterminatum necessarium ad equitandum sit equus: tam enim calabis sine cælo, quàm equitabis sine equo, sumo enim verbum *equito* in rigorosâ significatione, ut sit *equo utor.*] Sic ille.

Subjectum bifariam accipitur.

Vide quantum faciat negatio hac necessitas, quam uicemus esse quoad speciem.

DCCCLXXV. *Solutio secunda.*

Forte vera sunt, quæ à Stengelio dicuntur, sunt prolixa & obscura: clariorem igitur solutionem subscribo. Dico igitur in hac argumentatione,

Nullus equus est necessarius ad equitandum.
Ergo nulla res necessaria ad equitandum est equus.

antecedens non esse absolutè verum; illudque, quo sensu verum est, consequens etiam verum parere. Distinguo igitur antecedens. Nullus equus determinatus est necessarius ad equitandum, concedo (nemo enim designabit aliquem determinatè, qui singulariter sit necessarius) Ergo nulla res necessaria ad equitandum est equus determinatus: concedo etiam consequens. At si agatur de equo indeterminatè (vel indeterminato) utraque positio falsa est. Nullus enim requiritur determinatè, adeòque aliquis requiritur indeterminatè.

Quo sensu equus sit necessarius ad equitandum

Arguis

Obiectio secunda. Arguis secundò; & aliud exemplum producis: videlicet,

Nullus homo non est animal:
Ergo nullum animal non est homo.

ubi quid antecedente verius; quid consequente falsius est?

DCCCLXXVI. *Solutio prior.* Respondet Stengelius; conversionem hanc non esse ad suum perpendiculum factam. Cùm enim conversa propositio duabus negationibus constet, duæ autem negationes in Latinis; affirment, colliges meritò illam non negativam sed affirmativam esse. Quod si affirmativa; quâ violentiâ, aut fraude jus negativæ usurpat? Suis privilegiis contenta sit, tunc non simpliciter sed per accidens converti hac ratione debebit; *Nullus homo non est animal, ergo non aliquod animal non est homo.* En ut etiam conversiones cum leges suas servant, peccare desinunt!

Reiicitur. Imò, si obediant Stengelio, nec servaturæ leges sunt, nec peccare desinent. Errat enim evidentissimè Stengelius, tametsi magni ingenij sit, & meliùs quàm omnes alij de conversione disseruerit. Errat inquam, non enim bene convertitur per accidens, cùm dicitur,

Nullus homo non est animal:
Ergo non aliquod animal non est homo.

nam utraque est universalis.

DCCCLXXVII. *Solutio posterior.* Quid igitur objectioni respondendum? Rem esse claram, & quæ non egeat multis verbis: propositionem illam,

Nullus homo non est animal.

esse universalem asserentem, & æquivalere huic,

Omnis homo est animal.

& converti per accidens in hanc,

Ergo aliquod animal est homo.

& per contrapositionem in hanc,

Ergo aliquod non animal est non homo,

& concludo dicens hæc esse tam certa ut mirum sit, quod *in re tam clara tantus dormitet Homerus.*

DCCCLXXVIII. *Obiectio tertia.* Arguis tertiò contra eamdem Regulam, & producis Axioma illud Iuridicum, *Dolus nemini debet patrocinari*: quod desumptum est ex *c. ad nostram. de emptione & venditione.* & exponitur à Thomâ Sanchez *tom. 1. de Matr. libr. 2. disp. 12. num. 6.* Hæc enim propositio; & multæ similes posse converti non videntur. *Nemo debet ex fraude utilitatem indipisci.* Aut quo illam modo convertes? An-ne sic: *Ergo quidquid nemini debet patrocinari, est dolus?* hoc tamen falsum est: causa enim mala non est dolus, nec debet alicui patrocinari. An igitur sic illam convertes; *Ergo nihil quod nemini debet patrocinari, est dolus*: at hoc planè adversum est illi, quod in conversa dicitur. Nequaquam ergo omnis propositio universalis negativa ullo pacto converti, ne dum simpliciter converti, potest.

Solutio. Responsio est facilis, quam didici à Stengelio, quem paulò ante impugnabam, & modò sequor: cujus si utamur mente istud mare facilè tranquillabimus. Nam si conversa sit universalis negativa; ut ponitur esse, tunc idem est dicere, *Dolus nemini debet patrocinari*, ac si dicat, *Nullus dolus debet alicui patrocinari*, jam hæc citiùs quàm rota figuli convertitur; ita enim inferendum est, *ergo nihil, aut nulla res, quæ debet alicui patrocinari, est dolus.* Quod si verò est universalis affirmativa, ut sanè esse potest, saltem quod ad valorem attinet, tunc perinde est ac si dicas, *Omnis dolus est id quod debet nemini patrocinari*; Sic autem per accidens converti illam decet ut dicas, *ergo aliquid quod debet nemini patrocinari, est dolus.*

ARTICULUS III.

De Particularium affirmativarum Conversione.

Converti jubentur simpliciter, ut patet in exemplo sequenti. DCCC

Aliquis homo est animal:
Ergo aliquod animal est homo.

Sed contra communem istam & jam præscriptam Regulam obiicis primo istud exemplum: *Obiectio prima.*

Aliquis homo est mortuus:
Ergo aliquod mortuum est homo.

in quo antecedens est verum, & consequens falsum. Et quidem consequens esse falsum persuadet iste syllogismus.

Omnes homo est vivens:
Nullum mortuum est vivens:
Ergo nullum mortuum est homo.

Ergo, ne dicantur duæ contradictoriæ esse veræ; siquidem conclusio hujus syllogismi certa est; convertens præcedens fuit falsa.

Vno verbo respondeo uno sensu debere vocem *Homo*, sumi in utrâque propositione, & sic utrumque fore veram; vel utramque falsam. addo videri intelligi vocem *Homo*, & in illâ latebras & obscuritatem reperiri. Nam hæc; *Solutio.*

Aliquis homo est mortuus.

æquivalet huic

Aliquis, qui fuit homo, & jam non est homo, est mortuus. *Quid significet Homo?*

& simplicissimè transit in hanc,

Ergo aliquod mortuum est id, quod iam non est homo, sed fuit homo.

nam si vox *homo* pro solis existentibus sumeretur, utraque propositio esset falsa.

Obiicis secundò istud exemplum: *Obiectio secunda.*

Aliqua species est homo:
Ergo aliquis homo est species.

in quo ex antecedente vero deducitur consequens falsum.

Solutio. Respondeo mutari suppositionem terminorum, atque adeò reiici hanc conversionem.

Obiectio tertia. Obiicis tertiò alia, & multò difficiliora exempla.

Aliquis homo desinit esse frigidus:
Ergo aliquis frigidus desinit esse homo.
Aliquis homo incipit esse calidus:
Ergo aliquis calidus incipit esse homo.
Aliqua persona divina incipit esse homo.
Ergo aliquis homo incipit esse persona. divina.

in quibus ex antecedente vero suboritur consequens falsum.

Solutio. Respondeo omnes esse malè conversas, expunctis enim convertentibus debent istæ substitui: videlicet,

Ergo aliquod, quod desinit esse frigidum, est homo.
Ergo aliquod, quod incipit esse calidum, est homo.
Ergo aliquod, quod incipit esse homo, est persona divina.

& hæ omnes verissimæ sunt.

ARTICULUS IV.

An particularis affirmativa per accidens converti possit? An etiam per contrapositionem?

DCCC LXXX. Respondent aliqui, aut admittendam esse hanc conversionem, vel expungendum modum illum, qui vulgò vocatur *Baralipton*, in quo præcipitur, ut *Ip.* hoc est, particularis affirmativa convertatur per accidens.

Respondeo duas mihi solutiones succurrere: *Primam*, negari non posse, esse aliquas propositiones, in quibus vim habeat conversio per accidens; & inter illas reponi debere particularem, quæ in *Baralipton* à duabus universalibus infertur. *Secundam*, modum *Baralipton* non ab omnibus bene intelligi, nec ab omnibus sciri reduci: ejus enim consequentia, nisi aliquid addatur, non probatur. Procedo igitur sic. Pronuncio hunc syllogismum:

An reducendus Baralipton bene intelligatur?

Omnis homo est animal:
Omne risibile est homo:
Ergo aliquod animal est risibile.

Quo fieri modo debeat. Concedis maiorem & minorem, & negas consequentiam illatam. Illum igitur ostensivè reduco.

Omnis homo est animal:
Omne risibile est homo:
Ergo omne risibile est animal.

Sed quid habeo? Nihil. non enim hanc consequentiam negas. Ergo progrediendum ulteriùs est, & probandum positionem negatam, quam potero probare sic:

Omne risibile est animal:
Ergo aliquod animal est risibile.

Prior est vera: est enim conclusio syllogismi in *Barbara*, cujus præmissas concessisti. & posterior, quam negaveras in *Baralipton*, est orta à priore per regulas conversionis legitimæ.

Dico igitur particularem affirmativam posse converti per accidens: *Primò*, si ad tertium pertineat Prædicabile. *Secundò*, si pertineat ad quartum. *Tertiò*, si alter terminus definitio & alter definitum sit. *Quartò*, si species prædicetur de genere. *Quintò*, si minus commune prædicetur de magis communi. Omnia exemplis dilucido. DCCC LXXXI. Quinque casus, in quibus hæc conversio valeat.

Aliquis homo est rationalis:
Ergo omne rationale est homo.
Aliquis homo est risibilis:
Ergo omne risibile est homo.
Aliquis homo est animal rationale:
Ergo omne animal rationale est homo.
Aliquod animal hinnibile est equus:
Ergo omnis equus est animal hinnibile.
Aliquod animal est leo:
Ergo omnis leo est animal.
Aliquod ens est saxum:
Ergo omne saxum est ens.
Aliquod spirituale est Angelus:
Ergo omnis Angelus est spiritualis.

Inquiris etiam, *An Particularis affirmativa possit per contrapositionem converti?* Et affirmativè respondeo; & quia omnes possunt, Regulam universalem addo, quam exemplis illustro. Quæstio altera.

Aliquis homo est animal:
Aliquod non animal est non homo.

Aliquis leo currit.
Ergo aliquod non currens est non leo.

Aliquis canis latrat:
Ergo aliquod non latrans est non canis. &c.

ARTICULUS V.

De Particularium negativarum Conversione.

DCCC LXXXII. An particulares negativæ simpliciter, & per accidens possint converti.

Etiam ipsæ converti possunt, debentque: sed qualiter? Aliquæ simpliciter ex eadem etiam per accidens: at omnes per contrapositionem.

Simpliciter, si materia sit necessariò remota, ut videre est in istis

Aliquis

Aliquis homo non est lapis:
Aliquis lapis non est homo.
Aliquis leo non est arbos:
Aliqua arbos non est leo.
Aliqua planta non est Angelus:
Aliquis Angelus non est planta.

Per accidens potuerunt omnes: potuimus etiam dicere;

Aliquis homo non est lapis:
Ergo nullus lapis est homo.
Aliquis leo non est arbos:
Ergo nulla arbos est leo.
Aliqua planta non est Angelus:
Ergo nullus Angelus est planta.

Quomodo fiat contrapositio?

At per Contrapositionem in omni materia convertuntur; ut cùm dicimus.

Aliquis homo non est lapis:
Ergo aliquod non lapis non est non homo.
Ergo aliquod non lapis est non non homo.
Ergo aliquod non lapis est homo.

Aliquis leo non est arbos;
Ergo aliquod non arbos non est non leo.
Ergo aliquod non arbos est non non leo.
Ergo aliquod non arbos est leo.

Aliqua planta non est Angelus:
Ergo aliquod non Angelus non est non planta:
Ergo aliquod non Angelus est non non planta.
Ergo aliquod non Angelus est planta.

Vide Herculis Logici laborem I. qui Nil negans inscribitur.

In his exemplis, quibus te volui manuducere, ut Conversionis materiam bene intelligas, ab uno antecedente tres consequentias deduximus: primam per contrapositionem: secundam per translationem negationis copulæ ad prædicatum: [sunt enim bonæ hæ consequentiæ;

Petrus non est elephas:
Ergo Petrus est non elephas.

Homo noo est lapis:
Ergo homo est noo lapis.

Arbos non est leo:
Ergo arbos est non leo. &c.]

tertiam per duarum negationum expunctionem, binæ enim idem valent quod nulla.

Vidisti Contrapositionem specialiter inventam fuisse propter particulares negativas, quæ vix tolerant jugum simplicis aut accidentariæ Conversionis: & quia de Contrapositione diversimodè scribunt & loquuntur Philosophi interrogate libuit;

ARTICULUS VI.

An conversio per contrapositionem sit vera conversio?

DCCCLXXXIII. NEgat Stengelius *Tractatu de Conversione* §.21.*pag.*94. his verbis [Vel puero perspicuum esse debet, conversionem contrapositionis itidem non esse conversionem propriè dictam, neque ei convenire definitionem conversionis; quia non tantùm commutat extrema, ita scilicet, ut ex subjecto fiat prædicatum, & ex prædicato subjectum, sed omninò mutat terminos, & ex finitis facit infinitos, quamvis nihilominus sit bona atque formalis consequentia, cujus etiam meminit Aristoteles *libr.* 2. *Topicorum cap.* 3.]

Rejicitur negativa sententia.

Assero ego: & per gradus procedendo ostendam illam, quam *Contrapositionem* appellant, esse in rigore summo simplicem Conversionem. Pono exemplum:

Eligitur affirmativa.

Aliquis homo non est lapis:
Ergo aliquod non lapis non est non homo.
Ergo aliquod non lapis est non non homo.
Ergo aliquod non lapis est homo.

An conversio simplex à contrapositione distinguatur?

Prima consequentia, ut monebamus paulò antè, est antecedentis contrapositio: secunda transfert negationem à copulâ ad prædicatum, quod posse licitè fieri dicunt omnes; debere, ostendi superiùs loco aptiore. Tertia supponit idem duas valere negationes, quod nulla. Quid igitur, si loco hujus,

Aliquis homo non est lapis:

posuero hanc,

Aliquis homo est non lapis:

& intulero hanc,

Ergo aliquod non lapis est homo.

Nota id bene.

converram illam positionem simpliciter, quam paulò anteà per contrapositionem.

ARTICULUS VII.

Quo modo Propositiones de præterito aut futuro convertantur?

DCCCLXXXIV. ARistoteles solùm egit de Conversione Propositionum de præsenti, & ejus vestigiis insistentes Peripatetici vix verbum de aliis temporibus scribunt: interim, quia Conversionis auxilio Dialectici syllogismorum modos imperfectos & secundarios ad perfectos & primarios reducunt, cùm multi syllogismi de præterito aut futuro sint, reduci ostensivè non poterunt, nisi scivetimus qualiter propositiooes de futuro, præterito, aut temporum aliorum convertantur. Rem exemplis illustro:

An dentur syllogismi de præterito, & de futuro?

Ces- *Nullus homo erat viridis:*
a- *Omnis planta erat viridis:*
re. *Ergo nulla planta erat homo.*

Ci- Omnis senex fuit juvenis:
mes- Nullus puer fuit juvenis:
tres. Ergo oullus puet fuit senex.

Fes- *Nullus homo fuerat aqua:*
ti- *Aliqua glacies fuerat aqua.*
no. *Ergo aliqua glacies non fuerat homo.*

Ba- Omnis homo morietur:
ro- Angelus non morietur:
co. Ergo Angelus non est homo.

Da- *Omnis sanguis fuerit ruber:*
rap- *Omnis sanguis fuerit liquidus:*
ti. *Ergo aliquod liquidum est rubrum.*

DCCCLXXXV. *Prædicamenta decem sunt: & præter Quando, cætera sunt regularia.*

Sed quo modo convertemus istas propositiones? Respondeo esse decem Prædicamenta; inter quæ unum solum est *Quando.* Ergo notandum est; exceptis propositionibus; quæ ad istud Prædicamentum spectant, cæteras omnes; sive sint de præsenti, sive de alio quocumque tempore; nulli periculo esse obnoxias; adeòque posse eodem modo converti, ut cùm dicimus:

Omnis homo erat animal:
Ergo aliquod animal erat homo.
Omnis homo fuit magnus:
Ergo aliquod magnum fuit homo.
Omnis homo fuerat albus:
Ergo aliquod album fuerat homo.
Omnis homo fuerat tibi æqualis:
Ergo aliquis tibi æqualis fuerat homo.
Omnis homo erit Hispanus:
Ergo aliquod Hispanum erit homo.
Omnis homo erit sedens:
Ergo aliquod sedens erit homo.
Omnis homo fuerit togatus:
Ergo aliquod togatum fuerit homo.

Quandò aliquandò est regulare.

Sed neque omnia nomina quæ ad Prædicamentum. *Quandò* spectant extremo sunt obnoxia periculo: ut patet in sequentibus.

Omnia præterita sunt priora præsentibus:
Ergo aliqua priora præsentibus sunt præterita.
Omnis dies est major horâ:
Ergo aliquod majus horâ, est dies.
Omnis dies poterit prodesse.
Ergo aliquod, quod poterit prodesse, erit dies.

Sed illa solùm, quæ inter se habent rationem prioris & posterioris; ob quam causam Conversiones sequentes non possunt tolerari.

Conversiones intolerabiles.

Omnis senex fuit puer:
Ergo aliquis puer fuit senex.
Omne quod est in termino *ad quem*, fuit in termino *à quo.*
Ergo aliquod quod est in termino *à quo*, fuit in termino *ad quem.*
Omnis doctus fuit ignorans:
Ergo aliquis ignorans fuit doctus.
Omnis Magister fuerat discipulus:
Ergo aliquis discipulus fuerat Magister.

Omnis puer erit senex:
Ergo aliquis senex erit puer.

DCCCLXXXVI. Propter has, & similes propositiones debemus novas leges sancire, quæ sint generales, & omni possint tempori & personæ servire: sed antequam propriam sententiam proponamus, proderit Ægidium & Stengelium, qui illi adhæret, audire.

Opinio prima.

Dicunt Regulas à Philosopho traditas, & à vulgo receptas; esse de propositionibus de præsenti: si quis autem illas velit accommodare etiam ad eas, quæ sunt de præterito & futuro, tum præteritum vel futurum resolvere debere in gerundia vel participia præteriti aut futuri temporis & in copulam *Est* secundum regulas ampliandam: verb. grat. ut hæc *Nullus senex erit puer*, mutetur in hanc, *Nullus senex est passurus puerilem ætatem* tunc enim facile convertetur, hoc pacto, *ergo nullus passurus puerilem ætatem est senex*; mutetur in hanc, *nullus puer est passus senectutem*, tum enim rectè convertetur, sic, *ergo nullus passus senectutem, est puer* Bellè hæc talia dicuntur. In forma tamen ad exemplum objectum respondetur, non servari in eo regulam conversionum, ut nimirùm ex prædicato fiat subjectū. Siquidem in hac conversa, *Nullus senex erit puer*, prædicatum non tantùm est τὸ *Puer*, sed etiam τὸ *Erit*, qui tamen posterior semiterminus seu conterminus in convertente non fit subjectum, sed manet prædicatum. Quare juxta rectam normam facienda est hæc convertens, *Ergo nullus, qui erit puer, est vel fuit senex*; sive, *nullus futurus puer est vel fuit senex.* Quando enim verbum significat aliquid ampliùs quàm copulam seu conjunctionem prædicati cum subjecto (ut si significet etiam certam differentiam temporis, præsertim præteriti aut futuri, ut in proposito exemplo contingit) tunc in conversione transferri debet à parte prædicati in partem subjecti, sive resolutum in participium, sive cum additione relativi: deinde in convertente debet copula Est ampliari, ita, ut dicamus, *Est vel fuit senex*: quia *senex* in conversa sumebatur tam pro præsentibus, quam pro præteritis senibus, ac proinde pro iisdem sumi debet in convertente. Quod si *senex* sumeretur etiam pro futuris & possibilibus, tunc falsa esset conversa, & sic non esset mirum, si etiam falsa inferretur. *Sic illi.*

An Aristoteles egerit de propositionibus præteriti & futuri?

An verbi substantivi tempora omnia præter præsens sint adjectiva? Quid si respondeas assertivè?

DCCCLXXXVII. *Ampliatio non est hîc necessaria.*

Duo, ut videris, postulant temporis resolutionem, & copulæ ampliationem: illam necessariam esse admitto, hanc frustrà postulari resolvo. & hîc condoleo Latinæ linguæ, quæ cum participiis careat, vix poterit resolutioni sufficere; sed debebit circumloqui, & per relativum & verbum dicere, quod Græca potest elegantiùs & clariùs. Sed quando utemur participiis illis, quæ superiùs invenimus, nisi hîc utamur? Omnis doctrina debet praxi servire, & quam in Grammaticâ speculativâ tradidimus, debebimus reducere ad praxin. Considera igitur lineas sequentes.

Necessaria sunt participia, quibus Latina lingua caret.

Λέγων.	Lĕgens.	*qui lĕgit.*
* * *	Legebans.	*qui legebat.*
Λέξας.	Lĕgeruns.	*qui lēgit.*
Λελεχώς.	Legerans.	*qui legerat.*
Λέξων.	Lecturus.	*qui leget.*
Λεγῶν.	Lĕgerins.	*qui legerit.*

Et his positis omnes propositiones illas, quæ venerant in controversiam resolvamus.

Omnis

Omnis senex fuit puer:
Omnis senex est fuerans puer.
Omnis senex est qui fuit puer:
Ergo aliquis fuerans puer, est senex.
Ergo aliquis, qui fuit puer, est senex.

Omnis puer erit senex;
Omnis poer est futurus senex.
Omnis puer est, qui erit senex.
Ergo aliquis, qui est futorus senex, est poer.
Ergo aliquis, qui erit senex, est puer,

Omnis Magister fuerat discipulus.
Omnis Magister est fuerans discipulus.
Omnis Magister est, qui fuerat discipulus.
Ergo aliquis fuerans discipulus est Magister.
Ergo aliquis, qui fuerat discipulus, est Magister.

DCCCLXXXVIII Posui tria exempla, & singula quinis propositionibus constantia, quarum prima est quæ jubetur converti. Secunda est in quam transivit in participium resoluta: & tertia in quam in relativum & verbum resoluta mutata est. & hanc ob rem omnes istæ tres propositiones sunt æquipollentes omninò: quarta est convertens secundam, & quinta est convertens tertiam.

Præterea, ut nihil insolutum maneat, illa propositio, *Omne, quod est in termino ad quem, fuit in termino à quo*: non potest converti in hanc, *Aliquod, quod est in termino à quo, fuit in termino ad quem*: sed debet in hanc, *Aliquod, quod fuit in termino a quo, est in termino ad quem.*

ARTICULUS VIII.

Quo convertantur modo Propositionum obliqui?

DCCCLXXXIX. *Qui de* [illegible] Sunt multæ Assertiones, quæ juxta observationes præcedentes facili convertentur negotio, quas tamen debebo proponere & exponere, qui ingeniosis & rudibus etiam scribimus. Sequentes nostra digniores judicamus.

Ioannes est pater Petri:
Ergo Petrus est pater Ioannis.

Paulus debet mihi mille aureos:
Ergo ego debeo Paulo mille aureos.

Omnis effectus supponit causam:
Ergo aliqua causa supponit effectum.

Omnis creatura procedit à Deo
Ergo Deus procedit à creatura.

Omne totum coalescit ex partibus
Ergo aliqua pars coalescit ex toto.

Omnes casus percurrimus, interim exempla etiam, quæ ab aliis ponuntur subscribamus.

Nulla schola est in discipulo:
Ergo nullus discipulus est in schola.

Nullus fluvius est in pisce:
Ergo nullus piscis est in fluvio.

Nulla fornax est in igne:
Ergo nullus ignis est in fornace.

Nullum hospitium est in cantharo:
Ergo nullus cantharus est in hospitio.

Nulla amphora est in aqua:
Ergo nulla aqua est in amphora. &c.

Condemno omnes has consequentias, quia non convertitur prædicatum in subjectum, sed obliqui in rectos, & recti in obliquos mutantur: illæ enim propositiones sic debebant converti. DCCCXC.

Ioannes est pater Petri:
Ergo pater Petri est Ioannes.

Paulus debet mihi mille aureos:
Ergo aliquis qui debet mihi mille aureos, est Paulus.

Omnis effectus supponit causam;
Ergo aliquid, quod supponit causam, est effectus.

Omnis creatura procedit à Deo.
Ergo aliquid, quod procedit à Deo, est creatura.

Omne totum coalescit è partibus:
Ergo aliquid coalescens è partibus, est totum.

Nulla schola est in discipulo:
Ergo aliquid, quod est in discipulo, non est schola.

Nullus fluvius est in pisce:
Ergo aliquid, quod est in pisce, non est fluvius.

Nulla fornax est in igne:
Ergo aliquid, quod est in igne, non est fornax.

Nullum hospitium est in cantharo:
Ergo aliquid, quod est in cantharo, non est hospitium.

Nulla amphora est in aquâ:
Ergo aliquid, quod est in aquâ, non est amphora.

Nullus liber est in mensa:
Ergo aliquid, quod est in mensa, non est liber.

Hic obiter notari volo, illam convertendi formam, quam repudiavi, non esse ita absonam, ut non aliquando ratione materiæ sit bona, puta in correlativis, quando eodem modo alterum extremum respicit, quo respicitur. Pono exempla. *An dentur casus in quibus possit rectus in obliquũ convertit*

Deus est in sanctis:
Ergo sancti sunt in Deo.

Omnis justus est in gratiâ?
Ergo Aliqua gratia est in justo.

Omnis materia unitur forma:
Ergo aliqua forma unitur materiæ.

Petrus dominus est hujus domûs.
Ergo hæc domus est domini Petri.

Manus dextera tangit sinistram:
Ergo sinistra tangit dexteram.

Petrus est frater Francisci:
Ergo Franciscus est frater Petri.

Villa est apud urbem:
Ergo urbs est apud villam. &c.

Plura possem producere: sed hæc sufficiant, ut videant studiosi Dialectici, multa interdum con-

consequentia esse vera, tametsi forma consequentiæ sit mala.

ARTICULUS IX.

De Exceptivarum & Exclusivarum Propositionum Conversione.

DCCCXCI. PAuca de hac materiâ apud alios, & omnia obscura. Inter cæteros magis placet Fonseca *libr. 3. Institit. cap. 25.* & 26. à quo didici has esse bonas conversiones.

Ponuntur loco regularum exempla.

Tantùm animal sentit:
Ergo omne quod sentit est animal.

Solus homo est risibilis:
Ergo omne risibile est homo.

Nullum animal præter hominem ratiocinatur:
Ergo omne animal, quod ratiocinatur, est homo.

Omne animal præter hominem est irrationale.
Ergo omne irrationale est animal distinctum ab homine,
Ergo nullum irrationale est homo.

Omnis gens præter Romanam, est barbara.
Ergo omnis barbarus est è gente distinctâ à Romanâ.
Ergo nullus barbarus est Romanus.

Sunto loco Regularum exempla, & si in conversione hujusmodi Propositionum aliqua difficultas suboriatur, resolve illas in suas exponentes, & posteà singulas converte, si velis. Hæc enim,

Quomodò exclusivæ & exceptivæ exponantur.

Tantùm homo est rationalis.

exponitur ab his,

Omnis homo est rationalis.
& Nullum non homo est rationale.

quæ convertuntur in has,

Omne rationale est homo,
Et nullum rationale est non homo.

Vbi nota, in expositione harum propositionum Viros, etiam doctos, errasse; oportet enim materiam à materia distinguere, aliter enim in necessariâ, & aliter in contingente exceptiones & exclusiones explicamus. *Vide Logic. Vocal. part. 2. art. 8. & 9.*

ARTICULUS X.

De Reduplicativarum Conversione.

DCCCXCII. ADvocas Dialecticos, & Viros omnes doctos & sinceros (ne possint, ne velint te fallere) & interrogas, An iste syllogismus in leges communes impingat? nimirùm,

De Syllogismo reduplicativo.

Omnis homo quà rationalis est risibilis:
Omnis homo quà rationalis est flebilis:
Ergo aliquod flebile est risibile.

Et quia non vides, qui illum condemnet, alterum subiicis. Videlicet,

Omnis homo quà animal est sensibilis:
Omnis homo quà rationalis est risibilis:
Ergo aliquod risibile est sensibile.

& si boni dicantur, vis illos ostensivè ad primam figuram reduci.

Sic tu. At ego respondeo utrumque exorbitantem esse; quia reduplicatio, licèt videatur stare à parte subjecti, afficit solum prædicatum. Illos igitur corrigo & rescribo. Primum sic:

An reduplicatio se teneat ex parte prædicati.

Omnis homo est risibilis quà rationalis:
Omnis homo est flebilis quà rationalis:
Ergo aliquod, quod est flebile quà rationale, est risibile quà rationale.

Hinc venio ad secundum, quem sic corrigo.

Omnis homo est sensibilis quà animal:
Omnis homo est risibilis quà rationalis:
Ergo aliquod, quod est risibile quà rationale, est sensibile quà animal.

Translatâ reduplicatione ad prædicatum, facile erit illos ostensivè reducere ad *Darij*, convertendo videlicet per accidens minores illas. Primam converto sic; DCCCXCIII.

Omnis homo est flebilis quâ rationalis:
Ergo aliquod, quod est flebile quà rationale, est homo.

Secundum autem pari modo. Didici hanc doctrinam à Stengelio, qui *tract. de Convers.* §. 27 *pag.* 118 sic ait. [Vt circulum hunc absolvamus, istæ sunt dissimulandæ. Quid enim consilij capiendum cum talis occurrit enunciatio convertenda, *Omnis homo, quà rationalis, est risibilis*? an ita dicendum, *ergo quoddam risibile est homo, quà rationale?* Nequaquam. Sed nimiò meliùs sic infertur: *ergo quoddam, quod quà rationale est risibile, est homo*: Cùm enim reduplicatio in conversa stet à parte prædicati, debet in convertente stare à parte subjecti, alioquin ex conversa vera inferes aliquando convertentem falsam: ut, *Socrates quà homo, est risibilis; ergo quoddam risibile, quà homo, est Socrates.* Licet enim reduplicatio subjecto sit immediatè subjuncta, & videatur stare à parte subjecti, reverà tamen stat à parte prædicati. Quod luculentiùs apparet, si reduplicativam particulam mutes in præpositionem, *Propter*, aut totam reduplicativam enunciationem exponibilem, in enunciationem exponentem clariorem transferas, ut, *Socrates, quà homo, est risibilis*, id est, *Socrates propter humanitatem est risibilis, ergo quoddam, quod propter humanitatem est risibile, est Socrates.* Item, *Omnis homo, quâ rationalis est risibilis*, id est, *Omnis homo est risibilis, quia rationalis, seu propter rationalitatem; ergo quoddam, quod est risibile, quia rationale, est homo.* Verbo dicam. In conversione reduplicativarum, convertentis subjectum debet constare ex prædicato conversæ, reduplicatione & eo, super quod cadit reduplicatio addito pronomine Quod, hoc modo, *Omne animal in quantum homo, est risibile, ergo aliquod, quod in quantum homo est risibile, est animal.*] Sic ille.

Quid sit reduplicatio? An hæc per præpositionem propter exponatur?

ARTI-

ARTICULUS XI.

De Divinarum Propositionum conversione.

DCCCXCV. *Quantâ circumspectione sit loquendum de Deo?*

SVmmâ reverentiâ sont Divina tractanda, & summâ cauteiâ proferenda; quia cùm regamur verbo & scripto, & Divina omnem linguam & calamum, imò omnem mentem superent, magnis obnoxia erunt periculis, quæ de Deo dicantur, scribantur-ve, nisi sint magnâ religione & prudentiâ condita. At etiam hic possumus nimietate peccare; imò peccarunt illi, qui trepidaverunt timore, ubi non erat timor. Et ut sincerè loquar, ego olim timidè sæpè debui dicere quæ Præceptores præcipiebant, licèt contra intelligerem, nam discipulo licet contra Magistros suos sentire, si ratio postulet; non tamen loqui contra, debet enim captivare intellectum in obsequium Fidei: at in Præceptorum obsequium, non intellectum tenetur captivare, sed linguam: strictiùs enim obstringit Fidei quam fidelitatis religio. At ubi alios audire licuit, multa didici, quæ suspicabar anteà, nec tamen audebam proferre. Et quidem ut doctiùs te instituam, non iam veteres adducam, sed unicum & solum P. Ludovicum Conæum, Pragæ apud Nives Sacræ Theologiæ Professorem, qui in disputatione habita 13. die Decembris, anni 1650. hanc Thesin num. XXII. propugnavit.

Contra Fidem sentire non licet.

Contra Magistros interdum sentire, at nunquam loqui licet.

DCCCXCVI. *An homo factus fuerit Deus? Assertiva est dura, & indiget expositione.*

In profundissimo Incarnationis mysterio duarum naturarum (Humanæ scilicet & Divinæ) quoad proprietates verè & realiter denominantes, utrimque tanta saltem in concreto facta est communicatio, ut verè & appropriatè dicere valeamus, Deus factus est homo, *imo* Homo factus est Deus. *item* Deus est mortalis, Homo est immortalis. Creator est creatura. Immensus est parvus. Verbum est infans. Æternus est temporalis. *&c. nec video amplius cur seculis Nestorianis & Arrianis tantopere cavendum sit ab simili, ut quidam voluit; ab illa assertione simpliciter vera*, Deus est creatura, *maxime Hieronymo dicente, nos libere proclamamus non esse periculum eum dicere* Creaturam, *&c.* Sic Ludovicus.

Strengelius §. 31. pag. 128. proponit alteram propositionem: inquiritque an hæc sit bona consequentia?

An Deus semper fuerit creans?

Deus non fuit semper creans:
Ergo creans non fuit semper Deus.

Et asserit meritò non esse bonam: sed sic debere converti.

Deus non fuit semper creans:
Ergo aliquis, qui non fuit semper creans, est Deus.

nam adverbia, inter quæ est *semper*, & syncategorematа quæcumque prædicato adiecta, debent in conversione à prædicato ad subiectum transire.

DCCCXCVII. *Quid sit æternitas?*

Sic respondet, & benè Dialecticus: at Philosophus Theologusque ad æternitatem convertens oculos, dicet Deum semper esse eundem, & denominationes in nobis mutari non in ipso: nam æternitas, quâ durat Deus, est duratio infinita, tota simul. Hanc ob rem assero has duas propositiones,

Creatio est relativa, & dicit esse in & esse ad.

Deus fuit semper creans.
Deus non fuit semper creans,

si bene exponantur, esse veras, & non esse contradictorias. Nam creatio, cùm relativa sit, dicit duo *esse in* & *esse ad*. Secundum *esse in* est in Deo, adeòque æternaliter & semper fuit. at verò secundum *esse ad* est in [illegible] creatura tempore, quod producit. Nec mirum [illegible] eidem formalitati duas durationes adscribamus, nam Petro, qui vult cras sibi loqui, duo res [illegible] dēt tempora: quoniam illa volitio secundum *esse in*, est hodie, est nunc; & secundum *esse ad*, ad crastinam diem terminatur.

An eadem realitas duobus temporibus durare possit?

LIBER VIII.

PRINCIPIA PER SE NOTA COMPLECTENS.

DCCCXCVIII. *Scientiarū finis.* *Habitus primorum Principiorum.*

SCholasticarum Facultatum nullus finis est alius quàm cognoscere res ut sunt in se: manuducuntur ab Habitu primorum principiorum, qui supponendo, exponendo, demonstrando, illustrando circa primarias veritates versatur; sunt qui existiment se tunc solidiùs philosophari cùm liberiùs admittunt concipiendi modos exoticos, & ideas rebus contradicentes. Habent Philosophos antiquos Duces, fateor: Sed sincerè loquendo semper Asophiam esse credidi doctrinam veterum putantium res aliter quàm in se sint, debere concipi. Rationale inquiunt, ab animali minimè distingui, neque ab attributis naturam divinam, hanc tamen illudque majoris claritatis gratiâ, ut distinctam concipi oportere. Impatiens Papa Leo hujusmodi Doctorum Asophiam condemnat, modumque Dei intelligendi sic expendit, *Cùm ad intelligendam (utique) dignitatem summæ Trinitatis, Dilectissimi, aciem mentis intendimus, nihil diversum ab illa excellentia Patris & Filij cogitemus, quia in nullo ab unitate sua discrepat Divina essentia.* Igitur nec prior est intelligendus, qui prior non est, nec major, qui æqualis; nec distinctus, qui identificatus, nec multiplex, qui simplex.

Errat, qui res aliter concipit, quàm sunt in se.

Quomodò Deus concipi debeat?

Succreverat olim non sine laude ingenij schola illorum, qui per impossibiles rerum hypotheses sine fructu ullo discipulos manuducebant. Contra illos Aristoteles 2. meth. text. 4. *Sicut res se habet ad esse*, inquit, *ita ad cognosci*, vel ut Monfortius in Axiomatum Philosopho pag. 137. legit. *Ut secundum esse unumquodque se habet, ita etiam secundum veritatem [aut cognoscibilitatem]* unde iam universi docemus *Oportere cognosci res ut sunt in se*, nimirùm intrinsecè & extrinsecè: quia sicut res existere non potest in rerum naturâ, ni extiterint etiam eius causæ, intrinsecæ & extrinsecæ, sic etiam (optimè id observante post Philosophos multos Sanct. Bedâ) non poterit perfectè cognosci, ni causæ omnes intrinsecæ & extrinsecæ præcognoscantur.

Impossibiles hypotheses aliquando juvant; non semper.

Dices, sine erroris periculo cognosci res aliter, quàm realiter sunt; quoniam corrigitur statim intellectus: qui enim actu directo Divinitatem ab attributis distingui concipit, reflexo hanc ideam corrigit, & mentem suam falli judicat. Divinitatemque ab Attributis non distingui.

Melius, quàm mentem corrigere est ita philosophari, ut nihil corrigere debeamus.

Excusantur excusationes in peccatis cùm peccata excusantur; non indigebit correctione mens tua quamdiù non erret: discat igitur non errare, & corrigi non debebit. Facultas ea, quæ commissos errores corrigit, cur non it obviam committendis? An ille Lyrœdus doctior censebitur, qui dissonantias strepitans suum cognoscit errorem; an verò ille, qui præcavens ne erret, consonantes pulsat fides, locisque ab arte designatis dissonas interpellat? SOPHIAM igitur dico *facultatem, qua instructa mens humana res cognoscit ut in se sunt* ASOPHIAM, *habitum illum, quo infecta mentis exorbitat cognitio, & sua res obiectas intelligit, ut egeat correctione.* Cùm ergo novum Sophiæ Metaphysicæ ludum aperio, in illius cognitionis, quæ intelligit res ut sunt in se, discussionem & examen collimo.

Quid sit Sophia? quid Asophia?

HYPOTHESIS VNICA.

Omnis discursiva notitia aliquid præcognitum supponit.
Arist. 1. Post. text. 1.

DCCCXCIX. *Homo debet aliqua necessariò supponere. Sed quæ?*

HOMO creatura intellectualis est, sed discursiva; quâ intellectualis, appetitu naturali desiderat universa cognoscere: quà discursiva supponere debet Principia, è quibus Conclusiones deducat. Discursum tollit, naufragioque se præparat, qui generosi genij [illegible] aliqua dedignatur supponere; periculo [illegible] qui probabilia; stolidè qui dubia supponit. *Primò* omnia illa, quæ Catholica fides, & *Secundò*, quæ experientia Scientiarum omnium parens nos docet, supponere necessarium est: quia

Fidei summa securitas.

An Mens à Sensu pendeat?

quia, ut benè observat Aristoteles, libro de sensu & sensib. & primo Phys. omnem universa cognitio ortum ducit à sensibus, unde prodiit Axioma, *Nihil in intellectu omninò esse, quod priùs non fuerit in sensu materiali*, affirmans. Præter Fidei articulos, & experientiæ observationes nihil temerè aut incautè supponendum est: plurimi enim Ideas Ideis vacillantibus superponentes Ontosophicam erexêre Academiam, quæ vel mole suâ postmodùm corruit nemine arietante. Subsistere nequit scientia, si in peccato originali concipitur; in peccato concipitur, cùm Metaphysicus Artifex peccat in originali conceptu. Securum igitur erecturus ædificium, Ideas, Theorias, Contemplationes adamantinâ fundabo Hypothesi, quæ arietari non possit. Erit originalis conceptus, è quo scaturiant reliqui, Basis quæ subcollet Theoremata, Fundamentum cui solidè Theses insistant, Positio unica, quam hactènus sine ignorantiæ notâ nemo mortalium denegavit. *Supponam significationem unius vocis: nil aliud.* Mavult curiosius Architectus sublime Μεσεμβολ erigere, quam multas substruere columnas vacillantes. Mavult providus Navarchus credere procelloso Oceano æquilibrem μονόκεντον, quàm πολύκεντον exorbitantem. Mavult colonus avidius arborem μονόριζον, quàm multas steriles radices. Malo & ego Basim simplicem eamque immobilem, quàm plurimas instantes debiles & imbecilles.

Scientia concepta in peccato originali: quæ?

Quid supponimus.

CM. An expediat de singulis rebus dubitare?

Cùm vix quidpiam suppono, cùmque singula ad examen reduco, videor condemnari à vulgari sententiâ, asserente *Esse prorsus utile de singulis rebus dubitare.* Talia dubia inutilia non esse Monfortius in Philosophicorum Axiomatum pag. 200. ostendit; esse vitiosa, qui profitetur Scientias, omninò necessaria, ipsamet experientia persuadet. Languent Artes, laborant nugis disciplinæ, quòd veterum hypotheses, quas ipsi statuerunt leviter, nostrates admiserint inconsideratè. Nulla est facultas, quæ non habeat multa Principia valde dubia, aliqua apertè falsa. Et ut alias omittam, naturalibus Scientiis sublimior Astronomia supponit *primò* Errones moveri circulariter; *Secundò* nunquam agi remissiùs aut velociùs: cùm neutrum aut experientia aut ratio suadeat. Addunt *tertiò* Saturnum esse Iove elatiorem, sed non demonstrant mathematicè: Subjugunt *quartò* stellas aplanticas esse globos immensæ magnitudinis, cùm videantur esse potiùs Solis tametsi valdè magni imagines. Sunt his principiis similia multa alia in aliis facultatibus; quæ deberent proscribi, nam cum scientiarũ summâ jacturâ tolerantur. Ne igitur, sicut aliæ hodie Facultates, nostra etiam laboret Metaphysica, hanc substernamus fundamentalẽ basim; videlicet.

Vix est Facultas quæ multa falsa non supponat. Et in exemplum producitur Astronomia.

Impoßibile dicitur illud, quod quamdiu est impoßibile, excludit omnem potentiam & contingentiam ad essendum.

CMI. Basis totius Metaphysica.

Principiorum & Conclusionum differentia.

HOc Asserto principiè omnia Ego Principia & Conclusiones Metaphysicas certissimè & securissimè fundabo.

Sed quia Principia à Conclusionibus distingno, discrimen doceri desideras: & verbo ego respondeo, Principia per se nota in eo à demonstratis Conclusionibus differre, quòd hæ à priori vel à posteriori: illa autem ex terminorum connexione, ostendantur. Præmissa Prothesis Principium per se notum est, imò primum Principium; quia primum, ostendi à priori nequit; & quia nihil omninò supponimus nequid ostendi à posteriori: debet igitur vel non cognosci vel esse per se nota.

Homines vocibus egent, ut se intelligant.

Vt igitur hæc Prothesis per semetipsam innotescat, supponendum est homines indigere vocibus ut suos conceptus manifestent, cùm enim Angeli non sint nec aliorum mentes intueantur, signis externis indigent conceptuum significativis. Ens igitur quod vel per se vel ex suppositione, caret omni potentiâ ad existendum, aliquâ voce indigitandum est. Hæc vox sit *Impossibile*; quæ si non placeat, per me stat ut substituas alteram æquivalentem, non enim de vocibus est disputandum: ergo admissâ voce *Impossibile* stat Prothesis, nempè *Impossibile dicitur illud quod quamdiu est impossibile, excludit omnem contingentiam & omnem potentiam ad essendum.*

Impossibile quid?

Poßibile dicitur illud, quod nullam repugnantiam involvit. Synthesis *Illud in quo, post examen legitimum ne quidem probabilem repugnantiam percipimus, poßibile debemus dicere: in quo autem nullam repugnantiam evidentem percipimus, poßibile dicere possumus: fortè & debemus.*

CMII. N.B. Non scire rem esse, & scire rem non esse non est idem.

QVando agitur de rei possibilitate aut impossibilitate, una ex his quatuor Positionibus admitti debebit omninò; I. *Evidens est rem repugnare.* II. *Evidens est non repugnare.* III. *Probabile est eamdem repugnare, adeoque æque probabile eamdem non repugnare.* IV. *Nulla*

repugnantia percipitur. Rem, quam non repugnare est evidens, debebimus possibilem dicere: quia evidentia confessionem extorquet. Rem, quam repugnare est evidens, debebimus impossibilem dicere: quia repugnantiæ evidentia illuc nos cogit. At quando repugnantia est merè probabilis possumus stare à possibilitate, & rem pronunciare possibilem. An & debebimus? Si agamus de creaturis, liberiùs poterimus philosophari; cautiùs si de Creatore. Probabilitas neminem cogit, si sit sola: at si armetur pietate aut urbanitate, efficax est. Patet in B. Virginis conceptione purissimâ: hoc enim ipso quod probabilis sit, ab his, qui volumus illi servire, asseri debet. Ergo à fortiori debemus de Deo philosophari. Est omnipotens, & hoc est evidenter certum: est in possessione Omnipotentiæ: & videretur non esse verè urbanus (ut de pietate nihil dicam) qui in probabilitate partium Omnipotentiam à certâ possessione detrudat, & hoc ex motivis incertis. Interim stando rigori Scholastico, quod probabilem repugnantiam involvit, probabiliter impossibile est, & qui illud ipsum fieri à Deo posse neget, nihil improbabile dicet.

De repugnantiâ probabili.

B. Virginis immaculata conceptio.

Deus Omnipotens.

CMIII. *Regula generali est standum quousque constet de exceptione.*

Sed quid, si nulla appareat ratio, quæ aut repugnantiam, aut possibilitatem persuadeat? An-ne hæc ipsa cæcitas & ignorantia erit sufficiens, ut rem asseramus possibilem? Erit omninò: quia standum est Regulæ generali, quamdiu non relinquit exceptio: quamobrem, cùm Regula generalis hæc sit, *Omnia sunt possibilia Deo exceptis quæ repugnantiam dicunt:* stabimus à possibilitate, quamdiù repugnantia non percipitur.

Dubium incidens.

CMIV. *An obedientialis potentia benè soleat probari?*

NOnnulli, ut benè observat & expendit Comptonus *in Physic. disp. 26. sect. 1.* ut obedientialem & multas alias potentias negent, hanc consequentiam *Nulla apparet repugnantia, si musca elevetur ad creandum Angelum; Ergo elevari poterit ad eum creandum,* pronunciant non esse legitimam, nec ex illo antecedente posse quempiam prudenter inferre, posse muscam per elevationem assumi ad hunc effectum. Licèt enim, inquiunt, implicantia illic non appareat, potest tamen esse; nullius enim tam perspicax est ingenium, quamvis doctus sit & his in rebus versatus, ut omnia, quæ in re aliquâ latent, discernat. Quare, negant in his circumstantiis prudenter judicaturum quemquam, vel posse muscam ad hunc effectum elevari, vel non posse, sed ajunt suspendendum esse judicium. Et ex hoc principio non admittunt potentiam obedientialem latam, ut vocant, quâ scilicet res quævis quidlibet fermè efficiat. Alii autem contrà, *Si reverà nulla sit implicantia,* inquiunt, *res est possibilis; Ergo si nulla appareat, seu nihil absurdi, aut ridiculi, prudenter affirmare poterimus rem illam esse possibilem.*

An sit bona consequentia, Non apparet: ergo non est?

Et quidem rem claram & certam rumores hinc inde subtilitatibus supervacaneis implicuerunt; & nos ex majori parte Comptoni sententiæ subscribentes, controversiam ad sequentes Positiones reducimus.

CMV. *Ad actum à potentiâ non valet consequentia.*

PRIMA. *Hæc consequentia, [Non repugnat talem rem existere, Ergo existit,] mala est.* Patet quia non licet argumentari à potentia ad actum affirmativè; multa enim esse possunt, quæ in rerum natura non sunt. Quamobrem considerando terminorum rigorem, non putarem argumentari benè, qui diceret, *Non repugnat potentia visiva in cæco, Ergo eam cæcus habet. Non repugnat lumen gloriæ* (potentia est, quâ Cœlites intuentur Deum) *in viatore, Ergo illam habet:* nec etiam argumentari benè, qui diceret, *Non repugnat potentia obedientialis, Ergo datur de facto.* hæ enim consequentiæ essent similes isti, *Non repugnat alius mundus, Ergo datur de facto,* quam nullus vir eruditus admittet. Ergo aliter debet consequentia hæc proponi, ut intentum evincat.

CMVI.

SECUNDA. *Hæc consequentia, [Non percipio aliquam repugnantiam, Ergo nulla datur,] non semper est bona.* Et opinor eum, qui semel terminos hujus Assertionis benè intelligat, illam non esse negaturum. Duplici enim ex capite fieri potest (ut benè nos monet Comptonus) ut hæc consequentia non teneat: nimirùm, ex parte intellectûs judicantis, & ex parte rei de quâ fertur judicium. Et quia intellectus est Animi rationalis oculus, præmitto unum exemplum, ut rem totam dilucidem. Inquit Petrus: *Ego nullum hominem video in hoc antro: nullus igitur est.* An-ne legitimè dialecticatur? Quid, si Petrus sit cœcus? quid si caliget oculis? quid si hæreat in loco, ex quo media concavitatis pars detegitur? An-non in antri parte invisâ esse poterunt aliqui, quos ipse non videat? Et hæc omnia dixerim considerando ipsummet Petrum. Et convertendo ad locum oculos subdubitare incipiam, An antrum sit caliginosum? Petrus enim, tametsi lynceus, in loco tenebroso nil percipit. Quid, si caverna vasta sit? nam experimur quotidie nos interdum remotas animantes videre, at illas non posse distinguere. Sæpè percipit objectum distans oculus, & intellectus judicare non potest, An sit lapis, an arbos, an homo, an equus? His ergo præpositis ad intellectum redeo. Inquit Petrus, *Ego non video repugnantiam, Ergo non est.* Et Ego statim quæro, qualis sit Petrus? Quid si cæcutiat aut saltem caliget ille mente, & res elatiores non percipiat; quod sæpe solet: nam si rusticus, aut ignarus aliquis re quâpiam objectâ, statim eam vel possibilem esse pronunciaret, vel impossibilem, haud dubiè imprudenter faceret, cùm isthæc captum ejus superent: meritò proinde de eorum numero censendus esset, qui ad pauca respiciens definitet: Et ad rem judicandam convertens oculos, ajo sæpè veritatem latere in puteo profundissimo & obscurissimo. Sit Petrus optimo ingenio præditus; quid inde, si locus sit obscurus & indigeat luce? me judice, non est pronuncianda definitiva sententia de re ignotâ, sed lux quærenda. Sed quæ lux? sæpe Theologicis tenebris Fides; sæpe naturales & libe-

Multa sunt in re cognoscendâ impedimenta.

Ob nimiam distantiam non nisi confusè percipimus.

Non quilibet potest esse repugnantiæ judex.

Quærenda in obscuris est lux: sed quæ?

& liberales Scientiæ sunt lux. Quid, si etiam locus varius sit? Non enim statim resolutio de re remotâ danda; sed accedendum potiùs per quæstiones & resolutiones intermedias, à quibus dependet posterior. Sic debet procedere Petrus: & procedet imprudenter omninò, si ferat judicium de re improportionatâ, in quâ nimirùm non inveniat, in quo figat pedem. Sic, imprudenter quis judicaverit astra vel paria esse, vel imparia, cùm huic objecto oculos mentis habeamus clausos, & de hoc ferre judicium perinde est, ac si cæcus judicaret de coloribus. Et quis hic existens judicare vellet quâ parte ventus perflet Constantinopoli? Et quia fortassè aliquis ventorum impetum ad causas naturales reducet, & opinabitur eorumdem vices à Viro Astrologo ignorari non posse, progrediar, & interrogabo, An hæc diceret aut prædiceret prudenter Petrus, si non esset Astrologus? & ad certiora veniens, An posset definire prudenter, utrùm Sinensium Imperator sedeat aut stet? utrùm Persarum Rex jaceat aut ambulet; taceat loquatur-ve? quoniam, si hæc ille definiret, temeritatem summam proderet, prudentiam nullam. Et hoc sensu, ut opinor, intelligi debet P. Vasquez *1. part. disp. 75. cap. 2. num. 11.* dum ait, *Observandum est, ut asseneremus aliquid fieri à Deo posse, non semper satis esse, non apparere nobis contradictionem aliquam; siquidem reverà esse potest, etiamsi nobis non appareat:* nobis enim, ut dixi, multa non patent: non solùm quia cæcutimus, sed etiam quia rerum aliæ habitant caliginem impenetrabilem, aliæ lucem inaccessibilem. Huc multi Sacræ-Scripturæ loci pertinent; inter quos aptissimus ille, qui ex Sapientia deducitur. *Cogitationes mortalium*, inquit Sapiens, *sunt timidæ; & incerta providentia nostra*, & cur non essent timidæ, si incertæ? & cur non incertæ, si timidæ. Formido oritur ab incertitudine, & à formidine animi perturbatio, quicum componi certitudo non potest. Addit Sapiens: *Corpus quod corrumpitur, aggravat animum; & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem:* quamobrem vix relinquitur nobis via ut Veritatem certò & securè invenire possimus. Mens errat, cùm cogitat pauca: cùm cogitat multa, deprimitur: quid ergo faciet, si medium non datur inter pauca & non pauca? Subdit ille: *Difficile existimamus* (cognoscere) *quæ in terrâ sunt; & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore.* Ergo si tantus est adhibendus labor, ut sciamus quæ ob oculos sunt, & inquirentes remota & sublimia laborem adhibere nolimus, quantâ prudentiâ possimus affirmare omnia non esse quæ, nisi cæci etiam simus, cognoscere manifestè poterimus. Hinc nascitur Positio.

De mediatis temerè judicatur.
An astra sint paria?
An Astrologi cæli mutationes prædicant?
Rerum obscuritas & claritas.
Sapient. 9. 14.

CMVIII. *Tenenda resolutio.*

Tertia. *Vir doctus, si serio (hoc est, impenso tempore sufficiente; & adhibito labore & studio competente) rem examinavit, & omnibus, quæ ad ejus impossibilitatem stabiliendam ab adversariis objiciuntur, benè perpensis & examinatis, nullam implicantiam percipiat, probabiliter, adeoque prudenter statuet rem illam possibilem esse.* Considerentur quæso verba singula, ne lateat aliqua æquivocatio. *Primò* enim judicium de rei possibilitate aut impossibilitate, non cuicumque sed solis Viris doctis permittitur: non enim cæcus de coloribus judicat, nec de subtilissimis sui meditatibus obtusa ingenia. *Secundo* volumus, ne Vir doctus temerè in re gravi pronunciet: sed tempus & studium impendat: rarus enim aut nullus est ex tempore sapiens. omnia enim humana indigent tempore. *Tertiò*, desideramus, ne nimiùm sibi confidat ille Vir, sed libros legat, & alios etiam doctos audiat; non enim omnia occurrunt uni, & sæpè Magistro suggerit discipulus, quæ ille ignorabat. *Et tandem* præter hæc omnia volumus, ut Judex ille non definitivam, sed interloquutoriam sententiam proferat: hoc est, non ultimam, sed intermediam: non certam, sed probabilem tantùm: amplectendam tamen & propugnandam prudentissimè, quousque aliunde possit haberi certitudo. *Et quidem* hanc positionem sic expositam, tam claram & evidentem judico, ut existimem omnium Veterum fuisse, & omnium juniorum etiam esse.

Quis debeat esse judex:
Et quantâ circumspectione debeat ad sententiam precedere?
Interloquutoriâ sententia.

CMVIIII. *Authores, qui hoc argumentandi modo utuntur.*

Hoc argumentandi & discutiendi modo multi utuntur, non solùm Expositores & Concionatores, sed etiam severi Scholastici. Suarius enim *1. part. lib. 2. cap. 13. num. 10.* postquam dixerat esse possibilem speciem impressam Dei, *Ratio*, inquit, *hujus assertionis est; quia nulla contradictionis implicatio, vel repugnantia in hoc invenitur.* &c. Et posteà idem habet Author *libr. 1. de Angelis cap. 13. num. 13.* disputans de possibilitate plurium Angelorum numero tantùm distinctorum, sic habet: *Contentus ero brevi responsione fundamentorum, quia eo ipso quod ex parte rei non ostenditur, neque ostendi potest implicantia probatur id fieri posse a Deo.* Quid clarius? quod & alibi sæpè tradit. Idem etiam docet P. Raynaudus d. 8. Theol. Moral. quæst. 5. a. 2. num. 300. de hac ipsa re loquens, sic habet. *Si occurrat, contradictio, negandum erit rem esse à Deo factibilem; si non interveniat, fatendum erit eam esse Deo possibilem. Et quamquam quamdiu non probatur positivè quòd desit contradictio; tantumque nulla nobis occurrit, non adsit sufficiens fundamentum absolutè pronunciandi rem esse possibilem, quia potest contradictio latere, & subesse, quamvis non appareat, tamen tunc non habemus unde eam negemus possibilem; & ex anticipato Divinæ perfectionis & potentiæ, nostræ autem in rerum naturâ penetrandâ imbecillitatis præjudicio, simpliciter licet affirmare rem esse possibilem; non quod talis eo ipso probetur evidenter, sed quod verisimiliter talis censeatur; cùm nulla repugnantia occurrit, examine præmisso.* Cujus verba libentissimè in Comprono legi, & huc transtuli; quoniam non solùm nostram sententiam tradunt, sed illam explicant & dilucidant.

An detur species impressa Dei?
An Angeli distinguantur specie?
Nota id præjudicium.

CMIX.

P. Vasquez hac Dialecticâ utitur frequentissimè: quoniam gravissimas Conclusiones ab oppositarum expugnatione deducit: quoniam si illæ sint falsæ, & nulla alia superesit

An mundus esse potuerit ab æterno?

præter hanc, ita erit vera. Cui posset aliquis objicere, fortè latere alium dicendi modum, quem ipse non perspicit: & tamen à suâ Conclusione ille stat, non obstante objicientis formidine. Vide ejusdem Comment. in 1. *part. d.* 77. *cap.* 5. *num.* 18. ubi postquam dixisset creaturam potuisse esse ab æterno, sic subdit: *Hoc autem manifestum erit, si solverimus rationes, quæ huic sententiæ solent opponi.* Et 3. *p. To.*1. *d.* 74. *c.* 7. *n.* 49. id ipsum clarissimè tradit, nempè, *si nullam in aliquo objecto implicationem contradictionis invenamus, sufficere ut potentiam illud producendi tribuamus virtuti Divinæ.* Quæ non potest non mitari Comptonus non neminem, qui (licet se multum operæ in auctoribus hac de re perlegendis posuisse asserat) dicit nihilominùs vix quemquam, præter unum P. Arriagam, affirmasse non apparentiam implicantiæ in re aliquâ post maturam illius inspectionem sufficere, ut quis prudenter ac probabiliter judicet eam non esse impossibilem. Sed quomodo Arriaga discurrit?

An duæ formæ esse simul possint in eodem subjecto?

Est optimus meus amicus, aliusque ingenium magni facio, & libros libentissimè lego; & frequentissimè utitur hoc argumento. Nam *disp.* 3. *Physic. sect.* 6. *subs.* 6. *pag.* 289. ait: *Possunt de potentia absoluta duæ formæ substantiales uniri simul eidem subjecto. Vix enim sufficienter explicatur, quomodo de facto non dentur simul. Quod si hoc negatur, præcisè id fit, quia non apparet earum necessitas: in ordine autem ad potentiam absolutam non potest inde negari: unde enim duo contradictoria in ea formarum coexistentia reperientur?* Ecce censentur esse bonæ consequentiæ, *Non apparet necessitas, Ergo non datur. Non occurrit contradictio, Ergo non datur.* Et *disp.* 4. *sect.* 2. *subs.* 3. *num.* 63. *pag.* 301. unicâ unione & non duplici extrema nectit, quod nulla appareat necessitas ponendi duas inter materiam & formam.

An unio sit duplex.

Et *disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 48. *pag.* 317. docet esse possibile corpus simplex, *quia non est negandum Omnipotentiæ divinæ, quod non involvit saltem apparentem contradictionem; qualis non reperitur in tali corpore simplici, ut ex solutione eorum quæ possunt afferri ostensum est.*

An detur corpus simplex?

Et posteà *disp.* 11. *sect.* 4. *subs.* 3. *pag.* 404. admittit potentiam obedientialem, *quia non implicat contradictionem ejusmodi elevatio, ut ex solutione argumentorum constat: non ergo est neganda Divinæ Omnipotentiæ.* Et statim contrariam doctrinam rejicit, *quia manifestam involvere implicantiam videtur.*

An detur potentia obedientialis?

Et tandem, ne pluribus Lectorem onerem, *disp.* 13. *Phys. sect.* 3. *num.* 20. admittit creaturam possibilem summam & infimam, & probat *solutione argumentorum; ostenditur enim,* ut ait, *nullam esse in tali creatura repugnantiam.*

An detur creatura summa & infima?

CMX. *An ex eodem antecedenti possint deduci consequentia contraria?*

Et quidem occasione hujus ultimæ opinionis, notandum est Arriagam, Comptonumq; uti diversâ Logicâ. Ait Arriaga, *Non apparet cur non possit Deus condere creaturam supremam & infimam: Ergo illam producere potest.* Et Comptonus *disp.* 46. *Phys. sect.* 8. *num.* 1. *pag.* 395. longè meliùs & verisimiliùs affirmat *probabilius sibi videri non esse possibilem creaturam hujusmodi perfectissimam: quia nullam videt rationem urgentem ad illam adstruendam; quæque in aliis multis ab omnibus solvi non debeat. Imo ipsemet (Arriaga) qui argumenta ad illius possibilitatem ostendendam proponit, fatetur alibi ea esse fallacia. Cur ergo nulla sit necessitas eam concedendi, satius mihi videtur eam negare: præsertim, cum illa incommoda ex illius concessione sequantur.* &c. Et quidem Arriaga, non obstante hac Comptoni Dialecticâ, retinet suum argumentandi modum nam *disp.* 11. *Phys. sect.* 5. *subsect.* 2. *num.* 97. *pag.* 407. ut neget Creaturam posse creare, argumenta posita in contrarium dissolvit, & ait: *Ex dictis infero nullam esse rationem probantem repugnare creaturam posse creare; unde dicendum censeo, primò propter authoritatem communem, de facto nullam creaturam productam fuisse, quæ habeat virtutem ad creandum. Secundo, probabilius apparere posse à Deo creari de potentia absoluta creaturam aliquam habentem virtutem natura sua ad creandum, non solum ut causam instrumentalem, sed etiam ut principalem. Hæc sufficienter videntur probata ex solutione argumentorum, quibus videbatur ostendi repugnare; quia in ordine ad potentiam absolutam ea solum sunt neganda, quæ manifestam involvunt contradictionem.* Eodem modo loqui & argumentari solent plurimi Viri docti: Erice *t.* 4. *d.* 40. *num.* 82. Fasol. 1. *part. quæst.* 7. *art.* 4. *d.* 12. *n.* 12. Mol. 1. *part. quæst.* 12. *d.* 1. *concl.* 4. Valentia *t.* 4. *d.* 1. *q.* 4. *p.* 3. *§. Ideo plenius.* Tanner. 1. *part. quæst.* 11. *d.* 4. *n.* 4. Ripald. *libr.* 1. *de ente Supern. d.* 11. *S.* 3. *n.* 12. Granado *tr. de poten. Dei d.* 9. *num.* 14. Oviedo, *con.* 7. *Phys. pag.* 7. *num.* 7. *& cont.* 8. *p.* 2. *§.* 2. *n.* 14. *& cont.* 9. *p.* 7. *§.* 2. *n.* 7. & alii.

An possit creatura creare?

Nota id bene

Rationes positivæ.

QVatuor præcipuas proponit P. Thomas Comptonus *sect. disputationis* 26. jam citatæ: quas proderit examinare. Est

Prima.

CMXI. *De judice hujus controversiæ.*

SI vir doctus, & in materiâ, de quâ agitur benè versatus (nec enim de coloribus cæcus, tametsi aure perfectissimâ præditus; nec de Theologicis Astronomus, licèt Geometricis notitiis benè instructus) post seriam omnium circumstantiarum ponderationem & discussionem, nullam in eâ discernat implicantiam, probabiliter sibi persuadere potest nullam esse: quidni enim adhibitâ sedulâ intellectûs perscrutatione, æquè hoc in re illâ prædicatum adverteret, ac alia advertit, quamvis abdita subinde, & abstrusa, & maximè à sensibus remota? Certè immeritò is temeritatis argueretur, & censeretur improbabiliter discurrere: aut, si hic præceps censebitur, quis demùm existimabitur prudens?

Hæc

Reg. 45. Iuris Canonici.

Hæc ratio reducitur ad Iuris Canonici illam Regulam, *Inspicimus in obscuris id quod est verisimilius: vel quod plerumque fieri consuevit*: Et potest hoc ratiocinio confirmari: *Argumentum probabile.* [Verisimilius est patere omnia essentialia prædicata objecti, si quid accuratè examinabit vir doctus, quàm latere: Atqui quæsivit repugnantiã, & nullã in tali objecto invenit: Ergo nulla repugnantia in illo est. Probatur major. In dubiis, incertis & obscuris debemus Philosophari juxta ea, quæ plerumque fieri solent: at experientia non docet viros doctos post debitum examen & studium plerumque decipi; imò docet absolutè contrarium: Ergò non temerè, sed prudenter procedit intellectus noster, cùm post debitum examen ait, Non percipio repugnantiam: ergò probabile (imò probabilius; aut etiam certum moraliter est, si velis) nullam esse.] Et hinc patet, quid objectionibus sit respondendum.

CMXII. *An detur impressa species Dei?*

Opponet aliquis. Tametsi nulla à Francisco Suario in specie impressâ Dei, verbi gratiâ, repugnantia aut contradictio perspiciatur, potest tamen illic aliqua esse, quę Suarium lateat: Ergò temerè procedit & periculo manifesto se exponit, dum negat ibi latere implicantiam, quæ fortassè ibi latet, & ab Angelo aut ab alio viro subtiliore percipitur.

An temeritas sit subscribere opinioni probabili?

Huic rationi respondeo, non processisse Suarium temerè: quia non procedit temerè, qui prudenter: & prudenter, qui sequitur opinionem probabilem. At dices accensendum temeritati esse subscribere opinioni probabili: & dum hæc dicis Comptono displices: qui sic ait. [Si enim ideircò temerè quis procedere censeatur, & errandi se periculo exponere, quod res aliter se habere possit, quam ipse judicet, ergò licèt pro implicantiâ in re illâ habeat quis rationem positivam probabilem, imprudenter censebitur assensum præbere, & temerè de eâ judicium ferre: *Omnis probabilitas est fallibilis.* omnis enim ratio probabilis est fallibilis, & in hoc differt à certitudine, ergò res aliter se habere potest, ergò errandi se periculo exponit. Imò hinc ulteriùs sequeretur, neminem rationi probabili posse citra imprudentiæ notam assentiri, cùm secundum hunc philosophandi modum, temeritatis se periculo exponeret.] Ajo igitur, qui probabiliter *An & cui sit periculo expositus?* pronunciat se magno, & se nulli periculo exponere. Magno quidem realiter: quia, quæ asserit poterunt aliter se habere. Nulli moraliter; quia cùm evidentias raras aut etiam ferè nullas homo habeat, prudentissimè probabilitatem sequitur, & aliquando tenetur, puta si probabilitas sit inter terminos contradictorios: nam si detur casus, in quo aliquis teneatur probabiliter tacere, aut etiam probabiliter loqui, cùm non possit utrumque omittere, velit nolit debebit sequi opinionem probabilem. Nulli scholasticè: non enim profitemur facultates, in quibus puræ demonstrationes sint; sed in quibus conjecturæ & probabilitates: & officio suo scholasticò satisfacere dicendus est, qui probabiliter philosophatur.

Caramuelis Metalog. Lib. VIII.

Secunda.

CMXIII. *De disparitate, & paritate.*

Firmatur etiam nostra Resolutio paritate rationis: quoniam hæc argumentatio in scholis (assentientibus etiam adversariis) semper est habita legitima, *Nulla apparet inter res istas disparitas, ergò nulla est: Nulla apparet necessitas statuendi rationem distinctam inter animam & corpus, actionem inter agens & terminum, admittendi ubicationem aut durationem realiter à subjecto distinctam: nulla est igitur actio, nulla unio, nulla ubicatio, nulla duratio realiter à subjectis distinctâ.* Ergò eodem modo dicere poterimus, *Nulla apparet repugnantia: Ergo nulla datur.*

An sit efficax argumentandi forma à paritate rationis?

De ubicatione, duratione, & actione.

Confirmatur. Iste est bonus argumentandi modus: *Nihil dicendum est sine fundamento: At nullum apparet fundamentum hoc aut illud dicendi: Ergo non est asserendum.* Ergò etiam iste erit bonus: *Nihil negandum est Omnipotentiæ, quod non implicat contradictionem: in hoc aut illo nulla apparet contradictio: Ergo hoc aut illud non debet Omnipotentiæ denegari.* Quamobrem, si tenetur rationem dare, qui priori syllogismo respondere voluerit: tenebitur implicantiam dare, qui secundo.

Tertia.

CMXIV. *An doctè Augustinus scripsit, quæ postea retractare debuit?*

Augustinus doctissimus fuit, & cùm priora scripsit, summam eruditionem; & cum eadem retractavit, summam humilitatem præ se tulit. An-ne priora, quæ delevit postea, & inscripta esse voluit, temerè scripsit? minimè. Et cur quæso olim Augustinus hæc scripsit; & posteà alia toto cœlo diversa: Quia posteà re meliùs considerata apparuerunt rationes, quæ anteà non apparebant. Sic tu; & profectò benè. At hinc Ego. Ergò adæquata ratio, cur prioribus sententiis Augustinus adhæserit, non complectebatur sola illa argumenta, quæ dicebantur probabilia; sed simul etiam non apparentiam rationis fortiùs evincentis oppositum: hac enim affulgente, enervantur universæ priores, & sententia contraria propugnatur.

Quarta.

CMXV. *Mens humana prò impossibilitate potiùs judicat.*

Redeo ad quadragesimam-quintam Regulam Iuris Canonici, & ajo, *Hominem debere in obscuris suspicari de se, quod est verisimilius: aut etiam plerumque est expertus.* At humana mens, ut quotidiana experientia demonstrat, longè proclivior est, ut implicantiam illic esse judicet ubi non est, quàm ut possibilitatem appingat rei, quæ verè est impossibilis; sicque in hoc secundo rariùs error continget, in priori frequentissimè: Ergò debet esse præjudicii sui conscius, & indubiis quamdiù repugnantia non apparet, pro

Deo & Omnipotenti pronunciare. Hunc discursum confirmat Moralis Theologia; scrupulosis enim jubemus, ne se peccasse credant, nisi manifestè cognoscant: cùm enim sint scrupulis præoccupati, errarent frequentissimè, nisi sequerentur hanc regulam. Et quidem Intellectum humanum suo ingenio derelictum potiùs dicturum rem obscuram esse impossibilem, quàm possibilem ex pluribus colligi potest: & præcipuè ex mysterio Trinitatis, Incarnationis, & aliis plurimis, quæ humana ratio planè judicabat impossibilia, re tamen verâ erant possibilia. Vnde appositissimè Apostolus 1. ad Corin. c. 1. v. 20.

Sapientia mundi stulta.

Stultam, inquit, *fecit Deus Sapientiam hujus mundi*, illa scil. divinâ virtute fieri posse ostendendo, quæ homines stultâ suâ sapientiâ firmissimè judicabant in se implicantiam involvere; sic in rerum creatione stultum ostendit illud Philosophorum Principium, aut Oraculum potiùs, *Ex nihilo nihil fit*, qui ducti mundum, aut saltem ejusdem materiam volebant exstitisse ab æterno. Sic in Sacrosanctâ Eucharistiâ, stulta ille alia principia probavit: & præcipuè hæc: *Accidens non potest esse sine subjecto, Corpus nequit esse in duobus locis*, & similia, quæ quantumvis lumen naturale judicabat impossibilia, Dei tamen virtus declaravit esse possibilia. Pulchra sunt Augustini verba, quibus locum istum dilucidat. Rogat, quo Deus modo fecerit Sapientiam hujusmodi stultam? Et respondet, Id præstitisse Deum faciendo eadem ipsa, quæ mundus censebat impossibilia: alia est enim Philosophia Ethnica, alia Christiana; hæc multa esse persuadet, quæ altera judicat esse non posse. Isidorus Clarius eumdem Pauli locum exponens: [Sentiebat Paulus miram visum iri in Mundo hanc atque omninò novam Philosophiam, velle credi per crucem teterrimum supplicii genus, salutem mundo comparatam, quæ res mera stultitia videretur illis, qui consilia Dei non revererentur, sed suis tantùm fidere cogitationibus consvevissent: quod familiare inprimis erat sapientibus hujus mundi.] Stat ergo multa posse à Deo fieri, imò etiam fuisse facta, quæ mens humana non solùm impossibilia judicaret, sed nos stultos aut deliros assereret, qui dicerent esse possibilia.

An aliquid ex nihilo fiat?

An accidens carere queat subjecto?

An corpus esse in duobus locis?

Consonat Anselmus libr. 2. Cur Deus homo.

Nova Philosophia.

Objectiones.

CMXVI. UT liquidiùs & clariùs innotescat veritas præcedentis doctrinæ, oportet dissolvere rationum nodos, quos involvunt nonnulli Philosophi eruditi, qui contrariam opinionem tuentur; si tuentur: multi enim argumentantur ostentationis gratiâ, & eadem ipsa impugnant, quæ sentiunt: & ego tam certam doctrinam à nobis statutam existimo, ut non facilè sim crediturus esse hominem doctum, qui seriò propugnet contrariam. Sit igitur Objectio

Prima.

PRemenda sunt vestigia Patrum, & sicut CMXVII.
Augustini magni facimus Theologiam, debemus etiam Logicam; à qua, dum adhuc esset Manichæus se liberari orabant Orthodoxi, ejusdem efficaciam timentes. Augustinus de originali culpa contra Iulianum disputans, rei difficultate pressus (aut, si velis, oppressus) sic inquit: *Quid autem horum sit verum, libentius disco, quam dico; ne videar docere quod nescio.*

Respondeo Augustinum egisse ibi de peccato originali, & de aliis circumstantiis quæ inveniuntur de facto: & ideò quia ex non repugnantiâ nec rei Existentia, nec Non-existentia colligitur, meritò suspendisse judicium. At nos non dicimus, *Non apparet repugnantia, Ergo res est*: quia de potentia ad actum discursus urgere non potest: sed dicimus, *Non apparet repugnantia, Ergo rem potest facere Deus*: & contra hanc consequentiam nihil colliges ex Augustino.

Nota benè harū duarum illationum discrimen.

Secunda.

PRoducis etiam contra nostram doctri- CMXVIII.
nam P. Suarium *disp. 30. Met. sect. 17. n. 2.* dicentem, Intellectum humanum fidei lumine destitutum facilè in mysteriis fidei decipi impossibilitatem sc. ubi non est imaginando; quia nimirùm multò proclivior est ad difficultates & implicantias in re aliqua excogitandas, quam solvendas. Vnde, inquit, ubi in hujusmodi rebus impossibilitas se eius menti ingerit, meritò suspendit judicium.

An sine fide supernaturali Philosophiam naturalem perfic adjicere?

Respondeo Suarium fuisse virum pientissimum & eruditissimum; at nos non esse Suaristas, nec in ejus verba jurasse, nec ejus testimonio teneri. Addo tamen illum stare à nobis: solùm enim intendit persuadere quòd humanum ingenium sibi ipsi derelictum, magnis laborat præjudiciis, & potius judicaturum impossibile, quod reverà est possibile: quàm contrà. Asserit ergò Suarius, quod nos paulò antè dicebamus.

Tertia.

LVmen naturale est debile, illudque in re- CMXIX.
bus etiam ante oculos positis, cœcutire quotidie animadvertimus; quantò ergò magis in abditis, & à sensuum experimento remotis deficiet? Sed nec ratio doctrinam Theologicam de probabilitate opinionum evertet. Etsi enim aliquis habeat rationes probabiles practicas pro altera contradictionis parte, non poterit prudenter de eâ ferre judicium, cum lumen naturale sit admodum debile, & infirmum, quod tamen negant adversarii: quid enim acturus esses, quæso, si deberes Antonio centum aureos, & illos peteret ad abutendum? quid, inquam, si probabiliter judicares debere solvi, quia debentur?

An possit quis quandoque contionem probabilem?

tur: & probabiliter, debere non solvi, e criminis Antonii cooperareris? In tali casu, velles, nolles, deberes uti opinione probabili.

Respondeo igitur hanc rationem ut plurimum evincere, hanc esse malam consequentiam: videlicet, *Non apparet repugnantia, Ergo est evidens illam non esse*: quam etiam rejicimus nos: non verò hanc; *Non apparet repugnantia, Ergo probabile est illam non esse.* Probabile, inquam, in eo gradu, quem postulat doctrina & ingenium Doctoris, qui sic discurrit.

Quarta.

CMXX. *An sit argumentum negativum*

ARgumenta negativa, ne quidem probabiliter suadent: at hoc, *Non apparet repugnantia: Ergo non est*; est purè negativum: ergo inefficax. Confirmatur; quia hoc, *Non repugnat Stellas esse pares, Ergo sunt*, est præcedenti simile, & tamen malum.

Respondeo argumentum hoc non esse purè negativum; addo alteram præmissam negativam in multis syllogismis inveniri, & tamen non ideò illos rejici aut improbari. Hic syllogismus bonus est; *Petrus vidit omnia, quæ erant in gymnasio, At leonem ille non vidit: Ergo non erat ibi.* Addo huic syllogismo esse similem hunc: *Suarius perspexit omnia, quæ dici poterant de specie impressa Dei: At ille repugnantiam non vidit: Ergo in illa repugnantia non est*: in quo, quia major est probabilis, etiam consequens erit probabile.

A potentia ad actum.

Ad confirmationem respondeo, illam esse debilem, & nihil adfirmare posse: quoniam procedit à potentiâ ad actum, quem discurrendi modum iam sæpè condemnasse me memini: nam debebat obiectio fieri sic. *Non repugnat stellas esse pares: Ergo potest facere Deus, quod sint pares*: quod est certissimum: nam vel impares vel pares sunt: si pares, stat conclusio: si impares, stabit etiam; si vel ex antiquis unam corrumpat Deus, aut si aliquam de novo producat.

Quinta.

CMXXI. *Notetur hæc ratio.*

NUllo ratio aliqua positiva ad rei possibilitatem asserendam ponatur, æquè securi rem esse possibilem, ac esse impossibilem: ergò in neutram partem potest assensus inclinare. Probatur antecedens. Quia, si dicis, *Res est obscura, & non apparet repugnantia: ergo est*: reponam ego, *Res est obscura, & non apparet possibilitas: ergo non est.*

Respondeo non esse purè negativam hanc rationem, quam expendo & dilucido: & ut rem exactè intelligas, cogar eadem repetere diversis verbis. Hic discursus est bonus. *Petrus habet claros & puros oculos, omnia lustravit quæ erant in scholâ, Elephantem non vidit: ergo non erat. Patet, quia impossibile est homini, cui vel musca minutissima visa, elephantem invisum.* Ergo positis circumstantiis adiacentibus idem omninò erit Petrum non videre, quòd elephas sit in scholâ: ac videre, quòd Elephas non sit in scholâ. Ergo eodem omninò modo in aliis materiis poterimus philosophari, & dicere, *Comptonus, natione Anglus, eruditionis summæ Vir, habet ingenium floridum acutumque: omnia lustravit quæ ad Angelorum essentiam pertinent: at non percepit ullam repugnantiam, quæ impediret, quominus essent plures distincti puro numero: non ergo implicant Angeli distincti puro numero. Patet, quia videtur omninò impossibile, homini, cui cæteræ formalitates, quæ sunt minutissimæ, visæ; hanc, quæ maxima esset, & maximarum consequentiarum fons, invisam.* Ergo in talibus circumstantiis, idem est Comptonum non vidisse esse ullam repugnantiam, ac vidisse non esse ullam repugnantiam. Ergo hoc ultimum tam certum est, quàm est verum non falli viros diligentes & doctos: atqui hoc plerumque verum est, non tamen semper: ergo illud prius est probabilius, non tamen evidens.

An duo esse possint angeli distincti puro numero?



PRINCIPIUM I.

Impoßibile est dari duas contradictorias simul veras. Aliter: *Impoßibile est idem simul esse & non esse.* Arist. 4. Metaph. text. 8. & 27.

CMXXII. *An cum negantibus Principia sit disputandum?*

QVid si aliquis negaret istam Ecthesin? recurrendumne ad Aristotelis consilium qui suasit cum negantibus principia disputandum non esse? Fortè id aliquando expediret; cùm autem sola illa dici debeant principia quæ negari non possunt, si qua à Viro docto & prudente negantur, principia nominanda non sunt; si enim principia ea essent, qui terminos nudos intelligeret, dissentire non posset, Ecthesis posita principium est; experieris cùm vel invitus assentiri cogaris.

Quid sit per se nosci, & per se probari.

Procedo sic. Inquit Petrus, *Hæc propositio.* [*Impossibile est dari duas contradictorias simul veras*] *est vera.* Vel concedis vel negas. Intentum habeo si negaveris; ideò enim negas, quia non est vera. Contradicis igitur Petro dicens, *Hæc propositio, impossibile est dari duas contradictorias simul veras, non est vera*: ergo quando Petrus fallitur, tu benè dicis: quando Petrus deviat, tu attingis veritatem. ergò positio tua & positio Petri non sunt simul veræ: atqui positio tua & positio Petri sunt contradictoriæ; Contradictoriæ igitur non sunt simul veræ.

Objectio benè consideranda.

Persuasum est clarissimè, inquies, positionem Petri & tuam, quæ contradictoriæ quidem sunt, simul non esse veras: addis hinc non probari repugnantiam: multa siquidem quæ nec fuêre nec futura sunt, fieri possunt: tales sunt omnes creaturæ purè possibiles, tales universæ existentes cùm agitur de accidentibus merè possibilibus. Exempli gratia: Bucephalus nec Lunam tetigit nec tanget, quod tangat autem impossibile non est. Ergo similiter ex eo quod positio tua & Petri, quæ contradictoriæ supponuntur, simul veræ non sint, non sequitur eas simul veras esse non posse.

CMXXIII. Licet mihi sufficeret quod hucusque concesseras obviam tamen ibo instantiæ quam proponis. Positio Petri, quæ falsa est, & ut existimas vera esse potest, erat *Hæc propositio, Impossibile est dari duas contradictorias simul veras, est vera.* Dicendum igitur est hanc positionem veram esse posse: ergò possibile est quod sit impossibile dari duas contradictorias simul veras; ergò in conceptu rei impossibilis capitur possibilitas & contingentia. Ergò impingis in primam Prothesin cui subscripsisti asserens: *Impossibile dicitur illud, quod in instanti in quo asseritur impossibile, excludit omnem contingentiam & potentiam ad essendum.*

Helmontius mihi Bruxellis communicavit plurima eaq; curiosa Manuscripta, quæ hæredes deberent publici Iuris facere, ut illis universi fruemur.

NVlla est vel certissima veritas, quam nullus Philosophus neget; nulla vel certissima falsitas, quam nullus propugnandam susceperit. Et cùm hæc dico, meminero Heracliti asserentis. *Posse contingere binas dari Contradictorias simul veras*, & aliorum ejusdem opinionem tenentium: inter quos non debeo infimo loco recenseri Ioannem Baptistam Helmontium, qui curiosum scripsit Libellum, quo repugnantia fieri posse divinitùs ostenderet. Hinc me ipsum moneo, & interrogo, An-ne benè examinarim istud Principium I. non enim per se notum videtur, quod olim regessit Heraclitus, heri Helmontius.

Respondeo tamen non satis constare de Heracliti sententiâ. Monfortius pag. 227. totam litem ad æquivocationem reducit, putarque voce potiùs, quàm animo duas illum contradictorias admisisse: quod alii luculenter ostendunt. Ego breviùs. Dico igitur, mihi in Veritatis inquisitione occupatissimo non suppetere tempus ut examinem quid Heraclitus senserit vel non senserit. adeòque verbo resolvo, vel nostram illum tenuisse sententiam, vel errasse. Nec eam tuebitur Ioannis Helmontii patrocinium, quia peccat in primam hypothesin, si enim impossibilia facere potest Deus, non jam hac voce *Impossibile* intelligimus quod à nullo, (hoc est, ne quidem à Deo) fieri potest: oportet igitur, ut cùm impossibilia posse fieri asseverat, *Impossibilis* nomine intelligat, quod est possibile.

Heraclitus aut sensit nobiscum, aut errat. Et vocibus Helmontius abutitur.

PRIN-

PRINCIPIUM II.

Impossibile est dari duas Contradictorias simul falsas.
Arist. 4. Metaph. text. 24.

NAscitur ex antecedenti, & ostendetur discursu omninò parallelo. CMXXV.
Dentur duæ positiones sibi contradicentes, puta *Petrus est albus, Petrus non est albus.* Consultus de veritate harum positionum dicis: *Hæ contradictoriæ sunt simul falsæ.* Dissentio dicens *Hæ contradictoriæ non sunt simul falsæ.* Si mihi acquiescas habebo intentum, & non erit argumentationi locus: si dissentias, insto. Ergò tuum assertum verum est & meum falsum; igitur utrumque non est falsum, Atqui assertum meum & tuum erant contradictoria: ergò duæ contradictoriæ non sunt simul falsæ.

Objectio præclusa. Nec juvat dicere, non esse quidem simul falsas, posse tamen; quia assumam propositionem affectam modo impossibilitatis, nempè, *Impossibile est Petrum quiditativè esse album*, vel aliam similem, quia si hæc asseratur esse de facto vera, posse tamen esse falsa, admittetur aliqua possibilitas in impossibilitatis conceptu contra fundamentalem hypothesin.

PRINCIPIUM III.

Possibile est duos terminos contradictorios verificari de eâdem entitate reali singulari. Possibile de eâdem formalitate universali: non verò de eâdem indivisibili formalitate singulari. Aliter. *Impossibile est eamdem formalitatem singularem simul esse & non esse talem.*

FOrmalitates contradictorias dicimus Formam & Privationem; CMXXVI. Atqui forma & privatio non possunt coëxistere simul in eodem subjecto singulari formaliter indivisibili: ergò impossibile est duas formalitates contradicentes esse in eodem subjecto. Minorem probo: Si possent coëxistere in eodem subjecto forma & ipsius privatio, possent dari duæ contradictoriæ simul veræ; atqui ostensum est has simul veras esse non posse; ergò est ostensum formam & privationem sui non posse simul coëxistere in eodem subjecto. Majorem probo; si in Petro, verbi gratia, esset existentia & non existentia, esset verum dicere, *Petrus existit, & Petrus non existit.* Hæ duæ positiones contradictoriæ sunt: darentur igitur duæ contradictoriæ simul veræ, quod erat demonstrandum. Ago de subjecto singulari formaliter indivisibili; scio enim PRIMÒ duo contradictoria posse aut fortè etiam aliquando debere verificari de eodem subjecto universali, ut cùm dicimus, *Animal est rationale* & *Animal est irrationale*; (excipio naturam specificam, quæ numero non sit multiplicabilis.) SECUNDÒ, de individuo vago, ut cùm dicimus, *Aliquis homo currit*, & *Aliquis homo non currit.* TERTIÒ, de eodem subjecto reali formaliter divisibili, ut cùm dicimus, *Petrus & Paulus differunt, & non differunt*; differunt enim Hæcceitatibus, & tamen Specie non differunt.

Formalitates contradictoriæ, quæ? In quonam subjecto coëxistere possint, & in quo non possint.

CMXXVII. *Suboritur Difficultas theologica.* COntra hanc veritatem nihil habet, quod objiciat Philosophus; nihil Physicus, aut Metaphysicus: sed Theologus Patrem æternum producit, indivisibile subjectum de quo duo prædicata contradictoria verificantur. Ea sunt: *Natura communicatur, & Paternitas non communicatur.* Et quia non potest admitti contradictio, tantisper hic hærendum est.

Sic

An Natura & Paternitas sint voces synonyma?

Sic discurro. *Contradictio est affirmatio & negatio ejusdem de eodem.* Ergo vel Paternitas & Divinitas sunt idem, vel non sunt idem; si sunt vocabula synonyma, hæ positiones, *Natura communicatur, & Paternitas non communicatur*, sunt contradictoriæ; non secus ac hæ, *Tullius est Orator, & Cicero non est Orator*; quod admitti non debet. Ergo ad distinctionem aliquam recurrendum, dicendumq; Naturam & Paternitatem non esse idem. Sed quâ tamen distinctione eas distinguemus, ut hanc contradictionem elidamus?

CMXXVIII. *Non distinguitur realiter Divinitas à Relationibus.*

Multi ita fuerunt hoc ratiocinio oppressi, ut non sciverint alter se expedire, quàm realiter distinguendo naturam à personalitatibus. Hujus fuisse opinionis dicuntur, Gualterus, Gilbertus Porretanus, & Durandus. At Durandum multi benignè interpretantur, & Vazquez Gilbertum (cur non & Gualterum?) ad Scotum reducit: & ego eosdem opinionem habuisse existimo, quam Thomistæ. Hujus sententiæ Authores hoc Principium III. quod exponimus, non de formalitatibus, sed de realitatibus intelligentes, supponebant majoris loco, *Impossibile esse, duo prædicata contradictoria verificari de eodem subjecto reali.* Videbant, *Communicari & Non-communicari, esse prædicata contradictoria, & tamen verificari de Natura & Personalitate*; & inferebant, *has non esse idem subjectum reale, sed esse res distinctas realiter.* Hæc tamen sententia erronea est, & Deo indigna protrudens: quoniam post Rhemense Concilium (quidquid de antiquis sit) Naturam à Personalitatibus realiter distingui fide salvâ teneri non potest.

CMXXIX. *At distinguitur formaliter.*

Alii autem rejectâ distinctione reali, formalem adniserunt; quam dialecto Scotisticâ vocant *distinctionem ex natura rei*, & Thomisticâ *distinctionem rationis ratiocinatæ*: & hæc est opinio hodie communis quam post D.Thomam & Scotum ferè omnes in scholis defendunt.

Una & eadem formalis distinctio, dicitur rationis ratiocinatæ, & ex naturâ rei.

Thomistæ hoc Principium, cujus causâ hæc dicuntur, sic ponunt, *Possibile est duo prædicata contradictoria verificari de eadem entitate reali, si ipsa habeat duas formalitates ratione ratiocinata distinctas, & affirmatio dicatur de una, & negatio de altera: de eadem autem simplici formalitate illa verificari impossibile est.*

CMXXX. *Totus iste Syllogismus est necessariò admittendus.*

Subsumunt, *At in divinis Paternitas & Divinitas sunt una realitas, & duæ formalitates, quæ ratione ratiocinata distinguuntur.* Et inferunt, *Ergo de altera potest verificari, quod communicatur, & de altera quod non communicatur.* Subscribunt universi Scotistæ, licèt utantur dialecto aliâ, quod enim *ratione ratiocinatâ fieri* dicit Thomista, id Scotista dicit *fieri ex natura rei*: inter quos, cum sit de re summus consensus, de vocibus non est disputandum.

Et semel benè intellectus doctrinam præsentem dilucidat.

CMXXXI. *An Natura & Relationes distinguantur virtualiter.*

Alii tandem, ut majorem adhuc (sic putant) simplicitatem Deo adscribant, distinctionem virtualem invenerunt, quam minorem formali (Divo Thomæ, *rationis ratiocinata*; & Scoto, *ex naturâ rei*) asserunt, centenis modis explicant, & in majorem & minorem subdividunt, membraq; iam variè exponunt, ut omnes ad eamdem classem reducere impossibile sit. Ab ipsis quidem hæc supponitur MAIOR; *Non solùm esset verum posse duo contradictoria prædicata verificari de eadem entitate reali, si ipsa duas formalitates haberet formaliter (ratione ratiocinatâ, aut ex natura rei) distinctas; sed etiam de unica formalitate, tamen si sit singularis, & formaliter, (ratione ratiocinata aut ex natura rei) indivisibilis; modo sit divisibilis virtualiter.* Hæc posteà subsumitur MINOR. *Atqui de Paternitate & Natura duo prædicata contradictoria* (Communicari, & Non-communicari) *versificantur.* Et infertur hæc CONSEQUENTIA; *Ergo inter Naturã & Paternitatem non intercedit distinctio realis; non formalis (non rationis ratiocinata, non ex natura rei) sed virtualis. Ergo Natura & Divinitas sunt unicà formalitas, quæ est indivisibilis formaliter, virtualiter vero divisibilis.*

Huic discurrendi Modo plurimum lucis dedit Rodericus Arriaga, in cujus hodie verba multi ex eruditissimis jurant. Illam ipse Tract. de Trinit. disp. 42. sect. 1. subject. 3. sic exponit. Habet in margine *Vera explicatio hujus distinctionis virtualis*; & in corpore. *Ergo duabus formalitatibus a parte rei præexistentibus relictis, dicendum est, distinctionem hanc virtualem consistere præcisè in eo, quod eidem indivisibili entitati & formalitati uni reali, verè tamen & realiter conveniant duo prædicata ex se contradictoria, qualia sunt,* Produci & Non-produci, Communicari & Noncommunicari. *&c. Dico (contradictoria ex se) nam respectu ejus rei, in qua datur talis distinctio virtualis, non sunt formaliter & actu contradictoria, hoc est, repugnantia (si enim actu illi conveniunt; ergo non repugnant) at ea repugnantia, quam ex se habent illa prædicata hic & nunc tollitur per distinctionem virtualem rei, supra quam cadunt: sicut enim* Currere & Non-currere, *ex se sunt prædicata contradictoria, si autem cadant supra res distinctas realiter (verbi gratiâ,* Petrus currit, Paulus non currit) *jam desinunt esse contradictoria, quia subjectum est duplex. Ita in nostro casu, quia subjectum licèt non sit duplex habet tamen distinctionem hanc virtualem. Ideo ea prædicata ex se opposita desinunt respectu illius esse opposita.* Sic Arriaga.

Arriagæ opinio.

Distinctio virtualis explicatur.

CMXXXII. Ad mihi hæc doctrina nunquam placuit, & quia desiderabam mentem Propugnatorum altiùs capere, primâ datâ occasione hic Pragæ, cùm hoc anno 1648. sub P. Molitore, Viro doctissimo, præsente P. Arriaga defenderetur, eam impugnavi, & tamen quæ ab ipsis acutissimè dicta, mihi videntur non sufficere, & ideò adhuc in veteri opinione remaneo: & hanc novam Arriagæ sic impugno. Opinio, quæ non aliter defenditur, quàm committendo circulum, falsa est: at talis est hæc Arriagæ sententia: ergo est falsa. Probatur minor. Quia quærenti, Cur in humanis nunquam de eadem singulari entitate salventur duo prædicata contradictoria, & tamen salventur in divinis? respondent, Quòd in divinis hæc distinctio virtualis datur, quæ in huma-

Et non nisi per circulum defenditur.

humanis non datur. Et quærenti, Cur in divinis hæc distinctio virtualis detur, & tamen in humanis non detur? respondent, Quod in divinis duo contradictoria prædicata salvari debent, quæ in humanis non debent. E quibus constat has duas causales [nimirùm, *Ideo ponimus distinctionem virtualem in Deum, & non in creaturas; quia in Deo, & non in creaturis salvandæ sunt duæ contradictoriæ: & Ideo salvantur duæ contradictoriæ in Deo, quæ non salvarentur in creaturis, quia hæc distinctio virtualis in Deo, & non in creaturis reperitur.*] esse veras; & per consequens circulo vitioso Arriagæ sententiam laborare. Multa audivi, & multa diebus singulis audio, & tamen iste circulus manet; & sententia laborans, morbo secundo inficitur, quia ægra est, & sana, ne curetur, vocatur.

Ostenditur circulus.

CM XXXIII. *Cur non admittatur ubique.* Præterea, si in divinis admittenda est hæc virtualis distinctio, cur non ubique? omnes ergo contradictoriæ poterunt de Deo verificari. *Ergo Deus est, & non est; Intelligit, & non intelligit; Vult, & non vult; Est trinus, & non est trinus; Summus, non summus; Magnus, non magnus.* Patet consequentia; quia omnes formalitates divinæ sunt æquè infinitæ & perfectæ; nec dabitur ratio, cur debeat admitti in unâ, & non in aliâ.

CM XXXIV. *An hæc distinctio virtualis potiùs esset in humanis ponẽda.* Tandem sic argumentor; Non debet salvari per distinctionem positam in divinis, quod potest per distinctionem, quæ ponatur in humanis, salvari; (major enim simplicitas in Deo intelligitur, si distinctio in humanis ponatur) at si hæc distinctio virtualis poneretur in humanis, æquè salvarentur in Deo illa prædicata contradictoria, *Communicatur*, & *Non-communicatur*: ergo in humanis ponenda esset potiùs hæc virtualis distinctio. Minorem probo. Si hæc Propositio humana, *In divinis datur communicatio*, haberet distinctionem virtualem, esset capax duorum prædicatorum contradicentium, (nimirùm, *est vera*, & *non est vera*) Si simul esset vera & non vera, in divinis simul salvarentur illa prædicata, *Communicatur*, & *Non-communicatur*: Ergo hæc eadem prædicata salvarentur, si virtualis illa distinctio poneretur in humanis. Minorem probo. Si hæc propositio humana, *In divinis datur communicatio*, est vera, salvatur in divinis illud prædicatum *Communicatur*; & si est falsa, illud *Non-communicatur*: at hæc potest esse simul vera & falsa, si habeat ipsa distinctionem virtualem: ergo si ipsa distinctionem virtualem habeat, salvari poterunt in Deo illa duo prædicata, *Communicatur*, & *Non-communicatur*.

CMXXXV. *Occurritur argumento, quod à fide desumunt.* Sed quia ad fidem recurrunt, nonnihil subscribere debeo. Detur conciliabulum quoddam, quod ego ignorantiâ invincibili præventus, putem esse Generale Concilium; tenebor ejus definitionibus credere in omnium Theologorum sententiâ. At illud *Non dari Deum*, definiat: quid hîc ego? An-ne assentiar? Nequaquam. An-ne dicam, dari in Deo distinctionem virtualem, vi cujus duæ salventur contradictoriæ, ita ut ipse simul sit, & non sit? Putarem me nugari, si dicerem. Quid ergo? Hinc inciperem carere ignorantiâ invincibili, & scire illud, quod putaveram Generale Concilium, esse Conciliabulum. Si hoc verum, quare ad distinctionem illam virtualem recurritur, cum tantâ Ecclesiæ Orthodoxæ jacturâ: impossibilia enim non definit Ecclesia; & qui Romanæ imponat, quòd impossibilia definierit, eidem imponet, quòd non sit vera. Hæc sufficiant, ne nimis videamur Theologi, ubi Metaphysica sola tractamus: eadem enim in Tractatu de Deo Trino resumimus, & uberius singula impugnamus.

Conclusio. Standum ergo est formali Thomistarum, Scotistarum & omnium eminentium Theologorum distinctioni, quæ facilè intelligi potest; & non est distinctio realis actualis, nec realis possibilis; & tamen qualis est præsupponitur ante mentis operationem. Scio hanc ipsam formalem à plurimis *virtualem* dici, cum quibus, si libeat sic loqui, de vocibus disceptabo.

An distinctio Virtualis sit formalis?

PRINCIPIUM IV.

Impossibile est duos terminos contradictorios simul abesse ab eodem subjecto indivisibili & singulari.* Aliter. *Impossibile est eamdem rem nec esse nec non esse.

HÆc assertio est Ecthesis Principii antecedentis. Privatio nihil aliud est quam absentia formæ, & forma est absentia privationis; ergo cùm primùm forma abest, absentia formæ (hæc est privatio) adest: & cùmprimùm privatio abest, adest privationis absentia, quæ est forma. Impossibile igitur est duos terminos contradictorios aut simul adesse aut simul abesse eidem subjecto indivisibili & singulari.

Cùm

CM XXXVI. *Quæstio incidens.*

Cùm nego duos terminos contradictorios ab eodem indivisibili Singulari abesse posse, nihil de Singulari divisibili, & nihil de Individuò vago, aut etiam de Vniversali dico: & tu curiositate metaphysicâ illectus, quid in his tribus casibus debeamus resolvere, inquiris.

Præcisionis status.

Respondeo res posse in duplici statu considerari; nimirùm secundum suum *esse existentiale*, & secundum suum *esse objectivum* seu *intelligibile*; hoc secundo modo vocari *præcisas & abstractas*, & posse ab utroque termino contradictionis nudari, etiam si singulares sint & individuæ: quando enim concipitur *Petrus*, sive, *Hoc animal rationale*, vi præcisionis intelliguntur omnia prædicata essentialia, at accidentalia nec intelliguntur adesse, nec abesse: non enim in tali casu Petrus intelligitur esse albus, nec esse non albus; quoniam hæ, *Petrus non intelligitur esse albus*, & *Petrus non intelligitur esse non albus*, quæ simul veræ sunt, non sunt contradictoriæ; sed hæ, *Petrus non intelligitur esse albus*, & *Petrus intelligitur esse albus*; & etiam hæ, *Petrus non intelligitur esse non albus*, & *Petrus intelligitur esse non albus*: quæ non sunt simul veræ.

Existentiæ status.

Porrò secundum esse existentiæ, duo termini contradictorii accidentales possunt esse in eodem subjecto universali, quia eadem entitas universalis potest esse in duobus singularibus determinatis; quòd si datur natura aliqua specifica, quæ ad plura singularia contrahi non possit, hæc natura terminorum contradictoriorum non est capax. At dari posse seorsim aut in ipsis singularibus naturam aliquam universalem verè existentem, quæ verè careat utroque contradictionis termino, impossibile est. Et quia individuum vagum vix ab Vniversali differt, de illo eodem modo philosophor. Et addo in Entitate reali, si ponantur formalitates, verificari terminos contradictorios posse; at utrumque falsificari non posse.

PRINCIPIUM V.

Quodlibet est vel non est. Aliter, *E duobus terminis contradictoriis alter de omni re singulari (aut etiam de omni formalitate singulari) debet verificari.* Aliter, *Inter duo contradictoria medium non datur.*

CM XXXVII. *Quam certum hoc Principium sit?*

An sim? & an probare possim me esse?

HVrtadus in *Logica disp. 10. §. 118.* hoc principium adjungit Principio nostro tertio, vel quia synonyma ipsa sunt, vel quia necessariò connexa. Et in *lib. de Anima. disp. 8. §. 22.* asserit hoc axioma imbibere evidentiam metaphysicam, quia objectum tàm clarè conspicitur, ut omninò repugnet aliter se habere. Addit esse id tàm evidens quàm hoc *Deus est*; & hoc *Ego sum*, quia si dubites, debeasne mihi credere dicenti me esse, arguam sic. Vel mentior, vel verum dico. Si hoc ultimum, ergò sum: si primum, ergò etiam sum, non enim possem mentiri si non essem. Et *ibidem §. 45.* affirmat id esse multò clarius & infallibilius, quàm hoc, *Angelus est substantia completa.* Et tandem idipsum principium pulchrè explicat *disp. 3. Metaphysices §. 21.*

Positum Principium exponitur.

Hoc axioma licet videatur sonare existentiam, debet intelligi de quocunque omninò prædicato; quia quocumque illud sit, debet competere aut non competere subjecto. Verbi gratiâ, sit prædicatum *Equus* & assumo illud principium & dico, *Quodlibet est equus, vel non est equus.* Clariùs, *Nulla est res de quâ non verificetur aut esse equum aut non esse equum.* Quæ assertio certissima est; quia est verum dicere Deum vel esse equum, vel non esse equum: Angelum vel esse lapidem, vel non esse lapidem: Petrum vel esse sanctum, vel non esse sanctum: altera enim assertionis disjunctivæ pars necessariò debet esse vera; ideò tota disjunctiva est vera; quia disjunctivæ enunciationis energia tantùm exprimit alteram partem esse veram, hæc enim affirmatio *Petrus est albus, aut non est albus*, æquivalet huic, *Est certum unum è duobus, nempè aut Petrum esse album, aut non esse album.*

CM XXXVIII. *Objectio benè consideranda.*

DIces Perperam à nobis assumi illud axioma. *Ex duobus terminis contradictoriis alter de omni re debet verificari*: Perperam quidem, quia neuter verificatur de omni re. Verbi gratiâ, sint contradicentes sibi termini, *Album, Non-album*, neuter verificatur de omni re, quia nec omnis res est alba, nec omnis est non-alba.

Respondeo, Nos non dicere quod alter determinatè sumptus debeat omni Enti compe-

competere, sed quod alter disjunctivè sumptus, hoc est, unus vel alius. Et in hoc sensu illud axioma amplectimus, in quo primò-verum & per-se-notum est.

De Universalibus & Particularibus.

Rogas, An sicut est verum dicere, quòd unus è duobus terminis contradictoriis debeat de omni Ente verificari; etiam sit verũ dicere, quòd alter debeat de omni ente falsificari? Et respondeo Resolutionem a Principio tertio & quarto pendere. Addo igitur alterum è duobus prædicatis contradictoriis debere verificari, & alterum falsificari de omni subjecto singulari, de omni specifico numericè immultiplicabili, de omni Individuo vago & Universali in materiâ necessariâ & propriâ. Et tantùm excipio materiam contingentem, in quâ duæ contrariæ (videlicet *Omnis equus currit*, & *Omnis equus non currit*) possunt esse simul falsæ: & duæ subcontrariæ (videlicèt, *Homo est albus*, & *Homo non est albus*; aut etiam, *Aliquis est albus*; & *Aliquis non est albus*) simul veræ: in contrariis enim alterum prædicatum contradictorium non verificatur necessariò; & in subcontrariis non falsificatur necessariò.

PRINCIPIUM VI.

Si affirmatio est causa unica & adæquata affirmationis, negatio erit causa negationis & contrà.

ALiqui universaliùs hanc positionem sumunt, dicendo, *Si affirmatio est causa affirmationis, negatio erit causa negationis*: at sub hac universalitate sumpta falsa est; & probatur notissimis exemplis; hæc enim affirmatio, *Petrus est albus*, est causa hujus affirmationis, *Petrus est coloratus*; & nihilominùs hæc negatio, *Petrus non est albus*, non est causa hujus negationis, *Petrus non est coloratus*; quoniam, si Petrus sit niger, non erit albus, & tamen erit coloratus. Ergo debet affirmatio esse causa adæquata & convertibilis; & tunc, si affirmatio inferat affirmationem, negatio negationem inferet: ut cùm dicimus, *Est animal, ergo est vivens sensibile*; possumus etiam dicere, *Non est animal, ergo non est vivens sensibile*. Sic etiam ex hoc enthymemate; *Est homo, ergo est risibilis*, nascitur hoc, *Non est homo, ergo nec risibilis*.

CMXXXIX. Corrigitur aliquorum error.

Aliqui apud Montifortium *in Axiomatum pag.* 54. advertunt, quòd licet negatio sit causa negationis quà negationis, non-verò quà privationis: & addunt, regulam hanc habere duntaxat locum quando effectus causarum sunt ejusdem ordinis, & quando alter effectus est purè negativus. Sed omnia hæc sunt verba, sunt voces; nec ad titulum commodè possunt reduci, nec aliàs defendi. Nunquam libenter audio *Tale aut tale principium sic debere intelligi*, cùm faciliùs sit ita illius verba contexere, ut expositione non indigeat. Dicebatur vulgò, *Cùm affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis*. Expositores subjungebant, Hanc regulam non esse veram, nisi in causis propriis, adæquatis, & convertibilibus: ego multò faciliùs ex textu & commentario compono hanc assertionem, *Si affirmatio est causa unica & adæquata affirmationis, negatio erit causa negationis*: quæ ita est clara, ut expositione non indigeat.

CMXL. Aliqui hoc Principiũ speculationibus inutilibus difficile reddunt.

CMXLI. Ex hoc Principio malè intellecto multa opinionum monstra apud Heterodoxos suborta.

EST communis argumentandi modus apud heterodoxos ex affirmatione affirmationem inferente ad negationem inferentem aliam negationem: aut è converso: sed quia illationes illæ sæpiusculè adæquatæ non sunt, exorbitant à Fide Catholicâ non rarò. PRIMÒ ex Marci 6. 56. sumunt illa verba, *Quotquot tangebant eum, salvi fiebant*; & inferunt, *salvos non fuisse factos, quotquot non tetigerunt eum*: & malè, quia salvi facti sunt, quotquot eum tetigerunt, & præter hos etiam filius Centurionis, Samaritanæ filia, Lazarus, & alii plurimi à quibus Christus non fuit tactus. SECUNDÒ. Actuum Apost. 4. 34. legitur, *Omnes qui erant possessores agrorum & domorum suarum divitiarum pretia exposuisse pedibus Apostolorum*, unde malè inferretur, hoc non fecisse quotquot domos aut agros non habebant. TERTIÒ, hæc verba, *Crediderunt quotquot erant præordinati ad vitam æternam* repetiuntur Actuum 13. 48. quibus Lutherani abutuntur hoc modo, Hæc consequentia, inquiunt, est bona; *Est prædestinatus, ergo credet*: ergo etiam hæc, *Non est prædestinatus, ergo non credet*: inferunt, *ergo, si nullus prædestinatus credet, nos qui de facto credimus, verè sumus prædestinati*: addunt, *atqui non est possibile quod non crediderimus, siquidem jam de facto credidimus: ergo non est possibile quod condemnemur*. Respondeo prædestinationem non esse causam unicam & adæquatam fidei, ac præterea discursum Lutheranorum non subsistere,

An soli prædestinati credant?

ſiſtere, eſt enim ſimilis huic, *Si eſt homo germamanus eſt riſibilis: ergo ſi non eſt homo germanus non eſt riſibilis.*

Sunt ſimilia alia loca, quibus ſimili verſutiâ abutuntur: ſed ſufficiat hæc pauca propoſuiſſe.

PRINCIPIUM VII.

Si Affirmatio eſt cauſa unica & adæquata negationis, negatio erit cauſa affirmationis: & contrà.

CMXLII. *An Adamus fuerit immortalis, & cur?* EXponitur clariſſimè. *Iuſtitia originalis erat cauſa unica & adæquata, quæ inferebat negationem mortalitatis in primo homine: Ergo eùm primùm potuit negari illum habere iuſtitiam originalem, potuit concedi eſſe moriturum.* Aliter; *Peccati carentia erat cauſa unica & ſufficiens, quæ inferebat poſitionem immortalitatis; ergo peccati poſitio intulit privationem immortalitatis.* In primo enthymemate, quia affirmatio erat cauſa unica & adæquata negationis, negatio fuit cauſa affirmationis: in ſecundo è contrario.

In quo conſiſtat voluntatis libertas? Ejusdem aſſerti veritas iterum conſpicitur in hoc diſcurſu, & fortè multò clariùs. *Quia potuit transgredi & non eſt transgreſſus, facere mala & non fecit; ideò ſtabilita ſunt bona illius in Domino.* Ergo *Quia potuit non transgredi & eſt transgreſſus, non facere mala, & fecit; ideò non ſunt ſtabilita bona illius in Domino.* In quarum cauſalium primâ negatio (nempe *non transgreſſio*, & *non-peccatum*) infert affirmationem ſtabilitatis, quæ eſt in Domino; & in ſecundâ è contra, affirmatio transgreſſionis & peccati infert negationem talis ſtabilitatis.

CMXLIII. *Deſcriptio liberi Arbitrii ex Bernardo.* HOc ultimum urget S. Bernardus Sermon. 81. in Cant. ubi liberum ſic depingit Arbitrium. *Inter ipſa cenſorius quidam Arbiter (is Animæ oculus) dijudicat & diſcernit; ſicut Arbiter in diſcernendo, ita in eligendo Liber. Vnde & liberum nominatur arbitrium, quod liceat verſari in his pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne etiam, quod feceris, bonum malumve, quod quidem non facere liberum ſit, meritò ad meritum reputatur: & ut meritò laudatur non is tantùm, qui potuit facere mala, & non fecit; ſed & qui potuit non facere bona, & fecit: ita malo non caret merito tam is, qui potuit non facere mala & fecit, quàm qui potuit facere bona & non fecit.* Vbi & conſpicis, ex hac conſequentiâ,

Ratiocinium.
Potuit facere mala & non fecit,
Potuit non facere bona & tamen fecit;
Ergo à Deo coronabitur.

juxta hujus Principii doctrinam, infert hanc,

Potuit non facere mala, & tamen fecit,
Potuit facere bona, & illa non fecit;
Ergo non coronabitur à Deo, ſed damnabitur.

NOTA.

De Contrapoſitione. HUc pertinere poſſet hoc Principium, *Vbi prædicatum dicitur de omni ſubjecto: ibi non-ſubjectum poteſt dici de omni non-prædicato.* & clarius. *Propoſitio univerſalis affirmativa converti poteſt per contrapoſitionem,* ut cum dicimus. *Omnis homo eſt animal* [ecce prædicatum *animal* dicitur de omni ſubjecto *homine*] & inferimus, *Ergo omne non-animal eſt non-homo* [ecce non-ſubjectum (*non-homo*) vice verſâ de omni non-prædicato (*non-animali*) verificatur.] Sed de hoc uberiùs in Dialecticis, & ideo miſſum illud facimus.

PRINCIPIUM VIII.

Impoſſibile eſt eumdem intellectum ſimul aſſentiri duabus contradictoriis.

Aliter: *Impoſſibile duobus ſimul hominibus contradictoriè diſſentientibus aſſentiri:*

CMXLV. *Quid ſit judicare Propoſitionem eſſe veram?* ASſentiri eſt Iudicare propoſitionem eſſe veram; diſſentire, Iudicare non eſſe veram. Ergo impoſſibile eſt aſſentiri propoſitioni cum judicamus eſſe falſam; diſſentire cùm judicamus eſſe veram. Atqui oſtenſum clariſſimè eſt duas contradictorias non-poſſe ſimul eſſe veras; Ergo oſtenſum eſt hominem non

poſſe

posse assentiri duabus contradictoriis. *Confirmatur*; Qui duabus contradictoriis assentiretur, deberet admittere hanc Propositionem *Possibile est dari duas contradictorias simul veras*. quod est contra superiùs demonstrata.

Quàm necessaria sit bonitas hujus Principii?

HOc Principium, & alterum immediatè subsequens, magno consilio huc posita; sunt enim magnarum Conclusionum origo, sine quibus (audebo dicere?) deberemus carere Theologiâ. Quid clarius dari Deum? Et quid difficilius, si demonstrari jubearur? Nosco Theologum, eumque magni ingenii Virum, qui judicaturus de Iuniorum Scriptorum doctrinâ, tantùm legit, quomodo probent dari Deum. Ego quidem ex hoc Principio non dari Entia rationis demonstrabo. Et negatis rationis Entibus, ostendam homines audito Dei nomine aliquid omninò concipere, & illud aliquid non esse Ens rationis, sed reale: non reale possibile, sed reale existens; ac proptereà negari non posse dari Deum. Quod insinuasse & tetigisse sufficiat; suis enim locis uberiùs & efficaciùs retractabitur.

An dentur Entia rationis?

An possit demonstrari Deum esse?

PRINCIPIUM IX.

Impossibile est eumdem Intellectum simul à duabus contradictoriis dissentire; Aliter; *Si Petrus contradicat Ioanni, non erit qui ab utroque simul dissentire possit.*

EST Ecthesis Principii *octavi*, quia si per se notum est non posse dari CMXLVI. duas contradictorias simul falsas, impossibile est hominem judicare utramque esse falsam; nemo enim falsa judicat principia per se nota: ergo impossibile est utrique contradictionis parti simul præbere dissensum; quia dissentimus cùm Falsum dici judicamus.

Quod si asseras dari aliqua principia per se nota, quæ non sint omnibus *Objectio.* æquè nota, ac ideò posse ea ab aliquibus aut falsa credi aut ignorari. Subjungam statim; Ergo ille saltem, qui concesserit non posse dari duas contradictorias simul veras, debebit necessariò octavo & nono assentiri principio. Hæc igitur ex antecedentibus fiunt demonstrata. Quamobrem si quis negaverit aliquam positionem certam, eam falsam judicans, debebit necessariò admittere ejus contradictoriam, eamque veram judicare.

CMXLVII. FOrtè nolle assentiri est dissentire; fortè non datur pura volitionis omissio, fortè nec pura omissio assensûs. Hæc difficilia sunt, nec debent detrahere nostro Principio. Si à Petro & Paulo, sibi contradicentibus, simul dissentire non possum; Anne porerò sentire à neutro dici verum?

An futura habeant determinatam veritatem?

Aristoteles, & quotquot eum illo assecuerunt vel asserunt contingentia futura carere determinatâ veritate vel falsitate, si audiant Petrum dicentem, *Cras pluet*; & Ioannem contrà dicentem, *Cras non pluet*; non assentientur utrique, nec dissentient positivè ab utroque; sed suspendent judicium dicentque, Neutrum falli; & neutrum veritatem attingere. Sed hæc sententia jam à nobis impugnata in Dialecticis, omninò improbabilis est; aliud enim est assertionem non habere veritatem & aliud omninò diversum non habere veritatē notam Peripatetico. Pono has duas positiones, *Turca dormit, Turca non dormit*: & dico alteram esse determinatè veram, & alteram determinatè falsam: me tamen nescire utra sit. Idem dicendum est omninò de istis, *Cras pluet, Cras non pluet*; è quibus altera est vera, & licèt mihi ignota & futura, cognita & præsens Deo.

Reponis etiam Propositiones, quas vocant *de subjecto non supponente*, & citas P. Valerianum Magnum libr. 2. Logic. cap. 13. dicentem, *Secundus gradus contingentiæ est, si non solùm deficiat cursus in Petro, verum & ipse Petrus corrumpatur: quo casu illa propositio neque videtur vera neque falsa, quia nulli sunt termini concreti, (quos tamen supponimus) quorum habitudo judicetur aut vera aut falsa.* Et his positis sic argumentaris. Corrupto Petro, dicat alter *Petrus est currens*, & alter *Petrus est non currens*; neutra erit vera, neutra falsa: ergo corruet nonum Principium, neutri enim assentiat, adeòque necessariò ab utroque dissentiam. CM XLVIII.

Propositiones de subjecto non supponente. An sint veræ?

An verò propositiones sint?

Respondeo P. Valerianum sic subscribere, *Tamen (ut abstineamus ab istius subtilitate) dicamus omnem propositionem esse veram aut falsam*: adeòque eum non esse contra nostram sententiam. Addo Propositionem de subjecto non supponente non esse verè propositionem, sed esse Ens linguæ; in rebus enim, & in mente caret subjecto; idem enim est dicere *Homo adamantinus currit*, ac dicere, *Blictiri est animal rationale*, quia vox *Blictiri* (& eodem modo philosophor de hoc termino *Homo adamantinus*) non habet significationem formalem, adeòq; est monstrum linguę, cui non correspondet in intellectu aut in rebus aliqua formalis aut objectiva propositio.

PRINCIPIUM X.

Impossibile est concipere duos terminos contradictorios coëxistere simul in eodem subiecto indivisibili.

CMXLIX. *Potentissimum se dicunt habere ignorantes ingenia.*

PONI debuit hæc Thesis contra aliquorum præsumptionem, qui dicunt se concipere quæ reverà non possunt. Semper judicavi esse impossibile has apprehensiones efformare, nempè concipere *Album carentem albedine, Creaturam independentem, & Existentem carentem existentia*. Improbavi hos assensus; *Album non est album, Creatura non dependet, Qui existit non existit*, & similes. Credidi repugnare hos discursus; *Est album, quia non est album; Est creatura, ergo est à se; Si existit, caret existentia.* Cæterùm, cum reperiantur ingenia, quæ quasi e quercu excisa, in primas veritates impingant: ne debilia videantur, opus est illa dolare & polire cælo robusto & pertinaci. Id ministrabunt Ectheses, quas hucusque explicavi.

Ingenio quernea.

Probatur Thesis:

Analogizo sic. Qui potest concipere duos terminos contradictorios in eodem subjecto, poterit etiam assentiri duabus Contradictoriis; hoc secundum non potest, quia propositioni falsæ cognitæ ut falsæ assensum præbere non possumus, ut constat Ecthesi IX. ergo nec primum. Major probatur; quia si concipis *Petrum album & carentem albedine*, poteris elicere hos assensus, *Petrus est albus, & Petrus non est albus.* Primus est verus, quia album est album; secundus est etiam verus, quia carens albedine non est album. Ergo darentur duæ Contradictoriæ simul veræ; & hoc contra Principium primum; aut saltem aliquis duabus contradictoriis assentiretur, & hoc contra Principium octavum.

CML. *Exponitur clarius hoc principiũ.*

NOn libenter aliquam hic viderem æquivocationem: scio enim me posse concipere Petrum affectum albedine, & Petrum carentem albedine: quis de hoc dubitet? At hoc possum respectu diversorum temporum & locorum, aut abstrahendo ab ejusmodi multiplicationis circumstantiis: at eumdem Petrum esse album simulque esse albedine carentem apprehendere non possum. Considera benè illud *simul*, & vide quos terminos afficiat: quoniam conceptum objectivum afficit, non formalem. Non enim repugnat me simul apprehendere (actu simplici aut composito; id non urgeo) Petrum in instanti A carere albedine, & eum in instanti B. non carere: quia illud *simul* se tenet ex parte mentis; at repugnat, me apprehendere Petrum in eodem instanti simul habere & non habere albedinem. Et ostendo hanc Propositionem, *Albus ille, qui caret albedine, deambulat*, proponendo: quam dices, puto, de subjecto non supponente, quod sit Ens linguæ, non in rebus, non in mente, sed tantùm existens in labiis.

Termini non supponentes nihil significant.

PRINCIPIUM XI.

Impoßibile est concipere duos terminos contradictorios simul abesse ab eodem indivisibili subjecto.

HOc principium nascitur ex antecedenti, & eisdem prorsus ratiocinius firmari poterit. Arguo sic. Qui possit concipere in eodem subjecto absentiam duorum prædicatorum sibi contradicentium (talia sunt *esse album* & *non esse album*) poterit etiam dissentire simul à duobus sibi contradicentibus; hoc ultimum non potest, ut constat ex Principio nono: ergo nec primum. CMLI.
Sequelam inclusam in majori persuadeo. Si conciperem Petrum carere simul albedine & privatione albedinis, possem negare simul duas contradictorias, atqui hoc non possum: ergo. Patet prior sequela, quia in tali casu possem negare hanc assertionem, *Petrus est albus*; quia concipio ipsum carere albedine: possem etiam negare hanc, *Petrus non est albus*; quia concipio ipsum carentem privatione albedinis.

CMLII. *Discrimen inter Præcisionem & Contradictionem.* HÆc omnia certissima & facillima sunt. Nec contrà militabit *Præcisio:* aliud enim est non concipere contradictoria in eodem subjectò, & aliud diversum omninò concipere unum & idem subjectum simul carere duobus terminis contradictoriis. Profectò, cùm Petrum intelligo; nec intelligo esse illum divitem; nec esse pauperem; & hoc facere possum: at concipere eum simul nec carere albedine nec illam habere, non possum. Sed de hoc uberiùs Principio XIII.

PRINCIPIUM XII.

Impoßibile est eumdem hominem assentiri simul & dissentire circa eamdem indivisibilem propositionem.

MVltæ sunt rationes, quæ probabiliter hanc enunciationem persuaderent, inter quas non esset infimæ efficaciæ illa quæ ab imperfectione humanæ mentis sumeretur. Mens enim humana (quidquid sit de Angelicâ) creditur à ferè omnibus non posse duos actus non solùm contrarios, sed neque disparatos simul facere. Sed proposita veritas debet altiùs & robustiùs ostendi. CMLIII. *An eadem mens possit elicere plures actus?*
Demonstro igitur sic: Esse propositionem veram & non esse veram sunt termini contradictorii; sed, ut constat ex Principio X. impossibile est concipere duos terminos contradictorios coexistentes in eodem subjecto indivisibili: ergo & concipere veritatem & non veritatem in eâdem simplicissimâ propositione. Atqui cùm concipimus veritatem in propositione, concipimus eam esse veram; cum in illâ concipimus non-veritatem, concipimus eam non esse veram: ergo est impossibile simul concipere propositionem esse veram & non esse veram. Tunc iterùm; Concipere eam esse veram est assentiri, concipere eam non esse veram est dissentire. sed non possum simul concipere propositionem esse veram & non esse veram: ergo neque simul assentiri & dissentire. *Quid sit Assensus, & Dissensus?*

HOrum Principiorum doctrina valde vera est, & involvit cognatas Maximas, quarum vel debeas universas admittere, aut etiam universas negare: & cùm non possis hoc posterius, teneberis facere illud prius. Ut igitur humani ingenii vires altiùs intelligamus, erit operæ-pretium discutere,

An-ne stando naturæ legibus possit unus & idem Intellectus habere simul assensum & dissensum circa idem obiectum? CMLIV. *An homo, cùm assentitur alteri contradictoria, æqualiter dissentiat ab alterâ.*

VOlo benè à meo Lectore controversiam intelligi: non enim intelligo, An Intellectus duos actus simul habeat, aut habere pos-

sit; & si possit, An diversarum aut etiam oppositarum rerum assensum & dissensum? fortè enim benè diceret, qui assereret, unum & eumdem intellectum, cùm assentitur huic propositioni *Petrus est animal*, simul dissentire ab hac, *Petrus non est animal*. At hoc ipsum non urgeo. Sed inquiro, An-ne tu, cùm audis hanc eamdem propositionem, *Petrus est animal*, possis simul elicere duos act⁹ intellectuales, quorũ alter sit, *Hæc propositio est vera*; & alter, *Hæc nõ est vera*. Et hoc inquirens, intra naturę limites me côtineo; scio enim multa fieri posse divinitùs, quæ viribus naturæ negantur.

Resolutio ponitur, & ab experientiâ demonstratur.

Respondeo igitur, *in eodem intellectu illos actus simul esse non posse*. Consentio Arriagæ disp. 6. de Animæ Intellectu & Actibus. sect. 5. & Philosophorum uniformi consensui. Et probo argumento ab ipsâmet experientia desumpto. Quoniam, etsi velim & coner, nec judicare potero album non esse album; nec efficaciter velle me moveri sine motu, aut esse calidum sine calore. Et ne quis ab objecto occasionem cavillandi desumat, experientia doceot, me non posse mente judicare hanc propositionem, *Murus est albus*, esse simul veram & falsam (hoc enim facerem, si assentirer & dissentirem simul) nec me posse voluntate efficaci velle rem facere & simul velle rẽ omittere (hoc enim etiam facerẽ, si haberem volitionẽ & nolitionẽ simul) Ergo standũ est pro parte negativâ; & dicendum, *Non posse*.

CMLV. *Quanti experientia debeat fieri?*

Nec patiar parvi fieri argumentum ab experientiâ erutum; hæc enim Scientiarum mater est; & speculationes, quæ in ipsam impingunt, licèt subtiles sint, non sunt fortes. Illas judico Araneæ telæ similes, quæ tametsi subtilis, inutilis esse videtur.

AT TU CONTRA experientiam experientiam reponis, & sic arguis. Nemo negare poterit simul dari in eodem intellectu has duas apprehensiones *Candor*, & *Candoris carentia*; ergo poterit homo naturaliter dicere *Cygnus est candidus & Cygnus non est candidus*: quia si non est incomponibilitas inter duas contradictorias apprehensiones, nulla erit inter duo contradictoria judicia: nulla enim datur ratio disparitatis.

Objectio etiam ab experientiâ.

Respondeo primò hoc ratiocinium non urgere. Nam licèt quis nesciret ostendere disparitatem, non ideò deberet asserere se posse facere, quod scit se, & si omni nisu conetur & velit, non posse: nam qui nescit cur Magnes ferrum & non argentum attrahat, non debebit dicere à Magnete attrahi Argentum non ferrum, sed debebit omninò dicere esse certũ quòd stando Magnetis naturæ & ingenio, ferrũ attrahi possit, & argentũ nõ possit: seq; experientiam videre, & physic[am] rationẽ nescire. Ergo similiter in nostro casu, tametsi postulatã disparitatẽ assignare quis nesciat, nõ ideò debet in manifestam experientiã impingere.

Quid debeat dicere, qui assignare disparitatem nescit?

Respondeo secundò non esse facile ob oculos ponere dis[par]itatem, quam requiris. *Arriaga* num. 93. dicit illam in hoc consistere, quod Apprehensio tantùm simpliciter proponat objectũ, non autẽ adhærendo & assentiendo; Iudicium vero illud assentiendo proponat. Atque inde repugnans, [est] ut ne esse in eo quod intellectui proponatur falsum & illud apprehendat, sed in eo quod judicet. Sed hoc, ut cæci viderint, est respondere idem per idem.

Respondet Arriaga idem per idem.

At Ego sic objectionẽ solvo, & disparitatẽ ostendo. Dico Ordinem rerum objectivum seu intelligibilem esse Ordini rerum reali analogum, quod Philosophi universi concedunt. Addo inter *Candorem possibilẽ & Candoris carentiam possibilem* nullã esse incomponibilitatẽ, nam unus & idem numero lapis, dum potest Candore affici, tunc etiam potest eo carere: at inter *Candorem existentem & Candoris carentiam existentem* esse repugnantiam indispensabilẽ. Hinc ad mentis operationes transeo, & dico Apprehensionẽ considerare terminos secundum se, aut ut plurimũ ut possibiles & potentes actu existere; nam cùm apprehendo *alterũ mundum existentem*, non mentior, non erro: ergo vel hinc potest colligi illam existentiam apprehensam non esse exercitã sed secundũ se possibilẽ, aliàs enim errarem & deciperer. At de Iudicio aliter omninò philosophor: Illud enim *exercitium essendi* exprimit. Quamobrẽ concludo in ordine rerũ naturaliũ *Potentiam ad essendũ & Potentiã ad non essendum* coëxistere etiam naturaliter: at *Exercitium essendi & Exercitium nõ essendi* ne quidẽ divinitùs posse: & ductus consequentia doctrinæ duas Apprehensiones, etsi videantur esse contradictoria objectivè, posse simul in eodem numero Intellectu inveniri; & duo Iudicia objectivè contradictoria non posse. *Hæc doctrina* vera omninò est; & in quâcumq; scholâ defensabilis; at evidentiùs & faciliùs in Thomisticâ, quæ docet Mentis actus intentionaliter à suis objectis non distingui: tunc enim dicemus Apprehensiones intentionaliter sumptas esse Entia signata, & Iudicia intẽtionaliter sumpta esse Entia exercita; addemusq; inter formam & privationẽ in actu signato (possibili, seu secundũ se) nullã inveniri repugnantiã; at in statu exercito tantã inveniri inter ipsas, ut nec à Deo & absolutâ ejus omnipotẽtia tolli possit.

Assignatur postulata disparitas.

Realium & intelligibilium rerum analogia.

An detur repugnantia inter Entia possibilia?

An actus mentis ab objectis intentionaliter sint idem.

Respondeo tertio (& hoc attentè legi volo) aliud esse me habere duas apprehensiones disparatas, quarum alterâ concipiam Petrum in instanti A carentem albedine, & alterâ eumdem Petrum habentem albedinem in eodem instanti: (fortè enim hæ sibi succedunt nec sunt simul: & ut sint simul, videntur concipere rem in actu signato) & aliud esse me concipere aut apprehendere eumdẽ Petrum simul carere & affici albedine: nam quidquid de illo priori sit, hoc ultimum impossibile judicô, juxta Principium decimum.

Status signatus & exercitus.

Hæc sufficiant huic quæstioni explicandæ. At quia ita examinavimus Naturæ vires, ut etiam vel inviti altiùs discurrere debuerimus; siquidem absolutam Omnipotentiam Dei speculari cœpimus, inquiramus,

An tanta sit inter assensum & dissensum contrarietas aut incomponibilitas, ut ne quidem de absoluta potentia Dei possit dari, qui circa idem objectum habeat assensum & dissensum simul?

CMLVI. *Nota hanc quæstionem, ut melius moveâris [?] libros legas.*

DVas sententias reperio; asserentem, negantem. Id non repugnare docet prior, quam probabilem & communem esse censet

Arri-

Arriaga, contrariam enim, quam tuetur, communiorem & probabiliorem appellat. Ejus Authores nullá dari repugnantiá sic probant. Non enim hinc videntur sequi duo contradictoria ex positione simultaneâ illorũ in eodẽ intellectu. Potest id confirmari, quia illi duo actus possunt poni simul in eodẽ lapide, ergo in eodem intellectu. Patet consequentia, quia intellectum esse capacem recipiendi effectũ formalem ab eis actibus, non videtur obesse, imò potiùs prodesse, ut possint in eo poni; ergo si possint simul poni in lapide, poterunt & in intellectu. *Sed non urgent.* Supponunt enim primò, illos actus esse qualitates realiter ab ipsomet intellectu distinctas & esse ponibiles in lapide; cùm tamẽ multi negent illud prius, & multò plures concesso priori hoc posterius. *Respondet Arriaga* dari repugnantiã inter prædictos actus. Ad confirmationem dicit, repugnantiã odii & amoris, assensûs & dissensûs, esse solùm respectu subjecti capacis, scilicet intellectûs assentientis, voluntatis amantis & odio habentis; cùmq; lapis per eos actus non assentiatur nec dissentiat, non illi repugnant, quia non tribuunt effectus impossibiles; quo fit, ut ejus incapacitas nõ impediat, sed potiùs juvet, ut formas oppositas recipiat, quia hæ nõ opponuntur nisi in ordine ad subjectum, cui tribuunt suos actus formales. *Sic ille:* & ut puto minùs clarè, sed benè. Eum sic intelligo. (puto enim id voluisse dicere, vel debuisse.) Nam illi actus mentis & voluntatis (si dicantur esse qualitates realiter distinctæ) bifariam possunt considerari; primò secundũ *esse entitativũ & reale*, & secundò secundũ *esse intentionale.* Si agamus de illorũ *esse reali*, condonabo Adversariis, quod voluerint; opponantur aut nõ opponantur, per me stabit: at, si agamus de *esse intentionali*, indispensabilẽ repugnantiã suadebo. Et ad rationẽ in contrariũ propositã veniens, dicam posse probabiliter dici Assensum & Dissensum, Amorẽ & Odiũ non posse poni in lapidẽ, quia secundum suũ *esse reale* opponuntur: & posse probabiliter permitti, ut Adversarii lapidẽ illis qualitatibus ornent; nã nihil inde contra nos inferretur; quia in tali casu illæ qualitates exercebunt suam virtutẽ physicã, non verò suã intentionalẽ; lapis enim intentionalitatis nõ est capax, cujus est homo; adeòq; nõ opponerentur in lapide, qui opponerentur & coëxistere nõ possent in homine.

Actus mentis & voluntatis habent duplex esse; entitativum, reale & intentionale.

Resolutio.

Sententia altera; & dicendũ non posse divinitus fieri, ut idẽ intellectus ejusdẽ objecti habeat assensum & dissensum simul. Hanc tuetur citatus Arriaga; & sic eam probat. Quia non potest Intellectus dissentire ab objecto, quod evidenter verũ judicat: neq; è contrario potest assentiri objecto, quod judicat evidenter falsum. Sed id contingeret, si simul assentiretur & dissentiret: ergo assentiri & dissentire simul non potest: Confirmat; Quia voluntas non potest efficaciter velle, quod ut impossibile cognoscit. Sed, ut video, in majori prioris syllogismi, & in hac ejusdẽ confirmatione supponitur id ipsum, quod quæritur; qui enim contrariã sententiã teneat, negabit necessariò majorẽ. At ait Arriaga; *Hæc admittũtur etiã ab adversariis.* Nego, nego: nõ enim adversarii contradictoria admittunt: qui enim dicit posse in eodem intellectu esse simul assensum & dissensũ, consequenter dicturus est, intellectũ qui judicat unã propositionem esse evidenter veram, tunc posse judicare esse evidenter falsam: vel detur alius casus in quo sit possibilis assensus & dissensus simul.

Probatur ab Arriagâ supponendo, quod quæritur.

Ergo Arriaga monitus, ne petat principiũ, nostrã conclusionẽ sic probat. Nõ potest simul esse volitio & nolitio efficax ejusdẽ rei in eâdẽ voluntate: ergo nec assensus & dissensus in eodem intellectu. Hoc antecedens Ego prius probabo S. Gregorii authoritate, quæ occurrit, & postea examinabo qualiter ab Arriagâ probetur. Homiliâ igitur XXXVII. in Evangelia (quæ à nobis legitur in Comm. unius Mart. lect. XI.) Sanctus Papa sic ait; *Certè de uxore Veritas dicit, Quos Deus conjunxit, homo nõ separet. Et Paulus ait; Viri, diligite uxores vestras, sicut & Christus Ecclesiã. Ecce discipulus uxorẽ diligendam prædicat, cùm Magister dicat: Qui uxorẽ non odit, nõ potest meus esse discipulus. Nunquid aliud Judex nuntiat, aliud præco clamat? an simul & odisse possumus & diligere? Sed, si vim præcepti perpendimus, utrumq; agere per discretionẽ valemus; ut uxorẽ, & eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, & quos proximos novimus, diligamus; & quos adversarios in viâ Dei patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.* Distinguit inter objecta; quia eadẽ res ab eâdẽ personâ non potest simul odio haberi & amari. Id Arriaga ipsum à ratione sic probat. Quia volitio efficax est illa, quâ voluntas cogitur & determinatur ad ponendum à parte rei objectũ volitũ, vel immediatè, vel saltẽ mediatè, applicando media inferentia illud: sed nequit voluntas seipsam cogere & determinare ad ponendum id quod videt esse impossibile poni, nec potest judicare, esse media pro re impossibili, quod lumine naturæ notũ videtur, [An non iterùm petit principiũ?] ergo nequit esse determinatio ad illud impossibile, nec ad media ponenda, ut obtineatur; ergo voluntas nullo modo potest efficaciter velle impossibile. *Sic ille*; & ut hanc rationẽ intelligamus benè, postulat, ut advertamus duo. *Alterum*, eò quod voluntas nõ feratur in rem secundũ se, sed propositã per intellectũ, ad hoc ut voluntas velit aliquid efficaciter, per accidens se habere, quod illud in se possibile sit, vel non: solùm enim requiritur, ut ei proponatur ab intellectu tanquã possibile vel impossibile: unde rẽ in se impossibilẽ, si ut possibilis voluntati proponatur, poterit efficaciter velle; non autem poterit, licet in se sit possibilis, si tamen ut impossibilis appareat: & ratio est quia respectu voluntatis non est alia possibilitas aut impossibilitas in objecto, quàm quæ repræsentatur. *Alterũ*, hæc à se dicta non solùm probare, non posse voluntatem ferri efficaciter in objectũ quod ei absolutè ut impossibile in omni casu proponitur, sed neq; in illud quod hic & nunc ex aliqua suppositione ut impossibile apparet, v.g. à se amari Petrum die lunæ, jam ut impossibile apparet, posse Petrum amare eo die, & consequenter ut die martis voluntas determinetur ad amandũ Petrũ pro die lunæ nihil prodest illum amorem fuisse absolutè possibilem; prodest quidem, ut potuerit aliquando effi-

CMLVII. An possit esse Amor & Odium simul?

Quid sit voluntas efficax?

Voluntas nõ fertur in esse reale rei sed in apprehensum.

Voluntas impossibilia non intendit. Si quid aliquo sit sensu impossibile, illo sensu intendi non potest.

do efficaciter amare; verùm ut possit die Martis, omninò per accidens se habet. *Hæc est Arriagæ ratio.*

CMLVIII. *An ab Intellectu ad Voluntatem, an verò contrà argumentandū sit?*

At Ego duo in his verbis observo; nam & sui obliviscitur Arriaga; & id ipsum assumit quod quæritur.

Probo illud prius. Nam Arriaga num. 85. immediatè post titulum exorditur his verbis. *Hanc quæstionem nonnulli ad disputationem de voluntate rejiciunt, eò quod communis sit odio & amori: sed immeritò; repugnantia enim odii & amoris desumenda est ex repugnantiâ assensûs & dissensûs & non è contrario, ut ex dicendis constabit.* Et interim in præcedente ratiocinio (quod est unicum) repugnantiam assensûs & dissensûs à repugnantiâ amoris & odii desumit. Arriaga igitur obliviscitur sui, supponit id quod quæritur, & circulos evidentes committit.

An in hac probatione detur circulus, & principium petatur?

Probo hoc posterius. Nam ut suadeat repugnare Amorem & Odium, Volitionem & Nolitionem; assumit non posse voluntatem se cogere ut velit quod est impossibile. Sed hoc quæritur: & quando sperabatur probatio, *esse lumine naturæ notum* dicit.

Notiora difficilius probantur.

Scio difficiliùs posse probari, quæ certiora; quia cùm sint primis proximiora principiis, non habent multos medios terminos, quibus possint monstrari. Sed his non obstantibus, sic discurro. Impossibile est (etiam potentiæ absolutæ respectu) eumdem globum materialem moveri in duos terminos contradictorios: non enim potest divinitùs fieri, ut globus quandò accedit ad me, tunc recedat à me; nec potest fieri ut taurus; quando me persequitur & assequitur; tunc me fugiat. [Nec debet ad replicationem recurri, quia non quærimus, an Assensûs & Dissensus possint esse in eodem homine replicato, ita ut Assensus esset Romæ & Dissensus Madriti, (hæc enim esset alia quæstio) sed agimus de homine non replicato, & globum non replicatum (hoc est, non existentem in duobus locis) ponimus in exemplum.] Sed amare est rem prosequi, odio habere est eam fugere: ergo non potest divinitùs fieri, ut rem simul velim & nolim, amem & detester, diligam & odio habeam. Patet consequentia: quia sicut de materialibus materialiter, sic oportet de spiritualibus spiritualiter philosophari. Si semel demonstratum sit non posse in eâdem voluntate esse simul Amorem Odiumque, manebit etiam demonstratum non posse esse in eodem intellectu Assensum & Dissensum simul: quia nulla datur ratio disparitatis: assentire enim præbere consensum est; & dissentire est consensum non præbere, sed illum absolutè negare: & eamdem rem præberi & non præberi impossibile est.

Impossibile unum & idem corpus respectu ejusdē termini accedere & recedere simul.

Rerum materialium & spiritualium analogia.

Voluntatis & Intellectûs analogia.

CMLIX. *Objectio prima.*

Adhuc aliquo torqueris scrupulo, & jubes tibi responderi. Sic ais. Voluntas odio habens Deum, vult efficaciter Deum non esse; odium enim alicujus objecti, est voluntas efficax carentiæ illius objecti; atqui impossibile est Deum non esse, Ergo. *Respondet Arriaga* odium Dei non esse voluntatem efficacem destruendi Deum, sed solùm displicentiam in illo ob malitiam, non quam in Deo secundum se cognoscat; (alioquin omne odium Dei supponeret hæresim) sed quia Deum apprehendit ut malum sibi, eò quòd illi mala infligat, vel negat bona; & aliquando eam displicentiā esse conditionalem volitionem efficacem Carentiæ Dei, quod scilicet si posset, verè destrueret Deum. *Et aut fallor*, aut asserit non dari propriè odium Dei: nam displicentia non est odium. Quid vox *odium* significet, tu benè in objectione supposueras; limitat Arriaga, & nescio an benè. Quæstio est critica (ut grammaticam dicam) & pendet ex Authorum lectione. Dò Plutarchum in Annibalis vitâ. *Annibal adhuc puer, ait, cùm quæreretur de finiendo odio inter Romam & Carthaginem, pedem infixit solo, & pulvere suscitato, tum demum finem belli fore dixit, cùm altera pars in pulverem esset redacta.* Ergò Annibal, qui sic fuit loquutus, & Plutarchus qui ejus verba commendat, & reliqui qui laudant, nomine *Odii* desiderium intelligunt redigendi in pulverem rem exosam: Odium igitur aliquid supra displicentiam est. Et si absolutè loquendo adversus Deum præter meram displicentiam nihil habere potest homo, sequitur ex Arriagæ doctrinâ hominem non posse absolutè & determinatè odisse Deum. De odio illo conditionato nihil dico, quia multa occurrunt, & hæc spectant aliò, nec debent hic examinari. Ad Assensûs & Dissensûs incompossibilitatem redeo.

An verò detur odium Dei? An id quod Dei esse odium dicitur, sit displicentia mera?

Carthaginensium & Romanorum odiū.

Quid sit odium?

Illam iterùm probat Arriaga: Quia intellectus non potest evidenter falso, à quo dissentit, assentiri: ergo non potest assentiri & dissentire simul. Antecedens ait ipsis terminis videtur notum: Sicut enim inclinatio & propensio naturalis essentialiter est ad bonum, nec ulla vi potest esse ad malum ut tale (quo probabimus infra Voluntatem non posse amare malum formaliter:) ita assensus, qui est inclinatio intellectûs, debet esse ad verum; & dissensus; qui est fuga, ad falsum: nec video, qua ratione sibi per judicium persuadeat intellectus, ita esse objectum; quod tamen evidenter ei apparet non ita esse ex his. *At illud* ipsum antecedens, quod ipsis terminis videri notum ait; mihi videtur esse ipsammet positionem, quæ quæritur.

CMLX. *Arriaga iterùm iterumque supponit, quod quæritur.*

Igitùr progreditur Arriaga, & illud antecedens, quod ipsis terminis notum esse priùs dixerat, hoc est; conclusionem ipsam suam aliis verbis expressam magnò ingenio supponens, sic discurrit: Intellectus; ait, nequit assentiri falso? (hoc est quod supposuerat) Atqui eo ipso quod judicet, *Simul Petrum currere & non currere*, assentitur evidenter falso; ergo non potest simul *assentiri Petrum currere & non currere*, seu quod idem est, habere assensum & dissensum de cursu Petri. Minorem probat: quia eo ipso quod judicet *Petrum currere* Cursus et proponitur ut verus, & ejus carentia ut falsa, quia nihil potest simul esse & non esse; ergo non poterit eo ipso quod judicet *Petrum currere* di. T. i-

An Intellectus possit assentiri falso? An voluntas amare malum?

Diversa verba video: diversos conceptus non video. Semper idem per idem. Semper dicuntur vera & evidentia, quæ ab Adversariis negantur.

dissentiri ipsi cursui, nisi assentiendo falso, & dissentiendo vero. Hoc autem est impossibile, [*At hoc ipsissimum quæritur, An id possibile sit aut impossibile?*] Ergo & illud. Progreditur & jubet adverti, hanc rationem non pendere ab eo, quod per unicum actum intellectûs utrumque judicet: eo enim ipso quod per unum proponatur cursus Petri ut verus, & illi assentiatur, nec per illum nec per alium potest ei dissentiri, quia jam ei opponitur eo ipso contradictoria pars objecti ut omninò falsa, ergo non potest illi assentiri. *Sic Arriaga*, qui permissus suam conclusionem supponere efficacissimè illam demonstrat: in hoc similis illi qui probaturus, *Equum esse hominem*, supponi vellet ut per se notum, *Equum esse animal rationale.* Suâ ipse conclusione suppositâ securissimè ad voluntatem transit, cui totam hanc doctrinam applicat: nam voluntas, ut simul vellet efficaciter deambulare, & efficaciter etiam nollet deambulare, deberet necessariò cognoscere, esse simul possibilem deambulationem, & ejus carentiam pro unico instanti; hoc autê nequit proponi ab intellectu, ut probatum est; ergo nec à voluntate simul amari & odio haberi efficaciter deambulatio.

CMLXI. *Objectio secunda.*

Instabis iterùm. Possum habere simplicem complacentiam in re impossibili; ergo & voluntatem efficacem. Negat consequentiam Arriaga: quia simplex complacentia non determinat, nec est effectiva operis, sed tantùm dicit, voluntatem complacere in aliquâ bonitate, quæ potest apprehendi etiam in re impossibili; volitio autem efficax determinat ad opus, nequit autem determinare ad efficiendum impossibile, ut per se patet.

Intentionis & Complacentiæ differentia.

At Ego aliter rem intelligo: puto enim omnem voluntatem esse efficacem ex se: & *complacentiam* esse voluntatem considerandi, contemplandi, cogitandi, & *intentionem* esse voluntatem operandi: & infero posse hominem habere complacentiam, non autem intentionem rei impossibilis: nam Theodorum amicum meum, esse totius orbis terrarum dominum, tametsi, humanitùs loquendo, sit impossibile factu; non tamen est impossibile dictu, vel cogitatu: & quia complacere est hoc ipsum cum delectatione cogitare, quis vetat ne complacentiam habeam, & tamen intentionem non habeam? Hinc aliquid deduci posset pro motibus, aliquid quod morosas delectationes dilucidaret; posset enim Petrus non intendere frui Amaryllide, & interim velle illam lascivè cogitare, & in cogitatione complacere. Sed hoc tetigisse sufficiat.

De morosis delectationibus & complacentiâ lascivâ.

CMLXII. *Objectio tertia.*

Instabis tertiò. Intellectus simul potest judicare utramque partem contradictionis esse probabilem, ergo & poterit utrique assentiri. *Respondeo* hanc objectionem, si esset efficax, non solùm absolutam Dei potentiam, sed cursum etiam rerum ordinarium respicere. Addo illam efficacem non esse; illique satisfacio, distinguendo Antecedens. Potest judicare esse probabile utramque simul existere: nego: Potest judicare utramque esse probabilem, hoc est, quamlibet habere pro se aliquas rationes, fortes & graves; quæ tamen non sint evidentes? concedo: at in hoc nulla est repugnantia, ut per se patet, nec inde sequitur, intellectum assentiri falso, ut contingeret in nostro casu. Ratio à priore hujus est, quia judicare esse probabile, non est assentiri ipsi objecto, sed, ut dixi, reflexè cognoscere esse pro illa rationes aliquas apparentes; nec tamen est ulla repugnantia in eo, quod pro utrâque parte sint fundamenta probabilia: unde dicendum est huic Propositioni, *Probabile est de occultis non judicare Ecclesiam*, non opponi hanc, *Probabile est de occultis judicare Ecclesiam.* (quoniam hæ ipsæ non solum non oppositæ, sed sunt æquipollentes, & necessariò consalsæ aut converæ) sed hanc, *Non est probabile de occultis non judicare Ecclesiam.*

Quid sit probabilitas? & quomodo formantur contradictoriæ in hac materiâ?

Egimus de incomponibilitate Amoris & Odii supponendo Voluntatem ab Intellectu manuduci, nec negari posse illud commune Axioma, *Nihil volitum, quin præcognitum* At, quia ex S. Bonaventurâ, S. Theresiâ, & aliis Contemplativis Viris nonnulli Philosophi colligunt Voluntatem ab Intellectu non pendere, sed posse illam etiam Intellectu quiescente (hoc est, ut interpretantur, non operante) amare; non vis id ipsum in quæstionem reducere, scis enim alibi digniùs tractandum, sed inquiris,

An cessante Intellectu possit adhuc amare Voluntas?

An ex suppositione, quòd Voluntas ab Intellectu non dependeat, possit simul idem obiectum odio habere & amare?

CMLXIII. *Prima sententia.*

Respondet Arriaga citatæ disp. 6. num. 92. assertivè: & resolutionem ipse suam sic probat. Nam si Voluntas posset saltem de potentiâ absolutâ sine cognitione amare, nullam futuram rationem, cur non posset conjungi simul odium & amor in eâdem voluntate; quia, voluntas non fertur in objectum secundum se, sed ut apprehensum, ideòque ad impossibile secundum se, apprehensum tamen ut possibile, potest efficaciter ferri; ergo quantumvis sit, impossibile, idem simul esse & non esse, si ea impossibilitas non innotesceret voluntati posset utrumque velle; certum est enim repugnantiam odii & amoris desumi ex repugnantiâ assensûs & dissensûs, non è contrario.

CMLXIV. *Rejicitur; & opposita ponitur.*

At Ego existimo prosecutionem fugamque præscindendo ab omni circumstantia extrinsecâ, esse motus contrarios: & resumebat exempla superiùs allata, globum non posse simul accedere & fugere idem punctum; & taurum non posse simul insequi & fugere eumdem hominem. Cognitio mera conditio est (fortè indispensabilis: sed quæstio dispensabilem esse supponit) quâ sublata non mutantur essentiæ. Dico igitur objectum ordinarium Voluntatis esse bonum & malum apprehensa; at verò, cùm Voluntas elevatur & fortificatur, ut posit operari sine

Objectum Voluntatis nostræ: objectum elevatæ.

actibus

Mentis concursu, tunc elevatam habituram pro objecto bonum & malum vera, circa quæ eodem modo, quo nunc circa apprehensa, operabitur.

HÆC SATIS: Pono calamum. Videri volo Quæstionem principalem resolvisse & evidenter demonstrasse: incidentes volui ad mentem diversorum decidere, non enim ab illis principalis dependet; quoniam quidquid in reliquis dicatur, eadem est. Iam doctior instructiorque expeditiùs progrediar.

PRINCIPIUM XIII.

Abstrahentium non est error, neque mendacium. Arist. 2. Physic. text. 18.

CMLXV. *Quid sit Abstractio?* VIderetur undecimum Principium (quod ibidem notavimus) doctrinam de Abstractione diruere; quia qui abstrahit, dicitur concipere subjectum sine contradictoriis. Sed si res benè intelligatur, hæc duo Principia se mutuò propugnant & defendunt. Vt igitur rem optimè intelligas annotato idem esse in Logicâ mentali *Abstrahere*, ac *Tacere* in vocali: possum vocaliter dicere unum tacendo aliud; adeòque potero mentaliter dicere unam formalitatem, mentaliter tacendo alteram: hoc est possum unam concipere non concipiendo alteram.

& quotuplex? Abstractio, ut Gratianus Monfortius *in Philosoph. Axiomatib pag. 1.* benè notat, est duplex: Realis, Mentalisque. Illa fit independenter ab humano intellectu, ut cùm digitus præciditur à manu: hæc fit ab intellectu, qui abstrahit unam formalitatem ab altera: & hoc bifariam; præcisivè, & negativè, ut observat Hurtadus *disp. 3. Log. §. 5.* abstrahimus enim præcisivè; cum concipimus animal non concepto rationali, non apprehendentes illud esse rationale aut non esse: at abstrahimus negativè; cùm concipimus animal carere rationalitate.

Quo sensu error in Abstractione esse possit? Si agamus de abstractione negativa, necessariò concedenda sunt aliqua, quæ ex positis principiis exoriuntur. *Primò* enim debemus dicere in abstractione subesse errorem posse, mendacium non posse. Errorem quidem, quia male rationale conciperet, qui ipsum intelligeret affectum carentia animalitatis; Non verò mendacium, quia non quæcumque falsitas mendacium est, sed quæ in Iudicio; (sumimus hîc nomen mendacii pro quocumque judicio falso) & *Discrimen inter errorem & mendacii.* Apprehensiones fiunt à Prima mentis operatione, quæ terminos simpliciter apprehendit, propositiones autem fiunt à secunda, quæ judicat. *Secundò* deberemus similiter asserere non posse eandem formalitatem negativè abstrahi â duobus terminis contradictoriis, quia idem est eam abstrahere negativè ac concipere duos contradicentes terminos simul abesse ab eodem subjecto indivisibili. Et hoc ultimum, ut principio XI ostendimus, est impossibile.

Cæterùm cùm abstrabimus præcisivè, non concipimus rationale esse verbi gratiâ sine animali, sed concipimus Rationale quin concipiamus animal, & in hoc conceptu nulla omninò falsitas, mendacium aut error reperitur.

CMLXVI. *Aliud Principium huic cognatum.* DOctrinæ consequentia postulat ut aliud Principium subjungamus, quod tametsi verum sit, summâ obscuritate laborat. Illud est, *Posterius non potest abstrahi à suo priori:* quod desumitur ex Aristotele 5. Metaph. cap. de Prior. ubi ait Philosophus, *Ea sunt, quæ possunt esse sine aliis, alia verò non sine ipsis.* Quæ verba, si fidimus Peripateticis æquivalebunt istis, *Totum* (id Aristoteles *posterius* nominat) *non potest abstrahi a parte; benè tamen hæc ipsa a toto:* quod quidem, seu agatur de abstractione reali seu præcisivâ, verum est. *Repugnat totum concipi aut esse sine partibus.* Homo enim nec potest concipi sine animali nec esse sine corpore: at animal potest sine homine concipi, & corpus destructo homine remanere.

De Abstractione.

CMLXVII. *Abstractio intellectu est difficilis.* Multos Authores lego, at in omnibus tenebras multas video. Subtilis est Abstractionis materia, debetque per clariora explicari. Puto notiores esse voces conceptibus; & idcircò in contextu illam vocum paritate illustravi. *Mentis & linguæ analogia.* Dico igitur Abstractionem vocalem esse mentali analogam; & statuo quidquid de vocali dicatur, suo modo intelligendum de mentali. *Quid sit abstractio?* Ad definitionem venio; & assero, Abstrahere vocaliter esse unum dicere tacendo alterum; & inseo abstrahere mentaliter esse unum intelligere non intelligendo alterum.

Quâ illa mentis operatione fiat? Si quæras; Per quam mentis operationem fiat Abstractio? respondeo fieri per omnes tres, sed diversimodè. *Abstractio apprehensiva quæ fit linguâ,* Abstractio apprehensiva fit linguâ, cùm unum dicitur & non dicitur alterum; ut si Petrus habeat togam viridem & pallium rubrum, & dixero, *Petrus habet pallium rubrum*; tunc vocaliter abstraho à togâ, quam nec dico esse viridem, nec non esse, sed taceo. *oculis, &c.* Non aliter abstrahere possem oculis: puta si pallium viderem, & non togam. *& mente.* Non aliter abstrahere possem mente; nimirùm, si in Petro non intelligerem togam sed pallium. Tunc non assererem eum carere togâ, non eum carere illâ; sed præscinderem; & idcircò, nec mentirer, nec fallerer.

CMLXVIII. *Abstractio judicativa: facta linguâ, auditu,* Transeo ad Iudicium: & sic loquor, *In dictione* Theologus, *prima syllaba est brevis.* Ecce vocaliter primam ego syllabam à reliquis aliis præscindo; & tamen omnes quatuor dixi, nullam tacui: omnes audivisti proferri, & tamen me intelligis, nec tu audiendo confundis, quæ distinguo dicendo. In quo ergo consistit hæc distinctio vocalis? in quo hæc vocalis abstractio? Dico verbo. In eo nimirùm, quòd tametsi omnes illas syllabas proferam, non tamen de omnibus prædicatum affirmem. Erit igitur Abstrahere judicativè, affirmare prædicatum de uno & non affirmare de altero. *oculis,* Doctrinam hanc transfero ad oculos; & propono triangulum DEF. [Vide in laminis Logicis figuram XXIV.] Tres lineas habet, & tres video; perpendicularem, horizontalem, & hypotenusam. Interim loquor sic. *In hoc triangulo linea perpendicularis & horizontalis formant angulum rectum*: quid igitur dixero de hypotenusâ, quid de reliquis angulis? nihil omninò: & nihil affirmando & nihil negando de illis, illos à rebus, quas affirmo, abstraho. *& mente.* Mentis operatio est analoga linguæ, auditui, oculo: considero enim in Petro Animal, Rationale, Individuationemque; ecce omnia concipio, & apprehensivè nihil abstraho (deberem enim, ut abstraherem apprehensivè, unam formalitatem concipere non concipiendo alteram) at subjungo, *Animal est genus respectu Petri & Pegasi*, & jam abstraho judicativè, quoniam de Animali affirmo, quod non affirmo de rationali.

CMLXIX. *Abstractio discursiva.* Fit etiam per discursum abstractio: nimirùm, si mente aut linguâ dicam, *Petrus est animal, & rationale; Ergo discurrit*: hæc enim argumentatio est efficax, & æquivalet huic,

Petrus est animal,
Petrus est rationalis,
Ergo Petrus discurrit.

in quâ consequentia benè infertur; non verò à priori, sed posteriori præmissâ: ergo hic illativè abstrahimus animal à rationali.

De Mendacio.

CMLXX. Dixerat Aristoteles, *Abstrahentium non esse mendacium*, & ut illum penitùs intelligeres aliqua de Astractione diximus, & ratio postulat, ut aliqua de Mendacio addamus.

Quid illud sit? *Mentiri est contra mentem ire*, adeòque aliud est mentiri, aliud dicere falsum. Qui enuntiat rem aliter quàm est, non tamen aliter quàm putat, falsum is dicit, non mendacium: qui aliter quàm putat, sivè dicat rem esse ut est, sivè ut non est, mentitur; & non qualitercumque, sed formaliter: *& quotuplex?* dantur enim mendacia virtualia, quæ formalibus æquivalent, & committuntur ab illo, qui ignorantiâ crassâ & peccaminosâ laborans loquendo, licèt non impingit in mentem quam habet, impingit tamen in mentem quam deberet habere. *Quid sit hæresis?* Sic Hæreticus (ago de formali & pertinaci) cùm sentit Deum non esse trinum, & juxta mentem suam loquitur, & *Deus non est trinus*, ait, non mentitur formaliter; non enim linguâ it in mentem formalem quam habet, at mentitur virtualiter, quia linguâ it in mentem quam virtualiter habet, hoc est, quam deberet habere.

CMLXXI. *An dentur mendacia mentalia?* Hinc solvitur difficilis illa Quæstio, quæ postulat, *An Mens possit mentiri?* Et respondeo rem esse superficialiter examinatam ab eo qui neget. Nam tametsi Mens formaliter mentiri non possit, virtualiter mentiri potest, soletque. Et ne exempla mutemus; eumdem hæreticum, qui pertinaciter negat Trinitatem produco. Mente ait, *Deus non est Trinus*: & mente mentitur; quia mente in mentem it; nimirùm, formali in virtualem; hoc est, actu quem habet, in illum quem deberet habere.

PRINCIPIUM XIV.

Omne quod est, dum est, infallibile est illud esse. Consectarium. *Non omne, quod est, dum est, necesse est esse.* Est contra Aristot. 1. Peri-herm.

CMLXXII. *Sententia prima,* *secunda,* *tertia.* OMne quod est, dum est, necessariò est, est propositio, quæ inconsideratè asseritur à Peripateticis, & deberet meliùs examinari. Pertractatur à multis; eamque aliqui tam crudè admittunt, ut non pudeat asserere, non dari libertatem in actu secundo, quia actus liber, ut existimant, antequam fuisset, non esse potuit, at ex suppositione, quod sit, necesse est esse. Alii ut tueantur libertatem bona Peripateticorum pace Assertionem hanc negant. Et alii tandem, nequid indictum maneant illam distinguunt, docentque in sensu eam diviso & antecedente esse falsam, in composito & consequente veram.

CMLXXIII. *Necessitas pro infallibilitate.* Resolvo tamen *Necessitatis* nomen si sumatur pro infallibilitate, Propositionem esse veram; at aliàs falsam: quoniam necesse est esse omne quod est quamdiu est, non tamen necesse est aliter illud esse quàm est; sed priùs esse ut est. Pono exemplum. Album, quamdiu est album, est necessariò album, non verò est nigrum. Vivum, quamdiu vivit, necesse est vivere, non tamen est necesse id mori; non-aliter, necesse est actum liberum, quamdiu liberè exercetur, esse liberum, non tamen est necesse illum esse non-liberum: Atqui actus liber ille est, qui elicitur cum indifferentia, ille inquam qui potest non esse; ergo quamdiu est, necesse est quòd cum indifferentia eliciatur; hoc est necesse est, quòd eliciatur ut possit non elici, quòd ita fiat ut possit non fieri; quòd ita id sit, ut possit nō esse.

Hæc necessitas (hoc est, infallibilitas) in omnibus identicis assertis reperitur: quia sicut necessarium est hominem esse hominē & equum esse equum; ita etiam necessarium est actum liberum esse liberum, & contingentem esse contingentem. Omne igitur quod liberè est, dum est, necesse est esse liberè; hoc est, necesse est ita esse, ut etiam ab intrinseco possit non esse.

Necessitas in sensu composito. Resolvo etiam idem Axioma posse intelligi de necessitate vera, sed in sensu composito, quia tametsi actus liber cùm est tunc possit non esse, nihilominùs id non potest in sensu composito; non enim potest existentiam & non-existentiam cohabere.

CMLXXIV. *Tota libertas in unico instanti salvatur.* NOlo videri nimius in re tam clarâ: quia saltem adversarii dicturi sunt (Catholicos enim admittunt Articulos Fidei) Deum habere libertatem. Ergo si Deus liberè aliquem actum elicit in actu primo? quando in acto secundo? quando actū? nonne omnia in eodem instanti? Ita sanè; quia in Deo non datur ulla instantium successio. Ergo vel dicendum esset Deum esse agens necessarium; vel actum liberum pro instanti, in quo est, posse non esse. Nolo hic me implicare varietate opinionum, quæ divinam libertatem rimantur; sed suppono in hoc convenire universos, quòd Actus liber (qualitercumque ipse exponatur) eo sensu quo liber est, possit esse & non esse. Cùm igitur certum sit Æternitatem esse durationem simultane- *Æternitas est unum instans.* am, hoc est, instantaneam, concluditur Actum primum, secundumque; Potentiam; Exercitium; Esse, & Posse non esse, non solum in uno instanti, sed pro uno instanti reperiri. Et ostenditur, *Quia actus Dei liber; (etiam ex suppositione quod liberè sit; etiam reduplicativè) in instanti quo est, habet potentiam ad non essendum, non quidem in alio instanti, (non enim datur aliud) sed in ipso in quo est.* Rem benè intellige; & analogicè de Creaturis liberis & contingentibus philosophare. *Exponitur libertas divina, & humana.* Si nondum eam intelligis, aut nondum assentiris, rem totam accuratiùs recogita; quamdiu enim non subscribis, te laborare præjudicio aliquo falso, mihi est evidens.

PRIN-

PRINCIPIUM XV.

In Causis circulus admitti non debet.

CM LXXV. Κυκλολογία. Κακολογία. Circulus vitiosus. Idem per idem.

HOc axioma, ab omni viro docto supponitur; aliàs enim periclitarentur doctrinæ. Exponere idem per idem, vitium est; unde & Κυκλολογία, etiam Κακολογία, & frequentius *Circulus vitiosus* nominatur. De circularibus discursibus arguitur Aristoteles, arguuntur multi veteres, qui videntur Sophiæ balbutienti studuisse. Definiebant *album esse, quod habet albedinem; & albedinem, quâ dicimur albi.* Addebant *nivem ideò esse albam, quia est disgregativa visûs; & ideò esse disgregativam visûs, quia est alba.* Has & similes alias circumloquutiones condemnavit Academia, & in ludo Scholastico ad eandem chordam reverti non permittitur.

CM LXXVI. An Bernardus committat circulos?

VItiosum circulum sine culpâ committi non posse scimus universi: hanc esse gravissimam ostendam. Succubuerat armis justitiæ & veritatis Abaylardus; illum jam ab Ecclesiâ in Senonensi Concilio condemnatum Berengarius audaci calamo propugnat contra D. Bernardum edito libello, cui titulus *Apologeticus*, cujus capite 10. Melliflui Doctoris gloriam & authoritatem stylo partam obscuratura, quasi triumphum adeptura ejusdem Viri sancti doctrinam, quam de hæresi aut temeritate incusare non poterat, de circulis vitiosis accusat. *Totus in verbis fluctuat, ait, & more ridiculi Syllogismi rotatur in circulo; unde Poeta Citharædus, inquit,*

Musica [illegible] chorda. Doctor [illegible] libri. Chronologus [illegible] historia. [illegible]logia.

Ridetur, chordâ qui semper oberrat eâdem.

Læta verborum gramina sata instrangulant sententiarum aut fortassis idem dicendo multipliciter, Vlyssem simulare volebat, de quo scriptum est,

Ille referre aliis sæpè solebat idem.

Ecce qualiter fugere debeas vitiosas has circumloquutiones, si famam doctrinæ volueris conservare. Huic & aliis similibus, quæ contra D. Bernardum Berengarius conglomerat, respondi libro particulari, ubi ostendo injustè illum mordere & de cyclologiis appellare.

At qui mellifluum meum Bernardum defendo, alios Authores (veteres, juniores) non defendo: quia ut alios omittam, Philosophi, & nonnunquam Geometræ illustrissimi videntur aut demonstrativè concludere, aut adæquatè respondere. Semper circulus vitiosus committitur, cùm respondens Positionem, quæ impugnatur, supponit; est enim idem per idem. Verbi causâ. Dicebat Tytius se scire evidenter dari Deum, & probabat sic. Non repugnat Aseitatem identificari substantiæ: Ergo identificatur. Ergo datur substantia à se: hæc Deus. At Petrus hanc non esse demonstrationem sic urgebat. Ex potentiâ ad actum non est evidens arguendi forma; hæc, quam demonstrationem nominas, procedit ex potentiâ ad actum: Ergo non est argumentatio evidens. At Titius majorem distinxit per hæc verba. Ex potentiâ ad actum non est evidens arguendi forma, in humanis concedo; in divinis nego. Tunc Petrus. Omnis distinctio duo membra præsupponit, ergo hæc tua præsupponit dari humana, & divina. Ergo præsupponit dari Deum: ergo præsupponit, quod quæritur.

An circulos committant Geometræ & Philosophi?

An sine circulo soleat probari dari Deum?

CM LXXVII. An sine circulo probari soleant rectam esse brevissimam? Vide in laminâ logica figur. 24.

Videbis illustres Geometras, ut lineam rectam esse brevissimam demonstrent, hac ratione abutentes. Inter puncta A B nulla linea potest dari minor lineâ A B. hæc est recta: ergo recta est omnium, quæ dari inter duo puncta possunt, brevissima. Probant majorem. Quia si potest dari alia minor, sit arcus A C B. atque is est major minimâ: ergo. Minorem probant, quia si ex punctis A & B ducantur rectæ ad C. aggregatum ex A C & C B simul, erit majus lineâ A B. Atqui linea A C est minor arcu A C; & linea recta B C. est minor arcu B C. ergo si lineæ A C. & C B. simul sumptæ excedunt lineam A B. à fortiori arcus A C. & C B. (sunt enim majores suis chordis) excedent lineam A B. Non ergo linea A B est major arcu A C B.

Nonne demonstrativè concludunt? At quæso me comite iterum demonstrationem examina. Quid petebatur? nonne, utra sit major, curva an recta? Nil ergo demonstrabit qui rectam breviorem, aut curvam longiorem supponit; supponit enim id quod quæritur. Cùm igitur hi Geometræ dicant lineam A C. esse minorem arcu A C. quid aliud faciunt, quàm thesim demonstrandam supponere, hoc enim ipsum quæritur; An linea recta seu chorda, sit minor arcu?

Igitur tam in arguendo, quàm respondendo circulus omnis est vitandus. Vitabitur, si argumentator nusquam positionem semel negatam subsumat; si respondens nusquam positionem, quæ impugnatur, supponat, aliàs enim tota post majorem vel minorem consequentiarum circuitum recidet in idem disputatio.

Vitatur circulus.

Notari obiter volo, si non sit idem objectum, aut eadem persona quæ discurrit, circulum

culum non reperiri. Comisisset illum Martialis libr. 8. epigramm. 51. si dixisset.

Diligeris populo, sed propter præmia Cæsar;
Propter te & populus præmia Cæsar amat.

At, quia vel mutavit personas dicendo,

Diligis & populum, sed propter præmia Cæsar;
Propter te populus præmia Cæsar amat.

Vel potiùs negavit unam partem & asseruit alteram, inculcando,

Diligeris populo, non propter præmia Cæsar,
Propter te populus præmia Cæsar amat.

Ubi non solùm video cautè vitari circulum: sed actum veri Amoris (quod Theologo prodesse poterit) accuratè depingi.

PRINCIPIUM XVI.

Non datur processus in infinitum. Arist. 2. Metaph. cap. *In his quæ sunt à naturâ, finitum melius est, si esse possit.* Idem 8. Physic. text. 48. *Ubi multitudo, ibi & confusio.* 1. de Cœl. text. 110.

Utrùm possit dari res creata, quæ actu sit infinita, cùm de numero, magnitudine, & intensione agitur, probabilibus rationum momentis controvertitur: sunt enim quibus infinitas creabilis placeat, & sunt quibus displiceat. Cæterùm inter tot veterum & juniorum exorbitantes opiniones illa, quæ docet dari processum in infinitum, non habet ducem, qui debeat recenseri. Supponunt Philosophi universi dari causas subordinatas, sed deveniendum esse ad aliquam, quæ sit universarum princeps. Cum disputant de activis, admittunt *Causam primam*; *Materiam primam*, cùm de passivis agunt: illam à nullo esse conditam, hanc à nullo receptam esse ostendunt. Cùm de formis & aliis ornamentis substantiæ sermonem instituunt, dari formas ultimas à nullâ actuatas probant. Ad moralia venientes, licet fines subalternos admittant, de ultimo nihilominùs disputant, & eum esse, propter quem universa appetuntur, quique propter alium non appetitur, communi suffragio definiunt. Quibus idcircò subscribunt opinionibus, ne discursus abeat in infinitum.

Si causarum series usque in infinitum excurreret, nullæ scientiæ darentur, tunc enim scire aliquid dicimur [Arist. Physic. libr. 1. cap. 1. text. 1.] cum ejus causas principia & elementa penetramus. Si autem illæ essent infinitæ & hæc innumera, penetrari non possent; infinitum enim à mentis acumine finito tempore finito non percurritur.

Zimara in Tabulis. verb. *Processus infinitus* ad mentem Avicennæ asseruit à causis circularibus non debere hunc progressum proscribi; sed & nos ipsosmet discurrendi circulos explosimus, cùm Hypothesi præcedenti ostendimus illos non posse admitti in mente: sed neque infinitos in globis & sphæris admittimus.

Supponis dari in genere causæ finalis *Finem ultimum*, in genere efficientis *Causam-primam*, in genere causæ formalis *Formam-ultimam*, in genere causæ materialis *Materiam-primam*: in sustentationis genere *Primum-suppositum seu subsistentiam*; at inquiris, Utrùm in genere causæ integralis procedendum sit in infinitum, an deveniendum tandem sit ad partes aliquas primas integrales, indivisibiles, quæ continuum componant, & à nullis aliis componantur.

Respon-

Respondeo esse improbabile dari processum infinitum in causis materiali, formali, efficiente, & finali. Addo nec dari processum in integrali, sed subjungo hoc ultimum non æquè ab omnibus admitti, sed in utramque partem disputari, adeóque argumentum stando authoritati solummodò esse probabiliter efficax, si inter positiones evidentes continui compositionem juxta unam vel alteram sententiam assumat. Consultò illud, *stando authoritati*, posui; quis enim cæcus hîc summam inconsequentiam, si in continuo processus infinitus admittatur, non videat. CM LXXIX. *An probabiliter nequi posset?*

CM LXXX. *Datur processus infinitus in duratione Angelorum & Animarum: & quare iste conceditur, & cæteri qualescunque negantur?*

HOc Principium nascitur ex altero, quod inferiùs ponemus; si enim Entia sine causa multiplicanda non sunt, processus infinitus admittendus non est; ipse enim Entia innumerabiliter multiplicat, & tamen necessarius non est.

Ipse etiam, licèt necessarius non sit, in rerum immortalium duratione conceditur; quoniam sic docemur à Fide: qui tamen omnia, de quibus nihil esse à Deo revelatum constiterit, esse in æternum duratura negamus: & sic discurrimus. Non sunt multiplicanda Entia sine causâ; sed qui illa, etiam in infinitum, Deo sic præcipiente multiplicat, non multiplicat illa sine causâ: ergo, qui Angelorum & Animarum ætatem in infinitum processuram asserimus, ut Deo revelanti & credi præcipienti assentiamur & obediamus, non multiplicamus annos & actus sine causâ.

PRINCIPIUM XVII.

Omnes universales positiones nascuntur ex similitudine. Aliter, Universalia axiomata rationis paritate nituntur.

ARgumentum, quod terminorum similitudine fundatur, fortissimum est, tametsi positivè non convincat. Omnem hominem habere cor, asserimus; quia licèt omnium pectora non examinaverimus, nullum hominem excordem vidimus, & propterea nullum esse excordem putamus. Omnem ignem esse calidum ipsimet asserunt Peripatetici, licèt igneitatem à calore distinguant; quia cùm non viderint ignem non calidum, analogiâ discursûs supponunt visis ignibus similes esse nondum visos. Albos esse universos homines negamus, bipedes esse asserimus: negamus omnes esse albos, quia multos nigros Æthiopia, Guinæa, & ultramarinæ aliæ regiones exhibuerunt; tripedes verò nondum vidimus. Dicendum est igitur discursum parallelum ibi admittendum esse, ubi nulla disparitatis ratio occurrit. CM LXXXI. *Modus inveniendi Positiones Universales.*

CM LXXXII. *Verum syllogismus Inductione sit fortior?*

HOc Axioma commendat Inductionem, fortissimam Argumentationis speciem: ipsa enim Universalium Positionum est parens. Scio fuisse nonnullos, qui Syllogismum Inductioni præhabuerunt; sed scire vellem, qui formare syllogismos possent, si universalibus Propositionibus carerent: & qui istas invenire possent, si non uterentur Ascensu, & à rationis paritate procederent. De Ascensu & Paritate rationis egi in locis diversis, nec est cur alibi dicta superstitiosè repetamus.

PRINCIPIVM XVIII.

Imprudenter procedit, qui multiplicat Entia absque necessitate. Aliter, *Frustra fiunt per plura, quæ possent fieri per pauciora.* Aliter, *Non sunt multiplicandæ entitates aut formalitates sine causâ.*

Arist. 1. de Cœl. text. 50. & 8. Physic. text. 48. & 3. de partib. Animal. cap. 4.

AB omnibus, nemine contradicente, asseritur, *Frustrà per plura fieri, quæ per pauciora possunt æquè bene.* Hoc tanquam Principium per se notum supponitur ab universis; aliàs enim, si unicuique liceret nova Entia fingere, cur Æsopi Apologos & Ovidii Metamorphoses vocaremus Fabulas, cùm omnia aut ferè possibilia sint, quæ ab illis ficta? Cur non dicimus dari Lunares Homines, quibus nostra Tellus sit Luna? Cur non admittimus etiam Joviales, tam Globi medii quàm Satellitum incolas? Cur, ut verbo omnia dicam, non singula sydera ornamus animantibus, & æthereorum Hominum possessioni subjicimus? Aut fallor, aut ad impossibilitatem non recurres: author enim omnipotens est, & omnia potest: ideò igitur negabis stellas habitari ab hominibus, quia non sunt necessarii tales homines, & Entia absque necessitate à prudentibus non multiplicantur. CM LXXX

Æsopi fabulæ. Ovidii Metamorphoses. Homines Lunares, Joviales, Stellares possibiles sunt, non necessar.

Quid si aliquis novus Plutarchus conetur mihi persuadere dari Homines Stellarum indigenas? Negabo constantissimè. Sed cùm illi ipsi Homines possibiles sint, nullaque involvatur contradictio, si ponantur de facto, quâ Ego ductus ratione illos Syderibus negabo? Quî probare potero eos in stellis non esse? Fortè Ego id nescivissem, sed jam à doctioribus instructus scio. Negabo æthereos Homines; & erit mihi negandi ratio, quod rationem concedendi non habeam: quoniam ut doctissimè Oviedus contr. 4. de gen. punct. 1. num. 9. & Burghaber Parci Naturæ Genij thes. 12. affirmant, *Ad negandas entitates rationem negativam & defectum rationis positivæ pro parte contrariâ optimum efficere argumentum.* Nego igitur Cœlestes Homines: illosque ideò stellas inhabitare nego, quia rationem, quæ istos probet, non habeo. Si quis contrarium putet, illosque fore admittendos contendat, scire debet, *Me in hac lite Scholasticâ habendum loco rei negativi; & se loco actoris & affirmantis; & quia Disputatio academica est quædam Scholastica lis, & Lis civilis est quædam forensis disputatio, eodem omninò modo de alterutrâ philosophandum esse: & hanc ob rem, Me, qui tantùm negativè me habeo, & istos Homines Cœlestes rideo, non debere aliquid demonstrare aut probare; sed tantùm enervare rationes, quæ pro necessitate persuadendâ afferantur.* CM LXXXI

Sed quales meæ responsiones; quales rationes Adversarii esse debent, ut Entia debeant multiplicari? An-ne illud Principium, *Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate*, intelligendum de necessitate certâ & evidenti est, an solùm de incertâ & probabili? De evidenti, de certâ: quoniam necessitas probabilis dari non potest, maximè in speculationibus, quæ non infe- CM LXXX

An hoc Princip... eludatur posse probab... necessita... An dete... probabi... necessita...

inferunt varietatem in praxi. Nam, si in motum materiâ, in quâ agitur de perdendo aut adquirendo toto Deo, necessitatem non inducit, quo necessitatem modo inducet probabilitas in rebus minoris momenti? Sed dicet aliquis, legem probabilem inducere necessitatem obediendi probabilem. At id negabunt omnes docti & pii; quoniam improbabile est eum peccare, qui non obedit opinioni probabili. In probabili varietate opinionum semper datur evidens & certa libertas; & ubi dari libertatem est evidens, non est probabile dari necessitatem. Ad miraculum igitur bene de Incarn. disp. procem. dub. 1. num. 5. Wadingus; suum ipse Lectorem adloquitur, & ait, *Adverte, nos in hac materiâ aquè ac ipsos inniti Principio Metaphysico.* Non sunt invehenda nova Entia sine necessitate. *Unde in hac lite habendi sumus loco negantis & rei, & Adversarius loco actoris & affirmantis; ac proinde* [cùm nullum sit Jus, quod jubeat Reo suam propriam innocentiam probare, satis enim probatur esse innocens, si non probetur esse nocens] *nobis, qui tantùm negamus necessitatem, non incumbit quidquam probare, sed tantùm respondere argumentis, qua pro necessitate afferuntur: affirmantibus verò incumbit probare, quod ni efficaciter faciant* (nota hoc adverbium) *cadunt causâ: & nos si argumenta pro necessitate producta solvamus plausibiliter, & ita ut vir cordatus, nec imbutus persuasione necessitatis, iudicet nos probabiliter loqui aut ab adversariis non convinci,* [solvemus plausibiliter, si probabiliter: & quamdiu loquamur probabiliter, nec concludi, nec convinci poterimus.] *secundum formam Iuris absolvendi sumus, &c.* Igitur si ex nostra parte sufficit probabilitas, ut multiplicare non debeamus; ex adversâ requiretur necessariò evidentia, ut multiplicare cogamur. Sumo ergo calamum, & rescribo, *Non sunt multiplicanda Entia sine evidenti & certâ causâ.*

An lex probabilis inducat obligationem obediendi probabilem?

Actoris est probare non reus.

In foro aut est evidens actorem esse calumniatorem aut actum esse reum aut utrumque probabile: Primum, cùm actio levi probatione fulcitur: Secundum, cùm manifesta & convincente; tertium cùm gravi & probabili. Ex ut video Arsenium Fridericus accusare proponit, & me rogat, an sit consultius abstinere. Respondeo, debere non accusare, si prævideat se nil graviter probare posse; & hoc ne certam calumniæ suspicionem incurrat. Debere abstinere etiam si probabiliter suadere possit, esset enim imprudens si incurrere vellet probabilem calumniatoris notam, posse, si habeat manifestas rationes, quibus valeat suum intentum convincere: est enim in possessione Arsenius, neminemque probabilitas movet à re possessâ. Ego eodem modo de Negatione cujuscumque Entis debeo philosophari. Est in possessione ipsa Negatio [in creatis priùs fuit *non esse* quàm *esse*; & in divinis respectu nostri priùs est *ignorari* quàm *scire*, priùs *non cognosci* quàm *cognosci*.] nec debet à suâ præscriptâ possessione ejici, ni detur manifesta ratio.

CMLXXXVI.

An & quando expediat accusare?

Præsumendum est hominem esse bonum, quamdiu non probetur esse malum.

Layman. libr. 3. tract. 3. part. 2. cap. 2. insinuat. 7.

CMLXXXVII.

Quo modo debeamus assumere hoc Principium, docuit nos D. Thomas 1. part. quæst. 68. art. 7. Sic inquiens; *Ubi unum sufficit aliud superfluè existit. Sed sufficit in Angelis beatis cognitio & dilectio gloriæ. Superfluum ergò esset quod remaneret in eis cognitio & dilectio naturalis.* In cujus ratiocinio, si minor sit vera, non poterit negari major, neque conclusio.

Cùm dico non posse negari majorem, volo juxta limites prudentiæ intelligi; hæc enim Propositio, *Non sunt multiplicanda Entia sine causâ* non debet accipi tam crudè, quàm reliquæ: hoc est, quàm priora illa Principia, quibus contradictio dilucidatur, & cætera illis subnixa, quæ reliqua omnia, ita sunt vera, ut nec divinitùs falsa esse possint; cæterùm hæc Propositio, & quæ ex ipsâ nascuntur, humanitùs veræ censendæ sunt; sed tamen possunt aliter se habere, & fortassis aliter se habent. Verbi causâ; inquiris, Utrùm in Lunâ, quæ esse altera tellus perspicillo percipitur, sint perfectæ animantes? Respondeo, non esse: & probo, quia imprudenter procederem, si Entia multiplicarem sine causâ; unde, ne dicar esse imprudens & levis, teneor illas negare, non quasi impossibiles, sed quasi improbabiles: quia si rem altè examines, illæ potuerunt à DEO in Lunâ condi, & fortassis conditæ sunt; non tamen suppetit ratio sufficiens, quæ illas conditas fuisse persuadeat.

Quanta sit veritas & securitas horum Principiis.

An prudenter asseverantur Cœlestes homines?

Hoc sensu meo Patres veteres, Antipodas non esse dixerunt; qui quidem cùm negabantur, erant. Patres verò prudenter processerunt eos negando; quia non erant multiplicandi homines sine necessitate; & antipodes, siquidem non erant necessarii, ne-

An meritò olim negati sine antipodes?

cessatiò concedendi non erant. Igitur prudenter negabantur; noo quod censerentur impossibiles, sed quòd non occurreret ratio, quæ illos esse probaret. Scio etiam fuisse nonnullos, qui eos esse impossibiles censuerunt; sed ago de doctoribus, qui simpliciter illos negarunt.

CM LXXXIIX *Alia sunt vera realiter, & alia humanitùs: alia quoad se, & alia quoad nos.*

Hioc constat Propostrionum varietatem bifariam posse sumi; nimitùm *humanitùs* & *realiter*, vel ut alii loquuntur; *quoad nos* & *quoad se*: Tunc propositio est vera realiter & quoad se, cùm enunciat rem sicuti de facto est, tametsi id oemo cognoscat. Tunc verò est vera humanitùs vel quoad oos, cùm enunciat rem, quam cognoscimus. Hæc positio, *Hispania habet incolas*, est vera quoad se & realiter; quia enunciat rem, ut defacto est: & etiam est vera humanitus & quoad nos, quia oculis propriis id videmus. At verò hæc, *Plaga, quæ ex diametro Europæ opponitur, incolitur ab hominibus*, à mille annis erat vera quoad se, dabantur enim tales homines; sed humanitùs non erat vera, quia non dabatur ratio aut causa ob quam deberent asseri: cùmque falsæ sint omnes assertiones non-veræ, hæc de quâ agimus, eo sensu, quo non-vera fuisse asseritur, dicenda est fuisse falsa: debuitque in omni disputatione negari; quia cùm ooo fuerit humanitùs vera, humanitùs coocedi oon potuit. Impræsennarùm verò, cùm Hispaoornm audacia ultramarinas regiones ab aliquibus annis detexerit, incepit illa propositio esse humanitùs vera, inceperuotque antipodes inveniri & cognosci.

Propositio non vera falsa est.

Aliud est non videri rem veram & aliud videri non veram.

Qui cautiùs & rigorosiùs loqui volunt, potiùs dicunt hujusmodi assertiones *non videri probabiles*, quàm *videri non-probabiles*: sive quod idem est, potiùs dicunt *non videri veras*, quàm *videri non-veras*, sub his terminis resolvuntur gravissimæ difficultates, quæ forum interius respiciunt; videatur mei Commentarii io Regulam D. Benedicti numerus 1461.b. ubi P. Ignatius Derkennis his usus phrasibus resolvit casum difficillimum. Quapropter inquirenti quales sint hæ propositiones, *Inter Saturnum & Aplanem est major vastitas, quàm inter Saturnum & Terram*; *In omnibus Planetis sunt homines illorum incolæ*; *Dantur multi Errores diaphani & invisibiles*; *Magnus Turcarum Imperator nunc dormit*; *Si Petrus esset Romæ, curreret*; & his similes? Respondeo, non quidem, *videri non-veras*, sed *non videri veras*, ac propterea oon posse prudenter asti.mari. Adderem nugari potiùs quàm philosophari Alphraganum, Plutarchum, & Keplerum, cùm aliquas ex eis concedunt.

Principia cognata & parallela.

Ex hac hypothesi natæ illæ sunt sententiæ, quæ in libris Philosophi leguntur, & hunc sensum insinuant; *Deus & Natura nihil frustra aptrari* dicitur libri I. de Cœlo textu L. & probatur ibidem; *Quia sicut Natura non deficit in necessariis, sic nec abundat in superfluis.* Et octavi Physicorum textu XLVIII. asseritur *in his quæ sunt à naturâ finitum melius esse, si possit.* Et tandem libri III. de Animal. partib. cap. IV. *Ubicumque fieri potest unum quàm plura esse, melius est.*

NOTA.

MC LXXXI *Equus Ochami.*

FUit Ochamus fœlici ingenio præditus; & quod non semper accidit, etiam festivo: totam suam Philosophiam hoc Principio fundavit, & summas cjusdem expertus vires, ajebat suos discipulos io Academicis conflictibus esse Equites, Averroistas, Scoristas, Thomistas, & cæteros Peripateticos esse Velites, aut ut plurimum Pedites: unde in Scholis hoc idem Principium occepit *Equus Ochami* nominari: quem qui ascendat, armatus & paratus sit contra quamcumque Positionem. Multi de illo eruditè, & Thomas Comptonus disp. 27. de potentia obed. sect. 2. num. 3. Sic inquit. [Hinc ortum habuit Principium illud, *Equus Ochami* dictum, *Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate*, quod io Scholâ Nominalium semper Oraculi instar est habitum.] Et Ego cuipiam Peripatetico Optimo Amico, qui Theses divites, ne prodigis dicam, propugnaturus, Parcæ Philosophiæ Professorem (hoc est, Ochamistam) ad argumentandum invitârat:

Nominalium Oraculum.

Parca Philosophia.

Nulla etsi occurrat ratio, tamen Ethnica vestri
Proteret Enceladus dogmata Aristotelis.
Auxilium Encelado nolint præstare Camœna,
Quid refert? vincet, si det Ochamus equum.
Omnia vincit Amor, veteres dixere Poëtæ;
Nunc verò inculcent, Omnia vincit Equus.
Pegasus Ochami pedites nam proterit omnes,
Dives Aristoteles debet obire pedes.
Ergo debebis cum Præceptore perire,
Ochami quoniam nemo resistit Equo.

An Ochamus Aristoteli sit præponendus?

Sic placuit scribere Peripateticæ Doctrinæ propugoatori: & quia Tious, communis amicus, erat invitatus, ut Aristotelicum & Ochamistam disputantes audiret, ne solicitus esset, sic etiam Titio;

Dat Galenus opes dat Iustinianus honores,
Pauper Aristoteles cogitur ire pedes.
Ergo succumbet, si Equiti se opponat Ochamo,
Nam multos Pedites proterit unus Eques.

In aliis occasionibus, prout tempora tulerunt, de Parcâ Ochamistarum Philosophiâ, & de Prodigâ Peripateticorum varia scripsi: exciderunt omnia aut ferè è memoriâ: sed quia hoc succurrit Epigramma, illud subscribo.

Equus Trojanus.

Græcus Aristoteles erexit ad astra Lycei
Arces, quas omnes æquat Ochamus humo.
Nec mirum usus equo, si has fuderit unus Ochamus;
Immensam Trojam perdidit unus Equus.

CMXC. Et verissimè quidem: magnâ enim rerum mole Schola Peripateticorum olim ab Aristotele

erecta, & à viris ingeniosis, & à D. Thomâ & Scoto, promota, heri erat in gloriâ, & ab universis gentibus admittebatur; At hodie Ochami Equo (Eqaum Equum vocarunt Græci machinam, quàm *Arietem* Latini) eversa funditùs, non habet lapidem super lapidem, si sincerè loquamur. Et hanc ob rem, cùm Juniorum doctissimos libros interlego, & cum antiquis confero, exclamo, *Sunt segetes ubi Troja fuit.*

Equus E. quus. Aries.

PRINCIPIUM XIX.

Potest fieri transitus à contradictorio ad contradictorium sine mutatione reali intrinsecâ; non verò sine extrinsecâ.

Sic hoc Principium profero, sic admitto. Illum alii aliter; & nonnulli tam crudè, ut sine mutatione reali intrinsecâ, non posse à propositione affetente in negantem, aut è contrà transiri: At contrà alii volunt tam subtiles videri, ut sine ullâ mutatione intrinseca aut extrinseca hunc transitum frequentet admittunt. Ego mediæ viæ insisto; & resolvo, Denominationes, aliàs esse intrinsecas, & extrinsecas alias; has posse mutari sine mutatione intrinseca subjecti: nam qui est à dextris tuis tametsi immotus maneat, erit à sinistris, si in aliud tu latus transieris. Addo Denominationes intrinsecas suas sæpè habere extrinsecas conditiones, quibus sublatis auferuntur: Illas autem, quæ intrinsecæ sunt & ab extrinseca conditione independentes, non posse excidere, aut contradictoriè mutari, sine mutatione entis intrinseca.

CMXCI. *Varia sententia.*

Resolutiones.

CMXCII. *Resolutio proponitur.*

Quo me vocat Sapientiæ Amor? Ad recogitandam veritatem receptissimæ Propositionis, à Me olim iterum iterumque mente discussæ, & jam tertiò aliùs examinandæ. Incipiam à Resolutione, *Potest dari in re, nova vera & realis denominatio* (sive quod idem est, *novus effectus formalis*) *absque novâ realitate intrinsecùs supervenienti, vel egredienti; modò aliquid extrinsecum addatur auferaturve.* Nec volo mentem meam fatigare, obiiciendo, controvertendo, respondendo; est enim certissima hæc Positio, & clarissimè monstrari potest. Cerno hanc domum. Granarium publicum ante annos quadraginta fuit, forralitium posteà, & jam Gymnasium est. Sed aliqua intrinsecùs mutata sunt, à quibus fortè quis afferat denominationum varietatem desumi. Ideò non jam domum hanc in exemplum produco, sed hanc unicam aulam, in quâ meditor. Ecce unus & idem locus Schola, Gymnasium, Musæum, Bibliotheca, Refectorium, Cœnaculum, Loquutorium atque Recollectorium est, & hoc ex diversis respectibus; videlicet Schola, quia in eo Professor suos discipulos docet; Gymnasium, quia in illo disputatio quotidiana instituitur; Musæum, quia in ipso singuli tempore competenti student; Bibliotheca, quia in illum omnes libri sunt positi; Refectorium Cœnaculumque, quia in illo prandemus & cœnamus; Loquutorium, quia in eodem tempore recreationis colloquimur; & Recollectorium, quia hîc vespere animum recolligimus, ut examine conscientiæ habito possimus ad quietem redire. Ecce singulis horis denominationes reales & veras variat, & tamen una & eadem aula est, & tota varietas dependet à connotatorum varietate. Eadem etiam Comestio, si fiat mane erit Jentaculum, si sub meridiem Prandium, si tempore vespertino Cœna; si ante Cœnam vocabitur Merenda, & si post Cœnam Comessatio, &c. Idem Ferdinandus III. est Cæsar, est Rex, est Archidux, & Dux, est Comes, &c. sub diverso respectu. Et si mentem tantisper elevare velimus, eadem voluntas diversorum respectu libera & necessaria est. Humana enim respectu Dei clarè visi est necessaria, & respectu aliarum multarum rerum libera: & Divina respectu sui est necessaria, respectu creaturarum libera. Possem alia millena exempla adjungere, sed cur tempus prodigerem in re tam clarâ. Vide interim Theologos, quos citat & sequitur Tellez part. 3. suæ Philosoph. disp. 69. sect. 1. num. 9.

Sine intrinseca mutatione denominationes mutantur.

Hinc infero falsam esse istam Propositionem; *Illud est pars intrinseca (seu intrinsecè constitutiva) quo ablato & reliquis omnibus perseverantibus non manet prior denominatio.* Quoniam omnes conditiones *sine quibus non*, & omnia annotata essentialia, partes intrinsecè non sunt, & tamen sine denominationis prioris mutatione mutari non possunt. Tolle approximationem, & Ignis non calefacier;

CMXCIII. *De parte intrinsecùs constitutiva.*

& tamen approximatio Ignis, etiam quà calefacientis, pars interna non est; aliud enim est rem esse intrinsecam, & aliud prærequisitam essentialiter; quod memini legisse in Alberto, qui de Prædicam. subst. disp. 3. quæst. 8. num. 3. ait, *In Relativis non potest intelligi Relatio sine Termino, & tamen Terminus quamvis sit de intrinseco conceptu Relationis, non tamen est intrinsecum quid constitutivum illius, sed solùm tanquam extrinsecum.* Nec permittam contra me citari Durandum, quia eamdem ipse in 1. dist. 30. quæst. 2. num. 9. Propositionem rejicit.

CM XCIV. *Conditiones & termini Relationum non sunt partes.*

Si Termini & Conditiones partes esse intrinsecæ asserantur (Bone Deus!) quàm multa absurda in Philosophiâ, quàm multa in Theologiâ dicentur! Accidens erit intrinseca substantiæ pars, & vice versâ; quoniam illa illud respicit, & ab eodem respicitur. Et ob eamdem rationem Forma erit pars Materiæ, Materia erit pars Formæ. Passum Agentis, & Agens erit vicissim Passi pars. Locus erit pars locati, & rei durantis Tempus: quæ omnia si quis forti stomacho præditus transglutire decernat, erunt spinæ Theologicæ, quæ mentem pungant, & admitti non possint. An-non Creaturæ sunt terminus actûs liberi Dei? An-ne ejusdem pars? Id nunquam crediturus sum. Actus reprobatorius ille, quo Luciferum condemnat Deus, Dæmonem ut terminum respicit, nec tamen Lucifer est pars hujus Divinæ volitionis. Si contrarium aliquis dixerit, omninò horrebo; horret etiam mecum Arriaga disp. 6. de Anim. à num. 98.

Creatura non est pars Dei.

Quid sit pars intrinseca?

Quid non sit *Pars intrinseca* exposui, quid ipsa sit nondum exposui. Sic eam expono; *Illa est pars essentialis, quam claudit complectiturque intrinsecè rei definitio.* Hanc germanam & veram definitionem assero: excludit enim connotata; hæc enim non clauduntur intrinsecùs, sed inferuntur extrinsecùs; excludit etiam proprietates & conditiones, sunt enim extra rei definitionisque conceptum. Quod si adhuc aliqua maneat difficultas, si quid non sit Pars intrinseca mente tenuero, nunquam in hac materiâ errare potero.

CM XCV. *De mutatione reali.*

His positis, quid de illo Ego judicabo Principio, *Non potest fieri transitus à contradictorio ad contradictorium sine mutatione reali?* Dicam. Nimirùm ab aliquibus sine limitatione concedi, & ab aliis sine limitatione negari; & inter ipsos à Petro Wadingo de Incarn. disp. proœm. dub. 1. num. 6. hac censurâ perstringi. *Respondeo*, ait, *Axioma, prout ab adversariis intelligitur, negatum semper fuisse ab omnibus iis, qui docuerunt, Modos non esse necessarios; & maximè à Gregorio in 1. dist. 28. quæst. 2. & à Thomistis ut patet ex Alvarez de Incarnatione, &c.* At Ego inter utramque sententiam medius, dicam quod neutri poterit displicere, nimirùm, distinguendam esse mutationem, asserendumque posse fieri transitum à contradictoriâ propositione in aliam contradictoriam sine mutatione intrinsecâ; posse sine extrinsecâ; sine utrâque non posse. Petrus habet filium hodie, cras non habebit; & ideò hodie est vera hæc propositio, *Petrus est pater*, & crastinâ die hæc, *Petrus non est Pater*; ubi transitum à contradictoriâ in contradictoriam propositionem video, & tamen intrinsecam mutationem non video, quoniam filii obitus non mutat intrinsecè patrem. Et convertendo oculos ad Joannem filium Petri, hodie hæc propositio, *Ioannes vivit*, est vera, & cras hæc *Ioannes non vivit*; & hic transitus intrinsecam mutationem involvit, & ab extrinsecâ qualicumque præciditur. At nunquam dari poterit hic transitus, si utraque mutatio absit; hoc est, si nihil mutetur intrinsecè, nihil extrinsecè.

CM XCVI. *Vera sententia nimis stringitur & contrahitur à Wadingo.*

Verum quia Wadingus videtur nimium velle hoc principium contrahere; ne quis credat posse dari à contradictoriâ in alteram contradictoriam transitus sine ullâ omninò mutatione, ostendam in omnibus exemplis ab eo allatis reperiri mutationem extrinsecam. Quod si hoc ipse non neget, proderit ejusdem argumenta discutere, ut veritas liquidiùs cognoscatur.

CM XCVII. *Objectio. Si verbum dimitteret humanitatem.*

Primum est; Verbum hodie sustentat Humanitatem, & ponatur illam cras dimissurum; [dimissurum inquam, non annihilaturum aut corrupturum; quoniam aliud est dimittere, & aliud corrumpere aut annihilare.] Et hoc posito hæc propositio, *Verbum est Homo*, esset hodie vera, cras falsa, & vera hæc, *Verbum non est Homo.* Tunc sic. In tali casu nihil esset mutatum intrinsecum, quia Verbum & Humanitas manet; nihil esset mutatum extrinsecum, quia dimissio hæc potest fieri reliquis totius mundi Entibus immutatis. Ergo ubi nec datur mutatio intrinseca, nec extrinseca, potest dari ex alterâ ad alteram contradictoriam transitus.

CM XCVIII. *Christus est compositus.*

Sed non urgeor, licèt argumentum ex materiâ altissimâ sumatur; Christus enim compositus est compositione verâ & reali, quam adstruit Concilium V. Generale Can. IV. ubi ait, *Sancta Dei Ecclesia unitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur.* Et Concilium VII. Act. IV. *Confitemur Christum ex duabus naturis compositum.* Et Lateranense sub Martino I. Canone VIII. *Si quis non confitetur verè & propriè secundum compositionem naturarum unitionem, sit condemnatus.* Quam ob rem, si Verbum dimitteret Humanitatem, Christus ablatâ subsistentiâ, quæ est pars intrinseca ipsius, intrinsecè mutaretur: quam ob rem tametsi nulla intrinseca mutatio fieret in Verbo, fieret nihilominùs intrinseca in Humanitate, quæ priùs sustentabatur à divinâ personalitate, & posteà hac ipsâ personalitate careret: fieret etiam mutatio intrinseca in hoc toto, quod est Christus, quod hodie esset, & crastinâ die non esset. Quæ quidem mutatio potest morte hominis propositâ dilucidari: corpus enim remanet, animus remanet, & tamen homo moritur, quoniam hæ partes separantur.

Si dimitteretur, mutaretur Humanitas.

Mors hominem mutat.

Secun-

CMXCIX. De depoſitione Saulis.

SECUNDUM; Saul erat Rex, & à Deo fuit depoſitus, & hoc ſine aliquâ mutatione aut Dei aut Saulis; vel qui oppoſitum teneat, illam ipſe deſignet. Deus enim tranſivit de volente in nolentem ſine aliquâ mutatione ſuâ, Deus enim ut bene aſſerit Suarius diſp. 3. Met. Sect. 9. nec realiter nec moraliter mutari poteſt. Saul de Rege in non Regem etiam ſine ullâ mutatione fuit: Ergo in depoſitione Saulis nihil intrinſecum & nihil extrinſecum mutatum eſt. CONFIRMATUR, Quoniam Deus condonare poteſt peccatum ſine mutatione reali peccatoris, aut ſuâ; ergo ut Deus tranſeat de non condonante in condonantem, nihil debet mutari in Deo; nihil in peccatore; quoniam hæc condonatio nihil reale vel imponit, vel demit.

De condonatione peccatorum.

In his caſibus dari mutationem.

Et reſpondeo, quidquid ſit de poſſibili, Deum de facto depoſuiſſe Saulem ungendo Davidem, & condonare culpas infundendo gratiam, quæ omnia phyſicam hominis mutationem important. At argumenta non ſolùm ordinariam Dei potentiam reſpiciunt, ſed abſolutam etiam, quæ debet altiùs examinari.

M. Quid ſit contradictio?

Dico ergo duas contradictorias non poſſe eſſe ſimul veras; addo tamen Propoſitiones illas, in quibus non eſt, *Affirmatio & Negatio ejuſdem de eodem ſecundum idem*, non eſſe contradictorias; adeòque ſimul veras, aut etiam ſimul falſas eſſe poſſe. Non ſunt ejuſdem de eodem ſecundum idem, in quibus tempus, locus, conditio, aut aliqua circumſtantia quæ exprimitur in alterâ, in alterâ variatur aut deficit. Ob ſolam mutationem temporis hæ non ſunt contradictoriæ, *Sol lucet*, *Sol non lucet*; *Dies eſt major nocte*, *Dies non eſt major nocte*, *Petrus eſt Prorex*, *Petrus non eſt Prorex*: ſunt enim ſimul veræ, ſi dicatur Sol lucere meridie, & non lucere mediâ nocte; ſi aſſeratur dies æſtivus nocte major, hyemalis non major; & ponatur Proregis dignitas eſſe triennalis, nam triennio elapſo carebit dignitate, qui triennio illo durante erat Prorex. Sic etiam ob ſolam mutationem loci debet elidi contradictio; non enim hæ, *Ego meditor*, *Ego non meditor*, ſunt contradictoriæ, ſi agatur de diverſis locis; Ego enim qui nunc meditor Pragæ, non meditor Conſtantinopoli. Sic tandem mutatione cujuſcumque circumſtantiæ, ſi quam prior involvit & non involvit poſterior, aut prior uno modo imbibit; poſterior alio. Hinc eſt, has, *Ego lego*, *Ego non lego*, non eſſe contradictorias, ſi in primâ ſubintelligam Platonem, in ſecundâ Ariſtotelem: bene enim ſtat, eum, qui Platonem legit, non legere Ariſtotelem aut Xenocratem. Stat igitur non poſſe dari tranſitum à contradictoriâ in contradictoriam ſine mutatione reali intrinſecâ aut ſaltem extrinſecâ; ſtat etiam adverſarios noſtros hallucinari judicantes nonnunquam eſſe contradictorias, quæ reverâ non ſunt contradictoriæ. *His poſitis* reſpondeo in formâ, Deum ab æterno voluiſſe Saulem eſſe Regem tempore A & voluiſſe ab æterno eundem non eſſe Regem tempore B. (eodem modo de peccati condonatione philoſophor) ac ideò nullam contradictionem dari; vel ſi datur, etiam dabitur hîc. *Ego volo audire miſſam hodie*, *Ego non volo audire miſſam cras*, quàm nemo admittet.

MI. De mutatione morali.

Finem pono; ſed non, quia adhuc manet aliquis ſcrupulus eradicandus. Scire volo: An-ne ad verificandas duas contradictorias ſufficiat mutatio moralis; an verò etiam realis neceſſaria ſit? Reſpondeo moralitates non eſſe chimæras, non Entia rationis aut linguæ, ſed denominationes veras & reales, extrinſecas tamen, & à prudentiâ dependentes; unde, quæ mutantur moraliter, etiam mutari realiter extrinſecè. Rem exemplis illuſtro. Ferdinandus III. eſt Cæſar; & Cæſarea iſta dignitas non eſt in ipſo aliquid fictum aut chimæricum, ſed denominatio quædam extrinſeca vera & realis, quæ à reali Septemvirorum Electione, & à reali Populorum conſenſu & acceptatione deſumitur. Franciſcus eſt nobilis; & nobilitas non eſt inſomnium aliquod, ſed denominatio quædam extrinſeca à reali antiquitate & veris facinoribus Prædeceſſorum. Alredus eſt infamis; & infamia in ipſo non fingitur, ſed eſt denominatio etiam extrinſeca deſumpta à crimine; quia ſicut columna dicitur dextera vel ſiniſtra ſumptâ denominatione ab animali, ſic etiam Homo dicitur nobilis aut ignobilis ſumptâ denominatione à ſuis & ſuorum actibus.

Quid ſit Cæſarea dignitas?

Quid nobilitas?

Quid infamia?

Plura occurrunt; ſed conſultò omnia omitto, ne multiplicem Periodos ſine cauſâ; adeòque de fundamentali iſto Principio hæc pauca dixiſſe ſit ſatis.

PRIN-

PRINCIPIUM XX.

Hoc Axioma [Omnia quæ sunt eadem realiter uni tertio, sunt eadem realiter inter se.] in nullo sensu doctrinali est verum.

MII. *An hoc Axioma Aristotelis sit? An sit verum?*

ILlud summo cum damno litterarum admittunt Scholastici, non quod verum existiment, sed quod contradicere Aristoteli nolint. Et quidem Aristoteles 3. Physic. text. 21. (ubi citatur) non tam clarè est loquutus, ut in alios sensus inclinari aut torqueri non possit; & ideò mihi certum est, quid Aristoteles senserit incertum esse. Dico igitur illud Axioma quod rejicio non esse ad mentem Aristotelis. Et ut sit, quod non curo, esse falsum.

An militet contra mysterium Trinitatis?

Ne videar rigidus atque severus censor, exponam causas quæ mihi persuaserunt istud principium esse falsum. Prima est hæc. Si illud deberet sustineri, Trinitatis mysterium non deberet; huic enim ex diametro opponitur, ut conspicis in hoc Syllogismo: *Quæ sunt idem uni tertio, sunt idem inter se: Paternitas & Filiatio sunt idem uni tertio, nempè natura Divina; Ergo sunt idem inter se.*

MIII. HIc me rapit pietas, & cùm in re tam clarâ, tam evidente, tam facili, videam tam parùm fidi menti, tam multùm auri, condoleo humano generi captivo vinculis authoritatum. Vidi in florentissimis Academiis aliquos isto principio armatos potiùs ob Respondentis pusillanimitatem, quàm ob rationum efficaciam triumphum adeptos. Malunt Propugnantes succumbere difficultati, quàm defectionem facere à Stagiritâ; sed perperàm. An non ipse amavit Socratem, Platonem, sed magis veritatem? Cum assertum audis quod non pertinet ad materiam fidei, non procures scire, quis dicat, sed quid dicat. Propositiones falsas ipsimet Platoni, Socrati, Aristoteli denega; concede veras inviris quibuscumque. Sæpè in Academiis excellentissimis negavi absolutè hoc Axioma, & feliciter quidem, quoniam nondum probatum. Nolui haberi tam scientiæ inops, ut tenerer admittere hujusmodi propositiones, Assumuntur leviter; & ne levis similiter appareas, oportet absolutè negare.

Periculosum est admittere Maximas inconsideratè.

Omnibus est prabenda veritas.

Correctus Durandus.

O si ita fuisset audax Durandus! tantam reverentiam habuit Aristoteli, ut irreverenter sit loquutus de Deo, hoc enim eum Axioma in summum errorem diduxit; ipse enim in 1. dist. 2. quæst. 4. admittit Relationes distinctas realiter à naturâ Divinâ, unde ad formam Syllogisticam, admittit axioma Aristotelicum, & negat minorem, nempè *Paternitas & Filiatio sunt idem natura Divinæ.* Reliquùm Durandi sententia sic exposita aut eadem est atque Gilb. Porretani, aut fortè durior. Propter eam Gilbertus damnatur à Concilio Rhemensi, & convincitur à D. Bernardo Vide Vazquez. 1. *p. Disp.* 120. *per totam.* Theodorus Smisingus aliquando voluit exponere mentem Durandi asserens distinctionem Durando realem non esse quæ Gilberto realis, sed quæ Scoto ex natura rei: sed *libr. de Deo trino disp.* 2. *quæst.* 3. *num.* 58. agens de distinctione Spirationis activæ & Paternitatis invehitur contra Durandum quòd realiter distinxerit, quas deberet distinguere ex naturâ rei. Sanè Gilbertum mitiùs fuisse locutum quàm Durandum imò & quàm aliquos Scoticos inferiùs monstrabo; suppono in præsentiarùm, & hoc ratiocinium efformo, Severior & durior est Durandica sententia Porretanicâ; atqui hæc damnata fuit à Concilio Rhemensi; ergo à fortiori altera sustineri non potest.

Gilberti Porretani error.

An Gilbertum an Scotum sequatur Durandus?

Nota idem.

Hoc Axioma contra Trinitatem directè militare docet idem Smisingus *libro eodem de Trinit. disp.* 1. *quæst.* 2. *num.* 20. asserens ingenium humanum relictum viribus naturæ judicaturum fuisse Deum non esse trinum: hujus erroris expendit causam, sed inter alias hanc præcipuam: nempè quod Rationalis scientia pro primo principio habeat, *Quod illa quæ sunt eadem uni tertio sint eadem inter se.*

* * *
* *
*

PRIN-

PRINCIPIUM XXI.

Tam in humanis quàm in divinis falsum est, omnia, quæ sunt eadem uni tertio, esse eadem inter se.

MV.

NOnnulli videntes hoc axioma sic universaliter acceptum sustineri non posse, limitatione fuerunt usi: admiserunt illud in creatis, sed negaverunt in Divinis. Sic Suarius, & alii. At hoc non est Philosophari, sed fingere, vel Metaphysicam contra rationem, vel Fidem contra rerum naturam. His annumera illos, qui in Divinis non admittunt formam syllogisticam, de quibus doctissimè Vazquez *in 1. p. quæst. 28. disp. 122. cap. ult. num. 14.* quòd nostram fidem Catholicam ludibrio exponant: qoia illa, quæ necessaria sunt, etiam in Deo debent habere locum, vel si inibi locum non habeant, non-necessaria dici debent.

An ni Syllogismi locum in divinis & Theologicis habeant?

MVI. *Analogia scientiarum.*

RErum essentiæ sunt analogæ, & uno ordine bene cognito reliqui produntur consequentiâ doctrinæ. In Scholis exordium sumere solemus & debemus à Physicis, quibus parallela sunt reliqua. Hinc orta Axiomata, I. *Oportet sicut de Physicis physicè, ita etiam de Metaphysicis metaphysicè philosophari. II. Oportet sicut de Realibus realiter, ita etiam de Moralibus moraliter agere. III. Oportet, sicut de Materialibus materialiter, sic etiam de Spiritualibus spiritualiter disputare. IV Oportet sicut de Humanis humanitùs, sic disserere de Divinis divinitùs. &c.*

Principia analoga.

Conclusio.

Posita hac doctrinâ, quam nemo prudenter negabit, sic discurro. Sicut de Creaturis sic etiam de Creatore philosophandum est; Ergo hoc Axioma, aut debet utrobique concedi, aut debet utrobique negari; Quoniam aliàs inter Divina & Humana non datetur analogia & illationum paritas.

MVII. *Sublatâ rerum analogiâ Fides tollitur & Theologica veritas.*

Si analogiam hanc proscribi finas, omnia Divina tollis: quocumque enim te vergas, tuâ Hæreticus armatus distinctione dicet, hoc debere in humanis & non in divinis admitti, illud in divinis & non in humanis concedi. Unico exemplo omnia quæ dicta, & dici possent, illustro. Asseris Verbum æternum esse Filium: ille id negat. Tu probas. [Filiatio seu Generatio est origo viventis à vivent in similitudinem naturæ: Sed Processio Verbi Divini est ejusmodi: Ergo est Generatio: Ergo est Filiatio: Ergo Verbum est Filius.] Et ille à te doctus respondet, majorem quidem esse in humanis veram, at veram non esse in divinis. Et subinde concessâ minori, nullam consequentiam admittit. Quid hîc tu? An-non analogiam & rationis paritatem urgebis? Ergo si ex analogiæ negatione Theologia universa convellitur, cur audes illam in præsenti negare? Ergo cautior & doctior affirma illud Principium, quod discutitur, eo sensu, quo in divinis, debere in humanis negari: aliàs divina contra-naturalia essent, & supernaturalia non essent.

An verbum divinum sit filius?

Supernaturalia non sunt contranaturalia.

PRINCIPIUM XXII.

Hoc Axioma [Omnia, quæ sunt eadem uni tertio re & ratione, sunt eadem inter se.] non est doctrinale.

MVIII. *Multiplicare Synonyma verbis ludere, non verò verbis uti est.*

DIvus Thomas videtur judicasse hoc axioma verborum lusum, & nihil continere solidi, quia cum partis primæ *quæst. 28. art. 3.* sibi objecisset similem syllogismum, respondet. *Ad primum ergo dicendum quòd secundum Philosophum* (3 Physic. text. 21. tom. 2.) *argumentum illud tenet, quod quæcumque uni & eidem sunt eadem, sibi invicem sunt eadem, in iis quæ sunt idem re & ratione, sicut tunica & indumentum; non autem in his, quæ differunt ratione.*

Hoc

Hoc est, hoc axioma esse verùm solummodò in synonimis, ut si diceremus: *Marcus est Tullius, Tullius est Cicero: ergo Marcus est Cicero.* vel in exemplo posito à Divo Thomâ *Hac vestis est indumentum: indumentum est tunica: ergo hac vestis est tunica.* Eodem modo Philosophatur Capreolus *in. 1. d. 2. q. 3. art. 1. in fin.* ubi dicit illa quæ adæquatè identificantur uni tertio, esse idem inter se: identificari autem adæquatè est non distingui re, nec ratione, sed habere solummodò diversa nomina. Hoc assertum sic exponendum esse credunt recentiores innumeri, sed novissimè ita id defendere conatur Hurtadus *in Logica disp. 10. §. 127.* Canariensis *in 1. p. d. 28. art. 3.* & alii.

Sed quis non videat hoc assertum sic expositum esse indignum non solùm Aristotele, sed etiam tyrone qualicumque? Exuat verborum nebulas, donetur claritate, & videamus quid hoc axioma significet. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se,* dicitur stylo laconico; adhibitâ expositione remanet, *Nomina, quorum significata sunt adæquatè unum & idem tertium, habent significationes quæ sint eadem inter se.* Vel si volueris clariùs, *Nomina quæ habent eandem significationem: habent eandem significationem:* Hoc est idem per idem sive per circulum. Ergo D. Thomâ interprete nihil in re docemur hoc axiomate. Sed solùm instruimur, ut sciamus cognoscere voces synonymas, & illis non abuti. Cæterùm cum Philosophi incipere debent ab eâ parte in quâ desierunt Grammatosophi, oportet hoc axioma à suis scholis ablegare. Subscribunt D. Thomæ etiam Scotistæ plerique admittentes ea esse idem inter se, quæ fuerint eadem realiter, & ex natura rei, uni tertio: quia quam Thomistæ distinctionem vocant virtualem seu rationis ratiocinatæ, hanc Scotici formalem seu ex natura rei.

Synonyma non sunt doctrinalia.

Videtur una & eadem distinctio vocari ex naturâ rei, virtualis, & rationis ratiocinatæ.

Nota obiter ex hoc principio voluisse Divum Thomam *2. contra Gent. c. 9.* probare potentiam Dei & ejus operationem esse idem secundum rem, sunt enim idem cum essentia Divina; sed juxta ipsius principia inconsequenter; ipsi enim essentia, potentia, & operatio non sunt synonyma, sed diversæ formalitates. An sibi contradicat Doctor Angelicus postulas? negat Ferrariensis; interim Essentia, potentia, & operatio remanent non synonyma, & hoc axioma teste Doctore Angelico solummodò in synonymis verificatur.

Inconsequentia D. Thomæ.

PRINCIPIVM XXIII.

Hoc Axioma [Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se in illo tertio.] æquivalet huic [Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem uni tertio] & per consequens doctrinale non est.

MIX. IPse Scotus, ne diceret Aristotelem agere de verborum lusu sive de synonymia, aliter exponit hoc Assertum, *in 1. d. 2. q. 4.* [*Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.*] distinguit, in illo tertio, concedit; in se ipsis negat. Hanc expositionem valdè approbat Raymundus Lulius, *in suâ arte.* Capreolus *in 1. d. 2. quæst. 3. art. 1. in fin.* Ferrariensis *contra Gent. cap. 9. in princ.* Cajetanus *1. p. quæst. 28. art. 3.* sed cum sæpè sit obscurus debet attentè legi jubente Vazquez *ibidem disp. 122. n. 3.*

Tullii expositio.

Hæc

Hac solutione satis plausibiliter satisfaciunt syllogismo præposito; expendam totum clarioris ubertatis gratiâ. *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se*: distinguunt, sunt eadem inter se in illo tertio, concedunt; in se ipsis negant. *Atqui Paternitas & Filiatio sunt idem uni tertio, nempè naturæ Divinæ*, minorem concedunt. *Ergo sunt idem inter se*; distinguunt consequens, in illo tertio, nempè Divinitate concedunt consequentiam; in se ipsis negant. Et ne dicantur aliter de humanis, & aliter de divinis philosophari, si hunc syllogismum, *Quæ sunt eadem uni tertio, sibi sunt eadem: Sed Petrus & Paulus uni tertio nempè homini identificantur* (nam uterque est homo.) *Ergo identificantur inter se*: obiicias, eodem modo respondent: nimirùm Petrum Paulumque identificari in tertio, hoc est, ratione hominis; non autem in suis rationibus constitutivis, quas *Petreitatem* & *Pauleitatem* nominamus.

In humanis, & in divinis sic cum habent.

Meam in hujusmodi axiomatis expositione ignorantiam confiteor. Cùm-primùm audivi à Lulianis, conceptum judicavi eum esse, qui verè est vocum merè sonitus, si examinetur. O quàm acuta sunt multa primâ fronte, quæ posteà nulla! verè cum scholasticè agimus multa loquimur, sed pauca dicimus; & fortè ob id ipsissimum pauca dicimus, quòd multa loquamur.

Relicitur: & idem per idem dici ostenditur.

Doceat obsecro: Quid est esse eadem inter se in illo tertio? annon est esse eadem uni tertio? Ergo idem est *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se in illo tertio*, ac si diceretur, *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem uni tertio.* Quis autem non videat hanc esse puerilem potiùs, quàm philosophicam enunciationem? Ergo non sufficit hypocriticus vocum splendor, ut latere conceptus judicemus, quia isti nitidius dicuntur nudis verbis.

PRINCIPIVM XXIV.

Hoc Axioma [Quæ sunt eadem uni tertio prædicatione, sunt etiam eadem inter se prædicatione,] falsum est.

VAzquez *in 1. part. quæst. 28. artic. 3. disput. 122. cap. 2.* exponit hoc axioma sic; dabo formalia verba: *Quæ sunt eadem uni tertio prædicatione, sunt eadem inter se etiam prædicatione, hoc est, Quæ dicuntur de aliquo tertio invicem de se ipsis prædicantur.* Ergo ex hujus authoris expositione iste syllogismus est bonus. *Natura Divina est Pater; natura Divina est Filius: ergo Pater est filius sive Filius est Pater.* item iste, *Homo est Petrus; Homo est Ioannes: ergo Ioannes est Petrus sive Petrus est Ioannes.* Patet, Quia quæ dicuntur de aliquo tertio invicem de se ipsis prædicantur: Atqui Pater & Filius dicuntur de uno tertio, nempè de Divinitate: Ergo invicem de se ipsis prædicantur.

MX. Expositio Vazquezii reiicitur. Scio Vazquez in expositione hujus Principii vacillare, & posse ad diversas opiniones reduci; quod & notavit Arriaga de Trinit. disp. 43. nu. 7.

Cæterùm ex doctrina Vazquez habemus, hoc Assertum si intelligatur de identitate reali extremorum, esse falsum; Hîc ego. Atqui omnes argumentantes utuntur illo in hoc sensu: Ergo debet simpliciter negari; quia si in aliquo sensu posset esse verum, in illo nec prodesset respondenti, nec argumentanti.

An debeat negari hoc Axioma?

Ut defendat hoc axioma esse verum in sensu Logico, hoc est prædicativo dicit *numer. 12. disputationis iam citatæ* illum Syllogismum priorem

(& idem diceret de altero) non esse legitimum, quia non habet pro medio terminum singularem, & citat pro se Marsilium *in. 1. quæst. 6. artic. 3. ad quartum.* Ergo debuisset hoc etiam dixisse In axiomatis expositione. Quod si instem, Divinam naturam esse singularem: Respondet Deitatem, vel potiùs Deum in concreto realiter esse singularem; sed abstractione, & per intellectum communem fieri, sicut & conceptus generis, aut speciei, aut alterius universalis. Vt igitur mens Vazquez explicatior evadat, expende Peripateticum axioma sic. *Quæ sunt eadem uni tertio singulari & non communicabili prædicatione, sunt eadem inter se etiam prædicatione.* Considera doctrinæ praxin. *Petrus est homo: Petrus est albus: Ergo homo est albus*, vel potiùs ut Nominales inferunt, *Ergo aliquis homo est albus.* Hoc Assertum sic expositum verum est, sed inutile, & contra mentem Aristotelis. Sane inutile, quia est idem cum illo *Dici de omni, & dici de nullo*, consitente ipso Vasquez 1. *part. disput.* 122. *cap.* 2. *§. Nihilominus.* Est contra mentem Aristotelis, nam teste D. Thomâ *1. part. quæst.* 28. *artic.* 3. *ad* 1. illud axioma desumptum est ex verbis Philosophi *in Physicorum tertij textu* XXI. atqui ut per se patet, in Physicis non docuit Aristoteles modos & conditiones prædicationum, sed realitatum habitudines; ergo Philosophus non est loquutus, nec loqui debuit, de identitate prædicationis, sed de identitate in esse reali & physico. Ergo in sensu quo loquutus est Aristoteles, teste ipso Vazquez hoc principium est falsum.

An Deitas sit cōceptus communis? *De Consequentiâ Expositorij Syllogismi.* *An sensu ab Aristotele intento hoc Principium sit falsum?*

PRINCIPIUM XXV.

Hoc Axioma, [Quæ sunt eadem uni tertio incommunicabili; sunt eadem inter se] post magnos circulos & ambages æquivalet huic [Quæ sunt eadem inter se; sunt eadem inter se.] & ideò doctrinale non est.

MXII. PRæpositus Duacensis Doctor *1. part. quæst.* 28. *artic.* 3. sequitur resolutionem Vazquez, & ne ab Aristotele discedat admittit illud axioma esse verum quando aliqua sunt eadem re & ratione uni eidem tertio singulari atque incommunicabili. Vide quot fulcris indigeat illa Maxima, ut consistere possit. Si aliquis vellet sequi opinionem hanc, ut syllogistico rigori satisfaceret, deberet resumere illud Assertum horum verborum discretione. *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se?* distinguo assumptum: quæ eadem sunt uni tertio universali atque communi sunt eadem inter se? nego: quæ singulari? subdistinguo, si fuerint idem singulari communicabili, nego. Si non communicabili, concedo. O argumentatorem miserum, qui assumit Maximas, quæ tot titulis atque rationibus negari debeant!

Hoc Axioma multis distinctionibus potest eludi.

Sed quid est *illa esse eadem uni tertio incommunicabili*? Est, si rem benè examinemus, post ambages & circulos, *esse eadem inter se*: quod ostendo. Isti duo syllogismi sunt similes, & major utriusque identica; ergo neuter admitti debet. Pono primum:

illi, qui

Illi, qui respiciunt murum, qui quidem murus non respicitur à duobus inimicis, non sunt inimici. *Isti duo syllogismi sibi similes.*

Sed Cicero & Milo hoc modo respiciunt murum:

Ergo Cicero & Milo non sunt inimici.

Pono secundum:

Quæ sunt eadem uni tertio incommunicabili: (hoc est, quæ non identificantur rebus realiter distinctis) non sunt realiter distincta.

Sed Pater & Filius in divinis identificantur essentiæ, quæ est incommunicabilis.

Ergo Pater in divinis est Filius.

Bene uterque syllogismus concludit, sed in utroque est identica major. MXIII. *Iudicium de utroque.* Quid enim aliud est prima utriusque positio, quàm quædam circumlo quutio inutilis, & explicans idem per idem. Nam, si murus non respicitur ab inimicis, qui eum respiciunt, inimici non sunt. Et si aliquid tertium non identificatur pluribus, quæ illi identificantur, non sunt plura. Pronuntio igitur utriusque syllogismi majorem esse identicam, nec inter earum terminos distinctionem notabiliorem intercedere, quàm inter activos & passivos. Addo prioris consequens esse verum, & posterioris falsum; quia minor prioris est vera, & posterioris falsa. Ergo, siquidem hæc propositio, *Qui respiciunt eumdem murum, qui quidem non respicitur ab inimicis, non sunt inimici,* *Resolutio.* post ambages & mæandros tandem æquipollet huic, *Qui non sunt inimici, non sunt inimici*: etiam hæc, *Quæ sunt eadem uni tertio incommunicabili,* (hoc est, *uni tertio, quod non identificatur rebus realiter distinctis*) *non sunt realiter distincta* æquipollebit huic; *Quæ non sunt realiter distincta, non sunt realiter distincta*: quod erat demonstrandum.

MXIV. Cum singula recognovi Principia, semper habui quæ subscriberem & subnotarem. An-ne hic nihil adnotaturus sum? Nihil occurrit speciale. Nimis clara quæ in textu, nec debent explicari aut firmari. Cæterùm, quia illud Axioma, quod protruditur, regessi alterum simile assignando, ne nihil subscripsisse dicar, nonnullas Assertiones illi similes addam. *Assertiones nonnullæ similes.*

I. *Qui sunt fratres unius, qui nõ habet fratres Reges, non sunt Reges.*

II. *Qui legit librum, qui à nullo intelligitur, legit quæ non intelligit.*

III. *Qui sunt capti à Iudice, qui nullum non latronem capit, latrones sunt.*

IV. *Qui merent sub Principe, qui nullum militem nobilem habet, non sunt nobiles.*

V. *Qui sunt in civitate, in quâ nullus est hæreticus omninò, non sunt hæretici.*

VI. *Quæ identificãtur uni tertio, quod non identificatur duobus realiter distinctis, non sunt realiter distincta.* Vel aliter: *Quæ identificantur uni tertio incommunicabili, sunt eadem inter se.*

PRINCIPIUM XXVI.

Hoc Axioma [Quæ sunt eadem uni tertio intentionaliter, sunt realiter vel intentionaliter eadem inter se.] falsum est.

MOrbus, de quo multum Medici disputant, nec in remedio adhibendo conveniunt, mortalis est: & hoc Axioma incurabili laborat morbo, siquidem tot emplastris appositis nondum valet. An-non utiliùs permitteretur emori, quàm ingenia vexare? Sic sentio: & tandem ne in intentionali MXV. *Morbus incurabilis quis.*

quidem illud sensu posse admitti demonstro. Nam iste est bonus syllogismus. *Omnia, quæ sunt intentionaliter eadem uni tertio, sunt realiter aut certè intentionaliter eadem inter se.* *Cognitio est identificatio intentionalis.* *At Petrus & Paulus, quando intelligunt lapidem hunc singularem & realiter incommunicabilem, sunt intentionaliter lapis. Ergo realiter, aut certè intentionaliter, identificantur inter se:* Et in ipso consequens est evidenter falsum: adeòque, siquidem è veritate non oritur falsitas, hac laborabit antecedens. *Falsum nō sequitur ex vero.* Non in minori, quia hæc supponitur, & eâdem suppositâ adhuc manebit falsum consequens. Ergo major est falsa.

De identificatione intentionali. NOn quæritur, An detur identificatio intentionalis; quam multi admittunt, multi negant. Sed eam dari supponitur, & ex hypothesi, quòd ea detur, inquiritur, An controversum hoc Axioma in sensu doctrinali sit verum? Negativè respondi; & me benè resolvisse evidenter monstravi. Nunc inquiro:

Cur Authores in expositione huius Axiomatis ita variarint, & exorbitarint?

MXVI. REspondeo inde abortum utrumque, quod noluerint Authores intelligere ingenium naturamque Identificationis. Sed quid est Identificatio?

Quid sit Identificatio ut sic? Illam exponam in Metaphysicis uberiùs, nunc breviter expositurus sum. Et primò occurrunt Nominales, qui distinguunt formalitates expressionibus, quos audire non velim. Hi introduxerunt in Scholas distinctionem *rationis ratiocinantis*, qualis est inter Petrum & Petrum; quæ stando eorum expositioni admitti non debet; non enim est intrinseca, & extrinseca vix esse potest.

Res secundùm se considerata. Ego Identificationem sic expono. Absolutæ rerum essentiæ, ut puto, penes statum metaphysicum ante mentis operationem secundum se sunt disparatæ; hoc est nec distinguuntur mutuò, nec invicem identificantur. Quia Animal secundum se (vel ut Scotici loquuntur ex naturâ rei) est vivens sensibile, & Rationale ex se principium est intelligendi: Ergo Animal secundum se nec petit esse idem cum Rationali, nec separari à Rationali: unde si unione identificâ uniatur cum illo, erit idem illi, distinctum si illi accidat à Rationali separatio.

De unione. Dabo exemplum: Duæ partes continui integrantes; Materia & Forma; & quæcumque uniuntur physicè & realiter, secundum sua prædicata essentialia considerata (hoc intelligimus, cùm jubemus illas considerari secundum se, sive ex naturâ rei) non imbibunt intrinsecè talem unionem; sed habebunt, si aliquod agens introduxerit, erunt sejuncta si invexerit separationem. Ex Physicis ad Metaphysica, ad invisibilia ex visualibus; Duæ formalitates Metaphysicæ ex se dicunt sua prædicata essentialia, accidit autem ipsis distinctio & identificatio.

MXVII. *De Contiguitate.* Hæc Propositio est falsa, *Quæ sunt contigua uni tertio, sunt contigua inter se.* Patet, quia supposito quod A, B, C, sint tria corpora contigua, A & C sunt contigua uni tertio, nempe ipsi B, & nihilominùs A & C non sunt contigua inter se.

De continuitate. Ex contiguitate veniamus ad continuationem, quæ etiam est unio, sed perfectior, atque multò præstantior. Etiam hæc Propositio est falsa. *Quæ sunt continua uni tertio, sunt continua inter se.* Liquet propter eandem rationem, quia datis A B C corporibus continuis, A & C essent continua uni tertio, nempe B, & tamen inter se non continuarentur. Certum est enim digitos continuari palmæ non tamen continuari inter se.

Identificatio est similis continuationi. Identificatio est unio simillima continuitati, quæ continuantur identificari dicuntur, ut asserunt Thomistæ, & suo loco probabo. Conjungantur ergo nexu identico A animal, & C Rationale ipsi B Petreitati, an ideò sequetur quod A & B, hoc est quod Animal & Rationale sint idem inter se?

Ratio formalis propter quam duo sunt eadem inter se. Ex eo præsè Animal est idem cum Petreitate, quòd inter Petreitatem & Animal datur identificatio, quæ si per impossibile auferretur, Animal & Petreitas non essent idem. Ob eandem rationem Rationale est idem cum eâdem Petreitate. Ergo si non detur identificatio inter Animal & Rationale; ista non erunt idem inter se. Patet quia deficiente ratione formali, & effectus formalis deficiat necessarium est. Animal igitur est idem realiter cum Rationali; non ex eo quod utraq; sint idem cum Petreitate, sed ex eo quòd inter se habeant unam unionem perfectissimam, quam vocant identificationem, quæ si deficeret, remanerent eadem uni tertio, nempè Petreitati, non tamen inter se.

MXVIII. *De æqualitate.* Vazquez *in* 1. *p. disp.* 122. *cap.* 2. §. *Deinde* ut roboret hoc Peripateticum axioma adducit aliud Geometricum, videlicet, *Quæ sunt æqualia uni tertio, sunt etiam æqualia inter se:* quod eo teste universim verissimum est; sed te Judice falsum poterit esse, ac meum intentum demonstrare.

Relatio realiter distinguitur à fundamento, in Scholâ Thomisticâ; vel saltem quoad exercitium potest deficere, ut experientiâ duce omnes asserimus. Supponamus quod A sit æquale ipsi B, ergo habent A B mutuam relationem Æqualitatis: idem dicito de B C, atque de A C. Auferat Deus relationem inter A & C, & ex hac suppositione argumentor sic. A & C. sunt æqualia uni tertio nempe B; & nihilo secius non sunt æqualia inter se, quia supponitur æqualitatis relatio, quæ est inter A C, fuisse sublata.

Si dicas

MXIX *An relatio distinguatur realiter à fundamento?* Si dicas relationem non distingui realiter à fundamento, non hîc ingrediar hanc disputationem difficillimam, in quâ qui asserunt, qui negant, sæpe meris vocabulis differunt, & conveniunt in rei controversæ substantiâ. Interim quicquid dicas, nec poteris effugere difficultatem. Arguo sic. Illa sunt essentialia, aut per se necessaria, sine quibus res non potest concipi: Atqui possum concipere duo esse æqualia uni tertio quin concipiam inter se esse æqualia: ergo non est essentiale iis, quæ sunt æqualia uni tertio, quod sint æqualia inter se. Consequentia est legitima, Major omnibus nota, Minorem probo. Possum mente præcidere æqualitatis relationem, quæ est inter A & C, & relinquere aliarum partium relationes, concipiam igitur A & C esse æqualia uni tertio quod est B, & tamen non concipiam esse æqualia inter se, ergo æqualitas inter se non est de essentiâ æqualitatis cum tertio: quia si esset, una sine alterâ nullatenùs concipi posset.

De æqualitate materiali seu potentiali. Dices sublatâ illâ relatione æqualitatis, quæ interest ipsi A & C. (sive à Deo realiter per annihilationem, sive objectivè ab intellectu per præcisionem aliquam formalem) remanere A & C æqualia materialiter & in potentiâ, non verò in actu realiter.

Cæterùm nec hoc habent ex eo quod sint æqualia uni tertio, quia etiam si non essent æqualia tertio, haberent materiam & potentiam ut essent æqualia inter se.

Esto tamen: valeat ista solutio. Ergo ex eo quod A Animal & C Rationale sint idem ipsi B Petreitati, solùm sequitur quod potentiâ sint idem inter se, quam sanè potentiam sive nonrepugnantiam non negabo; addam tamen illam fuisse habitura licet cum tertio illo non essent identificata; quia omnia entia creata positiva quâ talia, habent non repugnantiam ut uniantur non solùm copulativè sed etiam identificativè.

MXX. *De similitudine.* Optica, Mathematica Ars Miraculis visivis dives habet aliud axioma quod ad Lapidem Lydium Philosophiæ adductum patitur ipsissimas difficultates. Illud est, *Quæ sunt similia uni tertio, sunt similia inter se.* Similitudo etiam relatio est realis, & A C non sunt mutuo similia quia assimilantur tertio B, sed quia inter se habent relationem, quam nominant similitudinis.

Maneat igitur inconcussa nostra resolutio, videlicet illud Peripateticorũ axioma, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*, esse omninò falsum, nec in sensu aliquo doctrinali concedi posse. Inferatur, vacillare totam illorum Philosophiam, qui huic infirmo subnixi fundamento erexerunt speculationum machinas & resolutiones Metaphysicas.

MXXI. *An olim illud admiserim?* NOTA. *Cùm tractarentur quæstiones morales, &* Sed dicas, me non posse fugere inconsequentiæ notam, qui in mei Commentarij in Regulam Benedictinam numero 614. assumpsi hoc axioma, ut probarem iebrietatis & continentiæ identificationem. Addis meam Metaphysicam quæ moralia debeat fundare, citatæ illi resolutioni contradicere.

Respondeo me ad hominem & necessariò hoc axioma adsumpsisse, quia exponebam mentem Augustini, & fundamenta ejus debebam supponere, cùmque non constet ante me fuisse quempiam qui hoc axioma negasset, debui mihi probabiliùs credere id fuisse ab Augustino concedendum, quapropter cautè his verbis sum usus. *Augustinus, dixi, identificat continentiam & sobrietatem uni tertio, nempè Dei cultui---ergo secundum communem opinionem sobrietas & continentia sunt eadem virtus inter se.* Ideò illud *secundùm communem opinionem* posui, quia illa consequentia non est efficax secundùm meam; alias enim non adhibuissem illam limitationem. Convincit tamen efficaciter intentum ex mente Augustini, quod clariùs nunc dilucido hoc analogismo. *Divino Doctori Augustino erant eadem inter se, quæ uni tertio: sed vel ipso asserente sobrietas & continentia sunt eadem virtus uni tertio ergo & inter se.* Unde obiter docendus est Lector, Authores quando dicunt hoc esse verum apud Thomistas, illud apud Scotistas, id apud Philosophorum vulgus, istud juxta communem opinionem, exponere sententias D. Thomæ, Scoti, Vulgi, & Communes; non tamen proprias, nisi loquantur absolutè sine aliquâ limitatione. *præcipuè à Concionatoribus sufficit assumere Positiones probabiles: ut semper est opus assumere probabiliorẽ.*

APPENDIX.

De Axiomatibus & Propositionibus Universalibus.

MXXII. *An reperiantur multa Axiomata?* MUlta congerunt, qui Axiomata scripserunt; & post Monfortium, & Valerianum Magnum, aut etiam alios, Aloysius Novarinus Veronensis, Clericus Regularis, tres tomos edidit, ubi summam diligentiam & eruditionem ostendit. Titulus horum librorum iste est, *Omnium Scientiarum Anima: hoc est, Axiomata Physio-Theologica, ex probatis Authoribus editis aut ineditis prompta, & suo ordine distributa; quæ explicantur, illustrantur, porriguntur, & coercentur; eademque operâ plures difficultates expediuntur, rebus multis alioquin cæsis & subobscuris, lux immittitur; occultis clausisque aditus aperitur, plurima scitu digna, nec ita obvia, depromuntur, et plurium depromendarum occasio datur; copiosa singularum doctrinarum seges exhibetur: errorum fallaciarumque semina auferuntur: denique ita omnium Scientiarum ac Facultatum* PRONUNCIATA, DIGNITATES, REGULÆ, PRINCIPIA, EFFATA, MAXIMÆque *recensentur & explicantur, ut veritatum omnium fundamenta jaciantur: subducatur falsitatis larva; & ex omnibus ferè Theologis, Philosophis, aliisque aliarum Facultatum Professoribus labor exculptus in omnium professorum (possessorum) commodum resiliat.* OPUS, *in quo melior Auctorum succus, utiliorque, relictis controversiarum & quæstionum pugnacibus contentionibus purus putus doctrinarum liquor porrigitur; afferuntur, quæ probè dicta, efferuntur quæ pravè dixere nemo facilè pungitur, nullius nomen traducitur, ut jure & à Scriptoribus omnibus & ab omnibus Lectoribus gratiam, Operis hujus Author initurum se speret.* *Novarini laudatum.* *Axiomatũ utilitas.* *Varia nomina.* *Novarini urbanitas.*

Nec tandem auspicio spes eadet ista suo, omnes enim summam diligentiam & eruditionem Novarini commendant, & inter alios ego, qui his libris libentissimè utor, & tantâ Authorum & sententiarum varietate delector. Reperio

Axiomatū numerus.

in primo Tomo	3353.
in secundo	6040.
& in tertio	9835.
sunt ergo omnia	19228

& Orbi literario congratulor tot divitias hujus optimi Authoris studiis & vigiliis adepto.

MXXIII. *Axiomatū Authoris sunt paucissima.* Legis hæc & statim me oppetis, & ais: Si tam sunt multa Axiomata, quæ lectione sunt digna; &, si Novarinus, quòd tam multa collegerit à Caramuele collaudatur, cur ipsemet Caramuel præter unum aut alterum Axioma nullum aliud admittit? Cur est tam avarus, ut nonnisi unum vel alterum Principium porrigat: licet enim plura enumeret, omnia ille ad unum aut alterum reducit?

MXXIV. Plena est periculo aut etiam invidiâ hæc objectio, & ut puto dabitur solutio suavis, quæ Caramuelem tueatur, & nullum pungat. *Quid sit Axioma? & quotuplex?* Dico igitur *Axiomata* esse quasdam propositiones universales usu receptas: & dividi in *Persenota*, *Demonstrata*, *Probata*, & *Supposita*.

MXXV. *Persenota: quæ?* Axiomata Persenota, sunt quædam universales propositiones, quæ ante omnem probationem assensum extorquent; sunt enim tam claræ, ut à nemine negari possint. Dicuntur ejusmodi Propositiones per se notæ, quòd non indigeant luce alienâ, ut se esse manifestas persuadeant. Cùm enim audio istam propositionem, *Omnis triangulus habet tres lineas*, non hæreo, non inquiro, non dubito: hunc Δ mente concipio, & non suspicor fore fortasse alicubi aliquem alium triangulum, qui quadrilineus sit, sed sine formidine pronuncio, *Omnem triangulum, trilineum esse.*

MXXVI. *Demonstrata.* Axiomata Demonstrata illa sunt, quæ ratione evidenti probantur: illa nimirùm, quæ tametsi Persenota non sint, sunt nihilominùs mediatæ, aut immediatæ conclusiones à præmissis persenotis illatæ. Huc pertinere poterit hæc Propositio, *Nullus cæcus est perspicax*: quam, si persenotam dixeris, me illam probandi onere liberabis: si non dixeris, illam suadebo sic: [Duæ contradictoriæ non sunt simul veræ: At, si cæcus esset perspicax, duæ contradictoriæ essent simul veræ: Ergo nullus cæcus est perspicax. Probatur minor, quia cæcitas est carentia visûs, & perspicacia est positio visûs: at carentia & positio visûs sunt contradictoriæ: Ergo si cæcus esset perspicax essent veræ contradictoriæ.]

MXXVII. *Probabilia.* Axiomata Probata dicuntur, quæ probabili ratione robrantur; & horum est communissimus usus, & summa multitudo & ubertas. Huc pertinet hæc Propositio, *Continuum est in infinitum divisibile*: illam enim fortissimè probat Aristoteles, illamque fortissimè corroborant ejus discipuli, at nullâ illam ratione, quæ planè demonstrativa sit, & solutionem commodam habere non possit.

MXXVIII. *Supposita. Dogmata. Placita.* Tandem Axiomata Supposita, illa sunt, quæ aliàs vocantur *Dogmata*, latinè *Placita*, quæ à Scholarchis supponuntur, non quia aliter discurrere & philosophari non licuit, sed quia sic placuit. Huc pertinere poterit Plutarchi liber de Placitis Philosophorum, quos si interroges, cur illa Dogmata defendenda susceperunt? respondebunt, pro ratione voluntatem stare. Huc verè revoco Realium, Modalium, Formalium, & Expressivorum Maximas characteristicas & fundamentales, quæ has celebres Scholas constituunt & distinguunt; quas tamen nemo demonstravit hucusque, nec olim demonstraturus est. Pono exemplum. Hæc Assertio, *In rerum natura quædam sunt entitatula, quas Modos nominant, inhærentes subjectis, & ita dependentes ab illis, ut seorsim ab illis separata existere, ne quidem miraculosè possint*: *Quid sint Modi?* in Scholâ Modali Dogma est; supponi semper debet, & in dubium revocari non potest. At eadem rotundè negatur in cæteris: Reales enim modorum tenuitatem despiciunt, & ut natura constans & firma sit, majorem perfectionem requirunt; MXXIX. adeòque expunctis modis, eorumdem loco substituunt realitates. Et Formales & etiam Expressivi, quia parci sunt, prodigam vocant Philosophiam Modalem, contrahentes expeditionis Scholasticæ vela, modos omnes ad formalitates intrinsecas, aut ad denominationes extrinsecas à connotatis dependentes reducunt. *An dētur?* Et quis quæso hanc ipsam reductionem esse veram, aut esse falsam demonstrabit?

MXXX. *Qualia sint Monforty, Novarini & aliorum Axiomata? Qualia Magni? Qualia nostra?* Modò ad Monfortium & Novarinum venio. Ajo illos Axiomatum nomine non intelligere Persenota aut Demonstrata, sed Probabilia aut Supposita: nam Persenota sunt paucissima, & non sunt multa quæ possint clarè demonstrari. Sed Valerianus Magnus Axiomatum generoso vocabulo videtur demonstrationes evidentes involvere: at non omnia, aliàs pulchra & curiosa, quæ in libello de Axiomatibus scripsit, demonstrantur ab ipso: nec omnia poterunt demonstrari. Sed nos, quia Axiomatum voce Principia persenota, aut Asserta demonstrata intelligimus, pauca reperire potuimus, quæ Axiomatum nomenclaturâ dignaremur.

MXXXI. *Axiomatū probatio.* Sed hîc inquiris, *Quomodo Axiomata illa suadeantur, quæ à nobis Probabilia dicuntur, vel Probata?* Et respondeo has universales propositiones Inductione probari. Hæc enim propositio, *Omnis nix est alba*, non aliter probari poterit: ut enim nigra sit, repugnantiam non video, neque ut albа sit,

indi-

indispensabilem necessitatem, adeòque omnem candidam esse, sic probo. [Hæc nix est alba: & hæc est alba: &c. omnes, quas vidimus sunt tales: nemo est, qui
An nix non sit alba? nigram nivem viderit: (non enim Anaxagoras ajebat suos oculos percipere nives esse nigras, sed suos oculos falli) ergo omnis nix est alba.]

MXXXII. *De Sorites.* Solent Philosophi eadem Axiomata longâ serie syllogismorum persuadere, quos interdum compendij causâ aliqui ad Soritem reducunt, qui firmissimus est; &, si rectè disponatur, evidenter concludit. Multos ego Soritas aliquando propono, ut vel sic faciliùs & citiùs me expediam, quod & fecerunt alij, quos imitor, celebro, & veneror.

Dubium incidens.

An Soritæ fallaces sint?

MXXXIII. Mirabitur fortassis Lector, cùm videat Soritas, quos veteres ad Elenchorum classem pertinere credebant, quasi à carceribus eripi, & ingenuâ libertate donari. Soritum argumentandi genus *lubricum & periculosum locum: nec non vitiosum interrogandi modum* vocat Cicero libr. 4. Acad. 99. quem multi hodie Philosophi malunt sequi, quam veritatem indagare.

MXXXIV. *Cur Soritæ suspecti sint?* Inter paucos Bisciola magnus est, & libr. 5. subsiciv. cap. 8. tom. 2. sic discurrit. *Si enim omnes priores consecutiones, ex quibus extrema texitur, fuerint apta, nihil erit vitij in extremâ*, cùm ea legitima sit argumentatio, quam *de primo ad ultimum* vocant, quæque nititur illo effato; *Ex quocumque sequitur antecedens, sequitur & consequens: & quidquid sequitur ex consequente, sequitur ex antecedente:* Sive enim sumantur conditionales duæ, sive plures, si priores ponuntur veræ, tum in quâcomque materiâ etiam extrema est vera, ut ex Aristotele didicimus, verbi grat. *Si homo est, animal est: si animal est, vivens est: si vivens, corpus: si corpus, substantia: igitur si homo est, substantia est.* Non ergo Soritæ damnantur quasi spuriæ argumentationes, sed *quia in hoc quasi minuto ac presso & nimis incitato progressu consecutionum, quarum alia aliis, quasi grana granis minutatim adduntur, sæpè inepta cum aptis, vera cum non veris permiscentur, quæ in illo disputationis calore, non facilè dignoscuntur, sic fit,* ait rectissimè Bisciola, *ut tota illa congeries hominem incautum & securum sæpè numero capiat.* Quâ de causâ illa etiam est Soritæ definitio ex Juliano, *Cavillatio, quæ ab evidenter veris per brevissimas mutationes disputationem ad ea, quæ evidenter falsa sunt perducit:* cùm enim ex falsis vera possunt concludi, v. grat. *Omne prædium in jure consistit, omnis servitus est prædium, ergo omnis servitus in jure consistit:*
Iulianus l. natura. de verb. sing. & l. ea est natura. D. de diversis Regul. Iuris antiqui.

& ex veris falsa colligi nequeant; hoc efficere Sorites conatur per brevissimas mutationes gradatim instructas, & vaferrimas interrogationes minutatim factas, verb. grat. *Tres oves pauciorene sunt? quàm ut gregem faciant? sic sanè: quid verò, an & quatuor? ita an quinque? ita. Sed si addidero unam, an tum grex erit? minimè. Si alteram? etiam non erit grex: & si alteram demùm? etiam grex nondum erit: & ad extremum igitur alia addita, ut sint decem, nondum erit grex.* Præterea: *hæres est ne successor? certè: quid verò? nonne & legatarius, est successor? planè: Titius autem est legatarius, omninò: successor igitur, admodum: ergo & hæres, quia successor.* Jam *latentis*, sive ut Græci vocant, ἐγκεκαλυμμένου aut διαλεληθότος exemplum à Laertio ex Zenonis allatum doctrinâ, non hujus est, sed potiùs Soritæ: *Non pauca duo sunt? non etiam tria? non etiam quatuor? sic usque ad decem. Duo autem pauca sunt, ergo & decem.* Et illud est verus Stoicorum, quo probabant, omne illud, quod quomodocumque est bonum, esse honestum: *Si bonum, sanè optabile; si optabile, expetendum: igitur si expetendum, quidem habeat dignitatem? si habet, ergo est laudabile, si laudabile, ergo honestum: igitur si bonum est, honestum est.* Ubi tertia consecutio, sive conditionalis est vitiosa, quoniam multa sunt expetenda, quæ non habent dignitatem, ut sunt utilia quædam atque jucunda. Ex his itaque intelligis Soritem vel bonum esse, vel malum; si malus, facilè solvi potest negatione vitiosæ conditionalis: si bonus, tum sanè ex argumentis efficacibus est, & evidenter concludit, ut demonstravimus in Logicâ Vocali Part. III. Articul. VII. à num. 731. & Part. IV. Articul. XII. à num. 857.

Sed quomodo Soritæ solventur? Aut negando formam, si illegitimè sint conformati, aut negando materiam, si aliqua propositio sit falsa. *Soritarum solutio.*

MXXXV. *Ex falsis vera deducuntur.* Dico igitur illum Syllogismum, *Omne prædium in jure consistit: Omnis servitus est prædium: Ergo omnis servitus in jure consistit:* quoad formam esse bonum: at utramque præmissam falsam esse.

Addo rationem de ovium numero positam debilem esse: quidam enim decem oves esse gregem existimant, *leg. ultimâ. D. de abig.* & stando huic sententiæ novem oves non constituunt gregem, & si unica addatur, erit grex. *Quot oves constituant gregem?*

MXXXVI. *De hæreda.* Subjungo argumentum illud de hæreditate ad hanc formam reduci:

* **Omnis hæres est successor:*
* Da *Omnis legatarius est successor:*
Da **Ergo omnis legatarius est hæres.*
ri ri. *At Titius est legatarius:*
* i. *Ergo Titius est successor:*
i. **Ergo & Titius est hæres.*

Tres in eâ syllogismos reperio: duos in *Darij*, quorum formam admitto. At ptimum illum, quem tres priores positiones constituunt malus est; quoniam pertinet ad secundam figuram, & nullam negativam continet.

QUÆSTIO INCIDENS.

Cur Petrus Ramus omiserit doctrinam de Æquipollentibus, de Convertentibus, & de Modalibus.

MXXXVII *Qualis sit Ramus?*

NOn moveo hanc controversiam, quod Ramum in exemplum habere proposuerim, illum enim tametsi virum ingeniosum & doctum, frequenter & liberrime impugno: sed quia sunt hodie multi, qui illius exemplo vel scandalo inducti omnia subtilia & acuta fastidiunt, & tantùm rhetorico flore & splendore delectantur; quibus omnibus responsum erit, si semel respondeatur Ramo.

An æquipollentia ad rationẽ pertineat?

Præmittam Rodolphum Goclenium Rami Commentatorem, qui ejusdem acturus partes ait. [Quod ad æquipollentiam attinet, responderet (nimirùm, Petrus Ramus) illam sermonis esse, non rationis: ideòque de eâ non magis Logicam præcipere, quàm de reliquis sermonis proprietatibus quibus quodvis argumentum exprimitur.] An-ne sufficit ista responsio? Minimè etiam in ejusdem sententiâ, qui eam proponit: quoniam ipse Goclenius, si doctrinam de Æquipollentiâ ad Logicam non pertinere credidisset, non egisset fusè de illâ *libr. 2. cap. 4. diatepsi ult. pag.* 466. 467 & 468. Non volo urgere hanc doctrinam non esse grammaticam, sed dico illam ignorari non posse; & siquidem Priscianus eam non docuit, opus est detur tandem qui illam dilucidet & tradat.

An etiam conversio?

Sed cur nihil de Conversione Ramus? Idem Goclenius respondebit. [Ratio est, ait, quia nullam reductionem syllogismorum approbat, Ergo nec conversionem propositionis. Conversio enim illa Aristotelica principaliter efficta est ad reductionem aliquius figuræ syllogismorum. Est tamen quædam verè logica Conversio, nempe reciprocationis in quibusdam argumentorum generibus; quæ reciprocatio facit axioma catholicum, inquit eo explicatur.] Sed hoc ipsum accusare potius, quàm excusare est. Nam, si Ramus omnes reducibiles syllogismos contempsisse dicatur, traducitur, nam licet suo more mutet ordinem & nomina syllogismorum, Aristotelis secundam & tertiam figuram admittit, quarum syllogismi conversione aliquarum propositionum ad perfectiores reducuntur. Nec dici poterit hæc ipsa reductio esse inutilis, quam tamen accuratè & prolixè tradit Goclenius Tractatu speciali, quem *Capiti XVI. libri II.* adjunxit. Et, ut omnia hæc dicantur, adhuc ipsa Positionum conversio erit utilis, ut connexio subjecti & prædicati altiùs intelligatur.

An reductio syllogismorum sit utilis?

An notitia modaliũ sit utilis?

Sed cur etiam de Modalibus nihil. [Responderet Ramus, ait Goclenius, Modorum observationem nil omninò novæ artis habere. Nam est etiam axioma necessarium contingens & impossibile, etiamsi non habeat modos illos expressos. *Homo est animal*, est axioma necessarium & quidem *κατὰ παντὸς*. *Homo est dives*, est axioma contingens. *Homo est Leo*, est impossibile axioma. Vides-ne axiomata esse necessaria, contingentia & impossibilia sine illis modis? Vides-ne hæc omnia ex præceptis Rami de axiomate posse cognosci, etsi non fiat expressa mentio modorum? Aristotelici ita enunciant, *Hominem esse animal necessarium est*, *Hominem esse divitem contingens est*, *Hominem esse Leonem impossibile.* Hæc si conferantur cum Rami doctrinâ, apparebit modalium doctrinam non habere aliquid novæ artis, sed esse potiùs supervacaneam, plus enim habet ostentationis quàm utilitatis, cujus permulti auditores avidiores, quàm veritatis sunt. Vocant autem modos & inde modales enunciationes, cùm judicium necessarii, contingentis, possibilis & impossibilis additur expressè enuntiantibus.] Sic ille. Quem ego evidenter convincam. Si nihil novæ Artis habet doctrina Modalium, ajo, nullus ignorabit eam, qui cætera sciat, at ipsa à magnis Dialecticis ignoratur (& fortè ideò fuit intermissa à Ramo, quia illam nescivit) ergo multum novæ artis complectitur, quod accuratè debet tradi.



LIB.

LIBER IX.

De Argumentationibus.

MXXXVIII. Multa supponuntur interdum, & pauca probantur.

MUlta & varia de hoc argumento dedimus, & in libris de Animâ daturi sumus: at modò juvat nonnulla accuratè tractare, quæ fuerunt sæpè supposita, nunquam probata. Et quidem in ipso limine hujus libri occurrit celebris illa quæstio quæ inquirit, *An Discursus sit simplex qualitas?*

Quæstio procemialis. MXXXIX. Respondeo materiam præsentem esse obscuram & difficilem, in quâ nihil fuit hucusque demonstratum; in quâ nihil fore demonstrandum credidit, & hanc ob rem unicuique licebit manere in propriâ Scholâ, & hujus Dubij resolutionem ad propria fundamenta elimare. REALES poterunt dicere, Propositionem ex apprehensionibus realiter distinctis: & Syllogismum tribus mentalibus judiciis (majore, minore, & consequentiâ) componi: quæ omnia sint ejusdem speciei: & tertium vocari conclusionem, quod positis præmissis consequatur. Stando huic opinioni, particula *Ergo* non habet actum mentalem, qui illi respondeat; sed solummodò, significat tertiam propositionem è duabus prioribus enasci. Poterunt etiam dicere conclusionem esse actum differentem specie à prioribus propter illationis rationem quam involvit: ubi enim lingua profert *Ergo*, mens realem qualitatem producit, quæ propositionem tertiam afficit, & illatam conclusionem denominat. MODALES, inter duo extrema Physica (materiam & formam v. grat.) modum unionis collocant, & ducti rationis paritate dicunt subjectum & prædicatum duas esse apprehensiones mentales; modò unionis intellectualis; qui *copula* vocatur, unitas. Et veniendo ad tertiam mentis operationem dicent Conclusionem modaliter distingui à præmissis; afficitur enim modo illationis, qui in Vocali Logicâ particula *Ergo* aut *Igitur* significatur. FORMALES Discursum esse unam simplicem qualitatem pronunciant: at illam, quam realiter indivisibilem ajunt, in varias formalitates dividunt & subdividunt; ita ut singulis vocalis syllogismi particulis singulæ formalitates correspondeant. Et EXPRESSIVI tandem tenent cum Formalibus syllogismum esse simplicem qualitatem; at præcisiones objectivas negantes, ad extrinseca connotata recurrunt, ut in unâ simplicissimâ realitate tres propositiones, & in singulis subjectum copulâ & prædicatum inveniant.

Opinio Realium.

An omnes syllogismi propositiones, sint ejusdem infima speciei? Quid voci ergo correspondeat in mente?

Opinio Modalium.

An copula & illatio sint modi?

Opinio Formalium.

Expressivorum opinio.

Dixi & dico has omnes opiniones videri probabiles; nec videre, cur singulæ Scholæ non possint illam propugnare, quæ propriis fundamentis respondet.

STat à Formalistis Comptonus, & *disp.* 74. *Logicæ*, *sect.* 4. *num.* 5. *pag.* 184. conatur eorumdem opinionem suadere; & quia optimo ingenio pollet, volui ejusdem argumenta accuratè perspicere; & quantas habeant vires ostendere. P. Thomæ Comptoni satisfit.

MXL. Supponit discursum esse simplicem qualitatem, & posteà quærit, *An conclusio attingat præmissarum objecta?* Omnes tenentur respondere negativè. Nam in Realium & Modalium sententiâ certum est conclusionem sequi, non autem præmissas involvere: Formalistæ docent syllogismum constare ex tribus formalitatibus intrinsecis, & Expressistæ ex tribus formalitatibus extrinsecis, quæ respondent majori, minori, & conclusioni: & certum etiam videtur formalitatem illam, quæ respondet conclusioni; non includere præmissas. Si hæc certa, ubi dubium? In quâdam æquivocatione: Dicendum est primò in Formalistarum & Expressivorum Scholis, Syllogismum esse simplicem qualitatem: Secundò, mentem sic dialecticari. Præmittit enim duas propositiones, quas ideò præmissas nominat; quæ sunt realiter distinctæ & successivè eliciuntur. Deinde elicit tertium actum, qui totum syllogismum imbibit. Qui quidem tertius actus, si dicatur *Conclusio* involvet necessariò præmissas: at Discursus dici deberet, non Conclusio.

Quæstio secunda procemialis.

An syllogismus mentalis constet formalitatibus?

Quomodò dialecticetur mens?

De præmissis.

An tertius actus sit conclusio.

MXLI. Illum actum appellat *Conclusionem* Comptonus, & contra eos, qui dicunt attingere præmissas; *arguit primò* ab experientia, quæ est artium & scientiarum Magistra, & ait. Experientia constat, ait, nos ejusmodi actus conclusionis non elicere, nec enim ex his præmissis, *omne sensibile est vivens*, *equus est sensibilis*, hanc conclusionem deducimus, *ergo equus est vivens*, *quia omne sensibile est vivens, & equus est sensibilis*; imò siquis conclusionem talem elicere vellet, non sine difficultate id præstaret, ut conanti constabit, cùm tamen conclusio ultrò sequatur, imò necessariò, sicque facillimè & sine omni difficultate.

Magistra scientiarum experientia.

Hæc

Quantam vires habeat argumentum ab experientiâ desumptum?

Hæc ratio non videtur urgere : possent enim Realistæ & Modalistæ aut quicumque alij, si vellent contradicere, asserere, se habere experientiam contrariam. Et quo Comptonus modo se habere hanc experientiam, & illos contrariam non habere suadebit? Accedit, quòd cùm discursus in Comptoni & Formalistarum opinione, quam feqpitur, sit simplex qualitas, non aliter discurrat homo, quàm dicendo uno actu, *Omne sensibile est vivens* : altero, *Equus est sensibilis* : & tandem tertio, qui discursus est, *Siquidem omne sensibile est vivens, & equus est sensibilis, etiam est vivens.*

MXLII. *An medium possit in conclusionem ingredi?*

Arguit secundò : quia juxta Aristotelem & universos Dialecticos, medium ingredi non debet conclusionem, ergo syllogismus, in quo conclusio attingit objectum præmissarum, est contra artem syllogisticam. Si dicas, loqui ibi Dialecticos de syllogismo tantùm vocali. Non adquiescet Comptonus; quia, ut existimat, gratis hoc dicitur, cùm nulla probabilis afferri ratio possit, cur illud non æquè in syllogismo mentali defectus sit ac in vocali. Confirmat doctrinam datam sic : Syllogismus vocalis ad exprimendum mentalem ordinatur tanquam illius imago, [Nota id bene.] ergo si mentalis ista omnia dicat interiùs, vocalis, ut sit fidelis mentis interpres, idem dicere debet exteriùs.

An Dialectica regulæ agant de solo syllogismo vocali?

Syllogismus vocalis imago syllogismi mentalis.

An integer syllogismus sit cōclusio?

Et quidem hæc ratio, sicut sequentes omnes, æquivocatione laborat; vocat enim Conclusionem, quam integrum syllogismum deberet. *Præterea* solutionem datam non elidit; omnia enim, aut ferè, quæ ab Aristotele in totâ Dialecticâ dicta, non ad conceptus, sed ad voces spectant; & Dialectici veteres de vocibus tantùm egerunt [Vide numer. 403.] & juniores, dum volunt de conceptibus agere, ita confundunt omnia, ut coactus fuerim Logicam Vocalem à Mentali distinguere, & seorsim tradere.

An Logica Aristotelis sit vocalis?

An discursus mentalis coalescat ex multis actibus?

Et tandem confirmatio illa, quam vocat, Comptoni & Formalistarum aut etiam Expressistarum opinionem destruit; quia si syllogismus vocalis est mentalis syllogismi imago, cùm iste multis vocibus constet, ille debebit pluribus constare intellectionibus, quod Formalistæ & Expressistæ negant, Reales & Modales affirmant.

Arguit à rationis paritate.

Addit Comptonus. Syllogismus vocalis est veluti exemplar quoddam, ad cujus similitudinem formari debet mentalis, sicut domus in tabellâ vel chartâ delineata respectu domûs veræ; ergo si exemplar habere non debeat medium in conclusione, nec illud habere debet id, quod ad illius similitudinem conficitur.

Et subsumunt iterum Reales, Modalesque, Atqui syllogismus vocalis habet tres propositiones realiter distinctas, compositas vocibus realiter distinctis : ergo ut servetur similitudo exactè (quod vult Comptonus) syllogismus mentalis componetur propositionibus intellectualibus realiter distinctis: & singulæ apprehensionibus realiter distinctis.

MXLIII. *An syllogismus sit quædam propositio causalis?*

Arguit tertiò. Hæ sunt diversæ veritates cognoscibiles, *Petrus est homo*, & *Petrus est homo, quia omne risibile est homo*, & *Petrus est risibilis*; sciri enim potest Petrum esse hominem, & illa alia veritas ignorari. Item propositio hæc, *Petrus est homo*, ex variis præmissis deduci potest, ergo illarum objectum non includit. Imò aliquando contingit conclusionem esse articulum fidei, rationes, ex quibus hîc & nunc deducitur, non esse.

Conclusio differt à [illegible]

Respondeo illum actum, quem vocat Conclusionem Comptonus, & Formalistæ esse integrum syllogismum dicunt, non esse hunc, *Petrus est homo, quia omne risibile est homo, & Petrus est risibilis*, sed esse hunc, *Siquidem omne risibile est homo, & Petrus est risibilis, ergo etiam est homo.*

Eadem conclusio potest ex diversis præmissis educi.

Nec obstant, quæ subjungit; ubi enim ex variis motivis infertur conclusio, ibi erunt syllogismi diversi : & conclusio, si sit Articulus Fidei, non erit talis formaliter & quatenus oritur à præmissis naturalibus, sed quatenus revelatur à Deo. Unde in hoc syllogismo, *Omnis risibile est homo, Christus est risibilis, Ergo Christus est homo*, consequens (hoc est illa propositio quæ est tertia, sumpta materialiter & specificativè) est de Fide; at verò consequentia, sive hoc nomine significetur illatio, sive propositio illata quà talis formaliter & reduplicativè sumpta, non est de Fide; non enim est de fide consequentiam illam esse bonam; nec est de fide ideò Christum esse hominem quia est risibilis, & tamen Christum esse hominem specificativè loquendo de fide est. Hinc patet, quid respondendum sit ad quartam Comptoni rationem.

MXLIV. *An hæc propositio, Christus est homo, falsa sit?*

Arguit enim : Sequeretur hanc Propositinnem, *Christus est homo*, esse falsam, si nimirùm deducatur ex alterâ, vel utraque præmissâ falsâ, ut si dicat quis, *Omnis substantia est homo, Christus est substantia, ergo Christus est homo.* Sensus enim esset, *Christus est homo, quia omnis substantia est homo*, quod est falsum. Et eodem modo sequeretur, hanc propositionem *Deus est trinus & unus*, esse subinde falsam.

Illatio Quia, non significat idem, quod Ergo.

Sed jam diximus, illam simplicem qualitatem, quam *Conclusionem* Comptonus dicit, cùm *Discursum* deberet, non explicari per *Quia*, sed per *Ergo*, vel *Siquidem*: nam syllogismus positus ab illo debet converti in hunc, *Siquidem omnis substantia est homo, & Christus est substantia, etiam est homo.*

MXLV. *Quæstio tertia Proœminalis.*

EX suppositione, quod syllogismus sit realitas quædam composita ex tribus qualitatibus, seu judiciis diversis, adhuc multi volunt conclusionem attingere præmissarum objecta. Variè hanc opinionem Authores diversi pertractant, & quia centenis æquivocationibus eam implicant, lucem præfert Comptonus objectum mentis distinguendo. Duplex objectum esse ait; alterum formale seu motivum; alterum terminativum, & intrinsecum, seu quod ab actu aliquo verè & propriè attingitur,

Objectum duplex: motivum, & terminativum.

Contritio & charitatis objectum.

ut in actu contritionis & charitatis. Divina bonitas dicitur objectum formale terminativum, & quod attingitur ab illo actu. Alterum est objectum formale extrinsecum, & solùm impulsivum, quod scilicet non attingitur ab illo actu, quale est objectum præmissarum respectu conclusionis. Ad hoc ergo ut objectum conclusionis sit objectū materiale respectu objecti præmissarum, non requiritur ut objectum præmissarū attingatur immediatè & intrinsecè (saltem iteratò, de hoc enim procedit quæstio) sufficit enim quod objectum præmissarum sit objectum extrinsecè impulsivum. Hinc patet hæc duo objecta non debere confundi; qui enim dicunt præmissas esse objectum impulsivum Conclusionis, docent præmissas cognitas prædeterminare intellectum ut conclusionem eliciat, quas quidem per actum conclusionis non attinget: qui autem sentiunt præmissas esse objectum terminativum, existimant mentem per actum ipsum conclusionis cognoscere debere præmissas.

An præmissæ mentem ad eliciendam conclusionem prædeterminent?

MXLVI. His positis sit nostra Conclusio: I. *Præmissæ (realiter distinguuntur à conclusione) prædeterminant intellectum (sufficienter aut efficaciter juxta diversas opiniones) ad eliciendam conclusionem.* II. *Si hoc fit concurrere per modum objecti motivi & extrinseci, ipsa sunt extrinsecum & motivum conclusionis objectum.* III. *Particula Ergo, quæ est in linguâ, aut non correspondet in mente, non cognitio aliqua, sed ipsa prædeterminatio, quod multi videntur admittere: aut cognitio quædam illativa, quæ posset explicari his verbis,* Siquidem istæ præmissæ sunt veræ, etiam erit vera hæc conclusio: videlicet *&c.* IV. *Consequens est tertia syllogismi propositio materialiter sumpta: Consequentia in abstracto est ipsa illatio, & in concreto est tertia propositio quâ illata.* V. *Consequens non attingit præmissas.* VI. *Consequentia (aut sumatur abstractum aut concretum) attingit præmissas confusè.* His sex Assertionibus positis, quo modo Adversarij argumententur videamus.

An concurrant ut objectum extrinsecum?

Quid in mente respondeat voci Ergo?

Discrimen inter consequens & consequentiam.

MXLVII. *Objectio prima.* Arguunt primò: Assentimur conclusioni propter præmissas, Ergo conclusio attingit objectum præmissarum. Distingui debet antecedens: assentimur conclusioni propter præmissas tanquam propter objectum extrinsecū, seu per alios actus cognitum, (sermo est de præmissis objectivis) concedimus antecedens: tanquam propter objectum intrinsecum, seu per hunc actum cognitum, negamus: & consequentiam distinguimus: Consequens seu Conclusionem materialiter sumptam attingere objectum præmissarum negamus: consequentiam seu illationem (clarius illum actum, qui correspondet voci illativæ *Ergo*) attingere præmissarum objecta subdistinguimus: attingere expressè negamus, & confusè concedimus.

MXLVIII. *Objectio secunda. An electio medij attingat intrinsecè finem? ... præmissas?* Arguunt secundò. Electio medij (voluntas e. g. sumendi potionem) attingit intrinsecè sanitatem, seu finem ob quem illa potio sumitur, ergo & actus assentiens conclusioni attingit intrinsecè objectum præmissarum. Respondet Comptonus negando paritatem; objectū enim conclusionis habet in se sufficientem veritatem, ut terminet per se actum, at verò medium illud bonitatem non habet nisi in ordine ad finem, est enim bonum utile quà tale; sicut ergo solùm est in ordine ad aliud, ita in ordine solùm ad aliud est appetibile. At Ego paritatem concedo: nam bonitas, sicut & veritas, potest dupliciter considerari: absolutè & relativè (vel, ut alij loquuntur, specificativè & reduplicativè.) Qui amat virtutem propter Deum, considerare potest virtutem ut bonam, & ut medium ad Deū: virtus ut bona habet bonitatem absolutam, nec ejus amor quà talis tangit Deum: at virtus ut medium habet bonitatem relativam (*utilitatem* vocant) quæ dicit in connotato Deum. Et sic similiter philosophor de tertiâ syllogismi propositione: nam si cōsideretur absolutè & specificativè, non respicit præmissas; & tunc vocatur *Consequens*: at si consideretur relativè & reduplicativè, videlicet quà illata (& sub hac reduplicatione dicitur *Consequentia*) connotat præmissas tanquam causas à quibus originem sumpsit. Connotat, inquam, non expressè, sed confusè tantummodò.

An detur ... Bonitas & Veritas duplex absoluta & relativa.

Qui differant Consequens & Consequentia.

MXLIX. *Objectio tertia. An lux videatur? An revelatio ipsa creditur?* Arguunt tertiò. Visio fertur in lucem & colorem, & utrumq; attingit intrinsecè; actus item fidei non in rem revelatam tantùm, sed in ipsā etiam revelationem fertur tanquam in objectū formale intrinsecum; ergo & actus conclusionis fertur intrinsecè in objectum præmissarum, cùm præmissæ sint lumen & objectum formale respectu conclusionis.

Respondet Cōptonus, negando consequentiam. Disparitas est, quia color non est omninò objectum visûs nisi luci conjunctus: at verò objectum conclusionis cognosci potest per se & independenter à præmissis: quando verò cognoscitur propter præmissas, sufficit quòd intellectus per eas illuminetur & quasi roboretur ad inferendam conclusionem, licet objectum ipsum præmissarum non attingatur per actum conclusionis, hoc enim sufficit ad discursum, ut nimirùm sit *cognitio unius veritatis per aliam & post aliam*, quod sufficienter habetur, licet conclusio intrinsecè non terminetur ad objectum præmissarum. Confirmat Comptonus solutionem quia Actus etiam fidei tendere intrinsecè debet in testimonium divinū, cùm sit immediata illius acceptatio: at verò conclusio est cognitio essentialiter mediata: ergo non est opus ut tendat in objectum præmissarum. Addit multos dicere non esse ad actum fidei necessariū ut immediatè & intrinsecè tendat in testimonium divinū; sed sufficere quòd sit actus, qui essentialiter pendeat ab aliis actibus, in quibus divinum testimonium prævìè proponitur. Et mihi hæc Comptoni responsio, si agat de Consequenti seu de tertiâ syllogismi propositione materialiter sumpta, placet: at verò, si agat de consequentiâ reduplicativè sumptâ & quà tali, non placet: in hoc enim casu omnia, quæ obiciuntur, admitterem.

Quo modo Fides suum objectum attingat.

Arguunt quartò. Intellectus, quando elicit actum conclusionis, habet omnia requisita ad assentiendum objecto præmissarum, & conclusionis; ergo cùm sit potentia necessaria, actu illo & objectū conclusionis & objectū præmissarum attinget. Respōdet negando omnia Cōptonus, & manifestā experientiā appellat: tantum enim abesse putat, ut per actū Cōclusionis attingatur præmis-

Objectio quarta.

Arguitur iterùm ab experientiâ.

præmissæ, ut non nisi labore summo & conamine id homines præstent. Ait itaque, licet ex imperio voluntatis possit hoc intellectus cum difficultate præstare, non tamen esse ei vim naturalem insitam ut hoc facilè, multò minùs necessariò præster. Sicut dum quis, plura simul nomina, vel carmen aliquod sui mente habet, licet imperio voluntatis possit verba illa ordine inverso, vel retrogrado recitare, non tamen id sine labore fecerit, nec connaturali vi intellectûs. Nec ad hæc aliâ opus est probatione, quàm quotidianâ experientiâ. At ego quanrâ facilitate dicitur, tantâ experientiam negabo, si agamus de propositione quâ illatâ, est enim relativa & reduplicativa, & quidquid experientia suadeat aut non suadeat, relationem carere termino impossibile est.

Iterum experientia rejicitur. An relatio possit carere termino?

DISPUTATIO I.

De Syllogismo.

ML. Occasio scribendi. Ulta de variis Argumentationum generibus in antecedentibus libris scripsi; & omnia, aut ferè, concernunt praxim: nunc eadem speculativè recognosco; nunc alia, quæ succurrunt, considero, & de syllogismis scribo. Proderit iste labor, ut priora liquidiùs cognoscantur, & ut novæ adquirantur notitiæ, quibus ingenium illustretur.

ARTICULUS I.

An Syllogismi nomen, non solùm bono & legitimo, sed etiam malo syllogismo conveniat?

MLI. An mali possint vocari Syllogismi? PRonuncio malum tam esse syllogismum, quàm pictus aut mortuus est homo: cæterùm, cùm usus obtineat, ut picti & mortui dicantur homines, cur indignabimur Dialectico, qui malos, etiam appellet syllogismos.

MLII. Vocis Etymon. Porrò syllogismi nomen, si accuratè inspiciatur, Arithmeticum potius est, quàm Dialecticum: illic enim primus Canon, qui Hisp. *Regla de sumar*, & Latinè *Regula congregandi* vocatur, à Græcis nominatur *Logismus*; apud quos singulæ particulæ (*partidas* Hispanus clariùs nominat) sunt *logismi*, & omnes simul, nobis *Summa*, & illis *Syllogismus*. Hinc Vox ad Dialecticos transiit, quòd conclusio quodammodo videatur utramque præmissam complecti. At apud Arithmeticos etiam quæ errore non caret *Summa* seu *Syllogismus* dicitur; Ergo etiam apud Dialecticos, qui non caret errore, poterit *Syllogismus* vocari. Hæc doctrina consonat Aristoteli, qui Elenchorum primo illam ponit & exponit cùm ait. *Alios quidem esse syllogismos: alios cum non sint, videri, perspicuum est, quemadmodum enim & in aliis rebus hoc fit, ob quandam similitudinem, ita etiam in argumentationibus accidit. Etenim habitum corporis alij bene constitutum habent, alij habere videntur.* Et mox. *Et pulchri alij sunt, propter pulchritudinem, alij per fucum* (fuci nimirùm ipsi) *videntur. In rebus etiam inanimis itidem se res habet: harum enim quædam argentum quædam aurum sunt revera: aliæ cum non sint, tamen, quod ad sensum, videntur esse, ut Lithargyrina & stannea videntur esse argentea: quæ verò felle tincta sunt, aurea. Eodem modo & Syllogismus & Elenchus alias est verè, alias non est, sed esse videtur, propter imperitiam: nam imperiti, quasi procul distantes contemplantur.* Idem cum Aristotele, & Peripateticis docet Franciscus Harlæus *part. 3. Artificij Logici* 4. 23. Idem etiam Georgius Stengelius *lib. de bono & malo Syllog. cap.* 1. §. 5. Idem alii.

Logismus, & Syllogismus voces sunt Arithmeticæ.

Item Summa.

Syllogismus est duplex: verus, apparensque.

Aurum res duplex: verum & apparens.

ARTICULUS II.

An syllogismi definitio, utrique (bono, & malo) Syllogismo conveniat?

MLIII. Definitio Syllogismi. POnis Syllogismi definitionem, nimirùm *Syllogismus est discursus seu ratiocinatio, quæ è duabus præmissis unam conclusionem deducit*; & inquiris, An-ne ipsa soli bono, an etiam malo Syllogismo conveniat?

Et respondeo definitionem sub his generalibus terminis positam etiam cooptari posse malo: quoniam possemus dicere, BONUM *esse, qui è duabus præmissis veris veram conclusionem deducit*, MALUM verò, *qui ab unâ aut alterâ falsâ, quæ apparenter sit vera, conclusionem apparentem vel fortè apparenter deducit.*

Definitio boni. Definitio mali.

ARTICULUS III.

De generibus Syllogismorum.

ULtima verba aliam difficultatem movent, & quia nomen ipsum Syllogismi ab Arithmeticis ortum asserui, illud in summa latitudine accipis, & quot sint genera Syllogismorum, inquiris.

Respon-

In Syllogismo materia & forma debet considerari

Respondeo in illo dari materiam formamque & quia in utrâque peccari potest, omnes posse ad hæc genera seu classes reduci.

Syllogismus Epidicticus Apodicticus. Demonstrativus.

Primò enim ille; quem nec peccare materiâ nec formâ evidens est, *Epidicticus* seu *Demonstrativus.* quoniam ἐπιδεικνύειν Latinè est *demonstrare.* Cicero de Oratore. *Dulce igitur Orationis genus, & solutum & effluens, sententiis argutum, verbis sonans, est in illo Epidictico genere.* ubi obiter nota Ciceronem genus in genere posuisse. Solet etiam nominari Apodicticam, quoniam Quintilianus libr. 5. cap. 10. potentissimas Geometrarum rationes *Apodixes* appellat.

Genus in genere.

MLV. Syllogismus Topicus. Probabilis. Dialecticus.

Secundò, cùm altera præmissa est probabilis, aut utraque comprobabilis, vocatur Syllogismus *Topicus* seu *Dialecticus.* Hinc patet non esse bonam Dialectici Syllogismi definitionem, quæ in scholis obtinuit; videlicet. *Syllogismus Dialecticus ille est, qui ex probabilibus probabiliter & non necessario concludit.* cùm, quia sufficit, ut una præmissa sit probabilis, ut patet in hoc,

Communis definitio non est bona.

Ex una evidenti & altera probabili nascitur consequentia probabilis.

Omne continuum est in infinitum divisibile.
Hic lapis est continuus.
Ergo est in infinitum divisibilis.

in quo minor est certa physicè; & major solummodò probabilis: tum, quia è duabus probabilibus potest sequi consequentia improbabilis: ut patet in sequenti.

Ex duabus probabilibus nascitur consequentia falsa.

Quidquid non est divisibile in infinitum, non est corpus;
Hic lapis est non divisibilis in infinitum.
Ergo hic lapis non est corpus.

ubi vides Syllogismum legitimum in *Ferio*, cujus utraque præmissa est probabilis, & tamen consequentia improbabilis. Hinc patet Topici Syllogismi definitionem, (sit Aristotelis; D. Thomæ, aut cujuscumque alius) esse corrigendam omninò.

Probabilis Syllogismus duplex: ratione materiæ & ratione formæ.

Dico igitur Syllogismum probabilem dividi in probabilem ratione materiæ, & probabilem ratione formæ. *Ille est, qui vel ex altera præmissa probabili, vel ex utraque comprobabili consequentiam probabilem non probabiliter, sed legitimè & necessariò deducit.* Dico præmissas comprobabiles esse, cùm simul & ab eodem homine defendi possint; nam in præcedente Syllogismo comprobabiles illæ non sunt, quia Aristoteles concederet majorem & negaret minorem; & Zeno contrà, minorem concederet, & majorem negaret; nemo utramque negaret; nemo utramque concederet, tametsi alterutra seorsim sumpta probabiliter defendi possit. Hinc ad Syllogismum probabilem ratione formæ transeo, & definio *illum esse, in quo ex certis & evidentibus præmissis consequentia merè probabiliter inferatur.* An ne dantur probabiles Syllogismorum formæ? Dantur: & à nobis expenduntur in Morali Dialecticâ, ubi de Indiciis & Iudiciis agitur.

Quid sit comprobabilitas.

Lege hæc attentè.

An dentur modi & figuræ probabiles.

MLVI. Probabilitas à materia & à forma.

Hinc oritur, posse etiam assignari Syllogismum probabilem utroque modo (hoc est, tam ratione materiæ quam formæ) & illum definiri *esse ratiocinium in quo, vel ex una præmissa probabili, vel ex duabus comprobabilibus consequentia probabiliter & non necessariò infertur.*

Discrimen Probabilitatis & Fallaciæ.

Tertiò datur Syllogismus Sophisticus, seu fallax, quem ita multi exponunt, ut cum Probabili confundant. Assero autem in hoc distingui probabilitatem à fallaciâ, quod illa rationibus verè gravibus fundata viros magnos & ingeniosos suspensos teneat; hæc verò illudere virum doctum non possit, sed omnes ipsa vires suas à respondentis ignorantiâ desumat. Quam ob rem placet sic probabilem propositionem definire. *Probabilis positio est quæ pro & contrà habet rationes graves, nullam demonstrativam, quam sciant Docti.* At *Sophistica, quæ contra se habet demonstrationem, quam Docti sciunt, & tyrones ignorant.* quod significavit Aristoteles Elenchorum cap. 18. ait enim. *Sophisticus Elenchus, non est simpliciter* (hoc est, respectu omnium) *Elenchus, sed adversus aliquem* (ignorantem videlicet) *itidemque Sophisticus Syllogismus.*

Quid sit opinio probabilis.

Quid opinatio improbabilis?

Sophisticus Syllogismus triplex.

Sicut Probabilis seu Topicus, ita etiam Sophisticus & fallax triplex est. quoniam vel fallacia consistit in materiâ tantùm, vel in formâ tantùm, vel in materiâ & formâ simul. Et quidem ad hoc ultimum genus videntur spectare syllogismi Melissi, quem Aristoteles Physic. cap. 2. & Elench. c. 5. *& falsa assumere & non rectè concludere*, ait.

Fallaciæ intricatiores, quæ?

Et si quæras, quænam sint fallaciæ intricatiores & obscuriores, Harlæus *Artificii Logici part. 3. c. 23.* materiæ vitia esse subtiliora & obscuriora, respondebit.

ARTICULUS IV.

An ad unam & eamdem Scientiam bonus & malus Syllogismus spectent?

MLVII.

Esse hanc Nominalem controversiam respondeo; & unicam acceptionem explano. Nomen *Logica* convenit scientiæ trium partium Orationis directrici. Nomen *Dialectica*, si rigorosè sumatur, convenit Logicæ quà argumentativæ: at iam vocis abusu *Dialectica* & *Logica* voces judicantur synonymæ. Pars Dialecticæ, quæ evidenter demonstrat, *Epidictica*, & *Apodictica* vocari solet: quæ probabiliter argumentatur, *Topica*: quæ verò fallaciter, *Sophistica*. Aristoteles libri Elenchorum cap. 8. *Fallacem Syllogismum detegere, proprium est Pirastica, quæ est ea pars Dialecticæ, quæ quidem potest falsum concludere propter ignorantiam eius, qui argumentationem concedit.* Unde colligitur *Sophisticam* etiam distingui à *Pirastica*, illa enim elenchos fabricatur, hæc destruit. quoniam ut Elench. cap. 18. asserit Aristoteles, *recta solutio est patefactio & dissolutio falsi syllogismi.*

Logica.

Dialectica.

Epidictica. Apodictica

Pirastica.

Sophistica.

ARTICULUS V.

De Syllogismi speciebus. An inter illas Sophisticus debeat enumerari?

MLVIII. CVr ipse Syllogismorum Magister Aristoteles,& post cum omnes aut ferè Authores , Syllogismum in quatuor species distribuit,siquidem ipso authore,tam est Elenchus Syllogismus , quàm mortuus aut pictus est homo?

An syllogismi conveniant in nomine æquivocè?

Respondeo primò Syllogismi in Demonstrativum,Topicum,Pseudographum,& Sophisticum esse potiùs nominis divisionem, quàm rei;similemque isti, *Homo vel est vivus, vel mortuus,vel pictus,vel lapide expressus.* &c. Sed quia vivus mortuus,pictus,& lapide expressus homo analogiam & similitudinem habent,respondebo

An in æ analogicè?

Secundò non dividi Syllogismum univocè,nec purè æquivocè, sed analogicè: quod Ioannes Magister *libro Priorum primo* asserit; & Georgius Stengelius *de Syllog. bono & malo cap.1.§.8.* ubi eumdem *Doctissimum Virum* appellat.

ARTICULUS VI.

An Syllogismus,qui manifestè falsa assumit,sit verus Syllogismus?

MLIX. NEgat citatus Stengelins,& ad analogiam recurrens ait,eum dici quidem Syllogismum non simpliciter,sed analogicè;prout nimirùm complectitur tàm eum,qui simpliciter,quàm qui secundum quid dicitur,in *Probativum* & *Illativum* distribui. Quocirca ut non rectè ratiocinatur,qui ita infert : *Est ens rationis,ergo est ens.* (cùm ens, quod optimè notavit Suarez *disp.47.Met.sect.3.num.3.*&*disp.54.sect.1. num.9.* absolutè sumatur pro ente reali,sicut homo absolutè accipitur pro vero homine,adeò ut homo mortuus vel pictus nō sit homo)ita frivolè colligit, qui ex eo quòd aliquis *syllogismus illativus* sit,ostendere nititur etiam esse *syllogismum*, Quam rei id genus Sophismatis committit,asserente Aristotele *Elench.cap.25.*& Fonseca 8.*Instit. cap.*11. *quicumque ex eo,quod solùm cum adjectione aliqua seu secundum quid dicitur,id colligit,quod simpliciter,& sine adiectione profertur.*

Reiicitur opinio negans.

MLX. At putarem Dialecticam in mero artificio consistere;& meritò Franciscus Harlæus Logicæ librum *Artificium* inscripsisse, quòd ipsius sit servare regulas in quacumque materiâ,& hanc esse Theologicam aut Philosophicam, contingentem aut necessariam,bonam aut malam,veram aut falsam ipsi perinde sit. Vnde si hic Syllogismus,

Eligitur asserens.

Logica formaliter consistit in artificio.

Omnis materia caret formâ,
Corpus hominis est materia,
Ergo caret formâ.

proponeretur , dicerem, aliquid esse in illo quod reprehenderet Physicus;nihil , quod Logicus. Nimirùm formam esse bonam, nec Logicam sufficere aut prodesse ad resolvendum,An major sit vera vel falsa. Ergo siquidem non peccat in Dialecticam,bonus ille,legitimua & necessariò concludens Syllogismus est;nempè in *Darii*,notissimo & certissimo modo. Subscribo Fonsecæ,qui docet ad bonam Consequentiam neque antecedena neque consequens verum requiri. Et nōto nihil contra obiici solere vel posse , quod non involvat quæstionem merè nominalem.

MLXI. Firmo hanc veritatem, Exempla in medium producendo,quibus Aristoteles Regulas Dialecticę propriæ dilucidat. Sic argumentatur in *Barbara*

Vt cognoscatur veritas aut falsitas propositionum,non sufficit sola Dialectica: ergo ad illā materia propositionum non spectat.

Omne A est B.
Omne C est A.
Ergo omne C est B.

Sic etiam in aliis figuris. Et inquiro, Num credibile sit hunc oculatissimum Philosophum, ut in Logicâ suâ doceret optimos Syllogismos facere, nullum bonum, nullum verum Syllogismum fecisse? Nam, si non est verua Syllogismus , qui ex falsis constat, positi ab Aristotele,Syllogismi non sunt , quoniam A non esse B,& C non esse A,& C non esse B,hac luce meridianâ clarius est.

MLXII. Respondet Stengelius *Primò*,bonos sanè *syllogismos* inibi Magister *syllogismorum* concinnavit : non quà litteræ capiuntur materialiter ; sed quà significativè pro subiectis prædicatisque quarumcunque propositionum, sive Physicarum , sive Methematicarum,sive alterius scientiæ sumuntur. Voluit enim per litteras illas indicare ; quo pacto extrema cum medio cohærentia , in *syllogismo* à quavis scientiâ essent conjuganda. Quâ ratione etiam Geometer procedit , cùm præcipiens ut duæ lineæ conjungantur , ait, *Iungatur A cum B*,&c. quod utique non intelligendum est materialiter, sic enim A,cum B, conjungere Grammatici est ; sed significativè de lineis, quarum unam A,alteram B,appellitat. *Secundò*, Philosophum ibi considerasse non quoad totam essentiam , sed tantùm quoad formæ leges. Nam syllogismus etiam communissimè sumptus nequit abstrahere à materia vel necessariò vel probabiliter vera , licèt abstrahat ab omni materiâ determinatæ opinionis ac scientiæ. Eraddit utramque responsionem esse solidam.

Cur Aristoteles sit usus litteris in fabrica syllogismorum?

MLXIII. Sed Ego hanc ultimam assumo , & sic inquam. Si ultima hæc solutio est solida, nostra sententia vera est, & opposita falsa ; quod sic ostendo. Aristoteles ibi Syllogismos , non quoad totam essentiam sed quoad formæ leges consideravit. At illos consideravit tanquam Dialecticus perfectissimus , perfectissimâ arte tradens, & discipulos perfectissimè instituens. Ergo Dialectica,ut sit perfectissima,

ma, non debet examinare veritatem aut falsitatem præmissarum, sed leges formæ. Omnia enim ut *libr. Instit. tit. 6. cap. 5.* optimè notavit Fonseca, à purâ Dialecticâ assumuntur conditionatè, & ab aliis scientiis absolutè: Dicit Logicus:

Dialecticus utitur propositionibus conditionatè, aliæ scientiæ absolutè.

Si omne A est B,
Et omne C est A,
Omne C est B.

& hic nihil omninò est, quod possit notari aut reprehendi. Si subsumat Grammaticus

At omne A est B,
Et omne C est A,
Ergo & omne C est B.

dicam eumdem Syllogismum à Dialectico & Grammatico factum errare in Grammaticâ, & non in Dialecticâ: & concludam non esse minus bonum Syllogismum isto,

Omnis homo est animal,
Omne rationale est homo,
Ergo omne rationale est animal.

quem bonum & verum esse Dialectici universi pronunciant.

ARTICULUS VII.

De Illativo & Probativo Syllogismo.

MLXIV.

CVm sæpè apud Authores legas, alium Syllogismum esse Illativum & alium Probativum, qualis sit divisio, quæ Syllogismum in hæc membra distribuit, inquiris.

Constat ex dictis non esse eamdem; ac in Bonum & Malum; quoniam uterque bonus est: adeòque dico omnem bonum Syllogismum esse illativum, non tamen omnem probativum, & his positis respondeo ad quæstionem propositam Syllogismum Illativum dividi in Probativum & Non-probativum, eâdem omninò divisione, quâ Propositio Affirmativa in Veram & Falsam: nam, si essentialis sit Propositioni veræ veritas, ita ut nulla vera transire in falsam possit, aut contrà, erit Divisio generis in species: & aliàs Divisio subjecti in accidentia. An verò Veritas & Falsitas sint Propositionum accidentia, ita ut una & eadem quæ nunc est vera, cras esse falsa possit, aut contrà, *libr. de Propositionibus disp. 3.* accuratè discussi.

Syllogismus illativus latior probativo.

ARTICULUS VIII.

An Syllogismus sit Oratio?

MLXV. *Ratio dubitandi.*

RAtio dubitandi duplex est: nam & Syllogismus non ad linguam, sed ad intellectum spectat: est enim verus quidam discursus; &, ut ignorat nemo, non linguâ, sed mente discurritur. Quod si ad vocem pertineat, non est oratio: nam multas orationes continet.

Respondeo non esse cur non subscribamus Aristoteli, cujus sententia *libr. 1. Prior. cap. 1. text. 8.* & *libr. 1. Topic. cap. 1.* & *libr. Elench. cap. 1.* & sæpe alibi, *Syllogismus est oratio, in qua quibusdam positis aliud quiddam ab his, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eò quod hæc sunt.* Scio hanc Argumentationis potiùs definitionem esse, quam Syllogismi: sed hoc modò non urgeo. Scio esse aliquos, qui Syllogismum esse orationem negant, & ne Aristotelis testimonio præmantur, dicunt ubi Interpretes Latini habent *Oratio*, Græcos habere vocem Λόγος, quæ exponitur *Ratio* & *Oratio*. & ideò Syllogismum dicunt Orationem non esse, rationem esse. At frustrà ipsi ad Græcum textum & æquivocationem recurrunt, nam datur Syllogismus mentalis & vocalis: & datur *Oratio simplex*, quæ ex aliis Orationibus non componitur, & *Oratio composita*, quæ ex aliis Orationibus constat; & Aristoteles nec dixit, nec dicere potuit Syllogismum esse Orationem simplicem; & si una Ciceronis Philippica, quæ ad multa folia se extendit, Oratio dicitur, cur Syllogismus vocari non posset Oratio?

Syllogismi definitio.

Λόγος Oratio.

Syllogismus mentalis, & vocalis. Oratio duplex, simplex & composita.

ARTICULUS IX.

Quid importet Syllogismi vocabulum?

DOceri vis, quid *Syllogismi* nomine significetur? An-ne sola Conclusio? An-ne solæ Præmissæ? An-ne potiùs totum hoc aggregatum, quod ex Præmissis & Consequentiâ coalescit? Est quæstio de nomine, & alibi à nobis tractata, quæ breviter debet impræsentiarum retractari.

MLXVII. Proponitur quæstio.

Sunt, qui primum affirment, & putent sibi Aristotelem opitulari; nam Syllogismum dixit Orationem nempè Conclusionem, quia aliàs, si Syllogismi nomine tres propositiones intelligeret, non illum Orationem esse; sed esse Orationes affirmaret. At hanc rationem levem esse iam ostendimus Philosophum exponendo de Oratione compositâ.

Prima sententia.

Sunt qui secundum, & Syllogismi nomine tantummodò Præmissas intelligant. Ita Iulius Pacius *Notis in libr. 1. Prior. cap.* ... & alij.

MLXVIII. Secunda sententia proponitur, & impugnatur.

Contra Pacium Stengelius *cap. 2. §. 18.* ... inquit. [Carpitur à quodam Hæretici nominis Authore *vulgus*, ut ipse nominat, *Logicorum*, quòd putet conclusionem esse partem syllogismi; cum tamen Aristoteles in definitione *syllogismi* dixerit, conclusionem esse *aliud ab his, quæ in syllogismo posita sunt*, ut indicaret utique conclusionem esse aliud à *syllogismo*. Verùm hic auctor cum se aliquid putet dicere, nihil dicit. Ac ne tunc quidem scopum ferit, cum subjungit, affirmare Aristotelem, *fieri posse, ut conclusio sit vera, quamvis nihil eorum, quæ in syllogismo posita sunt, verum sit.* Nam etsi cóclusio *aliud sit ab iis quæ posita sunt*, non tamen etiam aliud est, ab illâ ratione, in quâ ipsa ex positis sequitur. Enimverò

An conclusio sit Syllogismi pars?

hoc ipso quia *syllogismus* dicitur *oratio in quâ* (non ex quâ) *aliud quippiam ex his quæ posita sunt, ex necessitate accidit*, rectè intelligimos, conclusionem esse partem *syllogismi*. Quid enim illud *aliud in syllogismo* est, nisi ipsa conclusio? Et quamvis demus, Aristotelem dixisse, quod altero loco obtrudit Hæreticus, num tamen idem est enunciationem aliquam in *syllogismo poni* seu *proponi*, & *inferri*? certè si *syllogismus* plenus est, & *poni* seu *proponi* aliquid in eo, & *inferri* seu *concludi* oportet. Meritò igitur mirari quis possit, tam hebes argomentum homini acuto in mentem incidere potuisse, &c.

Aristoteles omnibus videtur favere. Putares Stengelium distare à Pacio toto cœlo, sed audi. [Neque hi plus evincunt, ait, quàm *syllogismum* aliquando accipi pro solis præmissis, quod volens lubens fateor, si enim ait Philosophus 1. *Priorum passim*, & Conimbricensis *ibid. cap. 7. quæst. 2. artic. 1.* Syllogismum constare duabus Propositionibus tribusque terminis: sic affirmat tres figuras esse, propter diversam complicationem extremorum, quæ complicatio in solis spectatur præmissis, cùm medium ingredi in conclusionem non possit. Sic denique 1. *Post. cap. 2.* docet Conclusionem esse effectum syllogismi.]

Pacio non opponitur Stengelius. Porrò parturiunt montes, oritur musculus. Impugnatur à Stengelio Pacius, & tandem admittitur ejus conclusio.

Communis sententia. Sunt qui tertium, hoc est, totum illud artificiale, quod duabus præmissis & una consequentia componitur. Horum doctrina communis est. Eam crebrò tradidit Aristoteles: eam Philoponus *in libr. 1. Prior. caput 1.* Burana 2. *Prior. comm. 2.* S. Thom. 2. *Physic. c. 12.* S. Hieronymus *Epist. ad Paulinum*, qui Syllogismum Propositione, Assumptione, & Conclusione determinat. Consonat Ioach. Perion. *libr. Dialect.* asserens Ratiocinationem simplicem tribus simplicibus effatis constare. Consonant omnes Recentiores, aut ferè, qui eumdem Syllogismum Majore, Minore, & Conclusione, componunt.

ARTICULUS X.

De præmissarum numero.

MLXX. *Proponitur quæstio.* Recognoscis illa verba, *quibusdam positis*, quæ habentur in definitione syllogismi, & inquiris, *An dari syllogismus queat, in quo unica sit tantùm præmissa? an etiam, in quo tres vel plures?*

Varia sententia. Respondeo, in multorum sententiâ ex unicâ præmissâ nihil sequi; & consequenter non esse syllogismum, qui unam præmissam tantùm habeat. Addo esse alios, qui ex unicâ præmissâ putent posse aliquid necessariò diduci, & cum ipsis disputandum non esse, an talis argumentatio debeat vocari *Syllogismus*, nisi velimus de vocum significatione disputare. Noto tamen obiter errasse omninò Antipatrum Stoicum, asserentem hanc argumentationem,

Enthymema. *Tu vides*, Ergò vivis,

plenam esse; est enim enthymema, cui deficit major propositio, & reducitur ad hunc syllogismum

Quidquid videt, vivit:
Tu vides;
Ergo & tu vivis.

Sorites, seu syllogismus acervalis. si plores sint præmissæ *Acervalem syllogismum* constituunt.

Definitio syllogismi. Hinc patet syllogismum, quem ad modos & figuras reducit Philosophus, clariùs sic posse definiri, esse *Argumentationem, in qua dantur tres propositiones (duæ præmissæ & una conclusio) è quibus siquis illas admittat, hanc etiam admittere necessariò teneatur.*

ARTICULUS XI.

De quadam argumentatione Virgilii.

MLXXI. *Proponitur Quæstio.* Legis procellam, quam describit Virgilius & hanc argumentationem proponis,

Venti Incubuêre mari,
Crebris micat ignibus æther,
Densi funduntur ab æthere nimbi.
Ergo tempestas est.

& utrùm sit bona; & utrùm sit Syllogismus, inquiris.

Aliquorū recentiorū opinio. Respondet Franciscus Hotomanus Iurisconsultus *libr. Dialect. Inst. cap. 3.* has propositiones esse veras, consecutionem bonam & necessariam, non tamen syllogisticam; & rationem assignat, quoniam Virgilianæ istæ propositiones, non ita inter se cohærescunt, sicut syllogisticæ leges requirunt. Hotomano subscribit Stengelius *de bono & malo syllog. cap. 2. §. 16.*

Resolutio. At ego hîc Enthymema reperio, & existimo illud sic compleri posse;

Enthymema completur.

Quotiescumque venti incumbunt mari, crebris micat ignibus æther, & densi funduntur ab æthere nimbi, tempestas est.
At nunc hæc omnia accidunt.
Nunc igitur tempestas est.

ARTICULUS XII.

De Stoicorum & Peripateticorum syllogismis.

MLXXII. *Stoicum syllogismum quid est.* Doceri vis, in quo differant syllogismi Stoici à Peripateticis? Quid sit *Tela Penelopes*, de quâ agit Cicero, & alii Authores?

Philippus du Trieo 3. *part. cap. 3. art. 4.* Franciscus Hotomanus *lib. 4. cap. 3.* & Georgius Stengelius *de Syllog. bon. & mal. cap. 2. §. 17.* asserunt *partes Stoici syllogismi infinitas esse, tamdiu enim verborum Series texitur, dum is, qui disserit, quod intendit, efficiat. at Aristoteles vidit, vim & necessitatem conclusionis in illis longis verborum continuatione-*

Sorites duplex: ascendens & descendens. Tela Penelopes.

tionibus non ita esse perspicuam, ut in paucis. Quamvis aliud hoc syllogismo Stoici velle videantur. Et de Sorite prædictus Hotomannus cap.14. agens ait, *duplex ejus genus esse, unum in ascensu affirmans, alterum in descensu negans, ob eamque causam à Cicerone tela Penelopes appellatur: quippe quæ & texatur & retexatur.*

ARTICULUS XIII.

An præmissæ Conclusionis sint causa?

MLXXIII. *Proponitur quæstio.*

RE cognoscis iterum definitionem syllogismi Peripatetici, & præcipuè illa verba, *aliquid aliud necessario sequitur*; & quia audis necessitatem, An-ne præmissæ sint causa conclusionis, inquiris.

Causa formalis: exemplaris: efficiens realis & moralis.

Respondeo illas esse quidem causam conclusionis; at non formalem, cum sint causa extrinseca; sed neque finalem aut exemplarem, ut ex se clarum est: Ergo efficientem: At non efficientem Physicam, quis enim actus vitalis alterum physicè producit? & assensus præmissarum jam realiter cum conclusione non ampliùs coëxistit. Igitur præmissas causam efficientem moralem tantùm vocent, necesse est: dum illæ illiciunt intellectũ inducuntque in cognitionem veritatis, ad quam suapte natura propendet. Est autem hæc causa moralis in multorum opinione tam potens, ut posito assensu præmissarum, ita necessariò Conclusio sequatur, ut intellectus, nisi extrinsecùs impediatur, nequeat hunc actum suspendere. Sed & hoc aliqui negant. At omnes unanimiter asserunt positis præmissis (possit mens quiescere vel non) non posse assentiri positioni quæ sit Conclusioni adversaria.

ARTICULUS XIV.

Locus Ciceronis examinatus.

MLXXIV. *Proponuntur duæ assertiones*

LEgis in Ciceronis libro de Natura Deorum tertio, *Si omne animal mortale est, nullum est animal immortale.* Et inquiris, ex quibus legibus aut regulis hæc oriatur conclusio.

An sub alternæ? An potius æquipollentes sint?

Georgius Scengelius *de syllog. bon. & mal. cap.5.§.43.* ad illud fundamentum Dialecticum, *Dici de omni*, confidenter recurrit, & Franciscum Hotomannum *libr.4.cap.2.* allegat. Sed immeritò, quia illæ duæ propositiones sunt æquipollentes omninò, quod persuadeo per gradus à primâ descendens.

Omne animal est mortale.
Ergo omne animal est non immortale.
Ergo omne animal non est immortale.
Ergo nullum animal est immortale.
Caramuelis Metalog. Lib. IX.

Omnes sunt æquivalentes, & merâ pronuntiatione differunt.

ARTICULUS XV.

De Regulis syllogismorum.

MLXXV. *Leges syllogismorũ.*

LEgis Dialecticos & observas millenas Regulas ab eis poni; ut bonus esse syllogismus dicatur præcipuas ponis. I. *Si plures paucioresve termini ponantur quàm tres, monstrosa nascetur conclusio.* II. *Si medius terminus vel ponatur in conclusione, vel non in utraque præmissa, peccat syllogismus.* III. *Si in neutra præmissa medium distribuatur, morbum habet syllogismus.* IV. *Si aliqua præmissa fuerit particularis, & consequentia universalis, mala erit.* V. *Si præmissæ sint merè negativæ; aut merè particulares, non erit bonus syllogismus.* VI. *Si altera præmissa sit negativa, & conclusio affirmativa, nulla erit.* VII. *Si in prima figura Aristotelica vel ex majore particulari vel ex minore negativa in syllogismo directo procedatur, deceptioni via sternitur; non veritati:* VIII. *Si in secunda figura ex majore particulari, aut utraque præmissa affirmativa inferatur conclusio, mala erit; licet ratione materiæ (quod aliquando contingere potest) vera sit.* IX. *Si in tertia aut minor non sit affirmativa, aut conclusio non sit particularis, non erit syllogismus legitimus.* Has omnes inquam Regulas observas, & inquiris, *Primo*, An omnes veræ sint? *Secundo* An omnes necessariæ? *Tertiò*, An possint ad pauciores reduci?

Tres appenditas quæstiones.

MLXXVI. *Prima.*

Respondeo ad primum, omnes omninò eo sensu, quo communiter tradi solent, esse veras.

Secunda.

Ad secundum, sine illis confici syllogismos non posse; qui enim illas teneret, non jam bonos syllogismos, sed Elenchos aut Paralogismos formabit.

Tertia.

Ad tertium, has omnes Regulas necessarias fuisse olim dico, antequam syllogismi ad Modos & Nomina reducerentur, jam non esse; qui enim Modi nomen usurpet & eius litteras observet, in nullam ex præmissis Regulis impingere poterit. Interim dabo Protheorema Dialecticum, quod omnes illas Regulas ad unam redacat. Sic inquam: *Syllogismus, qui tali terminorum dispositione conficitur, ut in similis forma dari non possit antecedens verum & consequens falsum, bonus est.* Patet: quia omnes regulæ eò conspirant, ut ex antecedenti vero consequens falsum non oriatur.

Nota id benè.

Regula generalis.

***

DISPUTATIO II.

De syllogismorum Modis.

MLXXVI *An sit aliquid contra quod nihil obiici possit?*

Nihil est tam certum & evidens, quod objectionibus & difficultatibus non sit obnoxium. Omnia quæ de syllogismorum Formis, Figuris, Modisque superiùs tradidi, sunt certa, & supra omnem disputationis aleam posita: sed quia non carent objectionibus, volui sequentes controversias adiicere, ut dissolutis argumentis, quæ contrà conformari queunt, veritas meliùs cognoscatur.

ARTICULUS I.

Quot sint Modi perfecti?

MLXXVIII *An modi perfecti sint sex?* Quatuor sunt: videlicet in Formâ Platonica, *Bammada*, *Dimagni*; *Camene*, *Figmeno*, qui mutato præmissarum ordine transeunt in *Barbara*, *Daris*: *Celaren*, *Ferio*: & spectant ad Aristotelis primam figuram.

MLXXIX. Hinc patet, quid respondendum sit contendentibus esse non jam quatuor, [ut obiiciebat aliquis apud Comptonum *disp. 7. Introd. sect. 3. num. 7. pag. 24.* sed sex modos perfectos, nam præter *Barbara* & *Celarent*, modos Aristotelicos, & Platonicos ipsis correspondentes, qui habent minores universales; & *Daris*, & *Ferio*, quæ habent minores particulares, possunt adhuc dari duo modi, (Platonicos, Aristotelicos) qui habeant minores singulares: quales sunt isti:

Quo pertinent modi singulares?

Omnis homo est animal:
Petrus est homo:
Ergo Petrus est animal.

Nullus homo est lapis:
Ioannes est homo:
Ergo Ioannes non est lapis.

& quidem debere hos duos modos addi sic probant. Ideò præter *Barbara* & *Celarent*, ponuntur *Dario* & *Ferio*, quia universalium propositionum quantitas differt à particularium quantitate: at utraque etiam differt à quantitate singularium: ergò & debent modi isti singulares subjungi.

Respondent *aliqui primò* hos modos posse, imò debere addi, *Alii secundo* illos omissos fuisse ab Aristotele, quia possunt ad particulares [*Dario* & *Ferio*] reduci: nomen enim propotionis particularis sumitur negativè, & significat non-universalem. *Alii tertiò* non esse multiplicandos modos inquiunt, deessent enim vocales ad tot diversos modos ostendendos.

Has tres solutiones subministrat Comptonus ubi suprà: è quibus prima dat manus, tertia est intolerabilis: quid enim modis & vocalibus nostræ linguæ commune? &, ut sit, sicut A significat universalem: I particularem: cur non possent Æ, Y. OE &c. significare particulares. Dicendum igitur est secundam solutionem bonam esse, eamque posse hujus Articuli doctrinâ confirmari: quia cùm omnes particulares, quibus in syllogismis Platonicis & Aristotelicis utimur, sint singulares quoad se, & particulares & indeterminatæ quoad nos, non debet videri alicui mirum, si propositiones singulares & particulares eidem classi accenseantur: utræque enim, quoad se consideratæ, sunt singulares.

ARTICULUS II.

Solvuntur obiectiones quædam contra Modos Bammada, *&* Barbara.

Tametsi Modi hujus certitudo & efficacia sit demonstrabilis, sunt multi nihilominus, qui multa obiiciant, quibus debemus satisfacere. Sit igitur Objectio

Prima.

Hic syllogismus est in primo Modo Galeni. Videlicet. *Omne primum immediatè antecedit secundum: Omne secundum immediatè antecedit tertium: Ergo omne primum immediatè antecedit tertium.* MLXXX. *An iste syllogismus sit bonus?*

Iste & omnes alij qui subiiciuntur, ut Srengelius *de bon. & mal. syllog. cap. 6, §. 53.* doctè notat; falsum ex vero videntur inferre, non inferunt: nam, si eos examinemus accuratè, deprehendemus esse pictos syllogismos, non veros. Condemno igitur formam hujus syllogismi, & dico quatuor in illo esse terminos. *Habet quatuor terminos.* nam si ad Dialecticæ regulas formaretur, esset is, *Omne primum est immediatè antecedens secundum: Omne immediatè antecedens secundum est immediatè antecedens tertium: Ergo omne primum est immediatè antecedens tertium.* *Corrigitur.* qui non peccat in formâ; sed habet mino-

minorem falsam, quæ in consequeotium ipsam etiam falsitatem derivat.

Secunda.

MLXXXI. *Alii duo syllogismi proponuntur & judicantur.* PRoducunt adversarij duos syllogismos similes. |Primus est, *Omnes Dilingani sunt Germani; Omnes Germani sunt tota natio: Ergo omnes Dilingani sunt tota natio.* Secundus; *Omnes Arithmetici sunt homines; Omnes homines habent omnem scientiam, Ergo omnes Arithmetici habent omnem scientiam.*

Quomodo cognoscatur terminus distributivus? Condemno utrumque syllogismum, quia vel minor sumitur collectivè aut distributivè. Si collectivè, neuter est in *Bammada;* quia A significat nniversalem distributivam & non copularivam. Si distributivè, ut taque minot est falsa: quia, nt suo loco exposuimus, tunc *Omnis* sumitur distributivè, cùm æquipollet voci *Quilibet.* & istæ duæ minores, *Quilibet Germanus est tota natio, Quilibet homo habet omnem scientiam,* falsæ sunt.

Tertia.

MLXXXII *De syllogismo disiunctivo.* DIcunt hunc etiam syllogismum esse bonum; videlicet. *Omnis canis est rationalis vel irrationalis: Omne rationale vel irrationale est homo: Ergo omnis canis est homo.*

Et ego bifariam respondeo. Dico primò, propositiones disiunctivas in ejusmodi syllogismis non habere locum; sed pertinere ad propriam argumenrarionis speciem (vocetur *syllogismus*, aut non) quam alibi expono. Dico secundò propositiones disiunctivas posse etiam ad hos syllogismos reduci, si debito modo ponantur: debereque illum syllogismum sic reponi; *Quo modò debeant construi?* *Omnis canis est ens, quod est rationale vel irrationale: Omne ens, quod est rationale vel irrationale, est homo: Ergo omnis canis est homo.* Et si exponatur sic, minor evidenter est falsa: nam equus est ens, quod rationale vel saltem irrationale est, & tamen equus homo non est.

Quarta.

MLXXXIII. *Secundæ intentiones non debent cum primis confundi.* EXprimis ad secundas intentiones transeunt, & hunc syllogismum propoount. *Omne rationale est homo: Omnis homo ponitur in prædicamento: Ergo omne rationale ponitur in prædicamento.*

Condemno hanc concludendi formam, quod seenndas confundat intentiones cum primis. Et placet Toletus *libr. 5. Introd. cap. 15.* qui hanc regulam generalem, & mihi specialissimè faventem tradit. *Omnia,* ait, *quæ uni conveniunt secundum id, in quo ab altero differt, de altero affirmari non possunt.* unde sensibilitas, qui Homini convenit secundum rationem animalis, in quâ cum equo convenit, potest affirmari de equo. At risibilitas, quæ convenit homini secundum id in quo differt ad Equo, non potest affirmari de Equo. Qoam ob rem, cùm *Rationale* in tantum ponatur indirectè in quantum distinguitur ab Homine; eo sensu quo distinguitur, Homo non est.

Quinta.

OBiiciunt iterùm. *Omnis homo est animal Omne id est animal quod est equus: Ergo omnis homo est Equus.* Et quia multi similes formari possunt, plurimos id genus subiiciunt. MLXXXIV. *Considerentur benè hic syllogismus.*

Et tamen hunc ego & omnes similes dico ad secundam figuram pertinere; quoniam illa minor; *Omne id est animal, quod est equus,* non æquipollet huic, *Omne quod est animal, est equus;* neque huic, *Omne animal est equus:* sed huic omninò, *Omne quod est equus, est animal,* & huic etiam; *Omnis equus est animal.* Cùm ergo in secundâ figurâ ex puris affirmativis nihil sequatur, quid mirum si ex antecedenti vero, faciente abortum Logicâ, consequens non verum nascatur. *An sit in Bammada.*

Sexta.

ADdunt hunc etiam syllogismum, quem putant difficillimum esse. Sic inquiunt *Omne falsum est altera pars contradictionis: Omnis contradictionis altera pars est vera: Ergo omne falsum est verum:* MLXXXV *An iste syllogismus sit bonus?*

Respondere posset aliquis ex Georgio Stengelio *cap. 6. iam citat.* §. 57. & dicere, hunc syllogismum nequaqoam esse in *Bammada;* licèt sophistico cohonestatus colore in *Bammada* esse videatur. Nec enim minor est universalis, sed particularis ob signum *Altera,* quod est particulare in certo genere, nimirùm duorum, in quo est universale affirm. *Vterque,* & universale negat. *Neutrum.* *Syncategorema Altera est particulare.* At verò signum *Omnis,* quod est occasio deceptionis, est tantùm syncategorema & genitivus cohærens. Par ratio foret, si minor esset hæc *Aliqua pars omnis contradictionis est vera,* quæ quidem propositio sensum habet disiunctum, quia non est sensus, *quod omnis contradictionis affirmatio sit vera,* vel *quod omnis contradictionis negatio sit vera,* sed quòd affirmatio vel negatio confusè & indeterminatè sit vera. *A singulari ad particulare valet consequentia: non contrà.* Rectèque ait Fonseca, sub subiecto particulariter & indeterminatè sumpto nō licere sumere determinatum singulare, ratione cujus particularis sit vera, quod tamen fit in obiecto *syllogismo.* Progreditur acutè Stengelius, & mutat majorem hoc modo, *Omnis contradictio habet alteram partem veram, sed omne falsum est altera pars contradictionis, ergo omne falsum est verum.* Et quomodo hunc syllogismum proponenti respondet? Iam fatendum est, inquit, majorem esse universalem, sed conclusio tamen nondum est sanata, quamvis nunc alia de causa ægrotet. Est enim *syllogismus ex obliquis & affirmativè concludens,* qui duo præcepta violat: oportet enim in hujusmodi *syllogismis, ut extremum obliquum in an-*

De Obliquorum syllogismorum legibus.

tecedente, sit obliquum in consequente: item *ut cum medium fuerit obliquum in una sumptione, extremum alterius sumptionis sit obliquum in conclusione.* Quod hic non fit. Sic discurrit de Obliquo syllogismo Stengelius, & paucis verbis multa congerit; quæ in Logicâ Obliquâ uberiùs esse falsa probavi. Ergo omittamus considerationem obliquorum, & videamus, an sit alius defectus. Est, inquit: nimirum mutatio medij termini: in majore enim dicitur: *omnis contradictio*, in minore autem, *altera pars contradictionis*. Hinc unà extincti sunt frigidissimi illius Othmari Luseinij Argentini sales, cujus joco 16. hæc sunt, *Magister arguitur vobis sic. Cujuslibet contradictionis altera pars est falsa. Vestra positio est altera pars contradictionis. Ergo, &c. Est formalis discursus en Darij.* Itemque ad hæc respondentis argutiæ. *Cujuslibet contradictionis altera pars est falsa. Quidquid in me dixisti, altera pars est contradictionis. Ergo totum illud est falsum.* Vbi tamen aptiùs distribuit respondens syllogismum, quàm proponens universale signum.

Septima.

MLXXXVI Et quia Periodos sacræ paginæ summâ tenemur veneratione & animi demissione suscipere, unam vel alteram cooptant, & nos invadunt. Sic obiiciunt. *Omnis, qui diligit iniquitatem, odit animam suam: Omnis qui odit animam suam, est dignus Christo: Omnis igitur, qui diligit iniquitatem, est dignus Christo.*

Homo bifariam potest odisse animam suam.

Et respondeo esse quatuor notissimos terminos; nam *odisse animam suam* multifariam exponitur, & in singulis præmissis diversimodè. Habemus Animam sensitivam & rationalem, aut saltem unicam duabus æquivalentem. Qui in hac vitâ genio, luxui, hoc est, sensui indulgent & serviunt, amant quidem pro tempore Animæ sensitivæ delitias, at rationem, in quam peccando impingunt, odio habent; & ideò dicuntur Animam rationalem odisse. Contrà verò viri pij & religiosi, rationi serviunt, & eius ductu feruntur, quò spiritus sanctus impellit; & quia sæpè jubentur dura & aspera pati, sensum & dolorem non curant, & ideò dicuntur Animam sensitivam odisse. Primo sensu intelligenda est major, & David Psalm. 10. dicens: *Dominus interrogat iustum & impium; qui autem diligit iniquitatem, odit Animam suam.* Secundo sensu minor, Christusque, qui apud Lucam cap. 14. 26. sic loquutus est turbis. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & Vxorem, & Filios, & Fratres, & Sorores, adhuc autem & Animam suam* (hoc est, si non postposuerit mihi authoritatem sui Patris, Lachrymas Matris, blanditias Vxoris, Filiorum amorem, & dilectionem Fratrum Sororumque; & quod maius videbitur, propriam commoditatem, luxum, recreationes, delitias, & si necessarium fuerit ipsam vitam: hæc enim omnia significare solet *Anima*) *non potest meus esse discipulus.* Eodem omninò sensu exponendus est Christus, cum apud Matthæum 16. 24. loquitur discipulis suis; & ait. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam* (contra me) *salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Et eodem omninò sensu intelligenda sunt multa alia testimonia, quæ Animæ odium ad vitam æternam requirunt.

Quid significet Anima?

ARTICULUS III.

Enodantur argumenta nonnulla, quæ contra Camene, *&* Celaren *formantur.*

Etiam suos insultus patitur is modus, sed quos facilè & demonstrativè retundat: Est enim Objectio

Prima.

MLXXXVII. Datur syllogismus in *Camene*, qui non sit bonus, ergo iste Modus debet reiici. Probant antecedens, & producunt sequentem. *Omnis homo bibit aquam. Nulla aqua bibit vinum: Ergo nullus homo bibit vinum.*

Syllogismus obliquus.

Sed verbo ego formam condemno, debebant enim colligere sic. *Omnis homo est bibens aquam; Nullus bibens aquam est bibens vinum; Ergo nullus homo est bibens vinum.* Et jam mirum non erit, si consequentia falsa sit, siquidem è falsâ minore subnascitur.

An sit bene formatus?

Secunda.

MLXXXVIII Idem antecedens firmant alterum syllogismum producendo: nimirùm *Omnis homo est animal, dum dormit: Nullum animal dum dormit, vigilat: Ergo nullus homo vigilat.*

Syllogismus temporaneus.

Et respondeo illa verba *dum dormit*, pertinere ad subiectum, & non ad prædicatum; quoniam hæc Propositio; *Omnis homo est animal, dum dormit*, æquipollet huic, *Omnis homo, dum dormit, est animal*, unde sequitur syllogismum sic debuisse formari, *Omnis homo, dum dormit, est animal: Nullum animal vigilat: Ergo nullus homo dum dormit, vigilat.* In quo forma est bona, minor falsa, & consequens verum per accidens; nam verum etiam diducitur ex falso.

An bonus sit?

Verum ex falso.

Tertia.

MLXXXIX Producunt etiam hunc moltò difficiliorem syllogismum; videlicet. *Omnis homo per se est animal: Nullum animal per se est rationale: Ergo nullus homo per se est rationalis.*

Syllogismus reduplicativus.

Respondeo formam esse bonam, minorem verò falsam; nec mirum esse etiam falsam cōclusionem, non enim necessariò & per se concludi-

An legitimus & bonus sit?

cluditur verum ex falso. Minorem falsam esse persuadeo; quia ejus contradictoria, *Aliquod animal* (nimirum, Homo) *per se est rationale*, est vera.

ARTICULUS IV.

Solvuntur objectiones, quæ contra Dimagni, *&* Darii *occurrunt.*

TAmetsi apud Dialecticos axiomate vulgatissimo circumferatur, *non posse negari consequentiam in Darij*, à quo *Dimagni* ordine mero præmissarum distinguitur, non desunt rationes nihilominùs, quæ solutione indigeant. Aliquas expendemus. Sit hæc

Prima,

MXC. *Syllogismus Arithmeticus.* AB Arithmetica sumunt exordium, & arguunt sic. *Quinque sunt duo & tria: Duo & tria sunt par & impar: Ergo & quinque sunt par & impar.*

An sit in Darii. Et respondeo primò, me non videre, quo iste syllogismus modo dicatur esse in *Darij*. Sed in quocumque ille modo sit, malus est. Ejusdem vitia detegit Franciscus Harlæus *part. 3. Artificij Logici. cap. 33.* item Franciscus Horomanus *libr. 4. cap. 28.* ubi totam homonymiam ad sensum compositum & divisum reducit, illosque exponit & exemplis curiosis illustrat. Sic ego breviter. *Numeri bifariam sumuntur: formaliter & materialiter.* Dico Quinarium posse bifariam sumi, formaliter & materialiter, primo sensu est unus numerus, non duo numeri. Secundo est duo numeri, quia habet duorum numerorum materiam. His positis sic ad formam respondeo. *Quinque sunt duo & tria*: distinguo; in sensu formali, nego; in materiali, transeat. *At duo & tria sunt par & impar*, concedo minorem. *Ergo quinque sunt par & impar*, distinguo consequens. Quinque si sumantur formaliter, hoc est Quinarius est par & impar, nego: Quinque si sumantur materialiter, hoc est, materia Quinarij est par & impar, transeat: certum est enim Quinarium componi materialiter ex Binarij & Ternarij materiâ. Hinc patet quo *An bis tria sunt sex.* sensu dictum ab Aristotele *Bis tria non esse sex*, & quo sensu dicatur semper ab Arithmeticis *Bis tria esse sex*; ille enim in formali, & isti in sensu materiali loquuntur.

Secunda.

CHristus est Verbum: *Omne Verbum est vox: Ergo Christus est vox*, syllogismus est in MXCI. *De suppositione materiali.* *Dimagni*, nec tamen bonus. Firmari poterit objectio mille exemplis similibus. Hunc ponit Seneca epist. 48. *Mus rodit caseum. Mus est syllaba, Ergo syllaba rodit caseum* Vide etiam illum epist. 45. Hunc in libr. de Magistro Augustinus; *Ex cujus ore prodit Leo, prodit immanis bestia: Sed ex illius ore, qui Leonem nominat, prodit Leo: Ergo ex illius ore, qui Leonem nominat, prodit immanis bestia.* Hunc Toletus Introd. libr. 5. cap. 1. *Gladius est secunda declinationis: Ensis est gladius: Ergo Ensis est secunda declinationis.* Et Horomanus libr. 4. cap. 28. *Homo est duarum syllabarum; Constantinopolitanus est homo: Ergo Constantinopolitanus est duarum syllabarum.* Addere posses alios, qui apud Authores reperiuntur. Talis est, *Deus est ubique, Ubique est adverbium: Ergo Deus est adverbium.* talis & iste, *Quidquid dicis, per buccam transit: Currum & Equos dicis: Ergo Currus & Equi per buccam transeunt.*

Ut solvam primum syllogismum, à cujus *In argumentis debet servari suppositio* solutione reliqui universi dependent, in memoriam revoco doctrinam positam superiùs de suppositione materiali & formali: vox enim materialiter sumitur, cùm pro seipsa. formaliter cùm pro significato. Hac doctrina præmissâ dico in singulis syllogismis præmissis esse quaternos terminos; medium enim semper sumitur in alterâ præmissâ materialiter, & in alterâ formaliter: vel saltem aliqua extremitas aliter in præmissis & aliter in conclusione supponitur. Quod si ita accipiamus terminos, ut non varietur suppositio, hoc sensu plerumque consequentia, imò & altera præmissa, erit falsa.

Tertia.

SOlent aliqui & istum syllogismum proponere. *Clodius est animal, Omne animal sublato cibo moritur; Ergo si Clodio omnem cibum auferas, omne animal moritur.* MXCII.

Non urgeor, quia consequentiam condemno; est enim exorbitans & illegitima cùm inferri deberet hæc; *Ergo Clodius sublato cibo moritur.*

Quarta.

OBjiciunt iterùm: *Petrus est animal, Omne animal fuit in arca Noha, ergo Petrus fuit in arca Noha.*

Respondeo distinguendo minorem: nam MXCIII. si illa vox *Omne animal*, æquivaleat huic, *ex* *Quo sensu capiantur positiones universales* *omni specie aliquod animal*, erit vera; sed syllogismus habebit quatuor terminos, non enim sic *Animal* sumitur in majore: si autem *Omne animal*, æquivaleat huic, *Omnia animalia individua nullo dempto*, tunc non erunt quatuor termini, sed erit falsa minor, & falsam consequentiam pariet.

ARTICULUS V.

Contra Figmeno, *&* Ferio *nonnulla objectiones solvuntur.*

DEdimus syllogismos fortissimos, & Modi efficaciam demonstravimus: nunc, quia contrà insurgis, occurro, & quid contra veis, expecto. Objicis ergo

Primò

Primò

Meta...rum ... ;asitio ...ntatur.

HUnc Syllogismum, *Homo est animal; Nullum animal est species, Ergo Homo non est species.* Hunc eumdem Syllogismum firmas, aliosque similes ex aliis Modis producendo. Videlicet; *Petrus est homo, Homo est species, ergo Petrus est species.* Et iterum, *Ioannes est animal, Animal est genus. Ergo Ioannes est genus.* Et iterum, *Homo est rationalis, Rationale est differentia, Ergo homo est differentia.* Vel sic, *Rationale est homo, Homo non est differentia sed species, ergo rationale non est differentia sed species.*

An animal species sit.

Respondeo semper ludi [a]equivoco, & semper poni quatuor terminos; quoniam in alterâ præmissâ agitur de primis intentionibus, & de secundis in alterâ. Si semper maneant tres termini, semper aliqua præmissa erit falsa, & illatam consequentiam inficiet. Illa enim propositio, *Nullum animal est species*, est falsa; cùm potiùs verum sit dicere multa Animalia esse species; omnia enim, quæ contracta unicâ tantùm differentiâ, ut Homo, Equus, Leo, &c. species sunt. Consultò *unicâ* dico; nam Petrus est Animal contractum duabus differentiis; nimirùm Rationalitate & Petreitate. In reliquis syllogismis observandum hoc est: nimirùm; medium in majori sumi primò-intentionaliter, & secundò-intentionaliter in minori; & ideò quatuor terminos esse. Quòd si jubeas illud utrobique primò-intentionaliter sumi, omnes minores erunt falsæ: quod si illud ipsum utrobique jubeas secundo-intentionaliter accipi, omnes majores erunt falsæ; & inde oriuntur consequentiæ legitimæ non tamen veræ.

Secundò.

MXCV. *Hic iterum suppositio ...tur.*

OBiicis hunc Syllogismum, *Petrus est vox, Omnis vox est sensibilis, & nulla sensitiva est: Ergo Petrus sensibilis est, sensitivus non est.*

Et Ego eumdem regero si quatuor termini esse dicantur. Si debeant manere tres tantùm, hoc est, *Petrus* in majore & conclusione eodem modo supponi, dicam consequentiam esse legitimam, & sumptâ voce *Petrus* materialiter, veram; quoniam hæc vox *Petrus*, sensibilis est, non sensitiva; at eâdem voce *Petrus* sumptâ formaliter pro ipsomet Petro dicam majorem & consequentiam esse falsas.

ARTICULUS VI.

Obiectiones contra cæteras figuras & modos & specialiter contra Cesare.

OMnes cæteri modi ... quatuor istos recurrunt: & hanc ob rem, dum propugnantur isti, etiam cæteri sunt propugnati. Interim, quia contra *Cesare* secundæ Figuræ primum modum nonnullæ obiectiones occurrunt, illas dilucidabo. Et quia in mundo sunt plurimi; qui armis, qui linguâ, qui ingenio in Cæsarem auli, non mirabitur Logicus, si tela videat torqueri contra *Cesare*. Sit igitur Instantia.

Prima.

MXCVI. *Syllogismus temperatum.*

IN modo *Cesare* dari potest antecedens verum, & consequens falsum; ergo est ... & inutilis. Antecedens probas hunc Syllogismum proponendo, videlicet; *Nulla propositio est vera, quando est falsa; At omnis Assertio impossibilis est falsa: Ergo nulla Assertio impossibilis est propositio.*

Stengelius Censura.

Georgius Stengelius *libr. de bon. & mal. Syllog.* §. 60, sic respondet. [Cavilli & scirpi. nam sub quatuor terminorum ... mendacium astringit: quia medium variat, si in majore sit hoc totum *vera quando est falsa*, pro medio; & in minore hoc tantùm *falsa*; sin ultima illa pars majoris, scilicet, *quando est falsa*, sit pars subiecti, tunc *syllogismus* quidem erit in prima figura, sed quatuor terminos non excutiet: imò geminos istum *syllogismum* infidebit error, quia pro majore extremo etiam medium vel pars medij conclusionem ingredietur.

An particula quando est falsa ... ad subiectum ... ad prædicatum ... ad copulam?

Alij existimant illam particulam *quando est falsa*: nec afficere subjectum, nec prædicatum, sed copulam, hoc est verbum *Est*, debereque sic totum syllogismum rescribi. *Nulla propositio, quando est falsa, est vera; Omnis Assertio impossibilis, quando est falsa, est vera. Ergo nulla Assertio impossibilis, quando est falsa, est propositio.* Et aiunt hunc esse bonum Syllogismum, sed habere minorem & consequentias falsas. Nec volunt illa verba, *quando est falsa*, à conclusione proscribi; tota enim copula debet reperiri in singulis propositionibus: quod ni fiat; non erunt syllogismi boni. Iste, *Omnis homo fuit Embryo*: est malus, & tamen esset bonus, si *fuit* in omnibus assertis poneretur. Sed quia idipsum suas patitur difficultates; nihil definio, rem suo loco examinabo accuratiùs; & nunc istum Syllogismum subscribo. *Petrus anno præterito fuit doctus, Omnis qui fuit doctus anno præterito, eodem anno fuit dives: Ergo Petrus anno præterito fuit dives.*

Secunda.

MXCVII. *Syllogismi ... obliqui?*

COnfirmant objectionem positam subiiciendo; *Nulla rubedo est albedo; Omnis rosa est capax albedinis: Ergo nulla rosa est capax rubedinis.*

Aliqui, ut respondeant, recurrunt ad Fonsecam, qui *libr. 6. Instit. cap. 30.* ait. *In recensitè concludentibus, si affirmativa tantùm fuerit ex obliquo, nihil bene conclud.* alij hæc eadem Fonsecæ verba falsa censent, alij ..., alij obscura. Ego faciliùs me expedio, & positum syllogismum ..., quia in illo quinque reperio terminos: Primus est *Rubedo*, secundus

cundus *Albedo*, tertius *Rosa*, quartus *Capax albedinis*, quintus *Capax rubedinis*. Quodsi velis tribus uti tantummodò, : tout debes, dic, *Nulla rubedo est albedo*; *Omnis rosa est albedo*, *Ergo nulla rosa est rubedo*, vel aliter, *Nullum capax rubedinis est capax albedinis*, *Omnis rosa est capax albedinis*; *Ergo nulla rosa est capax rubedinis*. Vterque enim Syllogismus erit bonus, at prioris minor, posterioris major & conclusio erunt falsæ.

Tertia.

MXCVIII. Quid vox Mortuus significet est inquirendum.

INsurgunt iterum, & hunc Syllogismum obiiciunt, nimirùm, *Nullus homo est non ens*, *Omne mortuum est non ens*. *Ergo nullus mortuus est homo*. *Ergo nullus homo est mortuus.*

Quid vox Pictus?

Et quatuor terminos esse respondeo: *Ens* enim sumitur æquivocè; videlicet, pro Ente secundum essentiam, & Ente secundum existentiam. Si agatur de Ente secundum essentiam; minor est falsa, major vera: si de Ente secundum existentiam, major est falsa, minor vera. Et hîc obiter observari volo ex Philippo du Trien *tract.* 4. *p.* 2. *a.* 2. *cap.* 2. vocem *Mortuus* respectu vocis *Homo*, *Animal*, &c. esse determinationem alienantem, quæ planè tollit significationem vocis cui conjungitur. Idem dicam de voce *Pictus*, nam pictus homo, seu hominis pictura, non est homo.

Ens bifariam sumitur: essentialiter, & existentialiter.

DISPUTATIO III.

De Discursu insolubili, & Præmissas suas falsificante.

DE solubilibus Elenchis, qui in plurimùm in æquivocatione consistunt, multi egerunt, & doctè: verùm de insolubilibus, omninò pauci. At quia inter paucos optimè Stengelius disserit, eumdem proferam & examinabo.

ARTICULUS I.

Quid sit discursus insolubilis?

MXCIX. Quæ sint rationes insolubiles? Quæ propositiones se falsificament?

VOcantur insolubilia Sophismata, quæ ad se falsificantes propositiones reducuntur: & illæ hoc gaudent nomine, quæ se ipsas destruunt. Plurimæ sunt ejusmodi apud Logicos; unam aut alteram exponο, ut de reliquis analogum judicium sit. Esto PRIMA. *Iuro me nunquam jurare*, quæ se ipsam videtur destruere. SECUNDA verò, *ego semper mentior*, quæ eodem morbo laborat. Et utramque discutio. Sic discurro. *Si prima vera sit, erit etiam falsa: si falsa sit, erit non vera*; *Ergo si vera sit, erit non vera.* Videtur monstrum potiùs rationis, quàm legitimus discursus hæc periodus: at majorem persuadeo. Si vera sit, Ego nunquam juro; & si nunquam juro, nec nunc juro: & si nunc non juro, aut hæc positio, *Iuro*, est simul vera & falsa; aut hæ duæ, *Iuro*, & *Non juro*, simul veræ. De alterâ eodē modo philosophor, Sic inquam. *Si secunda sit vera, erit etiam non-vera: ergo erit simul vera & non-vera.* Dedi iterùm alterum monstrum. Antecedens persuadeo. Si est verum, aio, quod nunc dico; Ego semper mentior; etiam nunc mentior: si nunc mentior, illud quod nunc dico, non est verum; ergo de primo ad ultimum; Si illud quod nunc dico est verum, illud quod nunc dico non est verum. Ergo in tali hypothesi una & eadem positio non solùm erit vera & non-vera: sed, quod omninò mirabilius, ideò erit non vera, quia est vera.

An falsum ex vero sequi possit?

Sic innodamur ejusmodi Propositionibus, quæ videntur nodo Gordio similes, qui excidi potuit, & solvi non potuit. Ergo, siquidem hunc hucùsque nodum difficultatis nemo solvit, nec olim soluturus speretur, has Propositiones falsificantes *insolubiles* esse dicamus, illasque excidamus ab omni disputationis genere, & ab omni excursu doctrinali excludamus.

Nodus scindendus.

Nota.

MVlti insolubilia omnia argumenta ad Dilemma reducunt, quod ipsa nulla alia forma meliùs poni & opponi soleant, quàm bimembri. Alij illa ad Syllogismum: alij aliò. Me judice quolibet possunt: nec est cur nimium in re non nimia inhæreamus: ad majora & utiliora transvolemus.

ARTICULUS II.

An sit bonum agere de Insolubilibus? an de Sophismatibus? An sit honestum? an delectabile?

MC. Quotuplex bonum sit?

BOnum triplex: Honestum, Vtile & Delectabile. De Vtilitate statim agam: modò

Stobæus serm. 80.

modò de Honestate nonnulla, nonnulla de Delectabilitate. Seneca Epist. 45. *Ista sine noxa decipiunt, quomodo Præstigiatorum acetabula & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat.* Et Arcesilaus teste Stobæo & Lipsio, dicebat *Dialecticos similes Præstigiatoribus, qui jucundè decipiunt.* Homines sunt circumforanei, qui ludo aut agilitate manuum mira patrant. Hic ipse lusus ab Hispanis *Juego de manos* dicitur, estque hodie in usu, ipseque pueris & plebi in admiratione. Vtuntur acetabulis (sic sua vascula aut pyxides vocari volunt) quibus diversimodè motis & transpositis, calculi, nummi, grana &c. liquescunt, cuduntur, formantur, transmutantur, ut arte Magicâ fieri arbitrere, quod fieri posse naturali non credis. Sed cur hæc vascula vocantur *Acetabula*? Sunt qui *Acceptabula* vocare malunt. Sunt, qui vocem retineant, sed corruptam existiment, & ab accipiendo derivent: sunt qui ab aceto, nam sicut Hispani nominant *Vinageram* (hoc est *Vinageram*) non solùm vitrum, quod habet vinum, sed quod aquam, ita potuerunt Latini horum hominum vascula *Acetabula* dicere, nomine ab aceto deducto, & ampliato postmodum, ut non solùm acetaria, sed etiã quæcumque alia significarent. inde fortè occasione denominationis acceptâ, quia Præstigiatores interdum liquores mira facilitate convertant, ut cùm oleum habere te putas, non nisi acetũ habeas. Græcus eos vocat ψηφοπαίκτας, quia ludunt calculis; ψηφοκλέπτας, quia furtim eos transferunt; ψηφολόγους, quia verbo aut cogitatione illos transmutare creduntur.

Lipsius exponens istũ locum Senecæ.

Dialecticis similes Præstigiatoribus.

Acetabulum.
Acceptabulum.
Vinagera.

Psephopæcta.
Psephoclepta.
Psephologi.

MCI. *Multa scire possumus, quibus uti non possumus.*

Stando igitur similitudini pronuntio Dialecticam præstigiatoriam esse artem delectabilem & admirabilem, quam tamen honestè audias, quâ tamen utaris inhonestè. Præstigiatores homines viles sunt, & tamen ingenuos & doctissimos recreant; & Sophistæ parvi væneunt in foro, & tamen viros illustres rapiunt & delectant. Oportet scire ut minimum, præstigias ejusmodi agilitate manuum fieri in foro, & agilitate mentis in scholâ formari, ne vel ibi vel istic decipiatis. Et tametsi illis uti inhonestum videatur utrobique, nihilominùs callere artem, & posse respondere illi, qui te fallere velit, honestum & gloriosum est.

ARTICULUS III.

An sit utile agere de insolubilibus?

MCII. *Curiositas sumitur in bonam & in malam partem.*

CVriositas æquivocæ vox est, & in bonam & in malam partem accipitur; & tu, quia sev[illegible]rum Scholasticum agis, vocem sumis pro vitio, & curiosum asseris, utile negas, agere de quæstionibus insolubilibus, Sophismatis: ista sunt de quibus tantam esse librorum copiam concinnatam quadragesima-sexta Epistolâ conqueritur Hispanus Seneca. Nimias istas argutias excesse à scholis præcipit Epist. xx. & vi. cui consonant Iuris-periti cùm nimiam subtilitatem in legum expositione reprobant, & Iustus Lipsius libr. 1. de Physiologia Stoicorum dissert. 1. *Quæ dementia*, inquit Seneca, *supervacanea discere in tanta temporis inopia!* & iterùm, *Quantum temporis quibusdam verborum cavillatio eripit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent!* Sed & alij, quibus viam aperuisse videtur Ariston, Philosophos, qui ejusmodi Dilemmatum expositioni insudant, cancros comedentibus comparant, nam propter exiguum aut etiam insalubre alimentum circa crustras & testas nimiâ diligentiâ laborant.

An nimia subtilitas damnanda sit?

Quales Logica fuit[illegible]

MCIII. *Quid boni minus ingeniosi [illegible]tiant*

Sic fortè contra ista folis insurgent, qui subtilia regerunt, quia non capiunt: at illi, quibus subtilia ingenia dedit Deus, his difficultatibus non perterrentur, sed irritantur potiùs, ut illas conentur superare. Non sunt in solâ Logicâ istæ difficultates, in aliis etiam Facultatibus ipsæ tumultuant & in oceanis aliis procellescunt. Rhetores torquent & exercent Asystati, Dialecticos Antistrephi, & Legum-peritos Perplexa. Theologi patiuntur Euripos, Ethici tenebras, eò periculosiores, quò minùs cæcas. Si summa esset in his controversiis obscuritas, laterent ipsæ: si summa claritas, non solùm illæ, sed etiam earumdem solutiones paterent: at quia crepusculinâ luce regimur

Resolutio.

Talia ut audimus, Dialectice, verba, dolemus,
Et dici potuisse, & non potuisse refelli.

MCIV.

Ergo disputationem hanc summè esse necessariam resolvimus, & sine eruditionis damno ignorari non posse.

An veteres de hoc argumento scripserint?

Eiusdem olim fuerunt sententiæ prisci Philosophi, qui libros integros de hoc subtili argumento conscripserunt. Theophrastus enim libros tres de mentiente composuit. & Chrysippus tres de solvendo mendacio: duos de dissectione solventes mentientem (dissectionem dicebant veteres, quam distinctionem hodie nuncupamus) de introductione ad mentientem, qui etiam sermones mentientes complectuntur. Patres etiam antiqui glorioso ingenij acumine nodos argumentorum plurimos contra Hæreticos, plurimos contra Ethnicos dissolverunt. Mira est respondendi fœlicitas, quam suspicimus in D. Gregorio sæpe inferiùs citando; quam etiam in D. Augustino in Psalm. 115. de sententia, quæ in contrarium vertitur: quam in D. Basilio & D. Hieronymo Ibidem: quam in alis. Horum igitur insistentes vestigiis amare subtilia discamus; & quia tractatus de insolubilibus subtilissimus est, illi diligentissimè studeamus.

Dissolutio, quid?

Bonum est malorum meditatio.

Nec contra hanc diligentiam argutatus est Seneca, cuius mentem exponemus statim; nec benè appropriantur verba Aristonis; non enim

enim parvus & insaluber est fructus, qui ex Insolubilium contemplatio sumitur. Ex hinc patet, quo debeant modo solvi objectiones, quæ positæ sunt in initio.

ARTICULUS IV.

An sit utile agere de Sophismatibus?

MCV. NEmo solvere potest nodum, qui modum, quo fieri solet nodus, nesciat; nemo ergo solvere poterit Paralogismos, qui nesciat, quo illi modo formantur. Eam Dialecticæ partem, quæ illos docet fabricari & vitare, per antonomasiam Græci *Philosophiæ* nomine insigniverunt, quod in totâ Scientiarum encyclopædiâ nulla facultas sit, in quâ plus studium & sapientia reluceat. Hinc Apostolo lux. *Videte*, ait, *ne quis vos seducat, per Philosophiam, & inanem fallaciam*: ubi videtur explicare, quid intelligat nomine Philosophiæ; hoc enim cùm sumitur pro Dialecticâ Paralogisticâ, significat inanem fallaciam.

Philosophiæ nomen per antonomasiam, quid significet?

Ad Colos. sens. cap. 2.

Hoc eodem sensu vocem sumpsit S. Ambrosius *libr. cap. 2. de Abraham Patriarchâ*, ubi ait. *Magnus planè vir Abraham, & multarum virtutum clarus insignibus: quem votis suis Philosophia non potuit æquare. Denique minus est quod illa finxit, quàm quod iste gessit.* Ecce in Ambrosii Lexico ab amore nimio, & scientiâ nimiâ dicitur Philosophia: nimiùm enim amat, cujus vota naturæ potentiam excedunt, multum scit, cujus ideæ superant veritatem.

Scientia & amor nimius.

MCVI. Cùm igitur Paralogica Philosophia sit fingendi ars, & fallendi doctrina, cui multi diligenter student, ne ipsi nos seducant per Philosophiam & inanes fallacias, opus est nobis magnâ diligentiâ & studio; nec enim pericula vitare poterimus, nisi illam eamdem didicerimus artem, quâ nobis præparantur insidiæ.

Paralogistica.

ARTICULUS V.

An sit eadem Argumentatio, Sophistica, Insolubilisque?

MCVII. QVæstio est de mero nomine, & tamen præscindendo à vocabulis, magna est inter Sophisticas & Insolubiles argumentationes & retorsiones differentia. Sophistica enim quæstio, illa est, quæ solvi à viro docto potest, & multos confundere solet; illa quæ non tam viribus propriis, quam ignorantiâ Respondentium subsistit. At Insolubilis vocatur illa, quæ solvi non potest, quæ universos (aut doctos, aut indoctos) confundit; nimirùm, quæ viribus propriis, & non ignorantiâ Respondentium subsistit. Si Quæstionem aliquam, quam insolubilem existimo, tu sciat solvere; illa hoc ipso non erit Insolubilis sed à meâ ignorantiâ vires sumet. Hæc ad rem pertinent: de nominibus nonnihil subjungamus.

Argumentum Sophisticum, quid? Impossibile, quod? Non id bene.

MCVIII. Peripatetici benè utuntur vocabulis, & Insolubilem argumentationem, quam Pseudographam vocant, à Sophisticâ & fallaci distinguunt; at hodie liberius Recentiores loquuntur, & ut benè notat Lælius Bisciola *Horarum succes. tom. 2. libr. 5. cap. 8.* & Stengelius *de Insolubilium speciebus §. 2. pag. 5.* omnes insolubilium argumentorum nodos, qui aliquam syllogismi faciem habent, *sophisticos & fallaces* appellant. Insolubilia omnia argumenta *Inexplicabilia* Gellius libr. 9. cap. 5. & *Exquisitas ambiguitates* libr. 1. Quintilianus appellat. Nos ergo sequemur veteres Peripateticos, & dicemus Argumentum Sophisticum illud esse, *quod à doctis tantummodò solvitur*: Insolubile, *quod ne quidem à doctissimo potest*.

Argumentum Pseudographum.

Sophistica.

Inexplicabile.

Exquisitâ ambiguitas.

ARTICULUS VI.

Quid sint Vrides, & Ceratina?

MCIX. POlitianus sic ait. *Ceratina quæ sint apud Quintilianum, non temerè, qui tibi explicet, invenias. Qui tamen Græca volverit, Latinaque Commentaria, planè intelliget ratiocinationis inexplicabilis esse eam speciem; quæ nescio quas ansas, atque uncos arte Dialectica perplexitatis inferret.*

Ponitur difficultas.

MCX. Proponit hic difficultatem & non solvit. Et ego duas oppositas opiniones reperio; alteram, quæ à materiâ nomen eruit; alteram, quæ à formâ. ET QUIDEM, UT PRIOREM EXPLICEM, aliquid de nominum impositione subjungo. Primus Romanorum Imperatorum Cæsar fuit, & inde omnes ejusdem Successores *Cæsares* nominantur: & hoc tanto vocabuli abusu, ut non solùm à nostris Germanus Imperator, sed etiam Turca à Græcis *Cæsar* hodie vocetur: imò & ab aliis. Habeo, dum hæc scribo, Diarum Legatorum Regis Poloniæ ad Chmielnicki, (nempè ab 8. Iulii ad 1. Augusti Anni 1650) & in toto sive à Polonis, sive à Cosacis, non aliter Magnus Turca, quàm *Cæsar Turcarum* vocatur. Scriptæ fuerunt olim contra Philippum invectivæ Orationes, & *Philippicæ* sunt nominatæ: & ab illâ die hoc notantur vocabulo universæ invectivæ; unde quas contra Antonium scripsit Cicero, *Philippicas* voluit vocari. Magno Dei beneficio inventa fuit ars Typographica, & diversis characterum formis & magnitudinibus prodierunt aliquot volumina, à quibus characteres fuerunt denominati: quoniam *Canon, Textus, Cicero, Augustinus, Breviarium*, characterum magnitudines hodie significant, nempè illas, quibus olim ejusmodi libri sunt impressi. Et quia Gryphius excellentissimus Typographus fuit, & charactere cursivo libros edidit, obtinuit ut & cursivus character *Gryphius* nominaretur. His igitur & aliis suppatibus denominationibus consideratis inquit prima sententia, antiquissima Græcorum sophismata fuisse de cornibus. Sic enim coætaneos suos exercebat Chrysippus.

Vocis etymon sumi à materiâ potest, & à formâ.

De nominum impositione.

Cæsares mulò dicti.

Cæsar Turcarum.

Philippica.

Hæc nomina Canon, Textus, Cicero, Augustinus, &c. quid apud Typographos significent?

Habes quidquid non amisisti,
Cornua non amisisti,
Ergo habes cornua.

illique hunc unicum paralogismum Κερατίνην vocarunt: deinde, quia Sophistica l...

Sophismata de cornibus.

Argumentum ceratinum, seù cornutum.

excrevit, & alii similes intexebantur, ampliatione vocabuli omnes vocarunt *Ceratinos*. Et **Vtides.** si roges, cur nominentur *Vtides?* ex Homeri *Odyss. libr.* 9. hanc fabulam aut historiam producit. Nam cùm Vlysses à Polyphemo interceptus miserrimè periclitaretur, se Vtin nominando Gigantem crudelem decepit; unde evenit, ut fallaciæ *Vtides* vocarentur.

MCXI. Huic nominum etymologiæ insistit Diogenes Laërtius *libr. 7. de vitis Philosophorum*, nam inter alia, quæ possent utiliter legi, hæc excerpo. *Eâdem ratione*, ait, *& ex orationibus,* **Sermo falsus & verus.** *ex modis, atque syllogismis, ex eis item quæ præter vocem & res sunt sophismatis, ut sunt sermones falsi atque veri* (hi sunt æquivoci, habentes sensum duplicem alterum verum, & alterum falsum) *& negantes* (quia ex purè negativis nihil benè in modis figurarum concluditur) **Sorites. Argumentum deficiens. Enthymema. Cornuta rationes, & Vtides.** *Σωρεῖται, & his similes deficientes* (hos Enthymemata hodie dicimus, & fallaciis non carent) *& ambigui, & concludentes obscurè* (nimirùm aut ratione materiæ, cùm præmissæ judicantur incertæ: aut etiam ratione formæ, cum judicatur suspecta) *cornuti* (hos *ceratinos* vocant Græci) *& οὔτιδες; hoc est, nihil importantes.*

MCXII. Ratio mentiens, fallax, acervalis, ceratina, cornea, calva, convelans electrum, &c. Non multum a Diogene abest Angelus Politianus cap. 45. Miscell. ubi ait. [*Hujusmodi autem Dialecticis in percunctando quæstiunculis, quales frequenter ingeniorum acumen excogitat, etiam Milesius Eubulides plurimum usus, sicut à Laertio Diogene in Euclide Megarensis vita ponuntur, ut Latinè conemur interpretari:* Mentiens, Fallens, Electra convelata, Acervalis, *&* Ceratina, *vel* Cornea, *& item* Calua. *Ex quo in hanc sententiam est apud Comicum nescio quem, ut idem prodit Laertius*; Contumeliosus autem Eubulides Ceratinas interrogans, & mendacibus, gloriosisque sermonibus oratores versans, abiit, Demosthenis habens volubilitatem. *Quem etiam locum Suidas citavit. Sed & Zenon ille Cyticus inter cavilla cætera Dialecticorum* Ceratina, *item, &* Vtidas *numerabat.*] Hæc ille. Vbi etiam ut benè advertit Stengelius, docet Ceratinas *à materia ipsa verborum, quâ uterentur*, hoc est à crebrâ cornuum in ipsis mentione, nomen traxisse. *Cérata* enim Græcè cornua dicuntur, quibus illi suorum sophismatum tela armabant.

Consonat Martianus Capella *libr. 4.* cùm inquit:

Sorita. Therizontes. Crocodili. &c. *Perdita nequa unquam cornua fronte ferant.* & Lucianus in Philosophorum Symposio, de *Sorite*, *Therizonte*, & aliis hujus farinæ paralogismis agit; apud quem etiam leges, *Cornua inter se producunt, crocodilos faciunt, & ejusmodi perplexa docent interrogare.*

MCXIII. An argumenta dicantur Cornuta à formâ? Secunda opinio ad formam recurrit, & existimat, ejusmodi argumentationes nominari *Ceratinas*, quod undique impetant eum, adversus quem assumptæ: quod sint cornibus hinc inde armatæ, ut quo te vertas nescias, si ceratinâ objectione petaris. Ita Bisciola, cujus esse felicem conjecturam asserit Stengelius.

ARTICULUS VII.

An Ceratina & Vtides sint insolubiles?

MCXIV. An Vtides solubiles sint? EXposuimus vocabula, ad rem veniamos. Dico *Vtides* non jam insolubiles, sed fallaces videri: nam ab Vlyssis actu & ingenio nomen habent. *Ceratinas*, si stemus opinioni **Dilemmata sunt ceratina.** primæ, censui Elenchorum adscribemus: & si secundæ, Dilemmatibus, de quibus egimus superiùs; neutro igitur modo ad argumenta insolubilia pertinebunt.

Et quidem capere non possum, cur tantopere exercuerit ævi sui Philosophos Chrysippus ratione illâ ceratinâ; certa enim me judice est, & negatâ majore (videlicet, *Habes quidquid non amisisti*) excornis manet, & vellem Chrysippum audire, si illam conaretur probare. Consono Stengelio, qui sic ait. [Quidquid sit de aliis & aliis majorem difficultatem inveheutibus: illud sanè *&c.* adeò non est insolubile. *&c.* Quis enim non fastidiat illam propositionem, *Quidquid non amisisti habes*, etiam citra Logicam; cum infinita non habeamus, quæ nunquam amisimus, quia etiam nunquam habuimus.] Ita de Insolubilium speciebus *§. 4. pag.* 19. subscribens Senecæ, qui in Epistolâ quâdam ad Lucilium, hanc eamdem quæstionem proponit, & appellat *deliracionem acutè concinnatam.*

ARTICULUS VIII.

De Pistillo Dialectico.

MCXV. Proprietates pistilli. MVltæ sunt pistilli proprietates notissimæ, nam summâ volubilitate movetur, ictus iterat, strepitum excitat, & tandem tundendo retunditur: quas omnes, cùm in fallacibus syllogismis reperiam, negaturus non sum, meritò illos à Platone, Comico, Zenodoto, Hesychio, & aliis cum pistillo componi. *Pistilli circumvolutione acriora hæc argumenta* vocant, quòd semper eodem revertantur. Et Plutarchus insultat Stoicis, & ait, *Pistilli revo-* **Pistillum Logica.** *lutionem omittite, ne ridere videamini*: insinuans neminem fallacibus abuti argutiis, qui seriò disputat: adeòque Ceratinos argumentatores, quod auditores suos irridere videantur, omninò rejiciendos esse: aut retundendos potiùs, ut cum S. Hieronymo eos *pistillo retusiores* dicamus. Vide Platonem in Theæteto, qui non semel de Dialectico pistillo disputat.

ARTICULUS IX.

Producens Ciceronis sententiam,

MCXVII. An Cicero fuerit Dialecticus? Axiomata sententiarum fundamenta. Effata. Argumentum mentiens. PRoderit etiam Ciceronem audire, quem non Rhetorem modò, sed & fuisse Dialecticum fæliciter scripta testantur. Is enim Academic. quæst. sic ait. *Fundamentum Dialectica est quidquid enunciatur (id autem appellatur ἀξίωμα, quod est quasi effatum) aut verum esse, aut falsum. Quid igitur? hæc vera an falsa sunt? si te mentiri dicis, idque verum dicis, mentiris verum dicens.* Hæc scilicet inexplicabilia

esse dicitis, quod est odiosius, quam illa, quæ nos incomprehensa, & non percepta dicimus. Sed hæc omitto. Illud quæro, si ista explicari non possunt, nec eorum ullum judicium invenitur, ut respondere possitis verane, an falsa sint: ubi est illa definitio effatum esse id, quod aut verum aut falsum sit? Rebus sumptis, adjungam ex his sequendas esse alias, alias improbandas: quæ sunt in genere contrario. Quomodo igitur hoc conclusum esse judicas? Si dicis nunc lucere, & verum dicis; lucet: dicis autem lucere, & verum dicis: lucet igitur. *Probatis certè genus, & rectissimè conclusum dicitis. itaque in docendo eum primum concludendi modum traditis. Aut quidquid igitur eodem modo concluditur, probabitis: aut ars ista nulla est. Vide ergo, hanc conclusionem probaturusne sis.* Si dicis te mētiri, verumq; dicis, mentiris: dicis autem te mentiri, verumq; dicis: mentiris igitur. *Qui potes hanc non probare, cum probaveris ejusdem generis superiorem? Hæc Chrysippea sunt, ne ab ipso quidem dissoluta: quid enim faceret huic conclusioni?* Si lucet, lucet: lucet autem: lucet igitur. *Crederet scilicet. Ipsa enim ratio connexi, cum concesseris superius, cogit inferius concedere. Quid ergo hæc ab illa conclusione differt?* Si mentiris, mentiris: mentiris autem: mentiris igitur. *Hoc negas te posse nec approbare, nec improbare. Qui igitur magis illud? Si ars, si ratio, si via, si vis denique conclusionis valet: eadem est in utroque. Sed hoc extremum eorum est postulant, ut excipiantur hæc inexplicabilia. Tribunum aliquem censeo, adeant: a me istam exceptionem nunquam impetrabunt. Etenim cum ab Epicuro, qui totam Dialecticam & contemnit & irridet, non impetrent, ut verum esse concedat, quod ita effabimur:* Aut vivet cras Hermachus, aut non vivet: *cum Dialectici sic statuant: omne quod ita disjunctum sit, quasi aut etiam, aut non, non modo verum esse, sed etiam necessarium: vide, quam sit cautus is, quem isti tardum putant. Si enim, inquit, alterutrum concessero necessariū esse: necesse erit, cras Hermachum aut vivere, aut non vivere* (omninò, sed in sensu composito, non in disjuncto) *nulla autem est in natura rerum talis necessitas* (nempè in sensu disjuncto, nam in composito esse Dialectici probant.) *Cum hoc igitur Dialectici pugnent, id est Antiochus & Stoici: totam enim evertit Dialecticam: nam si è contrariis disjunctio (contraria autem ea dico, cum alterum ait, alterum negat) si talis disjunctio falsa potest esse, nulla vera est. Mecum vero quid habent litium, qui ipsorum disciplinam sequor? Cum aliquid hujusmodi inciderat, sic ludere Carneades solebat:* Si rectè conclusi teneo: sin vitiosè, minam Diogenes reddet: *ab eo enim Stoico Dialecticam didicerat: hæc autem merces erat Dialecticorum. Sequar igitur eas vias, quas didici ab Antiocho: nec reperio, quomodo judicem,* si lucet, lucet, *verum esse ob eam causam, quod ita didici, omne, quod ipsum ex se connexum sit, verum esse: non judicem,* si mentiris, mentiris, *eodem modo esse connexum. Aut igitur hoc, & illud: aut nisi hoc, ne illud quidem judicabo.*] Hæc Cicero de istis aculeis & tortuoso genere disputandi: ex quibus tamen multi eloquentius, quàm verius ab illo explicari: & multa adhuc posse objici contra omnia, quæ Cicero dixit, certum est.

An omnia positio sit vera vel falsa?

Totus hic syllogismus videtur æquivalere voci Lucet.

Ejusmodi argumentationes videntur ad linguā potiùs pertinere quàm ad mentem.

Dialectica contemptor Epicurus.

In contradictoriis contingentibus, necessarium est alteram partem esse veram: & tamē neutra necessaria erit vera. N.B.

Minerval Dialectici mina.

Caramuelis Metalog. Lib. IX

ARTICULUS X.

Edisserens Sententiam Senecæ.

MCXVII. Magni facio nostrum Hispanum Senecam, quem videntur allegasse adversarii ad probandum doctrinam de Sophismatibus, aut etiam de Insolubilibus, esse supervacaneam. De hac materiâ specialissimè disputat Epist. VI. quam subjicio, ut universis constet, quid ille vel neget, vel asserat.

MCXVIII. Librorum istic inopiam esse quereris. Non refert quam multos, sed quam bonos habeas. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui, quò destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est. Vellem, inquis, magis libros mihi quàm consilium dares. Ego verò quoscumq; habeo mittere paratus sum, & totum horreum excutere: me quoq; istò, si possem, transferrem, & nisi maturè te finem officii speraram impetraturum, hanc senilem expeditionem indixissem mihi: nec me Charybdis, & Scylla, & fabulosum istud fretum deterrere potuisset. Transnatassem ista, non solùm trajecissem, dummodò te complecti possem, & præsens æstimare quantum animo crevisses. Ceterùm quòd libros meos tibi mitti desideras, non magis ideò me disertum puto, quàm, formosum putarem, si imaginem meam peteres. Indulgentiæ scis istud esse, non judicii: & si modò judicii est, indulgentia tibi imposuit. Sed qualescumq; sunt, tu illos sic lege, tamquam verum quæram adhuc, non sciam, & contumaciter quæram. Non enim me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero. multum magnorum Virorum judicio credo, aliquid & meo vindico. Nam illi quoq; non inventa, quærenda nobis reliquerunt; & invenissent forsitan necessaria, nisi & superflua quæsissent. Multum illis temporis verborum cavillatio eripuit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent. Nectimus nodos, & ambiguam significationem verbis alligamus, deinde dissolvimus. Tantum nobis vacat? jam vivere, jam mori scimus? Totâ illò mente pergendum est, ubi provideri debet, ne res nos, non verba, decipiant. Quid mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo umquam nisi dum disputat, captus est? res fallunt: illas discerne. Pro bonis mala amplectimur: optamus contra id quod optavimus: pugnant vota nostra cum votis, consilia cum consiliis. Adulatio quàm similis est amicitiæ? Non imitatur tantùm illam, sed vincit, & præterit: apertis & propitiis auribus recipitur, & in præcordia ima descendit, eo ipso gratiosa, quo lædit. Doce quemadmodum hanc similitudinem dignoscere possim; venit ad me pro amico blandus inimicus: vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt: temeritas sub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignavia: pro cauto timidus accipitur. In his magno periculo erratur: his certas notas imprime. Ceterùm, qui interrogatur, an cornua habeat

An prosint multi libri? An & multi legendi sint?

Charybdis & Scylla fabulosa.

An Seneca formosus fuerit?

Qualis opinione suâ Scriptor Seneca?

De sententiâ superfluâ.

De nodis & æquivocationibus.

Agendum potius de reb9 quàm de verbis.

Adulatio qualis?

Quomodo ab Amicitia distinguenda?

De Paralogismo Cornutino.

ARTICULUS V.

De Syllogismi speciebus. An inter illas Sophisticus debeat enumerari?

MLVIII. *(margin)*

CVr ipse Syllogismorum Magister Aristoteles,& post eum omnes aut ferè Authores, Syllogismum in quatuor species distribuit,siquidem ipso authore,tam est Elenchus Syllogismus, quàm mortuus aut pictus est homo?

An syllogismi conveniant in nomine æquivocè? *(margin)*

Respondeo primò Syllogismi in Demonstrativum,Topicum,Pseudographum,& Sophisticum esse potiùs nominis divisionem, quàm rei;similemque isti, *Homo vel est vivus, vel mortuus,vel pictus,vel lapide expressus.* &c. Sed quia vivus mortuus,pictus,& lapide expressus homo analogiam & similitudinem habent,respondebo

An in w analogicè? *(margin)*

Secundò non dividi Syllogismum univocè,nec purè æquivocè, sed analogicè: quod Ioannes Magister *libro Priorum primo* asserit; & Georgius Strengelius *de Syllog.bono & malo* cap.1.§.8.ubi eumdem *Doctissimum Virum* appellat.

ARTICULUS VI.

An Syllogismus,qui manifestè falsa assumit,sit verus Syllogismus?

MLIX. *Reiicitur opinio negans.* *(margin)*

NEgat citatus Stengelius,& ad analogiam recurrens ait,eum dici quidem Syllogismum non simpliciter,sed analogicè;prout nimirùm complectitur tàm eum,qui simpliciter,quàm qui secundum quid dicitur,in *Probativum & Illativum* distribui. Quocirca ut non rectè ratiocinatur,qui ita infert : *Est ens rationis,ergo est ens,* (cùm ens, quod optimè notavit Suarez *disp.*47.*Met.sect.*3.*num.*3.& *disp.* 54.*sect.* 1. *num.*9. absolutè sumatur pro ente reali,sicut homo absolutè accipitur pro vero homine,adeò ut homo mortuus vel pictus nō sit homo)ita frivolè colligit, qui ex eo quòd aliquis *syllogismus illativus* sit,ostendere nititur etiam esse *syllogismum*, Qua in re id genus Sophismatis committit,asserente Aristotele *Elench.cap.*25.& Fonseca 8.*Instit. cap.*1 t. *quicumque ex eo,quod solùm cum adjectione aliqua seu secundum quid dicitur,id colligit,quod simpliciter,& sine adiectione profertur.*

MLX. *Eligitur asserens.* *(margin)*

At putarem Dialecticam in mero artificio consistere;& meritò Franciscus Harlæus Logicæ librum *Artificium* inscripsisse, quòd ipsius sit servare regulas in quacumque materiâ,& hanc esse Theologicam aut Philosophicam, contingentem aut necessariam,bonam aut malam,veram aut falsam ipsi perinde sit. Vnde si hic Syllogismus,

Logica formaliter consistit in artificio. *(margin)*

Omnis materia caret formâ,
Corpus hominis est materia,
Ergo caret formâ.

propoqeretur , dicerem, aliquid esse in illo quod reprehenderet Physicus;nihil , quod Logicus. Nimirùm formam esse bonam, nec Logicam sufficere aut prodesse ad resolvendum,An major sit vera vel falsa. Ergo siquidem non peccat in Dialecticam,bonus ille,legitimus & necessariò concludens Syllogismus est;nempè in *Darii*,notissimo & certissimo modo. Subscribo Fonsecæ,qui docet ad bonam Consequentiam neque antecedens neque consequens verum requiri.Et noto nihil contra obiici solere vel posse , quod non involvat quæstionem merè nominalem.

Firmo hanc veritatem, Exempla in medium producendo,quibus Aristoteles Regulas Dialecticę propriæ dilucidat.Sic argumentatur in *Barbara*. MLXI.

Vt cognoscatur veritas aut falsitas propositionum,non sufficit sola Dialectica: ergo ad illā materia propositionum non spectat. *(margin)*

Omne A est B.
Omne C est A.
Ergo omne C est B.

Sic etiam in aliis figuris.Et inquiro, Num credibile sit hunc oculatissimum Philosophum, ut in Logicâ suâ doceret optimos Syllogismos facere, nullum bonum, nullum verum Syllogismum fecisse? Nam, si non est verus Syllogismus , qui ex falsis constat,positi ab Aristotele,Syllogismi non sunt , quoniam A non esse B,& C non esse A,& C non esse B,hac luce meridianâ clarius est.

Respondet Stengelius *Primò*,bonos saoè *syllogismos* inibi Magister *syllogismorum* concinnavit : non quà litteræ capiuntur materialiter ; sed quà significativè pro subiectis prædicatisque quarumcunque propositionum, sive Physicarum, sive Methematicarum,sive alterius scientiæ sumuntur. Voluit enim per litteras illas indicare , quo pacto extrema cum medio cohærentia , in *syllogismo* à quavis scientiâ essent conjuganda.Quâ ratione etiam Geòmeter procedit , cùm præcipiens ut duæ lineæ conjungantur , ait, *Iungatur A cum B*,&c. quod utique non intelligendum est materialiter , sic enim A,cum B, conjungere Grammatici est ; sed significativè de lineis , quarum unam A,alteram B,appellitat. *Secundò*, Philosophum ibi considerasse non quoad totam essentiam , sed tantùm quoad formæ leges. Nam syllogismus etiam communissimè sumptus nequit abstrahere à materia vel necessariò vel probabiliter verâ , licèt abstrahat ab omni materiâ determinatæ opinionis ac scientiæ. Et addit utramque responsionem esse solidam. MLXII.

Cur Aristoteles sit usus literis in fabrica syllogismorum? *(margin)*

Sed Ego hanc ultimam assumo , & sic inquam.Si ultima hæc solutio est solida, nostra sententia vera est, & opposita falsa ; quod sic ostendo. Aristoteles ibi Syllogismos , non quoad totam essentiam sed quoad formæ leges consideravit. At illos consideravit tanquam Dialecticus perfectissimus , perfectissimâ artē tradens, & discipulos perfectissimè instituens. Ergo Dialectica,ut sit perfectissima, MLXIII.

ma, non debet examinare veritatem aut falsitatem præmissarum, sed leges formæ. Omnia enim ut *libr. Instit. 6. cap. 5.* optimè notavit Fonseca, à purâ Dialecticâ assumuntur conditionatè, & ab aliis scientiis absolutè: Dicit Logicus:

Dialectica utitur propositionibus conditionatè: aliæ scientiæ absolutè.

Si omne A est B;
Et omne C est A,
Omne C erit B.

& hic nihil omninò est, quod possit notari aut reprehendi. Si subsumat Grammaticus

At omne A est B;
Et omne C est A;
Ergo & omne C est B.

dicam eumdem Syllogismum à Dialectico & Grammatico factum errare in Grammaticâ, & non in Dialecticâ: & concludam non esse minus bonum Syllogismum isto,

Omnis homo est animal,
Omne rationale est homo,
Ergo omne rationale est animal.

quem bonum & verum esse Dialectici universi pronunciant.

ARTICULUS VII.

De Illativo & Probativo Syllogismo.

MLXIV. CVm sæpè apud Authores legas, alium Syllogismum esse Illativum & alium Probativum, qualis sit divisio, quæ Syllogismum in hæc membra distribuit, inquiris.

Constat ex dictis non esse eamdem; ac in Bonum & Malum; quoniam uterque bonus est, adeòque dico omnem bonum Syllogismum esse illativum, non tamen omnem probativum, & his positis respondeo ad quæstionem propositam Syllogismum Illativum dividi in Probativum & Non-probativum, eâdem omninò divisione, quâ Propositio Affirmativa in Veram & Falsam; nam, si essentialis sit Propositioni veræ veritas; ita ut nulla vera transire in falsam possit, aut contrà, erit Divisio generis in species: & aliàs Divisio subjecti in accidentia. An verò Veritas & Falsitas sint Propositionum accidentia, ita ut una & eadem quæ nunc est vera, cras esse falsa possit, aut contrà, *libr. de Propositionibus disp. 3.* accuratè discussi.

Syllogismus illativus dividitur in quidem probativum.

ARTICULUS VIII.

An Syllogismus sit Oratio?

MLXV. Ratio dubitandi. RAtio dubitandi duplex est: nam & Syllogismus non ad linguam, sed ad intellectum spectat: est enim verus quidam discursus; &, ut ignorat nemo, non linguâ, sed mente discurritur. Quod si ad vocem pertineat, non est oratio, nam multas orationes continet.

Respondeo non esse cur non subscribamus Aristoteli, cujus sententiâ *libr. 1. Prior. cap. 1. text. 8. & libr. 1. Topic. cap. 1. & libr. Elench. cap. 1.* & sæpe alibi, *Syllogismus est oratio in qua quibusdam positis, aliud quiddam ab his, quæ posita sunt, ex necessitate accidit, eo quod hæc sint.* Scio hanc Argumentationis potiùs definitionem esse, quàm Syllogismi: sed hoc modò non urgeo. Scio esse aliquos, qui Syllogismum esse orationem negant, & ne Aristotelis testimonio premantur, dicunt ubi Interpretes Latini habent *Oratio*, Græcos habere vocem λόγος, quæ exponitur *Ratio* & *Oratio*, & ideò Syllogismum dicunt Orationem non esse, rationem esse. At frustrà ipsi ad Græcum textum & æquivocationem recurrunt, nam datur Syllogismus mentalis & vocalis: & datur *Oratio simplex*, quæ ex aliis Orationibus non componitur, & *Oratio composita*, quæ ex aliis Orationibus constat; & Aristoteles nec dixit, nec dicere potuit Syllogismum esse Orationem simplicem; & si una Ciceronis Philippica, quæ ad multa folia se extendit, Oratio dicitur, cur Syllogismus vocari non posset Oratio?

Syllogismi definitio.

Λόγος. Oratio.

Syllogismus mentalis, & vocalis. Oratio duplex: simplex & composita.

ARTICULUS IX.

Quid importet Syllogismi vocabulum?

MLXVII. Proponitur quæstio. DOceri vis, quid *Syllogismi* nomine significetur? An-ne sola Conclusio? An-ne solæ Præmissæ? An-ne potiùs totum hoc aggregatum, quod ex Præmissis & Consequentiâ coalescit? Est quæstio de nomine, & alibi à nobis tractata, quæ breviter debet impræsentiarum retractari.

Sunt, qui primum affirment, & putent sibi Aristotelem opitulari; nam Syllogismum dixit Orationem nempè Conclusionem, quia aliàs, si Syllogismi nomine tres propositiones intelligeret, non illum Orationem esse, sed esse Orationes affirmaret. At hanc rationem levem esse iam ostendimus Philosophum exponendo de Oratione compositâ.

Prima sententia.

MLXVIII. Secunda sententia proponitur, & impugnatur. Sunt qui secundum, & Syllogismi nomine tantummodò Præmissas intelligant. Ita Iulius Pacius *Notis in libr. 1. Prior. cap.* ita & alij.

Contra Pacium Stengelius *cap. 2. §. 18.* inquit. [Carpitur à quodam Hæretici nominis Authore *vulgus*, ut ipse nominat, *Logicorum*, quòd putet conclusionem esse partem syllogismi; cum tamen Aristoteles in definitione *syllogismi* dixerit, conclusionem esse *aliud ab his, quæ in syllogismo posita sunt*, ut indicaret utique conclusionem esse aliud à *syllogismo*. Verùm hic auctor eum se aliquid putet dicere, nihil dicit. Ac ne tunc quidem scopum ferit, cum subjungit, affirmare Aristotelem, *fieri posse, ut conclusio sit vera, quamvis nihil eorum, quæ in syllogismo posita sunt, verum sit.* Nam etsi cõclusio *aliud sit ab iis quæ posita sunt*, non tamen etiam aliud est, ab illâ ratione, in quâ ipsa ex positis sequitur. Enimverò

An conclusio sit Syllogismi pars?

hoc ipso quia *syllogismus* dicitur *oratio in quâ* (non ex quâ) *aliud quippiam ex his quæ posita sunt, ex necessitate accidit*, rectè intelligimus, conclusionem esse partem *syllogismi*. Quid enim illud *aliud* in *syllogismo* est, nisi ipsa conclusio? Et quamvis demus, Aristotelem dixisse, quod altero loco obtrudit Hæreticus, num tamen idem est enunciationem aliquam in *syllogismo poni* seu *proponi*, & *inferri*? certè si *syllogismus* plenus est, & *poni* seu *proponi* aliquid in eo, & *inferri* seu *concludi* oportet. Meritò igitur mirari quis possit, tam hebes argumentum homini acuto in mentem incidere potuisse, &c.

Aristoteles omnibus videtur favere.

Putares Stengelium distare à Pacio toto cœlo, sed audi. [Neque hi plus evincunt, ait, quàm *syllogismum* aliquando accipi pro solis præmissis, quod volens lubens fateor, si enim ait Philosophus 1. *Priorum passim*, & Conimbricensis *ibid. cap. 7. quæst. 2. artic. 1.* Syllogismum constare duabus Propositionibus tribusque terminis: sic affirmat tres figuras esse, propter diversam complicationem extremorum, quæ complicatio in solis spectatur præmissis, cùm medium ingredi in conclusionem non possit. Sic denique 1. *Post. cap. 2.* docet Conclusionem esse effectum syllogismi.]

Pacio non opponitur Stengelius.

Porrò parturiunt montes, oritur mus culus. Impugnatur à Stengelio Pacius, & tandem admittitur ejus conclusio.

Communis sententia.

Sunt qui tertium, hoc est, totum illud artificiale, quod duabus præmissis & una consequentia componitur. Horum doctrina communis est. Eam crebrò tradidit Aristoteles: eam Philoponus *in libr. 1. Prior. caput 1.* Burana 2. *Prior. comm. 2.* S. Thom. 1. *Physic. c. 12.* S. Hieronymus *Epist. ad Paulinum*, qui Syllogismum Propositione, Assumptione, & Conclusione determinat. Consonat Ioach. Perion. *libr. Dialect.* asserens Ratiocinationem simplicem tribus simplicibus effatis constare. Consonant omnes Recentiores, aut ferè, qui eumdem Syllogismum Majore, Minore, & Conclusione, componunt.

ARTICULUS X.

De præmissarum numero.

MLXX. *Proponitur quæstio*

Recognoscis illa verba, *quibusdam positis*, quæ habentur in definitione syllogismi, & inquiris, *An dari syllogismus queat, in quo unica sit tantum præmissa? an etiam, in quo tres vel plures?*

Variæ sententiæ.

Respondeo, in multorum sententiâ ex unicâ præmissâ nihil sequi; & consequenter non esse syllogismum, qui unam præmissam tantùm habeat. Addo esse alios, qui ex unicâ præmissâ putent posse aliquid necessariò deduci, & cum ipsis disputandum non esse, an talis argumentatio debeat vocari *Syllogismus*, nisi velimus de vocum significatione disputare. Noto tamen obiter errasse omninò Antipatrum Stoicum, asserentem hanc argumentationem,

Enthymema.

Tu vides, Ergo vivis,

plenam esse; est enim enthymema, cui deficit major propositio, & reducitur ad hunc syllogismum

Quidquid videt, vivit:
Tu vides;
Ergo & tu vivis.

Sorites, seu syllogismus Acervalis.

si plures sint præmissæ *Acervalem syllogismum* constituunt.

Definitio syllogismi.

Hinc patet syllogismum, quem ad modos & figuras reducit Philosophus, clariùs sic posse definiri, esse *Argumentationem, in qua dantur tres propositiones (duæ præmissæ & una conclusio) è quibus siquis illas admittat, hanc etiam admittere necessariò teneatur.*

ARTICULUS XI.

De quadam argumentatione Virgilii.

MLXXI. *Proponitur Quæstio.*

Legis procellam, quam describit Virgilius, & hanc argumentationem proponis,

Venti Incubuêre mari,
Crebris micat ignibus æther,
Densi funduntur ab æthere nimbi.
Ergo tempestas est.

& utrùm sit bona; & utrùm sit Syllogismus, inquiris.

Aliquorum recentiorum opinio.

Respondet Franciscus Hotomanus Iurisconsultus *libr. Dialect. Inst. cap. 3.* has propositiones esse veras, consecutionem bonam & necessariam, non tamen syllogisticam; & rationem assignat, quoniam Virgilianæ istæ propositiones, non ita inter se cohærescunt, sicut syllogisticæ leges requirunt. Hotomano subscribit Stengelius *de bono & malo syllog. cap. 2. §. 16.*

Resolutio.

At ego hîc Enthymema reperio, & existimo illud sic compleri posse;

Enthymema completur.

Quotiescumque venti incumbunt mari, crebris micat ignibus æther, & densi funduntur ab æthere nimbi, tempestas est.
At nunc hæc omnia accidunt.
Nunc igitur tempestas est.

ARTICULUS XII.

De Stoicorum & Peripateticorum syllogismis.

MLXXII. *Stoicum syllogismum qualis sit.*

Doceri vis, in quo differant syllogismi Stoici à Peripateticis? Quid sit *Tela Penelopes*, de quâ agit Cicero, & alii Authores?

Philippus du Trieu 3. *part. cap. 3. art. 4.* Franciscus Hotomanus *lib. 4. cap. 3.* & Georgius Stengelius *de Syllog. bon. & mal. cap. 2. §. 17.* asserunt *partes Stoici syllogismi infinitas esse, tamdiu enim verborum Series texitur, dum is, qui disserit, quod intendit, efficiat. at Aristoteles vidit, vim & necessitatem conclusionis in illis longa verborum continuatione*

Sorites descensus & ascendens. Tela Penelopes. *tionibus non ita esse perspicuam, ut in paucis. Quamvis aliud hoc syllogismo Stoici velle videantur.* Et de Sorite prædictus Hotomannus cap.14. agens ait, *duplex ejus genus esse, unum in ascensu affirmans, alterum in descensu negans, ob eamque causam à Cicerone tela Penelopes appellatur: quippe qua & texatur & retexatur.*

ARTICULUS XIII.

An præmissæ Conclusionis sint causa?

MLXXIII. *Proponitur quæstio.* Recognoscis iterum definitionem syllogismi Peripatetici, & præcipuè illa verba, *aliquid aliud necessariò sequitur*; & quia audis necessitatem, An-ne præmissæ sint causa conclusionis, inquiris.

Causa formalis: exemplaris: efficiens realis & moralis. Respondeo illas esse quidem causam conclusionis; at non formalem, cum sint causa extrinseca; sed neque finalem aut exemplarem, ut ex se clarum est: Ergo efficientem: At non efficientem Physicam, quis enim actus vitalis alterum physicè producit? & assensus præmissarum iam realiter cum conclusione non ampliùs coëxistit. Igitur præmissas causam efficientem moralem tantùm vocent, necesse est: dum illæ illiciunt intellectū inducuntque in cognitionem veritatis, ad quam suapte natura propendet. Est autem hæc causa moralis in multorum opinione tam potens, ut posito assensu præmissarum, ita necessariò Conclusio sequatur, ut intellectus, nisi extrinsecùs impediatur, nequeat hunc actum suspendere. Sed & hoc aliqui negant. At omnes unanimiter asserunt positis præmissis (possit mens quiescere vel non) non posse assentiri positioni quæ sit Conclusioni adversaria.

ARTICULUS XIV.

Locus Ciceronis examinatus.

MLXXIV. *Propositiones æquipollentes.* Legis in Ciceronis libro de Natura Deorum tertio, *Si omne animal mortale est, nullum est animal immortale.* Et inquiris, ex quibus legibus aut regulis hæc oriatur conclusio.

An subalternæ? An potius æquipollentes sunt. Georgius Stengelius *de syllog. bon. & mal. cap.5.§.43.* ad illud fundamentum Dialecticum, *Dici de omni*, confidenter recurrit, & Franciscum Hotomannum *libr.4.cap.2.* allegat: Sed immeritò, quia illæ duæ propositiones sunt æquipollentes omninò, quod persuadeo per gradus à primâ descendens.

Omne animal est mortale.
Ergo omne animal est non immortale.
Ergo omne animal non est immortale.
Ergo nullum animal est immortale.

Omnes sunt æquivalentes, & merâ pro nunciatione differunt.

ARTICULUS XV.

De Regulis syllogismorum.

MLXXV. *Leges syllogismorū.* Legis Dialecticos & observas millenas Regulas ab eis poni, ut bonus esse syllogismus dicatur. præcipuas ponis. I. *Si plures pauciores-ve termini ponantur quàm tres, monstrosa nascitur conclusio.* II. *Si medius terminus vel ponatur in conclusione, vel non in utràque præmissa, peccat syllogismus.* III. *Si in neutra præmissa medium distribuatur, morbum habet syllogismus.* IV. *Si aliqua præmissa fuerit particularis, & consequentia universalis, mala erit.* V. *Si præmissæ sint merè negativæ, aut merè particulares; non erit bonus syllogismus.* VI. *Si altera præmissa sit negativa, & conclusio affirmativa, nulla erit.* VII. *Si in prima figura Aristotelica vel ex majore particulari vel ex minore negativa in syllogismo directo procedatur, deceptioni via sternitur; non veritati.* VIII. *Si in secunda figura ex majore particulari, aut utraque præmissa affirmativa inferatur conclusio, mala erit; licet ratione materiæ (quod aliquando contingere potest) vera sit.* IX. *Si in tertia aut minor non sit affirmativa, aut conclusio non sit particularis, non erit syllogismus legitimus.* Has omnes inquam Regulas observas, & inquiris, *Primo*, An omnes veræ sint? *Secundò* An omnes necessariæ? *Tertiò*, An possint ad pauciores reduci? *Tres appenditæ quæstiones.*

MLXXVI. *Prima.* *Respondeo ad primum*, omnes omninò eo sensu, quo communiter tradi solent, esse veras.

Secunda. *Ad secundum*, sine illis confici syllogismos non posse; qui enim illas temeret, non jam bonos syllogismos, sed Elenchos aut Paralogismos formabit.

Tertia. *Ad tertium*, has omnes Regulas necessarias fuisse olim dico, antequam syllogismi ad Modos & Nomina reducerentur, jam non esse; qui enim Modi nomen usurpet & eius litteras observet, in nullam ex præmissis Regulis impingere poterit. Interim dabo Protheorema Dialecticum, quod omnes illas Regulas ad unam reducat. *Nota id benè.* Sic inquam: *Syllogismus, qui tali terminorum dispositione conficitur, ut in similis forma dari non possit antecedens verum & consequens falsum, bonus est.* *Regula generalis.* Patet: quia omnes regulæ cò conspirant, ut ex antecedenti vero consequens falsum non oriatur.

***

DISPUTATIO II.

De syllogismorum Modis.

MLXXVI. *An sit aliquid contra quod nihil obiici possit?*

NIhil est tam certum & evidens, quod objectionibus & difficultatibus non sit obnoxium. Omnia quæ de syllogismorum Formis, Figuris, Modisque superiùs tradidi, sunt certa, & supra omnem disputationis aleam posita: sed quia non carent objectionibus, volui sequentes controversias adiicere, ut dissolutis argumentis, quæ contrà conformari queunt, veritas meliùs cognoscatur.

ARTICULUS I.

Quot sint Modi perfecti?

MLXXVIII. *An modi perfecti sint sex?* QVatuor sunt: videlicet in Formâ Platonicâ, *Bammada*, *Dimagni*; *Camene*, *Figmeno*, qui mutato præmissarum ordine transeunt in *Barbara*, *Darii*: *Celaren*, *Ferio*: & spectant ad Aristotelis primam figuram.

MLXXIX. Hinc patet, quid respondendum sit contendentibus esse non jam quatuor, (ut obiiciebat aliquis apud Comptonum *disp. 7. Introd. sect. 3. num. 7. pag. 24.*) sed sex modos perfectos, nam præter *Barbara* & *Celarent*, modos Aristotelicos, & Platonicos ipsis correspondentes, qui habent minores universales; & *Darii*, & *Ferio*, quæ habent minores particulares, possunt adhuc dari duo modi, (Platonicos, Aristotelicos) qui habeant minores singulares: quales sunt isti

Quo pertinent modi singulares?

Omnis homo est animal:
Petrus est homo:
Ergo Petrus est animal.

Nullus homo est lapis:
Ioannes est homo:
Ergo Ioannes non est lapis.

& quidem debere hos duos modos addi sic probant. Ideò præter *Barbara* & *Celarent*, ponuntur *Darii* & *Ferio*, quia universalium propositionum quantitas differt à particularium quantitate: at utraque etiam differt à quantitate singularium: ergò & debent modi isti singulares subjungi.

Respondent *aliqui primò* hos modos posse, imò debere addi. *Alii secundo* illos omissos fuisse ab Aristotele, quia possunt ad particulares [*Darii* & *Ferio*] reduci: nomen enim propositionis particularis sumitur negativè, & significat non-universalem. *Alii tertiò* non esse multiplicandos modos inquiunt, deessent enim vocales ad tot diversos modos ostendendos.

Has tres solutiones subministrat Comptonus ubi suprà; è quibus prima dat manus, tertia est intolerabilis: quid enim modis & vocalibus nostræ linguæ commune? &, ut sit, sicut A significat universalem: I particularem: cur non possent Æ, Y. OE &c. significare particulares. Dicendum igitur est secundam solutionem bonam esse, eamque posse hujus Articuli doctrinâ confirmari: quia cùm omnes particulares, quibus in syllogismis Platonicis & Aristotelicis utimur, sint singulares quoad se, & particulares & indeterminatæ quoad nos, non debet videri alicui mirum, si propositiones singulares & particulares eidem classi accenseantur: utræque enim, quoad se consideratæ, sunt singulares.

ARTICULUS II.

Solvuntur obiectiones quædam contra Modos Bammada, *&* Barbara.

TAmetsi Modi hujus certitudo & efficacia sit demonstrabilis, sunt multi nihilominus, qui multa obiiciant, quibus debemus satisfacere. Sit igitur Objectio

Prima.

HIc syllogismus est in primo Modo Galeni. Videlicet. *Omne primum immediatè antecedit secundum: Omne secundum immediatè antecedit tertium: Ergo omne primum immediatè antecedit tertium.* MLXXX. *An iste syllogismus sit bonus?*

Iste & omnes alij qui subiicientur, ut Stengelius *de bon. & mal. syllog. cap. 6, §. 53.* doctè notat; falsum ex vero videntur inferre, non inferunt: nam, si eos examinemus accuratè, deprehendemus esse pictos syllogismos, non veros. Condemno igitur formam hujus syllogismi; & dico quatuor in illo esse terminos. nam si ad Dialecticæ regulas formaretur, esset is, *Omne primum est immediatè antecedens secundum: Omne immediatè antecedens secundum est immediatè antecedens tertium: Ergo omne primum est immediatè antecedens tertium.* qui nun peccat in formâ; sed haber mino- *Habet quatuor terminos.* *Corrigitur.*

minorem falsam, quæ in consequentium ipsam etiam falsitatem derivat.

Secunda.

MLXXXI. *Alii duo syllogismi proponuntur & indicantur.*

PRoducunt adversarij duos syllogismos similes. Primus est, *Omnes Dilingani sunt Germani, Omnes Germani sunt tota natio: Ergo omnes Dilingani sunt tota natio.* Secundus, *Omnes Arithmetici sunt homines; Omnes homines habent omnem scientiam, Ergo omnes Arithmetici habent omnem scientiam.*

Quomodo cognoscatur terminus distributivus.

Condemno utrumque syllogismum, quia vel minor sumitur collectivè aut distributivè. Si collectivè, neuter est in *Bammada*; quia A significat universalem distributivam & non copulativam. Si distributivè, utraque minor est falsa: quia, ut suo loco exposuimus, tunc *Omnis* sumitur distributivè, cùm æquipollet voci *Quilibet*. & istæ duæ minores, *Quilibet Germanus est tota natio, Quilibet homo habet omnem scientiam*, falsæ sunt.

Tertia.

MLXXXII. *De syllogismo disjunctivo.*

DIcunt hunc etiam syllogismum esse bonum; videlicet. *Omnis canis est rationalis vel irrationalis: Omne rationale vel irrationale est homo: Ergo omnis canis est homo.*

Quo modo debeat confirmari.

Et ego bifariam respondeo. Dico primò, propositiones disiunctivas in ejusmodi syllogismis non habere locum; sed pertinere ad propriam argumentationis speciem (vocetur *syllogismus*, aut non) quam alibi expono. Dico secundò propositiones disiunctivas posse etiam ad hos syllogismos reduci, si debito modo ponantur: debereque illum syllogismum sic reponi; *Omnis canis est ens, quod est rationale vel irrationale: Omne ens, quod est rationale vel irrationale, est homo: Ergo omnis canis est homo.* Et si exponatur sic, minor evidenter est falsa: nam equus est ens, quod rationale vel saltem irrationale est, & tamen equus homo non est.

Quarta.

MLXXXIII. *Secundæ intentiones non debent cum primis confundi.*

EX primis ad secundas intentiones transeunt, & hunc syllogismum proponunt. *Omne rationale est homo: Omnis homo ponitur in prædicamento: Ergo omne rationale ponitur in prædicamento.*

Condemno hanc concludendi formam, quod secundas confundat intentiones cum primis. Et placet Toletus *libr.5. Introd.cap.15.* qui hanc regulam generalem, & mihi specialissimè faventem tradit. *Omnia*, ait, *quæ uni conveniunt secundum id, in quo ab altero differt, de altero affirmari non possunt.* unde sensibilitas, quæ Homini convenit secundum rationem animalis, in quâ cum equo convenit, potest affirmari de equo. At risibilitas, quæ convenit homini secundum id in quo differt ad Equo, non potest affirmari de Equo. Quamobrem, cùm *Rationale* in tantum ponatur indirectè in quantum distinguitur ab Homine, eo sensu quo distinguitur, Homo non est.

Quinta.

MLXXXIV. *Considerantur benè hic syllogismus.*

OBiiciunt iterùm. *Omnis homo est animal: Omne id est animal quod est equus: Ergo omnis homo est Equus.* Et quia multi similes formari possunt, plurimos id genus subiiciunt.

An sit in Bammadâ

Et tamen hunc ego & omnes similes dico ad secundam figuram pertinere; quoniam illa minor, *Omne id est animal, quod est equus*, non æquipollet huic, *Omne quod est animal, est equus*; neque huic, *Omne animal est equus*: sed huic omninò, *Omne quod est equus, est animal*, & huic etiam; *Omnis equus est animal.* Cùm ergo in secundâ figurâ ex puris affirmativis nihil sequatur, quid mirum si ex antecedenti vero, faciente abortum Logicâ, consequens non verum nascatur.

Sexta.

MLXXXV. *An iste syllogismus sit bonus?*

ADdunt hunc etiam syllogismum, quem putant difficillimum esse. Sic inquiunt *Omne falsum est altera pars contradictionis: Omnis contradictionis altera pars est vera: Ergo omne falsum est verum.*

Respondere posset aliquis ex Georgio Strengelio *cap.6. iam citat. §.57.* & dicere, hunc syllogismum nequaquam esse in *Bammada*; licèt sophistico cohonestatus colore in *Bammada* esse videatur. Nec enim minor est universalis, sed particularis ob signum *Altera*, quod est particulare in certo genere, nimirùm duorum, in quo est universale affirm. *Vterque*, & universale negat. *Neutrum.* At verò signum *Omnis*, quod est occasio deceptionis, est tantùm syncategorema & genitivus cohærens. Par ratio foret, si minor esset hæc *Aliqua pars omnis contradictionis est vera*, quæ quidem propositio sensum habet disiunctum, quia non est sensus, *quod omnis contradictionis affirmatio sit vera*, vel *quod omnis contradictionis negatio sit vera*, sed quòd affirmatio vel negatio confusè & indeterminatè sit vera. Rectèque ait Fonseca, sub subiecto particulariter & indeterminatè sumpto nō licere sumere determinatum singulare, ratione cujus particularis sit vera, quod tamen fit in obiecto *syllogismo*. Progreditur acutè Stengelius, & mutat majorem hoc modo; *Omnis contradictio habet alteram partem veram, sed omne falsum est altera pars contradictionis, ergo omne falsum est verum.* Et quomodo hunc syllogismum proponenti respondet? Iam fatendum est, inquit, majorem esse universalem, sed conclusio tamen nondum est sanata, quamvis nunc alia de causa ægrotet. Est enim *syllogismus ex obliquis & affirmativè concludens*, qui duo præcepta violat: oportet enim in hujusmodi *syllogismis*, *ut extremum obliquum in an-*

Syncategorema Alter est particulare.

A singulari ad particulare valet consequentia: non contrà.

De Obliquorum syllogismorum legibus. *antecedente, sit obliquum in consequente: item ut cum medium fuerit obliquum in una sumptione, extremum alterius sumptionis sit obliquum in conclusione.* Quod hic non fit. Sic discurrit de Obliquo syllogismo Stengelius, & paucis verbis multa congerit; quæ in Logicâ Obliquâ uberiùs esse falsa probavi. Ergo omittamus considerationem obliquorum, & videamus, an sit alius defectus. Est, inquit, nimirum mutatio medij termini; in majore enim dicitur: *omnis contradictio*, in minore autem, *altera pars contradictionis.* Hinc unà extincti sunt frigidissimi illius Othmari Luscinij Argentini sales, cujus joco 16. hæc sunt, *Magister arguitur vobis sic. Cujuslibet contradictionis altera pars est falsa. Vestra positio est altera pars contradictionis. Ergo, &c. Est formalis discursus in Darij.* Item quæ ad hæc respondentis argutiæ. *Cujuslibet contradictionis altera pars est falsa. Quidquid in me dixisti, altera pars est contradictionis. Ergo totum illud est falsum.* Vbi tamen aptiùs distribuit respondens syllogismum, quàm proponens universale signum.

Septima.

MLXXXVI ET quia Periodos sacræ paginæ summâ tenemur veneratione & animi demissione suscipere, unam vel alteram cooptant, & nos invadunt. Sic obiiciunt. *Omnis, qui diligit iniquitatem, odit animam suam: Omnis qui odit animam suam, est dignus Christo: Omnis igitur, qui diligit iniquitatem, est dignus Christo.*

Homo bifariam potest odisse animam suam. Et respondeo esse quatuor notissimus terminos; nam *odisse animam suam* multifariam exponitur, & in singulis præmissis diversimodè. Habemus Animam sensitivam & rationalem, aut saltem unicam duabus æquivalentem. Qui in hac vitâ genio, luxui, hoc est, sensui indulgent & serviunt, amant quidem pro tempore Animæ sensitivæ delitias, at rationem, in quam peccando impingunt, odio habent; & ideò dicuntur Animam rationalem odisse. Contrà verò viri pij & religiosi, rationi serviunt, & eius ductu feruntur, quò spiritus sanctus impellit; & quia sæpè jubentur dura & aspera pati, sensum & dolorem non curant, & ideò dicuntur Animam sensitivam odisse. Primo sensu intelligenda est major, & David Psalm. 10. dicens: *Dominus interrogat iustum & impium; qui autem diligit iniquitatem, odit Animam suam.* Secundo sensu minor, Christusque, qui apud Lucam cap. 14. 26. sic loquutus est turbis. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & Vxorem, & Filios, & Fratres, & Sorores, adhuc autem & Animam suam* (hoc est, si non postposuerit mihi authoritatem sui Patris, Lachrymas Matris, blanditias Vxoris, Filiorum amorem, & dilectionem Fratrum Sororumque; & quod maius videbitur, propriam commoditatem, luxum, recreationes, delitias, & si necessarium fuerit ipsam vitam: hæc enim omnia significare solet *Anima*) *non potest meus esse discipulus.* Eodem omninò sensu exponendus est Christus, cùm apud Matthæum 16. 24. loquitur discipulis suis; & ait. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam* (contra me) *salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Et eodem omninò sensu intelligenda sunt multa alia testimonia, quæ Animæ odium ad vitam æternam requirunt. *Quid significet Animæ?*

ARTICULUS III.

Enodantur argumenta nonnulla, quæ contra Camene, & Celarent *formantur.*

ETiam suos insultus patitur is modus; sed quos facilè & demonstrativè retundat: Est enim Objectio

Prima.

DAtur syllogismus in *Camene*, qui non sit bonus, ergo iste Modus debet reiici. Probant antecedens, & producunt sequentem. *Omnis homo bibit aquam. Nulla aqua bibit vinum: Ergo nullus homo bibit vinum.* M LXXXVII *Syllogismus obliquus.*

An sit bene formatus? Sed verbo ego formam condemno, debebant enim colligere sic. *Omnis homo est bibens aquam; Nullus bibens aquam est bibens vinum; Ergo nullus homo est bibens vinum.* Et jam mirum non erit, si consequentia falsa sit, siquidem è falsâ minore subnascitur.

Secunda.

IDem antecedens firmant alterum syllogismum producendo: nimirùm *Omnis homo est animal, dum dormit: Nullum animal dum dormit, vigilat: Ergo nullus homo vigilat.* M LXXXVIII *Syllogismus temporaneus.*

An bonus sit? Et respondeo illa verba *dum dormit* pertinere ad subiectum, & non ad prædicatum; quoniam hæc Propositio: *Omnis homo est animal, dum dormit*, æquipollet huic, *Omnis homo, dum dormit, est animal*, unde sequitur syllogismum sic debuisse formari, *Omnis homo, dum dormit, est animal: Nullum animal vigilat: Ergo nullus homo dum dormit, vigilat.* In quo forma est bona, minor falsa, & consequens verum per accidens; nam verum etiam deducitur ex falso. *Verum ex falso.*

Tertia.

PRoducunt etiam hunc multò difficiliorem syllogismum; videlicet. *Omnis homo per se est animal: Nullum animal per se est rationale: Ergo nullus homo per se est rationalis.* MLXXXIX *Syllogismus reduplicativus.*

An legitimus & bonus sit? Respondeo formam esse bonam, minorem verò falsam; nec mirum esse etiam falsam conclusionem, non enim necessariò & per se concludi-

cluditur verum ex falso. Minorem falsam esse persuadeo; quia ejus contradictoria, *Aliquod animal* (nimirum, Homo) *per se est rationale*, est vera.

ARTICULUS IV.

Solvuntur objectiones, quæ contra Dimagni, *&* Darii *occurrunt.*

TAmetsi apud Dialecticos axiomate vulgatissimo circumferatur, *non posse negari consequentiam in Darij*, à quo *Dimagni* ordine mero præmissarum distinguitur, non desunt rationes nihilominùs, quæ solutione indigeant. Aliquas expendemus. Sit hæc

Prima,

MXC. Syllogismus Arithmeticus. AB Arithmetica sumunt exordium, & assumunt sic. *Quinque sunt duo & tria: Duo & tria sunt par & impar: Ergo & quinque sunt par & impar.*

An sit in Darii? Et respondeo primò, me non videre, quo iste syllogismus modo dicatur esse in *Darij*. Sed in quocumque ille modo sit, malus est. Ejusdem vitia detegit Franciscus Harlæus *part. 3. Artificij Logici. cap. 33.* item Franciscus Hotomanus *libr. 4. cap. 28.* ubi totam homonymiam ad sensum compositum & divisum reducit, illosque exponit & exemplis curiosis illustrat. Sic ego breviter. *Numeri bifariam sumuntur formaliter & materialiter.* Dico Quinarium posse bifariam sumi, formaliter & materialiter, primo sensu est unus numerus, non duo numeri. Secundo est duo numeri, quia habet duorum numerorum materiam. His positis sic ad formam respondeo. *Quinque sunt duo & tria*: distinguo; in sensu formali, nego; in materiali, transeat. *At duo & tria sunt par & impar*, concedo minorem. *Ergo quinque sunt par & impar*, distinguo consequens. Quinque si sumantur formaliter, hoc est Quinarius est par & impar, nego: Quinque si sumatur materialiter, hoc est, materia Quinarij est par & impar, transeat: certum est enim Quinarium componi materialiter ex Binarij & Ternarij materiâ. Hinc patet quo sensu dictum ab Aristotele *Bis tria non esse sex*, *An bis tria sint sex.* & quo sensu dicatur semper ab Arithmeticis *Bis tria esse sex*; ille enim in formali, & isti in sensu materiali loquuntur.

Secunda.

MXCI. De suppos-[illegible] CHristus est Verbum: *Omne Verbum est vox; Ergo Christus est vox*, syllogismus est in *Dimagni*; nec tamen bonus. Firmari poterit objectio mille exemplis similibus. Hunc ponit Seneca epist. 48. *Mus rodit caseum. Mus est syllaba, Ergo syllaba rodit caseum* Vide etiam illum epist. 45. Hunc in libr. de Magistro Augustinus; *Ex cujus ore prodit Leo, prodit immanis bestia: Sed ex illius ore, qui Leonem nominat, prodit Leo: Ergo ex illius ore, qui Leonem nominat, prodit immanis bestia.* Hunc Tolerus Introd. libr. 5. cap. 1. *Gladius est secundæ declinationis: Ensis est gladius: Ergo Ensis est secundæ declinationis.* Et Hotomanus libr. 4. cap. 28. *Homo est duarum syllabarum; Constantinopolitanus est homo: Ergo Constantinopolitanus est duarum syllabarum.* Addere posses alios, qui apud Authores reperiuntur. Talis est: *Deus est ubique, Ubique est adverbium: Ergo Deus est adverbium.* talis & iste, *Quidquid dicis, per buccam transit: Currum & Equos dicis: Ergo Currus & Equi per buccam transeunt.*

Ut solvam primum syllogismum, à cujus solutione reliqui universi dependent, in memoriam revoco doctrinam positam superiùs. *In argumentis debet servari suppositio.* de suppositione materiali & formali: vox enim materialiter sumitur, cùm pro se ipsa. formaliter cùm pro significato. Hâc doctrinâ præmissâ dico in singulis syllogismis præmissis esse quaternos terminos; medium enim semper sumitur in alterâ præmissâ materialiter, & in alterâ formaliter: vel saltem aliqua extremitas aliter in præmissis & aliter in conclusione supponitur. Quod si ita accipiamus terminos, ut non varietur suppositio, hoc sensu plerumque consequentia, imò & altera præmissa, erit falsa.

Tertia.

SOlent aliqui & istum syllogismum proponere. *Clodius est animal, Omne animal sublato cibo moritur; Ergo si Clodio omnem cibum auferas, omne animal moritur.* MXCII.

Non urgeor, quia consequentiam condemno; est enim exorbitans & illegitima cùm inferri deberet hæc, *Ergo Clodius sublato cibo moritur.*

Quarta.

OBiiciunt iterùm. *Petrus est animal, Omne animal fuit in arca Noha, ergo Petrus fuit in arca Noha.*

Respondeo distinguendo minorem: nam si illa vox *Omne animal*, æquivaleat huic, *ex omni specie aliquod animal*, erit vera; sed syllogismus habebit quatuor terminos, non enim sic *Animal* sumitur in majore: si autem *Omne animal*, æquivaleat huic, *Omnia animalia individua nullo dempto*, tunc non erunt quatuor termini, sed erit falsa minor, & falsam consequentiam pariet. *MXCIII. Quo sensu capiantur positiones universales*

ARTICULUS V.

Contra Figmeno, *&* Feriò *nonnullæ objectiones solvuntur.*

DEdimus syllogismos fortissimos, & Modi efficaciam demonstravimus: nunc, quia contrà insurgis, occurro, & quid contra vetus, expecto. Obiicis ergo

Primò

Primò

Hic iterum suppositio mutatur.

HUnc Syllogismum, *Homo est animal; Nullum animal est species, Ergo Homo non est species.* Hunc eumdem Syllogismum firmas, alios similes ex aliis Modis producendo. Videlicet; *Petrus est homo, Homo est species, ergo Petrus est species*, Et iterum, *Ioannes est animal, Animal est genus. Ergo Ioannes est genus.* Et iterùm, *Homo est rationalis, Rationale est differentia; Ergo homo est differentia.* Vel sic, *Rationale est homo, Homo non est differentia sed species, ergo rationale non est differentia sed species.*

An animal species sit.

Respondeo semper ludi æquivoco, & semper poni quatuor terminos; quoniam in alterâ præmissâ agitur de primis intentionibus, & de secundis in alterâ: Si semper maneant tres termini, semper aliqua præmissa erit falsa, & illatam consequentiam inficiet. Illa enim propositio, *Nullum animal est species*, est falsa; cùm potiùs verum sit dicere multa Animalia esse species; omnia enim, quæ contracta unicâ tantùm differentia, ut Homo, Equus, Leo, &c. species sunt. Consultò *unicâ* dico; nam Petrus est Animal contractum duabus differentiis; nimirùm Rationalitate & Petreitate. In reliquis syllogismis observandum hoc est: nimirùm, medium in majori sumi primò-intentionaliter, & secundò-intentionaliter in minori; & ideò quatuor terminos esse. Quod si jubeas illud ubique primò-intentionaliter sumi, omnes minores erunt falsæ: quod si illud ipsum utrobique jubeas secundo-intentionaliter accipi, omnes majores erunt falsæ; & inde orientur consequentiæ legitimæ non tamen veræ.

Secundò.

MXCV. Hic iterum suppositio mutatur.

OBiicis hunc Syllogismum, *Petrus est vox, Omnis vox est sensibilis, & nulla sensitiva est: Ergo Petrus sensibilis est, sensitivus non est.*

Et Ego eumdem rego si quatuor termini esse dicantur. Si debeant manere tres tantùm, hoc est, *Petrus* in majore & conclusione eodem modo supponi, dicam consequentiam esse legitimam, & sumptâ voce *Petrus* materialiter, veram; quoniam hæc vox *Petrus*, sensibilis est, non sensitiva; at eâdem voce *Petrus* sumptâ formaliter pro ipsomet Petro dicam majorem & consequentiam esse falsas.

ARTICULUS VI.

Obiectiones contra cæteras figuras & modos & specialiter contra Cesare.

OMnes cæteri modi ad quatuor istos reducuntur: & hanc ob rem, dum propugnantur isti, etiam cæteri sunt propugnati. Interim, quia contra *Cesare* secundæ Figuræ primum modum nonnullæ obiectiones occurrunt, illas dilucidabo. Et quia in mundo sunt plurimi, qui armis, qui linguâ, qui ingenio in Cæsarem ausi, non mirabitur Logicus, si tela videat torqueri contra *Cesare*. Sit igitur Instantia.

Prima.

MXCVI. Syllogismus temperamentum.

IN modo *Cesare* dari potest antecedens verum, & consequens falsum; ergo est spurius & inutilis. Antecedens probas hunc syllogismum proponendo, videlicet; *Nulla propositio est vera, quando est falsa; At omnis Assertio impossibilis est falsa: Ergo nulla Assertio impossibilis est propositio.*

Stengelii Censura.

Georgius Stengelius *libr. de bon. & mal. Syllog.* §. 60, sic respondet. [Cavilli & scirpi. nam sub quatuor terminorum stibio mendacium astringit: quia medium variat, si in majore sit hoc totum *vera quando est falsa*, pro medio; & in minore hoc tantùm *falsa*; sin ultima illa pars majoris, scilicet, *quando est falsa*, sit pars subiecti, tunc *syllogismus* quidem erit in prima figura, sed quatuor terminos non excutiet: imò geminus istum *syllogismum* insidebit error, quia pro majore extremo etiam medium vel pars medij conclusionem ingredietur.

An particula quando [illegible] ad subiectum aut prædicatum an ad copulam?

Alij existimant illam particulam *quando est falsa*: nec afficere subjectum, nec prædicatum, sed copulam, hoc est verbum *Est*, debereque sic totum syllogismum scribi. *Nulla propositio, quando est falsa, est vera; Omnis Assertio impossibilis, quando est falsa est vera. Ergo nulla Assertio impossibilis, quando est falsa, est propositio.* Et aiunt hunc esse bonum Syllogismum, sed habere minorem & consequentias falsas. Nec volunt illa verba, *quando est falsa*, à conclusione proscribi; tota enim copula debet reperiri in singulis propositionibus: quod ni fiat; non erunt syllogismi boni. Iste, *Omnis homo fuit Embryo*: est malus, & tamen esset bonus, si *fuit* in omnibus assertis poneretur. Sed quia idipsum suas patitur difficultates; nihil definio, rem suo loco examinabo accuratiùs; & nunc istum Syllogismum subscribo. *Petrus anno præterito fuit doctus, Omnis qui fuit doctus anno præterito, eodem anno fuit dives: Ergo Petrus anno præterito fuit dives.*

Secunda.

MXCVII. Syllogismus obliquus?

COnfirmant objectionem positam subiiciendo; *Nulla rubedo est albedo; Omnis rosa est capax albedinis: Ergo nulla rosa est capax rubedinis.*

Aliqui, ut respondeant, recurrunt ad Fonsecam, qui *libr. 6. Instit. cap. 30.* ait, *In negativè concludentibus, si affirmativa tantùm fuerit ex obliquo, nihil benè conclud:* alij hæc eadem Fonsecæ verba falsa censent, aut [illegible], alij obscura. Ego facillimè me expedio, & positum syllogismum reficio, quia in illo quinque reperio terminos. Primus est *Rubedo*, secundus

cundus *Albedo*, tertius *Rosa*, quartus *Capax albedinis*, quintus *Capax rubedinis*. Quodsi velis tribus uti tantummodò, ut debes, dic, *Nulla rubedo est albedo; Omnis rosa est albedo, Ergo nulla rosa est rubedo*, vel aliter, *Nullum capax rubedinis est capax albedinis, Omnis rosa est capax albedinis, Ergo nulla rosa est capax rubedinis*. Vterque enim Syllogismus erit bonus, at prioris minor, posterioris major & conclusio erunt falsæ.

Tertia.

MXCVIII. *Quid vox Mortuus significet est inquirendum.*

INsurgunt iterum, & hunc Syllogismum obiiciunt. nimirùm, *Nullus homo est non ens, Omne mortuum est non ens. Ergo nullus mortuum est homo. Ergo nullus homo est mortuus.*

Quid vox Pictus?

Et quatuor terminos esse respondeo: *Ens* enim sumitur æquivocè, videlicet, pro Ente secundum essentiam, & Ente secundum existentiam. Si agatur de Ente secundum essentiam, minor est falsa, major vera: si de Ente secundum existentiam, major est falsa, minor vera. Et hîc obiter observari volo ex Philippo du Trieu *tract.* 4. *p.* 2. *a.* 2. *cap.* 2. vocem *Mortuus* respectu vocis *Homo, Animal*, &c. esse determinationem alienantem, quæ planè tollit significationem vocis cui conjungitur. Idem dicam de voce *Pictus*, nam pictus homo, seu hominis pictura, non est homo.

Ens bifariam sumitur: essentialiter, & existentialiter.

DISPUTATIO III.

De Discursu insolubili, & Præmissas suas falsificante.

DE solubilibus Elenchis; qui ut plurimùm in æquivocatione consistunt, multi egerunt, & doctè: verùm de insolubilibus, omninò pauci. At quia inter paucos optimè Stengelius disseruit, eumdem proferam & examinabo.

ARTICULUS I.

Quid sit discursus insolubilis?

MXCIX. *Quæ sint rationes insolubiles? Quæ propositiones se falsificantes?*

VOcantur insolubilia Sophismata, quæ ad se falsificantes propositiones reducuntur: & illæ hoc gaudent nomine, quæ se ipsas destruunt. Plurimæ sunt ejusmodi apud Logicos; unam aut alteram exponio, ut de reliquis analogum judicium sit. Esto PRIMA. *Iuro me nunquam jurare*, quæ se ipsam videtur destruere. SECUNDA verò, *ego semper mentior*, quæ eodem morbo laborat. Et utramque discutio. Sic discurro. *Si prima vera sit, erit etiam falsa: si falsa sit, erit non vera; Ergo si vera sit, erit non vera.* Videtur monstrum potiùs rationis, quàm legitimus discursus hæc periodus: at majorem persuadeo. Si vera sit, Ego nunquam juro; & si nunquam juro, nec nunc juro: & si nunc non juro, aut hæc positio, *Iuro*, est simul vera & falsa, aut hæ duæ, *Iuro*, & *Non juro*, simul veræ. De alterâ eodē modo philosophor, Sic inquam. *Si secunda sit vera, erit etiam non-vera: ergo erit simul vera & non-vera.* Dedi iterùm alterum monstrum. Antecedens persuadeo. Si est verum, ajo, quod nunc dico, Ego semper mentior; etiam nunc mentior: si nunc mentior, illud quod nunc dico, non est verum; ergo de primo ad ultimum; Si illud quod nunc dico est verum; illud quod nunc dico non est verum. Ergo in tali hypothesi una & eadem positio non solùm erit vera & non-vera: sed, quod omninò mirabilius, ideò erit non vera, quia est vera.

An falsum et verum simul esse queat possit?

Sic innodamur ejusmodi Propositionibus, quæ videntur nodo Gordio similes, qui excidi potuit, & solvi non potuit. Ergo, siquidem hunc hucùsque nodum difficultatis nemo solvit, nec olim soluturus speretur, has Propositiones falsificantes *insolubiles* esse dicamus, illasque exeidamus ab omni disputationis genere, & ab omni excursu doctrinali excludamus.

Nodus Gordius.

Nota.

MVlti insolubilia omnia argumenta ad Dilemma reducunt, quod ipsa nulla alia forma meliùs poni & opponi soleant, quàm bimembri. Alij illa ad Syllogismum: alij aliò. Me judice quolibet possunt: nec est cur nimium in te non nimia inhæreamus: ad majora & utiliora transvolemus.

ARTICULUS II.

An sit bonum agere de Insolubilibus? an de Sophismatibus? An sit honestum? an delectabile?

MC. *Quotuplex bonum sit?*

BOnum triplex: Honestum, Vtile & Delectabile. De Vtilitate statim agam: modò

Stobæus serm. 80. *Lipsius exponens istū locum Senecæ.*

modò de Honestate nonnulla, nonnulla de Delectabilitate. Seneca Epist. 45. *Ista sine noxa decipiunt, quomodo Præstigiatorum acetabula & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat.* Et Arcesilaus teste Stobæo & Lipsio, dicebat *Dialecticos similes Præstigiatoribus, qui jucundè decipiunt.* Homines sunt circumforanei, qui ludo aut agilitate manuum mira patrant. Hic ipse lusus ab Hispanis *Juego de manos* dicitur, estque hodie in usu, ipseque pueris & plebi in admiratione. Vtuntur acetabulis (sic sua vascula aut pyxides vocari volunt) quibus diversimodè motis & transpositis, calculi, nummi, grana &c. liquescunt, cuduntur, formantur, transmutantur, ut arte Magicâ fieri arbitrêre, quod fieri posse naturali non credis. Sed cur hæc vascula vocantur *Acetabula*? Sunt qui *Acceptabula* vocare malunt. Sunt, qui vocem retineant, sed corruptam existiment, & ab accipiendo derivent: sunt qui ab aceto, nam sicut Hispani nominant *Vinageram* (hoc est *Vinageram*) non solùm vitrum, quod habet vinum, sed quod aquam, ita potuerunt Latini horum hominum vascula *Acetabula* dicere, nomine ab aceto deducto, & ampliato postmodum, ut non solùm acetaria, sed etiã quæcumque alia significarent. inde fortè occasione denominationis acceptâ, quia Præstigiatores interdum liquores mira facilitate convertant, ut cùm oleum habere te putas, non nisi acetũ habeas. Græcus eos vocat ψηφοπαίκτας, quia ludunt calculis; ψηφοκλέπτας, quia furtim eos transferunt; ψηφολόγους, quia verbo aut cogitatione illos transmutare creduntur.

Dialectici similes Præstigiatoribus.

Acetabulum. Acceptabulum. Vinagera.

Psephopæcta. Psephoclepta. Psephologi.

MCI. *Multa scire possumus, quibus uti non possumus.*

Stando igitur similitudini pronuntio Dialecticam præstigiatoriam esse artem delectabilem & admirabilem; quam tamen honestè audias, quâ tamen utaris inhonestè. Præstigiatores homines viles sunt, & tamen ingenuos & doctissimos recreant: & Sophistæ parvi væneunt in foro, & tamen viros illustres rapiunt & delectant. Oportet scire ut minimum, præstigias ejusmodi agilitate manuum fieri in foro, & agilitate mentis in scholâ formari, ne vel ibi vel istic decipiatis. Et tametsi illis uti inhonestum videatur utrobique, nihilominùs callere artem, & posse respondere illi, qui te fallere velit, honestum & gloriosum est.

ARTICULUS III.

An sit utile agere de insolubilibus?

MCII. *Curiositas sumitur in bonam & in malam partem.*

CVriositas æquivoca vox est, & in bonam & in malam partem accipitur; & tu, quia severum Scholasticum agis, vocem sumis pro vitio, & curiosum asseris, utile negas, agere de quæstionibus insolubilibus. Sophismata ista sunt de quibus tantam esse librorum copiam concinnatam quadragesima-sexta Epistolâ conqueritur Hispanus Seneca. Nugas istas argutias excesse à scholis præcipit Epist. xx. & VI. cui consonant Iuris-periti cùm nimiam subtilitatem in legum expositione reprobant, & Iustus Lipsius libr. 1. de Physiologia Stoicorum dissert. 1. *Quæ dementia*, inquit Seneca, *supervacanea discere in tanta temporis inopia!* & iterùm, *Quantum temporis quibusdam verborum cavillatio eripit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent!* Sed & alij, quibus viam aperuisse videtur Ariston, Philosophos, qui ejusmodi Dilemmatum expositioni insudant, cancros comedentibus comparant, nam propter exiguum aut etiam insalubre alimentum circa crustras & testas nimiâ diligentiâ laborant.

An nimia subtilitas damnanda sit?

Quales Logici sint?

MCIII. *Quid homines ingeniosi sentiant*

Sic fortè contra ista folia insurgent, qui subtilia regerunt, quia non capiunt: at illi, quibus subtilia ingenia dedit Deus, his difficultatibus non perterrentur, sed irritantur potiùs, ut illas conentur superare. Non sunt in solâ Logicâ istæ difficultates, in aliis etiam Facultatibus ipsæ tumultuant & in oceanis aliis procellescunt. Rhetores torquent & exercent Asystati, Dialecticos Antistrephi, & Legum-peritos Perplexa. Theologi patiuntur Euripos, Ethici tenebras, eò periculosiores, quò minùs cæcas. Si summa esset in his controversiis obscuritas, laterent ipsæ: si summa claritas, non solùm illæ, sed etiam earumdem solutiones paterent: at quia crepusculinâ luce tegimur

Resolutio.

> *Talia ne audimus, Dialectice, verba; dolemus,*
> *Et dici potuisse, & non potuisse refelli.*

MCIV. Ergo disputationem hanc summè esse necessariam resolvimus, & sine eruditionis damno ignorari non posse.

An veteres de hoc argumento scripserint?

Eiusdem olim fuerunt sententiæ prisci Philosophi, qui libros integros de hoc subtili argumento conscripserunt. Theophrastus enim libros tres de mentienta composuit, & Chrysippus tres de solvendo mendacio: duos de dissectione solventes mentientem (dissectionem dicebant veteres, quam distinctionem hodie nuncupamus) de introductione ad mentientem, qui etiam sermones mentientes complectuntur. Patres etiam antiqui glorioso ingenij acumine nodos argumentorum plurimos contra Hæreticos, plurimos contra Ethnicos dissolverunt. Mira est respondendi fœlicitas, quam suspicimus in D. Gregorio sæpe inferiùs citando; quam etiam in D. Augustino in Psalm. 115. de sententia, quæ in contrarium vertitur: quam in D. Basilio & D. Hieronymo ibidem: quam in aliis. Horum igitur insistentes vestigiis amare subtilia discamus; & quia tractatus de insolubilibus subtilissimus est, illi diligentissimè studeamus.

Dissectio, quid?

Nec contra hanc diligentiam argutatus est Seneca, cuius mentem exponemus statim; nec benè appropriantur verba Aristonis; non enim

Bona est malorum meditatio.

enim parvus & insaluber est fructus, qui ex Insolubilium contemplatio sumitur. Et hinc patet, quo debeant modo solvi objectiones, quæ positæ sunt in initio.

ARTICULUS IV.

An sit utile agere de Sophismatibus?

MCV. NEmo solvere potest nodum, qui modum, quo fieri solet nodus, nesciat; nemo ergo solvere poterit Paralogismos, qui nesciat, quo illi modo formantur. Eam Dialecticæ partem, quæ illos docet fabricari & vitare, per antonomasiam Græci *Philosophiæ* nomine insigniverunt, quod in totâ Scientiarum encyclopædiâ nulla facultas sit, in quâ plus studium & sapientia reluceat. Hinc Apostolo lux. *Videte, ait, nequis vos seducat, per Philosophiam, & inanem fallaciam:* ubi videtur explicare, quid intelligat nomine Philosophiæ; hoc enim cùm sumitur pro Dialecticâ Paralogisticâ, significat inanem fallaciam.

Philosophia nomen per antonomasiam, quid significet?

ad Colossens. cap. 2.

Hoc eodem sensu vocem sumpsit S. Ambrosius *libr. cap. 2. de Abraham Patriarchâ,* ubi ait. *Magnus planè vir Abraham, & multarum virtutum clarus insignibus: quem votis suis Philosophia non potuit æquare. Denique minus est quod illa finxit, quàm quod iste gessit.* Ecce in Ambrosii Lexico ab amore nimio, & scientiâ nimiâ dicitur Philosophia: nimium enim amat, cujus vota naturæ potentiam excedunt; multum scit, cujus ideæ superant veritatem.

Scientia à nimio nimia.

MCVI. *Paralogistica.* Cùm igitur Paralogica Philosophia sit fingendi ars, & fallendi doctrina, cui multi diligenter student, ne ipsi nos seducant per Philosophiam & inanes fallacias, opus est nobis magnâ diligentiâ & studio; nec enim pericula vitare poterimus, nisi illam eamdem didicerimus arte, quâ nobis præparantur insidiæ.

ARTICULUS V.

An sit eadem Argumentatio, Sophistica, Insolubilisque?

MCVII. QVæstio est de mero nomine, & tamen præscindendo à vocabulis, magna est inter Sophisticas & Insolubiles argumentationes & retorsiones differentia. Sophistica enim quæstio, illa est, quæ solvi à viro docto potest, & multos confundere solet; illa quæ non tam viribus propriis, quam ignorantiâ Respondentium subsistit. At Insolubilis vocatur illa, quæ solvi non potest, quæ universos (aut doctos, aut indoctos) confundit; nimirùm, quæ viribus propriis, & non ignorantiâ Respondentium subsistit. Si Quæstionem aliquam, quam insolubilem existimo, tu scias solvere; illa hoc ipso non erit Insolubilis sed à meâ ignorantiâ vires sumet. Hæc ad rem pertinent: de nominibus nonnihil subjungamus.

Argumentum Sophisticum, quid?

Impossibile, quid?

Nota id bene.

MCVIII. *Argumentum Pseudographum.* Peripatetici benè utuntur vocabulis, & Insolubilem argumentationem, quam Pseudographam vocant, à Sophisticâ & fallaci distinguunt; at hodie liberiùs Recentiores loquuntur, & ut benè notat Lælius Bisciola *Horarum succes. tom. 2. libr. 5. cap. 8.* & Stengelius *de Insolubilium speciebus §. 2. pag. 5.* omnes insolubilium argumentorum nodos, qui aliquam syllogismi faciem habent, *sophisticos* & *fallaces* appellant. Insolubilia omnia argumenta *Inexplicabilia* Gellius libr. 9. cap. 5. & *Exquisitas ambiguitates* libr. 1. Quintilianus appellat. Nos ergo sequemur veteres Peripateticos, & dicemus Argumentum Sophisticum illud esse, *quod à doctis tantummodò solvitur.* Insolubile, *quod ne quidem à doctissimo potest.*

Sophistica.

Inexplicabile.

Exquisita ambiguitas.

ARTICULUS VI.

Quid sint Vtides, & Ceratina?

POlitianus sic ait. *Ceratina quæ sint apud Quintilianum, non temerè, qui tibi explicet invenias. Qui tamen Græca volverit, Latinaque Commentaria, planè intelligent ratiocinationis inexplicabilis esse eam speciem; quæ nescio quas ansas, atque uncos arte Dialecticæ perplexitatis inferret.* MCIX.

Ponitur difficultas.

Proponit hic difficultatem & non solvit. MCX.

Et ego duas oppositas opiniones reperio; alterâ, quæ à materiâ nomen eruit; alteram, quæ à formâ. ET QUIDEM, UT PRIOREM EXPLICEM, aliquid de nominum impositione subjungo. Primus Romanorum Imperatorum Cæsar fuit, & inde omnes ejusdem Successores *Cæsares* nominantur: & hoc tanto vocabuli abusu, ut non solùm à nostris Germanis Imperator; sed etiam Turca à Græcis *Cæsar* hodie vocetur: imò & ab aliis. Habeo, dum hæc scribo, Diarium Legatorum Regis Poloniæ ad Chmielnicki, (nempè ab 8. Iulii ad 1. Augusti Anni 1650) & in toto sive à Polonis, sive à Cosacis, non aliter Magnus Turca, quam *Cæsar Turcarum* vocatur. Scriptæ fuerunt olim contra Philippum invectivæ Orationes, & *Philippicæ* sunt nominatæ: & ab illâ die hoc notantur vocabulo universæ invectivæ; unde quas contra Antonium scripsit Cicero, *Philippicas* voluit vocari. Magno Dei beneficio inventa fuit ars Typographica, & diversis characterum formis & magnitudinibus prodierunt aliquot volumina, à quibus characteres fuerunt denominati: quoniam *Canon, Textus, Cicero, Augustinus, Breviarium,* characterum magnitudines hodie significant, nempè illas, quibus olim ejusmodi libri sunt impressi. Et quia Gryphius excellentissimus Typographus fuit, & charactere cursivo libros edidit, obtinuit ut & cursivus character *Gryphius* nominaretur. His igitur & aliis suppatibus denominationibus consideratis inquit prima sententia, antiquissima Græcorum sophismata fuisse de cornibus. Sic enim coætaneos suos exercebat Chrysippus.

Vocis etymon sumi à materiâ potest, & à formâ.

De nominum impositione.

Cæsares unde dicti.

Cæsar Turcarum.

Philippica.

Hæc nomina Canon, Textus, Cicero, Augustinus, &c. quid apud Typographos significent?

Sophismata de cornibus.

Habes quidquid non amisisti,
Cornua non amisisti,
Ergo habes cornua.

illique hunc unicum paralogismum Κερατίνον vocarunt: deinde, quia Sophistica L...

Argumentum ceratinum, seu cornutum.

esse dicitis, quod est odiosius, quam illa, quae nos incomprehensa, & non percepta dicimus. Sed hoc omitto. Illud quaero, si ista explicari non possunt, nec eorum ullum judicium invenitur, ut respondere possitis verane, an falsa sint: ubi est illa definitio effatum esse id, quod aut verum aut falsum sit? Rebus sumptis, adjungam ex his sequendas esse alias, alias improbandas: quae sunt in genere contrario. Quomodo igitur hoc conclusum esse judicas? Si dicis nunc lucere, & verum dicis; lucet: dicis autem lucere, & verum dicis: lucet igitur. *Probatis certè genus, & rectissimè conclusum dicitis. itaque in docendo eum primum concludendi modum traditis. Aut quidquid igitur eodem modo concluditur, probabitis: aut ars ista nulla est. Vide ergo, hanc conclusionem probaturusne sis.* Si dicis te mentiri, verumq; dicis, mentiris: dicis autem te mentiri, verumq; dicis: mentiris igitur. *Qui potes hanc non probare, cum probaveris ejusdem generis superiorem? Haec Chrysippea sunt, ne ab ipso quidem dissoluta: quid enim faceret huic conclusioni?* Si lucet, lucet: lucet autem: lucet igitur. *Crederet scilicet. Ipsa enim ratio connexi, cum concesseris superius, cogit inferius concedere. Quid ergo haec ab illa conclusione differt?* Si mentiris, mentiris: mentiris autem: mentiris igitur. *Hoc negas te posse nec approbare, nec improbare. Qui igitur magis illud? Si ars, si ratio, si via, si vis denique conclusionis valet: eadem est in utroque. Sed hoc extremum eorum est postulant, ut excipiantur haec inexplicabilia. Tribunum aliquem censeo, adeant: a me istam exceptionem nunquam impetrabunt. Etenim cum ab Epicuro, qui totam Dialecticam & contemnit & irridet, non impetrent, ut verum esse concedat, quod ita effabimur:* Aut vivet cras Hermachus, aut non vivet: *cum Dialectici sic statuant: omne quod ita disjunctum sit, quasi aut etiam, aut non, non modo verum esse, sed etiam necessarium: vide, quam sit cautus is, quem isti tardum putant. Si enim, inquit, alterutrum concessero necessarium esse: necesse erit, cras Hermachum aut vivere, aut non vivere* (omninò, sed in sensu composito, non in disjuncto) *nulla autem est in natura rerum talis necessitas* (nempè in sensu disjuncto, nam in composito esse Dialectici probant.) *Cum hoc igitur Dialectici pugnent, id est Antiochus & Stoici: totam enim evertit Dialecticam: nam si è contrariis disjunctio (contraria autem ea dico, cum alterum ait, alterum negat) si talis disjunctio falsa potest esse, nulla vera est. Mecum vero quid habent litium, qui ipsorum disciplinam sequor? Cum aliquid hujusmodi inciderat, sic ludere Carneades solebat:* Si rectè conclusi, teneo: sin vitiosè, minam Diogenes reddet: *ab eo enim Stoico Dialecticam didicerat: haec autem merces erat Dialecticorum. Sequar igitur eas vias, quas didici ab Antiocho: nec reperio, quomodo judicem;* si lucet, lucet, *verum esse ob eam causam, quod ita didici, omne, quod ipsum ex se connexum sit, verum esse: non judicem,* si mentiris, mentiris, *eodem modo esse connexum. Aut igitur hoc, & illud: aut nisi hoc, ne illud quidem judicabo.*] Haec Cicero de istis aculeis & tortuoso genere disputandi: ex quibus tamen multa eloquentiùs, quàm veriùs ab illo explicari: & multa adhuc posse objici contra omnia, quae Cicero dixit, certum est.

An omnis positio sit vera vel falsa?

Nunc hic syllogismus videtur aequivalere voci Lucet.

Ejusmodi argumentationes videntur ad linguam potiùs pertinere quàm ad mentem.

Dialecticae contemptor Epicurus.

In contradictoriis contingentibus, necessarium est alteram partem esse veram: & tamen neutra necessariò erit vera. N.B.

Minerval Dialectici notum.

ARTICULUS X.

Edisserens Sententiam Senecae.

Magni facio nostrum Hispanum Senecam, quem videntur allegasse adversarii ad probandum doctrinam de Sophismatibus, aut etiam de Insolubilibus, esse supervacaneam. De hac materiâ specialissimè disputat Epist. VI. quam subjicio, ut universis constet, quid ille vel neget, vel asserat. MCXVII.

Librorum istic inopiam esse quereris. Non refert quam multos, sed quam bonos habeas. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui, quò destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est. Vellem, inquis, magis libros mihi quàm consilium dares. Ego verò quoscumq; habeo mittere paratus sum, & totum horreum excutere: me quoq; istò, si possem, transferrem, & nisi maturè te finem officii speraturum impetraturum, hanc senilem expeditionem indixissem mihi: nec me Charybdis, & Scylla, & fabulosum istud fretum deterrere potuisset. Transnatassem ista, non solùm trajecissem, dummodò te complecti possem, & praesens aestimare quantum animo crevisses. Ceterùm quòd libros meos tibi mitti desideras, non magis ideò me disertum puto, quam, formosum putarem, si imaginem meam peteres. Indulgentiae scis istud esse, non judicii: & si modò judicii est, indulgentia tibi imposuit. Sed qualescumq; sunt, tu illos sic lege, tamquam verum quaeram adhuc, non sciam, & contumaciter quaeram. Non enim me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero. multum magnorum Virorum judicio credo, aliquid & meo vindico. Nam illi quoq; non inventa, quaerenda nobis reliquerunt; & invenissent forsitan necessaria, nisi & supervacua quaesissent. Multum illis temporis verborum cavillatio eripuit, & captiosae disputationes, quae acumen irritum exercent. Nectimus nodos, & ambiguam significationem verbis alligamus, deinde dissolvimus. Tantum nobis vacat? jam vivere, jam mori scimus? Totâ illò mente pergendum est, ubi provideri debet, ne res nos, non verba, decipiant. Quid mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo unquam nisi dum disputat, captus est? res fallunt: illas discerne. Pro bonis mala amplectimur: optamus contra id quod optavimus: pugnant vota nostra cum votis, consilia cum consiliis. Adulatio quàm similis est amicitiae? Non imitatur tantùm illam, sed vincit, & praeterit: apertis & propitiis auribus recipitur, & in praecordia ima descendit, eo ipso gratiosa, quo laedit. Doce quemadmodum hanc similitudinem dignoscere possim; venit ad me pro amico blandus inimicus: vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt: temeritas sub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignavia: pro cauto timidus accipitur. In his magno periculo erratur: his certas notas imprime. Ceterùm, qui interrogatur, an cornua MCXVIII.

An prosint multi libri? An & multi legendi sint?

Charybdis & Scylla fabulosa.

An Seneca formosus fuerit?

Qualis opinione sua Scriptor Seneca?

De sententiâ superfluâ.

De nodis & aequivocationibus.

Agendum potius de rebus quàm de verbis.

Adulatio qualis?

Quomodo ab Amicitia distinguenda?

De Paralogismo Cornutino.

Aliud est ignorare hominem quoad substantiam, aliud quoad modum: aliud est subjectum ipsum, & aliud accidens subjecti nescire.

Hic latentem non nosti:
At Pater tuus est hic latens:
Ergo Patrem tuum non nosti.

ubi illud *non nosti*, quod prædicato minoris propositionis *Latens* rectè in propositione majore tribuitur, creditur etiam tribuendum subjecto minoris in ipsa conclusione: quasi perinde sit *latentem non noscere* (quod prædicatum ex Logicorum doctrinâ appellat (afficit) formale significatum subjecti, seu *latentem* reduplicativè acceptum) & *patrem* (qui latet, quique est materiale significatum subjecti) *non noscere*.] Ita ille §.3.pag.101

MCXXV. Solutio facilis.

At ego faciliùs me expedio: & totum syllogismum dilucido. Ajebat. *An nosti patrem tuum?* Et ego distinguendo respondeo. Novi, inquam, illum quoad substantiam, at multa illius accidentia & passiones ignoro. Modò enim, cùm jam ab annis duodecim illum non viderim, cujus figuræ, aut etiam coloris sit nescio: imò ætatem ignoro: nescio an sit domi, vel extra: an sedeat, vel stet: & tandem quales vestes habeat aut non habeat. Et tu interrogas iterùm, & ais, *An hunc, qui latet, nosti?* Et me nescire quisnam lateat, adeòque dubitare, an lateat aliquis mihi notus, respondeo. Subsumis, *Atqui latet pater tuus*: & infers, *Ergo cognoscis & non cognoscis patrem tuum.* Et ego concedo subsumptum, & illatum consequens distinguo. Cognosco Patrem meum quoad substantiam; concedo: quoad hanc circumstantiam & accidens (hoc est; An ille sit, qui latet, vel non latet) ignoro.

Alterius syllogismi solutio.

Præterea; ad alium syllogismum; (nimirùm: *Hic latentem non nosti: At pater tuus est hic latens: Ergo patrem tuum non nosti.*) respondeo distinguendo majorem; hîc enim latentem, si sit pater meus, novi: si non sit, dubito, an illum noverim, vel non noverim: & posteà concedendo minorem & tandem negando consequentiam: vel consequens distinguendo, si velis.

Paralogismus III.

MCXXVI. Sophisma Arithmeticum.

APud Aristotelem *lib.1. Poster.cap.1.text.8.* hic etiam discursus reperitur.

Scis omnem numerum binarium esse parem?
Scio.
An numerum nummorum, quem manu meâ
Conclusum gero, parem esse scis? Nescio.
Sed is ipse numerus, quem manu clausum gero, est binarius.
Ergo nescis esse parem aliquem binarium.
Atqui sciebas omnem binarium esse parem.
Ergo scis duas contradictorias esse simul veras.

Solutio antiqua.

Respondebant veteres apud Aristotelem *lib.1. Post.c.1.text.8.* Binarium posse sumi formaliter: absolutè & conditionatè: specificativè & reduplicativè: aliud enim est scire hunc numerum, (qui binarius est) esse parem, aliud scire eumdem, si sit binarius, esse parem; & si ternarius, imparem: quamobrē concludebant, *non omnem binarium se scire parem esse: sed eum quem scirent esse binarium.*

MCXXVII. Rejicitur ab Aristotele.

Displicet hæc solutio Aristoteli: ait enim [Sciunt id cujus demonstrationem habent, & cujus demonstrationem acceperunt: acceperunt autem non omnis, quem scirent esse triangulum aut numerum; sed simpliciter de omni numero aut triangulo, nulla enim propositio accipitur talis, *Quem tu scis esse numerum*, aut *Quod tu scis esse rectilineum*: sed de omni.]

MCXXVIII. Solutio Aristotelica.

Rejectâ igitur veterum solutione, propriam duobus locis edisserit (nimirùm, *libr.1. Priori Analyt. cap.21.text.7.* & *1. Poster.cap.1. text.6. & 9.*) asserens, scire nos omnem binarium esse parem universali cognitione, quâ omnia particularia, atque adeò illum numerum sub aliquâ ratione communi cognoscimus: non tamen nos scire particulari cognitione. Et *libr.2. Prior.cap.21.text.8.* (& ibidem Iulius Pacius) subjungit, *Quare contingit etiam in his falli: non tamen modo contrario,* (hoc est errore universali) *sed quia habemus cognitionem universalem, & decipimur particulari.* Ac paulo infra. *Quocirca perspicuum est, eum qui alterum noverit, eum deceptum iri: quomodo se habent universales scientiæ ad particulares, ex iis enim quæ sub sensum cadunt nihil à sensu absens cognoscimus, ne quidem si id antea senserimus; nisi hac ratione, quia universalem, & propriam scientiam habemus, non quòd actu ea scientia utamur. Scire enim dicitur tribus modis: id est, vel ut cognitione universali, vel ut propriâ, vel ut actu & operatione, quare etiam decipi dicitur tot modis. Nihil igitur prohibet, quempiam cognoscere ac decipi in eadem re.* Ex his in formâ respondebis interrogatus. *Scisne numerum manu meâ contentum esse parem?* Scio, scientiâ universali; non scio autem cognitione propriâ atq; particulari, seu distinctâ. Et cùm infertur, *Ergo nescis omnem binarium esse parem*: dices te id propriâ cognitione nescire; scire autem communi & universali.

Cognitio duplex: generalis & particularis.

MCXXIX. Solutionis veteris rejectio rejicitur.

At mihi ipsa Aristotelis solutio displicet, & à veteribus sto, eorumdem verba meæ menti attempero, & paralogismo sic respondeo.

Vera solutio.

Roganti, *An sciam omnem numerum binarium esse parem?* respondeo me id scire cognitione universali & particulari; nullum enim in particulari numerum esse binarium scio quem parem nesciam.

Sed subrogas; *An sciam, numerum quem manu comprehendis esse parem?* Respondeo me non scire quotus sit: ubi hoc didicero dicturum an sit impar vel par: si enim sit binarius, quaternarius, senarius, &c. erit par: impar, si sit ternarius, quinarius, septenarius, &c.

Subsumis: *At iste numerus binarius est*: Esto: quid inde?

Et infers: *Ergo nescis esse parem aliquem binarium.* Et ego nego consequentiam. Fateor enim me utrumque nescire; videlicet, An sit binarius? & consequenter; An sit numerus par? At me scire illum numerum esse binarium, & tamen nescire esse parem, diffiteor.

Multa alia id generis possunt & solent conformari Sophismata; quæ eodem sunt modo dissolvenda.

Paralogismus IV.

MCXXX. *Secunda intentiones seu denominationes non debens in primas transire.*

FOnseca *libr. 8. Instit. cap.* 10. istum syllogismum producit.

Animal non est species infima;
Homo est animal:
Ergo homo non est species infima.

in quo utraque præmissa est vera, & falsum consequens. Nec est culpanda consequentia, hic enim syllogismus est bonus,

Animal non est lapis:
Homo est animal:
Ergo homo non est lapis.

Sed quomodo iste nodus solvetur?

Cœcum esse supponit Fonseca, & cœcè infert falsam esse illam propositionē, *Quidquid negatur de prædicato, debet negari de subjecto:* quæ tamen vel invito Fonseca non debet à veris exulare.

MCXXXI. *Quo sensu Animal sit species infima?*

Ego ut respondeam ad suppositionem recurro: quæ a primâ intentione ad secundam, ut e contra mutatur. Igitur sic in formâ respondeo. *Animal non est species infima*, distinguo: si Animal sit abstractum concedo; si contractum nego. *At homo est animal*, distinguo. Est animal contractum, concedo: abstractum, nego. Ergo, &c. nego consequentiam. Sic etiam hic potest dissolvi.

Homo est animal:
Animal est genus:
Ergo homo est genus.

nam homo est animal contractum, & non abstractum: & animal, ut genus sit, debet esse abstractum; nam animal contractum rationalitate, hinnibilitate, rugibilitate, aut aliâ simili differentiâ, est species.

MCXXXII. *Secunda solutio.*

Solent alii sic se expedire ab hac difficultate. *Homo est animal*, distinguunt: in sensu primò-intentionali, concedunt: in sensu secundò-intentionali, negant. *At animal est genus*, distinguunt: & concedunt, si animal sumatur secundò intentionaliter: aliàs negant. Adeòque negant illatam consequentiam.

Paralogismus V.

MCXXXIII.

STilphon apud Laërtium *libr. 2. cap. 11.* de statuâ Minervæ, quam Phidias finxerat, ita percontabatur.

Ratio Stilphonis?

Num Jovis Minerva Dea est. R. *Est.*
At hæc non Jovis sed Phidiæ est. R. *Phidiæ illa & non Jovis est.*
Ergo hæc non est Dea.

Sic collegit, & ob hunc syllogismum apud Areopagitas impietatis reus peractus est.

Formâ caret.

Et quidem argumentatio hæc illegitima est & temeraria: est enim similis huic,

Philippus, pater Caroli V. fuit homo.
At Philippus prudens non fuit pater Caroli V.
Ergo Philippus prudens non fuit homo.

Paralogismus VI.

MCXXXIV.

BIantis propositum ejus syllogismum, ejusque retorsionem, Auli Gellii utar verbis; ipse enim *noctium Atticarum libr. 5. cap. 11.* sic inquit. *Existimavit quidam etiam illud Biantis viri sapientis ac nobilis responsum consimile esse atque est Protagorion illud, de quo dixi modo, ἀντιστρέφον nam cum rogatus esset a quodam Bias, deberetne uxorem ducere, an vitam vivere cælibem, ἤτοι, inquit, καλὴν ἕξεις, ἢ αἰσχράν, καὶ εἰ καλήν, ἕξεις κοινήν: εἰ δὲ αἰσχράν, ἕξεις ποινήν, ἑκάτερον δὲ οὐκ ἀγαθόν, οὐ ληπτέον ἄρα, hoc est.* aut pulchram habebis, aut deformem aliquam; & si pulchram, erit illa aliis communis. Si autem deformem, erit illa tibi pœna: alterutrum autem non est bonum: non ergo accipienda uxor. *Sic autem hoc respondentes convertunt, εἰ μὲν καλὴν ἄξω, οὐχ ἕξω ποινήν, εἰ δὲ αἰσχράν, οὐχ ἕξω κοινήν, γαμητέον ἄρα, hoc est,* si quidem pulchram habuero, non habebo pœnam. Si verò deformem: non habebo communem, uxor ergo ducenda. *Sed minimè hoc esse videtur ἀντιστρέφον, ut Gellius, quoniam ex altero latere conversum frigidius est, infirmiusque. Nam Bias proposuit non esse ducendam uxorem. propter alterutrum incommodum, quod necessario patiendum erit ei, qui duxerit. Qui convertit autem, non ab eo se defendit incommodo quod adest, sed carere se altero dicit, quod non adest. Satis est autem tuendæ sententiæ quam Bias dixit, quod eum, qui duxit uxorem, pati necesse est ex duobus incommodis alterum, ut aut κοινὴν habeat, aut ποινήν.*

Ratio Biantis.

Retorsio.

An hæc retorsio Biantis instantia satisfaciat?

Paralogismus VII.

Qui Crocodili *nominatur.*

MCXXXV.

QVem Crocodiliten alii, Crocodilinen libro 1. Quintilianus appellat, hunc esse vere insolubilem putat Angelus Politianus Miscell. c.55. putant & alii etiam, qui nesciunt quo se possent modo ab argutia Crocodili liberare. Acumen Doxipatri, Enarrator Græcus, reduxit ad hanc fabulam. Mulier quæpiam secundum fluvium ambulabat: ejusque filiolum incautè in ripa lusitantè intercepit Crocodilus famelicus ex undis emergens. Suffusa lacrymis illum postulat, & Crocodilus. *Reddam*, inquit, *si interroganti mihi, verum responderis.* Admittit pactum mater; tum Crocodilus. *Inquiro*, inquit, *utrum tibi filium reddam an non?* Quid ergo Crocodilo respondendum esset mater, ut reciperet filium? Rem benè perpende & examina; & illi verba congruentia suggere. Si neget illa filium esse reddendum: subsumet Crocodilus. *Si reddidero, non dixisti verum: & si verum non dicas non teneor reddere: ergo puellum non reddam.* Si asserat filium esse reddendum, reponet ille, *Tu falsum dixisti, & ideò reddere puellum nō teneor; & ut videas te falsum dixisse, puellum non reddam.* Hanc eamdem argumentationem in dialogo cui titulus, *Vitarum venditiones*, paulò obscurius Lucianus proponit: introducit enim Chrysippum cum mercatore sic loquentem. *Est ne tibi filius? Quorsum istud? Si fortè illum errabundum Crocodilus inveniat, rapiatq; deinde redditurum polliceatur, cum verum dixeris, utrùm reddendus ei videatur, nec-ne? Quid enim sentire dices? Rem sanè perplexam interrogas.*

Apologus Logicus de Crocodilo.

Hoc

Rationem hanc Crocodiliten, Crocodilinon, Priona, Serram: &c. vocant.

Hoc ratiocinium vo[illegible] Crocodiliten, aut Crocodilinen: alii *πρίονα*, id est, *Serram* dicunt; quod reciproco fluxu & effluxu contentionis habenas trahat & retrahat, & alternis subtilitatibus intercipiat ingenium.

Aristidis historia.

Non multum hinc distat Aristidis historia. Spoponderat dicenti sibi verum se daturum denarium. Venit illi obviam Diaphanites Sophista, & ait, Tu non dabis mihi denarium. Quid ergo faciet Aristides: Si dat, dat dicenti falsum: si non dat, negat dicenti verum.

Paralogismus VIII.

MCXXXVI. *Modestia Socratis.*

SOcrates modestissimus Senex, cùm summis laudibus ab omnibus celebraretur, & opinione vulgi, firmatâ etiam oraculis, esset doctissimus, ut humilitatem suam testatam faceret, dicebat. *Se scire hoc unicum; videlicet, se nihil scire.* Admiratione ab aliquibus, ab aliis etiam censurâ excepta fuit responsio; & quidem fortissimo ratiocinio impugnata: nimirum. *Nihil & aliquid contradictoriè opponuntur: Ergo si verum sit, Socratem nihil scire, falsum est eum hoc aliquid, seu unicum scire. Et si hoc eum scire verum est: eumdem nihil omninò scire, falsum est.*

Objectio contra Socratem.

MCXXXVII. *Solutio prima ad exceptionem recurrens.*

Sensit vim objectionis Socrates, & ad exceptionem recurrens, se eo sensu suum lemma exposuit, quo ab universali unum particulare excluderetur. Nec condemno recursum: nam sicut hodie dicimus, *Omnes, exceptâ Deiparâ, in peccato conceptos:* eodem olim modo potuit dicere Socrates, *Se omnia ignorare, hoc uno excepto videlicet, Scire se omnia ignorare.*

MCXXXVIII. *Secunda Solutio.*

At discipulis hæc solutio non placuit, & eorum aliqui, qui insistere voluerunt sui Magistri modestiæ, *se nil scire* professi; rogati, an scirent saltem se nil scire? respondebant, *se hoc non scire evidenter, sed opinari aut dubitare.*

MCXXXIX. *Academicorum error, Nihil sciri posse.*

Vt rem meliùs intelligas, proderit audire Lactantium Firmianum libr. 4. de falsâ sapientiâ, ubi sic inquit: *Academici contra Physicos obscuris ex rebus argumentati sunt, nullam esse scientiam: & exemplis paucarum rerum incomprehensibilium contenti, amplexi sunt ignorantiam, tanquam scientiam totam sustulissent, quia in parte sustulerant. Physici contra, ex his, quæ aperta sunt, argumentum trahebant, omnia sciri posse: contentique perspicuis retinebant scientiam: tanquam totam defendissent, quia ex parte defenderant. Itaque neque hi clara, neque illi obscura viderunt: sed utrique dum solam scientiam consertis manibus vel retinent, vel eripiunt, non viderunt in medio constitutam fore, quæ illos ad sapientiam transmitteret. Verum Arcesilas ignorantiæ magister, cum Zenoni obtrectaret principi Stoicorum, ut totam Philosophiam everteret (auctore Socrate) suscepit hanc sententiam, ut affirmaret nihil sciri posse. Itaque coarguit æstimationem Philosophorum, qui putassent inge-nio suo erutam esse atque inventam veritatem:*

Physicorum error, Omnia sciri posse.

Arcesilas ignorantiæ Præceptor.

[illegible] quia mortalis fuerat illa sapientia, paucisque ante temporibus instituta, ad summum jam incrementum pervenerat, ut jam necessariò consenesceret ac periret, repentè extitit Academia, tanquam senectus Philosophiæ, quæ illam conficeret jam deflorescentem. Rectèque vidit Arcesilas, arrogantes vel potius stultos esse, qui putent scientiam veritatis conjectura posse comprehendi. Sed tamen falsa dicentem redarguere non potest, nisi qui scierit ante quid sit verum. Quod Arcesilas veritate non cognita facere conatus, introduxit genus Philosophiæ ἀσύστατον, quod latinè instabile aut inconstans possumus dicere. Vt enim nihil sciendum sit (vel potiùs, ut nihil sciri sciatur) aliquid sciri necesse est. Nam si omninò nihil sciatur, id ipsum nihil sciri posse tolletur. Ergo qui velut sententiæ loco pronunciat, Nihil sciri, *tanquam præceptum profitetur & cognitum aliquid sciri posse.*

Scientia habent suas ætates.

Philosophia Asystatica.

Paralogismus IX.

MCXL. *An Animæ sint immortales?*

ASserebant olim Epicurei rationales hominum animos mortales esse: & Rex Atticus mortuorum miseriam efferebat, quasi nulla esset major, quàm non esse. Et tamen eumdem primo Tusculanorum Cicero ratione fortissimâ circumvenit, & fateri cogit non esse mortuos miseros, si sint nulli, ut Epicurei opinabantur. *Jam mallem* (inquit Marcus) *Cerberum metueres, quàm ista tam inconsideratè diceres.* Atticus. *Qui tandem?* Marcus. *Quem esse negas, eumdem esse dicis! ubi est acumen tuum? cum enim miserum esse dicis, tum eum qui non sit, esse dicis.* Tum post longam disputationem Atticus ait, *Age, concedo non esse miseros, qui mortui sunt: quoniam extorsisti, ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse.* Sic Terentianus Phædria Dori Eunuchi dictum elevat, quòd asseveraret prius, quæ post inficiaretur:

An mortui sint miseri?

Qui est miser, est; & qui non est, ne quidem miser est.

Modò ait, modò negat.

Paralogismus X.

Qui Pseudomenus *dicitur.*

MCXLI. *Asistatus, Pseudomenus. Mentiens. Inconsistens.*

ARgumentum Mentiens, etiam sumit à materiâ nomen. Illud à Rhetoribus dicitur *ἀσύστατος, inconsistens*; à Dialecticis *ψευδόμενος, mentiens*; sic enim hanc vocem vertit Cicero libr. 2. de Divin. à Iuristis *Perplexum.* Alciatus *l. qui CCCC. ad leg. Falc.* sic ait. [Dixi hanc quæstionem esse ἐκ τῶν ἀπόρων, qui tractatus apud Dialecticos dicitur ἀσύστατος: sic enim plerique legunt; tametsi aliis τοῦ ψευδομένου magis placeat. Nobis utraque lectio videtur posse defendi: nisi quod alterum ad Rhetores, alterum ad Dialecticos pertinet.]

Mentientem hunc Paralogismum Pisciolus *tom. 2. Subsecivarum libr. 1. cap. 8.* his verbis explicat.

Argumentum mentiens unde dicatur?

plicat. *Cui hac est nomen à mentiente primum in interrogationem assumpto, in hunc modum:* An mentitur, qui mentiri se dicit? *cui si respondeas,* Mentiri: *colligam statim* mentiri, qui falso dixerit se mentiri. *Est ergo oratio mentiens. Cui utrumvis respondeas, id est sive ajas, sive neges, id statim falsum reperitur. Deinde etiam ab ipso genere sumptionis in disputando qua docendi causa sumuntur, is qui mentitur, nomen accepit.*

MCXLII. *An omnis homo mentiatur?* Et quidem hujusmodi difficultates etiam in Sacrâ Scripturâ reperiuntur: celeber enim est ille versus Davidis Psalm. CXV. *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax.* Et contra Prophetæ Regis sinceritatem ad Sophistarum mentem *libr. 22. Moral. cap. 10;* argutatur Gregorius: & confidentissimè sic ait. *Si omnis, & tu. Falsaque jam erit sententia, quam mendax ipse proposuisti. Si verò ipse non es mendax, vera jam sententia non erit: quia dum tu verax, non omnis homo cognoscitur mendax.*

MCXLIII. *Prima sententia.* Vt hunc modum dissolvant, Authores dividuntur in classes: enumerabo opiniones præcipuas. PRIMA mendacem à mentiente distinguit: mendax enim dicitur, qui mentiri potest, vel solet: mentiens verò, qui de facto mentitur. *Mendax & Mentiens non sunt idem.* Et quidem hæc explicatio voces benè exponit, contradictionem tollit, at omninò difficultatem non effugit. Porrò tollit contradictionem, istæ enim

Omnis homo est mendax.

Aliquis homo non est mentiens.

non sunt contradictoriæ: benè enim stat, ut sit mendax, hoc est, mentiri possit aut soleat, & tamen non mentiatur de facto. At, ut dixi, difficultatem non effugit omninò; quia si David est mendax, mentiri potest, & si potest, etiamnunc quando dicit, *Omnis homo mendax.* Ergo possibile est, ut hæc ipsa positio falsa sit. Ergo si verum est, omnem hominem esse mendacem, fortè falsum est, quod omnis homo mendax sit. Vbi vides solutionem si non in priorem, in alteram contradictionem incidere, nam si dicas, *Certum est omnem hominem esse mendacem:* inferam certum esse te esse mendacem: & quia certum etiam est omnia verba mendacis, ut minimum esse incerta & suspecta, concludam incertam esse hanc tuam propositionem, videlicet, *Certum est omnem hominem mendacem esse.* *Manet responsio obnoxia gravi difficultati.*

MCXLIV. *Qualis sit propositio moraliter universalis?* SECUNDA OPINIO distinguit à Moralibus Physica, putatq; *omnes homines esse mendaces,* idem esse, ac *plerosque homines esse mendaces:* quasi ejusdem linguæ duas habeamus dialectos, & idem sit moraliter dicere, *Omnes, Semper, Ubique;* ac physicè, *Plerique, Plerumque;* aut etiam *Ferè omnes, Ferè semper, Ferè ubique.* *An piscis aliquis spinis careat?* Huc referri poterit Architæ dictum, *Vt sine spinis,* ait, *invenisse piscem difficile est; ita & hominem, qui non dolosum & spinosum quiddam habeat.* Vbi consultò dicit *difficile,* non *impossibile,* non enim impossibilis est homo verax, sed *rara avis in terris, nigroque simillima cygno.*

MCXLV. *Status gratiæ aliquis est à statu naturæ.* TERTIA OPINIO naturam à gratiâ distinguit, & asserit has duas propositiones,

Omnis homo mentitur:

David non mentitur:

non esse contradictorias: non enim sunt ejusdem de eodem: cùm prior sit secundum cursum ordinarium naturæ, & secunda secundum efficaciam gratiæ. Nam homo sibi derelictus, non solum est mendax aut mentiens, sed mendacium: & tamen David nec est mendacium, nec mentiens, nec mendax, quoniam loquitur in excessu mentis, habens intellectum elevatum & illuminatum divinitùs, lucis excessu, hoc est, lumine cujus claritas omnem lucem naturalem excedat: Ita textum intelligit S. Gregorius, ait enim. *Per excessum ergo mentis, etiam seipsum transiit, cùm de hominis qualitate definivit: Ac si patenter dicat: De falsitate omnium hominum, unde verum sententiam protuli, unde ego ipse super hominem fui. In tantum verò & ipse mendax, in quantum homo: in tantum autē omninò non mendax, in quantum per excessum mentis super hominem.* *David loquitur divinâ gratiâ illuminatus.* Consonuit Magno Pontifici Ioannes Lorinus in Psalm. 115. vers. 2. vel 11. & sic ait: *Hoc pacto, solvitur paralogismus, seu sophisma, quem vocant quoq; ἄπορον καὶ ψευδῆ, καὶ τὴν περιτροπὴν, syllogismum dubium, & falsum, atque circumactum, seu regressum, quo aliqui David credendum, hac ipsa in re negant, qui & ipse homo sit, ac proinde mendax. Nam loquitur David de homine, qui humano loquitur affectu, non autem afflatus divino spiritu.*

MCXLVI. QUARTA OPINIO vocabula sumit comparativè, Deus enim est lux, est vita, est veritas, est omnium perfectionum identitas: & homo cum Deo collatus est caligo & obscuritas, est mors, est falsitas, est fumus, est vanitas, est nihil. Dedi Lorini verba, quem iterùm audiri postulo: prosequitur enim, & ait: *Respectu Dei Chrysostomus explicat dici mendacem omnem hominem,* sicut & quæ alioqui splendens affirmatur stella vespertina comparatione aliatum, sole fulgente lucida non vocatur. Idem legere est apud Gratianum *de pænit. d. 2. c. fin. §. sicut ergo:* asserentem ejus comparatione, qui mutabilitatem nescit, omnem creaturam dici vitiosam, non veram sed vanam: unde concludit omnem hominem respectu Veritatis divinæ esse mendacem, respectu Essentiæ divinæ esse nihil. *Qualis sit Deus? Et qualis homo, cum Deo collatus?*

MCXLVII. *Omnes hæ solutiones sunt probabiles.* PETIS, Quænam ex istis solutionibus cæteris sit anteponenda? Respondeo Bellarminum sic explicare hunc locum Psalmi, ut omnes ipsas complectatur. Asserit enim *aliud esse hominem semper mentiri, aliud esse mendacem: potest enim homo mendax aliquando vera loqui; præsertim, si non ex se, sed spiritu Dei loquitur: mendax enim dicitur homo, quantum ex naturâ suâ obnoxius est errori & falsitati: quomodo intelligitur illud* (S. Pauli ad Rom. 3. 1.) *est autem Deus verax, omnis autem homo mendax.* *Omnibus fere usus Bellarminus.* Ecce quàm paucis verbis Eruditissimus Vir, universas solutiones innectit. Primam, cùm dicit aliud esse *esse mendacem, aliud mentiri.* Secundam, cum *semper* ab *aliquando* separat, qui enim semper moraliter, hoc est, plerumquè mentitur, *potest aliquando vera loqui.* Tertiam; cùm recurrit ad auxilia supernaturalis gratiæ dicens, *præsertim, si non ex se, sed spiritu Dei loquatur.* Quartum, quando componit Deum

cum

cum homine, & assumit exponitque illa Apostoli verba. *Deus est verax, omnis autem homo mendax.* Stat igitur has solutiones esse diversas, non adversas; & posse singulatim, aut etiam simul adhiberi; quod ipsum fuisse præstitum à Bellarmino, breviter observavimus.

Paralogismus XI.

MCXLVIII. *An omnes Cretenses sint mendaces?*

NOn multum à præcedentibus distans, quæ sumuntur ex Paulo *ad Titum. 1.* sic enim de Cretensibus inquit. *Dixit quidam ex illis proprius illorum Propheta, Cretenses semper mendaces: mala bestiæ: ventres pigri. Testimonium hoc verum est.* Et, ut benè intelligas istam periodum, tria inquiris. *Primum*, An distet à Prophetâ Poëta? *Secundum*, Quis fuerit ille Poëta vel Propheta, qui citatur? *Tertium*, Utrùm illi credendum sit? & si credendum, An insolubile sit argumentum, quod ejusdem testimonio fundatur.

MCXLIX. Ad primum dico inter utrumque non magnum discrimen repetisse, qui dixit,

——Divino incalescimus igne:
Sunt etiã qui nos Numen habere putent.

An Poëta sit interdum Propheta?

& experientià didicimus, multa poëticè dicta habuisse propheticam vim. Ante annos paucos celebrabatur Musa Comitis de Villamedianâ, qui propter conjecturas satyricas jussus est exesse Madrito: metricas ejusdem prædictiones confirmavit eventus, & revocatur ad aulam, quod crediderint parcendum Sinceritati audaci. Rediit, & Ego sub illud tempus pner, sic de illo cecini.

Ex aulâ discede Comes, discede Poëta:
Rem tua nam turbãt carmina; Vulgus ait.
Ista sub initium Vulgus. Quando omnia certè
Evenisse videt; Vulgus anhelus ait:
Ergo Propheta redi. Si sunt Oracula certa,
Quæ tu cantasti metra: Propheta redi.

Et quia sub idem tempus Pedrosa, Ordinis S. Hieronymi Religiosus, posteà Vallisoletanus Episcopus, ob aliqua imprudentiùs dicta aut prædicta, ablegatus ab aula fuerat, Comes eumdem prophetiæ voluit esse participem, dicens,

De terraron à Pedrosa
Los fureres de un perverso.
Porque les predice en prosa,
Lo que yo les dixe en verso.

Stat ergo inter Poëtam Prophetamque interdum connexionem esse.

MCL. *Epimenides citatur à Paulo.*

Ad secundum respondeo Prophetam illum, cujus meminit Paulus, Epimenidem esse: Poëtam Cretensem, Philosophum, & Mitræ (sic Solem illi vocabant) Sacerdotem. Ita Hieronymus, quem citat & sequitur Cornelius à Lapide, *in cap. 1. ad Titum vers. 13.* & Stengelius *in Responsione ad insolubiles §. 16. pag. 70.* Euripedis carmen hoc est,

Metra non benè translata sunt ad metra.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Quod Faber Stapulensis ita transtulit.

Grossius usq; loquax, mala bestia, viscera pigra.

& ut ad numeros verba cogat, non assequitur sensum: nam *loquax* non est idem ac *mendax*: nec *viscera* idẽ valent ac *ventres*: gulosos enim & ventri deditos, *ventres* vocamus, *viscera* non vocamus. Ut ergo carmen respondeat carmini, istud repono,

Venter quid?

Grossius est mendax, mala bestia, vẽter edax iij.

An Callimachus citetur à Paulo?

Scio aliquos nomine *Cretensis Prophetæ* intellexisse Callimachum, nec carere rationibus: at quia res non est tanta, non abeamus à communi sententiâ.

MCLI. At tertium Epimenidi credendum respondeo, ait enim Paulus, *Testimonium hoc verum est.* Sed statim occurrit difficultas, nam si verum est, falsum est: quod sic probo. [Hæc propositio, *Cretenses sunt mendaces*, vel est vera, vel falsa. Si vera: ergo est falsa. Si falsa: ergo est vera. Concedis majorem, & vis probari primam conditionalem. Obedio, & sic procedo. Cretenses sunt mendaces; At Epimenides Cretensis est: Ergo est mendax: mentitur igitur, cùm dixit, mendaces esse suos Cretenses. Et, ut probem secundam conditionalem, progredior. Cretenses non sunt mendaces; ergo Cretensibus credendũ est: ergo & Epimenidi. At iste dixit, Cretenses esse mendaces: sunt igitur mendaces Cretenses.] Quid respõdes?

Contra Pauli ratiocinium objectio.

Solutio pendet à solutione præcedentis.

Quatuor solutiones dedimus, ut dissolveremus nodũ, quo implicabatur paralogismus præcedens, & si sobriè illis utaris, poteris etiã verba Pauli tueri, & te ab hoc paralogismo defendere: quoniam hæ propositiones,

Cretenses sunt mendaces;
Epimenides non est mendax.

etsi ponatur illum esse Cretensem, non sunt contradictoriæ. Sit igitur

MCLII. *Mendax à mentiente distinguitur.*

Prima solutio, mendacem à mentiente distinguit, nec repugnare putat, ut qui mendax est, verum dicat. Et in illo ipso carmine Epimenides mentiri potuerat, & fuisset mentitus si suum genium fuisset sequutus, at de facto mentitus non est. Et unde hoc scio? A Spiritusancto, qui per Paulum testatur Epimenidem, tametsi fuerit Cretensis & Poëta, ac proptereà mendax duplici nomine, fuisse Prophetã, & protulisse testimoniũ quod verũ est.

MCLIII. *Moralis propositionum quantitas.*

Secunda solutio distinguit à moralibus realia: idẽ enim est dicere omnes moraliter, quàm dicere physicè plerosque. Et hoc sensu nulla est contradictio: non enim hæ propositiones.

Plerique mentiuntur.
Iste non mentitur.

Peccata Provincialia.

opponuntur. Certè dari peccata provincialia, quæ si non omnes, saltẽ plerosq; inficiant: notum est. Hinc illud vulgatissimum carmen

VValo bibax, Hispanus edax, Germanus utrumque.

& tamen plurimi ex ipsis sobrii & abstemii sunt. Et ne axiomata, quæ de nostræ Europæ populis circumferuntur, producam, nimis enim sunt nota, nec indigent meo commentario, ad veteres converto oculos, & video antiquorum sententiâ Pœnos fuisse perfidos Scythas asperos, Scythotauros inhospitales, Thraces bibaces, Sybaritas fastuosos, Milesios effœminatos, Arcades stolidos, Tartaros feros, Indos divites, Cares viles, & Cretenses mendaces. Hinc etiam ortum habuit illud celebratissimum adagium, Τρία κάππα κάκιστα, *Tria Kappa pessima*: quo significatur, inter gentes, quarum nomen incipit à C (græcè K)

Nationum vitia non omnes sed plerosque pervadit.

Tria Kappa pessima.

De Obliquorum syllogismorum legibus. *tecedente, sit obliquum in consequente*: item *ut cum medium fuerit obliquum in una sumptione, extremum alterius sumptionis sit obliquum in conclusione.* Quod hic non fit. Sic discurrit de Obliquo syllogismo Stengelius, & paucis verbis multa congerit; quæ in Logicâ Obliquâ uberiùs esse falsa probavi. Ergo omittamus considerationem obliquorum, & videamus, an sit alius defectus. Est, inquit: nimitum mutatio medij termini: in majore enim dicitur: *omnis contradictio*, in minore autem, *altera pars contradictionis*. Hinc unà extincti sunt frigidissimi illius Othmari Luscinij Argentini sales, cujus joco 16. hæc sunt, *Magister arguitur vobis sic. Cujuslibet contradictionis alterius pars est falsa. Vestra positio est altera pars contradictionis. Ergo, &c. Est formalis discursus in Darij.* Itemque ad hæc respondentis argutiæ. *Cujuslibet contradictionis altera pars est falsa. Quidquid in me dixisti, altera pars est contradictionis. Ergo totum illud est falsum.* Vbi tamen aptiùs distribuit respondens syllogismum, quàm proponens universale signum.

Septima.

MLXXXVI ET quia Periodos sacræ paginæ summâ tenemur veneratione & animi demissione suscipere, unam vel alteram cooptant, & nos invadunt. Sic obiciunt. *Omnis, qui diligit iniquitatem, odit animam suam: Omnis qui odit animam suam, est dignus Christo: Omnis igitur, qui diligit iniquitatem, est dignus Christo.*

Homo bifariam potest odisse animam suam. Et respondeo esse quatuor notissimos terminos; nam *odisse animam suam* multifariam exponitur, & in singulis præmissis diversimodè. Habemus Animam sensitivam & rationalem, aut saltem unicam duabus æquivalentem. Qui in hac vitâ genio, luxui, hoc est, sensui indulgent & serviunt, amant quidem pro tempore Animæ sensitivæ delitias, at rationem, in quam peccando impingunt, odio habent; & ideò dicuntur Animam rationalem odisse. Contrà verò viri pij & religiosi, rationi serviunt, & eius ductu feruntur, quò spiritus sanctus impellit; & quia sæpè jubentur dura & aspera pati, sensum & dolorem non curant, & ideò dicuntur Animam sensitivam odisse. Primo sensu intelligenda est major, & David Psalm. 10. dicens: *Dominus interrogat iustum & impium; qui autem diligit iniquitatem, odit Animam suam.* Secundo sensu minor, Christusque, qui apud Lucam cap. 14. 26. sic loqnutus est turbis. *Si quis venit ad me, & non odit Patrem suum, & Matrem, & Vxorem, & Filios, & Fratres, & Sorores, adhuc autem & Animam suam* (hoc est, si non postposuerit mihi authoritatem sui Patris, Lachrymas Matris, blanditias Vxoris, Filiorum amorem, & dilectionem Fratrum Sororumque; & quod maius videbitur, propriam commoditatem, luxum, recreationes, delitias, & si necessarium fuerit ipsam vitam: hæc enim omnia significare solet *Anima*) *non potest meus esse discipulus.* Eodem omninò sensu exponendus est Christus, cum apud Matthæum 16. 24. loquitur discipulis suis; & ait. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me. Qui enim voluerit animam suam* (contra me) *salvam facere, perdet eam: qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam.* Et eodem omninò sensu intelligenda sunt multa alia testimonia, quæ Animæ odium ad vitam æternam requirunt. *Quid significet Animæ?*

ARTICULUS III.

Enodantur argumenta nonnulla, quæ contra Camene, & Celaren *formantur.*

ETiam suos insultus patitur is modus, sed quos facilè & demonstrativè retundat: Est enim Objectio

Prima.

MLXXXVII DAtur syllogismus in *Camene*, qui non sit bonus, ergo iste Modus debet reiici. Probant antecedens, & producunt sequentem. *Omnis homo bibit aquam. Nulla aqua bibit vinum: Ergo nullus homo bibit vinum.* *Syllogismus obliquus.*

An sit bene formatus? Sed verbo ego formam condemno, debebant enim colligere sic. *Omnis homo est bibens aquam; Nullus bibens aquam est bibens vinum; Ergo nullus homo est bibens vinum.* Et jam mirum non erit, si consequentia falsa sit, siquidem è falsâ minore subnascitur.

Secunda.

MLXXXVIII IDem antecedens firmant alterum syllogismum producendo: nimirùm *Omnis homo est animal, dum dormit: Nullum animal dum dormit, vigilat: Ergo nullus homo vigilat.* *Syllogismus temporaneus.*

An bonus sit? Et respondeo illa verba *dum dormit*; pertinere ad subiectum, & non ad prædicatum; quoniam hæc Propositio; *Omnis homo est animal, dum dormit*, æquipollet huic, *Omnis homo, dum dormit, est animal*, unde sequitur syllogismum sic debuisse formari, *Omnis homo, dum dormit, est animal: Nullum animal vigilat: Ergo nullus homo dum dormit, vigilat.* In quo forma est bona, minor falsa, & consequens verum per accidens; nam verum etiam diducitur ex falso. *Verum ex falso.*

Tertia.

MLXXXIX PRoducunt etiam hunc multò difficiliorem syllogismum; videlicet. *Omnis homo per se est animal: Nullum animal per se est rationale: Ergo nullus homo per se est rationalis.* *Syllogismus reduplicativus.*

An legitimus & bonus sit? Respondeo formam esse bonam, minorem verò falsam; nec mirum esse etiam falsam conclusionem, non enim necessariò & per se concludi-

cluditur verum ex falso. Minorem falsam esse persuadeo; quia ejus contradictoria, *Aliquod animal* (nimirum, Homo) *per se est rationale*, est vera.

ARTICULUS IV.

Solvuntur obiectiones, quæ contra* Dimagni, *&* Darii *occurrunt.

TAmetsi apud Dialecticos axiomate vulgatissimo circumferatur, *non posse negari consequentiam in Darij*, à quo *Dimagni* ordine mero præmissarum distinguitur, non desunt rationes nihilominùs, quæ solutione indigeant. Aliquas expendemus. Sit hæc

Prima,

MXC. *Syllogismus Arithmeticus.* AB Arithmetica sumunt exordium, & argumunt sic. *Quinque sunt duo & tria: Duo & tria sunt par & impar: Ergo & quinque sunt par & impar.*

An sit in Darii? Et respondeo primò, me non videre, quò iste syllogismus modo dicatur esse in *Darij*. Sed in quocumque ille modo sit, malus est. Ejusdem vitia detegit Franciscus Harlæus *part.3. Artificij Logici. cap.33.* item Franciscus Horomanus *libr.4. cap.28.* ubi totam homonymiam ad sensum compositum & divisum reducit, illosque exponit & exemplis curiosis illustrat. Sic ego breviter. *Numeri bifariam sumuntur formaliter & materialiter.* Dico Quinarium posse bifariam sumi, formaliter & materialiter, primo sensu est unus numerus, non duo numeri. Secundo est duo numeri, quia habet duorum numerorum materiam. His positis sic ad formam respondeo. *Quinque sunt duo & tria*: distinguo; in sensu formali, nego; in materiali, transeat. *At duo & tria sunt par & impar*, concedo minorem. *Ergo quinque sunt par & impar*; distinguo consequens. Quinque si sumantur formaliter, hoc est Quinarius est par & impar, nego: Quinque si sumatur materialiter, hoc est, materia Quinarij est par & impar, transeat: certum est enim Quinarium componi materialiter ex Binarij & Ternarij materiâ. Hinc patet quo sensu dictum ab Aristotele *Bis tria non esse sex*, *An bis tria sint sex.* & quo sensu dicatur semper ab Arithmeticis *Bis tria esse sex*; ille enim in formali, & isti in sensu materiali loquuntur.

Secunda.

CHristus est Verbum: Omne Verbum est vox: Ergo Christus est vox*, syllogismus est in *Dimagni*, nec tamen bonus. Firmari poterit objectio mille exemplis similibus. Hunc ponit Seneca epist.48. *Mus rodit caseum. Mus est syllaba; Ergo syllaba rodit caseum*. Vide etiam illum epist.4. Hunc in libr. de Magistro Augustinus; *Ex cujus ore prodit Leo, prodit immanis bestia. Sed ex illius ore, qui Leonem nominat, prodit Leo: Ergo ex illius ore, qui Leonem nominat, prodit immanis bestia*. Hunc Toletus

MXCI. *De suppositione materiali.*

Introd. libr.5. cap.1. *Gladius est secundæ declinationis: Ensis est gladius: Ergo Ensis est secundæ declinationis.* Et Horomanus libr. 4. cap. 28. *Homo est duarum syllabarum; Constantinopolitanus est homo: Ergo Constantinopolitanus est duarum syllabarum.* Addere posses alios, qui apud Authores reperiuntur. Talis est: *Deus est ubique, Vbique est adverbium: Ergo Deus est adverbium.* talis & iste, *Quidquid dicis, per buccam transit: Currum & Equos dicis.; Ergo Currus & Equi per buccam transeunt.*

Vt solvam primum syllogismum, à cujus solutione reliqui universi dependent, in memoriam revoco doctrinam positam superiùs de suppositione materiali & formali: vox enim materialiter sumitur, cùm pro seipsa, formaliter cùm pro significato. *In argumentis debet servari suppositio.* Hâc doctrinâ præmissâ dico in singulis syllogismis præmissis esse quaternos terminos; medium enim semper sumitur in alterâ præmissâ materialiter, & in alterâ formaliter: vel saltem aliqua extremitas aliter in præmissis & aliter in conclusione supponitur. Quod si ita accipiamus terminos, ut non varietur suppositio, hoc sensu plerumque consequentia, imò & altera præmissa, erit falsa.

Tertia:

SOlent aliqui & istum syllogismum proponere. *Clodius est animal, Omne animal sublato cibo moritur; Ergo si Clodio omnem cibum auferas, omne animal moritur.* MXCII.

Non urgeor, quia consequentiam condemno; est enim exorbitans & illegitima cùm inferri deberet hæc, *Ergo Clodius sublato cibo moritur.*

Quarta:

OBiiciunt iterùm. *Petrus est animal, Omne animal fuit in arca Noha, ergo Petrus fuit in arca Noha.*

Respondeo distinguendo minorem: nam si illa vox *Omne animal*, æquivaleat huic, *ex omni specie aliquod animal*, erit vera, sed syllogismus habebit quatuor terminos, non enim sic *Animal* sumitur in majore: si autem *Omne animal*, æquivaleat huic, *Omnia animalia individua nullo dempto*, tunc non erunt quatuor termini, sed erit falsa minor, & falsam consequentiam pariet. MXCIII. *Quo sensu capiantur positiones universales?*

ARTICULUS V.

Contra* Figmeno, *&* Ferio *nonnulla obiectiones solvuntur.

DEdimus syllogismos fortissimos, & Modi efficaciam demonstravimus: nunc, quia contrà insurgis, occurro, & quid contra veis, expecto. Obiicis ergo

Primò

Primò

Hic iterum suppositio mutatur.

HUnc Syllogismum, *Homo est animal; Nullum animal est species, Ergo Homo non est species.* Hunc eumdem Syllogismum firmas, alios similes ex aliis Modis producèdo. Videlicet; *Petrus est homo, Homo est species, ergo Petrus est species,* Et iterù, *Ioannes est animal, Animal est genus. Ergo Ioannes est genus.* Et Iterùm, *Homo est rationalis, Rationale est differentia, Ergo homo est differentia.* Vel sic, *Rationale est homo, Homo non est differentia sed species, ergo rationale non est differentia sed species.*

An animal species sit.

Respondeo semper ludi [æquivoco, & semper poni quatuor terminos; quoniam in alterâ præmissâ agitur de primis intentionibus, & de secundis in alterâ. Si semper maneant tres termini, semper aliqua præmissa erit falsa, & illatam consequentiam inficiet. Illa enim propositio, *Nullum animal est species,* est falsa; cùm potiùs verum sit dicere multa Animalia esse species; omnia enim, quæ contracta unicâ tantùm differentiâ, ut Homo, Equus, Leo, &c. species sunt. Consultò *unicâ* dico; nam Petrus est Animal contractum duabus differentiis; nimirùm Rationalitate & Petreitate. In reliquis syllogismis observandum hoc est: nimirùm; medium in majori sumi primò-intentionaliter, & secundò-intentionaliter in minori; & ideò quatuor terminos esse. Quod si jubeas illud utrobique primò-intentionaliter sumi, omnes minores erunt falsæ: quod si illud ipsum utrobique jubeas secundo-intentionaliter accipi, omnes majores erunt falsæ; & inde orientur consequentiæ legitimæ non tamen veræ.

Secundò.

MXCV. *Hic iterum suppositio mutatur.*

OBiicis hunc Syllogismum, *Petrus est vox, Omnis vox est sensibilis, & nulla sensitiva est: Ergo Petrus sensibilis est, sensitivus non est.*

Et Ego eumdem rego si quatuor termini esse dicantur. Si debeant manere tres tantùm, hoc est, *Petrus* in majore & conclusione eodem modo supponi, dicam consequentiam esse legitimam, & sumptâ voce *Petrus* materialiter, veram; quoniam hæc vox *Petrus*, sensibilis est, non sensitiva; at eâdem voce *Petrus* sumptâ formaliter pro ipsomet Petro dicam majorem & consequentiam esse falsas.

ARTICULUS VI.

Obiectiones contra cæteras figuras & modos & specialiter contra Cesare.

OMnes cæteri modi ad quatuor istos reducuntur: & hanc ob rem, dum propugnantur isti, etiam cæteri sunt propugnati. Interim, quia contra *Cesare* secundæ Figuræ primum modum nonnullæ obiectiones occurrunt, illas dilucidabo. Et quia in mundo sunt plurimi, qui armis, qui linguâ, qui ingenio in Cæsarem ausi, non mirabitur Logicus, si tela videat torqueri contra *Cesare.* Sit igitur Instantia,

Prima.

MXCVI. *Syllogismus temperatum.*

IN modo *Cesare* dari potest antecedens verum, & consequens falsum; ergo est fortuitus & inutilis. Antecedens probas hunc Syllogismum proponendo, videlicet; *Nulla propositio est vera, quando est falsa: At omnis Assertio impossibilis est falsa: Ergo nulla Assertio impossibilis est propositio.*

Strengelij Censura.

Georgius Strengelius *libr. de bon. & mal. Syllog.* §. 60, sic respondet. [Cavilli & scirpi, nam sub quatuor terminorum stibio mendacium astringit: quia medium variat, si in majore sit hoc totum *vera quando est falsa*, pro medio; & in minore hoc tantùm *falsa*; sin ultima illa pars majoris, scilicet, *quando est falsa*; sit pars subiecti, tunc *syllogismus* quidem erit in prima figura, sed quatuor terminos non excutiet: imò geminus istum *syllogismum* insidebit error, quia pro majore extremo etiam medium vel pars medij conclusionem ingredietur.

An particula quando est falsa, pertineat ad subiectum, an ad prædicatum, an ad copulam?

Alij existimant illam particulam *quando est falsa:* nec afficere subjectum, nec prædicatum, sed copulam, hoc est verbum *Est*, debereque sic totum syllogismum rescribi. *Nulla propositio, quando est falsa, est vera: Omnis Assertio impossibilis, quando est falsa, est vera. Ergo nulla Assertio impossibilis, quando est falsa, est propositio.* Et aiunt hunc esse bonum Syllogismum, sed habere minorem & consequentias falsas. Nec volunt illa verba, *quando est falsa*, à conclusione proscribi; tota enim copula debet reperiri in singulis propositionibus: quod ni fiat; non erunt syllogismi boni. Iste, *Omnis homo fuit Embryo:* est malus, & tamen esset bonus, si *fuit* in omnibus assertis poneretur: Sed quia idipsum suas patitur difficultates; nihil definio, rem suo loco examinabo accuratiùs; & nunc istum Syllogismum subscribo. *Petrus anno præterito fuit doctus, Omnis qui fuit doctus anno præterito, eodem anno fuit dives: Ergo Petrus anno præterito fuit dives.*

Secunda.

MXCVII. *Syllogismus obliquus?*

COnfirmant objectionem positam subiiciendo; *Nulla rubedo est albedo; Omnis rosa est capax albedinis: Ergo nulla rosa est capax rubedinis.*

Aliqui, ut respondeant, recurrunt ad Fonsecam, qui *libr. 6. Instit. cap. 30.* ait, *In recto vero concludentibus, si affirmativa tantùm fuerit ex obliquo, nihil bene concludi*: alij hæc eadem Fonsecæ verba falsa rejiciunt, aut [illegible], alij obscura. Ego facillimè me expedio, & positum syllogismum reiicio, quia in illo quinque reperio terminos. Primus est *Rubedo*, sed [illegible]

eumdem

cundus *Albedo*, tertius *Rosa*, quartus *Capax albedinis*, quintus *Capax rubedinis*. Quodsi velis tribus uti tantummodò, tout debes, dic, *Nulla rubedo est albedo*; *Omnis rosa est albedo*, *Ergo nulla rosa est rubedo*, vel aliter, *Nullum capax rubedinis est capax albedinis*, *Omnis rosa est capax albedinis*, *Ergo nulla rosa est capax rubedinis*. Vterque enim Syllogismus erit bonus, at prioris minor, posterioris major & conclusio erunt falsæ.

Tertia.

MXCVIII. Quid vox Mortuus significet est inquirendum.

INsurgunt iterum, & hunc Syllogismum obiiciunt. oimitùm, *Nullus homo est non ens*, *Omne mortuum est non ens*: *Ergo nullus mortuus est homo.* *Ergo nullus homo est mortuus.*

Quid vox Pictus?

Et quatuor terminos esse respondeo: *Ens* enim sumitur æquivocè, videlicet, pro Ente secundum essentiam, & Ente secundum existentiam. Si agatur de Ente secundum essentiam; minor est falsa, major vera: si de Ente secundum existentiam, major est falsa, minor vera. Et hîc obiter observari volo ex Philippo du Trieu *tract. 4. p. 2. a. 2. cap. 2.* vocem *Mortuus* respectu vocis *Homo*, *Animal*, &c. esse determinationem alienantem, quæ planè tollit significationem vocis cui conjungitur. Idem dicam de voce *Pictus*, nam pictus homo, seu hominis pictura, non est homo.

Ens bifariam sumitur: essentialiter, & existentialiter.

DISPUTATIO III.

De Discursu insolubili, & Præmissas suas falsificante.

DE solubilibus Elenchis; quint plurimùm in æquivocatione consistunt, multi egerunt, & doctè: verùm de insolubilibus, omninò pauci. At quia inter pancos optimè Stengelius disseruit, eumdem proferam & examinabo.

ARTICULUS I.

Quid sit discursus insolubilis?

MXCIX. Quæ sint rationes insolubiles? Quæ propositiones se falsificantes?

VOcantur iosolubilia Sophismata, quæ ad se falsificantes propositiones reducuntur: & illæ hoc gaudent nomine, quæ se ipsas destruunt. Plurimæ sunt ejusmodi apud Logicos; unam aut alteram expono, ut de reliquis analogum judicium sit. Esto PRIMA. *Iuro me nunquam jurare*, quæ se ipsam videtur destruere. SECUNDA verò, *ego semper mentior*, quæ eodem morbo laborat. Et utramque discutio. Sic discurro. *Si prima vera sit, erit etiam falsa: si falsa sit, erit non vera; Ergo si vera sit, erit non vera.* Videtur monstrum potiùs rationis, quàm legitimus discursus hæc periodus: at majorem persuadeo. Si vera sit, Ego nunquam juro; & si nunquam juro, nec nunc juro: & si nunc non juro, aut hæc positio, *Iuro*, est simul vera & falsa; aut hæ duæ, *Iuro*, & *Non juro*, simul veræ. De alterâ eodē modo philosophor. Sic inquam. *Si secunda sit vera, erit etiam non-vera: ergo erit simul vera & non-vera.* Dedi iterùm alterum monstrum. Antecedens persuadeo. Si est verum, ajo, quod nunc dico, Ego semper mentior; etiam nunc mentior: si nunc mentior, illud quod nunc dico, non est verum; ergo de primo ad ultimum, Si illud quod nunc dico est verum, illud quod nunc dico non est verum. Ergo in tali hypothesi una & eadem positio non solùm erit vera & non-vera: sed, quod omninò mirabilius, ideò erit non vera, quia est vera.

An falsum ex vero sequi possit?

Sic innodamur ejusmodi Propositionibus, quæ videntur nodo Gordio similes, qui excidi potuit, & solvi non potuit. Ergo, siquidem hunc huc usque nodum difficultatis nemo solvit, nec olim soluturus speretur, has Propositiones falsificantes *insolubiles* esse dicamus, illasque excidamus ab omni disputationis genere, & ab omni excursu doctrinali excludamus.

Nodus Gordius.

Nota.

MVlti insolubilia omnia argumenta ad Dilemma reducunt, quod ipsa nulla alia forma meliùs poni & opponi soleant, quàm bimembri. Alii illa ad Syllogismum: alii aliò. Me judice quolibèt possunt; nec est cur nimium in re non omnia inhæreamus: ad majora & utiliora transvolemus.

ARTICULUS II.

An sit bonum agere de Insolubilibus? an de Sophismatibus? An sit honestum? an delectabile?

MC. Quotuplex bonum sit?

BOnum triplex: Honestum, Vtile & Delectabile. De Vtilitate statim agam: modò

Stobæus serm. 80. modò de Honestate nonnulla, nonnulla de Delectabilitate. Seneca Epist. 45. *Ista sine noxa decipiunt, quomodo Præstigiatorum acetabula & calculi, in quibus fallacia ipsa delectat.* Et Arcesilaus teste Stobæo & Lipsio, dicebat *Dialecticos similes Præstigiatoribus, qui jucundè decipiunt.* Homines sunt circumforanei, qui ludo aut agilitate manuum mira patrant. Hic ipse lusus ab Hispanis *Juego de manos* dicitur, estque hodie in usu, ipseque pueris & plebi in admiratione. Vtuntur acetabulis (sic sua vascula aut pyxides vocari volunt) quibus diversimodè motis & transpositis, calculi, nummi, grana &c. liquescunt, conduntur, formantur, transmutantur, ut arte Magicâ fieri arbitrere, quod fieri posse naturali non credis. Sed cur hæc vascula vocantur *Acetabula*? Sunt qui *Acceptabula* vocare malunt. Sunt, qui vocem retineant, sed corruptam existiment, & ab accipiendo derivent: sunt qui ab aceto, nam sicut Hispani nominant *Vinagueras* (hoc est *Vinegeram*) non solùm vitrum, quod habet vinum, sed quod aquam, ita potuerunt Latini horum hominum vascula *Acetabula* dicere, nomine ab aceto deducto, & ampliato postmodum, ut non solùm acetaria, sed etiã quæcumque alia significarent. inde fortè occasione denominationis acceptâ, quia Præstigiatores interdum liquores mira facilitate convertant, ut cùm oleum habere te putas, non nisi acetũ habeas. Græcus eos vocat ψηφοπαίκτας, quia ludunt calculis: ψηφολέπτας, quia furtim eos transferunt; ψηφολόγους, quia verbo aut cogitatione illos transmutare creduntur.

Ipsius exponens ista locum Senecæ.

Dialectici similes Præstigiatoribus.

Acetabulum. Acceptabulum. Vinagera.

Psephopæsta. Psephoclepta. Psephologi.

MCI. Stando igitur similitudini pronuntio Dialecticam præstigiatoriam esse artem delectabilem & admirabilem, quam tamen honestè audias, quà tamen utaris inhonestè. Præstigiatores homines viles sunt, & tamen ingenuos & doctissimos recreant: & Sophistæ parvi væneunt in foro, & tamen viros illustres rapiunt & delectant. Oportet scire ut minimum, præstigias ejusmodi agilitate manuum fieri in foro, & agilitate mentis in scholâ formari, ne vel ibi vel istic decipiatis. Et tametsi illis uti inhonestum videatur utrobique, nihilominùs callere artem, & posse respondere illi, qui te fallere velit, honestum & gloriosum est.

Multa scire possumus, quibus uti non possumus.

ARTICULUS III.

An sit utile agere de insolubilibus?

MCII. Curiositas æquivocavox est, & in bonam & in malam partem accipitur; & tu, quia sev...rum scholasticum agis, vocem sumis provitio, & curiositam asseris, utile negas, agere de quæstionibus insolubilibus. Sophismata ista sunt de quibus tantam esse librorum copiam concinnatam quadragesima-sexta Epistolâ conqueritur Hispanus Seneca. Nugas istas argutias excessu à scholis præcipit Epist. XL. & VI. cui consonant Iuris-periti cùm nimiam subtilitatem in legum expositione reprobant, & Iustus Lipsius libr. I. de Physiologia Stoicorum dissert. I. *Quæ dementia*, inquit Seneca, *superuacanea discere in tanta temporis inopia?* & iterùm, *Quantum temporis quibusdam verborum cavillatio eripit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent!* Sed & alii, quibus viam aperuisse videtur Ariston, Philosophos, qui ejusmodi Dilemmatum expositioni insudant, cancros comedentibus comparant, nam propter exiguum aut etiam insalubre alimentum circa crustras & testas nimiâ diligentiâ laborant.

Curiositas sumitur in bonam & in malam partem.

An nimia subtilitas damnanda sit.

Quales Logici sint.

Sic fortè contra ista folia insurgent, qui subtilia tegerunt, quia non capiunt: at illi, quibus subtilia ingenia dedit Deus, his difficultatibus non perterrentur, sed irritantur potiùs, ut illas conentur superare. Non sunt in solâ Logicâ istæ difficultates, in aliis etiam Facultatibus ipsæ tumultuant & in oceanis aliis procellescunt. Rhetores torquent & exercent Asystati, Dialecticos Antistephi, & Legum-peritos Perplexa. Theologi patiuntur Euripos, Ethici tenebras, eò periculosiores, quò minùs cæcas. Si summa esset in his controversiis obscuritas, laterent ipsæ: si summa claritas, non solùm illæ, sed etiam earumdem solutiones paterent: at quia crepusculinâ luce regimur

MCIII. *Quid homines ingeniosi sentiant.*

Resolutio.

> *Talia ut audimus, Dialecticæ, verba, dolemus,*
> *Et dici potuisse, & non potuisse refelli.*

Ergo disputationem hanc summè esse necessariam resolvimus, & sine eruditionis damno ignorari non posse. MCIV.

Eiusdem olim fuerunt sententiæ prisci Philosophi, qui libros integros de hoc subtili argumento conscripserunt. Theophrastus enim libros tres de mentiente composuit. & Chrysippus tres de solvendo mendacio: duos de dissectione solventes mentientem (dissectionem dicebant veteres, quam distinctionem hodie nuncupamus) de introductione ad mentientem, qui etiam sermones mentientes complectuntur. Patres etiam antiqui glorioso ingenij acumine nodos argumentorum plurimos contra Hæreticos, plurimos contra Ethnicos dissolverunt. Mira est respondendi fœlicitas, quam suspicimus in D. Gregorio sæpe inferiùs citando; quam etiam in D. Augustino in Psalm. 115. de sententia, quæ in contrarium vertitur: quam in D. Basilio & D. Hieronymo ibidem: quam in aliis. Horum igitur insistentes vestigiis amare subtilia discamus; & quia tractatus de insolubilibus subtilissimus est, illi diligentissimè studeamus.

An veteres de hoc argumento scripserunt.

Dissectio, quid.

Nec contra hanc diligentiam argutatus est Seneca, cuius mentem exponemus statim; nec benè appropriantur verba Aristonis non cum

Renasci malorum medicatio.

enim parvus & insaluber est fructus, qui ex Insolubilium contemplatio sumitur. Et hinc patet, quò debeant modo solvi objectiones; quæ positæ sunt in initio.

ARTICULUS IV.

An sit utile agere de Sophismatibus?

MCV. NEmo solvere potest nodum, qui modum, quo fieri solet nodus, nesciat; nemo ergo solvere poterit Paralogismos, qui nesciat, quo illi modo formantur. Eam Dialecticæ partem, quæ illos docet fabricari & vitare, per antonomasiam Græci *Philosophia* nomine insignivetunt, quod in totâ Scientiarum encyclopædiâ nulla facultas sit, in quâ plus studium & sapientia reluceat. Hinc Apostolo lux. *Videte, ait, ne quis vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam*: ubi videtur explicare, quid intelligat nomine Philosophiæ; hoc enim cùm sumitur pro Dialecticâ Paralogisticâ, significat inanem fallaciam.

Philosophia nomen per antonomasiam, quid significet? ad Coloss. cap. 2.

Hoc eodem sensu vocem sumpsit S. Ambrosius *libr. cap. 2. de Abraham Patriarchâ*, ubi ait. *Magnus planè vir Abraham, & multarum virtutum clarus insignibus: quem votis suis Philosophia non potuit æquare. Denique minus est quod illa finxit, quàm quod iste gessit.* Ecce in Ambrosii Lexico ab amore nimio, & scientiâ nimiâ dicitur Philosophia: nimiùm enim amat, cujus vota naturæ potentiam excedunt; multum scit, cujus ideæ superant veritatem.

Scientia à mor nimi[illegible].

MCVI. Cùm igitur Paralogica Philosophia sit fingendi ars, & fallendi doctrina, cui multi diligenter student, ne ipsi nos seducant per Philosophiam & inanes fallacias, opus est nobis magnâ diligentiâ & studio; nec enim pericula vitare poterimus, nisi illam eamdem didicerimus artem, quâ nobis præparantur insidiæ.

Paralogistica.

ARTICULUS V.

An sit eadem Argumentatio, Sophistica; Insolubilisque?

MCVII. QVæstio est de mero nomine, & tamen præscindendo à vocabulis, magna est inter Sophisticas & Insolubiles argumentationes & retorsiones differentia. Sophistica enim quæstio, illa est, quæ solvi à viro docto potest, & multos confundere solet; illa quæ non tam viribus propriis, quam ignorantiâ Respondentium subsistit. At Insolubilis vocatur illa, quæ solvi non potest, quæ universos (aut doctos, aut indoctos) confundit; nimirùm, quæ viribus propriis, & non ignorantiâ Respondentium subsistit. Si Quæstionem aliquam, quam insolubilem existimo, tu sciens solvere; illa hoc ipso non erit Insolubilis sed à meâ ignorantiâ vires sumet. Hæc ad rem pertinent: de nominibus nonnihil subjungamus.

Argumentum Sophisticum, quid? Impossibile, quid? Non id bene.

MCVIII. Peripatetici benè utuntur vocabulis, & Insolubilem argumentationem, quam Pseudographam vocant, à Sophisticâ & fallaci distinguunt; at hodie liberius Recentiores loquuntur, & ut benè notat Læuius Bisciola *Horarum subcess. tom. 2. libr. 5. cap. 8.* & Stengelius *de Insolubilium speciebus §. 2. pag. 5.* omnes insolubilium argumentorum nodos, qui aliquam syllogismi faciem habent, *sophisticos & fallaces* appellant. Insolubilia omnia argumenta *Inexplicabilia* Gellius libr. 9. cap. 5. & *Exquisitas ambiguitates* libr. 1. Quintilianus appellat. Nos ergo sequemur veteres Peripateticos; & dicemus Argumentum Sophisticum illud esse, *quod à doctis tantummodò solvitur*. Insolubile, *quod ne quidem à doctissimo potest*.

Argumentum Pseudographum. Sophisticum. Inexplicabile. Exquisita ambiguitas.

ARTICULUS VI.

Quid sint Vtides, & Ceratina?

MCIX. POlitianus sic ait. *Ceratina quæ sint apud Quintilianum, non temerè, qui tibi explicet, invenias. Qui tamen Græca volverit, Latinaque Commentaria, planè intelligent ratiocinationis inexplicabilis esse eam speciem, quæ nescio quas ansas, atque uncos arte Dialectica perplexitatis inferret.*

Ponitur difficultas.

MCX. Proponit hic difficultatem & non solvit. Et ego duas oppositas opiniones reperio; alterâ, quæ à materiâ nomen eruit; alteram, quæ à formâ. ET QUIDEM, UT PRIOREM EXPLICEM, aliquid de nominum impositione subjungo. Primus Romanorum imperatorum Cæsar fuit, & inde omnes ejusdem Successores *Cæsares* nominantur: & hoc tanto vocabuli abusu, ut non solùm à nostris Germanus Imperator; sed etiam Turca à Græcis *Cæsar* hodie vocetur: imò & ab aliis. Habeo, dum hæc scribo, Diarium Legatorum Regis Poloniæ ad Chmielnicki, (nempè ab 8. Iulii ad 1. Augusti Anni 1650) & in toto sive à Polonis, sive à Cosacis, non aliter Magnus Turca, quàm *Cæsar Turcarum* vocatur. Scriptæ fuerunt olim contra Philippum invectivæ Orationes, & *Philippicæ* sunt nominatæ: & ab illâ die hoc notantur vocabulo universæ invectivæ; unde quas contra Antonium scripsit Cicero, *Philippicas* voluit vocari. Magno Dei beneficio inventa fuit ars Typographica, & diversis characterum formis & magnitudinibus prodierunt aliquot volumina, à quibus characteres fuerunt denominati: quoniam *Canon, Textus, Cicero, Augustinus, Breviarium*, characterum magnitudines hodie significant, nempè illas, quibus olim ejusmodi libri fuut impressi. Et quia Gryphius excellentissimus Typographus fuit, & charactere cursivo libros edidit, obtinuit ut & cursivus character *Gryphius* nominaretur. His igitur & aliis suppatibus denominationibus consideratis inquit prima sententia, antiquissima Græcorum sophismata fuisse de cornibus. Sic enim coætaneos suos exercebat Chrysippus.

Vocis etymon sumi à materiâ potest, & à formâ. De nominum impositione. Cæsares unde dicti. Cæsar Turcarum. Philippica. Hæc nomina Canon, Textus, Cicero, Augustinus, &c. quid apud Typographos significent? Sophismata de cornibus.

Habes quidquid non amisisti,
Cornua non amisisti;
Ergo habes cornua.

illique hunc unicum paralogismum Κερατινὸν vocarunt: deinde, quia Sophistica L[illegible] excre-

Argumentum ceratinum, seu cornutum.

esse dicitis, quod est odiosius, quam illa, quæ nos incomprehensa, & non percepta dicimus. Sed hæc omitto. Illud quæro, si ista explicari non possunt, nec eorum ullum judicium invenitur, ut respondere possitis verane, an falsa sint: ubi est illa definitio effatum esse id, quod aut verum aut falsum sit? Rebus sumptis, adjungam ex his sequendas esse alias, alias improbandas: quæ sunt in genere contrario. Quomodo igitur hoc conclusum esse judicas? Si dicis nunc lucere, & verum dicis; lucet: dicis autem lucere, & verum dicis: lucet igitur. *Probas certè genus, & rectissimè conclusum dicitis. itaque in docendo eum primum concludendi modum traditis. Aut quidquid igitur eodem modo concluditur, probabitis: aut ars ista nulla est. Vide ergo, hanc conclusionem probaturusne sis.* Si dicis te mentiri, verumq; dicis, mentiris: dicis autem te mentiri, verumq; dicis: mentiris igitur. *Qui potes hanc non probare, cum probaveris ejusdem generis superiorem? Hæc Chrysippea sunt, ne ab ipso quidem dissoluta: quid enim faceret huic conclusioni?* Si lucet, lucet: lucet autem: lucet igitur. *Crederet scilicet. Ipsa enim ratio connexi, cum concesseris superius, cogit inferius concedere. Quid ergo hæc ab illa conclusione differt?* Si mentiris, mentiris: mentiris autem: mentiris igitur. *Hoc negas te posse nec approbare, nec improbare. Qui igitur magis illud? Si ars, si ratio, si via, si vis denique conclusionis valet: eadem est in utroque. Sed hoc extremum eorum est postulant, ut excipiantur hæc inexplicabilia. Tribunum aliquem censeo, adeant: a me istam exceptionem nunquam impetrabunt. Etenim cum ab Epicuro, qui totam Dialecticam & contemnit & irridet, non impetrent, ut verum esse concedat, quod ita effabimur:* Aut vivet cras Hermachus, aut non vivet: *cum Dialectici sic statuant: omne quod ita disjunctum sit, quasi aut etiam, aut non, non modo verum esse, sed etiam necessarium: vide, quàm sit cautus is, quem isti tardum putant. Si enim, inquit, alterutrum concessero necessarium esse: necesse erit, cras Hermachum aut vivere, aut non vivere* (omninò, sed in sensu composito, non in disjuncto) *nulla autem est in natura rerum talis necessitas* (nempè in sensu disjuncto, nam in composito esse Dialectici probant.) *Cum hoc igitur Dialectici pugnent, id est Antiochus & Stoici: totam enim evertit Dialecticam: nam si è contrariis disjunctio (contraria autem ea dico, cum alterum ait, alterum negat) si talis disjunctio falsa potest esse, nulla vera est. Mecum vero quid habent litium, qui ipsorum disciplinam sequor? Cum aliquid hujusmodi inciderat, sic ludere Carneades solebat:* Si rectè conclusit teneo: sin vitiosè, minam Diogenes reddet: *ab eo enim Stoico Dialecticam didicerat: hæc autem merces erat Dialecticorum. Sequar igitur eas vias, quas didici ab Antiocho: nec reperio, quomodo judicem,* si lucet, lucet, *verum esse ob eam causam, quod ita didici, omne, quod ipsum ex se connexum sit, verum esse: non judicem,* si mentiris, mentiris, *eodem modo esse connexum. Aut igitur hoc, & illud: aut nisi hoc, ne illud quidem judicabo.*} Hæc Cicero de istis aculeis & tortuoso genere disputandi: ex quibus tamen multa eloquentius, quàm verius ab illo explicari: & multa adhuc posse objici contra omnia, quæ Cicero dixit; certum est.

An omnis positio sit vera vel falsa?

Totus hic syllogismus videtur æquivalere voci Lucet.

Ejusmodi argumentationes videntur, ad linguam potius pertinere quàm ad mentem.

Dialecticæ contemptor Epicurus.

In contradictoriis contingentibus necessarium est alteram partem esse veram: & tamen neutra necessario erit vera, N.B.

Minerval Dialecticorum.

ARTICULUS X.

Edisserens Sententiam Senecæ.

MAgni facio nostrum Hispanum Sene- MCXVII.
cam, quem videntur allegasse adversarii ad probandum doctrinam de Sophismatibus, aut etiam de Insolubilibus, esse supervacaneam. De hac materia specialissimè disputat Epist. VI. quam subjicio, ut universis constet, quid ille vel neget, vel asserat.

LIbrorum istic inopiam esse quereris. Non MCXVIII.
refert quam multos, sed quam bonos habeas. Lectio certa prodest, varia delectat. Qui, quò destinavit pervenire vult, unam sequatur viam, non per multas vagetur: non ire istud, sed errare est. Vellem, inquis, magis libros mihi quàm consilium dares. Ego verò quoscumq; habeo mittere paratus sum, & totum horreum excutere: me quoq; istò, si possem, transferrem, & nisi maturè te finem officii speratem impetraturum, hanc senilem expeditionem indixissem mihi: nec me Charybdis, & Scylla, & fabulosum istud fretum deterrere potuisset. Transnatassem ista, non solùm trajecissem, dummodò te complecti possem, & præsens æstimare quantum animo crevisses. Ceterùm quòd libros meos tibi mitti desideras, non magis ideò me disertum puto, quam, formosum putarem, si imaginem meam peteres. Indulgentiæ scis istud esse, non judicii: & si modò judicii est, indulgentia tibi imposuit. Sed qualescumq; sunt, tu illos sic lege, tamquam verum quæram adhuc, non sciam, & contumaciter quæram. Non enim me cuiquam mancipavi, nullius nomen fero: multum magnorum Virorum judicio credo, aliquid & meo vindico. Nam illi quoq; non inventa, quærenda nobis reliquerunt; & invenissent forsitan necessaria, nisi & supervacua quæsissent. Multum illis temporis verborum cavillatio eripuit, & captiosæ disputationes, quæ acumen irritum exercent. Nectimus nodos, & ambiguam significationem verbis alligamus, deinde dissolvimus. Tantum nobis vacat? jam vivere, jam mori scimus? Tota illò mente pergendum est, ubi provideri debet, ne res nos, non verba, decipiant. Quid mihi vocum similitudines distinguis, quibus nemo umquam nisi dum disputat, captus est? res fallunt: illas discerne. Pro bonis mala amplectimur: optamus contra id quod optavimus: pugnant vota nostra cum votis; consilia cum consiliis. Adulatio quàm similis est amicitiæ? Non imitatur tantùm illam, sed vincit, & prætérit: apertis & propitiis auribus recipitur, & in præcordia ima descendit, eo ipso gratiosa, qua lædit. Doce quemadmodum hanc similitudinem dignoscere possim; venit ad me pro amico blandus inimicus: vitia nobis sub virtutum nomine obrepunt: temeritas sub titulo fortitudinis latet: moderatio vocatur ignavia: pro cauto timidus accipitur. In his magno periculo erratur: his certas notas imprime. Ceterùm, qui interrogatur, an cornua

An prosint multi libri? An & multi legendi sint?

Charybdis & Scylla fabulosa.

An Seneca formosus fuerit?

Qualis opinione sua Scriptor Seneca?

De sententiâ superfluâ.

De nodis & æquivocationibus.

Agendum potius de rebus quàm de verbis.

Adulatio qualis?

Quomodo ab Amicitia distinguenda?

De Paralogismo Ceratino.

Aliud est ignorare rem quoad substantiam, aliud quoad modū: aliud est subjectum ipsum, & aliud accidens subjecti nescire.

Hic latentem non nosti:
At Pater tuus est hic latens:
Ergò Patrem tuum non nosti.

ubi illud *non nosti*, quod prædicato minoris propositionis *latens* rectè in propositione majore tribuitur, creditur etiam tribuendum subjecto minoris in ipsa conclusione: quasi perinde sit *latentem non noscere* (quod prædicatum ex Logicorum doctrinâ appellat (assicit) formale significatum subjecti, seu *latentem* reduplicativè acceptum) & *patrem* (qui latet, quique est materiale significatum subjecti) *non noscere*.] Ita ille §.3.pag.101

MCXXV. Solutio facilis.

At ego faciliùs me expedio: & totum syllogismum dilucido. Ajebat. *An nosti patrem tuum?* Et ego distinguendo respondeo. Novi, inquam, illum quoad substantiam, at multa illius accidentia & passiones ignoro. Modò enim, cùm jam ab annis duodecim illum non viderim, cujus figuræ, aut etiam coloris sit nescio: imò ætatem ignoro: nescio an sit domi, vel extra: an sedeat, vel stet: & tandem quales vestes habeat aut non habeat. Et tu interrogas iterum, & ais, *An hunc, qui latet, nosti?* Et me nescire quisnam lateat, adeòque dubitare, an lateat aliquis mihi notus, respondeo. Subsumis, *Atqui latet pater tuus*: & infers, *Ergo cognoscis & non cognoscis patrem tuum.* Et ego concedo subsumptum, & illatum consequens distinguo. Cognosco Patrem meum quoad substantiam; concedo: quoad hanc circumstantiam & accidens (hoc est, An ille sit, qui latet, vel non latet) ignoro.

Alterius syllogismi solutio.

Prætereà, ad alium syllogismum, (nimirum: *Hic latentem non nosti: At pater tuus est hic latens: Ergo patrem tuum non nosti.*) respondeo distinguendo majorem; hic enim latentem, si sit pater meus, novi: si non sit, dubito, an illum noverim, vel non noverim: & posteà concedendo minorem & tandem negando consequentiam: vel consequens distinguendo, si velis.

Paralogismus III.

MCXXVI. Sophisma Arithmeticum.

Apud Aristotelem *lib. 1. Poster. cap. 1. text. 8.* hic etiam discursus reperitur.

Scis omnem numerum binarium esse parem? *Scio.*

An numerum nummorum, quem manu meâ Conclusum gero, parem esse scis? *Nescio.*

Sed is ipse numerus, quem manu clausum gero, est binarius.

Ergo nescis esse parem aliquem binarium.

Atqui sciebas omnem binarium esse parem.

Ergo scis duas contradictorias esse simul veras.

Solutio antiqua.

Respondebant veteres apud Aristotelem *lib. 1. Post. c. 1. text. 8.* Binarium posse sumi formaliter: absolutè & conditionatè: specificativè & reduplicativè: aliud enim est scire hunc numerum, (qui binarius est) esse parem, aliud scire eumdem, si sit binarius, esse parem; & si ternarius, imparem: quamobrē concludebant, *non omnem binarium se scire parem esse; sed eum quem scirent esse binarium.*

MCXXVII. Rejicitur ab Aristotele.

Displicet hæc solutio Aristoteli: ait enim [Sciunt id cujus demonstrationem habent, & cujus demonstrationem acceperunt: acceperunt autem non omnis, quem scirent esse triangulum aut numerum; sed simpliciter de omni numero aut triangulo, nulla enim propositio accipitur talis, *Quem tu scis esse numerum*, aut *Quod tu scis esse rectilineum*: sed de omni.]

MCXXVIII. Solutio Aristotelica.

Rejectâ igitur veterum solutione, propriam duobus locis edisserit (nimirùm; *libr. 1. Priori Analyt. cap. 21. text. 7.* & *1. Poster. cap. 1. text. 6. & 9.*) asserens, scire nus omnem binarium esse parem universali cognitione, quâ omnia particularia, atque adeò illum numerum sub aliquâ ratione communi cognoscimus: non tamen nos scire particulari cognitione. Et *libr. 2. Prior. cap. 21. text. 8.* (& ibidem Iulius Pacius) subjungit, *Quare contingit etiam in his falli: non tamen modo contrario*, (hoc est errore universali) *sed quia habemus cognitionem universalem, & decipimur particulari.* Ac paulo infra. *Quocirca perspicuum est, etsi alterum noverit, eum deceptum iri: quemodo se habent universales scientiæ ad particulares, ex iis enim quæ sub sensum cadunt, nihil à sensu absens cognoscimus, ne quidem si id antea senserimus; nisi hac ratione, quia universalem, & propriam scientiam habemus, non quòd actu ea scientia utamur. Scire enim dicitur tribus modis: id est, vel ut cognitione universali, vel ut propriâ, vel ut actu & operatione, quare etiam decipi dicitur tot modis. Nihil igitur prohibet, quempiam cognoscere ac decipi in eadem re.* Ex his in formâ respondebis interrogatus. *Scisne numerum manu meâ contentum esse parem?* Scio, scientiâ universali; non scio autem cognitione propriâ atq; particulari, seu distinctâ. Et cum infertur; *Ergo nescis omnem binarium esse parem*: dices te id propriâ cognitione nescire; scire autem communi & universali.

Cognitio duplex: generalis & particularis.

MCXXIX. Solutionis veteris rejectio rejicitur.

At mihi ipsa Aristotelis solutio displicet, & à veteribus sto, eorumdem verba meæ menti attempero, & paralogismo sic respondeo.

Vera solutio.

Roganti, *An sciam omnem numerum binarium esse parem?* respondeo me id scire cognitione universali & particulari; nullum enim in particulari numerum esse binarium scio quem parem nesciam.

Sed subrogas; *An sciam, numerum quem manu comprehendis esse parem?* Respondeo me non scire quotus sit: ubi hoc didicero dicturum an sit impar vel par: si enim sit binarius, quaternarius, senarius, &c. erit par: impar, si sit ternarius, quinarius, septenarius. &c.

Subsumis: *At iste numerus binarius est.* Esto: quid inde?

Et infers: *Ergò nescis esse parem aliquem binarium.* Et ego nego consequentiam. Fateor enim me utrumque nescire; videlicet, An sit binarius? & consequenter; An sit numerus par? At me scire illum numerum esse binarium; & tamen nescire esse parem, diffiteor.

Multa alia id genus possunt & solent conformari Sophismata; quæ eodem sunt modo dissolvenda.

Paralogismus IV.

MCXXX. *Secundæ intentiones fiunt denominationes non debent in primas transire.*

FOnseca *lib. 8. Instit. cap. 10.* istum syllogismum producit.

Animal non est species infima;
Homo est animal:
Ergo homo non est species infima.

in quo utraque præmissa est vera, & falsum consequens. Nec est culpanda consequentia, hic enim syllogismus est bonus,

Animal non est lapis:
Homo est animal:
Ergo homo non est lapis.

Sed quomodo iste nodus solvetur?

Cœcum esse supponit Fonseca, & cœcè infert falsam esse illam propositionē, *Quidquid negatur de prædicato, debet negari de subjecto:* quæ tamen vel invito Fonseca non debet à veris exulare.

MCXXXI. *Quo sensu Animal sit species infima?* Ego ut respondeam ad suppositionem recurro: quæ a primâ intentione ad secundam, aut e contra mutatur. Igitur sic in formâ respondeo. *Animal non est species infima*, distinguo: si Animal sit abstractum concedo; si contractum nego. *At homo est animal*, distinguo. Est animal contractum, concedo: abstractum, nego. Ergo, &c. nego consequentiam. Sic etiam hic potest dissolvi.

Homo est animal:
Animal est genus:
Ergo homo est genus.

nam homo est animal contractum, & non abstractum: & animal, ut genus sit, debet esse abstractum; nam animal contractum rationalitate, hinnibilitate, rugibilitate, aut aliâ simili differentiâ, est species.

MC XXXII. *Secunda solutio.* Solent alii sic se expedire ab hac difficultate. *Homo est animal*, distinguunt: in sensu primò-intentionali, concedunt: in sensu secundò-intentionali, negant. *At animal est genus*, distinguunt; & concedunt, si animal sumatur secundò intentionaliter: aliàs negant. Adeòque negant illatam consequentiam.

Paralogismus V.

MC XXXIII. STilphon apud Laërtium *lib. 2. cap. 11.* de statuâ Minervæ, quam Phidias finxerat, ita percontabatur.

Ratio Stilphonis?

Num Jovis Minerva Dea est. R. *Est.*
At hæc non Jovis sed Phidiæ est. R. *Phidiæ illa & non Jovis est.*
Ergo hæc non est Dea.

Sic collegit, & ob hunc syllogismum apud Areopagitas impietatis reus peractus est.

Formâ caret. Et quidem argumentatio hæc illegitima est & temeraria: est enim similis huic,

Philippus, pater Caroli V. fuit homo.
At Philippus prudens non fuit pater Caroli V.
Ergo Philippus prudens non fuit homo.

Paralogismus VI.

MC XXXIV. BIantis proposituris syllogismum, ejusque retorsionem, Auli Gellii utar verbis; ipse enim *noctium Atticarum lib. 5. cap. 11.* sic inquit. *Existimavit quidam etiam illud Biantis viri sapientis ac nobilis responsum consimile esse atque est Protagoreon illud, de quo dixi modo, ἀντιστρέφον: nam cum rogatus esset à quodam Bias, deberetne uxorem ducere, an vitam vivere cælibem, ἤτοι, inquit, καλὴν ἕξεις, ἢ αἰσχράν, καὶ εἰ καλὴν, ἕξεις κοινήν: εἰ δὲ αἰσχράν, ἕξεις ποινήν, ἑκάτερον δὲ οὐκ ἀγαθὸν, οὐ ληπτέον ἄρα, hoc est,* aut pulchram habebis, aut deformem aliquam; & si pulchram, erit illa aliis communis. Si autem deformem, erit illa tibi pœna. alterutrum autem non est bonum: non ergo accipienda uxor. *Sic autem hoc respondentes convertunt, εἰ μὲν καλὴν ἕξω, οὐχ ἕξω ποινήν; εἰ δὲ αἰσχράν, οὐχ ἕξω κοινήν, γαμητέον ἄρα, hoc est,* si quidem pulchram habuero, non habebo pœnam. Si verò deformem: non habebo communem, uxor ergo ducenda, *Sed minimè hoc esse videtur ἀντιστρέφον,* ait Gellius, *quoniam ex altero latere conversum frigidius est, infirmiusque. Nam Bias proposuit non esse ducendam uxorem, propter alterutrum incommodum, quod necessario patiendum erit ei, qui duxerit. Qui convertit autem, non ab eo se defendit incommodo quod adest, sed carere se altero dicit, quod non adest. Satis est autem tuenda sententiæ quam Bias dixit, quod eum, qui duxit uxorem, pati necesse est ex duobus incommodis alterum, ut aut κοινήν habeat, aut ποινήν.*

Antistrephon.

Ratio Biantis.

Retorsio.

An hæc retorsio Biantis instantiæ satisfaciat?

Paralogismus VII.

Qui Crocodili *nominatur.*

MC XXXV. QVem Crocodiliten alii, Crocodilinen libro 1. Quintilianus appellat, hunc esse vel insolubilem putat Angelus Politianus Miscell. c. 55. putant & alii etiam, qui nesciunt quo se possent modo ab arguria Crocodili liberare. Acumen Doxipatei, Enarratorr Græcus, reduxit ad hanc fabulam. Mulier quæpiam secundum fluvium ambulabat: ejusque filiolum incautè in ripa lusitantè intercepit Crocodilus famelicus ex insidiis emergens. Suffusa lachrymis illum postulat, & Crocodilus. *Reddam*, inquit, *si interrogatus mihi, verum responderis.* Admittit pactum mater; tum Crocodilus. *Inquiro*, inquit, *utrùm tibi filium reddam an non?* Quid ergo Crocodilo responsura esset mater, ut reciperet filium? Rem benè perpende & examina; & illi verba congruentia suggere. Si neget illa filium esse reddendum: sublimet Crocodilus, *Si reddidero, non dixisti verum: & si verum non dicas non teneor reddere: ergo puellum non reddam.* Si asseret filium esse reddendum, reponet ille, *Tu falsum dixisti, & ideò reddere puellum nō teneor; & ut videas te falsum dixisse, puellum non reddam.* Hanc eamdem argumentationem in dialogo cui titulus, *Vitarum venditiones*, paulò obscuriùs Lucianus proponit: introducit enim Chrysippum cum mercatore sic loquentem. *Est ne tibi filius? Quorsum istud? Si forte illum errabundum Crocodilus inveniat, rapiatque, deinde redditurum polliceatur, cùm verum dixeris, utrùm reddendus ei videatur, nec-ne? Quid enim sentire dicos? Rem sanè perplexam interrogas.*

Apologus Logicus de Crocodilo.

Hoc

Rationem hanc Crocodilitem, Crocodilinem, Prionem, Serram: &c. vocant.

Hoc ratiocinium vocamus Crocodiliten, aut Crocodilinen: alii *πρίονα*, id est, *Serram* dicunt; quod reciproco fluxu & effluxu contentionis habenas trahat & retrahat, & alternis subtilitatibus intercipiat ingenium.

Aristidis historia.

Non multum hinc distat Aristidis historia. Spoponderat dicenti sibi verum se daturum denarium. Venit illi obviam Diaphanites Sophista, & ait, Tu non dabis mihi denarium. Quid ergo faciet Aristides: Si dat, dat dicenti falsum: si non dat, negat dicenti verum.

Paralogismus VIII.

MCXXXVI. *Modestia Socratis.*

SOcrates modestissimus Senex, cùm summis laudibus ab omnibus celebraretur, & opinione vulgi, firmatâ etiam oraculis, esset doctissimus, ut humilitatem suam testatam faceret, dicebat. *Se scire hoc unicum; videlicet, se nihil scire.* Admiratione ab aliquibus, ab aliis etiam censurâ excepta fuit responsio; & quidem fortissimo ratiocinio impugnata: nimirum. *Nihil & aliquid contradictoriè opponuntur: Ergo si verum sit, Socratem nihil scire, falsum est eum hoc aliquid, seu unicum scire. Et si hoc eum scire verum est: eumdem nihil omnino scire, falsum est.*

Objectio contra Socratem.

MCXXXVII. *Solutio prima ad exceptionem recurrens.*

Sentit vim objectionis Socrates, & ad exceptionem recurrens, se eo sensu suum lemma exposuit, quo ab universali unum particulare excluderetur. Nec condemno recursum: nam sicut hodie dicimus, *Omnes, exceptâ Deiparâ, in peccato conceptos:* eodem olim modo potuit dicere Socrates, *Se omnia ignorare, hoc uno excepto videlicet, Scire se omnia ignorare.*

MCXXXVIII. *Secunda Solutio.*

At discipulis hæc solutio non placuit, & eorum aliqui, qui insistere voluerunt sui Magistri modestiæ, *se nil scire* professi; rogati, an scirent saltem se nil scire? respondebant, *se hoc non scire evidenter, sed opinari aut dubitare.*

MCXXXIX. *Academicorum error. Nihil sciri posse.*

Vt rem meliùs intelligas, proderit audire Lactantium Firmianum libr. 4. de falsâ sapientiâ, ubi sic inquit: *Academici contra Physicos obscuris ex rebus argumentati sunt, nullam esse scientiam: & exemplis paucarum rerum incomprehensibilium contenti, amplexi sunt ignorantiam, tanquam scientiam totam sustulissent, quia in parte sustulerant. Physici contrà, ex his, quæ aperta sunt, argumentum trahebant, omnia sciri posse: contentique perspicuis retinebant scientiam: tanquam totam defendissent, quia ex parte defenderant. Itaque neque hi clara, neque illi obscura viderunt: sed utrique dum solam scientiam consertis manibus vel retinent, vel eripiunt, non viderunt in medio constitutam fore, quæ illos ad sapientiam transmitteret. Verum Arcesilas ignorantiæ magister, cum Zenoni obtrectaret principi Stoicorum, ut totam Philosophiam everteret (auctore Socrate) suscepit hanc sententiam, ut affirmaret nihil sciri posse. Itaque coarguit æstimationem Philosophorum, qui putassent ingeniis suis erutam esse atque inventam veritatem: quia mortalis fuerat illa sapientia, priscisque ante temporibus instituta, ad summum jam incrementum pervenerat, ut jam necessariò consenesceret ac periret, repentè extitit Academia, tanquam senectus Philosophiæ, quæ illam conficeret jam deflorescentem.*

Physicorum error, Omnia sciri posse.

Arcesilas ignorantiæ Præceptor.

Scientiæ habent suas ætates.

Rectèque vidit Arcesilas, arrogantes vel potiùs stultos esse, qui putent scientiam veritatis conjectura posse comprehendi. Sed tamen falsa dicentem redarguere non potest, nisi qui scierit ante quid sit verum. Quod Arcesilas veritate non cognita facere conatus, introduxit genus Philosophiæ ἀσύστατον, quod latinè instabile *aut* inconstans *possumus dicere. Vt enim nihil sciendum sit* (vel potiùs, *ut nihil sciri sciatur*) *aliquid sciri necesse est. Nam si omnino nihil scias, id ipsum nihil sciri posse tolletur. Ergo qui velut sententiæ loco pronunciat,* Nihil sciri, *tanquam præceptum profitetur & cognitum aliquid sciri posse.*

Philosophia Asystatica.

Paralogismus IX.

MCXL. *An Animi sint immortales?*

ASserebant olim Epicurei rationales hominum animos mortales esse: & Rex Atticus mortuorum miseriam efferebat, qua nulla esset major, quàm non esse. Et tamen eumdem primo Tusculanorum Cicero ratione fortissimâ circumvenit, & fateri cogit non esse mortuos miseros, si sint nulli, ut Epicurei opinabantur. *Jam mallem* (inquit Marcus) *Cerberum metueres, quàm ista tam inconsideratè diceres.* Atticus. *Qui tandem?* Marcus. *Quem esse negas, eumdem esse dicis! ubi est acumen tuum? cum enim miserum esse dicis, tum eum qui non sit, esse dicis.* Tum post longam disputationem Atticus ait, *Age, concedo non esse miseros, qui mortui sunt: quoniam extorsisti, ut faterer, qui omnino non essent, eos ne miseros quidem esse.* Sic Terentianus Phædria Dori Eunuchi dictum elevat, quòd affirmasset priùs, quæ post inficiaretur:

An mortui sint miseri?

Qui est miser, est; & qui non est, ne quidem miser est.

Modò ait, modò negat.

Paralogismus X.

Qui Pseudomenus *dicitur.*

MCXLI. *Asystatum, Pseudomenus. Mentiens. Inconsistens.*

ARgumentum Mentiens, etiam sumit à materiâ nomen. Illud à Rhetoribus dicitur *ἀσύστατος, inconsistens*; à Dialecticis *ψευδόμενος, mentiens*; sic enim hanc vocem vertit Cicero libr. 2. de Divin. à Iuristis *Perplexum.* Alciatus *l. qui CCCC. ad leg. Falc.* sic ait. [Dixi hanc quæstionem esse *ἐκ τῶν ἀπόρων*, qui tractatus apud Dialecticos dicitur *ἀσύστατος*: sic enim plerique legunt; tametsi aliis *τοῦ ψευδομένου* magis placeat. Nobis utraque lectio videtur posse defendi: nisi quod alterum ad Rhetores, alterum ad Dialecticos pertinet.]

Argumentum mentiens unde dicatur?

Mentientem hunc Paralogismum Pisciolus *tom. 2. Subsecivarum. libr. 1. cap. 8.* his verbis explicat.

cum homine, & assumit exponitque illa Apostoli verba. *Deus est verax, omnis autem homo mendax.* Stat igitur has solutiones esse diversas, non adversas; & posse singulatim, aut etiam simul adhiberi; quod ipsum fuisse præstitum à Bellarmino, breviter observavimus.

Paralogismus XI.

MCXLVIII. *An omnes Cretenses sint mendaces?*

NOn multum à præcedentibus distant, quæ sumuntur ex Paulo *ad Titum.* 2. sic enim de Cretensibus inquit. *Dixit quidam ex illis proprius illorum Propheta, Cretenses semper mendaces: mala bestia: ventres pigri. Testimonium hoc verum est.* Et, ut benè intelligas istam periodum, tria inquiris. *Primum,* An distet à Prophetâ Poëta? *Secundum,* Quis fuerit ille Poëta vel Propheta, qui citatur? *Tertium,* Vtrùm illi credendum sit? & si credendum, An insolubile sit argumentum, quod ejusdem testimonio fundatur.

MCXLIX. Ad primum dico inter utrumque non magnum discrimen reperisse, qui dixit,

——Divino incalescimus igne:
Sunt etiā qui nos Numen habere putent.

An Poeta sint interdum Prophetæ?

& experientiâ didicimus, multa poëticè dicta habuisse propheticam vim. Ante annos paucos celebrabatur Musa Comitis de Villamediana, qui propter conjecturas satyricas jussus est exesse Madrito: metricas ejusdem prædictiones confirmavit eventus, & revocatur ad aulam, quod crediderint parcendum Sinceritati audaci. Rediit, & Ego sub illud tempus puer, sic de illo cecini.

Ex aulâ discede Comes, discede Poeta:
Rem tua nam turbāt carmina; Vulgus ait.
Ista sub initium Vulgus. Quando omnia certò
Evenisse videt; Vulgus anhelus ait:
Ergo Propheta redi. Si sunt Oracula certa,
Quæ tu cantasti metra: Propheta redi.

Et quia sub idem tempus Pedrosa, Ordinis S. Hieronymi Religiosus, posteà Vallisoletinus Episcopus, ob aliqua imprudentiùs dicta aut prædicta, ablegatus ab aula fuerat, Comes eundem prophetiæ voluit esse participem, dicens,

Desterraron à Pedrosa
Los furores de mi perverso
Porque les pradico en prosa,
Lo que yo les dixe en verso.

Stat ergo inter Poëtam Prophetamque interdum connexionem esse.

MCL. *Epimeni… … citatur a Paulo.*

Ad secundum respondeo Prophetam illum, cujus meminit Paulus, Epimenidem esse: Poëtam Cretensem, Philosophum, & Mitræ (sic Solem illi vocabant) Sacerdotem. Ita Hieronymus, quem citat & sequitur Cornelius à Lapide, *in cap. 1. ad Titum vers.* 13. & Stengelius *in Responsione ad insolubiles* §. 16. *pag.* 70. Euripedis carmen hoc est,

Mitra Sol.

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Mendax quomodo … servatur ad metra.

Quod Faber Stapulensis ita transtulit.

Grossus usq; loquax, mala bestia, viscera pigra.

& ut ad numeros verba cogat, non assequitur sensum. nam *loquax* non est idem ac *mendax*: nec *viscera* idē valent ac *ventres*: gulosos enim & ventri deditos, *ventres* vocamus, *viscera* non vocamus. Vt ergo carmen respondeat carmini, istud repono,

Venter quid?

Grossus est mendax, mala bestia, vēter edax q;.

An Callimachus citetur à Paulo?

Scio aliquos nomine *Cretensis Prophetæ* intellexisse Callimachum, nec carere rationibus: at quia res non est tanta, non abeamus à communi sententiâ.

MCLI. At tertium Epimenidi credendum respondeo, ait enim Paulus, *Testimonium hoc verum est.* Sed statim occurrit difficultas, nam si verum est, falsum est: quod sic probo. [Hæc propositio, *Cretenses sunt mendaces,* vel est vera, vel falsa. Si vera: ergo est falsa. Si falsa: ergo est vera. Concedis majorem, & vis probari primam conditionalem. Obedio, & sic procedo. Cretenses sunt mendaces; At Epimenides Cretensis est: Ergo est mendax: mentitur igitur, cùm dixit, mendaces esse suos Cretenses. Et, ut probem secundam conditionalem, progredior. Cretenses non sunt mendaces; ergo Cretensibus credendū est: ergo & Epimenidi. At iste dixit, Cretenses esse mendaces: sunt igitur mendaces Cretenses.] Quid respōdes?

Contra Pauli ratiocinium objectio.

Solutio petitur à solutione præcedentis.

Quatuor solutiones dedimus, ut dissolveremus nodū, quo implicabatur paralogismus præcedens, & si sobriè illis utaris, poteris etiā verba Pauli tueri; & te ab hoc paralogismo defendere: quoniam hæ propositiones,

Cretenses sunt mendaces;
Epimenides non est mendax.

etsi ponatur illum esse Cretensem, non sunt contradictoriæ. Sit igitur

MCLII. *Mendax à mentiente distinguitur.*

Prima solutio, mendacem à mentiente distinguit, nec repugnare putat, ut qui mendax est, verum dicat. Et in illo ipso carmine Epimenides mentiri potuerat, & fuisset mentitus si suum genium fuisset sequutus, at de facto mentitus non est. Et unde hoc scio? A Spiritusancto, qui per Paulum testatur Epimenidem, tamesi fuerit Cretensis & Poëta, ac proptereà mendax duplici nomine, fuisse Prophetā, & protulisse testimoniū quod verū est.

MCLIII. *Moralis propositionum quantitas.*

Secunda solutio distinguit à moralibus realia: idē enim est dicere omnes moraliter, quàm dicere physicè plerosque. Et hoc sensu nulla est contradictio: non enim hæ propositiones.

Plerique mentiuntur.
Iste non mentitur.

Peccata Provincialia.

opponuntur. Certè dari peccata provincialia, quæ si non omnes, saltē plerosq; inficiant, notum est. Hinc illud vulgatissimum carmen

VValo bibax, Hispanus edax, Germanus utrumque.

& tamen plurimi ex ipsis sobrii & abstemii sunt. Et ne axiomata, quæ de nostræ Europæ populis circumferuntur, producam, nimis enim sunt nota, nec indigent meo commentario, ad veteres converto oculos, & video antiquorum sententiâ Pœnos fuisse perfidos, Scythas asperos, Scythotauros inhospitales, Thraces bibaces, Sybaritas fastuosos, Milesios effœminatos, Arcades stolidos, Tartaros feros, Indos divites, Cares viles, & Cretenses mendaces. Hinc etiam ortum habuit illud celebratissimum adagium, Τρία κάππα κάκιστα, *Tria Kappa pessima*: quo significatur, inter gentes, quarum nomen incipit à C (græcè

Nationum vitia non omnes sed plerosque pervadūt.

Tria Kappa pessima.

3 K

à K)pessimos esse Cretenses, Cappadoces, & Cilices. Et eùm enumero has tres gentes, non volo andire, quod virtus in medio consistat; quoniam Cappadoces, utpote à Gabaonitis oriundi (ita vult Isidorus Pelusiota *epist.* 281.) inter alios mendacissimi sunt. Et quidē mentiendi vitium, quod Paulus Cretensibus adtribuit, & alii extendunt ad Cilices & Cappadoces, Cicero *Orat. pro L. Flacco* Græcis universis adfingit, quibus fuisse testatur perjurium jocum, falsum testimnuium ludum, adulationem gratiam, & nullâ aliam gratulationē notam, quàm suffultā impudenti mendacio.

Cappadoces à Gabaonitis.

Græcorum mores.

MCLIV. Tertia solutio naturam distinguit à gratiâ, & docet Cretenses omnes suô genio & naturæ derelictos esse mendaces pravosque, at his non obstantibus potuisse aliquos ex ipsis gratiæ auxilio divino efficaciter prædeterminari, ne mentirentur actu: & vi hujus auxilii Epimenidem dixisse illam veritatem, quam Apostolus Paulus allegat. Sed unde scimus illū, siquidē mentiri potuit, verum dixisse? Vnde? à fidejussore. Vel attende. Homo fidei integræ fidejussore non indiget: at fidei lapsæ homini non creditur sine fidejussione. Mox ubi fallax thraso fidejussorem convenientē nanciscitur, creditores adquiescunt, et quiescunt: tunc enim, sicut apud Thomistas materia existit existentiâ formæ, sic etiam debitor tametsi naturâ suâ fallax & mendax, est verax veracitate fidejussoris. Hinc ad calum præsentem. Sint Cretenses mendaces, sit Epimenides deceptor & nugator, at in illâ periodo nū decipiet. Sed unde erimus securi & certi? A fidejussione Apostolicâ. Pro illo fidejubet Apostolus, dicens, *Testimonium hoc verum est.*

Gratia verax: natura mēdax.

Paulus Epimenidis fuit fidejussor.

An materia habeat propriam existentiā?

Sufficiant istæ tres solutiones, nam quarta, quæ veritatem creatam comparat cum divinâ, & infert illam cum istâ collatam vilescere, & in mendacium degenerare, hîc non facilè locum reperiet.

Obiectio lectione digna.

MCLV. AVdacter & irreverenter aliquis Machiavelius Paulum oppetit, & eum potuisse errare asserit, aut etiā fallere, quam Cretenses: additq; Epimenidem & Callimachum, cùm dixerunt Cretenses esse mendaces, evidentissimè mentiros esse: & ut melius intelligamus, rem edisserit. Sic ait. [Cretenses Iovem, non in Olympo vivere, sed in Cretâ, ubi Rex fuerat, devixisse, ibidemq; sepultum asserebant. Ostendebant locum & lapidem, & epitaphium, HIC IACET IUPPITER. Scandalizatur Epimenides (aut etiam Callimachus) Cretensium Theologiâ, & exclamat, *Sepulchrum tuum, ô Juppiter, fabricati sunt Cretenses, sed mentiuntur: tu enim minimè obiisti, sed in cœlos quasi Deus immortalis semper vivis.* [Illud *quasi*, æquivalet Hispanico *como*, & non similitudinem tantùm, sed veritatem & proprietatem adsignificat.] An-non obiisse Iovem verū est? An-non illum in cœlis vivere, falsum? Ergo Cretenses verum dicunt. Ergo Epimenides, qui illos mentiri affirmat, falsum dicit. Ergo errat Paulus dicens, *Hoc testimoniū verum est.* Sanè si defendatur Paulus, monstra etiam defendentur: bonus est enim hic discursus. [Verba Pauli sunt certa. At ipse dicit testimonium Epimenides esse verum. Ergo illud verum est. At Epimenidis testimonium est hoc, *Cretenses semper mentiuntur*: Ergò eos semper mentiri, certum est. At ipsi dicunt Iovem mortuum fuisse; negant eundem in cœlo vivere & dominari. Ergo Iovē devixisse est falsum, & Iovem cœlitùs vivere, & omnibus rebus jus dicere, certum & manifestum est.] Quid hic respondere poterimus?

An Iuppiter sit in Cretâ sepultus?

Sequelas exorbitantes ex Paulo: quomodo solvi debeant?

MCLVI. Respondet S. Hieronymus explicans istum locum Pauli: respondet S. Chrysostomus, & cum eis alii Patres: respondet ex junioribus Stengelius, & cum ipso alii multi, Apostolum non probare illam opinionem de Iovis divinitate, cujus occasione hoc dixit Epimenides, sed tantùm rem ipsam, scilicet quòd Cretenses sunt mandaces, nempè ob ingenitam mentiendi fallendique proclivitatem: *hoc* autem omninò *verum est testimonium*: neq; macula erroris inest in eo: mendaces enim planè sunt, dum Creticè loquuntur. Vbi enim animadversione dignissimum, quod notat ipsemet Stengelius; videlicet, eodem dictu ab Epimenide & verum & falsum fuisse prolatum; ne vel in hac ipsa sententia à more patrio degeneraret. Verum erat, quod Cretensibus mendacium; falsum, quod Iovi divinitatem ascripsisset. Quid autem est, *eodem ore, flare & sorbere*, si hoc non est? magnidica utiq; mendacia, quæ ut machinam doctiùs machinentur inter oracula incedunt. Nempè ita est, ut *in præfat. libr.* 1. *adversus hæreses* Irenæus pronunciavit: *non ostendatur per se impostura, ne nuda deprehendatur: sed amictu verisimili callidè ornata, ita ut imperitioribus videatur externa specie se ipsâ veritate veriorem exhibere.*

Solutio.

An una & eadem propositio possit esse simul vera & falsa?

Nota I.

MCLVII. AGimus de mendacio reflexo, & similitudo in mentem revocat quoddam apophthegma, quod censui dignum, quod huic Articulo subscriberetur. [Bruxellis, in Belgio, quam potuisset Scortū, Pellicem esse dixerat Fridericus. Murmurationem leviter effusam, graviter audiunt circumstantes, eâdemq; die ad illam deferunt. Vbi vulnus tactum cognoscit, furit Cloris (esto id illi vocabulum) terrā immiscet cœlo, jurat sacra profana, spirat minas, mortes loquitur, cædes molitur, & vindictam sollicitat. Vbi sibi reddita, rem jure agi vult, & coram Consule (nempè ejusdem amasio) Fridericum accusat. Cautioi iste satisfactionē pollicetur. Convocantur prioris murmurationis testes; subveniunt illecti curiositate multi; non vocata adest Cloris, cui Fridericus. *Pellicem Te vocavi, Angele mea. Nunc dico me mentitum fuisse; Et quidem mentitus sum, cùm istud dixi.* Sed quod istud? Cum dixit, *Nunc dico me mentitum fuisse.* Ergo mendacium commisit dicendo se mentitum fuisse. Ergo verum dixit, cùm illam pellicem nuncupavit. Dubitatum fuit, an hæc esset satisfactio sufficiens; sed quia contenta Cloris fuit, non enim tam erat subtilis ut sophisma perciperet, nemo contra reum occlamavit.

Vafra & cauta calumnia illata retractatio.

Nota

Nota II.

MCLVIII. QVo possint aut non possint modo solvi argumenta, quæ à mendacio habent nomen, proponemus inferiùs, ubi cum multis in choro errabimus, sed quia Ioannes Heilsedius tripudiat extra chorum, me illuc comitari non poterit, sed debebit potiùs in præsentiarùm impugnari. Ipse igitur *in Sphinge Philosophicâ* (grande libri est vocabulum, & an dignè inscriptum, alii viderint) sic ait: *Quæ verò hujus sophismatis est elusio, Cùm mentior & mentiri me dico, mentior an verum dico?* & respondens pergit, *Verum dicis, si quod dicitur, respicis, id est, quod significatur: falsum autem dicis si significationem vocũ attendimus, quod mendacium sonat, vel clariùs sic: cum falsum pro verò sciens prudens dicis, mentiris: cum vero addis te mentiri, tum verum dicis.* In his neq; cœlum, quod ajunt, neq; terram attingit Heidfeldius, non enim est controversia, hæcne enunciatio *Mentior*, tum vera sit, cum de alio priore mendacio loquor: omninò enim vera est, quia ipsum falsum à me ante prolatum verè significat: non enim semper idem est, *orationem falsam esse*, &, *orationem falsum significare*, cùm ipsum *falsum* verè significare possit; quod solùm vult Heidfeldius. Sed nodus &, ut Comicus vocat, verbum perplexabile tunc est, cum hæc vox (*Mentior*) de se ipsa loquens proponitur, quem Heidfeldius ut dissimulet, minorẽ illũ nodulum sibi sumit enucleandũ; majorem, adhuc tanquam fugitivus compedes secum trahens. Vt concinnè ipsimet tribui possit, quod ipse de istorum nodorum fabris scribens, *Quid*, ait, *usu venit istis argutatoribus? Idem quod his qui suam umbram saltu superare contendunt: non enim relinquunt, sed secum semper circumferunt suas absurditates longissimè à veritate remotas.*

Philosophica Sphinx.

An hæ propositiones insolubiles sint reflexivæ?

Aliud est vox falsa; aliud falsum significans.

Nota III.

MCLIX. EGeramus de restitutione honoris Notâ primâ, & hac tertiâ aliquid simile, & insolubile ut puto ponemus. [Agebatur contra Phyllida virginem speciosam & divitem in solenni convivio: multa inter infusos sciphos convitia effusa: & quia in absentem omnia, tolerata. Aderat Palynurus, & murmur complevit clausitque pronuncians *indignam illam esse omninò, quæ Carnifici nubat.* Probrum hoc obscuravit cætera, & Phyllidi postridie narratur. Furit illa, & Palynuro omnia infælicia fata priùs deprecatur: & in se seducta posteriùs, illum accusat coram Consule, postulatq; sibi honorem restitui, temerarium adolescentem cogi palinodiam cantare. Adnuit Iudex. Et Palynurus recantat calumniam per hæc verba. *Prudentiæ & veritatis terminos excessi dicens, indignam esse omninò Phyllida, quæ carnifici nubat: temerariam assertionem retracto, & affirmo illam esse dignam (aut, si & hoc velitis, dignissimam) quæ carnifici nubat.* Perculsi inexspectato acumine universi subrident: hæret Iudex: insanit Phyllis: nec videtur aliter debere negari alteram contradictoriam, quàm asserendo alteram: tota enim hæc tractatio potest ad sequens ratiocinium reduci. *Quodlibet est vel non est. Ergo Phyllis vel est carnifice indigna, vel digna. At non vult esse indigna: ergo esto digna.*

Cautio & nova honoris detracti restitutio: calumniæ retractatio.

Dilemma.

Paralogismus XII.

Qui vocatus Antistrephus.

DIgna est scitu Protagoræ & Evathli historia, sive verè accidisse, sive inventa ingeniosè dicatur. Illam recenset Aulus Gellius *Noctium Atticarum libr.* 1. *cap.* 10. quam ejusdem verbis repono. *Inter vitia*, inquit, *argumentorum, longè maximum esse vitium videtur eorum, quæ* ἀντιστρέφοντα *Græci dicunt. Et quidem ex nostris, non hercle nimis absurdè* reciproca *appellaverunt. Id autem vitium accidit hoc modo, cùm argumentum propositum referri contra, convertiq; in eum potest, à quo dictũ est utrumq; pariter valet. Quale est pervulgatum illud quo Protagoram Sophistarum acerrimum usum esse ferunt adversus Evathlum discipulum suum. Lis namq; inter eos, & controversia super pacta mercede hæc fuit. Evathlus adolescens dives, eloquentiæ discendæ, causarumque orandi cupiens fuit. Is in disciplinam Protagoræ se se dedit, daturumque promisit mercedem grandem, pecuniam, quantam Protagoras petiverat. Dimidiumq; ejus dedit jam tunc statim, priùs quam disceret. Pepigitque ut reliquum dimidium daret, quo primo die causam apud judices orasset, & vicisset. Postea cum diutulè auditor assectatorque Protagoræ fuisset, & in studio quidem facundiæ abunde promovisset, causas tamen non reciperet, tempusq; jam longum transcurreret, & facere id videretur, ne reliquum mercedis daret, capit consilium Protagoras, ut tum existimabat astutum. Petere instituit ex pacto mercedem. Litem cum Evathlo contestatur, & cum ad judices conjiciendæ, consistendæq; causæ gratia venisset, tum Protagoras sic exorsus est. Disce, inquit stultissime adolescens, utroq; id modo fore uti reddas, quod peto, sive contra te pronunciatum erit, sive pro te: nam si contra te lis data erit, merces mihi ex sententia debebitur, quia ego vicero. Sin vero secundum te judicatum erit, merces mihi ex pacto debebitur, quia tu viceris. Ad ea respondit Evathlus. Potui, inquit, huic tuæ tam ancipiti captioni isse obviam, si verba non ipse facerem, sed alio patrono uterer. Sed magis mihi in ista victoria prolusium est, cum te non in causa tantùm, sed in argumento quoque isto vinco. Disce igitur tu quoque, magister sapientissime, utroque modo fieri, uti non reddam, quod petis, sive contra me pronunciatum fuerit, sive pro me. Nam si judices pro causa mea senserint, nihil tibi ex sententia debebitur, quia ego vicero. Sin contra me pronunciaverint, nihil tibi ex pacto debebo, quia ego non vicero. Tum judices dubiosum hoc inexplicabileq; esse, quod utrinq; dicebatur, rati, ne sententia sua, utramcunq; in partem dicta esset, ipsa sese rescinderet, rem injudicatam reliquerunt, causamq; in diem longissimam distulerunt. Sic ab adolescente discipulo magister disciplinæ eloquentiæ inclytus, suo sibi argumento confutatus est, & captionis versutè excogitatæ frustratus fuit.*

MCLX. *Contractus Evathli & Protagoræ.*

Argumentum reciprocum.

Argumentum Protagoræ:

Ejusdem argumenti retorsio acutè cogitata ab Evathlo.

Hæc

Hæc ille; quæ etiam ab alio scriptore floridè narrantur. Neque Euathli oblitus est Aristophanes, hanc enim historiam judicatu difficilem, perstringit in Fucis, & iterùm in Acharnenlibus. Et quidem efficta vel effecta videntur ista ad exemplum planè æmulum, quod in Prologomenis Hermogenis Rhet. legitur de Corace quodam, qui primus Syracusis, post mortem Hieronis, instituit artem Rhetoricen mercede profiteri: cum quo adolescens quidam Tisias simili lege pactus, nec absimili lite tixatus est. *Erat enim apud Syracusas Corax rhetor, vir acuti ingenii, & linguæ promtioris, qui hanc artem mercede docebat. Ad hunc accessit Tisias; cùmque promptam mercedem non haberet, pollicitus est duplicem si ille eum docuisset rhetoricam. Corax hac conditione suscepit & docuit. Hanc Tisias tum didicisset, de precio magistrum circumvenire student, interrogavit Coracem: Quid esset rhetorica? quo respondente: Effectricem persuasionum, in præceptorem sic argumentatus est: Quodcunque igitur de mercede dixero, si tibi me nihil debere persuaserô; nihil debeo; quia non debere persuasi: si non persuaserô, non debeo etiam, quia me scire persuadere non docuisti. Tum Corax hoc argumentum in Tisiam retorquere usus: Quodcumque, ait, ego quoque de mercede dixero, si me accepturum persuasero, accipiam, quoniam persuasi: si non persuasero, etiam accipere debeo, quoniam tantum discipulum erudivi, qui præceptorem superaret. Quod eorum commentum tam vafrum tamque callidum, ubi judices (alii succlamationem hanc coronæ circumstantium ascribunt) audissent, admirati versutiam, succlamarunt, κακοῦ κόρακος κακὸν ὠόν, id est, Mali corvi malum ovum: & rectè, cùm uterque Sophisticis sutelis dolosè ante tribunal crocitaret: rationibusque impervius utrinque caussam perdere, & ille docuisset, & ille didicisset.*

Contractus Coracis & Tysiæ. *Argumentum Tisiæ.* *Ejusdem argumenti retorsio instituta à Corace.* *Mali corvi malum ovũ. Adag.*

MCLXI. *Harum duarum litium decisio.*

Sed utri favere deberent Iudices in prima lite? utri in secundâ? Valla *libr. 3. cap. 55. sua Dialectica* multis pro Protagorâ perorat, (quę omnia æquè militant pro Corace) contenditque Iudicibus in priore causâ illud fuisse faciendum, quod fecissent, si Protagoras nihil dixisset, & Euathl⁹ nihil contradixisset: unde in secunda illud debuissent facere, quod aliàs fecissent, si Corax & Tisias nihil objecissent aut respondissent. Sed unde hoc Valla? Quia secundum allegata & probata pronunciant Iudices, & neminem inauditũ condemnant; & ubi exceptiones sunt pares, standum est pro possessione: cùm igitur esset in possessione promissio, discipuli erant ad solutionem obligandi. Sed non hac viâ satisfit controversiæ, quia promissio erat conditionata; & ut obliget, debet purificari conditio, & hæc utrimq; eliditur, & æquè probatur ac refutatur.

An standũ sit pro promissione?

MCLXII. *Contractus liberi, quas circumstantias excludant?*

Nihilominùs pro Protagora, & Corace pronuncio; quia contractus sunt actus liberi, & in generalibus pactis eum casum virtualiter excipimus, quem reverà exciperemus, si occurreret. Cùm igitur certum sit hunc casum à Magistris excipiendum fuisse, certum est illum virtualiter exceptum fuisse.

Si dixeris hoc sensu contraxisse discipulos, nec alio voluisse; adeòq; si stetur contractui ad mentem discipulorum, illos ad solutionem non teneri, quia non purificatur conditio. Si non stetur, non teneri: quia contractus fuit nullus, utpote à non-concordibus voluntatibus initus: Respondebo contractus esse pacta politica, & obligare sensu politico; adeòque sensum, qui à discipulis prætenditur, esse ratum, sublimem, & ab hominum sensu remotum.

Contractus sunt pacta politica: quomodo sint interpretanda?

MCLXIII. *Quænam circumstantia in contractu sint nulla?*

Accedit intentionem utriusque publicam & politicam fuisse de obligatione aliquâ, quæ utramque partem obstringeret, & si staretur discipulorum subtilitati, non fuisset obligatio mutua: ergo illa ipsa subtilitas militat contra naturam & essentiam contractûs. Cùm igitur circumstantiæ, quæ militant contra essentiam & substantiam contractûs nullæ sint, erit subtilitas discipulorum nulla.

Paralogismus XIII.

MCLXIV. *An credendum sit somniis?*

PLacet exscribere verba Lactantii Firmiani, qui *lib. 4. de falsâ sapientiâ cap. 6.* sic inquit. [Huic simile est illud, quod in scholis dicitur. *Somniavit aliquis, ne somniis crederet.*] ex quo efficitur hoc argumentum. Vel somniis credendum est, vel non. Si non: ergo falsum est illud ultimum somnium: ergo somniis credendum est. Si sic: non ergo somniis non est credendum.

Sed quis iste; cujus Lactantius meminit? Alexander Magnus; is enim Gellio teste somniavit; Ne somniis crederet. Ita Petrus Damiani *libr. 4. epist. 14. vel 35.*

Paralogismus XIV.

Qui Suppar *dicitur.*

MCLXV.

ADdam ex Gellio & Plinio aliud exemplum. Ponitur fuisse lex. *Vir fortis præmio, quod optaverit, donator*: & casus decidendus proponitur. *Guidens, qui fortiter fecerat, petiit Aufridi uxorem in matrimonium, & accepit: deinde Aufridus cui ea uxor fuerat, fortiter fecit, repetit eandem. Contradicitur. Eleganter inquit, & probabiliter ex parte posterioris viri fortis uxorem sibi reddi postulantis hoc dictum est. Si placet lex, redde. Si non placet, redde. Fugit autem Plinium, sententiolam istam, quam putavit esse argutissimam, vitio non carere, quod Græcè ἀντίστρεφον dicitur, & est vitium insidiosum, & sub falsa laudis specie latens, nihilo enim minus converti ex contrario id ipsum adversus eundem potest. Atque ita si priore illo viro forti dici: Si placet lex, non reddo. Si non placet, non reddo.*

Ratiocinium. *Retorsio.*

MCLXVI. *Censura.*

At hîc ego fieri posse commodè retorsionem non video: quia positâ lege & sublatâ Aufridus justè repetebat uxorem; & Ghidius illam non poterat lege positâ aut sublatâ retinere. Si enim staretur legi deberet dare Aufrido, viro forti, quod petebat: & si non staretur legi debebat Aufrido conjugem restituere.

Paralogismus XV.

Qui solet vocari Non & hoc.

MCLXVII. Quid significet Non & hoc?

SIc eum nominat Seneca in ipso fine Epistolæ 45. dicens, *In aliam diem hanc litem cum Dialecticis differam; nimium subtilibus; & hoc solum curantibus, Non & hoc.* Lipsius exponens istum locum existimat, illud *Non & hoc* non esse unum nomen, sed tres dictiones, prout sonant, adeòq; Senecam his verbis, *hoc solum* (nempè artificium Sophisticum) *curantibus, non & hoc*, damnare; qui solam Dialecticam curant, non graviora: & hanc ut ἔργον habent; non πάρεργον. Dicebant, inquit, non hanc eutare tantum, sed & hanc: id est, in additamento, non in principali habere. At Muretus hanc vocem *Non & hoc*, nomen esse existimat, eoq; significari spinosos illos syllogismos ex repugnantibus compositos, qui ferè sic confirmari solent,

Non & hoc & illud.
Hoc autem est:
Non illud igitur.

Cautela necessaria in hujusmodi ratiociniis.

In his graves solent reperiri fallaciæ, nam sæpè negatione se illidunt, & hominem in errores trahunt. Considera Paralogismos subsequentes:

Aut es canis aut leo:
At non es leo:
Ergo canis:
Tu non & corvus & milnus:
Non es autem corvus:
Ergo es miluus.
Tu vel non es rationalis vel non es irrationalis:
Atqui non es irrationalis:
Ergo non es rationalis.

MCLXVIII.

Primus laborat materiâ: quoniam est falsa major, non enim enumerantur omnes animalium species, cùm præter Canem Leonemque detur Homo, & milleniæ animantes aliæ:

Secundus laborat etiam majore, non enim debet illa esse copulativa, sed disjunctiva.

Tertius laborat minore: deberet enim binas habere negationes, & unam habet. Eumdem igitur corrige; & ad terminos sequentes reduc:

Tu vel non es rationalis, vel non es irrationalis:
Atqui non es non rationalis:
Ergo non es non irrationalis.

Qui potest in istos transire:

Tu vel es irrationalis vel rationalis:
Atqui es rationalis.
Ergo non es irrationalis.

Nota bene.

Magna in his paralogismis cautela necessaria est: nam, cum multæ negationes repetiuntur, facile est unam elidi, & ex paribus (quæ affirmationi æquivalent) impares (quæ negativæ sunt) reddere:

ARTICULUS XII.

MCLXIX. In divisione esse debent membra valde pauca.

Quot sint Insolubilium argumentationum species? & quomodo dissolvi possint?

POssemus illas in classes dividere & subdividere, si nimium curiosi aut superstitiosi

Caramuelis Metalog. Lib. IX.

rem examinare vellemus: at quia ait Senecâ *epist.* 80. oportet nimiam divisionem vitare, illas nos ad pauca membra reducemus: sequemur que subtilem Scotum ut cùm de subtilitatibus agimus, habeamus ductorem subtilem.

MCLXX. Quid sit falsificans?

Scotus ergo agens de Insolubilibus, eas ad quatuor species reducit. PRIMA complectitur *falsificantes*. Est autem Propositio falsificans, ad cujus veritatem sequitur illam esse falsam, aut ad cujus falsitatem sequitur illam esse veram, adeòque se ipsam verificans: idq; vel immediatè, ut si ponatur sequens oratio, *Hac enunciatio est falsa*, se ipsam demonstrare, ác super seipsam reflecti: vel mediatè, cum scilicet altera; per alteram falsificatur: ut si Socrates Platonem sic alloquatur: *Tuum proximum dictum erit falsum*; Plato autem respondeat, *Tuum proximum dictum fuit verum*

Quid sit impossibilitans?

Secunda complectitur *Propositiones, seipsa possibilitantes aut impossibilitantes*, hoc est, illas ex quarum possibilitate sequitur impossibilitas earum, vel ex impossibilitate possibilitas, ut si ponatur sequens oratio, seipsam significare. *Hac enunciatio est impossibilis.* Tertia

Quid sit destruens?

species complectitur *Propositiones destruentes suam necessitatem*, ut si dicas, *Hac propositio non est necessaria.* Quarta tandem species complectitur

Quid necessitans?

destruentes suam contingentiam, ut si quis dicat: *Hac propositio non est contingens.*

Quo possint, aut debeant solvi modo?

MCLXXI. Fallaciarum fœcunditas.

UT ancillis contra insecta animalcula diligentiam persuadeant Hispanæ anus, testantur ea tam fœcunda esse; ut singulis diebus novies pariant, & singulis vicibus novem. Quod ipsum de fallaciis meritò dici possit, quia ut Terentius in Andria scribit; *Fallacia alia aliam trudit fallaciam*: aut ut nos refricuimus, ut nostræ menti meliùs consonet, *Fallacia alia alias parit fallacias*: tot una tantasque; ut si non occurras sub initium, non sis occurrendo sub finem.

Sed quomodo insolubilibus satisfacere potero? si enim satisfacere potero, insolubilia argumenta non sunt: & si insolubilia ipsa sunt; eisdem facere satis non potero: Et me judice hæc ipsa instantia, quam propono, etiã videtur insolubilis: Sed non est, quia si solvi possunt à doctis, insolubilia nominabuntur; non respectu omnium, sed illorum, qui legitimam solutionem ignorant.

Ubi multæ sunt solutiones ferè nulla est solutio.

Ioannes Eckius tractatu de Insolubilibus circa initium, *Tot, ait, in hac re esse sententias, quot capita: nullibi enim errant nostri Logici insignius, quàm in insolubilibus*: cui consonat Sregellus ibidem §. 12. pag. 49. dicens, *multos hic occissimos sese omnium fateri.* At aliquæ sunt non contemnendæ solutiones, è quibus nonnullas subjicio.

MCLXXII. An nulla solutio sit solutio? Nulla responsio interdum est magna responsio.

Dico primò nullam solutionem interdum esse optimam solutionem: Multum enim aliquando videtur dicere, qui nihil dicit. Erat anxius & tristis Telapompus, quod dilapidati thesauri rationem reddere non posset. Inquirenti filiolo, Cur tristis esset? Cogito, inquit,

quomodo reddere rationes possim. Ad quæ puellus, Imò cogita, quo possis modo res disponere, ut rationes non reddas. Dicta leviter, altâ mente audivit Telapompus, & quia bonas non potuit, saltem malas non reddidit; quia publicorum negotiorum prætextu præpeditus, nullas dedit. Quod monitum nos manuducet, ut interdum non tam studeamus responsioni dandæ, quàm non dandæ. Oportet ut taceat, qui benè loqui nequit: &, ne ipsomet silentio prodatur, ut studeat & inveniat modum, quo possit necessitatem respondendi vitare. Hunc modum respondendi docuit me Socrates apud Platonem; ita enim Strepsiadem hærentem, & quid deberet respondere investigantem alloquitur: *Attende & intuere, & quocumque modo te movens versa: veloxque cùm in Perplexum incideris, in aliam cogitationem mentis pedem* (imò & linguam) *converte.*

Optima ratio, est nulla ratio.

MCLXXIII. Dico secundò illudi interdum argumenta, quæ non possunt elidi: solereque experimento reali solvi, quæ philosophicâ ratione nequeunt. Sic olim differentem Zenonem, & nullum esse motum, imò nec esse posse propugnantem, oppetiit Diogenes occlamans. *Sic argumentor, & motum dari evidenter persuadeo:* dixit, surrexit, deambulavit. Id admiratus Zeno, *Quid*, inquit, *agis Diogenes?* & ille argumentator. *Confuto, ait, tuam sententiam, & ipso facto esse falsam demonstro.* Sic ille Zenonem asserente Laertio *libr.* 6. impugnavit: nec aliter quibusdam Chrysippi discipulis subtili quodam ratiocinio suadentibus eum cornua habere respondit, non negando, non asserendo, non distinguendo aliquam propositionem (sic enim respondere deberet, si scholasticè vellet) sed manu frontem tergendo, & clamando, *Quidquid de tuo ratiocinio sit, cornua, quæ fronti meæ affingere conaris, non reperio.* Sic etiam Elisarcho sophismatum eruditissimo satisfecit aut Pater, aut Avunculus. Redierat ex scholis ille, & Dialecticæ fidens, gloriabatur se omnia posse probare & improbare. Dum mensæ tenui in paupere domo accumbunt, tria ova respicit: & matrem prodigalitatis accusat, quæ tam multa paraverat, & utitur hoc argumento. *Ubi sunt tria, sunt duo: & duo & tria sunt quinque. Ubi quinque, ibi quatuor, ibi tria, ibi duo; & duo, tria, quatuor, & quinque sunt quatuordecim.* Et numerum nimiâ erat loquacitate promoturus, sed Pater sophisma solvit dicens, *Hæc ego duo comedam, istud tua mater: undecim, aut quotquot cætera futura sint, tibi comedenda relinquo.*

Solutio realis.

An detur motus?

Subtilitas Arithmetica reali solutione enodata.

MCLXXIV. Dico tertiò. Aliquando doctiùs homo suam ignorantiam fateri, quàm argumento non intellecto respondere conatur. Sincerè dicimus, nos ignorare Circuli quadraturam: Diametri & costæ proportionem in quadro: Radices multorum numerorum: & alia sexcenta: & cur non poterimus, cùm venitur ad ejusmodi Propositiones ignorantiam fateri, & dicere, has spinas relictas à Clementiâ divinâ, ne superbesceret Sapientia humana. Hanc viam ingressus Aristippus, cùm non succurreret, quid opponere Sophistæ posset, ait, *Ego victus abeo jucundiùs quàm tu dormiturus.* Et quidem Aristippo consonare videntur, qui docent, *esse quidem aliquam insolubilium solutionem, quamvis nondum inventam, nec inveniendam a mortalibus, ut in his quoque, sicut in aliis multis sui ingenii tenuitatem cognoscant, & ad Sapientiam infinitam, velint nolint, ut doceantur, recurrant.*

Multa sunt quæ homines doctissimi nesciunt.

Dico quartò, opinione aliquorum Insolubiles esse simul veras & falsas. Et quia statim objicies sequi hinc dari duas contradictorias simul veras, hanc ipsam objectionem præoccupant dicendo, veritatem & falsitatem esse duas denominationes positivas, adeòq; non contradictorias sed contrarias: & posse simul reperiri. Et quia hanc præoccupationem non esse sufficientem præviderat quispiam Professor Lovaniensis, Thesibus impressis propugnavit, in falsificantium & insolubilium censu admitti necessariò debere duas contradictorias simul veras. Et ego, ut hic obiter hoc vacillans Principium manuteneam, affirmo, me tunc vidisse negari illud Axioma, *Impossibile est idem esse & non esse:* vidisse & illud negari etiam ab aliquibus, ut præcisiones objectivas defenderent: vidisse & illud audentiùs negari à Ioanne Helmontio Medico Bruxellensi, ut Divinam potentiam commendaret; & inclamare actum de omnibus Scientiis & Facultatibus Scholasticis, si hic lapis fundamentalis e tui vel dirui permittatur.

An veritas & falsitas opponantur contrariè?

An in aliquo casu admitti possint duæ contradictoria simul veræ?

Dico quartò aliorum opinione omnem insolubilem esse falsam. Ita Eckius de eisdem disserens. [*Sed cur? eo quod falsificet se per modum sequelæ, & consecutive, quia etiam ad eam esse veram, sequatur ipsam esse falsam: Subjiciamus rem oculis: Illa propositio*: Socrates dicit falsum, *in casu communi aut est falsa, aut vera: Si falsa, habetur propositum: si vera, tunc arguitur sic: Socrates dicit falsum: & non dicit nisi istud: ergo istud est falsum: & per consequens, non est verum. Sic ergo illa propositio consecutivè & per viam sequelæ seipsam falsificat. Regula autem Logica sunt intelligenda de propositionibus se non falsificantibus per viam sequelæ.*] Hæc responsio dum explicat, implicat. Et si rem benè intelligam, dum videtur distare à præcedente in eamdem recidit: idem enim est dicere, omnem propositionem insolubilem esse falsam (videlicet, si ratio Eckiana obtineat) quã esse simul veram & falsam. [Nam eodem modo dici potest etiam *omnem propositionem insolubilem esse veram*, eò quòd verificet se, per modum sequelæ & consecutivè: *quia etiam ad eam esse falsam, sequitur ipsam esse veram*, verb. grat. hæc propositio *Socrates dicit falsum*, aut est vera, aut est falsa. Si vera habetur propositum: si falsa tunc arguitur sic. Hæc propositio, *Socrates dicit falsum*, est falsa propositio: ergo Socrates dicit verum: at tantummodò dicit ipsam propositionem. Ergo ista Propositio vera est.] MCLXXV.

MCLXXVI. Ergo rejicienda est Eckii doctrina, dicendumq; ejus argumentum etiam esse insolubile & probare non solùm omnem insolubilem esse verã. Ergo esse simul verãm & falsam. Et hic iterùm patet, singulas insolubiles alias sibi similes parere.

Ne

Caullus de nupt. Pelei.

Ne labyrinthaes è flexibus egredientem
Tecti (dicti) frustaretur inextricabilis
error.

Stengelii sententia.

An sint possibiles propositiones quæ nec sint veræ nec falsæ?

An minor repugnantia in his sit, quàm in simul veris & falsis?

MC LXXVII. Est ingenii subtilis, & multum adlaboravit hac io parte, & speculationibus ejus Orbis literarius multum debet. Ipse igitur §. 15. pag. 57. conatur solvere istos nodos, & ait *primo* ejusmodi propositiones, neque veras, neque falsas esse: *secundò* propositiones in se ipsas reflecti; eo pacto, quo istæ solent, non posse: *tertiò* omninò propositiones Dialecticas non esse; ex quo manat neque verum ab illis neque falsum significari, adeòque ad syllogismum erigendum idoneas non esse: Vnde etiam cadit Ciceronis *libr. 4. quæstionum Academ.* argumentum, quo contingentis propositionis veritatem ostendere conatur ex illo syllogismo, *Si dicis nunc lucere, & verum dicis, lucet: dicis autem lucere, & verum dicis: Ergo lucet.* Nam si illud stat, etiam stabit istud: *Si dicis te mentiri, verumque dicis, mentiris. At dicis te mentiri; & cùm id dicis, verum dicis. Ergo mentiris. Mentiris igitur, cùm verum dicis.* Quod ipsum non statim admittit Stengelius, licet enim eodem modo ista concludatur, si formam (in quâ vitium non est) aspicias; non tamen eodem modo concluditur, si materiam (quæ inepta & minimè Logica est, ut docebo) consideres. Ac tales quidem propositiones neque veras neque falsas esse, ostenditur *primo*, per tertium dictum; quia nempè verum aut falsum esse, proprietas est Dialecticæ enuntiationis: atqui tales non sunt enuntiationes Dialecticæ: quod inde colligo, quia omnis enunciatio, est oratio: omnis autem *oratio* (si de eâ quæ in voce aut scripto consistit cum Fonsecâ *libr. 3. 1.* & cum aliis omnibus Peripateticis, imò etiam cum Aristotele 1. *Perih. cap. 4.* loquamur) *est vox ex instituto significans, cujus aliqua pars significat separatim.* Rursum, si vox ex instituto significans, ergo *signum*, & quidem *instrumentale*. Si signum, ergo alterius rei non sui ipsius signum: cùm signum & res significata non sint idem. Vide Petrus Hurtadus de Mendoza *disp. 4. sect. 1.* mentalem propositionem definit esse actum mentis judicativum: & mox *sect. 2.* ait, materiam propositionis esse objectum judicii, quod aliud esse debere à judicio ibidem insinuat: Et *disp. 10. sect. 11.* aut syllogismum in objectivum & formalem dividi: & asserit illum esse objectum istius: hunc autem esse ipsam ratiocinationem: quæ omnia, ait Stengelius, verificari non possent, si darentur Propositiones, quæ se ipsas significarent. Et ideò subscribit Fonsecæ asserenti *signa instrumentalia esse ea, quæ potentiis cognoscentibus objecta; in* ALTERIUS *rei cognitionem ducunt:* nam ut D. Augustinus *libr. de princ. Dial.* definit: *Signum est, quod seipsum sensui & præter se aliquid animo ostendit.* Nec enim imago verb. grat. est sui ipsius signum aut imago, sed Cæsaris: & Cæsar non se ipsum significat, sed per imaginem tanquam per signum significatur. Certè non solum ex ... nominis, sed ex ipsâ naturâ suâ, omniumque sententiâ communiore videtur signum esse quod alterius rei locò ponitur ad ipsam significandam. Ita D. Augustinus *libr. de Mag. cap. 5.* agens de signis se invicem significantibus.

An vox significans se ipsam, & posse significare se ipsam:

An imago significet se ipsam?

An voces Vox, Vocabulum, Nomen, significent se ipsas?

Nec nisi diverso planè respectu, & tanquam species vel individua confusè, quædam in genere suo comprehensa significantur, ut cum dico inter nomina cetera, ipsum etiam NOMEN, & inter Vocabula reliqua ipsam etiam hanc vocem VOCABULUM comprehendi. Quare ex ipsâ signi naturâ ac definitione constat, signum non posse esse sui ipsius signum; adeòque etiam (quod secundum erat Dictum nostrum) non posse in se ipsum reflecti. Quod enim de partibus seu de signis affirmatur; ex quibus enunciatio conflari solet, de ipsâ etiam dici debet enunciatione, cum sit eadem natura totius, quæ est partium. Atque hoc ostenditur *Secundò*, etiam inde, quod eadem materialiter propositio, si se ipsam significare desinat, mox vera propositio fieri, verumque aut falsum significare incipiat: hæc enim verbi gratia. *Socrates dicit falsum*, quamdiu à Socrate pronunciatur, & reflexa manens se ipsam significat, tamdiu neque an vera, neque an falsa sit judicare poteris: quia verum aut falsum significare signorum est: at ibi signum nullum est, utpote à re significatâ non diversum.

An dentur propositiones reflexæ?

Cum autem eandem vocem Plato pronuntiat, & Socrate Deos verb. grat. multos esse in gratiam Atheniensium docente, dicit, *Socrates dicit falsum*, ecce tunc subitò vox illa rem aliam significans à se, in naturam enunciationis evadit; verumque dicit. Denique eo ipso argumento utor pro hac sententiâ stabiliendâ, in quo maximè cardo insolubilis prorsùs difficultatis (nisi ad nostrum modum explices) versatur. Cum enim *ἀξίωμα, effatum & fundamentum* sit totius Dialecticæ, Cicerone teste; ut *quidquid enunciatur, aut verum sit, aut falsum*, tales autem propositiones neque veræ sint neque falsæ; concluditur rectissimè; non esse inter ea, quæ enunciantur, adeòque enunciationes Logicas non esse formaliter; sed tantùm materialiter & Grammaticè; quæ ipsâ similitudine soni incautos io errorum præcipitia proturbant, ut putent, cum ad alia significata translatas videant esse aut fieri veras enunciationes, esse etiam ac manere tunc veras enunciationes, cùm ad seipsas significandas præposterè usurpantur. Quod tamen contra rationem signi cum fiat, vel ipsis signis injuria fit, vel veritati.

Imò potiùs; sunt simul vera & falsa.

Propositio duplex: logica, & grammatica.

Et quia prævidebat Stengelius fore, qui peterent, ut confirmaret, quod suprà io primo dicto & nunc etiam in minore dixerat: *tales propositiones neque veras esse, neque falsas*: hoc sanè in omnibus quatuor speciebus superiùs annumeratis clarè demonstrare conatur. Est enim non minus receptum inter

Philosophos pronunciatum. *Eandem enunciationem simul veram & falsam, adeoque etiam eandem esse & non esse nequaquam posse*, quam illud, *Omnem enunciationem veram aut falsam esse*, atqui tales enunciationes sive veræ esse ponantur, sive falsæ, simul erunt veræ & falsæ; poni ergo non potest, eas aut veras esse, aut falsas. Et quidem si de prima specie *propositionum seipsas immediatè falsificantium aut verificantium* judicemus; Ponatur sequens oratio, *Hæc enunciatio est falsa*, se ipsam demonstrare, ac super se ipsam reflecti: quo posito probatur prædictam enunciationem nec veram nec falsam, vel certè simul veram & falsam esse: nam si vera est, ergo significat esse quod est, cum sit affirmativa, sed significat se esse falsam, ergo est falsa: ergo à primo ad ultimum, si est vera, est falsa. Si autem contra, est falsa; ergo significat esse quod non est, sed significat se esse falsam, ergo non est falsa: ergo à primo ad ultimum, si est falsa, nõ est falsa; ac proinde vera, vel certe neutra: quod unicũ conatur concludere: quasi cõsular in Scyllã eas ut à Charybdi tutus sis.

Examinatur propositionum prima species.

MC LXXVIII. Progreditur postea: & eviscerat *propositiones, quæ mediatè se falsificant*, altera scilicet per alteram, quarum prima sit Socratis Platonem sic alloquentis: *Proximum dictum tuum erit falsum*; secunda sit Platonis ita Socrati respondentis: *Proximum tuum dictum fuit verum*, inveniemus itidem, quod utralibet harum propositionum seipsam, mediante altera falsificet, aut verificet. Si enim propositio Socratis est vera, tunc propositio Platonis est falsa; sed si propositio Platonis est falsa, tunc etiam propositio Socratis est falsa: ergo si propositio Socratis est vera, est etiam falsa. Sin autem propositio Socratis est falsa, tunc propositio Platonis est vera; & si propositio Platonis est vera, tunc etiã propositio Socratis est vera: ergo si propositio Socratis est falsa, est etiam vera. Quæ omnia eodẽ modo de propositione Platonis possunt probari.

His igitur examinatis progreditur ad secundam speciem *propositionum se ipsas possibilitantium, seu impossibilitantium*, id est, ex quarum possibilitate sequitur impossibilitas earum, vel ex impossibilitate possibilitas: ut si ponatur sequens oratio se ipsam significare. *Hæc enunciatio est impossibilis*: nam si est impossibilis, tunc est falsa, si est falsa, significat esse, quod non est, sed significat se esse impossibilem, ergo non est impossibilis: ac proinde possibilis. Si autem est possibilis, potest esse vera. Ponatur ergo vera esse: jam si est vera, significat esse, quod est: sed significat se esse impossibilem, ergo est impossibilis, adeòque si est possibilis est etiam impossibilis. Ergo ne dicatur eadem propositio simul vera & falsa, simul possibilis & impossibilis, oportet, ut dicatur omni carere veritate & falsitate.

Examinatur secunda propositionum species.

Et ut id firmet, transit ad tertiam speciem, quæ est *propositionum destruentium suam necessitatem*, ut si dicas. *Hæc propositio non est necessaria*: Si enim hæc propositio ponatur esse necessaria, tunc necesse est non esse, quod dicit non esse: sed dicit se non esse necessariam, ergo necesse est eam non esse necessariam, ac proinde, si est necessaria, sequitur, quod etiam non sit necessaria. Scire cupies, cur Stengelius dicat, *Si hæc propositio ponatur esse necessaria?* cum videatur potiùs ponendum contrarium. Si enim ponitur ut vera, ergo dicit esse quod est: dicit autem se necessariam non esse, ergo potiùs non est necessaria, & ita ponenda. Rectè quæris: at nihilominùs ille in suâ sententiâ remanet. Si enim ista oratio, *Hæc propositio non est necessaria*, ponatur non necessaria, adeòque (nam si impossibilis esse ponatur, hoc ipso falsa, si falsa ergo non erit necessaria) contingens: ergo erit ita vera, ut falsa esse possit, cum ex ipsa natura hæc sit contingentium. Ponamus ergo esse falsam: tum negabit profectò id esse, quod est: negat autem se esse necessariam, ergo erit necessaria: quod nos posuimus. Iam ergo si necessaria esse ponatur, sequetur illam non esse necessariam, atque ita suam ipsa necessitatem destruet. Vnde messis mali metitur,

Examinatur tertia species.

Deinde ad quartam speciem propositionum veniens: nempè *ad destruentes suam contingentiam*, sic ait: *Hæc propositio non est contingens*: nam si dicta propositio ponatur esse contingens, tunc prædicatum contingentiæ, ita abest illi, ut possit etiam adesse, vel ita adest, ut possit etiam abesse. Ponatur ergo illi de facto abesse, & mox vera erit ista enunciatio, *Hæc propositio non est contingens, non est contingens*: sequetur itaque ex eo, quod ponitur esse contingens, non esse contingentem. *Rursus quæres*, cur hanc, qua de agit, propositionem ponat esse contingentem, cum tamen ipsa dicat se non esse contingentem? Respondet hanc quartam speciem à Scoto tantùm videri assignatam ob similitudinem tertiæ speciei: atque idcircò tantùm procedere ex hypothesi, si ponatur esse contingens: Nam si ponatur esse necessaria, adeòque contingentiam non habere, quomodo poterit contingentiã suã ipsa destruere?

Examinatur quarta propositionum species.

An contingens non sit contingens.

Sic suam opinionem proponit & probat Stengelius: & concludit dicens [Hæc itaque argumenta omnia, nunquam satis solvuntur: nunquam satis solventur, nisi tales propositiones negentur esse veræ propositiones, utpote veris signis non constantes. Hoc autem negato; collabitur illi communis architectatio Sophistarum, & in cinerem suum abeunt cadavera syllogismorum.]

MC LXXIX. Sed volo breviter hanc ipsam Stengelii doctrinam recognoscere: hujus enim solutio tribus positionibus fundatur: quarum prima est, *Positiones, quæ falsificantes vocantur, nec veræ, nec falsæ sunt*. Secunda, *Non datur signum (mentale, vocale, aut scriptum) quod in se reflectatur, & se ipsum significet*. Tertia, *Ejusmodi positiones sunt puræ Grammaticæ, non autem Logicæ*: quæ valdè difficiles sunt: & si non possint aliter solvi isti nodi, præstaret eos insolubiles esse affirmare.

Examinantur Stengelianæ suppositiones.

Et sanè primam non sum intellecturus: quæcumque enim propositio, aut enuntiat

rem

An si possibilis propositio, quæ nec vera nec falsa sit?

rem ut est, aut non enunciat rem ut est: si primum, est vera; si secundum, est falsa: cùm igitur inter non enunciare & enunciare, non detur medium, non dabitur inter esse veram & falsam. Sic rem intelligo: & ut Stengelio subscriberem, deberem mentis organa aliter attemperare: puto enim omnem propositionem non-veram esse falsam; & omnem non-falsam esse veram: ac propterea eam, quæ simul nec vera esset nec falsa, fore simul falsam & veram.

MC LXXX. *An signa se ipsa significent?*

Secunda non debet cœcè admitti aut negari: utrùm enim signú se ipsam possit significare, quærunt Philosophi, & nondum convenerunt. Et ne nova exempla quæram, V. x. *Nomen*, *Vocabulum*, *Dictio*, & id genus alia signa, videntur in se reflecti, & semetipsa significare; quoniam *vox* est vox, *nomen* est nomen, *vocabulum* est vocabulum, & *dictio* est dictio. Cùm enim dico *Omnem dictionem esse significativam*, etiam vocem hanc *dictio* includo: est enim dictio, & dictionem significat: adeòque in sé ipsam reflectitur. Sed de hoc alibi.

MC LXXXI. *An dentur propositiones, quæ non sunt Dialecticæ?*

Tertiam non multùm curo: tametsi tantâ illam facilitate negare possem, quantâ asseritur à Stengelio. Cur enim propositiones quæ nec essent veræ nec falsæ, si darentur, non essent Logicæ: si enim falsæ ad Dialecticam pertinere dicuntur, cur non & illæ quæ non falsæ, atque ideò proximiores veris: Sed hîc non multum hæreó; nam decisio ab arbitrio dependet, & in quæstione de nomine, loqui licebit ut velimus. [Totum hunc paragraphum, qui ad mentem Stengelii est, est ferè formalibus ejus verbis concinnatus; sæpè enim vel verbulo mutato Authorum sententias alteramus & alienas adscribimus.] Concludo igitur multa esse argumenta, quæ vere solubilia sunt; & audientium errore insolubilia judicantur: addo tamen esse & aliqua quæ hucusque fuerunt insolubilia, in quibus enim majori ingenii gloria ignorantiam fatebimur, quàm recurremus ad Stengelii hypotheses, quas nemo vir prudens admittet.

Verba ferè verba Stengelii funt usurpata?

Comptoni Opinio.

MC LXXXII. *Sententia Stengelii & Soti.*

VIdimus Stengelii sententiâ ejusmodi propositiones nec veras esse, neque falsas: notavimus eò inductú fuisse Sotum, ut easdé simul veras & simul falsas dixerit. Et Lemoſius *de erratis Dialecticorum cap.* 22. contra Sotum exclamat, *Nihil in omni genere literarú absurdius reperiri posse*. Et meritò: hoc enim concesso corruit illud primú Principium Philosophicum, *Impossibile est idem simul esse & non esse*: quæ exclamatio æquè in Stengelium militat, & destruit illud idem Principium reductú ad hæc verba, *Impossibile est idem nec esse nec nō esse*. Sed quid Comptonus nuper scripsit, & magno ingenio est præditus, quid dicat de Reflexivis & F. lsificantibus audiamus.

An admitti possint ista contradictoria?

MC LXXXIII.

Ipse igitur *disp.* 6. *Introdu. ċrit. sect.* 9: *num.* 4. *pag.* 21. sic Quæstionem proponit: [Est prima difficultas, *An sint veræ, an falsæ?* Exem. gr. propositio, quæ de se dicat *Ego sum falsa*, si est falsa, est vera, nam affirmat se esse falsam, ergo verum affirmat, ergo est vera, ergo & falsa, nam si non est falsa, non dicit verum dùm se asserit esse falsam, ergo hoc ipso est falsa, ergo tandem est simul vera & falsa, quod implicat, veritas enim consistit in indivisibili. Quæstioni sic propositæ respondet Comptonus asserendo propositionem illam & similes simpliciter esse falsas, quia non solùm de se affirmant falsitatem, sed etiam veritatem, ac proinde sunt falsæ: nam ut propositio aliqua sit vera, necesse est quicquid affirmat, sit verum, & omninò conformari debet suo objecto, non ex parte tantùm. Vndè, ut in confesso est apud omnes, hæc propositio, *omnis homo currit*, est falsa si vel unus (Petrus v. g.) non currat, cùm tamen conformis sit majori parti objecti, ut constat. Et ratio est, quia *Bonum ex integrâ causa, malum ex quocunque defectu*: veritas autem est de genere boni, falsitas de genere mali, ergo.

An verum & bonum sint ex integrá causa: & falsum malumque ex quocunque defectu.

MC LXXXIV. *Quæstio malè proponitur.*

Et Ego aliquid in propositione ipsa, & aliquid in responsione, quod non placeat, reperio. Introducitur Propositio loquens & dicens, *Ego sum falsa*: & interrogo, quid significet illud pronomen *Ego*? Ergo antequam feratur judicium & addatur prædicatum, est aliqua propositio; quæ se considerans possit dicere, *Ego sum falsa*. Illa ergo loquens propositio sit hæc *Homo est lapis*. Et quid quæso ibi difficultatis: Qui dicit, *Homo est lapis*, *est propositio falsa*, duas profert propositiones, alterá *Homo est lapis*, alteram, *Hæc propositio est falsa* quarú prima est falsa, secunda vera: non ergo una & eadē propositio est simul vera & falsa.

MC LXXXV.

At dices, te non intelligere duas propositiones, sed unicam: & Ego iterùm dico, me non intelligere loquenté, nisi intelligam personam quæ loquitur, & id posteà quod illa loquitur: ergo antequam intelligamus propositionem actu loquentem, debemus intelligere actu existentem & potentem loqui (consideera benè terminos, ago enim de prioritate præcisiva, quæ inter actus thenris reperitur) & quæ est quæso illa propositio? debebit assignari, & tunc erit, *Ego, Homo est lapis, sum propositio falsa*, aut alia similis: & tunc erunt duæ propositiones, altera quæ dicit, & altera quæ dicitur: & dicens erit falsa, dicta vera.

MC LXXXVI.

Cùm igitur multa alia exempla possent hîc commode poni, quidquid de præcedenti sit interrogas, *An falsificantes sint veræ, an falsæ?*

An falsificantes sint veræ?

Respondet Comptonus esse absolutè falsas; Et cur? Quia sunt simul veræ & falsæ. Et cur hoc? Quia, *Bonum est ex integrâ causa & malum ex quocumque defectu*. Et Ego firmo primò hoc axioma in sensu reali esse falsum: Bonum enim adæquatum ex quocumque defectu: & bonum inadæquatum ex quâcumque causâ, & malum adæquatum ex integro defectù. Hanc ob rem ajo hoc Axioma, quidquid de Moralibus sit, in Realibus, qualia nunc edisserimus, non habere locum. [In Moralibus illud admittit D. Thomas, illud ejus Discipuli communiter: sed illud ipsum plurimi, hique politissimi hodie

An unum & idem actus esse possit simul bonus & malus?

Philosophi Morales negant, asserentes, unum & eumdem actum esse posse simul bonum & malum. Sed de hoc alibi.]

MC LXXXVII. Ecce Comptonus ubi videtur velle abesse ab omnibus, subscribit sententiæ communi, & sustinet ejusmodi propositiones esse simul veras & falsas.

MC LXXXIIX. *An contractus sint reflexivi?* *Pacta secundum dici.* Videt hic Author præcipuas tricas à pactis & contractibus sumere exordium, & ut se eximat sic discurrit. [Propositiones de pactis, ait, non debent ingredi ipsa pacta, sed ex naturâ rei intelliguntur excipi; alioquin essent pacta, & non pacta, vel voce essent, re non essent: Vnde huc reducendum est pactum illud Protagoræ Rhetoris & Evathli ejus discipuli, ut *pro primâ causâ quam vinceret, solveret Præceptori centum nummos.* Idem etiam est de hac, si quis dicat Petro, *Deus tibi dabit librum, si prima propositio quam profers, fuerit vera,* & Petrus statim hanc primò proferat, *Deus non dabit mihi librum*; nisi intelligatur ex pacto excepta illa propositio, pactum est nullum, & sponsio irrita & impossibilis, cùm nec à Deo impleri possit.] Et quidem in aliquibus pactis posse admitti hanc exceptionem & limitationem, constat ex his, quæ superiùs diximus, dum eadem pacta expenderemus: at eamdem debere poni in omnibus non opinor; nec est recurrendum ad Deum, cujus scientia est infinita & omnia nota; si enim dicat Deus, *Ego dabo tibi librum, si prima propositio à te proferenda sit vera:* ipse suâ summâ providentiâ eò rem perducet, ne ingrediatur labyrintum, è quo egredi non possit. Cæterùm, si illam propositionem homo proferat, errare potuit, & si temerè loquutus fuit, quid mirum quæso, si ad tales redigatur miserias, ut evadere sine confusione non possit. In humanis ego casum admitto, & ut illæ positiones falsificantes dentur, nullam impossibilitatem reperio.

Scientia & providentia Dei sunt infinita.

Deus falli non potest homo potest.

ARTICULUS XIII.

An Reflexivæ & Falsificantes Propositiones habeant contradictorias?

MC LXXXIX. Ex difficultatibus gravibus aboriuntur majores; & ideò post multas, quas insinuare potui, evacuare non potui; titulum hunc proposui, & potiùs audire alios, quàm meam sententiam pronunciare desidero.

Quid dicere possit Sotus? Sotus, qui docet falsificantes esse simul veras & falsas, debebit necessariò dicere, easdem sibi-ipsis contradicere, nec alibi quærendas esse contradictorias, quas eisdem opponamus.

MCXC. *Quid Stengelius?* Stengelius, qui putat illas nec falsas esse, nec veras, deberet hoc ipsum priùs ostendere, se non recidere in Soti & aliorum sententiam: Propositio enim non vera, falsa est: & non falsa, vera est: vel debemus novam addiscere Philosophiam: vera enim dicitur, quæ enunciat rem ut est: falsa, quæ non enunciat rem ut est: & in his ego terminis non contrarietatem puram, sed contradictionem, vel ex parte, reperio. Deberet secundò explicare, quomodo posset opponi aut veritas aut falsitas propositioni habenti neutram. Ergo neque ipse deberet aut posset assignare propositiones, quæ contradicerent falsificantibus & reflexivis.

Quænam sit propositio vera? quænam falsa?

MCXCI. *Comptoni opinio.* Comptonus, qui docet ejusmodi propositiones falsas esse, videtur posse & debere invenire contradictorias. Ipsum audiamus. Sectione illâ nonâ disputationis VI. citatæ num. 5. pag. 21. interrogat, *An hujusmodi propositiones habere possint contradictorias?* Et respondet, Posse: nam si scribatur in aliquâ chartâ hæc Propositio, *Petrus est lapis*, & subscribatur deinde, *Omnis propositio hic scripta est falsa:* secunda hæc propositio est falsa, quia explicitè dicit omnem propositionem ibi scriptam & consequenter, se ipsam esse falsam; & implicitè affirmat se esse veram, ut suprà diximus. Contradictoria verò hujus variè à variis assignatur: mihi hæc placet, *Non omnis propositio hìc scripta est falsa, & hæc simul vera*, id est, hæc duo non conjunguntur, nempè ut omnis propositio hîc scripta sit falsa, & tamen secunda propositio ibi scripta verá. Hujusmodi propositiones sunt hæ & similes; *Ego juro me non jurare, Ego sum mutus, qui loquor*, & si prima propositio, quam quis proferat, sit hæc, *Ego mentior.*

Possem adderere illud Non omnis: sed non vacat; vide tamen Herculis Logici laborem secundum.

MCXCII. *Aliqua contradictiones sunt inventu difficiles.* Vt ergò me ab hac difficultate expediam, monebo meum Lectorem esse aliquas propositiones præter falsificantes, quarum non facilè contradictorias assignet. Propono has:

Tantùm homo est rationalis.
Vbi eras tu, ibi erat Petrus Animal.
Solus & omnis homo est risibilis. &c.

quibus nonnulli Iuniores, & inter ipsos P. Valerianus Magnus, opponunt has contradictorias:

Non est verum, quòd tantùm homo sit rationalis.
Falsum est Petrum fuisse animal, ubi eras tu.
Nego, quòd omnis & solus homo sit risibilis. &c.

An-ne hinc possemus aliquid eruere, ut contradictorias falsificantium designemus? Videretur quòd non: Nam Sotus admittet has duas propositiones

Falsificans est vera.
Falsificans non est vera.
Falsificans est simul vera & non vera.

Resolutio. At videtur quod sic: & ad mentem Stengeli has esse contradictorias pronuncio: videlicet,

Falsificans simul caret veritate & falsitate.
Falsificans non caret simul veritate & falsitate.

& ad mentem Soti has;

Falsificans est simul vera & falsa.
Falsificans non est simul vera & falsa.

&si

si Compto... imo ... falsis ... cete falsificante ... iurè falsus; quod mihi non videtur verum, possemus componere istas contradictorias,

Fal...cans est absolutè falsa.

Fal...cans non est absolutè falsa.

Vbi ponitur vox illa *falsificans*: poteris ponere quamcumque falsificantem volueris. Et hæc de hac materia disseruisse sufficiat: de monstris nonnihil ...icamus.

ARTICULUS XIV.

De Monstris Dialecticis.

MCXCIII. *Quid sit monstrum?*

OMnes Propositiones & Argumentationes insolubiles monstra sunt quædam: simplicia si in una positione consistat nodus difficultatis: & composita, si in duabus aut pluribus. At præter istas propositiones aliæ sunt, quæ potiori jure monstra vocari debent, & ad classem specialem reduci; & eas propter paucula de monstris præmitto.

An violet naturæ leges?

Nihil est quod contra Naturæ leges fiat, nam Monstra ipsa quæ violare leges naturales videntur, ita naturæ correspondent, ut ipsa violentiam pateretur, si monstra non essent: nam stante superfluitate seminis & adiacentium partium malignitate, monstrositas naturaliter evitari non potest: & nemo negare poterit esse secundum naturam illud, cujus impeditio esset contra naturam. Quamobrem monstrum dicimus in leges generales impingere, & esse juxta particulares.

An monstra sint in Logicâ?

Non solùm Physica, sed & Dialectica Monstra reperio; illa alibi expendam; de his impræsentiarùm discurro. Sic inquam: Consequentia monstrosa illa est, *quæ necessariò infertur ex aliqua præmissa opposita*; ut si ideo cogereris unam admittere contradictoriam, quod admiseris alteram. Rem exemplis illustro. Sit

De probabilitate opinionum.

Primum. *Illa sola sententia est probabilis quam quatuor Authores defendunt: Ergo sententia unius solius Authoris est probabilis.*

Secundum. *Omnes tenentur sequi probabiliorem opinionem: Ergo sequi sufficit minus probabilem. Ergo omnes tenentur sentire & docere quod sufficit minus probabilis.*

Tertium. *Omnis D. Thomæ doctrina est certa: Ergo aliqua ejusdem Doctoris doctrina est hæretica.*

Plura possem exempla proponere & expendere, sed ista dedisse sufficiat: illa diluendo.

MCXCIV. *Quid requiratur, ut aliqua opinio sit probabilis? ...uatuor A...hores sufficiunt.*

Primam consequentiam, tametsi exorbitans & monstrosa videatur, esse ... sic probo. [Illa sola Propositio, est probabilis quæ à quatuor Authoribus defenditur: At hæc Propositio, *Opinio unius solius Authoris est probabilis*, defenditur à quatuor (imò à pluribus Doctoribus) Ergo Opinio unius solius Authoris est probabilis.] Minorem probo, remittendo Lectorem meum ad li... R. ... XVI ... pro ... Angelum ..., Val..., Sa, S..., Medinam, ...m, Villalobos, Cajetanum Palaus, ... Enriquezium, Azorium, Sa..., Torre..., Sanchezium, Bazæum, Porte... rentes unum authorem doctum & pium ... ficere ad probabilitatem.

An opinio unius Authoris sufficiat ad probabilitatem?

MCXCV. *An sit securum sequi opinionem minus probabilem? An aliquis sequi probabiliorem teneatur?*

Secundam Consequentiam, quam ... ... & temerariam dicis, sic demonstro. Omnes tenentur sequi probabiliorem opinionem, sic ...is; ergo ex his duabus quarum una docet *Minus-probabilem opinionem sufficere*, & altera docet, *Non sufficere*, probabilior tenenda est: At affirmativa est probabilior. (habet enim rationes fortiores, aut fortè evidentes & claras, & numerum majorem Authorum) Ergo dicendum est sufficere opinionem minùs probabilem, modo sit sufficienter probabilis. Probatur minor: quoniam affirmativa est jam hoc ævo tam communis & recepta in scholis, ut vix reperiatur Author qui illam deserat, vix hodie Doctor, qui inhærescat contrariæ. Affirmativa igitur aut certa omninò, aut saltem negativâ & multò probabilior & certior.

MCXCVI. *An homo cœperit esse Deus?*

Tertiam, ubi primum audiisti, judicasti chimæricam, & illam Ego evidenter persuadeo. Omnis Assertio D. Thomæ est certa. Atqui hæc *Dicere hominem cœpisse esse Deum, est hæreticum, & in Concilio damnatum*, est D. Thomæ Assertio 3. *part. quæst.* 2. *art.* 4. *sub finem*: Ergo est certa. Atqui Propositio quæ negat esse hæresin, quod est certò hæresis, est hæretica, ergo hæc Propositio, *Dicere hominem cœpisse esse Deum non est hæreticum*, est hæretica, non minus quàm hæc *Dicere Mundum fuisse ab æterno, non est hæreticum*, quæ ideò est hæretica, quia opponitur huic certæ, *Dicere mundum fuisse ab æterno est hæreticum*. Tunc sic progredior, *Dicere hominem cœpisse esse Deum non est hæreticum*, est propositio hæretica: At est propositiò D. Thomæ; Ergo aliqua propositio D. Thomæ est hæretica. Probatur Minor, quia Magister *in* 3. *dist.* 6. *quæst.* 2. sic inquit, *Fi... Deus assumpsit hominem ex humana carne & anima rationali constitutum; & quod illa propositio* [*Ille homo cœpit esse Deus, & Deus cœpit esse homo.*] *licet falsa sit, non tamen hæretica*: agit de totâ copulativâ, & ratione prioris partis, quia posterior in omnium sententia vera & de fide est. Vide Pozam *Elucidarii Dei para libr.* 4. *tract.* 5. *cap.* 3. *pag.* 1212.

An mundus fuerit ab æterno?

Nota ... syncategorema illud Ille: non enim ibi agitur de naturâ humanâ ut sic, sed de hoc homine determinato.

D. Thomas exponitur.

Non libenter tolerarem in doctissimis S. Thomæ libris illud monstrum: & sic illud tollo, loca concilio, & veritatem expendo. Hæc propositio *Homo cœpit esse Deus*, si sensus sit, *Aliquis homo singularis, qui prius erat homo purus, seu homo tantùm, cœpit esse Deus*: est hæretica: si vero sensus sit, *Natura humana, quæ in aliis hominibus erat merè humana, in Christo unita Divinæ esse cœpit*: est certa. Ergo quando Angelicus doctor positionem admittit, in hoc secundo sensu debet intelligi: & quando condemnat, in primo.

Eam-

MCXCVII. Eamdem consequentiam confirmo. Nam si omnis Thomistica Assertio est certa, etiam hæc erit, *Hæreticum est dicere voluntatem humanam esse liberam à coactione & non à necessitate*: est enim ipsa D. Thomæ. Ergò hæc Propositio, *Voluntas humana est libera à coactione & non à necessitate*, erit hæretica, atqui etiam est D. Thomæ: ergo aliqua Assertio D Thomæ est, hæretica: Te non urgeri modò, sed & convinci affirmas, modò verba D. Thomæ ponantur: illa subscribo. Sanctus Doctor in 2. dist. 21. art. 4. ait: *Dicendum, quòd liberum arbitrium dicitur ex eo, quod cogi non potest.* Et in disputatis quæst. 24. de Veritate art. 10. ad 7: *Liberum arbitrium secundum quod dicitur liberum à coactione, non suscipit magis & minus.* Et quæst. 10. de potentia art. 2. ad 1. *Naturalis necessitas, secundum quod voluntas aliquid ex necessitate velle dicitur, ut felicitatem, libertati voluntatis non repugnat, ut Augustinus docet primò de Civitate Dei.* Et quæst. 22. de Veritate art. 1. ad 3. *Dicendum, quod libertas secundum Augustinum opponitur necessitati coactionis, non autē naturalis inclinationis, &c.* Vide Jansenium in suo Augustino tom. 3. libr. 6. cap. 24. ubi multæ similes authoritates reperientur:

An humanum arbitrium sit liberum à coactione?

MCXCVIII. Tollo monstrum dicendo libertatem in omni homine, qui ratione utitur, esse duplicem, à coactione & à necessitate. (illa enim est communis brutis etiam & plantis: & in hâc libertas arbitrii consistit) Ajo igitur, D. Thomam libertatem à coactione voluntati adscripsisse, (& verè, non enim cogitur) at verò libertatem à necessitate non negasse: Accedit; quòd hanc tam multis in locis concesserit, ut supervacaneum sit testimonia citare.

An etiam à necessitate?

Hic alia occurrit consequentia, quam in Theologiâ fundamentali, *num.* 22. uberiùs explicatam videbis: videlicèt:

De necessitate, impossibilitate & libertate.

Petrus habet peccandi necessitatem.
Ergo non habet peccandi necessitatem.
Ergo habet peccandi impossibilitatem.

MCXCIX. Prima propositio duas sequentes parit, licèt secunda non inferat tertiam. An-non hæc est consequentia secundum dici, & debet Entibus linguæ accenseri; non enim aut ab antecedenti aut contradictoria potest oriri, aut inferri contraria? Sed hic potest; quoniam illa antecedens est ægrota, & ita laborat terminis, ut suppositione videatur absolutè carere: non enim est possibilis peccandi necessitas. Quid, si esset possibilis? esset ipsa impossibilis (nota iterùm hanc consequentiam) quia cùm peccatum dicat libertatem, & huic opponatur necessitas; idem est peccatum necessarium ponere, quàm admittere peccatum quod non sit peccatum. Ergo cùm impossibile sit peccatum cum necessitate componere; ubi datur peccatum, non datur necessitas; & ubi datur necessitas, datur peccandi impossibilitas.

Dialectica secundum dici.

An datur peccandi necessitas?

Peccatum non-peccatum.

Addo aliam consequentiam, quam etiam in Theologiâ meâ Fundamentali *num.* 149. edissero. Contra Lutheranos atque etiam Calvinianos sic arguo:

Nihil credendum est, nisi quod est in Sacrâ Paginâ:
Ergo nihil credendum, quod est in Sacrâ Paginâ.

Fides ... da.

Videretur illatio debere ad Entia linguæ & non ad discursum reduci; sed statim apparebit difficultas, si eamdem consequentiam resumamus uberiùs. Ergo sic inquam. [Nihil est credendum, nisi quod est in sacrâ Paginâ: At hæc ipsa propositio, *Nihil est credendum, nisi quod est in sacra Pagina*, non est in sacra Pagina. Ergo huic propositioni non est credendum. Tunc sic. Huic propositioni non est credendum? Ergo sacræ ipsi Paginæ non est credendum: Ergo quod est in sacrâ Paginâ est credendum.]

De Argumentatione ἰσάζουσα.

MCC. PErplexa obscura & difficilis est, ita ut nomen perplexum obscurum & difficile sortita sit; ad insolubiles reduci solet. De illa plurimi Rhetores aut etiam Dialectici plurima. Inter alios Alciatus: *Arbitror, ait, satis censa ... de ea assistati speciei intelligendum, qua ἰσάζουσα appellatur, cùm eadem ex utraque parte dicantur.* Quod exemplo illustrat duorum vicinorum, qui ipsi secundùm omnia pares, pares etiam ætate, mundo cæterisque illecebris uxores habuêre. *Hi noctè, ait, se invicem convenerunt; accusant se adulterii: quidquid enim altera pars dixerit, idem & altera dictura est:* cùm eadem utriusque causam argumenta fulciant. Et subjungit. *Potest & ea quæ ἀντιστρέφουσα dicitur, intelligi, cùm actionem suam convertunt litigantes, & uterque sua priore sententia utitur, sed adversarii sui:* Ejusmodi argumentum Accursius *Circulare* dixit, *quia eò revolvitur, unde cæperat.* Aliud intricatæ litis exemplum alio loco denarrat Alciatus, cujus verba plena juridici sensûs libens volens hic colloco. De perplexis igitur disserens, *Exemplum, ait, in jure sic potest accipi: Cùm uxori dotis causa CCC. jam deberem, aliud æs alienum jam contraxi: deinde qui mihi supererat unicum fundum, Sempronio consentiente, hypothecamque remittente uxore, vendidi; secundus creditor jure suo evicit illum ab emptore, uxor jure dotis ab eo, emptor ab uxore; quæritur penes quem consistere tandem debeat?* Ubique vertigines; ubique cornua, ut vides, adeò ut etiam tribunalibus non pateant. Faciliùs tamen è civilibus his te ambiguitatibus Cæsarum leges & tua prudentia te eripiet, quàm è Stoicorum Logicis sentibus vulgatis quædam scientiæ. Ut taceam de illâ controversia quæ est apud Gellium dicta parùm consistens atque inexplicabilis, tentamenti gratiâ exposita, suitq; hujuscemodi. *De reo septem judices cognoscant, eaque sententia sit rata, quam plures ex eo numero dixerint. Cum septem judices cognovissent, duo censuerant reum exilio mulctandum, duo alii pecuniâ, tres reliqui capite puniendum; Petitur ad judicium ex sententia trium judicum: contradicit, &c.*

Ratio nominis & res ipsa exponitur.

Et dilucidatur exemplis.

Argumentatio circularis.

An uxor dotis causâ debeat præferri creditori?

Quæ sint plura suffragia?

F I N I S.

LIBER X.

De Severâ Argumentandi methodo.

Hic liber in tres partes dividitur.

PRodiit seorsim Duaci anno M. DC. XLIV. & quia gratiam & favorem apud doctos obtinuit, & Metalogico huic Operi servire potest, ponitur huc. & quidem correctior, auctiorque; illum enim recognovi, & divisi in tres partes.

Quid agatur in primâ

In primâ *ago de modo argumentandi & respondendi; de munere Præsidis, Propugnantis, & Argumentantis: Theses formare doceo; & methodum illas propugnandi, aut etiam oppugnandi trado.*

Quid in secundâ?

In secundâ, *ut conformare Theses doceam, exempla nonnulla propono, & in ipsis Philosophiam totam (Logicam seu Rationalem, Physicam seu Naturalem, Metaphysicam aut Transnaturalem, imò etiam Theologicam ex magnâ parte) complector, expono, dilucido. Erit hæc secundâ hujus libri X. pars quoddam quasi Philosophici Cursûs compendium, aptum instituendis discipulis, qui capaces non sunt, ut magna volumina perlegant.*

Quid in tertiâ?

In tertiâ, *ut oppugnare Theses doceam, præter Equum Ochami, qui Generalis quadam, eaque fortissima omnium positivarum Conclusionum oppugnatio, aut etiam expugnatio est, multas & varias difficultates excuto, quarum erit summè necessaria cognitio & præcipuè Theologis, qui ex officio tenentur publicè argumentari.*

PARS PRIMA
THEORICA.

REGULAS NECESSARIAS AD DISPUTATIONEM formalissimè instituendam comprehendens.

DISPUTATIO I.

DE ARGUENDI RATIONE.

MCCI.

Varia nomina.

DIsputationi Academicæ diversa nomina in diversis Universitatibus. Salmanticæ & Compluti *Actus* dicitur, in pluribus locis *Disputatio*. Denominatur *Major* & *Minor*, à tempore; non à materiâ aut aliâ circumstantiâ. Major habetur totâ die; Minor duabus horis ante vel post meridiem pro temporis opportunitate.

Ad disputationem personæ requisitæ.

Cohonestant, sed non constituunt Disputationem Auditores: quò numerosiores, celebriorem illam, non verò excellentiorem reddunt. Inter duos necessariò initur Dissertatio; videlicet Arguentem, Defendentem. Præses, isque Patronus, Respondenti conceditur majoris securitatis gratiâ; nec mirum, si vel unus patrocinetur propugnanti, cùm impugnanti reliqui, quibus laurea aut professio concessit jus resumendi argumenta, & novis instantiis implicandi. Lovanij tertiò respondet sine Præside Licentiatus Theologus, qui ad lauream Doctoralem adspirat; & meritò sic dispositum est, quia cum Præsides nonnumquam adjuvent, & nonnumquam suos Responsales interpellent, ingenij robur & vivacitas cognosci perfectè non potest, quando sub Præsidis auspiciis respondetur.

Disputatio sine Præside.

Thesium Distinctio.

MCCII. *Varia genera Thesium.* Debent dividi, ut minimùm in tres classes: quarum prima Assertivas, secunda Problematicas, terria Interrogativaa complectatur. quibus si quattam & quintam velis addere & in eis Dubitativas, & Impertinentes collocare, non eto tuo decreto contrariua.

MCCIII. *Quid Assertiva Theses sint?* Assertiones dicuntur, quæ affirmant tem esse vel non esse; & ubique aut fere, assertivæ sunt Theses, quæ propugnantnr. Cùm Petrus Thesea assertivas defendit, ipse prædeterminat Argumentatorem; nam ut ipse contradicat Petro, debet asserere quod Petrus negat, & negate, qnod assetit.

MCCIV. *Quid Problematica?* Problamata fortè apud Veteres in alio sunt sensu recepta, at hodie In Scbolis sont quæstiones, in qnibus Respōdens ab Argumentatore prędeterminatur: ita ut Argumentatoris sit eligere contradictionis illam partem, quam voluerit & cogere Respondentem, ut propugnet contrariam. Unde Responsutus sic inquit. *Hanc ego Controversiam propono. Placet-ne tibi assere, an negare? Quoniam, si negas, assero: si autem asseris, nego.*

MCCV. *Quid sint Quastiones principes?* Solent herbipoli qui ad eminentiorem gradum aspirant, Philosophiam totam tueri problematicè. Solent in aliis Academiis Assertionibus Problemata nonnulla subscribi, ut ipsa recreet & erudiat varietaa.

Sed quomodo differunt Quæationes Principes, quas vocant, ab asserentibus Propositionibus? quomodo à Problematibna? Jam expono. In Assertione determinatur altera contradictionis pars: neutram præhabent Problemata & Quæstionea Principes. Ar in gymnasio deciduntur: illæ à Respondente, & illa ab Oppugnante. Qui Problema defeudit, dicit Oppugnaturo: *Si asseras, debebo negare: & si neges, debebo concedere.* Qui autem Quæstionem Principem proponit, dicit Oppugnaturo. *Si asseram, debebis negare: & si negem, debebis concedere.* Hinc est, quòd Quæstinnes Principes sint apud Hispanns in suis Thesibus paucæ; & apud nationea alias nullæ. Requirunt doctum Oppugnatorem: nam sicut in Problematibus Defendens, sic in Principibus his Quæstionibus Argumentator debet esse paratus ad utrumque.

MCCVI. *Quid sint Theses interrogativa?* Interrogationes rarò reperiuntur in Thesibus; sed qoia hac ipsâ hebdomade Pragæ apud B. Mariam ad nives Interrogariones Philosophicæ & etiā Theologicæ sub P. Ludovico Connæo, doctissimo Viro, sunt defesæ, oporter breviter explicare quid sint, & quomodo à Problematibus differaut. Possunt solæ Assertiones in prælium Academicum mitti, possunt sola Problemata; non verò Interrogationes. Cùm propugno Assertiones, Ego me prędetermino, & eligo partem quam volo, & jubeo Argumentatori, ut assumat contrariam, ut mihi contradicere possit. *Quē usum in disputationibus habeant?* Cùm propugno Problemata totum me Argumentatoris voluntate committo, & volo ab eo prædeterminari; & quæ asserit, negare jubeor; & quæ negat, asserere. Ergo in Academicæ Disputatinnis propugnandis Tabellis, possunt meræ Assertiones, aut etiā meta Problemata scribi & defendi: at non meræ Interrogationea: Tunc enim Responsurus dicit. *Ego interrogo. Instrui & doceri desidero. Si asseris, assero: si negas, nego.* Ergo Argumentator Interrogationem oppugnare non potest: habet tamen jus, ut jubeat Respondenti ut alteruttam contradictionis partem admittat, & sic oppugnat illum & securior & fortior. Hinc ergo constat istum titulum, *Positiones interrogativa,* æquipollere huic, *Positiones, non quidem impugnādæ, sed assumenda ab Argumentatore prout voluerit; nam si illas censuerit veras esse, admittemus ut veras; si contra censuerit, admittemus ut falsas.*

MCCVII. *Quid sint Theses dubitativa? An debeāt propugnari?* Dubitationes interdum Argumentatores enm Assettionibus confundunt, at immeritò, qui enim dicit, *Homo syllogismum mētalem format tribus diversis actibus: fortè etiam Angelus.* non videtur velle defendere quod dubitat de Angelo, sed tantùm quod affirmat de Homine.

MCCVIII. *Quales esse debeant Impertinentes.* Impertinantes debent esse subtiles, nam si careant acumine, cur poni permittantur, non video, ideò enim tolerantur tantummodò, quia impertinentiam ipsam subtilitate ingeniósâ cōpensant. Pono unam vel alteram Impertinentē. *Optimus Philosophus ille, qui nullo modo potest suas opiniones propugnare. Optimus Metaphysicam dilucidandi modus, est illam dilucidare nullo modo.* *An dentur Modi?* Et viderentur implicantes aut falsificantes; at si semel sciamus, esse inter Philosophicas celebrem & plausibilem Doctotum Modalium Scholam, quæ omnia per modoa salvat: & tamen subtiliorem & ingeniosiorem expressivam, quæ modos negat, facili negotio intelligemus, quid Impertinentes importent. Optimus enim est Philosophua ille, qui nullo admisso modo suas sententias tuetur. Et optimè illustrat Metaphysicam, qui nullo admisso modo illustrat.

Thesium Denominatio.

MCCIX. *Varia Thesium nomina. sumpta à materiâ,* A Materiâ, à formâ, à Scbolarchâ, & à modo solent illæ denominari.

Sanè à materiâ, quam ob rem aliæ sont *Logica*, aliæ *Physica*, aliæ *Metaphysica*, aliæ *Iuridica*, aliæ *Medica*, aliæ *Chymica*, aliæ *Mathematica, &c.*

à formâ, A formâ, aliæ enim *Reales* sunt, aliæ *Modales*, aliæ *Formales*, aliæ *Expressiva*, aliæ *Negativa*, aliæ *Locales*, aliæ *Nominales, &c.* Hæ enim formæ præcipuæ sunt Philosophiarum, quas bodie in Europâ tenemus.

MCCX. *à Magistro & Authore.* A Scholarchâ, cujua mentem & doctrinam defendimus, sæpe etiam denominari solent: aliàa enim *Zenonica*, aliàs *Platonica*, aliàs *Aristarchica*, aliàs vocantur *Aristotelica*: &c. & ad Juniorea veniendo, aliàs dicuntur *Dionysiana*, *Ambrosiana*, *Hieronymiana*, *Augustiniana*, *Bernardina*, &c. & post Scholasticoa *Sententiaria*, *Thomistica*, *Scotistica*, &c.

à modo. A modo etiam, quo illæ scribuntur, solet sumi denominatio: alio enim conficiuntur modo *Scbolastica*, alio *Metaphorica*, alio *Expositiva*, alio *Historica*.

MCCXI. *Quales esse debeant Assertiones Scholastica* Scholasticæ Thesea sunt Conclusiones doctrinæ, quæ defenditur, clarissimis verbis propositæ, ut ab omnibus intelligantur. Sed duo inquiris, An liceat in Thesibus non solùm

Conclu-

Theses probata. Conclusiones, sed & rationes ponere, quibus illæ probantur à alterum, An liceat captiosè & insidiosè ad arenam descendere, Theses *Theses æquivoca.* æquivocas, quæ duabus lucibus obnoxiæ, proponendo? Respondeo ad primum non licere in Hispaniâ: at in Belgio & Germaniâ solere præter Theses etiam fundamenta evulgari. Et quidem illud responsuro est securius, hoc argumentaturo commodius: difficulter enim illum petes, cujus arma non scias: & illum difficulter adsequeris, si vias ignores & omnia effugia non præcluseris. Cæterùm, si quæratur veritas, hanc inveniemus meliùs, si non solùm adversarij sententiam, sed etiam fundamenta noscamus. Ad secundum dico me Salmanticæ vidisse hanc Thesim à Patribus Augustinianis defendi, videlicet, ***Personalitates Divinæ nullam perfectionem important.*** Cùm igitur Argumentator volebat illam oppugnare æquivocatione delusus hærere debuit. Sic arguebat *An relationes divinæ dicant aliquam perfectionem?* [Paternitas, exempli gratiâ, est infinita: nam infinitè distinguitur Filius à Patre. Ergo importat aliquam perfectionem.] Et dimissus fuit isto responso. [Conceditur totum antecedens, & distinguitur consequens. Patrem enim importare perfectionem relativam concedimus; at importare absolutam negamus.] Et quis quæso ex tempore probare posset non relativam sed absolutam perfectionem in conceptu Paternitatis importari. Hæsit Argumentator, & hac inopinatâ distinctione perculsus mutus fuit: Academicum vulgus, cui non semper arrident optima, applausit: at docti Thesim non defendi dixerunt; cùm enim rogatur à Doctoribus, An relationes in divinis perfectionem importent, de omni agunt: & Scotistæ, qui huic quæstioni negativè respondent, omnem negant,

Theses metaphorica. Metaphoricæ, si ut exponas Physica, materiam primam v.g. voces Xantippen, formam Socratem; subsistentiam Æneam, & naturam Anchisen; & posteà de his personis loquaris, & de Entitatibus Physicis debeas intelligi.

Theses historica. Historicæ ex factis potiùs, quàm dictis alicujus illustrissimi viri inferuntur, & argumentum exponuntur examini. Oportet, ut ille cujus vita discutitur sit supra invidiam, ne fortè disputatio, quæ ad ejusdem instituta fuit gloriam, in vituperium cadat: nam cum Lovanij ex factis, dictisque Sancti Thomæ Theses defendendas susciperem, multa à *Notabenè* D. Joanne Schenckelio, multa ab aliis audire debui, quibus displicebat hujus sancti doctrina, & inde sumebant occasionem, ut nollent etiam ejus acta ut regulas morum recipere.

Theses expositiva. Expositivæ, aliquem Sacræ Scripturæ, aut alicujus Sancti textum illustrant, aut ex illo inferuntur: & hæ solent propugnari Lovanij; at non semper vidi consentaneas S. Scripturæ positiones præmitti, sunt enim qui tales ponant, quæ possint stare, etiam Thesibus universis negatis.

Ut hos quatuor modos conficiendi Conclusiones intelligas, exemplis indigere videris; illa ponam inferiùs, ut modum possis qualemcumque imitari.

THESIUM ELECTIO.

Designatio materiæ, aut etiam opinionum, MCCXIII.
non est libera semper; interdum enim ab aliorum dictamine aut etiam arbitrio dependet. Sub hebdomadam sanctam Salmanticæ pro anni sequentis Actibus materiæ à Doctorum Senatu designantur. *Cujus sit materiam Thesium designare?* Lovanij disputaturus sine Præside intra unius hebdomadis periodum ter defendit materias, quas Theologa Facultas indixerit. Cum ad lectionem adspiratur, in pluribus Universitatibus sors materias distribuit. Liber defendendus affertur (puta Magistri, Thomæ, Scoti, Durandi, &c. pro lectionis qualitate; sunt enim horæ & gymnasia diversis authorib⁹ destinata, in quibus oportet ad mentem ipsorum disputari) & sine curâ apertus exhibet non materiam solam, sed & conclusiones defendendas.

Responsurus suas Theses scribat in codice, & rationes fundamentales adjungat; *Modus eas componendi.* nec juvat varia fundamenta congerere, præstat enim, si fieri possit, omnes ad unum aut alterum reducere, de quorum certitudine nulla sit prorsus dubitatio. Considera Theses sequentes.

I. *Infinitam hancque inamissibilem per-* MCCXIV.
fectionem habet Deus. II. *Nullius est imperfectionis capax, aut perfectionis incapax.* III. *Simplex omninò est.* IV. *Nequit multiplicari.* V. *Eius duratio æterna est.* VI. *Illi competit interminabilis vitæ simultanea possessio.* VII. *Respectu Dei omnes creaturæ sunt præsentes; nulla præterita, nulla futura.* VIII. *Nulli Deus mutationi subiicitur.* IX. *Mori non potest.* X. *Deus immensus est.* XI. *Nulla in Deo est perfectionum distinctio.* XII. *Nulla in ipso formalitatum aut operationum prioritas & posteritas; sed omnes in Deo sunt unum, & sunt simul.* *Theses de Deo uno.*

Videntur plures, sed una sola Thesis est; nam à primâ universæ exoriuntur,

Probo ex primâ secundam. Ens infinitum, MCCXV.
in eo genere in quo infinitum est, universas perfectiones complectitur, nec potest vel unam amittere, & manere infinitum [aliàs enim daretur ens infinito majus & perfectius, nimirùm aggregatum ex illo ente infinito & illâ perfectione ablatâ] Atqui Deus infinitus est, & nequit amittere infinitatem: ergo non potest amittere aliquam perfectionem. Ergo neq; adquirere aliquam imperfectionem; nihil enim aliud est imperfectio, quàm carentia debitæ perfectionis; Deo autem, utpotè infinito, omnes perfectiones sunt debitæ. *Dei infinitas.*

Probo ex primâ tertiam. Deus habet innume- MCCXVI.
ras perfectiones, ergo unitas, ergo unione infinitâ. Patet consequentia, quia nulla perfectio divina est finita. Atqui unio infinita est identificatio, igitur Deus habet perfectiones identificatas, *Simplicitas.*

catas. *Probatur Minor*; quia unione infinitâ nulla major excogitari potest: ergo est identificatio, hæc enim est perfectissima unionum. Sed unio identificativa vocatur *simplicitas*, utpotè quæ ex multis formalitatibus præcisivè distinctis faciat unam simplicem realitatem: Deus igitur, cujus perfectiones identificantur infinitè, infinitè est simplex.

MCCXVII *Unitas.* *Ex primâ etiam probatur quarta*, Deus est infinitus; atqui repugnant duo infinita ejusdem generis; Deus igitur non est numero multiplicabilis. *Probatur Minor.* Si daretur aliud ens infinitum, vel diceret aliquam perfectionem quâ careret Deus; vel diceret eandem quam habet Deus. Si eandem diceret, non distingueretur à Deo, quia quæ distinguuntur vel distinguuntur specie, [& tunc habent differentias oppositas, ut videre est in albo & nigro, quorum utrumq; convenit in ratione colorati, & nihilominùs album non est congregativum visus, & nigrum non est disgregativum, ideòque differunt.] vel distinguuntur puro numero [hæc autem sumunt distinctionem à subjectis;] ergo vel dicendum est Deum habere unam intrinsecam differentiam, quâ careret aliud Ens infinitum, illudque habiturum aliam, quâ caret Deus; vel dicendum est non distingui specie. Addendum consequenter, vel esse eandem perfectionem in diversis subjectis, vel non distingui numero; Deus igitur cùm non sit forma, nec possit subjecta diversa informare, numero multiplicari nequit: cùmque non careat aliquâ perfectione, quâ aliud Ens ab ipso distingueretur, non poterit specie multiplicari. Ratio est; quia si Deus & aliud ens per differentias oppositas constituerentur, neutrũ esset infinitæ perfectionis; Deus enim careret differentiâ constitutiva alterius entis, & aliud ens careret differentiâ constitutivâ Dei.

Æternitas. *Quinta etiam ex prima persuadetur.* Duratio Dei infinita est; caret igitur principio & fine, ergo est æterna.

Sextam ex tertia demonstrabo. Nam duratio divina, quia infinita est, habet infinita instantia, & infinita *nunc*, ex quibus coalescit; quia simplex est, habet omnia ista instantia, & ista *nunc*, realiter identificata: ergo omnia ista instantia realiter loquendo sunt unum simplex instans, omnia ista *nunc* sunt unum simplex *nunc*: ergo sunt simul, & carent omni successione. Benè igitur à Boëtio definitur Æternitas, *interminabilis vita tota simul ac perfecta possessio.*

Ex hac ultima definitione convincitur esse vera
MCCXVIII. *Creaturarum in æternitate præsentia.* *septima*, quia loquendo de tempore, præteritum præsens & futurum non coëxistunt, coëxistunt tamen uni & simplici instanti durationis divinæ, quia in duratione divinâ non dantur multa instantia. Hanc thesim illustravi in Metaphysicis proposito exemplo corporis & animæ rationalis. Corpus divisibile est; pes enim non penetratur cum capite, nec caput cum pede; & nihilominùs pes penetratur cum animâ, quæ est in capite; & caput cũ animâ, quæ est in pede. Similiter; nec præteritum penetratur cum futuro, nec futurum cum præterito, præteritum tamen penetratur cum uno *nunc* æternitatis, cum quo etiam penetratur futurum; quia sicut anima rationalis caret partibus, ita & Dei æternitas.

Octavâ probatur Dei simplicitas & simultaneitas; MCCIX.
repugnat enim tam simplicitati, quàm simulta- *Dei immutabilitas.*
neitati mutabilitas. Si Deus esset successivus, modò esset simplex, immutabilis esset; Ratio est; quia omnis mutatio fit vel adquirendo aliquid quod non erat, vel perdendo aliquid quod erat. Deus infinitè simplex nihil perdere potest, aliàs divisibilis esset, & nõ infinitè simplex: nullã perfectionem de novo acquirere potest; si enim illã posset adquirere, modò illa careret, & non esset infinitè perfectus: ergo ex simplicitate benè infertur immutabilitas. Sed & benè infertur ex simultaneitate; quia ad mutabilitatem requiritur prius & posterius, & in uno simplicissimo *nunc* prius & posterius reperiri non possunt; ergo nec mutatio. Simplicitas etiam & simultaneitas ita inter se sunt connexæ, ut cũ asseritur una & negatur alia, videantur duæ contradictoriæ simul asseri, simul negari; successio enim sine compositione intrinsecâ aut extrinsecâ intelligi non potest, nec compositio compatitur cum simplicitate.

Ex hac octava thesi infertur nona. Nam si Deus *Immortalitas.*
immutabilis est, mori non potest; quæcumque enim mutatio partialis quædam mors est, & mors ipsa est partium substantialium mutatio: Homo enim immortalis esset, si mutari non posset.

Ex prima & secunda thesi decima potest inferri. *Immensitas.*
Magnitudo enim in creatis perfectio est: ergo debet attribui Deo abstractis omnibus imperfectionibus; igitur Deo competit magnitudo infinita, quam *Immensitatem* nominamus.

Ex tertia probatur undecima. Si enim Deus ha- MCCXX.
beret perfectiones intrinsecè distinctas, simplex non esset. Nec juvat recurrere ad distin- *Indistinctio*
ctionem rationis ratiocinatæ, sive ad distinctionem conceptam; hæc enim militat contra simplicitatem; *Ratio est*; quia si in Deo reperiretur distinctio realis, Deus realiter esset imperfectus; ergo si reperitur distinctio rationis, hoc est, distinctio concepta, conciperetur Deus ut imperfectus. Confirmat hanc rationem discursus parallelus; hæc est bona consequentia; *Si Æthiops haberet albedinem, esset albus; atqui à me concipitur habere albedinem, ergo à me concipitur esse albus*: Ergo similiter hæc erit bona. *Si attributa divina haberent distinctionẽ, essent imperfecta, atqui à te intelliguntur habere distinctionem; ergo à te intelliguntur esse imperfecta.*

Ultima ex quinta, sexta, & septima potest ostendi *Simultaneitas.*
Nam si in Deo datur prioritas & posterioritas, supra positæ theses stare non possunt.

Ecce positionum catenam, ordinationem, consequentiam. Omnes à primâ dependent, & ita inter se connectuntur, ut omnes debeant simul admitti vel omnes negari: non poterit vir prudens unam tueri, quin tueatur universas; nec difficilius erit universas defendere, quàm unam. Igitur in quâcumque materiâ ita conclusiones disponatur, ut ad paucissima principia reduci queant; imò si possibile fuerit, ut ad unũ: tunc responsalis securissimè potest objectis satisfacere; fundatus enim supra firmam petram vacillare non potest.

DE

DE ANTITHESIBUS.

MCCXXI. *Antitheses ponuntur & examinantur.* SI Argumenta solùm à ratione sumantur, non indigebit responsurus Antithesium examine, sed poterit universas antitheses negare. At quia contingit frequentissimè argumenta ab authoritate desumi, ideò etiam erit necessarium mentem contra authoritatum pondera præparare. Sæpè authoritates premunt, sæpè opprimunt tametsi responsioni sint consonæ, quia disputatio laborat æquivocatione. Curiosè igitur antitheses responsurus exscribat, & inveniat sensus suæ doctrinæ consonos, in quibus illas possit admittere. Posui exempli gratiâ duodecim theses de attributis divinis, omnes veras: antitheses consideremus.

MCCXXII. *An in Deo sit aliquid finitum?* Thesis I. *Infinitam, hancque inamissibilem perfectionem habet Deus.* Antithesis. *Infinitam perfectionem non habet Deus.* Hæc antithæsis multifariam potest verificari; quia in mundo (hic est creatus Omnipotentiæ thesaurus) non habet Deus infinitam perfectionem creatam; neque in scientiâ visionis infinitam perfectionem objectam; nec in scientia simplicis intelligentiæ categorematicè infinitam perfectionem possibilè: & hoc agendo de perfectionibus creatis, vel creandis, quas titulo dominij habet Deus: veniendo ad formalitates intrinsecas, Deus non habet infinitam perfectionem absolutam in paternitate, filiatione, & spiratione, proprietatibus personarum constitutivis: non habet infinitam perfectionem relativam in essentiâ præcisâ à proprietatibus.

MCCXXIII. *An aliquâ imperfectione?* Thesis II. *Deus nullius est imperfectionis capax, nullius perfectionis incapax.* Antithesis. *Deus alicujus imperfectionis est capax, & alicujus perfectionis incapax.* Hæc etiam antithesis admitti poterit, si limitetur. Deus est capax imperfectionis extrinsecæ, non verò intrinsecæ; sine dedecore suæ intrinsecæ perfectionis imperfecta cognoscit, adeòque intellectus divinus dicit & exprimit imperfectiones objectivas; hoc est, sibi extrinsecas, tametsi intrinsecè illas non habeat; verbum divinum est persona habens humanitatem; humanitas autem, quia creatura est, afficitur multis imperfectionibus. Dantur etiam perfectiones, quarum Deus est incapax; illæ nimirùm, quæ non sunt simpliciter simplices, sed imperfectionibus admixtæ.

MCCXXIV. *An aliqua compositio?* Thesis III. *Deus simplex omnino est.* Antithesis. *Deus non est simplex sed compositus.* Et probatur; quia si agamus de compositione præcisivâ, hoc est, formalitatum, abstractarum, sine simplicitatis divinæ injuriâ dicimus Patrem componi præcisivè ex paternitate & naturâ præcisivè distinctis, & realiter identificatis: item attributa divina & omnes divinæ perfectiones distingui, realiter extrinsecè, hoc est, concipi conceptibus realiter distinctis.

An numerus? Thesis IV. *Deus est immultiplicabilis.* Antithesis. *Deus non est immultiplicabilis.* Thesis est vera, si agatur de multiplicatione substantiali; antithesis; si de personali. Deus enim unus est, personæ plures.

An tempus? Thesis V. *Duratio divina est æterna.* Antithesis. *Duratio divina non est æterna*, quæ in aliquo sensu etiam admitti potest; Deus enim est in rebus, durat in rebus, nec tamen ab æterno, quoniam nec ab æterno sunt ipsæ res; est in Sanctis per gratiam, nec tamen semper fuit, incepit enim esse per Baptismum, desinet cum primùm peccatum committatur. Prætereà, cõceptus æternitatis ad mentem veterum Philosophorum defenditur ab Aristotele asserente mundum esse æternum, durareque tempore æterno: hoc est, duratione successivâ infinitâ, quæ principium non habuit, nec finem habitura sit. Æternitas autem sic exposita repugnat Deo.

An successio? Thesis VI. *Duratio divina est simultanea.* Antithesis. *Duratio divina non est simultanea, sed successiva.* Utraque est vera tametsi diverso sensu. Divina duratio realiter simultanea est, virtualiter est successiva; quia tametsi successiva realiter non sit, ita coaptatur tempori ac si successiva esset. Est etiam successiva participativè, quia licet simultanea sit, eam participamus successivè.

MCCXXV. *An apud Deum sit præteritum futurumque?* Thesis VII. *Respectu Dei omnes creaturæ sunt præsentes, nulla præterita, nulla futura.* Antithesis. *Respectu Dei dantur creaturæ præteritæ & futuræ.* Utraque est vera si appositè exponatur: in hoc *nunc* æternitatis omnes creaturæ sunt Deo præsentes & cognoscit Deus in hoc *nunc* æternitatis esse præsentes, & respectu hujus *nunc* nullas esse præteritas nullas futuras. Cæterùm, si agamus de hoc *nunc* temporis, aliæ sunt præteritæ, aliæ futuræ; & hoc etiam non solum nostro modo intelligendi, sed secundum rei veritatem, & scientiam Dei divinam; Deus enim verè cognoscit, quòd Adamus ante me fuerit, & Antichristus post me futurus sit.

MCCXXVI. *An Deus sit mutabilis?* Thesis VIII. *Deus est immutabilis.* Antithesis. *Deus est mutabilis.* Utraque admitti debet; quia Deus est virtualiter mutabilis, ut patet in divino decreto, quod tametsi realiter immutabile sit, ita se habet, ac si realiter mutari posset. Etiam Deus extrinsecè mutabilis est; detestatus enim fuit Petrum peccantem, amavit posteà pœnitentem: hæc autem odij & amoris vicissitudo & successio non erat intrinsecè in ipso Deo, est enim incapax mutationis intrinsecæ, sed erat in Petro successionis intrinsecæ capaci, atq; adeò respectu Dei extrinseca. Etiam qui in propriâ naturâ immutabilis est, potuit in alienâ mutari. Verbum æternum quà homo est, quievit, deambulavit; tacuit, locutum est; comedit, jejunavit; bibit, sitivit; transfiguratum est & passum posteà; fuit cultum, fuit contemptum; & tãdem emisit spiritum & tertiâ die resurrexit. Quæ omnia sunt argumenta infallibilia, demonstrantia Deum in alienâ natura pati, mori, & mutari potuisse.

An sit mortalis? Thesis IX. *Deus mori non potest.* Antithesis. *Deus mori potest.* Utraque est vera; non enim potest mori quà Deus, potest quà homo.

MCCXXVII. *An occupet spatium finitum?* Thesis X. *Deus immensus est.* Antithesis. *Deus non est immensus.* Hæc ultima de Deo quà homine verificatur; non enim Christus, ut deliravit aliquando Lutherus, ubique est, nec habet corpus expansum infinitè. Prætereà,

qui dicunt non dari spatia imaginaria, definiunt Deum esse in spatio finito, posse tamen esse in infinito syncategorematicè. Omnes tamen debemus admittere præsentiam Dei in rebus vel extensionem Dei per res, non esse actualiter infinitè expansam; non enim res extenduntur per spatium infinitum: Deus autem secundum se consideratus immensus est, ipse enim est, non quidem imaginatum illud spatium quod juniores confingunt, sed spatium verum, quod à creatis spatiis & extensionibus participatur.

MCCXXVIII. Thesis XI. *Nulla in Deo est perfectionum distinctio.* Antithesis, *Aliqua in Deo est perfectionum distinctio.* Utraque est vera; prima, si agatur de distinctione reali, de distinctione ex natura rei, aut de distinctione conceptâ, quia in Deo nec esse, nec concipi potest distinctio; Secunda, si agatur de distinctione virtuali, de præcisivâ, aut reali extrinsecâ. Paternitas enim & natura, tametsi realiter identificatæ, virtualiter distinguuntur: ita enim se habent ac si virtualiter distinguerentur: communicatur enim natura Filio paternitate non communicatâ. Eadem paternitas distinguitur præcisivè à naturâ: potest enim concipi non conceptâ naturâ. Tandē natura & paternitas distinguuntur realiter extrinsecè: hoc est, possunt cōcipi duobus actibus distinctis, & hæc est distinctio quæ à multis dicitur rationis ratiocinantis.

An habeant distinctionē & compositionem?

MCCXXIX. Thesis XII. *Nulla est in Deo formalitatum aut operationum prioritas aut posterioritas.* Antithesis. *Datur in Deo formalitatum & operationum prioritas.* Admitti utraque debet, sed in diverso sensu. Prima in reali, secunda in virtuali, præcisivo, & extrinseco. Ita enim se habent operationes divinæ ac si essent successivæ, cum tamen sint simul; ideòque dicuntur habere prioritatem virtualem. Prior dici potest paternitas Patre præcisivè, quia paternitas concipi potest sine patre, non pater sine paternitate. Pater potest dici realiter extrinsecè prior Filio, seu prior prioritate rationis ratiocinantis; quia priùs cognoscimus Patrem & posteà Filium, & hæc actuum successio, quæ nostris ratiociniis est intrinseca, est extrinseca Deo.

An successionem?

MCCXXX. ANtithesibus hoc modo expensis nullum est testimonium, quo urgeri possumus; si enim aliquid verbis citatis afferatur, quod videatur nostræ doctrinæ opponi, admitti poterit in aliquo ex illis sensibus, in quibus Antitheses potuerunt admitti: Eadem enim verba, quæ malè explicata videbantur contrà nos militare, hoc modo exposita, nostram roborabunt doctrinam.

Usus & utilitas Antithesium.

Sæpè contingit fateor, quod omnes positiones non admittant contrarias expositiones, sed tunc providentiâ opus est. Si qua sit, quam non possis substruere ratione aliqua fundamentali; si qua, cujus antithesin pro te retorquere non possis; præstat prævenire periculum illam ab abaco thesium expungendo; nec sufficit confidere sapientiæ Præsidis; Responsalis enim ut honori suo consulat, non debet defendere illas conclusiones alieno, sed proprio marte. In disputatione enim vix agitur de Præsidis authoritate. Doctrina & eruditio Præsidis à multis annis nota novis testimoniis non indiget: opinio verò defendentis tunc incipit plausum sollicitare.

NOTA.

HIs igitur consideratis Theses propugnandas suo Responsalis Præsidi communicabit. Sanè Præses sine honoris dispendio opinionem verè probabilem delere non potest; esset enim indignus magisterio, qui Thomisticas, Scoticas, aut alias quascumque probabiles Sententias non sciret æqualiter propugnare.

An, & quam Theses sic Præses revocare?

Typis mandantur defendenda Theoremata, & distribuuntur tempestivè, ut argumentaturi se præparent. *Petis*; Possitne propugnans indicere argumentaturo, ut talem opinionem impugnet? Petere quidem potest, non præcipere; imò nec semper petere sine honoris jacturâ. Si propugnans incautè aliquas Conclusiones impresserit, quas tueri non possit, melius est uni & soli Argumentaturo videri timidus, quàm in publico gymnasio triumphari.

DE ARGUMENTATORE.

MCCXXXI. SI cæteræ circumstantiæ sint pares, benè arguere difficilius est, quàm benè respondere. Vix possunt quatuor viri mortuum extrahere ex propriâ domo; quis ergo nunc Argumentator poterit vivacis ingenij respondentem à fundamentis & principiis propriis extrahere? quis vincere? sanè negotio perdifficili, sed modum poterit doceri.

Verum facilius sit respondere aut argumentari?

Monitum I.

MCCXXXII. CAveat Argumentator, ne argumenta deducat ab authoritate negativa; hæc enim consequentia, *Hoc vel illud non dicitur in Evangelio: ergo est falsum*, mala est, teste enim Joanne plurima fecit Christus Dominus, quæ non fuerunt scripta. Et quia non solùm in Theologiâ, sed in quâcumq; materiâ argumenta negativa sunt levia, fugienda sunt. Exempla nonnulla produco.

Quàm sint fortia negativa argumenta?

Probaturus subcontrarias non esse oppositas, adducis Aristotelem, qui cùm cæteras enumeravit, oppositionis subcontrariæ non meminit. Et Hurtadus reponit hoc esse argumentum negativum, & nihil omninò probare: quia Aristoteles capax fuit oblivionis & ignorantiæ: fortè enim nescivit quod nos scimus: quod si scivérit, & tamen non dixit ubi debuit, fuit hallucinatus aut distractus.

An detur oppositio subcontraria?

Quærit S. Hieronymus *libr. de Scriptoribus Ecclesiasticis, agens de S. Lucâ*, an Pauli Theclæ & Leonis historia sit authentica? & à S. Lucâ composita? Et respondet. *Periodos Pauli & Theclæ & totam baptizati Leonis fabulam inter apocryphas scripturas computamus.* Idque ipsum authoritate probat, priùs negativè, & positivè etiam posteriùs. *Qualeenim est, ait, ut individuus Comes Apostoli inter cæteras ejus res hoc solum ignoraverit?* Sed quia animadvertebat debile esse argumentum ab authoritate negativâ diductum, positivam subjungit, & subscribit; *Sed & Tertullianus vicinus*

An Pauli & Theclæ historia sit authentica?

Etiam ex amore peccatur. An ejusmodi culpa sine punienda?

eorum-

eorumdem temporum, refert Presbyterum quemdam in Asiâ, amatorem Apostoli Pauli, convictum à Ioanne, quòd Auctor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse; & ob id loco excidisse.

Monitum II.

MCC XXXIII. *De particulis reduplicativis.* Argumentator abstineat à particulis reduplicativis aut pôderativis, experientia enim docet illas facilè dici, & difficillimè probari posse. Reduplicationes non libenter scribo, quia obnoxiæ sunt logomachiis & diversis expositionibus. Unum exemplum in specimen volo producere.

MCC XXXIV. *Quid sit memoria?* Gabriel Vasquez *in 1. p. tom. 2. disp. 108. nu. 19. & 20.* agit de Memoriâ & ait, *Etiamsi Memoria sit cognitio rei præteritæ, & ut priùs cognitæ.* & quia Philosophi in libris de Animâ Quid sit recordari? scire volunt, inquiruntque, An recordetur, qui rem cognitam cognoscit specificativè; an illam cognoscat reduplicativè, hoc est cognitam ut cognitam? Dividuntur in classes, & *Quid sentiat Vasquez?* affirmativè, & alij negativè respondent. Sed utri suam sententiam P. Vasquez testimonio tuebuntur? pro utrâ hic debebit citari?

MCC XXXV. Hurtadus *disp. 5. de Animâ sect. 8.* pronunciat opinione Vasquez *1. p. tom. 2. disp. 208 n. 1.* omnē actum Memoriæ esse reflexum: & quia Juniores *An omnes memoriæ sint reflexi?* Vasquez lectum & benè intellectum putant fuisse ab Hurtado, semper aut ferè hanc illi sententiam adfinguunt.

MCC XXXVI. Oviedus *contr. 5. de Animâ punct. 4. n. 4.* conatur Vasquezium vindicare, & exponere; Hurtadumque hallucinatum fuisse, cùm illum legit; omnesque aut ferè Juniores temerè Hurtado credidisse. Ut rem meliùs exponam, ejusdem Oviedi dabo verba. [Vasquez attentè legi (ait) præstudio erga tantum Magistrum & oppositam sententiam defendere clarissimè ex ipsius verbis constare existimo, quapropter miror tot recentiores, plutesque hujus magistri studiosos valde, ita deceptos fuisse, forsan omnes unius culpâ, qui illum sinistrè primò est interpretatus, cui reliqui Vasquium nullo modo, aut parum attentè legentes crediderūt. Asserit P. Vasquez non num. 1. in quo nihil de hac re, sed 19. & 20. disputationis citatæ: *est memoria, seu recordatio rei præteritæ & priùs cognitæ consideratio. Rei cognitæ* dixit, non *rei ut cognitæ*, & posteà impugnat nonnullos asserentes memoriam fieri per speciem cognitionis præteritæ, & asserit non fieri per speciem cognitionis præteritorum, sed objectorum præteritorum; quod probat, quia in sensu interno est memoria; & sensus internus reflexivus non est; ex quibus infertur saltem memoriam sensitivam non constitui à Vasquez in actu reflexo: posset idem inferri de memoria intellectivâ, nam de utrâque eisdem verbis loquitur, & uno eodemq; modo utramq; explicat, & positivè asserit eâdem ratione cōstituendam esse memoriam in intellectu, quâ constituitur *An ultima memoria sensitiva reflexiva sit?* in sensu: illius sunt verba: *Sicut in sensu defendere possumus rationē memoriæ, & recordationis sine specie cognitionis præteritæ, etiamsi memoria sit cognitio rei præteritæ, & ut priùs cognitæ, eodem explicare possumus in intellectu recordationem, & memoriam sine specie recordationis præteritæ.* Fefellit Hurtadum, & recentiores alios, illa particula *etiam si memoria sit cognitio rei præteritæ, & ut priùs cognitæ*, per quam non significat Vasquez debere esse actum, qui feratur in rem formaliter ut cognitam reduplicando per particulam *ut* ipsam cognitionem; sed accidentia illa, quibus priùs fuerat cognita; quod ipse Vasquez explicat verbis, quibus expressè docet actum memoriæ non esse reflexū; illius accipe verba: nec tibi videatur superfluus labor, qui in mente tanti Doctoris percipiendâ impenditur. Sic Vasquez: *Memoria in sensu hoc solo fit, quod rem præteritam cum eisdem circumstātiis temporis, & loci apprehendimus, sub quibus antea nobis cognita fuit.* En rationem memoriæ, ut explicat Vasquius: Vides quomodo verbum *ut*, quod reduplicat rem ut cognitā sensu à me intellecto explicet; *sic enim dicimur* (Vasquius loquitur) *rem illam cognoscere ut præteritam, & ut prius sensatā, aut cognitam.* Nota eâdem ratione dicere memoriam ferri in rem ut cognitam, & ut sensatā; & expressè dixisse memoriam sensûs non esse reflexivam. Ex quo inferes non sensisse Vasquez actum memoriæ esse reflexivum, & si attentè legas illum referentem sententiam, quam impugnat, clarè cognosces impugnare Auctores asserentes memoriam fieri per actum reflexum. Sic illam refert: *Dicunt verò nonnulli memoriā fieri in Angelis, & in nobis per speciem quamdam relictam ex cognitione præterita, ita ut ex illa cognoscamus rem & cognitionem præteritam.*] Hæc Oviedus; non quod esset Vasquezij amplexurus sententiam, velletque in suas partes aut torquere aut adducere, quod multi faciunt, qui ubi rationibus carent, Magnorum Hominum (priscorum juniorumque) se nomine & authoritate tuentur; sed observantiæ meræ gratiâ, & ne circà tanti Magistri mentem communis iste error grassaretur diutiùs. Fortè uberiùs Oviedus mentem *An sit utile in intelligendis Juniorū sententiis occupari?* Vasquezij exposuit, quàm par erat; parum enim refert ignorare aut cognoscere, Utram ille sententiam habuerit, aut non habuerit? At, quod fortè ab Oviedo pius error (laudandi enim omnes & singuli, qui suos Magistros amant, venerantur, dilucidant) à me necessitas & summa utilitas, ut puto extorsit: ut enim mentem Vasquezij adsequi Philosopho necessariū non sit, at eidem erit omninò necessarium significationem vim & energiam, & varias acceptiones Reduplicationum cognoscere, ut hunc & alios Authores intelligere, & suam mentem exactiùs exponere possit. Ergo rem totam ad paucas lineas reducendo, sic inquam.

Quid est, *intelligere rem ut cognitam*, apud Vasqueziū? Respondeo illud *ut* æquivocatione laborare; nam vel cognitionem reduplicat, vel urget rei cognitæ circumstantias & modum. Si primum: Intelligit rem, ut cognitam, qui rem cognoscit cognitam, & se illam cognovisse intelligit. Si secundum: Intelligit rem ut cognitā, qui priùs cognitam posteriùs iterùm iterùmve cognoscit, eo modo quo cognovit priùs & non alio. Primo sensu Hurtadus intellexit Vasquezium & Oviedus secundo. MCC XXXVII. *Ut æquivocum.*

MCC XXXVIII. *An Vasquez sit benè loquutus?* Cæterùm, si stetur rigori Grāmatico, putarem malè Vasquezium loquutū, aut ab Oviedo malè exponi, Ego enim, si vellem primū sensum exprimere; dicerem *Cognosco rem, ut cognitam,*

& sic

& sic putarem me reduplicare cognitionem: si autem vellem exprimere sensum secundum, dicerem, *Cognosco rem, ut cognita* (puta *fuit à me prius*) *Cognosco rem, ut eam cognovi; qualem cognovi*; aut aliquid simile.

Stat ergo particulas reduplicativas & ponderativas difficiliùs probari, quàm asseri; & hanc ob rem omni suadebo Argumentatori, ut ab illis abstineat, utantur formâ clarissimâ, & nihil loquatur præter formam.

Vidi sæpè particulas istas negari; at eas bene probari nunquam vidi. Pono aliquos syllogismos loco exempli.

Si Deus posset unum corpus ponere in duo loca, maximè id posset quia est infinitus: at hæc ratio non sufficit: ergo non potest.

Homo pro ut homo est rationalis: hoc album est homo: ergo hoc album est rationale.

MCCXXXIX. *Quo modo possit Respondens reduplicationes persuadere?*

Animal quà tale est sensibile; Petrus est animal; ergo Petrus est sensibilis.

Memoria cognoscit rem ut cognitam: ergo recordor equi ut cogniti.

Sic argumentaris: & statim Respondens suæ fortunæ & tuæ temeritati gratias agit: scit has particulas esse æquivocationib' multis obnoxias, & qualitercumque accipiantur, vix bene probari solere; & hanc ob rem, quidquid sit de ipsis propositionibus, negat illud *maximè*, illud *prout*, illud *quà*, illud *ut*. & te has particulas probaturum exspectat. Primam probare nunquam poteris; quo enim evinces modo, rationem illam, de quâ agis, esse fortiorem cæteris: & ut sit saltem non erit fortior aggregato, quod hac & cæteris omnibus constet: quid quæso reponere poteris, si dicatur hoc posse Deus, non ob rationem positam maximè, sed maximè ob illã & cæteras simul. Secundam tertiamque, quis probabit, si dicam, hominem prout homo est esse animal rationale; & animal quà animal esse vivens sensibile? quis, si addam, illas particulas reduplicare totum, & de toto non prædicari partem? Quis quartam, si illud *ut* ad mille sensus vel invito Argumentatore reducam. Scio aliquid posse interdùm opponi; at posse aliquid forte opponi nescio: & ideò semper ab hujusmodi particulis abstineo, & ut cæteri abstineant persuadeo.

Monitum III.

MCCXL. NEgatam Argumentator consequentiam nunquam non inferat, & habeat rationem paratam ut probet utramque præmissam. *Utramque* dico; quoniam si paratus sit ad probandum majorem, & hac concessâ minorem negari contingat, inopinato vulnere perculsus turbabitur, & imparatus posteà & turbatus confliget. Ergo fabricêre expedit propositionem, quam probare non valeat.

Argumentator paratus semper sit, ut utramque præmissam syllogismi persuadeat?

Cùm hæc scribo subveniunt in mentem quã plurimi, quos perturbatos vidi, negatâ aliquâ positione, quam putaverãt certam, & à nemine posse negari. Vidi nonnullos etiam doctos, qui debuerint tacere, & hoc prudentiùs: nonnullos, qui voluerint progredi, & plurima levissima obiicientes, fuerint risi. Ergo sibi infortunium Argumentator imputet; si ad arenam imparatus descendat.

Monitum IV.

MCCXLI. DEbet etiam abstinere Argumentator à particulis, quas possit respõdens, concessâ positione negare. Id jam diximus & exposuimus. Debet etiam Respondens, & præcipuè in propugnandarũ positionum contextu, ab eisdem abstinere particulis, ne fortè aliquam Argumentator oppetat, quam tueri non valeat. Monitum hoc uno aut altero exemplo, firmo & dilucido.

Qui theses propugnat à reduplicationibus & aliis particulis abstinere debebit: nec illã ponere, quin bene examinet.

Defendebatur Viennæ anno 1649. à viris doctissimis ista Thesis. *Ex parte prædestinati non datur causa meritoria totius prædestinationis: unde prædestinatio gloriam immediatè & in se facta est ex prævisis meritis.* contra quam fortiter unus aut alter fuit argumentatus. At quia visi sunt magis impugnare consequens, quàm consequentiam, sic processi.

Non urgeor scrupulo aliquo, dixi, circa antecedens, non circa consequens, sed circa illationem tantummodò; hoc est, circa illud *unde*, & illud consequens ex illo antecedente non inferri pronuntio, quia ex hypothesi, quòd ex parte prædestinati non detur causa meritoria totius prædestinationis, fortè sequeretur prædestinationem ad gloriam nullam supponere meritorum prævisionem; at nullo sequitur modo prædestinationem ad gloriam immediatè & ex se factam esse ex prævisis meritis: quod sic efficaciter probo.

MCCXLII. Si ex illo antecedenti sequitur illud consequens: vel erit ista argumentatio Enthymema, vel Syllogismus, vel aliquis alius modus argumentandi: At non est talis: ergo. Dices esse Enthymema, & te male respondere sic probo. Enthymema est syllogismus truncatus & imperfectus, in quo una subticetur præmissa: at iste nõ est incompletus & imperfectus syllogismus: Ergo nec Enthymema. Probatur minor. Si esset incompletus syllogismus compleri posset; At compleri non potest: ergo non est completus syllogismus. Qui voluerit negare minorem det syllogismũ obsecro in formâ & figura legitimis, cujus major sit, *Nulla datur causa meritoria totius prædestinationis*: minor sit aliqua propositio, quæ sit posita in priorib' Thesibus; illud enim significat illud *unde*: & cõclusio sit, *Ergo prædestinatio est ex prævisis meritis*. nõ enim Ego satis doctus sum, ut possim hunc ipsum syllogismum complere.

Quid sit Enthymema?

MCCXLIII. Erant distributæ à Patribus Dominicanis Theses, in quibus num XXVIII. habebatur, *Ordinarius Minister Ordinis est solus Episcopus; unde collatio Ordinum Majorum simplici sacerdoti cõmitti non potest*. Poterat impugnari, *Tum* quia Abbas Cistertiensis, & quatuor alij Coabbates ex speciali privilegio Subdiaconatum & Diaconatum conferunt. *Tum* etiam, quia inconsequenter videbatur hæc poni limitatio in collatione majorum Ordinũ, cum in eisdem Thesibus num. XII. haberentur hæc verba. *De fide est solum Episcopum esse ordinarium hujus Sacramenti ministrum, non solùm ex jure Ecclesiastico, sed etiam ex jure Divino: ex speciale tamen commissione & dispensatione Summi Pontificis potest quilibet sacerdos, tanquam extraordinarius Minister hoc Sacramentum conficere.* Unde videretur consequentiæ ratio postulare, ut

In professo S. Laurent. ann. 1649.

eodem

eodem modo de utroque Sacramento philosopharemur. Cæterùm, quia in Thesi priori illud *Vnde* displicuit; contra illud aliquid fui meditatus: & hanc impugnandam assumo, & negant se habere talem thesin, & recognosco chartam, & in ipsâ deletum calamo illud *unde* reperio. Vides satiùs judicasse Patres doctissimos illud verbum delere quàm defendere, & inquiris, An-ne Theses semel jam distributæ possint alterari vel corrigi? Respondeo Præsidem disputationis hujus sic putasse: correxit enim illas, postquam sunt distributæ. at hoc ipsum non licere definio; eædem enim defendi debent, quæ traduntur Doctoribus, qui ad argumentandum invitantur,

An Theses jam distributa possint corrigi?

Monitum V.

MCCXLIV. SUnt aliquæ Propositiones, quæ nec possint negari, nec concedi, nec distingui; sed debent alio modo dissolvi; & ut videas apertè Menedemum produco, qui Alexino respondit, non tamen assertivè, non negative, non distinctivè: sed alio modo compendioso & securo. Petebat Alexinus An Pater cædere desiisset Menedemus? Et quid hîc iste ut Parricidij notam fugeret? Sive negat, sive asserat, illud fatetur. Nam si desiisse dicat, se aliquando Patrem cecidisse concedit: illud enim desinimus facere, quod faciebamus. Si se desiisse negaret, se adhuc Patrem cædere confiteretur. Quid ergo faceret? Ad aliquam distinctionem recurreret? sed nulla congrua & efficax occurrebat. Quid ergo Menedemus fecit? *Neque cecidi*, ait, *neque cadere desij.* Et occlamat Sophista, sibi nec directè, nec benè responderi: oportere satisfieri argumento per *vai* vel *ũx*, per næ vel non; hoc est, affirmando aut negando. Cui Menedemus, *Ridiculum & supervacaneum est vestras leges servare, nec aliter respondere quàm vultis: cùm præstet in ipsismet portu occurrere, & expediat eo quo nan vultis modo sophismata vestra dissolvere.* Vide Laertium libr. 2. cap. 18.

An præter concessionẽ, negationẽ, & distinctionem detur alius modus respondendi?

Monitum VI.

SÆpè ponuntur Theses, quæ ratione naturali cvincuntur, & dicuntur veræ esse quidem, sed non de fide: &, ut video, pauci directè illas impugnant, & pauci illas bene defendunt. Volo dialecticum rigorem intendere, & unam vel alteram thesin proponere, quam audiui hoc anno 1649. impugnari & defendi.

Aliqua interdum cõclusiones nec bene, nec directè impugnantur.

MCCXLV. CONCLUSIO PRIOR. *Infallibilis Regula credendi, seu Iudex controversiarum Fidei, non est Scriptura, Concilia, vel Traditiones, non privatus cujusque Spiritus, non quivis Rex aut Princeps sacularis in suo regno; sed Persona aliqua Ecclesiastica viva eaque unica in totâ Christi Ecclesiâ; nimirùm, solus ille, qui est supremus Ecclesia Romana Pastor, quem de facto Innocentium X. esse probabile est esse de Fide.*

Regula fidei.

Hanc impugnavit quidam fœlici ingenio præditus, & sic incepit. Æquè erunt certa & infallibilia, quæcumque è cathedrâ definiat Innocentius X, sive eum esse summum Pontificem sit de fide sive non sit de fide. Ergo dicendum est hanc eamdem propositionem ne quidem probabiliter esse de fide. Negarunt antecedens, & ratio negandi sæpissimè à Præside inculcata fuit, quod credendi Regula sit Pontifex; & vacillaret fides, si illa non esset de fide. Conatus est argumentator persuadere antecedens, & à rationis paritate procedens signa credibilitatis, quæ vocant, in medium produxit; quæ non esse semper de fide, sed sufficere, si sint moraliter certa, universi tenemus. Sed à respondentibus negatur paritas, & esse latũ discrimen inter notas & motiva credibilitatis, & Regulam vivam credendi, quia illa sunt quasi conditiones, &c. hæc est ipsamet fundamentalis propositio, &c.

An Innocentium esse Summum Pontificem de fide sit

MCCXLVI. Mediâ horâ durarunt instantiæ & solutiones, quæ omnes ad positas reduci debent. Rem fateor, multa sunt in solutione hujus argumenti, quæ indigent severiore Dialecticâ. Negarunt antecedens primum, cùm tamen concedi illud, & negari consequentia deberet: & ratio est meo judicio clarissima. Impossibile est Fidem Catholicam pendere ab opinione probabili; quia, cùm conclusio debiliorem partem sequatur, & muri crassissimi & solidissimi nutante fundamento vacillent, nihil certi esse poterit, quod probabilitati innitatur. Debebant ergo respondere, ideò non dici esse evidenter de fide Innocentium X. esse summum Pontificem, quia sive id de fide sit, sive non sit, æquè certæ & indubitatæ erunt ejus definitiones: quæ si non essent aliter certæ, quàm supponendo de fide esse illum esse summum Pontificem, deberent quidem dicere non jam probabiliter, sed certò & infallibiliter esse de fide Innocentium X. esse summum Pontificem. Igitur malè negato antecedente inter notas credibilitatis & personam Pontificis esse paritatem negarunt, at disparitatem nullam, quæ ad rem esset dederunt: & argumentum irresolutum mansit.

Considera circulum in responsione.

Fides Catholica ab opinionum probabilitate non dependet.

MCCXLVII. Volui illud assumere, aut Respondentes impugnare hac ratione; nimirùm, [Ut ex responsione præcedentis argumenti colligitur, tota Fides Catholica ad hos terminos debet reduci. *Debet* (*Necessarium est*, &c. *Tenetur*, &c. nam multi & varij sunt termini æquipollentes, quibus estis usi, vel abusi.) *esse de fide ut Innocentius X. sit Romanus Pontifex (& idem dicendum est de cæteris ipsius Antecessoribus) nam aliàs, quæ ipse ex cathedrâ decerneret, non essent de Fide. At Innocentium X. esse Summum Pontificem (& cæteros Antecessores ejus fuisse) de Fide est. Ergo quidquid ipse ex cathedrâ decernat erit de Fide; Ergo quidquid Antecessores ejus decreverint est de Fide.* At in hoc syllogismo, quidquid de majori ipsâ sit, minor secundum vestram Thesin est merè probabilis: Ergo consequentia est merè probabilis. Patet; quia conclusio semper sequitur præmissam debiliorem. Ergo Tridentini & omnium etiam Veterum Conciliorum definitiones, & omnes illæ, quas Innocentius X. ex cathedrâ Petri pronũtiet, esũt probabiliter de fide. Ergo nulla erit indubitata, quia nulla erit certa de Fide.] Ergo debuerunt illi in suâ thesin defendere ut Articulos Fidei ad fundamenta probabilia & disputabilia non reducerent.

CONCLU-

MCCXLVIII. *An Deus sit incomprehensibilis?*

CONCLUSIO POSTERIOR. Eodem anno aut etiam mense Viennæ hæc Thesis publicè defensa est. *Implicat ullum ens creatum, quantumcumque elevatum, cui comprehensio Dei (quamvis id fide non habeatur) competere possit.*

Hanc impugnavit multis quidam Doctor, & ut puto fortissimè, quia Respondentes suis ipsis solutionibus implicabantur. Sic ille objecit. Sunt multa sacræ Paginæ testimonia, in quibus Deus dicitur *Incomprehensibilis*: ergo Deum esse incomprehensibilem de fide est. Responderunt concedendo antecedens, & negando consequentiam: dixeruntque omnia illa Sacræ Paginæ testimonia debere intelligi respectu creaturarum existentium, non autem respectu possibilium: nam Deus tametsi ab existentibus comprehendi nequeat, tamen à multis possibilibus potest. Quod ipsum plausibiliter firmabant rationis paritate ab Invisibilitate desumptâ; quoniam in multis S. Scripturæ locis Deus *Invisibilis* dicitur, & tamen eumdem respectu Beatorum non esse invisibilem de fide est. Ergo sicut *Invisibilitas Dei* non respectu omnium creaturarum; sic etiam nec *Incomprehensibilitas Dei*. Hanc solutionem, quam fusè & ingeniosè texebant Respondentes, hoc Argumentator fulmine in cineres meros redêgit. *Notetur bene hæc instantia.* Sacræ Scripturæ expositio, ait, quæ supponit falsum, pessima est: Hæc, quam datis, falsum supponit: Ergo est pessima. Minorem probat. Quoniam hæc vestra expositio, Deum ab aliqua aut aliquibus substantiis possibilibus posse comprehendi, tanquam certum & indubitatum supponit: At hoc ipsissimum est certissimè falsum: Ergo. Negatam Minorem demonstrat: Quia in Thesi dicitur Deum non posse ab ullâ comprehendi.

Monitum VIII.

MCCXLIX. *Quid agere argumentator debeat, quando aliqua propositio distinguitur?*

CUm syllogismi propositiones distinguuntur, solent Argumentatores sæpe hallucinari, & per consequens periclitari, putantes se debere probare positiones negatas; quod si faciant, destruunt aliquando se ipsos, ac corroborant antagonistam. Hæc doctrina exemplo brevissimo illustrabitur. Dixeras *Materiam non posse existere sine formâ*, & te adoritur Petrus hac ratione; *Materia non habet existentiam: ergo, ut existat, eget formâ.* Distinguis antecedens, Materiam non habere existentiam propriam concedis, non habere alienam negas. Si Petrus probet materiam non habere existentiam alienam sed propriam, distinctioni datæ contraibit, sed destruet suum intentum; quia quæ probatur habere existentiam propriam, probatur posse existere sine formâ; non enim ex eo quod materia propriâ existentiâ donata sit, sequetur sine formâ existere non posse; sed potiùs sequetur ipsam posse. Petrus igitur ut bene argumentetur & directè oppositam partem impugnet, debet iterum assumere eumdem syllogismum affectum termino illo distinctionis qui prodest, sive ille negetur, sive concedatur. *An materia existere possit sine formâ?* Qui si fuerit concessus fortiùs contrarium debellabit, ut patet in exemplo posito. Audivit Petrus tuam distinctionem, & me duce eundem syllogismum, resumit dicens. *Per te* (hoc est, *te teste, te concedente*) *materia non habet existentiam propriam, sed alienam; hoc est formæ: ergo sublatâ formâ, formæ existentiâ excidet: ergo hac excidente, materia nec habebit existentiam alienam nec propriam: sine formâ igitur existere materia non potest.* Nota benè hanc doctrinam; quia sæpè contingit Responsales malè asserta distinguere; si enim illa concedantur in sensu vel à te intento vel tibi utili, & negentur in sensu intento, debes iterum eadem in sensu concesso assumere, non verò in sensu negato probare: nota, inquam, benè; frequentissimè enim video hallucinari argumentatores, cum positiones distinguuntur.

Monitum VIII.

DOlus an virtus sit, quis in hoste requirat! Argumentator & Responsalis in arenâ literariâ hostes sunt, & victoriam intendunt, nec argui de Dialecticis dolis curant, modò illam adipiscantur. MCCL. *Nota id bene.* Propugnas talem aut talem assertionem, & Augustinum profiteris; ut te impugnem, assumo unam vel alteram propositionem Augustini, (assumo, inquam, illam simpliciter, & utrùm Augustini sit aut non sit, non insinuo) quam si contingat negari, exclamo dicens. *Doctrinam & verba formalia Augustini negasti!* Vix se poterit extricare Responsalis: maximè si incautè mihi positionem negavit, quam non negasset Augustino. Ratio est; quia reverentia postulat cautiùs examinari Patrum verba, quam aliorum; & sæpe continget negari aliquam propositionem, quæ concederetur, si sciretur esse tanti Doctoris: prodest igitur Argumentatori non nominare authorem, sed committere nudam propositionem Responsalis arbitrio; ut, si contingat negari, possit illum de irreverentiâ & contemptu incusare.

Impugnatio à ratione.

OMnes Sintheses curiosè perlegi necessarium est; multæ enim sunt probabilissimæ sententiæ, quæ componi non possunt. Ideòque argumentator benè examinet utrùm propugnandarum thesium sit necessaria connexio, aut incautè admissa oppositio; tunc enim argumentamur fortiter, quando ad hominem, hoc est, ex concessis. MCCLI. *Quæ thesis debeat impugnari?*

Si contradictionem non reperiat, eligat sibi aliquam assertionem, quam putet esse falsam: experientia enim nos docet, quòd fortiùs & vehementiùs illas impugnemus sententias, quas reprobamus; quàm illas, quibus assentimur. Ut igitur electam positionem benè impugnet, examinare oportet ex Sinthesium contextu, & ex Scholæ professione, quid ad singulas instantias possit Adversarius respõdere; illa enim, quæ ex tempore fiunt, raró plausibiliter fiunt: Facilius est impugnare Responsalem aliquam Scholam profitentem; quam illum, qui per universas liberâ electione divagatur. In Patrum Dominicanorum disputationibus scimus Thomistarum principia admissum iri,

adeòque

adeòque faciliùs contra adversarioa notos se poterit argumentatot præparare. Patres Franciscani Scoocæ doctrinæ innituntur; nec positionem negant, quæ sit Scoo indubitata. Reliqui hominum Ordines, tam sæculares, quàm regularea, liberiùs procedunt, & si lege publicâ coguntur unam vel alreram thesim defendere, in reliquis agunt pro ingenio, imò pro arbitrio. Patres Jesuitæ præter scientiam mediam, & quæ indè necessariò inferuntur, vix habent aliquam propositionem quam necessariò teneantur admittere. Cistercienses aliquas singulares Lorcæ defendimus, hoc tamen potius ex urbanitate, quàm ex obligatione. Argumentaturus igitur, ne Andabatarum more cæcus confligat, cæcus triumphetur, debet attentè examinare singulas instanoas suæ argumentationia; prudenter prævidere, quid respondeti possit; & robustè sese contra solutionem præparare. Me consule raro illas sententias impugnet, quæ multis viia solent defendi; contingit enim audiri inexspectatam solutionem, nec omnes possunt extempore illam intelligere, perpendere, impugnare.

MCCLII. INQUIRIS. *An oppugnare Argumentator queat Fidei Articulum, aut Positionem aliquam indubitatã?* Negat Augustinus Hunnæus *in Erotematum lege* 11. *pag.* 86. Ejus verba limitabo inferiùs, aut si restringi nolit, erravisse dicetur: teneo enim ipsos-met Articulos Fidei disputatione illustrari. Potest Argumentator certissimam nonnunquam veritatem oppetere; maximè, si prævideat malè illam defendendam esse: conongit enim frequeotissimè Theses illas maximas supponi, quarum si fundamenta Responsalis ignoret, triumphabitur ab Argumentante. Quid certius existentiâ Dei? Et tamen semel vidi acutum Responsalem sub doctissimo Præside ad tantas angustias reductum, ut non haberet quò se verteret. Sæpè id accidit in disputationibus Theologicis, adeòq; suadendum non est argumentaturo, ut semper abstineat ab impugnatione indubitatarum veritatum.

An impugnari possint Fidei Articuli.

An indubitata veritates.

MCCLIII. INQUIRIS ITARUM. *An præstet gravem aliquam difficultatem edisserendam assumere; an liceat etiam assumere levem Viro gravi?* Respõdeo me cognovisse Salmanticæ hominem fœlicissimi ingenij, qui hoc maximè nomine timebatur, quod non assumeret impugnandam aliquam Positionem controversam, sed semper urgeret aliquod verbulum inconsideranter adscriptum, ad cujus defensionem Respondens esset imparatus. Omnis profectò difficultas, si graviter & acutè tractatur, gravis est; & majore gloriâ dignus, qui in materiâ aliorum judicio sterili, suborientea graves difficultatea vidit, & nervosè proposuit.

Impugnatio ab authoritate.

MCCLIV. INterfui Antuerpiæ doctissimæ disputationi habitæ apud PP Minimos, in quâ Titius primo loco oppugnavit, qui non erat meo judicio doctissimus. Argumẽtator ab authoritate proposuit D. Augustini verba; exposuerunt. Addidit verba S. Hieronymi; illa etiam illustrarunt, & ad propriam sententiam retorserunt.

An liceat argumentatori multas simul congerere authoritates?

Et tunc se audiens, & sibi maximè confidens Argumentator, inclamare & repetere cœpit. *Benè, benè! Habebo vas.* (quis? quos? rideo) *Hac salutio vestra, esto S. Hieronymo satisfaciat, non poterit cooptari S. Ioannis Chrysostomi verbis, qui sic ait, &c.* dixit; & novum Chrysostomi testimonium proposuit. Claudebat latus meum Civitatis Proconsul, & testimoniorum numerum & ubertatem admiratus, dicebat, *Multos viros audivi, sed neminem, qui, in Patribus ita versatus sit. Mira res! Quocumque vergat Responsalis, semper in unum aut alterum Patrem impingit.* Respiciebam Proconsulem & quid homini nobili & sæculari dicerem, ignorabam: Argumentatorem, & ejus mirabar ignorantiam: Responsalem & Præsidem, qui mihi visi Jobo similes, & à patientiæ excellentiâ laudandi: orabamque Deũ, ut citò sonaret horologium, ut vel sic taceret Hominis insipientis audacia. Hanc ob rem, ne meus Argumentator cum Titio delirare præsumat, volo paucas lineas subscribere, quas debet observare ceu leges.

MCCLV. Ab anthoritate argumentaturus sibi eligat Patris necessariò admittendi, testimonium expressè Thesi cõtradicens, & illud proponat. Tunc bene attendat. Sic vel sic fore intelligendum respondebitur: ergo Argumentatoris erit, non jam probare novo testimonio Thesim esse falsam, sed illud primum testimonium malè ab Adversario interpretari. Quod ipsum colligere debet ex contextu, ostendendo datam expositionem præcedentibus & subsequentibus non cohærere: &, si Præses severus sit, nunquam poterit ad secundum testimonium recorrere.

Quo debeant modo testimonia explicari?

MCCLVI. Tu putas hæc nimis severè esse dicta, & tuo ingenio confidens existimas etiam me Præside posse testimonium primum secundo testimonio confirmari, aut probari: & ut meam pericliteris providentiam, sic inquis. *Thesim ego tuam, quæ asserit, Voluntatem non prædeterminari, oppugnavi testimonio Augustini. Illud exposuisti, & ad placita propria retorsisti: & Expositionem tuam esse malam, sic probo. Hieronymus (tali loco) docet voluntatem realiter & physicè prædeterminari: ergo expositio tua militat contra Hieronymum.* Et respondeo, jubendo transire Antecedens, & negando consequentiam; non enim Hieronymus militat pro ultimo negatâ propositione, quæ non est hæc, *Voluntas prædeterminatur*; sed hæc, *Augustinus citato loco tenet Voluntatem prædeterminari*, & hoc quod nego, non asserit illo loco Hieronymus.

Notetur bene iste parragraphus.

An dentur physica prædeterminationes?

MCCLVII Si assumeres. *At Hieronymus docet esse sententiam Augustini voluntatem prædeterminari*, nun urgeres. nam statim distinguerem his verbis. *Hieronymus docet sententiam Augustini verbis à te citatis expressam voluntatis prædeterminationem adstruere: nego. docet fuisse sententiam Augustini aliis fortè verbis expressam quæ fuerint retractata aut expuncta ab operibus ejusdem Doctoris; transeat. Quam ob rem, si illa fuit sententia Augustini, & tamen eamdem vel nunquam scripsit, aut scriptam posteà doctior expunxit, stat Augustinum pro nobis militare.* Ergo jam incideres in obligationem strictiorem & diffici-

difficiliorem, nimirùm probandi Hieronymum dicere Augustinum loco à te citato Voluntatis prædeterminationem adstruere: quod nunquam probaturus es.

MCCLVIII. Sed quid si id posses probare? Sanè neque tunc me cogeres secundum testimonium admittere, quoniam si prævideram talia verba Augustini talis determinati loci aliter intelligi à Hieronymo quàm à me, & tu diceres, *Hæc eadem verba, quæ citavit Hieronymus intelligit ut ego, non ut tu: ergo expositio tua est mala & contra mentem Augustini.* respunderem jubendo transire antecedens, & negando consequentiam; constat enim multas sententias Augustini ab Hieronymo, & Hieronymi ab Augustino obscuras judicatas, & non benè intellectas, dedisse occasionem illis controversiis, quæ inter ipsos acriter agitatæ.

An Hieronymo semper Augustinus consenserit? An semper fuerit, ut ille volebat, interpretatus.

MCCLIX. Fortiùs argumentateris si diceres, *Hæc eadem verba, Prosper Augustini discipulus, & qui non poterat Magistri sui mentem nescire, allegat ut prædeterminationes voluntatis evincat: Ergo sic debet intelligi locus citatus Augustini.* Sed non me urgeres. Transeat antecedens dicerem, & negarem consequentiam: quia hodie à Tridentino Concilio illuminati & Augustini testimonia componentes profundiùs quàm veteres Sanctum Doctorem intelligimus; & in specie scimus Prosperum in multis locis dubitare, & in multis Augustinum deserere, cùm maximè putat se sequi Augustinum.

An Prosper semper adsequatur Augustinum?

MCCLX. Solent aliqui Argumentatores unum testimonium proponere, & contra expositionem aliud ejusdem Patris adlegare. Et illis ego. *Primum testimonium est pro me ut demonstravi: & jubeo transire secundum; quia vel est certò pro me, vel certò contra me, vel est ambiguum. Si dicatur hoc ultimum debebis ex primo explicari, adeòque etiam pro nobis esse: si dicatur primum, habebo intentum: si tandem dicatur esse certò contra me illud secundum testimonium, non sequetur illud primum non esse certò pro me, sed Sanctum Patrem duas habuisse diversis temporibus sententias, è quibus liberum sit illam eligere, quæ sit rationi consentanea.* Si urgeas standum secundo hoc est, recentiori testimonio, nihil evinces; quia vel illud primo loco à te positum est antiquiùs vel non; si antiquius, necessario illi stabitur, ergo erit secundum superfluum: si illud primum antiquius non sit, triumphabo omninò: quia ultimum, quod negâram & probari debuerat, fuit, illo testimonio convinci meam sententiam esse contra Augustinum v.g. & jam potiùs probatur illo primo testimonio nihil evinci: adeòque jam mea opinio probatur. Sed neque recentiori testimonio necessariò est standum; non enim omnes omninò Retractationes D. Augustini placent: quam ob rem ubi Pater aliquis sententiam tractavit retractavitque, non est necessariò dicendus priùs errasse, & demùm veritatis scopum tetigisse; sed duas habuisse opiniones illasque tempori accommodasse; nam ut optimè notavit noster Lorca D. Hieronymus aliquas retractavit versiones, & Ecclesia ejus priores translationes admisit, correctiones rejecit: quod priùs punctum tetigerit, & posteà ubi nimis voluit videri subtilis, aberraverit.

Utrùm si Pater diversis temporibus habuerit opiniones diversas, stare posteriori debeamus?

An retractationes admitti debeant?

Porrò, si Argumentator sacris utatur testimoniis, majore indigebo advertentiâ ut respondeam, ponam tamen eum debere ultimò negatam positionem probare; quam si sacro testimonio inferat, illud tenebor admittere & exponere: at id rarissimè posse supponam; nam qui primò negavi *Prædeterminationes dari*; si illas probes verbis illis, *Dominus regit me, & nihil mihi deerit*, jam secundo non negabo *dari Prædeterminationes*, id enim jam jam præterit; sed negabo *illas à Davide Psalmi* 22. *versu primo adstrui*, & argumentatoris erit quærere sacræ Scripturæ testimonium, quo ostendat sic esse intelligendum versum citatum Psalmi. Sed ubi illud inveniet? MANET IGITUR Argumentatorem, cùm ab authoritate procedit, debere unum & idem testimonium urgere, nec posse per plura liberè divagari. MCCLXI.

Nota id.

Resolutio.

In materiâ morali speculativâ.

DIstinguam Moralitates in duas classes; aliàs enim earumdem essentias, & aliàs actuum humanorum malitiam & bonitatem examinamus. Consideratæ secundum suam quiditatem, dicantur *Speculativa*; consideratæ in ordine ad obligationes, *Practica*. Cùm agitur de Moralitatibus speculativis, fortissimè poterit illas impugnare Argumentator; rarò enim benè expenduntur in gymnasiis. Cùm agitur de materiâ, & forma Sacramentorum, de unitate corporis politici, aut de moralibus aliis entitatibus, videndum est utrùm aliquid admittatur moraliter, quod physicè non admitteretur: Est enim primum principium Ethices, *Oportet, ut de Physicis Physicè, ita & de moralibus moraliter philosophari*, hoc est, *Oportet agere de moralibus secundum fundamentum quod est in rebus*; aliàs enim moralitates omnes essent fictiones & chymeræ; nam, si non servaretur analogia, æquè posset dici aquam esse formam Baptismi, Ministrum materiam, ac dicitur, aquam esse materiam, verba formam. Quod si dicatur analogiam debere servari in aliquibus, non verò in omnibus, hæc responsio statim obtundetur; quia illa moralis formalitas, quæ non est analoga physicis, non habet fundamentum in re, ac propterea non erit moralitas, sed chymera. Stat igitur quòd nihil possit dici moraliter, quod analogicè nequeat physicè dici; quamobrem contra quamcumque moralem responsionem militat hæc instantia *Nulla entitas physica physicè habet talem denominationem; ergo nulla entitas moralis habet talem denominationem moraliter.* Videantur inferiùs aliqua argumenta moralia, in quibus analogia entis physici & moralis robustè defenditur & propugnatur. MCCLXII

Moralitas duplex speculativa, & practica.

Moralitates sunt realitatibus simillima.

In materiâ morali practicâ.

THeses practicæ vel actionem de peccato condemnant vel excusant, adeòque impugnaturus præscire debet Augustinianam peccati definitionem; culpa enim est aliquid dictum aut factum contrà legem legitimam, hoc est, MCCLXIII.

Quid sit peccatum?

Cõsuetudo est Virtualiter lex.

hnc est, obligatoriam; nam ut Apostolus ait. *Ubi non est lex, ibi nec prævaricatio.* Si igitur aliquid non esse peccatum asseratur, probare argumentator debet illud esse contra aliquam legem realem aut virtualem, hoc est, vel esse contrà legem, vel contrà consuetudinem, quæ habeat vim legis. Si è converso aliquid esse peccatum asseratur, debet hâc vel alia simili argumentatione adversarium urgere. *Si inurbanitas*, exempli gratiâ, *peccatum est, urbanitas præcepta est: Atqui nulla lex reperitur urbanitatem præcipiens: Ergo inurbanitas non est peccatum.* Negabitur necessariò minor, quam probabit discursu subsequenti. *Urbanitas non præcipitur à lege naturali, non à lege Dei positivâ, non à lege humanâ; ergo non est præcepta.* Videbit quò Responsalis obligationem hanc deducat, & procurabit ostendere non dari talem legem.

An inurbanitas sit peccatum.

MCCLXIV. *Quantâ curâ sunt moralia tractanda?*

Proderit legere protheorema Commentario in Reg. D. Benedicti præfixum, in quo condemno aliquorum summam facilitatem, in peccatis mortalibus aut venialibus adstruẽdis; nam quando de conscientiæ securitate agitur, non debet quis præcipitare sententiam, nec temerè dijudicare. Animas Christus sanguine preciosissimo emit, nec quispiam illas debet inclementer prodigere, ut suo sensu abundans, eò iniquior sit, quò desideret videri sanctior. Antequam aliqua actio leviter peccaminosa dicatur, debet evidenter constare esse contra legem quæ evidenter sit obligatoria moraliter; ubi enim subrepit aliqua probabilitas, nemo potest reus argui: quoniam ad non peccandum sufficit mera probabilitas.

Probabilitas excusat à peccato.

DE RESPONDENTE.

MCCLXV. IN gymnasio prologus disputationi præmittitur; juxta Academiæ morem aut ab arguente aut à propugnante: quo absoluto incipit Argumentator sic. *Contra illam partem in qua (Eximie & sapientissime Domine Præses, Eximij Domini Doctores, &c.) defenditur, Deum esse incorporeũ, sic arguo. Deus continet omnes creaturarum perfectiones; atqui habere corpus est perfectio: ergo Deus est corporeus, &c.*

Modus respondendi.

Mox Responsalis præmittens *Argumentatur sic Dominus N.* totum argumentum repetat; & posteà repetat secundò majorem; quam si negaverit non progreditur ulterius: arguentis enim erit illam probare. Si majorem concesserit, minorem etiam repetat, sileat si negaverit; sed progrediatur si concesserit & iterùm consequentiam examinet, quæ si sit positio priùs negata, iterum illam neget.

Si negata infertur legitimè ab argumentante (hoc est syllogismo Platonico aut Aristotelico) caveat sibi sustentans ne concessis præmissis neget illatam consequentiam, cogetur enim miserrimè concedere duas contradictorias.

Petis, *Utra præmissa negari debeat, cùm syllogismus est legitimus?* Si alteram cognoscas esse veram, condemna ignotam ante examen, quia debet esse falsa: falsum enim ex veris sequi impossibile est.

MCCLXVI. Petis Secundò. *Liceatne aliquando negare propositiones veras?* Respondeo, non licere fidei Orthodoxæ articulos, aut per se nota axiomata, Cæterùm quæcumque assertio, quæ cum impressis Thesibus non habeat necessariam connexionem, liberrimè negari poterit: imò negabitur prudentiùs *Primò* si conjeceris illam ab argumentatore supponi: *Secundò* si vel urbanitas, vel timor te cogat ut alteram licet falsam concedas. Negandam suadeo propositionem, aliàs veram, quæ videtur ab argumentatore supponi: illa enim quæ concedenda supponuntur, nunquam benè probantur. Ille, cui negatur assertio quam concedendam supponebat, novitate percellitur, inopinatâ negatione turbatur, & argumentaturus ex tempore vix invenit unam consequentiam, aut alteram quæ mereatur solutionem. Viros maximos reduci ad ultimas angustias vidimus, assumptis, quæ putarunt concedenda, negatis. *Præter* istos duos casus nullus dabitur in quo negare veram propositionem liceat; & cum hac limitatione intelligo Augustinum Hunnæum in Erotematibus lege II. dicentem, *nec quod manifestè verum est, temerè oppugnandum, nec quod apertè falsum est, pertinaciter defendendum*: dedi enim casus, in quibus vera negentur prudentissimè; & casus, in quibus eadem prudentissimè oppugnari possint; præter quos standum est docti sententiæ Quintiliani asserentis, *culpam, præsertim convictum, pertinaciter tueri, culpam esse alteram.* Et haud dubiè errorem errori accumulat, quisquis manifestum errorem non confitetur. nam uno absurdo cõcesso, errores accidunt complures, ut in Physicis frequenter inculcat Aristot. Satius itaque est, errore lapsum palinodiam statim canere, quàm falsum obstinatè & imprudenter defendendo ex uno in alios permultos gravissimosque prolabi errores.

Quæ debeant positiones negari?

MCCLXVII. *De particulis reduplicantib. &c.*

Petis iterum. *Quid judicem de propositionibus causalibus, & reduplicativis? doceri vis, qui & quomodo negari possint?* Respondeo non debere tales negari nec concedi, sed tantùm modum; nisi clarius sit mero meridie eum concedendum esse. Dixerat argumentator. *Petrus quà homo est risibilis*, & respondet sustentans, *Nego illud Quà* Hoc est, Concedo quidem Petrum esse risibilem, nego autem talem esse quà hominem. Si ponatur particula *maximè*, ut cùm dicitur, *Si paries esset disgregativus visûs maximè quia albus*; negetur semper illud *maximè quia albus*; addatur alia ratio quæ non sit major positâ, sed ex quâ & positâ resultet alia quæ alterutrâ seorsim sumptâ sit nobilior & major, ut in exemplo posito dico parietem non esse disgregativum visûs potissimum quia est albus, sed quia albus & lucidus est; sicut enim deficiente luce actuali actualiter non disgregat, sic etiam non posset disgregativus asseri si existentia lucis repugnaret. [Vide Mon. 2. datum superiùs.]

Si aliqua argumentationis assertio dubia sit aut æquivoca, necessariò distinguenda est. Viderit argumentator quo sensu illam protulerit. Si in sensu à se intento concedatur, assumat tanquam principium per se notum: si negetur, eam probet.

Dubium I.

MCCLXVIII. *De modo loquendi.* PEtis, An debeat dici *distinguo consequens*; an verò *distinguo consequentiam*?

Respondeo, nunquam consequentiam distingui; quia consequentiæ nomine non intelligimus ipsam propositionem illatam, quæ vocatur consequens; sed ipsam illationem, quâ infertur. At illatio ipsa, ut per se patet, distingui non potest.

Dubium II.

MCCLXIX. SCire desideras, quid sibi velit ea distinctio, quâ utimur, cùm dicimus, *concedo consequens & nego consequentiam*?

Respondeo esse aliquos Argumentatores, qui Andabatarum more ex concessis inferunt disparata; & solent aut interpellare Respondentem, aut ex Thesium materiâ extrahere, ad alias diversas & forsitan invisas compellendo. Contra hos utimur istâ cautelâ. Dixeras, *Omnem hominem esse risibilem*; infert Argumentator; *Ergo Sara audiens Angeli verba subrisit, non irrisit.* Concede vel condona consequens, & nega consequentiam. Hoc est, Affirma consequens, verum aut falsum illud sit, ex positis præmissis non inferri.

Dubium III.

MCCLXX *De consequentis distinctione.* PEtis Iterum, *Quando debet distingui consequens?* Nunquam sanè, si forma sit legitima, & utramque præmissam absolutè concesseris. Quia cùm ex veris falsa sequi non possint, illud quod in consequentiâ negatur, debuerat etiam in præmissis negari; aut si in his concedere libuit, etiam in consequentiâ illud concedere opus erit. Verbi gratiâ, detur is syllogismus.

Aliquis aries est constellatio;
Nulla constellatio est animal;
Ergo aliquis aries non est animal.

Si concessâ utrâque præmissâ distinguas consequens, dicendo; verum quidem esse, aliquem arietem cœlestem non esse animal; falsum, aliquem terrestrem non esse: instabo statim, formam esse legitimam, præmissas absolutè veras, ideòque debere conclusionem absolutè concedi: quia ex absolutè veris inferri non potest propositio, quæ sit partim vera & partim falsa.

Me igitur duce responde distinguendo majorem. Aliquem arietem cœlestem esse constellationem, concede; terrestrem, constellationem esse, nega. Minorem suppositam concede. Et distingue consequens. Aliquem terrestrem arietem esse animal concede; nega aliquem cœlestem illud esse.

De præmissorum distinctione. Quando major & minor distinguuntur, sæpè debebit consequentia absolutè negari, nunquam poterit absolutè concedi: sint loco regularum exempla.

Hæc constellatio est aries;
Omnis aries vivit & sentit:
Ergo hæc constellatio vivit & sentit.

Distingui debent præmissæ; & consequentia non debet distingui sed negari: quia sive præmissæ de ariete terrestri, sive de cœlesti agant, consequentiam non inferent. Resumamus illas de terrestri.

Hæc constellatio est aries terrestris;
Omnis aries terrestris vivit & sentit:
Ergo hæc constellatio vivit & sentit.

Consequentia est falsa; quia tametsi minor vera sit, major est falsa. Resumamus secundò eumdem syllogismum alio membro distinctionis expositum.

Hæc constellatio est aries cœlestis;
Omnis aries cœlestis vivit & sentit:
Ergo hæc constellatio vivit & sentit.

Iterum est falsa consequentia; quia tametsi major vera sit, minor est falsa.

Dabo breves, sed faciles & omnino retinendas regulas.

MCCLXXI. Prima. *Quotiescumque altera præmissa conceditur, & altera distinguitur, debet consequens eadem distinctione distingui, & concedi aut negari eo sensu, quo præmissa distincta fuit, concessa aut negata.* Verbi causâ.

Omnis homo est albus;
Omne album est disgregativum visus:
Ergo omnis homo est disgregativus visus.

Distinguitur major, de Scytâ conceditur, de Æthiope negatur: conceditur minor: & distinguitur consequens eodem modo, quo major, conceditur de Scyta, & negatur de Æthiope.

MCCLXXII. Secunda. *Cùm altera præmissa distinguitur, & altera negatur. Consequens debet contradistingui: hoc est, distingui, & in sensu priùs concesso negari.* Dabo exemplum.

Omne animal est homo;
Omnis homo est equus:
Ergo omne animal est equus.

Major distinguitur. Conceditur, omne animal rationale esse hominem; omne animal irrationale esse hominem, negatur. Negatur minor. Contradistinguitur consequens, hoc est, in sensu priùs concesso negatur, negamus enim omne animal rationale esse equum; omne verò animal irrationale esse equum, subdistinguimus; si hinnibile sit, conceditur, aliàs negatur.

MCCLXXIII. Tertia. *Cùm medium in utrâque præmissâ condistinguitur* (hoc est distinguitur eadem distinctione, & conceditur eodem sensu) *consequentia solet absolutè concedi.* Ut videre est in syllogismo subsequente.

Omnis homo est animal;
Omne animal est admirativum:
Ergo omnis homo est admirativus.

Distinguitur major; conceditur, omnem hominem esse animal rationale; negatur, esse irrationale. Condistinguitur minor, conceditur enim omne animal rationale esse admirativum, negatur esse admirativum competere irrationali: & conceditur consequentia, quia legitimè ex utrisque præmissis infertur: nam considerando sensum, in quo positiones admittuntur, hæc consequentia est bona.

Omnis homo est animal rationale;
Omne animal rationale est admirativum:
Ergo omnis homo est admirativus.

Et con-

Et considerando sensum in quo eædem præmissæ negabantur, etiam consequentia legitimè inferetur; totum texamus syllogismum, & varietatem hanc periclitabimur.

Omnis homo est animal irrationale;
Omne animal irrationale est admirativum:
Ergo omnis homo est admirativus,

Est necessaria consequentia, nata tamen ex præmissis, quæ negari debuerunt.

MCC LXXIV. *De contradistinctione.* QUARTA. *Quando præmissa contra distinguuntur, consequentia est neganda necessariò* Ratio est; Quia in sensu in quo major conceditur, minor est falsa, & è converso. Verbi causâ;

Omnis equus hinnit;
Epæus est equus:
Ergo Epæus hinnit.

Si enim agatur de equo animante, major est vera, minor falsa, ideòque falsa consequentia: si de machinâ bellicâ, qualis fuit equus ille Troïanus, major est falsa, minor vera, ac propterea consequentia etiam falsa. Igitur distinguenda est major, de equo animante conceditur, de machinâ bellicâ negatur; contra distinguitur minor negando epæum esse equum animantem, cōcedendo esse equum bellicum, seu machinam similem arieti: & tandem negatur consequentia.

MCC LXXV. *De subdistinctione.* QUINTA. *Quando distinctâ majore subdistinguitur minor* (hoc est, *aliâ distinctione distinguitur*) *solet consequens non solùm distingui, sed etiam subdistingui.* Considera sequentem syllogismum.

Omne quod Deo adscribitur est perfectio;
Scientia adscribitur Deo:
Ergo scientia est perfectio.

Respondebis distinguendo majorem: omne quod Deo adscribitur esse perfectionem simpliciter simplicem, concèdes; non-simpliciter simplicem, subdistingues; non simpliciter simplicem adscribi Deo sublatis imperfectionibus, concedes; non sublatis, negabis. Subdistingues minorem, concedendo scientiam infinitam attribui Deo, negando attribui Deo finitam. Et ad consequentiam deveniens distingues illatam assertionem, si agatur de scientiâ finitâ, negabis esse perfectionem simpliciter simplicem, concedes esse simpliciter non simplicem; si de scientiâ infinitâ, eam esse perfectionem simpliciter simplicem concedes, esse perfectionem non simpliciter simplicem negabis.

MCC LXXVI. *An debeamus non uti distinctionibus?* Sanè distinctionibus frequenter uti pulchrum est: non tamen omnes possunt assertiones distinguere, sed illi unicè qui futuras prævident difficultates. Si sustentans bene distinguit, infeliciter argumentabitur quicumque Doctor, quia argumenta sæpiusculè primæ subcumbunt distinctioni. Verbi causa. Sit Thesis: *Non datur in Deo intellectus per modum actus primi ratione distincti à secundo.* Hanc impugnas sic. [*Omnes humanæ perfectiones reperiuntur in Deo: atqui habere intellectum per modum actus primi est humana perfectio: ergo hæc perfectio debet concedi Deo.*] Respondet sustentans concedendo majorem & minorem distinguendo. *An in Deo sint actus primi & intelligendi & volendi?* Habere intellectum per modum actûs primi, ait, est perfectio, simpliciter simplex, negat; simpliciter non simplex: concedit: & negat consequentiam. Instas [*Intellectus per modum actus primi est perfectio simpliciter non simplex: atqui hujusmodi perfectiones debent concedi Deo sublatis imperfectionibus: ergo & intellectus per modum actus primi.*] Sustentans respondet iterum concedendo majorem & minorem, & negando consequentiam, quia si ab intellectu per modum actûs primi imperfectiones auferas, auferes rationem actûs primi & incompleti, & remanebit intellectus per modum actûs completi & purissimi. Cæterùm hæc disputatio, quæ profluxit doctissimè, doctiùs fuisset in conceptione suffocata, si sustentans illam propositionem, *Omnes humanæ perfectiones reperiuntur in Deo*, distinxisset sic. Reperiuntur omnes simpliciter simplices: concedo, non simpliciter - simplices; subdistinguo, reperiuntur in Deo cum suis imperfectionibus nego. Reperiuntur in Deo sublatis imperfectionibus, iterùm subdistinguo, reperiuntur in Deo sublatis imperfectionibus & non positis perfectionibus oppositis: nego. sublatis imperfectionibus & positis perfectionibus oppositis: concedo. Contemplare igitur responsionem hujusmodi, & vide an sit possibilis aliqua Theseos oppugnatio cui non sit abundè satisfactum. Unde si oblatrent, similes distinctiones esse malas; hoc ipsum concede. malæ quidem sunt, sed solummodò argumentatori, cujus syllogismi nondum prolati dissolvuntur.

DE PRÆSIDE.

MCC LXXVII. *Officium Præsidis.* PRoderit nonnulla subjungere doctrinæ penitioris gratiâ. Responsalis Præsidem sequi non debet, sed præire; ille debet hunc sequi, nūquam deserere, semper adjuvare, exponere, protegere: ita ut Respondens & Præses non duæ sed una persona videantur.

Præsidis interest quod Responsurus ter quaterve privatim easdem Theses defendat, quas publicè decrevit propugnare. Melius instruetur argumentorum pondere, quam doctrinæ excellentiâ.

Cum privatim conclusiones defenduntur licet Præsidi suum Responsalem admonere, corrigere, corripere, & instruere, ne in publicâ disputatione oberret. *Cæterùm* in Academico gymnasio jam non est Præsidis docere sed tacere. Immittat disputationi habenas, & quidquid sustentans probabiliter dicat, commendet. Si sustentans hæreat in aliquâ propositione, eum verbulo instituat, & quasi laudans admoneat. Si accidat assertionem fidei aut dogma per se notum negari, ne turbetur, ne revocet intempestivè. Tres vel quatuor periodos interponat, & eadem verba, quæ secundum se admitti non poterant, aliquibus additis perstringat, & ad sensum probabilem restituens asserat illa, & quidem optimè esse dicta à suo Responsali. Argumentatoris, si is inurbanus sit, exorbitantias & scommata authoritativè & modestè cohibeat, & vix pauca loquatur citra formam dialecticam.

Modus excusandi. Hic modus defendendi errantem, cùm erro. res non possimus, non solùm Præsidi sed optimis amicis consulendus est. Optimè illum percallebat Suessionensis Archiepiscopus; qui, si Petro Abaylardo credimus, aut linguæ lapsum, aut mentis ignorantiam non tam excusavit, quã negavit, verba verè hæretica ad Catholicum sensum reducendo. *An in Deo sint tres omnipotentes.* Accusabatur à Suessionensi Synodo Abaylardus, quod Omnipotentiam Patri attribueret, & reliquis personis negaret. Legatus admirabundus dicitur respondisse, *Hoc ne de puero quidem credi debere, cum communis fides teneat & profiteatur tres esse omnipotentes.* Audiens verborum insolentiam Terricus Scholarum Magister subintulit illud Athanasij, *Et tamen non tres Omnipotentes, sed unus Omnipotens.* Quid tunc Archiepiscopus diceret Legati amicus, & publicæ authoritatis studiosus? Legatum corrigi non expediebat, verba ejus defendi non poterant; prudenter igitur verbis prout oportebat commutatis sententiam Legati confirmavit his verbis; *Revera Domine Terrice*, inquit, *Omnipotens Pater, Omnipotens filius, Omnipotens Spiritus Sãctus: hoc negari ab Abaylardo credendũ non est, cum & pueri sciant, quod cõmunis fides teneat & profiteatur omnes tres personas Omnipotentes esse. Et qui ab hoc dissentit, apertè devius est, nec est audiendus. Et modo si placet, bonum est, ut frater ille* (Petrus Abaylardus) *fidem suam coram omnibus exponat; &c.* Quæ historia, vera ipsa sit aut non, instruit nos, quî debeamus errantes amicos defendere, ne confundamus illos, aut errores illorum defendamus [Lege interim Epistolam primam Abaylardi, in quâ hæc historia recensetur.]

DISPUTATIO II.

De Argumentis ab Authoritate.

MCC LXXVIII. *Duo impugnandi modi.* POsitiones in palæstrâ scholasticâ bifariam impugnantur; nempè à ratione, & ab authoritate. Si impetaris rationibus, utere antecedentibus institutionibus: si testimoniis, me consule cautè procedas. Exacerbantur Auditores, cùm Authores parvi fieri vident, quos ipsi colunt, suspiciunt, admirantur: ergo non dicêris bene tuas positiones propugnasse, qui displicuisti, licèt pulchra dixeris, & robustè firmaveris. Regulas sequentes observa.

§. 1. *De testimoniis indubitatæ authoritatis.*

MCC LXXIX. TAlia dicuntur, quæ explodi non possunt: cęterùm in duplici sunt differẽtiâ: alia enim sunt admittenda simpliciter, alia ex suppositione. Prioris generis sunt periodi sacræ paginæ, fidei dogmata, & definitiones Conciliorum: secundi, conclusiones & assertiones Authoris, cujus mentem defendimus, ex hypothesi enim, quòd defendamus Theses ad mentem subtilissimi Scoti, licebit ejus verba exponere, non verò explodere.

MCC LXXX. *Observatio.* *Primò* igitur objecta verba meditare, an dicantur ab ipso Authore qui citatur, an is illa referat ut dicta ab aliis. Verbi gratiâ. Impeteris ab Atheo Poëtæ Regis authoritate desumptâ ex psalmo 13.1. Sunt verba David *Non est Deus:* sunt tua *Est Deus*; ergo contradicis Davidi. *Respondebis* negando majorem, non enim David asseruit Deum non esse, sed hoc impium asserere; sunt enim Psalmographi verba *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus.*

Expositiones & Distinctiones. Hæc animadversio est etiam necessaria ut respondeas testimoniis sanctorum Patrum, qui sæpè aliorum opiniones recensent, sæpè argumentantur ex concessis, assumentes non quæ vera judicant, sed quæ ab aliis certa esse affirmantur; sæpè contra se objiciunt rationes, quibus posteà robustè satisfaciunt: quapropter his terminis indiges ut te explices ab aliorum insidiis, nempè, *interrogativè, tantùm, narrativè, ad hominem, objectivè, causaliter, concomitanter, & assertivè* quorum usum dabunt instantiæ subsequentes.

MCC LXXXI. *Prima.* Primus terminus erat, *interrogativè*, & proderit huic argumento. Asseris purum hominem non posse Mundũ redemisse: impugnaris ab aliquo dicente, *redemit mundũ, qui crucifixus est pro nobis: atqui his fuit purus homo: ergo*: Minorem probat; *D. Paulus crucifixus est pro nobis; ipse erat purus homo: ergo purus homo crucifixus est pro nobis.* Majorẽ negas & probat authoritate ejusdem Divi Pauli qui primæ ad Corinthios secundo (vers. 13.) ait *Paulus crucifixus est pro vobis.* quid clarius? Respõde tamen Paulũ in loco illo non fuisse loquutũ assertivè, sed interrogativè, quia contextus est, *Divisus est Christus? Nunquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut nomine Pauli baptizati estis?* ex quo evidẽter colligitur eum fuisse in contrariâ sententiâ.

MCC LXXXII. *Secunda.* Secundus erat, *tantùm*, & erit necessarius frequentissimè. Defendis non reperiri contradictiones in sacris Scripturis, & objicitur caput secundum & tertium ejusdem epistolæ ad Corinthios, quia cùm in secundo dixisset Paulus venisse Corint. & egisse cum incolis, quasi sui oblitus tertio capite prorupit in hæc verba, *Et ego, fratres, non potui vobis loqui.* ex quibus videtur inferri aperta contradictio. Respondeas admittendo omnia quæ præmittuntur; ad illud *Prorupit in hæc verba*, responde destinguendo, Prorupit in hæc tantùm: nega: in hæc & sequentia: concede. Verba enim Apostoli sunt hæc, *Et ego, fratres; non potui vobis loqui quasi spiritualibus, sed quasi carnalibus.* Quæ non contradicunt prioribus, sed omnia quæ dixerat, confirmant: non enim negat Paulus se loquutũ fuisse Corinthiis, sed se loquutum fuisse iis quasi spiritualibus; cùm autem non dixerit in alio capite se loquutum fuisse illis quasi spiritualibus, non potest esse contradictio.

MCC LXXXIII. *Tertia.* Terminus tertius fuit *narrativè*, & ejus usum probarunt illa testimonia suprapostita ex Joanne & Psalmo. David enim dixit *Non est Deus*,

nun

non quidem assertivè; sed verba impij & athei referendo. Similiter Christi Historiographus *Peccatores Deus non audit*, dixit; non tamen asserendo, sed narrando, non enim hoc ipse asserit, sed dicit Cæcum hoc asseruisse.

MCC LXXXIV. *Quarta.* Quartus terminus erat *ad hominem*, & ut eo utamur, debemus scire sæpè Patres egisse ex concessis, & ad hominem hæreticos triumphasse. Vis hujus argumentationis, licèt reperiatur in aliis argumentandi modis, in dilemmate frequentior est; ponuntur enim duo contradictoria & argumentator utrumque non credit. Dicit Arianus Principium esse nobilius principiato, ideòque filium esse ignobiliorem Patre; addit Spiritum Sanctum esse etiam ignobiliorem Verbo: subjungit eum aliis Græcis, illum à Verbo non procedere. Quid si Sanctus Augustinus Verbi & Spiritûs Sancti æqualitatem probasset sic; *Ideò Filius est minor Patre quia procedit, non esset illo minor si non procederet; atqui Spiritus Sanctus non procedit à Verbo, ergo non est minor Verbo?* Dicendus esset August. asseruisse aut Filium esse minorem Patre, aut Spiritum Sanctum non procedere à Filio? minimè, sed deberet dici assumpsisse ad hominem illas propositiones ab aliis jam concessas, ut aliam expugnaret.

MCC LXXXV. *Quinta.* Quintus communior est, & clarior. S. Thomas in singulis articulis præmittit sententiam contrariam, & eam probat ex principiis, quæ posteà negat. Quid si quis assumat inde aliquam periodum ut te impugnet? Respondebis, illam esse dictam à Doctore Angelico, non quidem asserendo sed objiciendo, eumq; eandem propositionem in responsione negare, ac ideò te illam similiter negare, ne discedas à D. Thomâ.

Hoc respondendi modo sæpè utitur ipse S. Doctor; dabo unum testimonium, ut illo meliùs dirigamur. De veritate, quæst. 24. quæ est de libero arbitrio, cùm deberet satisfacere Argumentatori, qui Anselmi testimonium urgebat, sic inquit; *Ad octavum dicendum* (est) *quod Anselmus in verbis illis loquitur quasi objiciendo; ipse enim post modum ostendit, quod indigentia gratiæ libero arbitrio non contradicit.*

MCC LXXXVI. *Oportet lectores festinos non esse.* Sæpissimè scriptores incauti dum festinantes libros legunt, sententias, quæ impugnantur, ipsis impugnatoribus attribuunt. Sic multos errores fuisse exceptos ex Petri Abaylardi scriptis Ambœsius conqueritur in Apologeticâ Præfatione, quam operibus Abaylardi præmisit. *Nihil est*, inquit, *quod malè narrando haud possit depravari, & sæpe accidit ut si doctor aliquis quæstionem aliquam problematicè & in utramque partem tractarit, malè feriatus sciolus rationes dubitandi sumat pro rationibus decidendi: quod sæpe contigisse vidimus, & nuper ad Fontis-bellandi castrum in dissertatione coram rege, & celeberrimo Franciæ procerum conventu. Quis enim poterit non videre, aut potius, stomachari, si in summa Theologia Angelici illius Thomæ Aquinatis quæst. 3. art. 1. Hæc legerit [Utrum Deus sit corpus: videtur quod sit. Corpus enim est quod habet trinam dimensionem. Sed sacra scriptura eam attribuit Deo: dicitur enim Iob. 11. excelsior cœlo est, profundior inferno, ergo Deus est corpus:] Si quis ista nobis obtruderet tanquam Thomæ doctrinam, nonne cœlum, terra, & mare, cœlo miscerentur? cum conclusio ejusdem doctoris, quam impostor reticere voluerit, ex diametro pugnet. Est enim talis [Cum Deus sit primum movens, num etiam, ac primum ens, & omnium nobilissimum, impossibile est corpus esse. Ad primum ergo dicendum est, quòd sacra scriptura tradit nobis spiritualia & divina, sub similitudinibus corporalium, &c.*

MCC LXXXVII. *An debeat testimonia distinguere?* Errat Responsalis qui argumentum ab authoritate propositum repetit sic. *Argumentatur Dominus N. testimonio Christi dicentis, &c. & distinguo testimonium.* Errat quidem, quia verba Canonica, (imò & Authorum quos admittimus) distinguenda non sunt. Quia verba Christi in nullo sensu sunt falsa; & si illa verba, quæ nomine Christi recensentur in aliquo sensu falsa sint, in eodem sensu Christi esse non possunt. Repetat ergo Responsalis argumentis ratiocinium sic. *Contra illam partem in quâ defendimus Iudæos non habuisse ignorantiam invincibilem sed peccasse crucifigendo Christum Dominum argumentatur Dominus N. testimonio ipsius Christi dicentis, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Admitto testimonium & explico. Dixit Christus, Pater ignosce illis, quia nesciunt invincibiliter, quid faciunt; nego: dixit ignosce illis quia nesciunt (sub intelligo, vincibiliter) quid faciunt; concedo.*

Errat etiam, qui verba Christi (aut alicujus Doctoris) negat esse vera, quia videntur asseri esse quidem Christi Domini, sed falsa. Debet ergo negare esse verba Christi & repetere argumentum sic: *Arguit Dominus N. testimonio Christi Dicentis, &c. & nego Christum dixisse hoc.* Id potest Responsalis dicere, cùm certò scit illa verba, quæ præponuntur esse ficta, quia aliàs remaneret confusus; argumentatoris enim interest in tali casu, non quidem probare aliquid contra quæstionem principalem, non jam ostendere verba Christi propositæq; Thesi contradicere, sed solùm demonstrare illa verba formalia, prout fuerunt prolata, esse Christi, & si hoc semel ostendit, victor; sin verò, mendax est judicandus.

§. 2. *De Authoribus, quorum verba tueri recusamus.*

MCC LXXXVIII. Est tam facilè omnes propositiones nudè sumptas reducere ad sensum contrarium, ut videatur inutile aliquod testimonium explodere. Cæterum quia pauci pollent ingenio sufficienti ut omnes periodos retorqueant, & pietate ut omnes Doctores defendant, docendi sunt qui possunt urbanè se excusare, & testimonia Doctorum salvâ eorum authoritate non exponere.

Aliud est authoritatem rejicere, & aliud se urbanè excusare. Nunquam dicendum est Hieronymum, Ambrosium, Augustinum vel alium Doctorem erravisse; dici tamen potest fuisse talis opinionis, cujus probabilitatem nec vultis probare aut reprobare. Hoc modo meus Bernardus *libello de præcepto & dispens. cap.* 21. respondit objectioni à duobus Carnotensibus Monachis propositæ, & testimoniis Gregorij & Augustini cõfirmatæ.

Postulatis, ait, *absolvi vobis, cur Beatum Gregorium nescio quem Venantium, habitum monachalem quem piè susceperat, impieque rejecerat, non solùm resumere non coegit sed etiam omnem legitur indulsisse communionem Apostatæ perduranti: vel Sanctus Augustinus conjugii legi votum quodammodo subjiciat continentia ita ut in libro de Virginitate asserere videatur, nec cœlibis quidem vitæ propositum copulæ posse præscribere conjugali quominus indissolubile maneat etiam quod à continentibus fallente diabolo fracto sanctitatis voto initum fuerat matrimonium.* Ut igitur satisfaciat quæsito subjunxit; *Ad hæc nihil ad præsens certius, breviusque respondendum occurrit, nisi quod ita Sancti Antistites sapuerunt; rectè-ne, ipsi viderint.* Ne autem aliquis eum aut Patres contemnere, aut temerè non admittere somniaret, addidit. *Ego in sensibus actibusque Illustrium Patrum cautus profectò sum omninò non aliud æstimare quàm quod Beato Apostolo teste; quæritur jam inter dispensatores, ut videlicet fidelis quis inveniatur. Certus sum enim, sive in suo abundaverint sensu, sive in Dei spiritu, sicut & in cæteris, ita & in his ambos exstitisse fideles; illum in dispensando quod præ manibus erat, istum in scribendo quod senserat.* Hunc respondendi modum didicit meus Bernardus à Doctore Africano, qui epist. 19. alloquens Hieronymum, sic ait; *nec te, mi frater sentire aliquid aliter existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apostolorum; de quorum scriptis quòd omni errore careant, dubitare nefarium est.*

MCCLXXXIX. Ecce meus Bernardus, admittit authores, sententias verò non examinat, & pro suâ pietate non vult de ipsarum probabilitate aut improbabilitate judicare. Hoc debuit fieri quia erat materia valdè exotica, & opinio quæ patribus attribuebatur valdè dura. Cùm autem materia est in partem utramque disputabilis, suaviùs adhuc poteris Patrum testimonia non exponere, nec pro te retorquere, asserendo eos subscripsisse contrariæ opinioni non quidem ut certæ, sed solum ut probabili; ac proptereà implicitè asseruisse tuam etiam opinionem esse probabilem; quam tu, non quidem ut certam & evidentem, sed ut purè probabilem defendis. Pono exemplum; Dicebas verbi gratiâ, *debere negari scientiam mediam.* Aggreditur te Antonius armatus testimonio Augustini contrarium asserentis. Respondebis *Admitto Augustini testimonium prout jacet, nihil enim nobis contrarium sanctus Doctor asseruit: ipse enim non dicit esse improbabilem sententiam quæ scientiam mediam negat; ergo quando asserimus nostram sententiam esse probabilem, nihil dicimus contra Augustinum.* Si instet; *Probabiliorem esse Augustini sententiam*, tu Antonio, *Hoc nec asserimus, nec negavimus; sed simpliciter diximus nostram opinionem esse probabilem: datur igitur Augustini periodus quæ propugnatam sententiam appellet improbabilem, & tunc contradicet nobis Augustinus.*

Quando una opinio est probabilis etiam opposita est probabilis.

MCCXC. Hæc solutio fundatur in mentis naturalis ingenio. O utinam sufficeret ad probabilitatem opinionis habere Ducem aliquem Doctorem Ecclesiæ! sed quidquid sit de probabilitate, nulla sententia ex eo solùm quod contra aliquem Patrem sit, improbabilis dicenda est. Cajetanus in princ. comment. in Genes. *Si quando occurrit*, ait, *novus sensus textui consonus, quàmvis à torrente sacrorum Doctorum alienus, æquum se præbeat Lector censorem.* Et inferiùs, *Nullus detestetur novum sacræ Scripturæ sensum quòd dissonet à priscis Doctoribus, nec enim alligavit Deus expositionem Scripturarum sacrarum priscorum Doctorum sensibus, sed Scripturæ ipsi integræ sub Catholica Ecclesiæ censurâ: alioqui spes nobis & posteris tolleretur exponendi Scripturam sacram, nisi transferendo, ut ajunt, de libro in quinternium.*

Sanè, ut defendamus Hieronymi, Augustini, Bernardi, aut Thomæ sententias topicas & probabiles, cogi non possumus; cùm materia nec fidem nec mores violat possumus in sensu proprio abundare eòam invito antagonistâ. Cur defendent Divum Thomam Scotici, quem & ipsi Thomistæ impunè deserunt, ut quærant veritatem. Et quidem non Thomistæ solùm suum Doctorem, sed & ipse D. Thomas se deserit sciens & volens; 3. p. quæst. 63. art. 3. sic ait. *Quod & aliquando mihi visum est; sed diligentiùs consideranti apparet hoc etiam non esse verum; quia, &c.* Esset valdè prolixum recensere sententias, quæ contra Angelicum Doctorem defenduntur in Lyceo Thomistarum: interim quia non hæ sine eo defenduntur, proferam unum vel alterum qui liberiùs vestigiis Angelici Doctoris insistunt. Mag. Alfonsus de Mendoza in præfatione ad quæstiones quodlibeticas profitetur Angelici Doctoris doctrinam, ait tamen, *illi non ita inhærebo, ut si quando radius veritatis affulgeat aliunde, non debeam post eam liberè & expeditè currere.* Sapientissimum virum Victoriam recenset Magister Canus. 12. *de locis.* verum Thomistam, sed qui majorem gloriam consequutus est quoties deseruit D. Thomam. Imò & ipse Canus *lib. 7. de Sanctorum authoritate* hæc inquit; *Revera sequi majores nostros per omnia & in illorum vestigiis nos quoque pedes nostros figere, ut pueri faciunt per lusum, nihil videtur esse aliud quàm ingenia nostra damnare, judicio nos privare nostro, & facultate inquirendæ veritatis. Sequamur veteres, benè habet, sed ut duces, non ut dominos: non enim fidei nostræ dominaturi sunt, neque illis debebimus esse addicti & mancipati ut in sacris literis exponendis nullum habeamus arbitrium.* Fortè legerat Canus Platonem qui *dialog. 7. de Republicâ*, asserit *Nullam disciplinam cum servitute liberum hominem discere convenire.* Cui adsonat Seneca, qui *Epist.* 33. carpit eos qui in verba aliorum conjurarunt. *Omnes istos*, ait, *nunquàm authores, semper interpretes, sub alienâ umbrâ latentes, nihil puto habere generosi.* Et posteà. *Qui alium sequitur, nihil sequitur, nihil invenit, imò nec quærit. Quousque ab alio moveris? & impera & dic quod memoriæ tradatur; aliquid de tuo profer.*

An debeamus D. Thomæ semper inhærere vestigiis? MCCXCI.

Prætereà ipsimet veteres tàm Gentiles quàm Catholici docuerunt nos suavi & dulci doctrinæ magisterio: non sui nominis authoritate nos obruere, sed maluerunt rationum pulchritudine allicere & pondere corroborare. Eximius Stoicæ Philosophiæ professor Cicero 2. *Tuscul. sub init.* veritatem hanc pulcherrimis verbis exornavit. *Nos-ipsi*, ait, *redargui refellique patiamur, quod quidam fecerunt animo iniquo, quia certis quibusdam destinatisque* MCCXCII.

Quo debeant modo probabilia defendi?

sententiis

sententiis quasi addicti & consecrati sunt, eâque necessitate constricti, ut etiam quæ non probare soleant, constantiæ causâ cogantur defendere? Nos qui sequimur probabilia, neque ultra id quod verosimile occurrerit progredi possumus, & refellere sine pertinaciâ, & refelli sine iracundiâ parati sumus.

MCC XCIII. Majorem authoritatem Doctor erga eos, qui ipsum consulunt, habet, quàm erga reliquos: ergo mellifluus meus Bernardus poterat obstringere Wilhelmum Abbatem S. Theodorici à quo consulebatur, quam alios: hunc autem sic alloquitur. *Si quid obscuriùs dictum animadverteritis, quod in re obscurâ servatâ congruâ brevitate dici planiùs potuisset, non sit vobis pigrum aut emendare per vos, aut mihi resignare emendandum, si fraudari non vultis promissione illâ sapientiæ quæ ait; Qui elucidant me vitam æternam habebunt.* Ita in *præfatione libelli de gratiâ & libero arbitrio*: & adsonat sibi sæpè alibi. Didicerat hunc modum docendi ab Augustino & Benedicto; hic enim cap. 18. Regulæ docet nos quo ordine numero, & harmoniâ debeamus officio divino satisfacere, & subiungit, *Hoc præcipuè commonentes, ut si cui fortè hæc distributio Psalmorum displicuerit, ordinet si meliùs aliter judicaverit.* Nota illud *præcipuè* & lege mei commentarij *nu.* 1293. hæc verba sic perpendo. Majorem authoritatem habebat in suos religiosos S. Benedictus quàm in Thomistas S. Thomas, aut in Scotistas Scotus; atqui ille non vult quod religiosi illi subscribant, si aliter judicaverint. Ergo nec Divus Thomas nec Scotus, volunt ut eis subscribas, si aliter judicaveris. Imò qui vellet suos discipulos ad probabiles sententias obstringere, non jam magistrum sed aut dominum ageret aut tyrannum. Tyrannus non erat Augustinus, quia divinus magister erat; sed quia tyrannus in suos discipulos non erat, sic ait. *Neminem velim ita amplecti omnia mea, ut me sequatur nisi in his in quibus me non errare perspexerit. Nam propterea nunc facio libros in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec meipsum in omnibus me sequutum fuisse demonstrem.* Ecce nec seipsum nec alios vult cogere ut semper ei subscribant: imò nec alij authori, quia *epist.* 3. *tom.* 2. agens de Ambrosio, Hieronymo, Athanasio, & Gregorio sic ait, *Neque enim quorumlibet disputationes, quàmvis Catholicorum & laudatorum hominum, veluti Scripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat salvâ honorificentiâ quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum scriptis reprobare atque respuere, si fortè invenerimus quod aliter senserint quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis.* His præmissis subjunxit, *talis ego sum in scriptis aliorum; tales volo esse intellectores meos.* Injurius ergò erit Augustino qui contra dictamen ei subscribat præcipienti contrarium.

Quanti Patres venerandi sunt? Hæc dicta sunto, ut reverenter te excuses, cùm Patrum testimonia nolueris interpretari: mihi verè displicent, & præcipites, & pusillanimes. Patres, qui sunt columnæ Ecclesiæ, contemnere, præceps superbia est: sine eis nihil asserere ignorantia affecta pusillanimitate. Siquid fuerit à Patribus indefinitum, tractetur à nobis audacter, & prout ratio direxerit, assertivè, aut negativè resoluatur. Si fuerit probabiliter ab eis tractatum; nullum iter præcluditur tuo arbitrio, modò non prætergrediaris limites urbanitatis. Si tandem per modum dogmatis resolutum sit; nec explodi debet, nec exponi; quia religionis dogmatibus, quæ ab Ecclesiâ & Patribus primi ævi recepimus, debetur integer assensus.

§. 3. *De testimoniis mixtis.*

TAlia dicuntur, quæ ex duobus Doctoribus sumuntur quorum alterum volumus, & MCC XCIV. alterum nolumus propugnare. Sanè ab authoritate mixtâ solent Adversarij sic urgere; *Hæc sententia, quæ defenditur, est contra Scotum; Scotus in hac materiâ consonat evangelio: ergo hæc eadem sententia dissonat evangelio.* Si responsurus sit Thomista, non tenebitur Scotum admittere, sed debebit dicere, quod transeat major; sed quid faciet de minori? si neget, cogetur defendere & eruere mentem Scoti, quam non curat, imò fortè nec scit, nec vult scire: si concedat, assument adversarij, & dicent. *Secundum te hæc doctrina est contra sententiam Scoti; atqui etiam secundum te Scoti sententia est sententia Evangelij: ergo per te similiter hæc tua sententia est contra Evangelium.* Si permittas transire etiam minorem, non evades rigores syllogismi præpositi, quia illi eandem ut concessam assument, & te impetent æquè robustè. Igitur illa minor debet necessariò distingui, atque major transire. Servatis igitur argumentandi rigore & formâ responderem sic. *Sententia, quam defendo, est contra Scotum*, transeat major: *sed Scotus in hac materiâ consonat Evangelio*, distinguo minorem; consonat, ex hypothesi, quòd nobis dissonet, nego minorem; consonat ex hypothesi, quòd etiam nobis consonet, concedo minorem: *Ergo nostra sententia dissonat Evangelio*, nego consequentiam. Positâ hac minoris distinctione eludetur vis argumenti. Sed si hostis subsumeret, *Scotus nobis dissonat; atqui consonat Evangelio: ergo vos dissonatis Evangelio*, distinguo; dissonat distinguerem iterum eodem modo. Dicerem; Scotus nobis dissonat ex hypothesi quòd Evangelio consonat, nego majorem; ex hypothesi quod Evangelio dissonet, concedo; Atqui consonat Evangelio, distinguo etiam minorem; consonat ex hypothesi quòd nobis etiam consonet, concedo minorem; aliàs, nego minorem: ergo nos dissonamus Evangelio; nego consequentiam.

An cogi aliquis possit explicare Doctorum aliorum testimonia.

Hæc solutio oblivioni mandanda non est; quia qui aliter voluerit respondere, cogêtur literæ Scoti respondere defendendo aut illam suæ doctrinæ adsonare, aut opponi Evangelio; quorum neutrum dicere, neutrum defendere velle supponitur.

§. 4. *De testimoniis Ethnicorum.*

GEntilium Philosophorum authoritas hoc MCC XCV. ævo debilis, habet enim ingenia nobiliora: Ideò vel eos exponere vel rencere potes audacter. Negatur talis propositio, & *probo eam*, inquit Argumentator, *expressis verbis Aristotelis desumptis ex libro &c.* sustentans Argumentatori.

Quanti sit faciendus Aristoteles?

Miror quòd tam parvi sit pendat V. Dominatio. Cur non negabo etiam Aristoteli assertum quod negavi vestræ Dominationi, quam majoris Aristotele facio? Aliter; *admitto verba Aristotelis tanquam lucis non tamquam Ducis.* Si doceri velit argumentator quid sit Aristotelem tibi lucem esse, ducem non esse, hoc exemplo vel altero simili expone. Mediâ hyeme sub luce malignâ pervenis ad locum difficilem quem transire non audes, venit ex aliâ parte Petrus face lucidissimâ instructus. Præsentia ipsius locum illuminat, & tollit omnes difficultates. Transis, transit: nec quia luce illius uteris, illum sequens, sed peragis iter contrarium. Sic sæpè contingit nobis philosophantibus. Venimus ad locum obscurum & difficilem: invocantur Zeno, Plato, Aristoteles; eorum doctrina fax est illustrissima, quæ fugat tenebras; transimus securissimi, non tamen ideò lucem sequimur, sed aliò pergimus, quò impellimur vel à dictamine vel ab urbanitate: à dictamine quidem cùm proprias, ab urbanitate autem cùm amicorum sententias propugnamus.

An illum nos debeamus sequi? Non admiseras Aristotelis authoritatem, & tibi argumentator. *Non debet contemni*, ait, *Philosophorum Princeps.* Tu autem argumentatori, *Non est contemnere Aristotelem, illum non sequi. Catholicus meus Monarcha universorum Princeps est, adit varias provintias; illum quidem non sequimur, nec tamen ideò esse credimur Regiæ authoritatis contemptores.*

MCC XCVI. *Quantâ gloriâ sint digni, qui interpretantur Aristotelem?* Et siquidem agere de Ethnicorum testimoniis proposui, & tamen exempli gratiâ ob oculos Aristotelem posui, placet nonnihil subscribere de Monfortio, qui magno molimine & studio Aristotelica Axiomata explicanda suscepit. Illa integro complexus volumine, sibi congratulatur, de susceptâ, immò de obtentâ Spartâ illâ difficili & periculosâ; & in Præmonitione ad Lectorem exclamat. *Quoties contigit, ut ex pravo distortoque sensu unius Axiomatis assumpta tanquam erronea pessumdetur expositione ejusdem rectâ & integrâ? Quoties item accidit respousuris, ut propter ignorantiam distinctionum, quibus ambiguitas axiomatum resolvitur, hæreant in argumentis dissolvendis, & in captione tanquam labyrintho sine exitu huc atque illuc versentur?* Ut his igitur inconvenientibus obviare doceat disputantes subjungit; *in has autem angustias non ita frequenter inciderent, neque in respondendo mente constrigerentur si multiplices axiomatum sensus anteà jamdudum perspectos haberent atque cognitos.* Quos ut præcognoscerent disputaturi, ex umbrosâ velut abysso (ut ipse loquitur) axiomata in lucem emisit. Et utinam in umbrosâ illa abysso latere permisisset; tempusque, quod in eruendâ Aristotelis mente, in examinandâ veritate Vir ingeniosus impendisset. Triumphant Peripatetici fateor, quotiescumque adoriuntur alios Peripateticos. Positiones illæ, quæ vel sunt Aristotelicæ aut saltem tales habentur, conceduntur inconsideratè, & statim respondens ad summas angustias reducitur: Eum Monfortius instruit, & fatetur meliora interpretamenta adinvenire non potuisse. Sed omnia illa & fortè meliora in multis occasionibus ne vel hilum prosunt; quamobrem faciliùs judicavi suadere respondenti Aristotelem fuisse philosophum, se esse alterum, ac propterea quamcumque Aristotelis propositionem, quæ legitimè inferat, propositionem quam ipse negavit, quam Argumentator persuadere tenetur, absolutè & intrepidè negandam esse. Multò faciliùs quidem est negare quàm distinguere; Ut vel ipsi Aristoteli neges aliquam propositionem, sufficit, quòd in sensu, in quo tu loqueris, aut opponatur tuæ thesi aut oppositam aliquam inferat: ut autem eandem distinguas, præter sensum falsum qui statim occurrit, deberes tempus inutiliter terere & ingenium frustra vexare quærendo alium sensum, quem nunquam fortè somniavit Aristoteles, ut eandem in illo concedas, & vindices philosophum à notâ erroris. Faciat hoc Monfortius, si possit, per me stat: vitæ tempus est breve, utilia, ne dicam necessaria, quæ ignoramus sunt multa; studeamus his, ne in Vocalibus Aristotelis labyrinthis filo Ariadnæ potiùs consuendis, quam distinguendis, tempus sine fruge perdamus. *Hæc severè* sint dicta. Quod si ob urbanitatem velis nonnihil mitiùs loqui, & tamen Aristotelis testimonium reiicere: sic agas. *Nego Aristotelis verba esse vera, eo sensu quo nos agimus*, dicas, addasque, *fortè eum alio sensu verba usurpasse, & habuisse opinionem & subtilem & veram; sed hoc non interesse tua, qui affirmas verba illa, quæ Aristotelis esse dicuntur, in sensu Controversiæ esse falsa.*

MCC XCVII. *Pro captu lectoris habent sua fata libelli.* Omnia humana suos casus & occasus habent; fuerunt tempora in quibus Aristoteles sub Anatemate interdictus; fuerunt alia, in quibus Doctissimi & Clarissimi Authores, qui ejus opera scripsis & commentariis illustrarunt: qui tamen quando citantur in eisdem locis optimè exponi possunt. Verbi gratiâ. Argumentaris authoritate D. Thomæ, qui in libri primi Perihermenias capite tali ait, &c. Respondeo admittens verba S. Doctoris & sensum. [Non ait, inquam, D. Angelicus hanc esse veram doctrinam, sed hanc quam ibi expendit esse verè Aristotelicam, quia in hujuscemodi libris Commentatorem agit, cujus officium non est propriam expendere, sed inquirere mentem Aristotelis. Ergo respondeo dicens hanc opinionem quam defendo esse contra Aristotelem quod & D. Thomas optimè observavit; nego tamen haud esse contra D. Thomam, aut contra veritatem.] *Hinc radius* aliis libris D. Thomæ exponendis, quia cum scribit in sententiarum libros, etiam Commentatorem agit. *Hinc radius* alter Commentariis D. Hieronymi in Epist. ad Ephes. & Galatas in quibus se sæpiùs loquutum fuisse ex aliorum sententiâ testatur ipsemet Hieronymus *in Apologiâ contra Ruffinum.*

De Spuriis Doctorum scriptis.

MCC XCVIII. SÆpè contingit aliquem Patrem aut Doctorem citari, quem veneramur omninò, & plenum fuisse Deo & scientiâ credimus, nec tamen tenemur clausis statim oculis accipere omnia, quæ ejus nomine circumferuntur. Primò enim veras & legitimas Sanctorum Patrum Positiones temerè reiiciendas non esse, certum

Libri interdum sũt spurij & corrupti.

certum est. At secundò est certissimum, etiam dari libros spurios, qui his Sanctissimis Viris affinguntur. Et certissimum tertiò est, libros etiam germanos & veros corruptos nonnunquam fuisse Hæreticorum fraude, negligentiâ exscriptorum, & Typographorum incuriâ. Quod proderit exemplis aliquibus dilucidare.

Quanti facienda vel minima unius Patris periodus.

An singuli Patres sciverint omnes scientias?

MCCXCIX. PUto Reverentiam esse virtutem excellentem, nec talem dici posse, ni consistat in medio. Si omnia Augustino innotuisse, si eundem latuisse omnia asseras, exorbitabis in extrema, nec medium, nec virtutem tenebis. Augustinus (idem de cæteris Patribus dixero) homo fuit, sed magnus. Magnus fuit, homo tamen. Et debuit necessaria suæ dignitati benè scire, & reliqua non omninò ignorare. Cùm audio Ambrosium, Hieronymum, Augustinum, Gregorium dici à Junioribus Theologos illustrissimos, puto me vocem Veritatis audire; at cùm audio, illos summos fuisse Arithmeticos, Musicos, Astronomos, &c. puto me audire Gallecos (Hispanorum est gens) tam superstitiosè suos Toparchas colentes, ut illis nullum doctiorem asserant. Monasterij Montisramensis subditi (quod frequenter audivisse me memini) rustici & barbari, ne detraherent Abbati; nec arare, nec serere, nec metere, nec mechanicam ullam artem se ita scire dicebant, ut Abbas. Ajebat Faber, Excepto Domino Abbate in lignis dolandis nulli cedo. Addebat Sutor, excepto D. Abbate, cui primas defero, me artificem doctiorem non cognosco. Alij delirabant similiter; & quod mirabilius videbatur, superbia hominum summa, erat ad pedes Abbatis pusillanimis. Parva magnis compono. Ad Patres transeo. Profitemur Artes & Scientias curiosas, & in ipsis fortè tempus liberaliùs consumimus, quàm deberemus, & cùm obiicitur contrà Hieronymus, tota nostra arrogantia concidit, & dicimus excepto Divo nulli cedimus. Omnes liberales meditationes, si cum Theologicis conferantur, sunt nugæ; nec Magni Homines volunt eas profiteri. Theologica quà Fidem, quà Scholam, quà Mores concernunt, Patribus relinquuntur, at liberales Artes Junioribus, qui illas magno temporis impendio promoverunt. Fluvius quò fonti proximior purior est; quo remotior uberior: & quidem puritatem Theologia, & liberales omnes Scientiæ postulant ubertatem.

MCCC. Hinc est, nos posse Mathesin, & omnes Artes ingeniosas defendere à Patrum doctrinâ præcisas; quas illi gravioribus intenti non tractarunt, aut saltem minoris fecerunt.

At in Theologicis, quanta est cujuscumque veteris Doctoris authoritas! quanta & quàm penè incredibilis cujusque sententiæ potestas, si illam vel minimus Ecclesiæ Doctor proferat & tueatur! Pulchrè de hac ipsâ materiâ P. Poza *in Elucidario Deiparæ libr. 4. tract. 3. cap. 1.* Testimonia ab eo collecta interlego, ejus ponderationes intermitto. Tarasius Synodi VII. Act. I. quanta fuerit veterum Theologorum concordia luculenter describit. *In nullo, ait, Sanctos Patres invenîmus discordes: Sed cùm omnes ejusdem sententiæ sint, idem quisque prædicant & docent.* Ejusdem-ne? Profectò: quia ejusdem sunt illæ omnes humanitùs & divinitùs consideratæ. Omnes eodem pleni fuerunt spiritu, & eodem Deo dictante loquuti: voce tam consonâ, ut in Fidei Articulis omnes, tametsi in variis nati sæculis, & in variis & diversis provinciis, unus sint. Et Bessario in Florentino Concilio post sessionem ultimam, aliquibus, qui fortè tunc minùs congruenter, & multis qui nunc nimis irreverenter Patres in classes & opiniones dividunt, loquitur, & ait, *Concordes, neque contrarios invicem, & multò minùs sibi ipsis oppugnantes decet probare Sanctos Patres & Doctores nostros. &c. Facimus officium nostrum & quod à filiis gratis debetur Patribus; omnibus quidem aures æquas præbentes, omnibus verò proprium animum subjicientes, & sumina eorum acceptantes.* Urgebo hoc ipsum producto argumento à fortiore.

An omnes Patres sint in materiâ religionis concordes?

MCCCI. Sententiâ veterum Juppiter, si græcè debuisset eloqui, linguâ Platonis fuisset usus; & Philo, quia labio Platonis usus fuit, gloriam & laudem meruit; unde in proverbium transiit, aut Platonem esse Philonem primum, aut Philonem esse secundum Platonem. Et verus Deus, loqui in Conciliis voluit, linguâ Patrum. Divinus dicebatur ille, isti Divini fuerunt; ipsi loquuti sunt ex Deo, & Deus à se ipso loquutus fuit, quando gravissimos Articulos definivit in ipsis. In Florentino Concilio tres Sessiones integræ (vigesima, vigesima-secunda, & vigesima-tertia) insumptæ, ut intelligeretur unica periodus Basilij. Ibi legitur. *Incepimus ex dicto Magni Basilij, quod sumpsimus ex ejus homiliâ, ab ipso habitâ die festo Pentecostes; & si verò factus super hoc multa sunt à nobis dicta ad investigandum ejus sensum, nunquam tamen à proposito illo dicto sumus digressi.* Et tandem additur annum immensum fuisse in duabus vel tribus Patrum clausulis examinandis. *Nosti, Venerande Pater, omnes habitas sessiones fuisse consumptas super duobus aut tribus dictis à vobis propositis.* Vide igitur, jubente Pozâ, quantâ diligentiâ Act. I. Concilij Chalcedonensis unam positionem Cyrilli; & in Synodi VI. Act. VII. unam Dionysij, & Act. IX. alteram S. Mennæ: & Synodi VII. Act. III. unicam solummodò Chrysostomi, & Act. VI. alteram Epiphanij, Patres congregati perpendant. Vide quam ægrè omnes tulerunt, in unâ Theodoti periodo verba tantisper alterata. Obediamus vel ipsis Conciliis, quæ facto & verbo hanc ipsam reverentiam nos monent. Synod. VI. Act. XI. *Paternis vestris superincedamus vestigiis.* Et Synod. VII. Act. III. *S. Ioannes oris aurei* (Chrysostomus) *talia dixit de Iconibus: quis audet dicere quidpiam contrà?* & Act. VIII. *Legantur testimonia Nili, Ioannis Thessalonicensis, Simeonis Stylitæ, & Asterij.* & Concilium Chalcedonense Act. I. *Quis poterit Beatissimi Patris nostri Cyrilli reprehendere voces?* Accedo propiùs, & ad Tridentinum converto oculos. Et quis in illo Canones protulit? Spiritus Sanctus. At cujus ille verbis? Augustini.

Eloquentia Platonis, & Philonis.

Deus loquitur in Patribus.

Quanta Basilius factus?

De

De Libris spuriis.

MCCCII. *Epistola ad Demetriadem.* QUàm sit difficilis librorum antiquorum delectus, & quàm impossibile verum singulorum cognoscere authorem, illi sciunt, qui Patrum lectione delectantur. Unica sit testimonio Epistola ad Demetriadem, olim Hieronymo, aut etiam Augustino attributa, jam adficta Pelagio. Partim exscriptorum ignorantiâ, partim fraude, ignototum Hominum libri grandi Augustini, Ambrosij, Hieronymi aut alterius Doctoris nomine donati sunt, ut majoris vænirent, & jam hodie præscripsisse videntur, nec alio titulo cognosci nec nomine. *Dionysij Opera.* S. Dionysius Areopagita defensus à Martino del Rio, Leonardo Lessio, Petro Lanselio, Corderio, & aliis vix obtinuit, ut verus tanti Antistitis partus credatur: & tamen nihil in toto Opere absonum, nihil non altum, nihil tanto Doctore indignum: & interim Chrysostomi nomine circumfertur Sermo de Adam & Evâ, & alter de interdictione Arboris, Homilia de verbis David, altera in Psalm. CXLII. alia de S. Job. in quibus, ut doctis placet, nec stylus Chrysostomum, nec doctrina Theologum sapit, & nihilominùs inter indubitatas Divi proles ponuntur: nec aliam puteto assignare rationem, quàm illam veterem, quoniam si res bene expendatur, *pro captu lectoris habent sua fata libelli.*

Sermones Chrysostomi.

An evidēter requiratur, ut liber rejici possit? Interim, ut rejiciatur Author, liber-ve, non requiritur quod evidenter sit spurius, sufficit ut ignotus aut dubius sit: res enim Theologica summi momenti est, nec quæ debeat dubio fundamento subcollari. Florentinum Concilium Sess. XXIII. *Non innitimur apocryphis, aut depravatis libris, & qui multis ignoti sunt, neque ambiguis, sed in ipsis divinis scripturis & sanctorum sententiis, quæ ab omnibus recipiuntur.*

De Libris Genuinis corruptis.

MCCCIII. LIbri etiam veri & germani, quos esse hujus vel illius Patris negare non possumus, aliqua nonnunquam habent, quæ aut adjecta, aut excisa probantur. *Qui veterū libros corruperint?* Solebant ejusmodi libros Hæretici maliniosè corrumpere: erant nimis festini qui exscribebant; character manuscriptus est varius, & semper difficilis; compendia litterarum ad arbitrium; & inde ortum, ut eadem sæpè dictio variè posset efferri & exscribi. Hinc est, quod in rebus gravioribus non ad vulgares libros, sed ad illos qui in nobilioribus Bibliothecis asservātur, provocetur, quoniam prudenter creduntur diligentiùs scripti, & accuratiùs relecti, collati, & correcti. Constat id ex Synodi VI. Act. VII. *Petimus, ut exemplaria prædictarum suggestionum percipiamus. Recurrentes namque & conferentes testimonia, quæ in eis sunt Sanctorum, probabilium Patrum cum codicibus hujus Venerabilis Patriarchij, competens dabimus responsum.* *Patres probabiles, iidem qui authentici & classici.* Et subdit Carthophylax & Patriarcha Constantinopolitanus, *Scrutans libros Sanctorum ac probabilium Patrum, qui repositi sunt in meo Patriarchio.* & subjungit, ea Patrum testimonia, quæ Macharius & Stephanus attulêre, non esse legitima, nec Manuscriptis Bibliothecæ Patriarchalis concordia. Et paulò pòst. *Relectum est aliud testimonium ex eodem codicillo S. Dionysii, & aliud S. Chrysostomi, & collatum est cum libro membranaceo, qui est ex Bibliothecâ venerabilis Patriarchij.* & Act. IX. *Collatum est testimonium S. Cyrilli cum libro carthaceo Patriarchij.* & ibidem concluditur fuisse depravata Exemplaria, quibus Episcopi nonnulli fuerant usi. Et tandem Act. XII. dum quæreretur vera mens S. Mennæ, & variarent libri producti, pronunciat Sancta Synodus, *Penitus confictum & falsatum esse sermonem, eò quòd in repositis gestis venerabilis Patriarchij hujus almæ Urbis Sermo hic Mennæ ad Vigilium non invenitur.* *Quanta sit aliquando vis negativi argumenti.* Actione XIII. cap. IX. truncata esse aliqua testimonia asseverat. Et ex eâdem omninò Epistolâ clarissimè constat, quid ad singula Patrum, qui allegabantur, testimonia ediceret Patriarchalis Carthophylax. Ibi legis. *Carthophylax juravit hoc modo. Per sanctas Scripturas & Deum qui per eas loquutus est, omnia perscrutatus non inveni libellos fuisse factos à quibus tam.* & Act. XIV. Sanctum Concilium dixit. *Oportet duos membranaceos libros Sancti Quinti Concilij, qui à Carthophylace porrecti sunt, ut iterum ab eo ad medium deducantur, ut scrupulosiùs cognoscamus, an testimonia Agathonis Papæ falsata sint. Similiter proferri volumen carthaceum authenticum septimæ Actionis præfati Quinti Concilij, & competenter retractemus, si immutatum permansit.* Et juravit Carthophilax, ea quidem volumina esse è Patriarchio, at scire fuisse nescio quem clandestinum Bibliothecæ invasorem, qui libros corrupisset. & in specie asseruit circa Actionem VII. priorem quintum-decimum quaternionem fuisse extractum, & alium substitutum non superscriptum ante quaternionem sextum-decimum.

Multa id genus occurrerent, si adhibere laborem diligentem placeret, Pozæ confido, & nonnulla adhuc addam. MCCCIV. Synod. VI. Act. IV. Episcopi multi dixerunt. *Epistola hæc, quæ primitùs lecta est, cùm esset depravata, perdidit & seduxit nos: putabamus enim simplicem esse illam, ut absque insidiis.* & depravatio in hoc fuit ut pro voce *pingendi*, vocem *dealbandi* substituisset Exscriptor. Action. V. *In Bibliothecâ invenimus exemplar Prati Limonarij incisa habens folia.* Act. VI. *Nolite omni spiritui credere: decet unumquemq; Christianum, qui falsos libros audit, hos exspuere.* &c. *Ita & præsens testimonium dicitur quidem, sed non est S. P. nostri Epiphanij.* & paulò pòst. *Si Theodoretus esset in hac vitâ cum beatâ Susannâ clamaret, dicens; Tu nosti, quia falsò contra me tulerunt testimonium. Nam multi nobiscum exquirentes, deinde scrutantes in sermonibus ejusdem Theodoreti de proposito Dicto, si verè sit scriptum hujusmodi, nunquam usquam invenimus.*

Argumentum iterū negativū.

De corruptorum librorum restitutione.

MCCCV. LIbros plurimos fuisse corruptos & magnâ præcipuos correctione indiguisse, multos etiam nunc indigere, collatio Manuscriptorum probat; nam in ipsis Canonicis varias

lectiones

lectiones reperimus, & nisi Ecclesiæ nos jussisset authoritas, utram sequi aut rejicere deberet populus Orthodoxus nesciret. Varias lectiones habent Jura Canonica & Civilia; varias antiqui Patres, varias etiam Juniores. In Dionysio multas & sæpè oppositas collegit summa Corderij diligentia: in Augustino Lovanienses plurimas reperiunt. In S. Thomâ multas, multas; & sæpissimè ipsi libri impressi inter se & à manu-scriptis ita deviant, ut non tam varietatem quàm contradictionem evincas. Vide Pozam *Elucidarij libr. 4. tract. 3. cap. 2. 3. & 4.* & novas Sancti Doctoris editiones.

MCCCVI. Dixi ipsosmet Canonicos libros correctione indiguisse, nunc id probo. In Sacris Bibliis Sixti & Clementis authoritate editis, ante initium hæc leges. *In hac vulgatâ lectione, sicut nonnulla consultò mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, consilio immutata relicta sunt; tum quòd ita faciendum esse ad offensionem populorum vitandam S. Hieronymus non semel admonuit; tum quod facilè fieri posse credendum est, ut majores nostri, qui ex Hebræis & Græcis Latina fecerunt, copiam meliorum & emendatiorum librorum habuerint, quàm illi, qui post illorum ætatem ad nos pervenerunt, qui fortassè tam longo tempore identidem describendo minùs puri ac integri evaserunt.* Et Clemens VIII. in Bullâ, quæ eisdem Bullis præfigitur, fatetur Editionis vulgatæ textum à pluribus mendis fuisse expurgatum. At ille hoc nostro ævo faciliùs potuit restitui, non enim nisi leviter erat corruptus, verùm ævo D. Hieronymi magnâ ille medicinâ indiguit, ipse enim Præfatione in Josue affirmat, tot exstare Bibliorum translationes quot codices, cùm audacter & temerè unusquisque pro arbitratu suo adderet, vel detraheret.

An fuerit corrupta Sacra Pagina?

Hinc formatur à multis argumentum fortissimum; Majori, inquiunt, curâ & diligentiâ conservantur, releguntur, imprimuntur, restituuntur, emendantur Sacra Biblia, quàm reliqua omnia Authorum veterum Exemplaria; at illa tempore S. Hieronymi ita fuerunt corrupta, ut novæ Editiones debuerint exornari; ita nostro, ut Magnorum Virorum diligentiâ & industriâ, & Sixti, Clementis, aliorumque summorum Pontificum authoritate corrigi & restitui debuerint. Ergo à fortiore tenendum multos Patrum Veterum libros esse corruptos & temporum injuriâ depravatos.

An veterum Patrū libri corrupti sint?

At hæc ratio nil omninò convincit. Quia si menda irrepunt Amanuensium & Exscriptorum ignorantiâ, libri qui plures exscripti plura potuerunt menda habere: cùm igitur Sancta Biblia ab omnibus expeterentur, & à doctis indoctisque exscriberentur; & Augustini operibus soli docti indigerent; hinc fuit, quod rariùs Divina Augustini Opera fuerint exscripta, & doctiorum manibus tractata, minus depravari potuerint.

De veterum librorum corruptoribus.

Sed quis libros sacros & antiquos corrupit? Hæreticus, Amanuensis, Typographus. MCCCVII.

Porrò Hæretici sacrorum librorum textus sæpè mutarunt, alterarunt, variarunt; ut additione aut subtractione alicujus voculæ sensus sibi redderetur accommodus. Aliquando etiam illos non voculas aut periodos, sed folia integra aut etiam quaterniones erasisse probatur. Nam in Synodo VI. Action. XIV. juravit Bibliothecarius *ea volumina in Patriarchio sita, verùm fuisse clandestinum quemdam Bibliothecæ invaserem, qui libros lancinaret. in secundo libro circa Act. VII. mutatum quidem fuisse quintum-decimum quaternionem, adjectumque fuisse quadrifolium ante decimum-sextum quaternionem.* Crimen prodit Carthophylax, Ambrosius apud Pòzam Elucidarij libr. 4. tract. 3. cap. 8. causam. *Quasi non Græci Codices ab invicem discrepent: quod fecit studium contentionis; quia enim propriâ quis authoritate uti non potest ad victoriam, verba Legis adulterat, ut sensum suum quasi verba Legis asserat: ut non ratio sed authoritas præscribere videatur.*

Hæretici libros sacros corrūpunt.

MCCCVIII. Sed non omnia menda libri veteres ab Hæreticis passi, quoniam præter aliqua, quæ ex malitiâ irrepserunt, multa commisêre Amanuenses, qui dum nimis festinant, minùs attentè exscribunt. Et ostenditur, quia etiam Philosophi & Medici, in quos Hæretica malitia non sævit, mendis multis scatent. Galenus libro de propriis libris sub initium. *Libros meos multi multifariam læserunt, tanquam ipsorum proprios, alij in aliis gentibus legentes, quædam tum demendo, tum addendo, tum immutando.*

Illos etiam exscriptores corrūpunt.

MCCCIX. Accessit his morbis antiquis Typographia, quæ errores quos committit millenis exemplaribus communicat, ut nesciat quis possit, an prudentiùs Arabes ab illâ abstineant, & nos imprudentiùs abutamur. Ita agunt Typographi, ut videantur timere, ne capite plectendus sit, qui primum librum sine mendis ediderit. non enim hucusque librum vidimus, qui errore careret. Poza Elucidarij libr. 4. tract. 3. cap. 11. *Fieri vix potest, ut ad singulas novas exscriptiones, aut translationes non accedant innumera errata. Omni studio, pene in ipsâ Typographiâ vivens, singulas paginas bis aut ter perlegens, curavi hoc anno de excudendis tribus nostræ Societatis libris; nec tamen vitare potui, ut non plurima menda evenirent, quæ sensum Authorum flecterent, aut vitiarent, aut immutarent. In ipsis exemplaribus, unde opera vulgari sermone fuerant excudenda, erant non pauca Amanuensium vitio depravata. Ergo-ne adeò erit aliquis judicij inops, ut fingat prodigia atque miracula, ex quibus nec Amanuenses Patrum unquam, aut omiserint, aut transmiserint, aut inverterint quidquam in ipsâ transcriptione; nec Interpretes unquam à verâ translatione & intelligentiâ discesserint; nec Typographi quidquam immutaverint; nec Antiquarij & Evulgatores, nec Hæretici, privatis opinionibus occupati aliquid de suo adfixerint.*

Illos etiam typographi.

Typographia nondū est admissa apud Arabes.

MCCCX. Et quidem, quia quæstio hæc, factum concernit, & ab experientiâ dependet, præter male-

malevolos, etiam bona intentione libros corrumpi video, à Correctoribus, ab Amanuensibus, ab Impressoribus. Exempla adjungo. Antuerpiæ meus Philippus impressus fuit elegantissimo Balthasaris Moreti typo, & amico viro docto correctionem commisi, qui ut mihi adularetur, ut faveret, ut affectum suum testatum faceret, dum vel eloquentiùs vult loqui, vel grandiùs de suo amico sentire, aliquas voces aut etiam lineas addidit, quas fuisse editas doleo, & interim debeo gratias agere & habere patientiam. Amanuensi vix utor, & si opus sit communicare amicis scripta aliqua tanto exscripta labore corrigo, ut faciliùs propriâ manu describerem: quoniam id genus Homines interpingunt pro arbitrio, litteris magnis delectantur, & hoc excessu tanto, ut sint multi qui vix sciant dictionem sine capitali exordiri; alij etiam in medio aut fine capitales scribunt; nec possunt aliter, orthographiæ severiori inassueti. Compendia vocum formant, & modò ductus animosè trahantur, nihil curant. Typographi sua præjudicia habent, & si divites nemini cedunt. Ut corrigantur paginæ, Authoris oculus cæcus est; scimus memoriter aut ferè quæ committimus prælo, nec possumus animadvertere utrùm litterula supersit aut desit; defectus enim omnes ab ipsâ memoriâ supplentur.

Ignorantia amanuensium.

An author sit bonus corrector?

Ar inquies, libri seu Manuscripti seu impressi corrigi possunt, & solent: nam ponitur erratorum tabella, juxta quem menda emendem. At hoc nec semper, nec fideliter. Si agam de Manuscriptis, audiam D. Hieronymi querelas, acriter enim & meritò in illos invehitur, qui malunt pulchros & fallaces habere libros, quàm maculatos & correctos. Si agam de impressis, menda notare Typographi celebriores non volunt: esse enim contra officinæ gloriam putant errores nonnullos committere; & idcircò aut erratorum tabulam intermittunt, aut illam ad compendium reducunt, & crassioribus expunctis paucula & levia notant, ut typus à veracitate & fidelitate laudem habeat. Habeo nonnullos libros me absente impressos; & licèt typographicos errores curiosè notatos transmiserim, ut imprimerentur etiam illi, & vel sic Lector adjuvaretur, idipsum obtinere non potui. Unde cum viris expertis & doctis sine formidine concludo vix esse in mundo librum (manuscriptum, impressum) qui mendis careat; debereque stari exemplarium collationi, & illam lectionem tenendam, in quam libri omnes aut plerique conspirant. MCCCXI

An libri corriguntur?

An liber aliquis, qui menda ignoret?

DISPUTATIO III.

De Syllogismis adialecticis.

MCCCXII Solent sæpe Argumentatores vel defectu scientiæ, vel defectu advertentiæ pessimos syllogismos formare; & interrogas, quo debeas modo respondere?

Obtinuit in Academiis, ut concedatur aut condonetur præmissa utraque, & liberè consequentia negetur; & si procedas sic, à neminè damnari poteris. Sed quia severitatem amas, & vis nonnihil altiùs & rigorosiùs scire, puto debere Propugnantem strictiùs omninò respondere, cùm Argumentator abutitur laxiùs Dialecticâ. Narrabo, quod ante annos viginti accidit Compluti, & non sine magno studentium aut etiam Professorum applausu. Dederat operam D. Thomæ Salmanticæ, Tirius, juvenis ingeniosus, & missus fuit Complutum, ut Theologiam defenderet. Distribuit Theses, & eximio Domino N. displicet, hoc uno nomine, quòd videretur arrogantiâ culpabilis, Salmanticâ Complutum ad Theses propugnandas venisse. Multa publicè obloquitur: & pollicetur publicè se humiliaturum esse peregrinam responsuri superbiam. Homo erat ingenij acris, & qui fœliciter oppugnaret & summâ gloriâ responderet; nec indigeret novâ laude, & præcipuè conflictu inæquali adquirendâ. Monentur Superiores & Professores ab amicis, ab utrisque respondens: jubeturque defendere provocati Ordinis authoritatem modestè, urbanè, & cum moderamine inculpatæ tutelæ. Monentibus generosè respondet Tirius: Illum in Theologicis se doctiorem liberè & sincerè confitetur at se quocumque illo in Dialecticis doctiorem asserit; & cùm disputare sit vel theologicè dialecticari, vel dialecticè theologizare, ait, priùs senem humiliandum à puero in Dialecticis, quàm puerum à se in Theologicis. Benè sperant amici, & propugnator horam & Gladium impatienter exspectat. Subvenit dies; adsunt: etiam accurrit academicum vulgus tanto numero, ut extrinsecùs per fenestras audierint, qui non poterant gymnasio capi. Erat nimis publica Argumentatoris intentio, & curiositate seducti studiosi accurrebant, ut viderent unum adolescentem externum humiliari; hoc est, confundi, convinci, pessumdari, subprimi, & triumphari. Erat ille argumentaturus primo loco, & invitatus humanissimè, non sine supercilio occœpit; Thesin elegit, & sic fuit argumentatus.

Historiam recenseo, nec peto ut singulas circumstantias laudes, non enim hanc puerilem respondendi audaciam in singulis ego commendo.

Si Christus habuisset rigorosum præceptum, habuisset meritum: Atqui per vos non habuit rigorosum præceptum; Ergo nec meritum.

Defen-

MCCCXIII. Defendebatur Petri Loicæ sententia: sed remissius nonnihil; ipse enim ob alias causas Christo impositum verum & rigorosum præceptum negat, & Theses rigorosam justitiam, & rigorosum præceptum defectu rigorosæ subjectionis & distinctionis negabant; alter enim Petrum, & alter Christum Trino Deo subiici manifestum est. POSUERAT suum syllogismum ille; propugnatoris erat repetere, & alteram præmissam condemnare. Et statim festinus (habebat velocissimam linguam) sic repetit.

Notatur hic respondendi modus.

[*Si Petrus esset leo, esset animal; Atqui Petrus non est leo: Ergo Petrus non est animal.*] *Transeat major; transeat minor; transeat etiam nunc ipsum consequens, & nego solùm consequentiam.*

Conticuêre omnes, & ora tenentes exspectant, quid sit oppugnator dicturus. Ille nihil se de Petro, sed de Christo objecisse, causatur. Respondet Titius perinde esse in Christo aut in Petro contra prima Dialecticæ fundamenta peccari, & præcipuè in Universitate, in quâ nemo altiora permittitur discere, qui Dialectica nesciat. Priorem syllogismum & posteriorem æqui formem affirmat; & in *Baraco* primæ Figuræ, quam ob rem debuit poni clarior, ut error obscurioris pateret. Sed quia ipse volebat ad suum syllogismum responderi, adquievit; & dixit Respondens:

[*Si Christus habuisset rigorosum præceptum, habuisset meritum: Atqui per nos non habuit rigorosum præceptum: Ergo nec meritum.*] *Transeat major: transeat minor; transeat etiam nunc consequens, & nego solùm consequentiam: hoc est, nego illud, Ergo.*

Expectat ille, ut vulgus Academicum, finem imponat risui & plausui: & ictu isto originali saucius, & non parum turbatus, ut se scire Dialecticam ostenderet, sic progreditur.

Probo consequentiam. [*Nemo carens libertate habet meritum: Christus caruit libertate: Ergo Christus non habuit meritum.*] *Respondeat; respondeat. Syllogismus est in Festino secunda Figura, quia nos tametsi senes, etiam scimus Dialecticam.*

Putaret aliquis rediisse Eximium Dominum ad Dialecticam viam. At Titius, quà potuit velocissimè (ipsa enim velocitas & vivacitas suam gratiam habet) repetit syllogismum, & addit.

Notatur bene, quasi ista respondendi servitium.

Transeat major; transeat minor; transeat consequens; & transeat consequentia. Ad quid omnia ista? Probari debet propositio negata. Ego negavi consequentiam, & condonavi consequens: & vestra Dominatio Eximia, probat consequens, quod transire jussi; & non probat consequentiam, quod debet. Vel attendat. Consequentia præcedentis syllogismi fuit hæc. [*Ergo Christus non habuit meritum.*] *Ego concessi consequens, negavi consequentiam: hoc est, negavi illud Ergo. nimirùm hanc consequentiam ex illis præmissis inferri. Ergo Vestra Eximia Dominatio dignabitur illud Ergo probare.*

Tacuerat ad hæc omnia Præses. Assurgit, & subridens ait. MCCCXIV.

Ego non soleo esse tam delicatus, & non rarò permitto argumentatoribus, ut negatas positiones non probent; remittendus enim est rigor Dialecticæ, ut urbanitas non remittatur. Quantum ex me est, poteris positionem negatam non probare, & impugnare quamcumque volueris, & jam novo medio si velis. Sed quia Ego non sum nisi secundaria persona, orandus venires Propugnans, ut etiam jure cederet suo, & permitteret, ne Dominatio vestra teneretur probare positionem negatam. Meus igitur Cliens in primo syllogismo negavit consequens. Illud probavit V. D. Ex. secundo eoque doctissimo syllogismo, cujus concedimus majorem, & minorem negamus.

Nimium jus, nimia injuria: laudo Præsidis urbanitatem, cui ne adquiesceret, Titius, præstitit probatio.

Sic Præses, & omnium sententiâ prudentissimè, ut vel invidiæ dentes frangeret, vel ut major subsequeretur triumphus, si ille Senex Eximius, non ab alio Doctore, sed à Discipulo humiliaretur. Tunc Titius Præsidi.

Non patiar, ut aliquis me corrigat, quando est evidens, quod respondeo benè. Non patiar, ut aliquis me iterùm ad dubium certamen reducat, quando est evidens quòd nihil probatur. Illud Ergo *negavi; illud* Ergo *probetur. Habeo jus exigendi, ut probetur propositio negata. Consequentiam negavi, non consequens. Nec aliud unquam dicturus sum, quàm* Transeat, Transeat, Transeat, *quousque illa consequentia probetur.* MCCCXV.

Inculcabat Argumentator, se non curare consequentiam, sed velle probare illud consequens: inculcabat & Titius, ab ipso condonatam probari, & tamen negatam non oppugnari, nec posse. Impediebat Studiosorum strepitus, qui Dialecticæ severæ applaudebat; nam & favores ipsi frequenter sunt impedimento. Post plurima, tandem argumentator. *Dicatur mihi unico verbo, quid negetur, & quid debeam probare.*

Tunc Titius. *Negatum est, quod ex his præmissis; nimirùm ex istâ majore* [*Si Christus habuisset rigorosum præceptum, habuisset meritum*] *& ex istâ minore* [*Atqui non habuit rigorosum præceptum.*] *possit inferri hæc consequentia.* [*Ergo Christus non habuit meritum.*] *Vel clariùs. Negatum est, quod in primâ Figurâ, Baraco sit syllogismus bonus. Et quia est evidens hoc ipsum probari non posse, pronuntio esse evidens, quod in primo meæ disputationis limine triumpho.* MCCCXVI.

Nunquam voluit Consequentiam illam probare Argumentator, certò sciens illam nec ab Angelo probari posse. Procurrit ad scommata, ad injurias etiam, & nugas: ad quæ Titius:

Hæc omnia Dominatio vestra, quæ ad rem non sunt. Hoc ego unicum, [*Propositio negata non probatur.*] *& hoc unicum ad rem est, & majoris omninò ponderis, quàm cætera, quæ dici possunt. Cùm igitur negata positio non probetur, nec ego ad scommata respondere didicerim, debebo Eximiæ Dominationi vestræ gratias agere,*

quòd mihi peregrine & ignoto dare dignatus fuerit proficiendi occasionem; & haec ob rem orabo alterum, &c. ut me honorare dignetur: &c.

NOTA. Hic non est modus procedendi ordinarius, nec bonus nisi in eo solùm casu, quo debeat alicujus humiliari superbia: narrare tamen volui hanc historiolam, ut videat Lector meus, quod atteri non possit Respondens, etiam puer, etiam contra gigantea, si esse severus vult, & exactè percallet Dialecticam.

DISPUTATIO IV.

De Scommatibus.

MCCCXVII. In disputationibus urbanitatis cura habenda.

IMprudens esset qui ut lucraretur quatuor aureos mille profunderet: imprudens quidem, quoniam media debent esse ignobiliora fine. Pietas eruditione melior est, urbanitas doctrinâ generosior, non debet scholasticus ita ambire eruditionis & doctrinæ laureolam ut pietatem & modestiam dilapidet, & affectatur quercus rustica sertis & fasciculis florum ornata. Nec contra urbanitatem nec contra honestatem delinquet qui inter argumentandum sequatur formam scholasticam. Cæterùm cùm nonnunquam contingat multa præter syllogismos audiri, quæ etiam solutionem desiderant, decrevi scommata nonnulla perstringere quæ frequentiùs explodunt argumentatores cùm consequentiis carent.

An peccet contra urbanitatem, qui trãseat dixerit?

PRIMÒ causantur aliqui, quòd illi adicatur *Transeat major*, & eos Hurtadus debitis coloribus exprimit in sui cursûs limine §. 9. asserens ignaros disputationum esse. Cùm propositionem transire permittimus, implicitè asserimus *illam quidem veram non esse, sed illi unico argumento condonari, quia ex eâ consequentia non sequitur.* Vox *transeat* in Academiis, in quibus Doctores non argumentantur sed replicant, (quales sunt Lovaniensis & Salmanticensis) frequentissima est. Si admittatur aliqua propositio, contra eam potest Doctor insurgere & probare esse malè admissam: si negetur, esse malè negatam: si permittatur transire, argumentatori uni conceditur, & à Doctoribus non poterit posteà oppugnari. Compluri & in aliis universitatibus, in quibus nunquam alius Doctoris alter assumit argumentum cùm non sit cur dicatur *transeat*, omnes illæ quæ ad rem non pertinent, frequentiùs conceduntur. Solumque *transire* jubentur, cùm in fidei articulos aut primas veritates impingunt. Verbi gratiâ. Defendo Logicam esse practicam scientiam, quam Thesim ut impugnes uteris enthymemate. *Filius æternus*, ait, *est minor Patre: Ergo & Logica est speculativa.* Si antecedens negavero, cogar defendere aliam positionem diversam, & deserere Thesin propositam: Arianus ero si concessero: dico igitur quod transeat antecedens, & nego consequentiam.

An Verbũ sit æquale Patri?

SECUNDÒ. Arguentis Petri negasti unam præmissam, quàm ipse vanâ spe fretus putabat concedendam. Caret syllogismo quo negatam tueatur, & cavillari incipiens, *Tu suffocas*, ait, *argumentum in primâ consequentiâ. Timor est. Si tua doctrina consideres, permitteres disputationem fluere &c.* Me consule respondeas sic. *Melius est (Domine N.) quod suffocem argumentum in prima consequentia, quàm quod suffocer in secunda. Suffocasse vicisse est, ergo timor non est.*

TERTIÒ. Vidi non tarò aliquos eruditione armatos extra cancellos syllogisticos velle vel invito Responsali digredi, & cõsumere tempus disputationis. *Doctissima Thesis*, inquit Petrus, *defenditur: sed non ex fundamentis genuinis, quia deberet defendi asserendo &c.* Ne ulteriùs progrediatur, cum hâc vel simili periodo interpella qui Sustentantem agit. *Defendo conclusionem hanc & hoc modo ut Dominatio Vestra audivit; essem summè infelix si vobis, cui Conclusio non displicet, placeret defendendi modus privarer enim hodie doctissimo argumento. Cæterùm, siquidem in modo defendenda Conclusionis differimus, instruat me Dominatio Vestra non perorationibus, sed syllogismis, non enim est tempus perorandi, sed disputandi.*

Potest impugnari non solùm thesis, sed etiam defendendi illã modus.

QUARTÒ. Contemnit solutionem tuam Argumentator & ait, *Minorem negas? malè negas.* Tu adeum. *Hoc etiam nego, quia contra unũ [Nego] non militat unum [Malè negas] sed unum fortissimum [Probo]* vel aliter. *Si malè negavero, ego ipse luam pœnas; ergo puniat audaciam meam V.D. explodens syllogismos quibus resistere non possum.* Vel aliter, *Si malè nego, D.V. benè probet.*

QUINTÒ. Sunt Responsales aliqui ingenio suo benigni & mites, & subridentes Argumentatori applaudunt: sunt & Argumentatores, qui inde volunt causari, subrisum cum irrisione confundentes. Tibi Ambrosius, *Argumentum irrides? hoc est incivile, &c.* Tu Ambrosio. *Nec rideo nec irrideo; subridebam tamen vestri argumenti adlectus dulcore & suavitate: urgeatis me, & non subridebo amplius &c.*

SEXTÒ. Nonnunquam ad tales angustias penuriâ consequentiarum solent Argumentatores reduci, ut & authores postulent, qui conclusionem talem negent. Sanè authorum nomina petere insanum est. Impressæ Theses propugnantur ut veræ, non ut Thomisticæ aut Scoticæ, nisi fortè *Theses Thomistica*, aut *Theses Scotica*, dicantur; qui ad mentem D. Thomæ, verbi gratiâ, Thesin propugnat, cogi vix potest ut det testimonium Angelici Doctoris,

in quo

An respondens cogi possit, ut suam thesim probet authoritatibus?

in quo illam afferat; sed ut respondeat ad omnia quæ contra illam ex Doctore Angelico desumi possint. His igitur positis, tibi neganti talem propositionem Albertus ait, *Hæc deberet concedi, quia à nemine mortalium negatur: vel da authores qui eam negent.* Tu Alberto; *Si impugnatem contrariam milleni suppeterent, quorum testimoniis possem uti, sed nunc non arguo, sed respondeo.* Aliter; *Authorem petitis, authorem dabo. Ego illam nego: & si non videar Author classicus, certum est meam qualemcumque authoritatem in hac disputatione majoris momenti esse quàm multorum Doctorum, quod duobus verbis demonstrabo. Si hanc eandem propositionem negarent universi, dummodò ego unus concederem adsumeretis tanquàm certam & ratam: igitur è converso, licèt alij concesserint si ego negavero debebitis illam probare; hic enim contra me, & non contra alios argumentamini.* Consulto dixi, *cogi vix potest*, puto enim absolutè loquendo dari modum Dialecticum, quo Thomista dare Angelici Doctoris testimonium cogatur: posses enim argumentari sic: [Theses, quæ hodie in hoc gymnasio propugnantur, ad mentem D. Thomæ sunt; at hæc N. non est ad mentem D. Thomæ: ergo non debet hodie in hoc gymnasio propugnari. Probatur minor. Si illa esset ad mentem D. Thomæ, aut illam Divus expressè docuisset alicubi, aut sequeretur ex aliis, quas habet: at nullibi illam S. Doctor tenuit; nihil unquam dixit ex quo necessariò (aut probabiliter) inferri possit: ergo non est sententia D. Thomæ. Et, si minorem negens, locum D. Thomæ assignate, in quo istam Assertionem nos doceat.]

An etiam ut eam probet rationibus?

Septimò. Frequentiùs petuntur rationes quàm Authores, sed & debet instrui Sustentans ne det plures quàm debeat. Nemo arma defensiva examinari permittit, quia vel loci vel corporis munitio tunc incipit debilis esse, cùm incipit esse explorata. Rationem ergo Theseos subticeat quousque illam expendere cogatur; cogatur inquàm, non dicteriis aut scommatibus, sed syllogismis. Negasti talem propositionem. Tibi Argumentator; *Da mihi rationem propter quam negas.* Tu Argumentatori, *propugno non impugno; dare autem rationes solius impugnantis est non propugnantis.* Vel aliter, *Centenas habeo; sed temporis brevitas cogit universas omittere, ne turbetur vestra disputatio.* Vel aliàs, *Hodie non possum rationes explodere, sed explosas diluere. Explodat ergo D. V. & ego satisfaciam.* Vel etiam sic. *Rationem petitis, & dabo. Sum curiosissimus doctrinæ amator. Vestrum ingenium veneror & admiror; talem propositionem præmisistis: præsumo quod habeatis unum syllogismum robustissimum ut eam tueamini, negavi eam igitur ut hunc syllogismum audirem. Si is veniat, nihil negavi sine causa.* Quod si frequenter molestus Argumentator sit, & semper velit talibus ineptiis tempus terere & disceptationem perturbare, da identicam rationem dicens, *Nego quia nego, hoc enim mihi est & unica & sufficiens ratio.* Negaveras quandam propositionem, & ut rationem negandi expenderes postulabatur, noluisti tamen eam exponere. Succenset tuæ severitati antagonista & ait, *Ergo defendis Thesin improbabilem.* Tu illi. *Sed non indefensabilem. Cæterùm si mea Thesis improbabilis est, opposita non erit improbabilis, illam ergo probetis.*

Portò Oppugnator, quamdiu vagatur extra formam, ut rationem asserendi prodat Responsalis, extorquere non poterit. At id ipsum poterit ratiociniis evincere, præcipuè si Thesis non jam probabilis sed esse evidens aut de fide dicatur. Propugnas hanc Thesin, *Est Deus, qui Mundum condidit & gubernat.* Si rationem asserendi postulem, non teneberis dare, at poteris cogi hoc ratiocinio, Sic inquam. [Non sunt multiplicanda Entia sine ratione; sed nulla datur ratio quæ nos cogat asserere Deum, ergo non est asserendus.] Minorem probabo. [Quoniam vel illa ratio est probabilis vel evidens, vel tandem à Fide divinâ vel humanâ dependens. Fides humana est fallax; divina Dei existentiam supponit, non evincit; probabilitas utramque contradictionis partem afficit; unde, si probabile sit dari Deum, probabile etiam erit non dari; evidentia multa requirit, quæ non facili negotio conjunges: ergo non datur Deus.] Et quidem hîc tu non poteris rationem non dare.

An detur Deus? An id & quomodo probari poterit?

Moneo tamen Responsalem, ut benè videat, quàm certam esse velit vel asserat Conclusionem, quam tenet. Si enim illam dicat esse de fide, debebit expressum testimonium producere, quod elidi non possit. Si evidentem affirmet, debebit syllogismum producere, cujus forma sit bona, major & minor evidentes. Alterutrum dicat, fortiter oppugnari poterit, pauci enim sunt articuli fidei, & pauciores propositiones demonstratæ. Quod si suam Assertionem esse merè probabilem teneat, tangi non poterit: poterit enim dicere se ob reverentiam talis Authoris Conclusionem tueri, & sibi videri ejusdem nomen sufficere ad probabilitatem. Poterit addere, se habere rationes graves, non verò evidentes & certas; & tunc oppugnantis erit ostendere non esse graves: & id quomodo? nam quidquid opponat, judicabitur à propugnatore probabile; & sic nihil erit quod urgeat. Poterit tandem dicere Responsalis Thesin suam fundari probabilitate negativâ, quę non consistit in positivis fundamentis, sed solummodò in solutione rationum omnium oppositarum.

Aliud est defendere assertionem ut certam: & aliud ut probabilem.

N. B.

Octavò. Defendebatur subtilis propositio & exponebatur solidissimè. Argumentator syllogismorum inopiâ laborans, *Si rusticis id diceres*, ait, *ipsi riderent; immò & irriderent omninò.* Et Argumentatori Sustentans *Est verum, Domine; & ideò si contingat aliquando quod agam coram rusticis dicam omnia illa quæ sapientissimè docetis me, modò autem ago non coram rusticis sed coram Mundi luminibus & scientiarum miraculis, & ideò non possum non dicere quæ dico.* Laudarunt, laudavi; quia acriter & urbanè satisfactum fuit arguentis incivilitati.

An danda sit solutio melior, An sufficiat dedisse bonã?

Nonò. Cùm vel sacra Scriptura vel Pater aliquis exponitur, contingit aliquando Argumentatorem dicere, illam expositionem bonam quidem esse, sed eâ meliorem fuisse Augustini aut Ambrosij, ac propterea debere alteram dari. Tu autem illi, *Non solùm Augustini expositio, sed centena alia sunt fortè meliores quàm ista, non tamen aptiores meo intento. Sufficit mihi bonam dedisse, & aptâm: nec juvaret subtiliorem dedisse, si ineptiorem. Dico igitur inter Patrum expositiones subtilissimas nullam mihi aptiorem reperiri quàm datam.* Si instet iterùm & doceri velit, cur tibi illa expositio sit aptior; responde, *illam tibi esse aptiorem qua difficiliùs impugnetur, & tuam difficiliùs posse impugnari inde colligi, quod nihil contra illam dicatur.* Vel aliter, *illam tibi esse aptiorem litera expositionem, quæ magis displiceat arguenti: & datam magis quàm aliam ipsimet displicere, vel ex hoc uno colligi quòd aliam solutionem desideret.*

Quanta sit observãda in disputatione modestia?

Si hæreticorum scripta curiosè legeremus, reperiemus plura scommata, imò & plures injurias quàm periodos: nec mirum, ad dicteria recurritur, cùm de principali causâ desperatur; docuit nos eorumdem insolentiam retundere modestia veterum Patrum, qui sese intra civilitatis limites continentes non permiserunt, quòd schismatici obloquerentur impunè. Suavissimè Hieronymus tametsi sæpè injuriis lacessitus respondet, satius judicans suam innocentiam demonstrare, quàm inimicorum vitia detegere. Acriùs, modestè tamen Augustinus: à Pelagianis crudelissimè impetitur, fortissimè respondet, sed urbanè. Anonymus etiam ille, qui opus imperfectum contra Julianum Pelagianum scripsit (quod à nonnullis Augustino attribuitur) modestissimus est. Gravia audit, & acriùs suavitate torquet hæreticum, quàm faceret, si similiter exorbitaret.

DISPUTATIO V.

An præstet interdum potiùs fugere, quàm solvere difficultatem?

MCCCXIX. *An nos erudiant fabulæ?*

Plus nos docent aliquando fabellæ, quàm historiæ; & illæ, quas composuit Æsopus, monitis Moralibus sunt plenæ. Hanc alicubi legi. Senuerat Leo, & quia gravis annis, & obesus corpore non poterat bestiolas intercipere, quas devoraret, se ægrotum finxit, ut urbanitatis gratiâ ab inferiorum ordinum animantibus visitaretur. Accesserunt nonnullæ, & venerunt in prædam. Cautior cæteris Vulpes, ut vidit in antrum procedentia, non tamen regredientia vestigia, rem plenam periculo censuit, & hæsit in ipsâ antri Leonini porticu, nec voluit ingredi. Jubetur ad Regem animalium accedere, quia conquerebatur ille, quod ore fœteret, & scire volebat, an ex anhelitûs odore posset cognosci morbus ille, quo cruciabatur. Quid hîc infœlix Vulpes faceret? Regem accederet? esset suæ vitæ prodiga; nam ut suspicabatur, quotquot animantes accesserant, sunt devoratæ. Se nolle accedere, se nolle obtemperare, diceret? formalis inobedientiæ, adeòque criminis læsæ majestatis esset rea: & si hoc faceret, unam fugiendo mortem, aliam incurreret: Rex enim, qui illam dentibus propriis dilaniare non posset, eamdem ob inobedientiam ultimâ sententiâ condemnaret. Quid ergo? Nescierunt aliæ bestiæ medium terminum in re tam urgente invenire: at Vulpes cautior & doctior universis inter accedere & non accedere, inter obedire & non obedire medium invênit. Se, inquit Vulpes, illa die gravissimo laborare catharro, & nihil penitùs nare percipere. Hac illâ viâ, non violavit sylvarum Imperatoris legem, sed clusit aut fugit: nam si jubetur accedere, ut odorem percipiat, & illa nihil nare percipere poterat, lege erat libera; nec poterat ob incautam obedientiam discerpi, nec ob reluctantem inobedientiam condemnari. Quæstio à Leone proposita erat hæc, Utrùm haberet malè olentem anhelitum? Et Vulpes nec asseruit, nec negavit: nec quæstionem discussit; nec se nolle discutere dixit: erat enim extremis periculis plena alterutra contradictionis pars: sed difficultatem potiùs fugit, & cautissimè providit sibi.

MCCCXX. *An possim' ab aliquâ controversiâ præscindere.*

Hæc bestia docet nos, quo debeamus modo in scholis procedere. Non omnes sunt examinandæ controversiæ, non omnes difficultates dissolvendæ, non omnes positiones asserendæ aut negandæ, quia tametsi nullus casus sit dabilis, in quo utraque contradictionis pars sit falsa, multi occurrunt, in quibus utraque sit odio & invidiâ plena. Sæpè enim nos eò argumenta perducunt, ut sine damno & periculo asserere aut negare non possimus. In arcto positis potest & solet prodesse distinctio, quæ est quasi media via, quæ nec omnia alteri parti, nec omnia alteri adjudicat, sed arbitrio instituto differentiam subdividit, ut grata sit utrique parti. At sæpè errare solent, qui viam tenentes mediam utrique placere desiderant: nam, si uterque colitigator velit totum habere, utriusq; indignationem incurret,

Via media interdum est periculosior.

qui

qui utrique dimidium consignaverit. Ergo in hujusmodi casibus satius est fugere quam solvere difficultatem. Satius se à judicio subtrahere quam judicare cum tam manifesto periculo.

MCCCXXI. *Dialecticâ nos docet Christus.* Usus est hac Dialecticâ Christus Dominus; cujus ut benè dixit Augustinus, omnis actio institutioni & imitationi nobis est. Historiam recenset Matthæus *cap. 21. b. 15.* Pharisæi enim, cùm jam à longo tempore, actiones Christi observavissent, nec esset qui eum posset arguere de peccato; ex vitâ ad linguam voluerunt insidias transferre, & consilium inierunt ut caperent Jesum in sermone. Suos ergo bene institutos & paratos discipulos Herodianis adjungunt, ut siquid minus una Secta observaret, notaret altera, & ad Christum permittunt.

MCCCXXII. Adveniunt isti, dicuntque: *Magister; scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum. Dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet censum dare Cæsari, an non?* Considerentur verba singula, & videbitur quanto ipsa ingeniosa sint efficta, quantâ malitiâ concinnata, quantâ hypochrisi tecta. *Notentur & ponderentur singula.* Magistrum Christum vocant, qui tamen nolunt ejus esse discipuli. Et cur ad Christum illi? quia verax es. Et meritò: qui enim non sunt veraces, indigni sunt, qui possint consuli. Et Herodiani, siquidem nesciebant Christum esse Deum, unde sciebant illum esse veracem? *Verax, qua?* Hoc eos docuerat Christi summa sinceritas: qui enim aut alicujus personam respicit, aut aucupatur gratiam, aut indignationem timet, dicere veritatem non audet. ille enim, ut veritatem dicat capax est, *cui non est cura de aliquo, qui personam non respicit*; dicam Hispanicè, *Nos podremos asegurar, que dirá la verdad, porque no se le dá nada de nadie, porque no se embaraça por nadie, y siempre dice lo que siente.*

MCCCXXIII. *Dilemma formatum contra Christum.* Et quid tandem interrogant? *An liceat censum dare Cæsari?* Et cur hoc? Quia, ut putabant, Christus erat asserturus aut negaturus; & alterutro responderet modo, in sermone illum caperent. *Si assereret*; Jesum dicerent Romanorum Religionem tenere, quòd illos legitimos rerum dominos diceret; non enim tributa debent dari nisi vero & legitimo domino. Nam, si Cæsar erat Judææ, non tyrannus, sed dominus: bellum religiosum, quo illam subêgit, justum erat; ergo & justa Religio. cùm igitur unica sit in mundo Religio vera; cæteræ, & inter ipsas etiam Judaica, falsa esset. Firmat hoc ipsum tributi genus, Romani enim, ne Palæstinam novis oneribus gravarent, jusserant ut tributa ordinaria, quæ templo Hierosolymitano solebant pendi, Romam importarentur: quàm ob rem, non tam inquirebatur, An tributa solvi deberent Cæsari? quàm, an talia tributa? quod erat quærere, An illa Hierosolymitano templo, an verò Romano Capitolio? An Deo, an Cæsari pendi deberent? *Si negaret*; Jesum illi traducerent, & ad Cæsaris ministros deferrent, quòd dixisset tributa non esse pendenda. & hac viâ (sperabant) æquè erant illum perdituri, quàm aliâ.

MCCCXXIV. *Declinat difficultatem Christus, & illam declinando multa nos docet.* Et quid respondet Christus? Cognitâ illorum nequitiâ ait, *Quid me tentatis hypocritæ?* & tametsi hæc verba sola viderentur sufficere, ut eos graviùs urgeret, sibi jussit census numisma ostendi. & cùm illi obtulissent denarium, sic infit: *Cujus est imago hæc & superscriptio?* Respondent illi, *Cæsaris.* & eisdem Christus, *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo.*

Hîc, ut clarè conspicitur, Christus directè non respondet, nec ad quæstionis formam, nec ad rogantium mentem; & nihilominùs bene respondet. Se ab utrâque contradictionis parte subtrahit, & invidiam fugit, & interrogantes & eorumdem Magistros confundit.

MCCCXXV. *An Ecclesiastici cogi queant, ut tempore necessitatis solvãt subsidia sæcularibus?* Qualis Christo, multis interdum viris doctis proponuntur quæstiones, quibus nemo prudens aliter respondere debet, quam Christus. Fui in Bavariâ anno 1645. Erant in arcto omnia, & summa undique ab hostibus imminebant pericula. Erat alendus miles, qui regionem defenderet. Tributa à sæcularibus extorta, erant imparia tantæ moli: ergo ad Ecclesiasticos venitur. Jubet Princeps ut solvant, Episcopus Augustanus ne solvant. ille pœnas, iste pœnas minatur. Quid Parrochi miseri facerent? aliqui tenerioris conscientiæ, nolunt propter Episcopi apprehensiones, negare subsidia quæ debeant; *Ratio pro negativâ.* at ipsi nolunt propter mandata Ducis solvere quæ non debeant. Consulunt Viros doctos, An stantibus illis circumstantiis, & præcipuè positâ Episcopali inhibitione, liceat pendere tributa Bavaro? Qui ab Augustani Episcopi liberalitate dependebant; non licere resolvunt, at de ipsis verificari non poterat, quod curam non haberent de aliquo, nec respicerent personam hominum: hoc enim unicum videbantur curare, ne quid contra Augustani decreta (justa aut injusta) definirent, summo enim singuli erga ejus personam respectu tenebantur. Dicebant Presbyteros, & habentes curam animarum præcipuè, Episcopi legibus strictissimè obstringi; nec subditorum esse illas examinare aut discutere, sed solùm venerari & implere. Episcopum suas habere rationes, etiam graves, quas non tenebatur exponere. Ejus præceptum censurâ affici; & hanc semper esse timendam. Debere viam securiorem iniri, & Episcopo obtemperare satius esse. *Ratio pro affirmativâ.* Contra, qui pendebant à Bavaro, magnâ curâ ejus nutus observabant, & voluntatem respicientes dicebant. Parrochos, ut solvant sartori pro veste, aut sutori pro calceis, licentiâ Episcopi non indigere: non postulari ab Ecclesiasticis gratiam sed debitum: & milites, quorum æquè Ecclesiastici ac Sæculares sanguine defenduntur, impensis Ecclesiasticorum & Sæcularium ali debere, Consensum Episcoporum non requiri,

An quidò est in morâ periculum debeat recurri Romam?

Si contradicant isti, aut excommunicationis fulmina minitentur, non debere curari: hæc enim fulmina invito Christo explodi nequeunt, & ipse innocentes & pios fulminibus his tangi non patitur. Omnem quidem excommunicationem esse timendam: excommunicatum enim justa vulnerat, injustaque excommunicantem. Addebant, non debere ad Pontificem Summum recurri, quia periculum in morâ erat, & tardè negotia promoventur Romana: quod ipsum probari dicebant experientiâ, quia cùm decimationem redituum Ecclesiasticorum Bavarus à Papâ postulasset, tribus integris annis solicitare Romæ debuit, & posteà tandem gratiam obtinuit, tot limitationibus decircinatam, ut collectorum stipendio subsidium non potuerit sufficere. Addebant Moralia moraliter tractari debere, & Augustani voluntatem non esse huic tributo moraliter contrariam; debebat enim considerari, non quam habebat ille, sed quam deberet. At neutri satisfaciebant controversiæ, quoniam partiales & affectibus præventi dicebantur. Ergo ad viros indifferentes, & utriusque (Episcopi nimirùm & Ducis) amicos devenitur, & consulunt Parrochi, quid debeant facere. Si conscientia-consulti responderent pro Principe, incurrerent indignationem Præsulis; & si pro Præsule, indignationem Principis: ergo consultiùs fugiebant quàm solvebant quæstionem, subtrahendo se ab odiosâ materiâ & dicendo: *Date igitur, quæ sunt Principis, Principi: & quæ Præsulis, Præsuli.*

An respicienda sit voluntas quam Superior habet: an verò illa quam habere tenetur.

DISPUTATIO VI.

An liceat rationi seriò positæ dare solutionem non seriam?

MCCCXXVI. SUmma Scholæ severitas interdum joviali aliquâ solutione aut objectione temperatur: & sæpè hoc ipsum temperamentū laudem habet: sæpè limitea discretionis excedit, & tunc vituperio non caret. Suaderem omnibus, & junioribus præcipuè, ut à jocia abstineant; multa enim licent militi veterano, quæ sine crimine non patret tyro. Interim, ut harum disputationum severitatem temperem, qui vidistis Argumentatores furibundoa, loco syllogismorum scommara aut injurias explodentes, modò Præsides aut Respondentes ridentes rationes, etiam bonas & efficaces, audiatis.

Schenckelij & Ramponij Doctorū Lovaniensium laus.

Erat Lovanij Joannes Schenckelius, acuti ingenij senex, at qui nec libroa nec alios citabat: & ob genij austeritatem plurimis displicebat. Erat inculpabilis vitæ, & ideò poterat scommata liberiùs fundere, quæ nemo patienter tolerabat. Animo induxit Rampenius (alter senex; vir etiam pius & doctua) nunquam seriò respondere Schenckelio, quidquid privatim diceret, quidquid publicè opponetet argumentando: & quia jucundissimum erat auditu horum duorum colloquium, ex pluribus quæ digna scitu, hæc pauca scribo; protestans me utrumque venerari & amare, & & eo fine advocare, ut magno illi suffragio meam resolutionem inferiùs ponendam confirment.

Primum.

De consecratione calicis, & conversione aquæ in sanguinē.

RAmpenio Præside propugnabatur ista Thesis. *Vinum immediatè convertitur in Christi sanguinem, aqua mediatè: non enim in sanguinem converti potest, nisi priùs convertatur in vinū.* & illam Schenckelius impugnandam adsumpsit, & sic ait.

[Cùm Christus in cœnâ consecravit calicem, quidquid in illo erat in sanguinem conversum est. At in calice erat magna quantitas aquæ: Ergo aqua immediatè in sanguinem conversa est.] Et Rampenius jussit concedi majorem, & minorem negari. Ut ille negatam probaret sic ait. [Christus fuit valdè sobrius.] Et Rampen: [Utinam Belgæ essemus illi similes.] Et Schenckelius: [Ergo verisimile est, quòd multâ aquâ calicem temperarit.] Rampen, [Duos trientes infudit.] Subjungit Schenckelius. [Verisimile est, quòd inter consecrationem & sumptionem non fuerit multum tempus.] Et Rampen: [Consecrasse & statim distribuisse constat ex illis verbis *Accipite & bibite, hic est enim calix meus.*] Tunc voce clariore Schenckelius triumphum inens: [Ergo aqua immediatè conversa est in sanguinem Christi.] Sequelam probat: Quoniam admissum erat totum laticem consecratum fuisse, nec possibile erat, ut tanta aquæ copia à tam parvâ quantitate vini tam parvo aut tam nullo potiùs tempore converteretur. Ad hæc Rampen: [Distinguo inquit, distinguo. Impossibile est, ut tanta aquæ copia à tam parvâ vini quantitate convertatur; si illud Gallicum, Rhenanum, aut etiam Hispanicum sit, concedo; si verò Palæstinicum sit, nego. Fateor inquit vina omnia Europæ summâ laborare impotentiâ: & præcipuè omnia illa, quæ venduntur Lovanij; sunt enim Christianissima, etiam si non sint Gallica; nam omnia diluta sunt & baptizata. At Palæstinæ vinum maurum est, aquam non vidit; & quia generosum & forte, aquam siquam concipit, in se

Vina palæstinica sunt multò fortiora Europæis.

in se convertit. Loquor, quæ scio. Hollandus quidam Calvinista, à quo pro Collegio necessaria sumebam, misit ad me unum vasculum ex isto vino. Erat liquor purpurisso simillimus, odore fragantissimus, & ipsissimus tantarum virium, ut si vel guttam lingerem, toto corpore calefierem & sudore perfunderer.] Hæc dixerat: & verso ad Schenckelium vultu subjungit. [Hanc viam invinimus. Magnam aquæ copiam à vino Europæo converti non posse concedimus: à vino Palæstinico converti non posse negamus. Ergo probet V. Eximia Dominatio, vinum illud Hierosolymitanum tam esse debile, ut non possit multam in se aquæ quantitatem convertere motu quasi instantaneo.]

Risimus, & applausimus omnes; & tamen stetit Rampenij distinctio, & sive per jocum, sive seriò sit data, non potuit ullo modo impugnari.

Secundum.

MCCCXXVIII. POst pancas septimanas disputatio solennis erat de peccatis: & doctrinam de originali, quæ ab omnibus recepta, & sub Rampenio defendenda, à Schenckelio hac ratione impugnatur.

An si Adamus tantùm peccavisset venialiter, originalem culpam contraxissemus? An potuerit esse culpa originalis in suo genere levis, hoc est, venialis?

[Originalis culpa non provênit à culpâ veniali: at Adamus comedendo pomum, non peccavit mortaliter; ergo non datur originale peccatum.] De facto esse veram majorem ait Rampenius: at se non videre repugnantiam in transfusione alicujus culpæ venialis, si Deus sic veller: sed quia hoc non videbatur concernere statum naturæ lapsæ, in quo sumus, concedi jussit absolutè majorem, Minorem negat.

MCCCXXIX. Eam probat alter. [Qui hodie comederet unum pomum jejunii die, excusaretur à peccato mortali: ergo excusari Adamus debet. Ergo ut plurimum peccavit venialiter.] & Rampenius respondet distinguendo antecedens. Qui comederet jejunii die unum pomum Lovaniense, non fracturum jejunium concedit: at eumdem non fracturum jejunium esse, si pomum Paradisi comederet, absolutè negavit. Succlamat Schenckelius, poma Lovaniensia & Paradisiaca esse ejusdem qualitatis: & hoc Rampen quod posset negare si vellet, coodonat gratis: ait tamen illa ejusdem quantitatis non esse, & jejunium, non pomorum qualitate, sed solâ quantitate violari. Subjungit singula Paradisi poma habuisse viginti pondo, nec debere tolerari Lovanii novam istam & valdè perniciosam doctrinam quæ docet, qui die jejunii viginti pomorum libras ederet, non fore peccaturum mortaliter. [Sunt verba, ait Schenckelius; & sicut vestra Dominatio unum pomum Paradisi viginti librarum esse ait, sic ego ejusdem Paradisi vigind poma assero unam libram æquare: multa audio, at rationem dicendi non video.]

De Palæstinæ fructibus.

MCCCXXX. Ad hæc subiratus Rampenius: [Meum est asserere, vestrum rationes dare: meum dicere, vestrum mea verba rationibus robustis oppugnare. At quia contrarium postulatis non jam viginti pondo, sed centum pondo fuisse singula Paradisi poma clarissimè demonstraturus sum. Majores erant omnes fructus sub mundi initium quàm post diluvium, & tamen in palæstinâ poma pendebant centum aut etiam trecentis libris, quando illam Israëlitæ occuparunt: ergo tempore Adami fuerant multò majora. Sic probabat adsumptum. Racemus uvarum pomumque ejusdem sunt ponderis, plus minus, at uvarum racemus in Palæstinâ ducentarum aut trecentarum librarum fuit: ergo & pomum. Minorem evicit producendo sacrum Bibliorum textum, nam *Numer.* 13.24. legitur, *Absciderunt palmitem cum uvâ suâ, quem portaverunt in vecte duo viri.* Pondus igitur, quod ab uno non potuit, & à duobus hominibus, nobis multò fortioribus, portari debuit, ducentis aut trecentis (ne quingentis aut sexcentis dicã) majus fuit.]

Quàm fuerint magna poma paradisi?

Omnia in mundo minuuntur.

Hæsit argumentator; & quia probare debebat poma Palæstinæ aut Paradisi ante diluvium fuisse æqualia Belgicis, & hoc non potuit, risum auxit.

Tertium.

MCCCXXXI. IN aliâ disputatione Schenckelius eò pervenit ut deberet ostendere baptizatos & instructos ab Hæreticis esse Catholicos, & invincibili ignorantiâ salvari. & sic inquit; [Calvinistæ maria omnia enavigant, & ad regiones remotas appellunt: ibi doctrinam Joannis Calvini prædicant, & barbaros convertunt & baptizant. Auditur Joannis Calvini nomen, ubi nunquam auditus fuerat Christus: ergo isti barbari tametsi imbuti Joannis Calvini hæresi, sunt Catholici.]

An baptizati ab hæreticis hæretici sint?

MCCCXXXII. Posset Rampenius hæresim materialem à formali distinguere, & sic se ab oppetitione Argumentatoris expedire; noluit tamen. Sed more suo maluit jocando Schenckelij argumentum dissolvere; inquitque. [Illi nebulones neminem baptizant. Avari sunt: raptores sunt, divitias quærunt, & non animas. Vel dicito eximie Domine Magister noster; quâ sum probabilitate crediturus eos, qui in Galliâ, Hollandiâ, & Angliâ suas negligunt conscientias & animas, eosdem ipsos maria vastissima & periculosissima superaturos ut salvent alienas. Nostra igitur solutio est, Calvinistas in Indiâ, nec concionari, nec cathechizare, nec baptizare: sed furari, prober ergo Vestra Dominatio contrarium.] Hæsit argumentator, & argumenti vires fuerunt & faceto respondendi genere, & modo applaudendi enervatæ.

Hæresis duplex: materialis, formalis: illa excusat, hæc non excusat.

An aliqui baptizent Hæretici?

Quartum.

MCCCXXXIII. ERrant in lite isti boni Doctores, nam Schéckelius notabilem florenorum summam Theologicæ Facultati, aut aliis saltê usibus afferebat, quam Rampen nolebat consignare. Succurrebat ratio postulandi & negandi. Erat Collegij majoris Præses Rampen; & constabat ex computu expensas ordinarias Collegij annis

singulis reditus ordinarios Collegij non æquasse, sed semper mansisse aliquam summam, quam Schenckelius adcensebat Facultati Theologicæ: quam contrà Rampen dicebat pauperum Alumnorum esse, quam de facto expendebat procurans isti togam, illi clamydem, alij librum, &c. Dum igitur in Regio Bruxellensi Senatu ferveret ista lis, incidit disputatio de peccatis. Et quia propugnabatur, *Virginem Matrem, non solùm maculâ caruisse, sed & omni maculam incurrendi debito*, Schenckelius hanc partem oppugnandam adsumpsit; & sic ait.

An Deipara habuerit originalis culpa debitum?

[Clariùs, liquidiùs, meliùs intelligitur immacolata Virginis Conceptio, adserto debito, quàm negato: Sed doctrinæ ordo postulat, ut à clarioribus ad obscuriora procedatur: Ergo, ut Deipara peccato caruisse dicatur, dici debet habuisse debitum.] Posset aliter aliterque respondere Rampenius; non enim, quæ sunt clariora aut faciliora, sunt certiora: nam si malo & vacillante charactere quis Evangelium scribat, nitidissimo & clarissimo Ovidij Metamorphoses; certum erit literas clariores & & faciliores falsas esse, obscuriores & difficiliores veras esse: illud enim Axioma, *A clarioribus & facilioribus est incipiendum*, intelligendum est de æquè certis: aliàs enim à certioribus est incipiendum, sive sint obscura, sive clara. Sed hæc ipsa, quæ dico, & alia quæ possem subjungere, non curavit Rampenius, sed majorem absolutè negavit.

Clariora & Faciliora non semper sunt certiora.

Quo sensu à clarioribus aut facilioribus sit incipiendum?

MCCCXXXIV. Ut illam suaderet Schenckelius, [Ponamus, inquit, quod V. Ex. Dominatio deberet mihi mille aureos] plura dicturum interpellat Rampenius irato similis, aitque [Quis? cui? quot? Ego Dominationi vestræ nihil debeo. Siquid œconomiæ diligentiâ ab expensis ordinarius redimo, alumnis pauperioribus dono: at vestræ Eximiæ Dominationi nihil omninò debeo, nihil dabo.] Subridet Schenckelius [Non aio, inquit, quod Dominatio Ura, mihi debeat mille aureos, sed volo hoc supponi, ut meum possim promovere argumentum.] & ille: [Sive tuum argumentum claudicet, sive cespitet; sive promoveatur sive non promoveatur, quid mea? at quod debeam aut non debeam mille aureos, hoc mea refert. Adsunt plurimi, & statim citaret Bruxellas, & centum hominum testimonio convinceret hanc immensam auri summam debere.] Applaudebat Rampenio totum vulgus, nec sciebat Schenckelius quò pergeret: [Omittamus igitur facetias, ait; si immensa auri mole terretur, ne dicamus V. D. debere mille aureos, sed tantummodò decem.] Et Rampen: [Ego decem? Persuadeat sibi V. D. me nihil sibi debere: nec unquam mihi persuasurum ut vel seriò, vel jocosè, vel recreationis causâ, vel per modum hypothesis, vel uberioris doctrinæ gratiâ, fatear me vel nummum debere. Et in hac meâ opinione tam sum constans (aut, si placeat sic loqui, tam sum pertinax) ut minore dolore tolerarem, ut Patres Dominicani cum licentiâ Pontificis pronunciarent Virginem fuisse cum peccato conceptam, quàm ut Senatores Brabantini pronuncient me vel obolum Uræ Dominationi debere.] Sequutus est populi risus Rampenio applaudens. Cogitur tacere Schenckelius: & argumentatur alius.

Quintum.

MCCCXXXV. SUmmo erat honori Universitati Lovaniensi Mercerus, Pontificij Collegij Præses, vir sanctus doctusque, & tantâ præditus memoriâ, ut Biblia per capita & versus recitaret. [Pauca fuerunt in Mundo huic homini similia prodigia. Joannes Zassus Ordinis Cisterciensis, & in Monasterio Vallisparadisi apud Hispanos, Noviriorum Magister, sciebat utrumque testamentum exactè, & tamen in Scholasticis non fuit mediocris. Habui condiscipulum qui adhuc tenellus sciebat memoriter totam artem Grammaticam Nebrissensis Antonij (illâ utimur in Hispaniâ) & tamen nunquam scivit uti unâ regulâ, nec unum adjectivum cum uno substantivo sine reprehensione componere. Don Joannes Memorella Madriti, à memoriâ fuit celeber: & tamen præter memoriam nihil habuit. At rarò natura ingenium memoriæ maritavit. Utrumque habuit Alphonsus Tostatus, Abulensis Episcopus: utrumque Mercerus, de quo nuper: utrumque habet Lucas Lancelottus Antuerpiensis, qui totum Virgilium, quantus est, scit memoriter, ut Pater & Ave. Edidit Centones pulcherrimos & ingeniosissimos, quos & Acrostichâ, & Chronographicâ jussit gloriâ condecorari, quod ab alio olim factum fuisse nescimus, nec sine magno temporis impendio imitarer.] Sed redeo ad Mercerum, propter quem ista dixi.

Merceri Doctoris Lovaniensis laus.

Joannis Zassi, monachi Cisterciensis laus.

D. Joannis Memorella laus.

Alphonsi Tostati Episcopi Abulensis laus.

Luca Lancelots laus.

MCCCXXXVI. Præsidebat Lovanij Theologicæ disputationi, in quâ propugnabatur, *Ecclesia Romana perennitas, & infallibilitas*. Et Schenckelius argumentatus contrà hoc abutebatur ascensu. [Hic & ille Presbyter potest labi in hæresim: nullo dempto. Nullus est Episcopus, qui deficere à fide non possit. Nullus est Cardinalis, qui non possit Luthero aut etiam Calvino assentiri. Nullus est Pontifex, qui non possit hæreticus esse. Ergo tota Ecclesia potest labi in hæresim: Ergo Ecclesia Romana, tametsi hodie sit Catholica & Orthodoxa, cras fortè erit hæretica. Ergo Ecclesia Romana, tametsi olim fuerit Catholica & Orthodoxa, fortè hodie est hæretica.] Hunc ascensum voce altiore urgebat Schenckelius; reponebat & ostendebat Mercerus vitium in materiâ, vitium in formâ; at ille sponte surdus, nec adquiescebat nec audiebat. Dicebatur promissio facta toti Ecclesiæ, non singulis: vociferabatur Schenckelius & patientiam prudentiamque Merceri irritans hoc responso dimittitur. [Sanè si dixisset Christus Apostolo, *Tu es Schenckelius, & super hanc Schenckeliam ædificabo Ecclesiam meam*, evinceret intentum objectio, Ecclesia enim nullam securitatem nec in materiâ nec in formâ obtineret; nam Vestra Dominatio peccat in materia & in formâ: at quia dixit, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, nunquam in materiâ deficiet,

Adscensus distributivus ad universalem copulatrvũ nunquam pervenit.

deficiet, nunquam in formâ: & licèt contra singulos prævalere possint, & contra aliquos etiam aliquando prævaleant, portæ inferi non prævalebunt adversus eam.]

Sextum.

MCCCXXXVII. *An dentur auxilia sufficientia?* PRæside Liberto Fromondo *non dari auxilia sufficientia* defendebatur: quæ quidem opinio, licèt difficilis extra Lovanium visa sit, ibi (etiam ante Jansenij abortum) sæpissimè propugnata est. Se opposuit Pater Torres Dominicanus, natione Hispanus, vir verè doctus; ut doctrinam D. Thomæ tueretur. Et sic arguit. [Hæc verba Christi, *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, vera sunt. Et tamen non sunt vera in sensu efficaci; ergo in sensu sufficienti. Probatur minor: Quia Judas, & post eum etiam multi, manducarunt hunc panem, & tamen non vivunt in æternum. Ergo sensus verborum Christi is est: *Qui manducabit hunc panem, habebit omnia media & auxilia necessaria, ut vivat in æternum, si velit.* Ergo dantur auxilia sufficientia.] Officit difficultatem Libertus; & quia opinio, quæ negat auxilia sufficientia, liberè loquor, est indefensabilis, & hæc instantia prima fortis, & fortiores aliæ timebantur; quam rationem seriò non potuit solvere, enervavit, aut saltem turbavit jocando. Dum Torres Christi verba repeteret, & urgeret, occœpit subridere Fromondus, & voce admirabundâ dicere, *Profectò valde erit salsus ille panis, quem qui manducabit, bibet in æternum.* occasione inde somptâ, quod V consonam duriùs proferant Hispani, quàm Belgæ; imò ita durè, ut illam vix distinguant à B.

An qui semel in gratiâ consistentibus communicat, damnari possit?

Septimum.

MCCCXXXVIII. POssem multas nugas afferre, quibus magnæ difficultates aut fugatæ aut solutæ; sed artem seriam jocosis instantiis perturbarem: volo interim syllogismum addere, quo nos recreant, qui putant sibi non satisfieri cùm argumentantur.

Præside quodam Doctore Transalpino, Suevus quidam requiritur, ut argumentetur. Adquiescit iste, & contra Theses præteritas præsentes & futuras hanc rationem proponit: videlicet: [*Omne animal currit: Asinus non currit: Ergo Asinus non est animal.* Respondens de singulis propositionibus dubitat: & dum deliberat, an debeat concedere hanc, *Omne animal currit.* inquit Præses, *Lascia correre.* Ad minorem venitur; nimirùm, *Asinus non currit*; & Præses nauseabundo similis inquit, *Lascia stare.* Inferebatur, *Ergo Asinus non est animal*; & Præses effusissimè ridens reponit, *Ch' importa? è una bestia.*

Resolutio.

MCCCXXXIX. *Monita scholastica.* REcensui casus aliquos, ut exemplis præmissis Lectoris mei animum præpararem. Non subscripsi censuram; hæc enim à circumstantiis pendet. Dico igitur *primò*, ingenio subtili & acuto non expedire esse nimis austero. *Primum.* Imperturbatâ formâ interdum conceptus succurrunt, qui animos Auditorum conciliant, & plausum habent. *Dico secundò*, non licere leporibus, salibus, aut jocis argumentum in formâ progrediens perturbare. *Secundum.* *Dico tertiò*, respondentem, si ad eas angustias redactus sit, ut succumbere debeat: aut admittere aliquid, etsi verum, quod sine notabili commoditatis jacturâ affirmare non possit, debere modestè se substrahere, & argumentum perturbare, ut rationis claritate, quam prætendebat Argumentator, ad obscuritatem reductâ, non cogatur asserere, quod negare jubetur. *Tertium.* Sanè, si turbare argumentum expediat, id scommatibus, aut leporibus poteris. Sed cur scommatibus injuriis-ve? præstat igitur aliquâ sententiâ acutâ excitare scholasticum vulgus, ut applausu & strepitu & variâ rerum toto cœlo distantium commixtione fluxus formæ impediatur, aut etiam finis argumento imponatur, & detur locus alteri, qui novam quæstionem proponat.

DISPUTATIO VII.

De ipsomet modo argumentandi.

MCCCXXXX. *Modus & forma vestium est observandus.* SIquis preciosissimis utatur vestibus, non tamen ad modum patriæ excisis, consutis, & ornatis, ridebitur; vulgus enim Hispanum nec Gallicarum vestium brevitatem, nec Hungararum laxitatem, nec Suevicarum prodigalitatem patienter tolerat: sicut nec Suevicum aliarum nationum parcitatem. Sic etiam agitur in academiis; licèt enim aliquis respondeat benè, si modum non observat communem, nec laudem, nec applausum merebitur. *Etiam disputationum.* Hanc ego ob causam in duas Partes hanc Disputationem subdividam: in priori acturus de disputandi modo, quo usi sunt nostri avi: in posteriori autem de illo, quo utimur nostro tempore.

ARTI-

ARTICULUS I.

De modo disputandi veterum.

MCCCXXXXI. OMnia temporis decursu mutantur; voces, mores, sententiæ. Olim diversimodè argumentabantur, at hodie in omnibus Universitatibus, quas vidi, [Frequentavi disputationes in Universitate Salmanticensi, Complutensi, Madritensi, Vallisoletana, Parisiensi, Lovaniensi, Coloniensi, Moguntinâ, Herbipolensi, Viennensi, Pragensi, &c.] Peripateticus modus in usu est. At quia prodesse poterit Criticis & Historicis mores etiam alienos & antiquos cognoscere, unum aut alterum argumentum proponam, & eâ urgebo methodo, quam observabant Lovanienses, Colonienses, Duaceni ante annos centum, ut ex Erotematibus Augustini Hunæi, Professoris Castrensis, colligere est. Ipse enim primò modum argumentandi & respondendi præmittit, & secundò hæc exempla proponit: quæ etiam poterunt nostris servire Philosophis & Theologis, si conservent rationes & oppugnationes quoad substantiam, & modum nostro Lexico attemperent; nam pro iis vocibus *Major, Minor, consequentia*, ponit Hunæus istas, *Propositio, Assumptum, Consequutio*; & in cæteris non multum differt.

THESIS I.

Omnes sapientes sunt liberi; & Stulti omnes sunt servi.

MCCCXXXXII. *De immunitate Sapientis.* QUas Theses diximus, Themata Hunæus nominat; hoc primum sumpsit ex Cicerone, qui illud in Paradoxis edisserit; sed quæ oratoriè Cicero, dialecticè colligit Hunæus, & ad hos terminos & formam reducit.

OPPUGNANS.

Sic argumentor, Complures sapientes aliis serviviſſe memoriæ proditum est: ut Xantho servivit Æsopus, & alij aliis: ergo non omnes sapientes sunt liberi.

DEFENDENS.

Melior est posterior modus communis respondendi, ut ex collatione videri poterit.

Sic argumentaris: vel more COLONIENSI *in tertia persona, Sic argumentatur Dominus: vel, Sic argumentatur eruditus Magister, seu doctissimus dominus Doctor: vel etiam aliter, pro dignitate ejus persona qua argumentatur, & consuetudine illorum apud quos argumentatio instituitur (quam honorifica & amica compellationis varietatem, inter disputandum diligenter observandam, in reliquo istius disputationis progressu, brevitatis causa non repetemus quidem; magnam tamen ejus in omni disputatione habendam esse rationem censemus;)* Complures sapientes aliis serviviſſe memoriæ proditum est, ut Xantho servivit Æsopus, & alij aliis: ergo non omnes sapientes sunt liberi. *Sic argumentaris*, Complures sapientes aliis serviviſſe, &c. *Ubi bis terve totum repetiverit, dicat:* Nego consecutionem.

OPPUGNANS.

An libero servire liceat?

Probo consecutionem: Nam qui aliis serviunt, liberi dici non possunt.

Solutio. DEFENDENS.

Sic probat dominus consecutionem: Qui aliis serviunt, liberi dici non possunt. *Sic probat consecutionem:* Qui aliis serviunt, &c. *facta ad hunc modum bis terve legitimâ repetitione, dicat:* Distinguo quod assumpsisti: nam si loquaris de libertate corporis, verum esse concedo: sin autem de libertate animi, nego assumptum.

OPPUGNANS.

Quid sit libertas?

Probatur assumptum: Quia libertas, teste Cicerone, est potestas vivendi ut velis: qui autem servit, non potest vivere ut vult. ergo nullam habet libertatem neque corporis neq; animi.

Solutio. DEFENDENS.

Contra solutionem meam sic argumentatur Dominus: Libertas, teste Cicerone, est potestas vivendi ut velis: qui autem servit, non potest vivere ut vult. ergo nullam habet libertatem neque corporis neque animi. Libertas, teste Cicerone, &c. *facta repetitione, uti antè monuimus, dicat:* Nego secundam partem antecedentis. Sapiens namque, tametsi sit in alterius potestate, nihilominùs tamen vivit ut vult: quia nihil vult nisi quod recta ratio dictat, & quod temporis conditio eum facere sinit.

OPPUGNANS.

Dicit mihi Dominus. Sapientem, licèt in aliena sit potestate, nihilominùs tamen ita ut vult vivere, eo quòd in id solum quod recta ratio dictat, & temporis conditio sinit, illius voluntas feratur. *Contra hoc sic argumentor:* Non omnes sapientes appetitiones suas ratione moderantur: igitur malè in tuâ solutione positum est, in id solum quod recta ratio dictat, sapientis voluntatem ferri.

DEFENDENS.

An omnis sapiens ratione regatur?

Contra solutionem meam sic D. argumentatur: Non omnes sapientes appetitiones suas ratione moderantur: igitur malè in mea solutione positum est, in id solum quod recta ratio dictat, sapientis voluntatem ferri, &c. Non omnes sapientes, &c. *Post hujusmodi repetitionem unam atque alteram dicat*, Nego antecedens.

OPPUGNANS.

Perspicuum est antecedens: quia nonnulli sapientes non refrænant libidines, non spernunt voluptates, non iracundiam tenent, non coërcent avaritiam, non cæteras animi labes repellunt, ergo appetitiones suas ratione non moderantur.

Solutio.

Solutio. DEFENDENS.

Quinam sit sapiens?

Sic probat D. antecedens, Quia nonnulli sapientes, &c. *quo bis tervè clarè & perfectè repetito, dicat*, Nego antecedens: & ratio est; nam qui non potest cupiditatibus suis impetare, non sapiens esse, sed perniciosâ insipientiâ laborare, judicandus est.

OPPUGNANS.

Sic soluit D. argumentum, Qui non potest cupiditatibus suis impetare, non sapiens esse, sed perniciosâ insipientiâ laborare judicandus est. *Contra hoc sic argumentor*: Ab omnibus habiti sunt sapientes, qui tamen cupiditatibus suis non impetarunt: ergo non rectè dicis, in omni sapiente rationem imperare atque dominari voluptatibus.

DEFENDENS.

Sic argumentatur Dominus. Ab omnibus habiti sunt sapientes, &c. *Iteratâ aliquoties oppugnantis ratione, negabit antecedens.*

OPPUGNANS.

An Aristoteles & alij Philosophi vitiosi fuerint?

Probatur antecedens: Quia Magni illius Alexandri præceptor (quem Sapientum ac Philosophorum omnium post Platonem faciunt principem) Aristoteles, & cum eo alij complures magni nominis Philosophi, maximis probris & vitiis sunt notati.

DEFENDENS.

Sic probat D. antecedens, Quia magni illius, &c. *post legitimam repetitionem, dicat*, Nego id verum esse quod assumis.

OPPUGNANS.

Hoc referunt historiæ.

Solutio. DEFENDENS.

An omnis sit historia fide digna?

Non omnibus est adhibenda fides historiis: siquidem constat, nonnullos per malevolentiam & invidiam laudes præstantissimorum virorum fuisse insectatos. Fateor nihilominùs, eos, qui morum improbitate vitam suam contaminant, sive Philosophi sint, sive alio titulo illustres viri, non esse inter liberos, nedum inter sapientes numerandos, quantumcunque speciosis nominibus vulgo sese vendicent: eum nulla major aut gravior servitus excogitari queat, quam quâ animus vel libidinis illecebris, vel avaritiæ, aut crapulæ, aut aliis sceleribus servit. Nec propriè sapientes dici poterant, quos tradidit Deus in cupiditates ignominiosas: quippe qui sapientiam professi, stultitiam suam prodiderunt; ut est apud Paulum ad Rom. 1. cap. In his enim omnibus non vera & genuina fuit sapientia, sed fucata quædam adulterina illius speciesatque simulatio.

THESIS II.

Bruta animantia non delectantur obiectis visûs, olfactûs, vel auditûs, nisi fortuitò; quatenus scilicet illa referuntur ad obiecta tactûs & gustûs. MCCC XXXXIII.

Quibusnam bruta objectis delectentur?

Est sententia Aristotelis Ethic. 3. quam esse falsam ostendere conatur Hunæus, & sic arguit.

OPPUGNANS.

De canum delectationibus.

Sic argumentor: Canes etiam cibo & potu pleni, nullâ neque fame neque siti laborantes, delectantur præsentiâ & aspectu suorum dominorum: igitur est aliqua voluptas in brutis animantibus ex objecto visûs non relato ad gustûs vel tactûs objectum.

DEFENDENS.

An-ne duplex negatio fortiùs negat?

Sic argumentatur Dominus, Canes etiam cibo & potu pleni, nullâ neque fame, neque siti laborantes, *&c.* Nego consecutionem.

OPPUGNANS.

Probatur consecutio: Quia voluptas, quam percipit canis cibo & potu plenus ex conspectu domini, est voluptas percepta ex objecto visûs, nullo modo ad objectum gustûs vel tactûs relato.

DEFENDENS.

Sic probat D. consecutionem, Voluptas quam percipit canis cibo & potu plenus ex conspectu domini, *&c.* Nego assumptum.

OPPUGNANS.

Probatur assumptum: Canis eo tempore non appetit cibum neque potum, imò nec si præsens adesset, eo delectaretur: ergo multò minùs est probabile, quòd propter absentem delectetur.

Solutio. DEFENDENS.

Cur canis amet suum dominum?

Sic probat D. assumptum, Canis eo tempore non appetit cibum neque potum, *&c.* Nego firmam esse consequentis cum antecedente connexionem: & ratio est, quia tametsi canis eo tempore non desideret cibum vel potum, tamen illam delectationem, quam percipit ex præsentiâ domini, non propriè efficit color vel figura domini, quæ sunt objecta visûs, sed potiùs recordatio cibi vel potûs aliquando à domino accepti; & ita ista delectatio canis non est purè ex objecto visûs, sed est ex eo quatenus ad objectum gustûs vel tactûs refertur.

OPPUGNANS.

Dissoluit D. objectionem, asserens eam delectationem, quam percipit canis ex præsentia

domini,

domini, non propriè effici à colore vel figura domini, quæ suor, &c. *Contra illam solutionem sic argumentor*: Auctor est Cicero in Offic. hoc inter hominem & belluam interesse, quòd bellua ad id duntaxat, quod præsens est, sese accommodet, homo verò consequentia & præterita cernat: igitur non rectè dixisti in tuâ solutione, canem delectari præsentiâ domini, non propter colorem aut figuram ejus, sed magis propter recordationem cibi vel potûs aliquando ab ipso accepti. *An bellua præteritorum recordentur?*

DEFENDENS.

Sic argumentatur D. contra meam solutionem, Auctor est Cic. in Offic. hoc inter hominem & belluam interesse, quòd bellua ad id tantummodò, quod præsens est, sese accommodet, *&c.* Nego consecutionem.

OPPUGNANS.

Probo consecutionem: Nam si bellua tantummodò præsentibus objectis moveatur, necessariò sequitur, illam ex rebus præteritis nullam posse delectationem percipere.

DEFENDENS.

Sic probat D. consecutionem, Si bellua tantummodò præsentibus objectis moveatur, necessariò sequitur illam ex rebus, *&c.* Concedo tibi istam conditionalem ratiocinationem.

OPPUGNANS.

At Cicero cùm dixit belluam se tantummodò ad id quod præsens est accommodare, nihil aliud significare voluit, quàm belluam præsentibus tantummodò objectis moveri.

DEFENDENS.

Sic assumit D. At Cicero cùm dixit belluam se tantummodò ad id quod præsens est, accommodare, nihil aliud significare voluit, quàm, *&c.* Nego assumptum.

OPPUGNANS.

Assumptum clarum est: nam hæc idem valent, eandemque planè vim habent, belluam ad id quod præsens est tantummodò se accommodare, & belluam præsentibus tantummodò objectis moveri.

Solutio. DEFENDENS.

Sic probat D. assumptum, Hæc idem valent, eandemque planè vim habent, belluam ad id quod præsens est tantummodò, *&c.* Nego ista eadem esse: nam præter experientiam, quæ ejusmodi sententiæ repugnat, Ipsius etiam Ciceronis verba, quæ post locum jam citatum continenter ponuntur, declarant illius dictum tali sensu accipi non debere: dicit enim de belluâ loquens, paululum admodum sentiens præteritum & futurum; itaque non negat Cicero brutis animantibus inesse recordationem & memoriam rerum antè perceptarum, sed eam, si cum hominis memoria & recordatione conferatur, tenuem videri affirmat: & ita planum est, Ciceronis doctrinam non modò non labefactare, sed etiam stabilire & confirmare solutionem paulo antè à nobis datam.

Aliud exemplum, in quo eadem Aristotelis sententia de brutis animantibus oppugnatur.

OPPUGNANS.

Contra illam partem sententiæ Aristotelicæ, in qua dicitur, Bruta animantia non capere voluptatem ex objecto auditûs, nisi quatenus refertur ad objectum gustûs vel tactûs, *sic argumentor*: Aviculæ suavitate cantûs sese mutuò delectant, idque maximè ventre jam pleno, & nihil requirente: igitur aliqua est delectatio brutis animantibus ex objecto auditûs non relato ad gustum vel tactum. *An aviculæ se cantûs suavitate delectent?*

Solutio. DEFENDENS.

Sic probas consecutionem, Ista oblectatio ex cantu percepta, oritur ex objecto auditûs, quod nullo modo referri potest ad, &c. *Nego eam partem antecedentis, in qua dicis*, suavitatem cantûs, quâ delectantur aviculæ, nullo modo posse referri ad objectum gustûs vel tactûs: nam Physici docent sæpenumerò aviculam aviculæ cantu ob id delectari, quòd per eum aut præteritæ rei venereæ memoria renovetur, aut futuræ imaginatio commoveatur: & ita suavitas cantûs aliquo modo referri potest ad objectum tactûs. *Non videtur hæc solutio conveniens.*

OPPUGNANS.

Dissolvis objectionem auctoritate Physicorum asserentium sæpenumerò, *&c.* & ita suavitate, *&c.* referri ad objectum, *&c.* *Contra hoc ita argumentor*, Experientia docet, aviculam suo ipsius cantu delectari: ut de philomelâ, alaudâ, & similibus perspicuum est.

DEFENDENS.

Concedo verè ista dici.

OPPUGNANS.

Sed illa delectatio nullo modo referri potest ad objectum tactûs vel gustûs: igitur saltem in his conspicitur falsitas dicti Aristotelici.

DEFENDENS.

Sic argumentaris, Illa delectatio nullo modo referri potest ad objectum tactûs vel gustûs, *&c.* igitur saltem in his conspicitur falsitas dicti Aristotelici. *Nego consecutionem.*

OPPUGNANS.

Probatur consecutio: quia concedis aliqua esse bruta animantia, quæ delectationem percipiunt ex objecto auditûs, nullo modo ad objectum tactûs vel gustûs relato.

DEFEN-

DEFENDENS.

Probas consecutionem, per hoc quòd concedo aliqua esse, &c. *verum est id à me concedi.*

OPPUGNANS.

Ergo falsum est, quod ait Aristoteles, bruta animantia non capere delectationem ex objecto auditus, nisi fortuitò, hoc est, nisi inferatur ad objectum gustûs vel tactûs.

Solutio. DEFENDENS.

Qui sit interpretans Aristotelis utile, verò aut nunquam torqueri poterit ejus authoritatibus.

Sic concludis, Ergo falsum est quod Aristoteles ait, bruta animantia, &c. *Nego consecutionem*: & ratio est, quia dictum Aristotelis non est universè, sed de parte duntaxat accipiendum, ut hæc sit ejus sententia, Pleraque esse bruta animantia, quæ nullam percipiunt voluptatem ex objecto auditûs, nisi quatenus refertur ad objectû tactûs vel gustûs: esse quidem nonnulla, quæ objecto auditûs per se delectentur, sed ea perpauca, si cum multitudine aliorum conferantur, videri: & ita nulla est dicti Aristotelici, cum eo quod modò à nobis concessum est, repugnantia.

THESIS III.

MCCC XLIV. *Dialecticæ studium utile est illi, qui ad aliquam excellentiam in Superioribus disciplinis adspirat.*

LOvanienses, ut constant ex Diplomate Visitationis, Superiorum Facultatum vocabulo Theologiam, Jurisprudentiam, & Medicinam intelligunt; & hoc sensu videtur loqui Hunæus, qui hanc sententiam, quæ communis & certa omninò est, his rationibus in dubium & quæstionem reducit.

OPPUGNANS.

An Dialectica sit perniciosa?

Sic argumentor: Nihil potest dici utile, quod detrimentum affert: ergo non rectè dicis, Dialecticæ studium ei utile esse, qui ad aliquam excellentiam in superioribus disciplinis aspirat.

DEFENDENS.

Sic argumentarà, Nihil potest dici utile, quod detrimentum affert: ergo non rectè dico, &c. *Nego istam consecutionem esse legitimam.*

OPPUGNANS.

Probo consecutionem esse legitimam: nam additâ enthymemati assumptione, efficitur legitimus syllogismus secundum modum Ferio; *hic videlicet:* Nulla res quæ alicui noxia est, potest dici eidem utilis: at Dialecticæ studium noxium est ei, qui ad aliquam excellentiam in superioribus disciplinis aspirat: ergo Dialecticæ studium ei utile dici non potest.

DEFENDENS.

Probas consecutionem esse legitimam, per hoc, quòd additâ enthymemati assumptione, efficitur legitimus syllogismus secundùm modum Ferio: *hic videlicet*, Nulla res, quæ alicui. &c. *Nego assumptionem istius syllogismi.*

OPPUGNANS.

Assumptionem probo: Dialecticæ studium retardat cognitionem superiorum disciplinarum: igitur non est utile ad magnos progressus in illis disciplinis faciendos.

DEFENDENS.

Sic probas assumptionem, Dialecticæ studium retardat cognitionem superiorum disciplinarum, &c. *Nego antecedens.*

OPPUGNANS.

Antecedens manifestum reddit experientia: videmus enim illos, qui Dialecticæ dant operam, seriùs venire ad studium sublimiorum scientiarum.

DEFENDENS.

Probas antecedens experientiâ, quâ videmus illos, qui Dialecticæ dant operam, &c. *Concedo id experientia notam esse.*

OPPUGNANS.

Sic argumentor: Qui Dialecticæ dant operam, seriùs accedunt ad studium sublimiorum scientiarum, uti concedis: igitur tardiùs illarum cognitionem percipiunt.

DEFENDENS.

Sic argumentaris, Qui Dialecticæ dant operam, seriùs accedunt ad studium, &c. *Nego consecutionem.*

OPPUGNANS.

Consecutio probatur: quia seriùs accedere ad aliquam disciplinam, & tardiùs ejus cognitionem percipere, sunt caussa & effectus tam arcto inter se devincta nexu, ut ubi est unum, alterum quoque adesse sit necessarium.

Solutio. DEFENDENS.

Sic probas consecutionem, Seriùs accedere ad aliquam disciplinam, &c. *Nego assumptum*: & ratio est, quia sæpenumero videmus ista à se invicem separari: contingit enim non rarò, ut qui præcipitato studio, & illotis (ut ajunt) manibus ad aliquam disciplinam accedunt, seriùs, aut potiùs nunquam veram ejus cognitionem assequantur: & è diverso, ut qui fundamentis firmiter jactis, & iis artibus, quæ lucem subministrant ad futura studia, majori cum certitudine tractanda probè perceptis, seriùs ad disciplinas superiores accedunt, illis & perfectiùs & breviori tempore percipiant: in quorum numero sunt qui Dialectices scientiâ instructi, ad superiorum disciplinarum studium sese conferunt. *An Dialectica studium retardet?*

OPPUGNANS.

Solvis argumentationem, dicens, Ista duo, seriùs accedere ad disciplinam aliquam, & seriùs ejus cognitionem percipere, sæpenumerò à se mutuò separari, & eos qui fundamentis alicujus disciplinæ firmiter jactis, ad illam (licet seriùs) accedunt, citiùs tamen ipsius cognitionem percipere. *Contra istam solutionem ita argumentor*: De Dialectica dici non potest, quòd sit fundamentum superiorum disciplinarum, neq; quod ad illas faciliùs intelligendas lucem subministret: igitur nulla caussa est, cur ejus studium, aspiranti ad aliquam excellentiam in superioribus disciplinis, utile dici possit.

An Logica sit fax & fundamentum scientiarum?

DEFENDENS.

Contra meam solutionem ita argumentaris, De Dialectica dici non potest, &c. *Nego secundam partem antecedentis.*

OPPUGNANS.

Probo secundam partem antecedentis: Nam Dialectica scientia est à cæteris separata, & longè alias res tractat, quàm quæ sublimioribus disciplinis sunt subjectæ.

DEFENDENS.

Sic probas secundam partem antecedentis, Dialectica scientia est à cæteris separata, & longè, &c. *Concedo id totum esse verum.*

OPPUGNANS.

Si istud verum est, igitur dici non potest, quòd Dialecticæ studium vel stabiliat vel adjuvet superiorum disciplinarum cognitionem.

Solutio. DEFENDENS.

Sic argumentaris, Si istud verum est, dici non potest quòd Dialectices studium vel, &c. *Nego firmam esse istam consecutionem*: quia sæpe contingit, ut res alioquin sejunctissimæ, sibi mutuò opitulentur: neque enim rerum diversitas impedit, quo minùs altera alteri adminiculo esse possit: veluti ars fræna conficiendi distincta quidem est ab arte equestri, non potest tamen hæc sine illius adminiculo consistere: similiter ædificandi ars sejuncta est ab arte ferraria, non potest tamen illa sine hac, à quâ sua instrumenta accipit, suo munere fungi. ad eundem modum de Dialectica & superioribus disciplinis est judicandum, diversitatem quidem esse inter illas maximam, ita tamen naturam earum comparatam esse, ut neque veritatem, quam profitentur, facilè invenire, neque inventam fortiter defendere, sine Dialectices subsidio, superiores disciplinæ queant.

An, quæ diversa sunt, possint connexionem habere?

* * *

THESIS IV.

Rhetorica est præclara Scientia.

Contra quam veritatem Hunæus hoc modo suam disputationem instituit.

MCCC XLV. De nobilitate Rhetoricæ.

OPPUGNANS.

Rhetorica nihil aliud est, quàm vanus quidam & inanis verborum fucus: igitur non rectè dicis eam esse scientiam præclaram.

Quid illa sit?

DEFENDENS.

Sic argumentaris, Rhetorica nihil aliud est, quàm vanus quidam, &c. *Nego antecedens.*

OPPUGNANS.

Antecedens probatur: nam Rhetorica docet periodos ita contexere, ut in iis sint membra nunc ab iisdem vocibus incipientia, nunc in easdem voces cadentia: item quòd fugienda sit terminationum similitudo, & quòd in syllabas longas suaviùs cadat oratio, & id genus similia.

DEFENDENS.

Sic probas antecedens, Rhetorica docet periodos its contexere, ut in iis, &c. *Concedo, quod assumis, id nimirùm in Rhetoricâ doceri.*

OPPUGNANS.

Ejusmodi minutiæ corrumpunt potiùs, quàm commodant dignitatem orationis, quemadmodum fucus naturalem formam, ergo rectè inani fuco Rhetoricam initio comparavimus.

Solutio. DEFENDENS.

Sic argumentaris. Ejusmodi minutiæ corrumpunt potiùs, &c. *Nego antecedens*: & ratio est, quia tametsi istæ res minutissimæ quidem per se sint, imò si intempestivè adhibeantur, etiam prorsus ridiculæ; tamen si prudenter & secundùm Rhetoricæ præscriptionem illis utamur, adeò non corrumpunt naturalem orationis dignitatem, ut etiam illi venustatem atque splendorem adjungant: quibus rebus efficitur, ut suavissimè & altissimè in audientium animos influat atque penetret oratio.

Quàm sit necessaria eloquentia?

OPPUGNANS.

Solvis argumentationem, dicens, Illas minutias seorsum quidem consideratas haud magni esse momenti, tempestivè autem adhibitas plurimùm orationis vim adjuvare. *Contra istam solutionem ita argumentor*: Vir prudens & doctus ad probandam vel improbandam orationem, rem ipsam quæ verbis subjicitur, non verborum tinnitum considerat: igitur inutilis est omnis illa diligentia, quæ in sonora & venusta oratione quærenda ponitur.

DEFEN-

DEFENDENS.

Ita contra meam solutionem argumentaris, Vir prudens & doctus ad probandam, &c. *Nego istam consecutionem.*

OPPUGNANS.

Probo consecutionem: Cujus in oratione probanda vel improbanda nulla habetur ratio, illud frustra in oratione adhibetur: at in oratione vel probandâ vel improbandâ nulla habetur ratio venustatis ejus: igitur supervacanea est ejusmodi cura, & frustra in oratione adhibetur venustas.

DEFENDENS.

Sic argumentaris, Cujus in oratione probanda vel improbanda nulla habetur ratio, &c. *Nego secundam partem antecedentis.*

OPPUGNANS.

An viri magni curent verba? *Probo secundam partem antecedentis*: Vir prudens & doctus, uti jam concessisti, res ipsas & rationum momenta ponderat, non verba numerat ad orationem vel probandam vel improbandam: ergo rectè positum fuit in secunda parte antecedentis, nullam haberi venustatis rationem in probanda vel improbanda oratione.

Solutio. DEFENDENS.

Sic probas secundam antecedentis partem, Vir prudens & doctus, uti jam concessi, res ipsas, &c. *Nego consecutionem istam esse firmam*: & ratio est, quia tametsi hoc demus, orationis ornatum apud hominem prudentem & doctum nihil prodesse (quamvis secus se res habeat) non tamen ob id continuò sequitur, omne orationis decorandæ studium esse vanum & inutile, cùm sæpissimè ad indoctos & imprudentes, quorum maxima est multitudo, habenda sit oratio; qui cum rationum vim percipere nequeant, orationis splendore & dignitate veritatem ejus metiuntur. Consequitur ergo, Rhetoricam, ad cujus professionem hæc pertinent, scientiam esse, ut initio diximus, præclaram, & ad res salutares utiliter hominibus proponendas vehementer necessariam.

Conclusio. Hæc Hunæus, quia sua Erotemata, & argumentandi Artem claudit dicens; *His paucis, rudi quidem & crassâ Minerva, sed tamen convenienter, ut arbitramur nostro instituto, disputandi exemplis in morali & naturali materiâ propositis, usitatam in hac nostrâ Academiâ disputandi rationem exprimere conati sumus: ut illi, quibus Academiam hanc adire vel non libet, vel non licet, ex isto libello, quæ sit optima, & in nostrâ Academiâ longissimo usu comprobata disputandi ratio, intelligere queant: & ii, qui Dialecticæ discendæ caussa huc se contulerunt, videant disputandi artem & exercitationem non modò valere ad altercandum de Dialecticis & leviculis quæstionibus; sed etiam ad ordine & ratione de gravissimis quibusque rebus disserendum, plurimum habere momenti. Certè constat ipsum Aristotelem, cùm suos discipulos in Dialecticis disputationibus exerceret, ex civili atque morali disciplinâ illis theses proposuisse. Quod quidem utilissimum atque laudatissimum sui Principis exemplum Peripateticos imitari conveniret: ut intelligeret juventus, Dialecticas praeceptiones non modò ad jejunas & spinosas quæstiones subtiliter disputandas; sed etiam ad maximarum rerum veritatem tuendam, falsitatem verò oppugnandam profligandamque, plurimum valere.*

Caramuelis Metalog. Lib. X.

ARTICULUS II.

De modo argumentandi Juniorum.

UT meliùs percipiatur discrimen inter veterem & juniorem argumentandi formam, volo primum argumentum Hunæi ad terminos nostros reducere, & juxta methodum hoc ævo receptam & communem rescribere. Erat *MCCCXLVI.*

THESIS.

Omnes sapientes sunt liberi, & stulti omnes sunt servi.

OPPUGNANS.

Et contrà, hanc rationem affirmo. Multi sapientes fuerunt servi: Ergo non omnes sapientes fuerunt liberi.

DEFENDENS.

Sic argumentatur Eximius D. M. N. (aut alius titulus competens debebit addi.) *contra nostram conclusionem, quæ affirmat*, Omnes sapientes esse liberos, & omnes stultos esse servos; *& illam impugnat hoc medio.* Multi sapientes fuerunt servi: Ergo non omnes sapientes fuerunt liberi. R. Multi sapientes fuerunt servi, *concedo antecedens.* Ergo non omnes fuerunt liberi; *nego consequentiam.*

OPPUGNANS.

Probo consequentiam. Nullus servus est liber: Multi sapientes fuerunt servi: Ergo non omnes sapientes fuerunt liberi.

DEFENDENS.

Nullus servus est liber; Multi sapientes fuerunt servi: Ergo non omnes sapientes fuerunt liberi. R. Nullus liber est servus. *Distinguo majorem. Si agamus de servitute & libertate unius generis, concedo majorem. Si de diversi generis, nego majorem. Datur enim servitium Animi & Corporis, quibus duplex etiam correspondet libertas. Atqui multi sapientes fuerunt servi: Distinguo minorem. Fuerunt servi corpore? concedo minorem. Fuerunt servi animo? nego minorem. Ergo non omnes sapientes fuerunt liberi.*

Distinguo consequens. Non omnes sapientes fuerunt liberi corpore? concedo consequentiam: [scio enim Æsopum Xantho, & alios aliis servivisse:] Non omnes sapientes fuerunt liberi animo? nego consequentiam.

OPPUGNANS.

Iam habeo non omnem sapientem fuisse liberum corpore, probo non omnem fuisse liberum animo. Sic argumentor. Qui habet servile corpus, animum liberum habere non potest. Sed, ut ex concessis patet, multi sapientes habuerunt servile corpus: Ergo non omnes liberum animum habere potuerunt.

DEFENDENS.

Qui habet servile corpus, liberum animum habere non potest. Sed, ut concessimus, multi sapientes habuerunt servile corpus: Ergo non omnes liberum animum habere potuerunt. ℞. Qui habet servile corpus, liberum animum habere non potest, *Nego majorem.*

OPPUGNANS.

Probo majorem. Libertas, teste Cicerone, est potestas vivendi, ut velis: Ergo ille habet animum liberum, qui vivit ut vult. At ille, qui servit corpore, non potest vivere ut vult: Ergo qui habet servile corpus, liberum animum habere non potest.

DEFENDENS.

Libertas, teste Cicerone, est potestas vivendi, ut velis. Ergo ille habet animum liberum, qui vivit, ut vult. At ille, qui servit corpore, non potest vivere, ut vult. Ergo qui habet servile corpus, liberum animum habere non potest. ℞. Libertas, teste Cicerone, est potestas vivendi ut velis. *Concedo antecedens.* Ergo ille habet animum liberum, qui vivit ut vult. *Concedo.* At verò, qui servit corpore, non potest vivere ut vult. *Nego hanc minorem.*

OPPUGNANS.

Probo minorem. Qui servit corpore, debet vivere ut suus dominus vult: Ergo non potest vivere ut ipse vult.

DEFENDENS.

Qui servit corpore, debet vivere, ut suus dominus vult: Ergo non potest vivere, ut ipse vult. ℞. Qui servit corpore debet vivere, ut suus dominus vult. *Concedo antecedens.* Ergo non potest vivere, ut ipse vult. *Nego consequentiam.* Quia sapiens tametsi sit in alterius potestate, vivit ut vult; quia nihil vult nisi quod dictat Ratio; & hæc ponderatis temporis conditionibus & circumstantiis dictat servo, quod id unicum velit, quod suo domino placet. Omnes enim sumus Dei servi, & si prudentes simus, non solum liberi sumus, sed & Reges, nam Deo servire regnare est. Et nostra libertas consistit in resignatione voluntatis, quam insinuamus ubi dicimus, *Fiat voluntas tua, sicut in cælo & terrâ.* Vivimus igitur ut volumus, si tantum vivere volumus prout Deus voluerit.

Quid sit vera libertas?

Omnes, Dei sumus servi.

Deo servire regnare est: & cur?

NON PROGREDIOR

ulteriùs. Sufficiat percurrisse istos gradus, ut omnes sciant, quo hodie modo in Europæ Scholis procedatur. In Hispania & Italiâ tantùm semel honoratus suis titulis Argumentator: videlicet in primâ instantiâ. Lovanij, & etiam in aliis plurimis Academiis, quotiescumque Defendens argumentationem Oppugnantis repetit, dicit *Supprobat Majorem* (*Minorem, &c.*) *eximius* (titulus) *&c.* Sed hoc ipsum, illis qui memoriâ pollent, & volunt protrahere tempus, commodum: at qui vivaci ingenio fervent, molestissimum est. Consulitur tamen Defendenti, ut vel patriæ suæ mores, vel Scholæ sequatur. Scholæ, quia præscriptus consuetudines Scholæ suæ, non libenter vident Seniores Doctores violari. Patriæ, quia hoc ipsum receptum ubique est, ut Salmanticensis respondeat more Hispano, Parisiensis Gallico, Austriacus Viennensi: & sic de aliis.

An ne argumentatoris titulus debent ad singulas instantias repeti?

***
*

DISPUT.

DISPUTATIO VIII.

De Dedicatoriâ; Prologo; & gratiarum Actione.

DEfendendæ Assertiones alicui Principi dedicantur; & dedicatio ipsa imprimitur sub illarum initium. In gymnasio antequam argumentatores incipiant, habetur prologus, & actio gratiarum in fine. De singulis paucula dicturus sum.

ARTICULUS I.

De Thesium inscriptione.

MCCC XLVII. THeses & libri solent Deo consecrari; solent Cœlitibus; solent Viris illustribus; erga quos responsuri tenentur. Sed à quibus illæ consecrabuntur? Semper aut fere à Propugnante: aliquando à Præside; aliquando (tametsi rariùs) ab ipsâmet Communitate. Videtur plus deferri Mecœnati, cùm Præses aut Communitas Theses consecrat, quàm cùm eas Propugnator, aut aliquis inferior offert.

Ut meus possit Lector, animadvertere, quî Dedicationes Thesium aut etiam Librorum inscribantur, aio duplicem esse modum: nam vel sola ponitur inscriptio, vel etiam epistola additur. *Exempla adjungo.*

Breviter à nonnullis scribatur: D. O. M.

DEO
OPTIMO MAXIMO.

In Thesibus Marianis dicatis, defensæ sunt Ingolstadij die 23. Junij, anno 1619. à Religioso & perdocto Domino, Fr. Benedicto Wolff, ex superiori Altaich Professo.

VIRGINI MATRI DEI.

COELO ADMIRANDÆ:
TERRÆ VENERANDÆ:
STYGI TREMENDÆ
LATE GENTIUM MERITO CULTÆ.
MIHI
ARCU-MONTENSI EX ARA PROPITIÆ.
VBIQUE AUGUSTÆ:
VBIQUE VICTRICI:
SPIRITUUM BONORUM HONORI:
SPIRITUUM IMPIORUM TERRORI,

HAS
CHRISTIANÆ PHILOSOPHIÆ PHILYRAS
EX ARCU-MONTENSI THOLO,
VT VNDE ANIMUS DATUS,
EÒ GRATUS REDEAT
L. M.
SUSPENDIT
FR. BENEDICTUS WOLFF.

Caramuelis Metalog. Lib. X,

Propugnatæ sunt hæ Positiones Ingolstadij ann. 1642. mense Majo.

MARIÆ
MAGNÆ MAXIMI DEI MATRI:
VIRGINI IMMACULATÆ,
INTEMERATÆ:
AUGUSTISSIMÆ COELITUM REGINÆ:
ORBIS DOMINÆ CLEMENTISSIMÆ.
DOMUI, SEDI, PARENTI,
ÆTERNÆ SAPIENTIÆ:
PATRONÆ MAXIMÆ,
OPTIMÆ, BENEMERITISS. DULCISS.

Hunc extremum è Philosophico pulvere laborem, primum affectûs monimentum; lubens, volens

STATUIT, VOVET, CONSECRAT,
Clientum Infimus, Devotissimus,
IGNATIUS WAIZENEGGER.

Defensæ fuerunt istæ Theses Dilingæ, Ann. 1620. mense Majo.

Magnis Cœlitibus
AVRELIO AVGVSTINO
Philosophiæ Lumini
Theologiæ Soli
Ecclesiæ Magistro:
Ejusque disciplinæ Alumnis nobilissimis
ALYPIO & POSSIDIO
Tribus belli in hæreticos fulminibus,
Commendatarum Ovium
Fidissimis Custodibus,

d 3 Hoc

Hoc
Laboris Philosophici specimen,
Dicat, Dedicat, Consecrat
Indigna tantis Majoribus Propago
EPADIUS DIESSENUS COENOBITA.

Fuerunt ista Assertiones propugnatæ Dilingæ Mense Junio Anni 1612.

Reverendissimo in Christo Patri; Amplissimo Præsuli,

D.D. GEORGIO

Inclyti Cœnobij Weingartensis per quatuor pene decades annorum fortunatissimo Archimandritæ.

HUNC QUATERNIONEM
CAUSARUM PHYSICARUM,
(Ut nemo roget causam, cur debeat)
Parenti Filius
Hoc laboris argumentum
In observantiæ testimonium.
Amoris votum
Indignus tantis Majoribus
Dicat
FR. MAGNUS ZÜRCHER.

An tituli personæ, an potius dignitates afficiant?

Titulum Reverendissimi & Amplissimi nomini proprio sui Prælati proposuit Magnus Zürcher: alij aliter faciunt, & meritò; tituli enim videntur dignitati deberi, non personæ. Considera Inscriptiones sequentes.

SEBASTIANO Inclyto Cœnobiarchæ in Furstenveldt, Domino suo adm. Reverendo, Patri, Parenti religiosissimo has ex Physicâ sacra collectas, defensas Theses honoris, amoris ergo dicat dedicat minimus servorum, indignissimus filiorum Georgius Weinberger, Dilingæ ann. 1621. *Est hodie D. Weinberger Furstenveldensium Prior, vir pius & doctus, & eruditissimis Scriptis clarus.*

HENRICO Illustrissimo Principi, Inclytissimo Augustanorum Pontifici Christophorus Pfarkircher. Dilingæ ano, 1621.

HILTEPRANDO, Reverendissimo Sedunensium Pontifici; S. R. Imperij illustrissimo Principi: Amplissimo Valleſiæ Comiti: Domino suo clementissimo: &c. Carolus Philibertus. &c. Dilingæ ann. 1622.

JOANNI Præsuli Amplissimo, Inclyti Cœnobij Augustani S. Crucis Præposito: BALTHASARO Decano dignissimo, &c. Dominicus Fesenmayr. &c. Dilingæ ann. 1622.

JOSEPHO, Curiensis Ecclesiæ Illustrissimo S. R. Imperij Principi. &c. Henricus Stain. &c. Friburgi Brisgoiæ. ann. 1628.

CONRADO, illustri ac generoso Baroni in Bemelberg. &c. offert, dicat, consecrat, Adamus Zürcher. &c. Dilingæ mense Decembri: ann. 1618.

PARIDI LATERANO, Reverendissimo Archipræsuli, Illustrissimo S. R. Imperij Principi: Sedis Apostolicæ Legato nato: &c. Domino suo clementissimo. &c. Fr. Romanus Molitor. *Est Paris illustrium Virorum Mecœnas, literarum fautor & scientiarum promotor: & hanc ob rem multas Theses & Libros sic inscriptos reperio.*

Cur plures? sufficiat è plurimis, quæ ad manum essent, has Inscriptiones elegisse, ut Lector meus propriis oculis videat, propriis hominis nominibus solere non adscribi titulos, qui potiùs debentur dignitatibus.

Et hîc obiter noto non omnes bene titulos MCXLVIII
adscribere ipsismet dignitatibus: Theses Physico-Medicæ sub Magnifico Domino Joanne Marco Marci &c. hîc Pragæ anno 1648. mense Aprili defensæ DIVO FERDINANDO III. AUGUSTISSIMO ROMANORUM IMPERATORI, GERMANIÆ, HUNGARIÆ, ET BOHEMIÆ REGI dedicantur: multi etiam alij Cæsarem vocant DIVUM, & utrùm hic titulus competat Imperatori? rogas.

De titulo Divi. An possit adscribi Drvo; an possit viventi

Mihi, ut sincerè loquar, videtur committi duplex error. Primus, quia Divinitas adficta hominibus ethnicismum redolere videtur: &, si mores veterum libeat sequi, & vocis significationem remittere, Divinitas adscripta vivis historiis dissonare videtur; nam Romani Cæsares suos, dum viverent, non vocabant Divos; nisi illos fortè, qui se esse Deos, & Deorum soboles delirarunt.

De titulo Eminentissimi. & Serenissimi

Electores, Germani Imperij Capita, colimus & veneramur: & tamen nescio, cur Sæculares Serenissimos; & Eminentissimos debeamus vocare Ecclesiasticos.

Excellentissimi,

Excellentissimos dicimus, Sanctioris Consilij Assessores: etiam Hispaniæ, Galliæ, & Reipublicæ Venetæ Legatos: & hic iterum asseto me nescire, cur Nuncius Apostolicus Illustrissimus & non Excellentissimus sit nominandus.

& Illustrissimi.

Sed & Illustrissimi hodie titulus, videtur esse valde communis: attribuitur Baroni cuilibet: & cur attribuatur ignoro.

ARTICULUS II.

De Epistola Dedicatoria.

QUàm multa & varia in librorum Epi- MCXLIX.
stolis Dedicatoriis soleamus reperire, sciunt omnes, qui quando dolent capite, nec

[illegible] in Dedicatoriis raro veri. nec severiora possunt, illas legunt. Quàm mira & rara in foliis illis, quæ inscriptæ Armando Cardinali Richelio, constat ex Aleimo, qui Gallicam Theologiam suam è foliis illis foliis collegit. Ridentur Scriptores cùm supra fidem & meritum suos Mecœnates laudant, & in adulationem transit, quæ esse debebat Panegyris. Hanc ob causam, qui ejusmodi literas est scripturus, calamo indiget eleganti & subtili, mente sincerâ, modestâ, & ab adulationis prædeterminatione liberâ. Et quia Theses aut Libri Deo, Divis, & Principibus inscribi solent, unam aut alteram Epistolam loco exempli subscribo.

Quomodo dedicatio fieri debeat?

HOMINI-DEO

SUMMO ANGELORUM ET HOMINUM IMPERATORI.

NOn solùm hæc falsa Philosophica, has Theologicos flores, hos fructus Ethicos, Tibi consecra (Omnium rerum Domine Potentissime) sed & Authorem ipsum; totum, totum; ut si semel sit Tuus, alius esse non possit. Tu VIA, Tu VERITAS, Tu VITA. Per avia & devia me traxit humana conditio, & inter tot Authorum opiniones aut placita viam Veritatis ignoro, & ideò venio ad Te, & inveniam Viam in Veritate; nec non Veritatem in Viâ. Et quia Scholæ Christianæ ad vitam æternam nos dirigunt: nos ipsa in Veritate (hoc est, in Te) per Viam (hæc est, per Te) ad Vitam (hoc est, ad Te) doctrinæ sinceritate & puritate manuducunt. Adsis igitur disputaturo Veritas; victuro Via; & morituro Vita; ut Te contempletur mens mea, Te imitetur mea vita, &, ut æterna sit, in Te desinat, ut me olim mors ad Te tandem aliquando perducat. Sic vovet, sic orat, sic sperat, Princeps summe,

Doctrina, quæ hominem non diriget ad Deum, aut libi nescitur, quàm addiscitur.

Tua infima Creatura
Caramuel.

VIRGINI-MATRI

HAnc etiam, MAGNA MATER, inter communia Orbis vota tabellam patere ex Aris tuis suspendi, indicem tantæ

Scripsit [illegible] [illegible] anno 1642. Mense Maio.

ampliorem TUÆ in me CLEMENTIÆ: quantamamus est, quod TIBI debeo, minus quod reddo. Maiestate Tuæ omnia angustiora sunt, virtute humiliora. Et desperasset gratitudinis famam turatus, TIBI animus, nisi solenne TIBI esset, ruinosas & collabentes spes attollere, erigere desperatas: ipsaque Maiestatis amplitudo inde etiam TIBI O DIVA, accresceret, quòd Minimis opitularis. Placuit ergò TIBI trophæum hoc statuere ex debellata inscitia, eo etiam felicius triumphata, quod TE non ignora. Ignosce tamen, DOMINA, si compendiosior in TUAS Laudes fui, quàm MAIESTATIS TUÆ ferat spatiosa GLORIA. Vt enim omnia mortalia suas metas habent, ita humana suis etiam brevibus ac litteribus frænantur; & Cœlestium rerum compendia dum faciunt, dispendia faciunt Immortalis Authoritatis. Complecti TE, O VIRGO Capax DEI, quia prælo non licuit, licuit saltem brevi oculo admirari, magisque ostendere TUIS, quid dici de TE possit, quàm quid oporteat. Fave benecœptis, O DIVA, & cum propugnante Sapientiam, SAPIENTIÆ MATER propugna, ac ne disceptanti animus desit, TU, cuius ope ac patrocinio vivo, Præsens Ades.

Sic erga Deum, sic erga Divam pietas MCCCL. ostendi potuit; & quomodo erga homines? Modus à tempore & circumstantiis adiacentibus pendet. Et obiter subdubitare incipere, *An libri, an theses hominibus debeant dedicari?* Sæpe enim hoc ipsum obsequium veracitate, & interdum etiam caret fine. Contra Invidiam advocantur Patroni, & Mecœnates contra Æmulos. Et quanto quæso hi fructu. Nullum Principem vidi, qui aut conscriberet militem, aut evaginaret ensem, ut defenderet ab Invidiâ libros, quos sibi Eruditio obsequiosa dicaverat. Nullum hominem vidi, qui dedicationis majestate perterritus, aliàs dente malevolo lecturus folia, à calumniâ aut censurâ abstineret. At, inquies, hæc & similia in Dedicatoriis solent dici, & alius est Clientum scopus, cùm Theses aut Libros Mecœnatibus consecrant; volunt enim juvari. Et hîc latet præjudicium notabile; nam Principes hæc devotionis & amoris testimonia non curant; putant enim se plus præstare, quando sibi tabulas consecrari permittunt, quàm clientes, quando illas sibi consecrant & appendunt.

Dubium incidens.

Ergo & Theses & Libri dedicentur
Hominibus, quia sic solet fieri;
non quia sic debet.

* * *

d 4 ART.

ARTICULUS III.

De Procemio, quod Disputationibus præmitti solet.

MCCCLI. *An in disputationibus debeat aliquid necessariò præduci?* ETjam in hoc varij sunt mores. Vidi enim multas disputationes, in quibus nihil vel præmissum, vel additum: sed hæ videntur nimis siccæ. Ergo aliquid in ipso initio præmittendum, ut concilientur Auditorum animi, & detur dicendorum specimen.

Qualis debeat esse Prologus Disputationis? Quanta autem præmittenda est oratio? Brevis, & quæ medium horæ quadrantem non exsuperet. Qualis autem? Qualem velit Defendens: modò non sit omninò disparata. Erit illud Procemium, aut ad laudem Facultatis, ad quam Theses spectant: aut Authoris, cujus doctrina propugnatur: aut Principis, cui dedicantur: aut tandem aliqua assumetur Conclusio, quæ videatur obscurior, & expositione indigere. Quisquis laudandus sit, debet præcipue ex locis intrinsecis & Disputationi connexis, ne videatur Defendens tripudium incipere extra chorum. Dabo specimen. Theses Physicas propugnaturus quidam meus, illas jussus fuit Excellentissimo & Illustrissimo D. D. Bernardo Ignatio Comiti Martinitzio, Regni Bohemiæ Præfecto, &c. dedicare, & hoc Procemio auditores ad stadium & arenam conducere.

MCCCLII *Bernardus Comes à Martinitz laudatur.* *HOdie, Comes Excellentissime, sub umbrâ tuâ, de naturalis Corporis principiis & elementis disputabimus. Hæc ad placitum totius Scholæ terna sunt; Materia, Forma, & Privatio. Et ut incipiam à me ipsa, Ego privatio sum, splendoris & dignitatis expers, capax tamen. Et quia capax, ideò ad lucem confugi, ut illustrer; ad lumen, ut illuminer; ad Scientiarum Antistitem, ut dirigar, & si non scientiâ propriâ, scientiâ mei Mecœnatis sapiens sim. Materia autem Scholastici Agonis, quem instituo, erit tota Natura; Cœlestis, Sublunaris; Incorporea, Corporea, Incorruptibilis & Corruptibilis, & quia Materia ad varias debet esse formas & prærogativas indifferens, omnia tuebimur & defendemus problematicè. Sed unde formam, unde actum, unde vitam & animam, recipiet defendenda Materia; quæ videtur informis & indeterminata, & formæ favore indigere. A te unico, Comes excellentissime, qui tuâ præsentiâ & patrocinio Disputationem hanc informas. Materia, ne magna Philosophorum pars edisserit, existit existentiâ Formæ, & subsistentiâ eiusdem subcollatur: & tota hæc nostra Disputatio, Auspiciis tuis existit, & tuo patrocinio subsistit, & tuâ præsentiâ decoratur. Te suspicimus Formam: qualem tamen? Vegetativam, Sensitivam, Rationalem. Vegetativam; quia nobis Plantarum, Brutorum, & Hominum vita vegetativa est Sol; & tu Sol es Bohemiæ, qui Præfectus errantibus & Fixis Syderibus, hæc foves, illa dirigis, & reducis ad orbitam, in quâ nullus est error. Sensitivam: quia nobis Sensus inhærent Animæ, & nostra tu animæ profundè inhæres; non quidem velut accidens, adest enim, cum subiecti manifestâ gloriâ, & cum detrimento & iactura deesset. Rationalem: quoniam totus es mens, totus es ratio, totus spiritus. Ergo Materiam hanc in literariâ arenâ contra Heróas fortissimos propugnaturus, ut tenuitatem ipse meam magno nomine protegam, Tibi illam offero, tibi illam consecro; te implora, & aio:*

His Thesibus, generose Comes sis, quæso, benignus
Spiritus. intus alas; Physicasque efusa per Artes
Mens, agita hanc molem, & magno te corpore misce.

DIXI.

Cùm in Prologo aliqua examinatur Quæstio, solet duplex forma servari: nam vel solus Defendens Quæstionem cōtrovertit, & rationibus singulis consideratis eam resolvit: vel, Ille potiùs, qui est argumentaturus primo loco, Principem Controversiam assumit, & rationes asserendi & negandi curiosè & accuratè pensitans, dat Defendenti optionem, ut alteram contradictionis partem, quam judicet veram, propugnet. Tunc Defendens ingenium & eruditionem Argumentatoris commendat, & quia sic jubetur, eamdem controversiam resolvit, affirmativè aut negativè, potest enim alterutrum. Et statim Oppugnator se opponit, & arguere incipit. Prior modus solus observatur Salmanticæ, solus etiam in multis excellentissimis Academiis: posterior obtinuit Cōpluti, & vix alibi. Utriusque brevissimas formas subscribo. MCCCLIII.

An Virgo sine culpa concepta, debeat sine Iesu depingi? *POsui in Principe loca [Rector Magnifice, & excellentissime: &c.] subobscuram quæstionem, quæ à plerisque lineis crepuscularis exarata, visa est luce nobilitare indigere. Erat illa. [Vtrùm ad exprimendum præservationis privilegium aptiùs in Conceptione sua immaculatâ B. Virgo solitariè pingatur, quàm cum infante Iesu?] & tametsi obtinuerit solitudo, & videatur probari, quia* &c. *Nihilominus Virginem cum Iesu pingi iubeo, & Pictoribus, ne illos unquam audeant separare præcipio, Deiparæ ipsius præcepto & resolutioni subscribens. Illa Pictori audaci, qui se infante exspoliarat:*

Cur

Cur sine Prole meâ me pingis? Pingere, quæso,
Me sine Me potiùs, quàm sine Prole velis.

Ergo meum erit Infantem audaciâ penicilli sublatū immaculatæ Virgini restituere: vestrum linguis animisq́ veritati favere; & me instantiis & argumentis honorare. DIXI.

Hanc proœmium formandi normam fere sequimur: sed quia Complutensium mores etjam nonnullis placent, hanc alteram formam subscribo.

An omnia sint communia tēpore gravis necessitatis?

EPralo ad pralium mittis, *Doctissime Domine Defendens, has eruditissimas Theses; & in ipsis hanc principe loco controversiam: nimirum: [Pluribus- ne odiis, quàm rationibus, opponeretur opinio, asserens Virum honoratum, inculpabiliter depauperatum, posse ex bonis Opulentorum indeterminatè, secundum suum statum vivere, sine onere restitutionis: donec instituatur secunda dominiorum divisio?] Propositâ opinione stat pietas, contra divitum timor, & Opulentorū avaritia: nec desunt rationes utrinque. Favent ista.* Nam, &c. *Obsunt ista.* Nam, &c. *Mihi aquales videntur, & quia quantùm hinc me Clementia, tantùm illinc me Iustitia submovet, Te accedo, & tuo ingenio & prudentia totam controversiam submitto. Scio enim te tam dexterè & subtiliter tractare singula, ut bene possit tibi Dubiorum eminentium Resolutio concredi. Tuum igitur erit propositam Controversiam resolvere, & me veritatem docere.*

Sic Oppugnans: cui Responsurus breviter & accuratè.

Doctissimè & Eruditissimè Domine, &c. argumenta utriusque partis proposuisti; & tam fortiter utraque, ut me rapueris sub initium, & verteris tatum sub finem. Tam efficacia sunt, quæ pro affirmatrice adduxisti, ut negare non audeam: tam efficacia, quæ pro negatrice adscripsisti, ut asserere nesciam: & in medio positus, quid eligā prorsus ignorem. At quia eligere debeo, inter rationum momenta paria, odia fugio, & quia præter ponderationes à te factas, etiam sunt tres instantia, quæ me movent: prima, &c. *secunda,* &c. *tertia,* &c. *pronuncio, non posse Virum honoratum, licet pauperem, Opulentorum damno suam vitam tolerare: sed debere petere stipem potiùs, quàm ab invitis necessaria subripere.*

Tunc demum Oppugnans argumentari incipiet, & poterit his aut similibus verbis procedere.

Elegisti, Doctissime & Eruditissime Domine, severam, sed securam partem; quam ego omninò amplecterer, ni obesset ratio, quam propono. Sic igitur contra argumentor. [Tempore necessitatis omnia sunt cōmunia: At, pauper & nobilis, est in necessitate: Ergo respectu pauperis nobilis omnia communia sunt. Ergo poterit ab opulentis subripere, quantum videatur necessarium, ut toleret suam paupertatem.]

Qui in Universitate aliquâ Theses propugnat, debebit avitos Scholæ mores sequi: at verò in privatis collegiis poterimus imitari hos vel illos, prout magis expedire videatur.

ARTICULUS IV.

De gratiarum actione.

HIspanus disputationem non claudit gratiarum actione, quoniam primus campanæ pulsus est ultima solutio argumenti; quod ipsum Salmanticæ tam severè observatur, ut periodum incompletam relinquant, nec velint post primum horæ ictum syllogismum absolvere. Defendens in Germaniâ agit gratias, & quia aliàs uberius, & aliàs breviùs solet, duas formas diversas subiicio, ut meum Lectorem delectet & instituat varietas. MCCCLV.

An agendæ sint gratiæ in Disputationis fine?

PErveni ad certaminis metam; *multò doctior & melior. Multa enim hodie à vobis didici, quæ aliàs possint prodesse. Superest, ut immortales agam gratias. Sed quibus? Illis, quibus obstringor: quibus debeor. Deo? Optimas, Maximas, æternas, immortales, immensas. Deiparæ? puras, castas, illibatas, virgineas. Et Tibi Erneste Cardinalis ab Harrach, Reverendissimas, Celsissimas, Eminentissimas. Agam & Vobis Humanissimi Principes, Serenissimas, illustrissimas & excellentissimas. Et vobis, Universitatis nostra lumina, Scientiarum Antistites: Theologia, Iurisprudentia, Medicina, & Philosophia Doctores, magnificas, eximias, excellentes, clarissimas, eruditissimas, doctissimas.*

Vidisti curiosam epithetorum transpositionem; & titulos personis debitos gratiis dari. Sic libuit aliquando discurrere: Sed si communior modus magis placeat; sic poteris Disputationem claudere.

SOnuit hora: *quæ mihi valde ingrata; mea enim imponit fœlicitati terminum, quoniam, si res bene expendatur, non potest in terris beatitudo esse maior, quàm audire Angelos argumentantes. Nolo ingratus videri, & quia non possum quantas debeo, rependo quantas possum gratias: divinitùs Numini Optimo Maximo: Beatissimæ Virgini*

Virgini Mariæ; & cæteris omnibus Sanctis: humaniùs, Tibi Comes Illustrissime & Excellentissime, sub cuius auspiciis fuerunt hæ Theses propugnatæ. Vobis Eximij Domini Magistri nostri, qui nos vestro ingenio & doctrina honorastis. Vobis, Clarissimi, Expertissimi, Eruditissimi Viri; vobis Amplissimi & Perillustres Domini, qui vestrâ præsentiâ gymnasium hoc nobilitastis. Referre vellem summas, sed quia hoc non possum, ago omnibus & singulis devotissimas & humillimas gratias.

Posui has formulas, ut illis lectis possis vario conceptuum artificio tuis fautoribus & Mœcenatibus gratias similes aut diversas agere.

PARS II.

PRACTICA.

De conformatione Thesium disputans, & earumdem genera diversa expendens.

OMnia complexi sumus parte primâ: nihil occurrit novi, quod ibi dictum non sit: at nihilominùs duas adhuc Partes addo practicas, ut uberiùs & clariùs, quæ in primâ fuerunt insinuata vel tacta, impræsentiarùm pertractentur. Agam igitur nunc de Assertionum electione & conformatione, & illas si materiam respiciam, si modum, in classes differentes dividam.

MCCCLVI *Thesium prima divisio.* Primò igitur Assertionum propugnandarum materiam ob oculos pono, & examinans ad quam illæ facultatem pertineant, ajo Disputationem Scholasticam dividi, in Orthographicam, Grammaticam, Poëticam, Rhetoricam: &c. Arithmeticam, Geometricam, Musicam, Architectonicam, &c. Logicam, Physicam, Metaphysicam, Theologicam. &c. Ethicam, Politicam, Oeconomicam, &c. vel generaliùs, in Liberalem, Mathematicam, Philosophicam, Theologicam: aut etiam in Scholasticam Moralem-que. [Omnia membra hujus divisionis sunt nota; nec debent uberiùs explicari.]

MCCCLVII. *Divisio secunda.* Secundò igitur Scholam considero; & quia illæ variæ sunt, variè Positiones propugnandas denomino. Ego enim illas in Reales, Modales, Formales, Expressivas, &c. divido: & moneo à Veteribus in Platonicas, Zenonisticas, Aristotelicas, Averroisticas, aut etiam in Thomisticas, Scotisticas, Nominales, &c. fuisse divisas. Et quidem, si denominentur ab Scholâ, oportet ut Propugnatores eas opiniones tueantur, quas Schola denominans debet defendere. [His adscribe Theses liberas, in quibus nullam scholam sequi vis, sed proprio abundans sensu, apum instar, ex singulis, quæ placeant, Assertiones tueri.]

MCCCLVIII. *Divisio tertia.* Tertiò, si modum Assertiones conformandi considerem, illas dividam in Simplices, Probatasque: & probatas subdividam in eas, quæ rationibus, quæ dictis, & quæ factis firmantur: & has ultimas subdividam iterum in Panegyricas Invectivas, Festivas.] Nomina ipsa indigent explicatione, & ideò periodos subsequentes addo.

Theses simplices, quæ? Voco *Assertiones Simplices*, quæ recensentur, non probantur. Et hic conformandi Theses modus est unicus in totâ Hispaniâ, in quâ alia Assertionum genera proponi & defendi non vidi.

MCCCLIX. *Theses probatæ, quæ?* *Probatæ Assertiones* dicuntur, in quibus non solùm Thesis ponitur, sed ratio fundamentalis additur; quæ sicut argumentaturos manuducit, sic solet defendenti nocere: majori enim ingenio & doctrinâ indiget Assertiones probatas defensurus, quàm simplices: hic enim solam Thesim, at ille Thesim ipsam & rationem propugnat.

Probatio triplex. Probantur Theses tribus modis; nimirùm argumentis, testimoniis, & factis. Primus modus rationalis est, & defendendas Positiones rationibus ingeniosè confirmat. Secundus est authenticus, & non utitur rationibus, sed authoritatibus. Tertius est practicus, & ut Theses suas probet, ad actus Illustrium Personarum recurrit. Pono exempla. Sit igitur:

Thesis simplex. *Deus est volitivus: bonos diligit, & malos odio habet.*

Thesis rationalis. *Deus est volitivus, quia est intellectivus; repugnat enim substantia intellectualis, quæ voluntate careat.*

Thesis authentica. *Deus est volitivus, juxta illud, Deus non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.*

Thesis practica. *Deus est volitivus: multa enim facit; quæ, si esset agens necessarium, non faceret.*

MCCCLX *An intellectivum inferat volitivum?* Qui simplicem Positionem tuetur, debet in Deo esse voluntatem defendere, nihil aliud.

Qui

Qui rationalem, ad plura defendenda tenetur. Debet enim primò propugnare Deum esse voluntate præditum; secundò Deum esse etiam præditum intellectu: tertiò omne intellectivum esse volitivum, ut iste syllogismus conformetur; nimirùm, *Omne intellectivum est volitivum: Deus est intellectivus: ergo est volitivus.* aut etiam iste, *Quod intellectivum est, necessariò volitivum est. Deus est intellectivus, ergo & volitivus.* ab hoc enim syllogismo, illud *quia*, quod ponitur in Assertione rationali dependet.

MCCC LXI. Qui authenticam Assertionem tuetur, debet defendere, Thesim esse veram; Authorem, ad cujus mentem Conclusionem elimat, esse classicum & fide dignum; librum, qui citatur, esse genuinum, & non falsò adtributum: &, si græcus ille sit, esse bene translatum: verba Authoris esse vera: & tandem in testimonio illo, aut Thesim expressè reperiri; aut ex illo securissimè inferri. Et Oppugnator, si defendantur Theses ad mentem, Aristotelis verbi gratiâ: poterit primò directè Conclusionem oppetere, & illam ratione manifestâ infirmare. Secundò poterit ipsummet Aristotelem aggredi, non enim obtinere debet in Catholicorum scholis, qui ab Ambrosiis, Hieronymis, Augustinis, Justinis, & aliis Ecclesiæ Romanæ luminibus olim; & etiam nunc à doctissimis viris est contemptus, impugnatus, explosus. Tertiò, quidquid de Aristotelis authoritate sit, probare poterit, testimonia illa esse alius & adfingi Aristoteli. Quartò esse male translata [at hic respondere poterit Defendens, se scire Græcum idioma non teneri, & Aristotelem prout legitur in nostris scholis Latinis propugnare. Interim satius est, ut qui græcè non audet, Positiones ad mentem Græcorum non defendat.] Et tandem quintò ex verbis illis Aristotelis Conclusionem defendendam non sequi.

Quid requiratur ut Theses ad mentem alicujus defendantur? quid ut impugnentur?

An Aristoteles sit admittendus?

Qui ex aliorum actibus Conclusiones conformat, aut Panegyricas, aut Invectivas, aut Festivas defendendas adsumit. Si Panegyricas, enchomiasticam historiam contexit, è quâ suas Assertiones deducit. Si invectivas, vitia & scelera enarrat, quibus suas Positiones confirmet. Si festivas, ludit ingenio, & Auditores suos curiosè distrahens, dum recreare videtur, seriò rem agit & erudit.

Abstinendum à censuris est.

Solent aliqui Modales Positiones defendere, notis graves, & quæ pungant potius quàm erudiant. Videmus enim semper *Temerarias, Malesonantes, Erroneas*, aut etiam *Hæreticas*, nonnullas Positiones vocari, quæ verè probabiles sunt: & tunc Invectivæ sunt Theses, & videntur potiùs Orationes Philippicæ, quàm Assertiones Sholasticæ. Hæc vera; & quia non rarò occurrunt, quo in ejusmodi casibus modo procedere debeat Oppugnator, inquiris.

MCCC LXII. Respondeo omnes Theses oppugnari posse, non tamen omnes oppugnari debere: quæ enim probabiles sunt, & tamen censurâ inuruntur, imprudenter damnantur, & non semper prudenter ab Oppugnatore earumdem propugnabitur veritas: qui enim Positionem inuisit, paratus erit pejora evomere contra argumentum. Sic judico: & meum ipse judicium testis oculatus confirmo; & ex multis quæ experientia me docuit, hanc scholasticam historiam scribo. Defendebatur Salmanticæ hæc Conclusio. *Ad gratiæ efficaciam constituendam & defendendam Scientia media est inutilis & chimærica.* Censuram hanc impugnandam adsumpsit nonnullus Molinæ discipulus, & opposuit. *Chimæricè ponitur Scientia media; Ergo, qui illam propugnant sunt Doctores chimærici; ergo rationes, quibus illam tuentur, sunt chimæricæ: & fundamenta, quibus eam stabiliunt, sunt chimærica.* Audiebat se, dum hæc poneret Argumentator; & putabat se evidenter evincere Thesim esse indignam censurâ. Et quid Defendens? Præventus & excitatus Molinistarum odio, ait, *Omnia concedo.* Hæret Argumentator injustâ secundâ perculsus; applaudit vulgus; subridet Præses; & se subrigens, respondet, sibi quidem Mediam Scientiam videri chimæricam, at non inde sequi Doctores, qui eam propugnant, chimæricos esse; non sequi rationes, quibus illa probatur, esse chimæricas: posse enim & solere contingere, quòd viri doctissimi & sanctissimi chimæricam assertionem defendant, & hanc majore ingenij gloriâ, quàm si aliquam aliam probabilem aut certam propugnarent. Et hoc defensoribus scientiæ mediæ contingere; summo enim ingenio indigent, ut illam mediocriter possint defendere.

An expediat theses temerarias & erroneas oppugnare?

An scientia media & sit chimærica?

Legi Thesim: audivi Argumentatorem: audivi Respondentem & Præsidem: & ut rem fatear, non sine ingenio argumentator illam oppetiit, non sine urbanitate & ingenio Præses Respondentem compescuit: at iste audaculus plura fuisset dicturus, si plura eloqui permitteretur. Quam ob rem omnia ad Prudentiæ tribunal revocando; opinionem unius celeberrimæ Scholæ, quam præter PP. Jesuitas hodie plurimi viri docti tuentur, chimærica imprudenter vocatur: hic enim dicendi modus non est scholasticus, sed invectivus. Imprudenter ergo permittitur ejusmodi Thesis defendi.

Primæ imprudentiæ (hoc est, positioni) secunda (hoc est, impugnatio) successit: nam si æquè in defendendo imprudens, quàm in ponendo, fuisset Præses? Quid, quæso, Argumentator lucraretur? Quid, obsecro, faceret, si Præses omnes etiam cõsequentias concederet? Calore disputationis multa dici solent interdū, nec debemus occasionem præbere, ut Respondens recreet populum nostris impensis. Teneo igitur Argumentatorem imprudentissimè processisse, & se summo exposuisse periculo, ut audiret id quod risu scholasticum vulgus, & ipse cum dolore exciperet, videlicet, omnia illata concedi.

Legis & infers. Ergo ejusmodi Positiones impugnari non possunt. Concedo liberè consequentiâ: expedit enim, aut tacere, aut abesse, cùm injuriæ defendendæ ponuntur. Putarem tamen Indifferenti viro, quem Censura non tangeret (puta in casu nostro alicui, qui nec Thomista esset, nec Molinista) licere argumentari sic.

[Opinio

MCCCLXIII. [Opinio probabilis, nec debet, nec potest vocari chimœrica: At illa, quæ Scientiam mediam adstruit, est probabilis: Ergo nec debet nec potest vocari chimœrica. Probatur minor: Illa opinio, contra quam nulla formatur demonstratio, est probabilis: Sed contra Scientiam mediam nulla demonstratio formatur; vel eam produeite: Ergo est probabilis. Probatur iterum eadem minor. Opinio, quæ à quatuor admittitur Doctoribus est probabilis: At Scientia media non solùm à quatuor, sed quater millibus, aut pluribus etiam admittitur: Ergo est probabilis.] Hoc vidi modo contra Theseos inurbanitatem urbanissimè agi. Dicebat Præses, sibi non esse probabilem. Et contra Oppugnator progreditur. [Non repugnat, quòd extra scholam Divi Thomæ, aut etiam contra D. Thomam, dentur opiniones probabiles, nam hæc, *Virgo est concepta sine macula*, est contra aut extra Scholam D. Thomæ, & est probabilis: Ergo Scientia media, licet contra D. Thomam esset (nam de hoc ambigitur) erit probabilis. Vel dicatur, quid tandem requiratur, ut aliqua opinio sit probabilis.] Dum hæc Argumentator inculcat, hæret & tacet Defendens: Præsesque antiquam cantilenam recinit: nimirum, *sibi non videri probabilem*. Tunc Argumentator: [Jam rem capio. Tibi non videtur probabile, quod omnibus videtur probabile. Tu ergo aliter sapis quam cæteri: non ergo male loquutus est Homerus, cùm dixit Ulyssem, Achillem & aliquos Heroas aliter sapere.] Pupugit Præsidem & tacuit: pupugit quidem: nam Homerus interdum, ne dicat Heroem aliquem insanire & desipere; illum, inquit, aliter sapere.

An extra D. Thomæ scholam viri boni & docti reperiantur?

An scientiam mediam admittat D. Thomas?

Quid sit, aliter sapere?

NOTA.

MCCCLXIV. *Hæc de Thesium conformatione ac denominatione disseruisse sufficiat: interim, quia exempla nos juvant, uberioris doctrinæ gratiâ duodenas Positiones subjicio.* Primæ *sunt Logica, & ipsa Aristotelica, Philosophi verbis contexta; ut possit Lector meum alias, si velit similes, in aliis materiis concinnare. Subscripsi notas, ut monerem non semper fidendum Aristoteli, nec ita defendendum aliquem Præceptorem esse, ut propter eum veritas deseratur.* Secundæ *sunt festiva & metaphorica: dum enim de Xantippes & Socratis connubio disputant, Materia, Forma, Vnionisque, naturam & passiones expendunt.* Tertiæ *sunt panegyrica, & ex prodigiosâ B. Virginis vitâ Metaphysicam (seu Philosophiam Prædicamentalem) totam accuratè dilucidant.* Quartæ *sunt Philosophica, totamque naturam expendunt, & compendio mirabili quatuor omninò diversis Scholis (Reali, Modali, Formali, Expressiva) respondent: & poterunt Lectori prodesse. Sub finem agunt de Anima rationali, & quia quæstiones de Libero Arbitrio hoc ævo celeberrimæ sunt, additæ fuerunt Theses.* Quintæ, *in quibus ad mentem Meliùs Doctoris agitur de Deo, Angelis, & Anima Rationalis, simplicitate, immortalitate, & libertate. Erunt utiles, ut liberi arbitrij qualitas exactè cognoscatur. Vt libertatis summam indifferentiam cum summâ Scientiæ Divinæ certitudine componeremus,* Sextas *addidimus, ubi de Physicis Prædeterminationibus, non jam necessitantibus, sed infallibilitantibus disputamus. Scripsimus illas Salmanticæ ante annos multos, & licet à juvene inventæ & editæ multis placuerunt senibus, & multis etiam hodie placent. Physicæ Prædeterminationes, si supernaturales sint, vocantur Auxilia, & hanc ob rem postquam de Prædeterminationibus egimus, de Auxiliis nonnulla dicamus. Addantur igitur,* Septimæ & Octavæ, Positiones; *illæ, ut gratiam cum libero arbitrio componant; & Sacram Paginam, Concilia, Patres, & doctissimos viros sequantur: istæ, ut demonstrent, P. Didacum Alvarez, steganographicè scripsisse, & stare à communi sententiâ, nec esse cur durè exponatur.* Nonæ, *de Egoitate disserunt, adeoque de profundissimâ materiâ, & debebunt omninò intelligi, ut securiùs divinus radiustùs intelligatur. Invenies in illis nova nomina; sed quid mirum, si sunt speculationes etiam novæ? res antiquissimæ, quæ antiquis coloribus pictæ, adhuc invisibiles erant, debuerunt dilucidari novis, ut tandem sub oculos caderent. Et quia innumeræ Quæstiones subrepunt, quæ creduntur Theologicæ, & tamen Philosophicæ sunt, addendæ fuerunt Assertiones* Decimæ, *nimirùm de purâ Omissione, in quibus humanæ libertatis arbitrium exactiùs & meliùs explicatur. Adduntur Positiones* Undecimæ, *quæ Physico-Theologicæ sunt, & non sine ingenio connectunt humana divinis, terrestria cœlestibus, ima summis. Quas omnes claudent Positiones* Duodecimæ, *quæ sunt Interrogatoriæ, & à P. Ludovico Connœo, Viro doctissimo, (jam cœlis incolâ) olim propositæ, quæ videbantur responsione indigere.*

De Thesibus, quæ inferiùs ponuntur.

Positiones Logicæ.

Physicæ.

Metaphysicæ.

Philosophicæ.

Animasticæ.

Deliberatione & physicâ prædeterminatione.

De gratiâ & libero arbitrio.

De Egoitate.

De omissione.

Theses Theologicæ.

MCCCLXV. *Hinc patet, quanta sit utilitatis Severa hæc argumentandi Methodus: quæ divisa in tres partes, Encyclopædiam literariam complectitur.* Prima *enim Pars est Logica, & disputaturos instituit.* Secunda, *dum exemplis dilucidat datas à Primâ Regulas, Philosophiam universam edisserit: nempe universam, quia Physicam, Metaphysicam, nec non Theologiam naturalem: imò etiam supernaturalem magnâ ex parte. Et tandem* Tertia, *dum materiam argumentaturis suppeditat, multas difficultates excitat in Philosophiâ, multas in Theologiâ (naturali, supernaturalique) quarum notitia sola sufficit, ut sine aliorum librorum lectione & meditatione in virum eruditum & eximium evadas.*

Hujus libri decimo utilitas.

POSI-

POSITIONES LOGICÆ.

ARISTOTELIS VERBIS CONCINNATÆ, UNIVERSAM DIALECTICAM DILUCIDANTES.

THESIS I.

De Inventore Dialecticæ.

An ante Aristotelem ulla fuerit Dialectica?

ET de Rhetoricis quidem erant multa & antiqua dicta: de Syllogismis autem omninò nihil habuimus priùs aliud quiddam, quod diceremus: quam ob rem Dialecticam moro è perquirentes & examinantes, multo tempore insudare debuimus. Si autem videtur ex considerationibus nostris (ut ex his, quæ sunt principio) hæc habere disciplina sufficienter supra alia negotia, quæ ex traditione inducta sunt, reliquum erit omnium vestrum, vel eorum qui audierunt hoc Opus omissa (commissa) quidem Artis, veniâ dignari; inventa autem multa prosequi gratiâ. *Aristoteles libro 2. Elenchorum.* MCCCLXVI.

Hæc verba illustrantur à P. Valeriano Magno de Peripatu libr. 1. cap. 1. pag. 16.

An Plato & Philosophi veteres sciverint Logicam?

ET quo modo ista defendi potuerunt, siquidem vix est ulla argumentandi forma aut modus, quam in Platone, & aliis senioribus Philosophis & Oratoribus non reperiamus? Ajo, non ita esse Aristotelem intelligendum, quasi dixerit ante se ab omnibus fuisse ignoratam Dialecticam: id enim falsum esset omninò. Quid ergo asserit? Ante se Dialecticas Institutiones à nemine fuisse conscriptas, sed veteres, ut etiamnum Politici & Aulici aut etiam sæpè Canonistæ & Juristæ, ingenio & naturâ potiùs disputasse, quàm arte.

Logica est duplex: naturalis & artificialis.

THESIS II.

De Dictione seu Terminis.

MCCCLXVII. *De vocibus conceptibus & scriptis.*

QUæ sunt A. in voce earum quæ in animo, sunt passionum notæ. *Aristoteles Libr. 1. Perihermeneias cap. 1. num. 2.* Et quæ scribuntur sunt notæ eorum, quæ sunt in voce. *Ibidem* Quemadmodum literæ non B sunt omnibus eædem, sic nec eædem sunt voces. Quarum tamen hæ primùm notæ sunt, eædem omnibus passiones animæ sunt; & quarum hæ similitudines, res etiam eædem.

De veritate & falsitate.

Cap. 1. num. 3. Quemadmodum in animâ intellectus aliquando est sine vero vel falso: aliquando autem, ut jam necessarium sit horum alterum habere: sic etiam vox. *Capite eodem num. 5.* Circa C. compositionem & divisionem est verum & falsum. *Ibidem.* Nomina & verba consimilia sunt ei, qui sine divisione est intellectui. *Cap. eod. num. 6.* Verbi (aut etiam nominis) nulla D. pars significat separata.

De vocibus simplicibus & compositis.

Cap. 3. num. 1. Non quemadmodum in simplicibus nominibus sic se habet in Compositis: in illis enim nullo modo pars significativa est; in his autem vult quidem, sed nullius est separata. *Cap. 2. num. 2a.* Nomen E. naturâ nullum est: sed quando fit nota. *Cap. 2. num. 3.* Soni illiterati significant F. quidem aliquid, nullus tamen illorum est nomen.

De vocibus non articulatis.

Ibidem. Vox *Homo*, neque nomen, neque oratio, neque negatio est. *Capite eodem num 4.* Vox G. *Non-Homo* in quolibet est, & quod est, & quod non est. *Ibidem.* Voces *Philonis* & *Philoni*, & quæcumque tales sunt, non sunt nomina, sed casus nominis. *Cap. eod. num. 5.*

De casibus. Casus nominis *H.* cum verbo *est*, vel *fuit*, vel *erit*, neque verum dicunt, neque falsum: nomen verò semper. Voces *non valet*, & *non laborat* *G.* non sunt verba. *Capite eodem num.* 4. *De infinitis* Verbum infinitum in quolibet est, & quod est, & quod non est. *Ibidem.* Vox *valebis* & *valebit* non est verbum, sed casus verbi. *Cap. eodem num.* 5. Verbum significat tempus præsens, casus verò verbi, quod circumcirca est. Ipsa *L.* secundum se dicta verba *M.* nomina sunt, & significant aliquid. *De verbo substantivo.* Copula verbalis (nimirùm, *esse* vel *non esse*) non est signum rei: imò nec quidem *est* nudum *N.* aliquid significat: consignificat autem compositionem quandam, quam sine partibus & composito non est intelligere. *Capite eodem num.* 5. & 6. Verbum *I.* significat cum tempore. *Capite* 3. *num.* 1. Verbum *K.* semper est eorum, quæ de altero prædicantur, nota: ut eorum, quæ in subjecto, vel de subjecto sunt. *Capite* 3. *num.* 1. & 3.

MUlta in unum congessimus, sequuti Stylum Aristotelis; quem ut consequamur, tantisper hærere debebimus.

A.

MCCCLXVIII. *An scripturæ voces: & voces ideas mentis significant?* Hîc opinantur multi conceptibus immediatè res, verbis conceptus, scripturis verba significari: quorum opinio, si Aristoteles futurus sit Judex, vera est: id enim ille docuit, & id asserunt Peripatetici. At Aristotelis pace contrarium hodie defendemus dicentes, linguam mentis esse vicariam, calamum linguæ. An non hoc ipsum tradidit Aristoteles? Attentionem hæc doctrina requirit, est enim subtilis, & differt à Peripatu toto cœlo. *De æquivocis.* [Sicut hæ duæ voces Synonymæ, videlicet *Ensis* & *Gladius*, sunt duo signa æquipollentia, & tamen altera non significat alteram, sic etiam termini mentales, vocales, & scripti, æquipollentes sunt, & unus non *Signa æquivalentia.* significat alium. Hanc ob rem resolvimus contra Aristotelem, res ipsas immediatè significari conceptibus, immediatè verbis, & scripturis immediatè: & hæc signa (mentalia vocalia & scripta) sunt æquipollentia & æquivalentia inter se.]

B.

MCCCLXIX. *Character duplex.* Vox *Character* æquivocatione laborat: sæpè enim significat idem quod litera, & sæpè sumitur pro notâ, quæ integram dictionem significet. Nos igitur impræsentiarùm nomine *Characteris* non literam, sed notam dictionis integræ intelligemus, & hac notitiâ imbuti ad textum Philosophi contemplandum venimus.

Sanè è diversitate Characterum malè infertur diversitas vocum: sunt enim Hispanis, Gallis, Italis, Germanis, &c. multi Characteres communes, quorum non sunt communes voces. Omnes eodem modo hos Arithmeticos scribunt; videlicet, 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. & istos Astronomicos ☉ ☽ ♄ ♃ ♂ ♀ ☿: nec non ♈ ♉ ♊ ♒ &c. nec non hos *An in diversis linguis esse possit scriptura communis?* Astrologicos ☌ ☍ □ △ &c. (ut Musicos, Medicos, & alios multos Characteres omittam) & eosdem singuli proferunt diverso modo. Hinc est, quòd hodiè in Indiâ diversi reperiantur populi, qui calamo se intelligere possunt, linguâ non possunt.

Venio ad literas. Ex diversitate literarum linguarum diversitatem colligit Aristoteles: & tamen assentiri non valeo; quoniam hodie Europæi (omnes aut ferè) eodem Abecedario utimur, & tamen ejusdem Abecedarii literis diversas Gallus, diversas Belga, & diversas Ungarus voces efformat. Et illi qui Poly- *De ciphris & literis.* graphia Trithemii utuntur, diversis omninò Abecedariis (Ciphras nuncupant) usi, easdem tandem dictiones proferunt.

C.

Magnâ hîc inconsequentiâ laborat Aristoteles: nam, si omnis propositio est vera aut falsa, etiam illæ quæ de futuro contingenti sunt, erunt veræ vel falsæ. Et, si hæ non sunt, non sunt veræ aut falsæ omnes propositiones. *De Propositionum veritate & falsitate.*

D.

Hoc in linguâ Græcâ, Latinâ, aut etiam Europæis verum est. At ego non video cur non possit tale idioma componi, in quo omnes vocum partes significent separatæ, ut patet in his vocibus *Domini*, *Sedat*, *Inflat.* &c. quarum partes sunt *Do*, *mi*, *ni*. *Se*, *dat*; *In*, *flat*, &c. quæ omnes aliquid separatæ significant. Imò asserimus Hebraicum sermonem talem esse, quod ipsum in Tomo Liberali libello speciali persuasimus. *De dictionum partibus.* *De linguâ sanctâ.*

E.

De nominum significatione multa veteres. Dixerunt alii ea habere significationem naturalem: alii artificialem: quibus meritò cum Aristotele Peripatetici solent subscribere. *Quo modo significent voces?*

F.

Et quid quæso soni illiterati significant? suas causas: & quia præter has, si humani sint, animi affectus denotant, possent ad interjectiones reduci. *De vocum non articulatarum significatione.*

G.

Et quidem vox *Non-homo*, quidquid Aristoteles neget aut asserat, nomen est, & æquivalet huic, *Id*, *quod non est homo*, & posset eamdem aliquis ad participalia reducere, quoniam etiam participia sunt nomina. *An voces infinitæ sint nomina?*

Idem

Idem dicendum est de vocibus *non-valet*, *non-valebit*; quas non esse verba ait Aristoteles: fallitur enim, quoniam hæc est bona & vera propositio, *Timidus miles nihil valet*; & hæc etiam, *Theopompus egredi domo non valebat*.

H.

De significatione obliquorum. Obliquorum etiam addito verbo *est* connexiones & compositiones nil significant: quod si interdum aliquid significare videantur, subintelligi debebit aliquid, quod sensum compleat, ut cùm dicimus, *Cæsaris est*, *aut Regis fuit*.

I.

MCCCLXX. *Definitio verbi.* Hic interpretes variant. Vertunt aliqui, *Verbum est quod significat tempus*: alii, *quod con significat tempus*: alii, *quod significat cum tempore*. Et quidem duæ priores verbi definitiones (consonent textui, vel non consonent) bonæ non sunt: quoniam plurima nomina significant aut etiam consignificant tempus: talia sunt, *Hora*, *Mensis*, *Annus*, &c. talia etiam *Horarius*, *Menstruus*, *Annuus*, &c. Ergo tertia definitio & interpretatio est tenenda.

Dubium eosdem. *An-ne omne verbum significat cum tempore?* In linguis Politicis & vulgaribus omne. At in linguâ Scholasticâ, quam Audax mea *Grammatica audax* Grammatica proposuit, aliquæ sunt meditationes, ab omni temporis determinatione aut etiam significatione præcisæ.

K.

MCCCLXXI. *Verbi divisio.* Verbum est duplex: Adjectivum & Substantivum: hoc est eorum, quæ prædicantur, nota: illud includit prædicatum: hæc enim assertio *Petrus currit*, æquivalet huic *Petrus est currens*.

An est sit verbum adjectivum? In hac *Petrus est*, verbum est Adjectivum: idem enim est *Petrus est*, ac *Petrus existit*; aut clariùs, *Petrus est existens*. Et hic obiter notandum est, verbum *est* interdum significare plus, interdum minus; & quia summâ latitudine aut etiam æquivocatione laborat, hanc ob rem loco illius alias voces (nimirùm, *Sam*, *Sem*, *Sim*, &c.) interdum usurpare cogimur.

An unio physica se teneat ex parte materiæ? Consideras hanc positionem *Petrus est homo*, & quia prædicatum se habet per modum formæ, & subjectum per modum materiæ, & andis illud *est*, quod est copula, se tenere ex parte prædicati, hoc est ex parte actûs, ad physica transis & sic discurris. Oportet de naturalibus naturaliter, sicut de rationalibus rationaliter philosophari: at in composito logico & rationali datur vera copula ab extremis distincta, quæ se tenet ex parte prædicati; hoc est, actûs seu formæ: ergo in composito naturali dabitur realis unio distincta à materiâ & formâ. Quæ se teneat ex parte formæ, & terminetur ad materiam. Ergo in Homine dabitur unica unio, & ipsa spiritualis: patet, quia cùm se teneat ex parte animæ, ejus naturam debet sapere. Et ego te audio; & omnia quæ dixisti esse consona Aristotelis menti pronuntio. Sed eadem esse vera & indubitata, non pronuncio: scio enim varias esse de unione substantiali sententias, & omnes probabiliter defendi posse.

L. M. N.

Iterum de unione logicâ & physicâ. Copula verbalis, nimirùm *est* & *non est* (ait Aristoteles) non est signum rei: imò nequidem *est* nudum aliquid significat: consignificat autem compositionem quamdam, quam sine partibus & composito non est intelligere. Subsumis. Atqui sicut de intentionalibus & Logicis, sic de realibus & Physicis debemus philosophari: Ergo unio compositi substantialis nihil reale est, quod sit inter materiam formamque. Et infers bene, & Aristotele uteris contra Aristotelem. *An sibi contradicat Aristoteles?* An-ne Aristoteles sibi est contrarius? Negabunt Peripatetici, & alterum testimonium obtorquendo, cogent ut correspondeat alteri: nos sumus liberi, & vim literæ inferre non volumus, & Aristotelem, nisi fortè vocum significationes immutemus, sibi opponi affirmamus.

THESIS III.

De Oratione & Propositione.

MCCCLXXII. *Quid sit Oratio?* ORatio est vox significativa, cujus *A.* partium aliqua significat separata, ut dictio; non verò ut affirmatio. *Aristoteles Capite 4. num. 1.* Omnis quidem Oratio significativa est, non autem sicut instrumentum, *B.* sed secundum placitum. *Capite eod. num. 4.* Non omnis Oratio est enunciativa, *C.* sed illa in qua vel verum vel falsum est. *Ibidem num. 5.* *Quid deprecatio?* Deprecatio, Oratio *D.* quidem est, sed neque vera, neque falsa. *Ibidem.* *Propositionum partes.* Necesse est omnem Orationem enuntiativam ex *E.* verbo esse, vel ex casu verbi. *Capite 5. num. 2.* Affirmatio est enunciatio alicujus *F.* de aliquo. *Capite 6. num. 1.* Negatio est enunciatio alicujus ab aliquo. *Capite 6. num. 2.* Omni affirmationi *G.* opposita est

Propositionum oppositio. aliqua negatio: & omni negationi aliqua affirmatio. *Capite eodem num. 3.* Enunciare est, & quod est, non esse; & quod non est, esse; & quod est, esse; & quod non est, non esse. *Ibidem.* Contigit, ut omne, quod quis affirmaverit, neget; & omne, quod negaverit affirmet. *Ibidem.* Contradictio est affirmatio & negatio ejusdem de eodem. *Capite eodem num. 4 & 5.* Definitio est quidem oratio, *H.* sed non enunciatio. *Capite 5. num. 2.*

MCCCLXXIII. *Quid Orationis nomine debeat intelligi? quid nomine Enunciationis?*

Vocat Aristoteles Orationem omnem congruam duarum aut plurium vocum compositionem, ut *Homo albus*, *Petrus*, *qui currit*; & Enunciationem affirmationem aut negationem. An dentur Propositiones negativæ, an verò linguâ tenus negetur copula & omnes quæ hucusque negativæ sunt creditæ, sint de prædicato infinito, nescivit omnino Aristoteles contrario obrutus prajudicio: & nos superiùs explicavimus.

A.

De definitione Orationis.

Hæc Orationis definitio etiamnum obtinet in Scholis: illam Peripatetici illustrant exemplis, nam cùm dicimus, *Homo est animal*, omnes voces sunt significativæ; cùm dicimus, *Blictiri est vox*, tantum duæ significativæ sunt: & cum dicimus *Blictiri est scindapsus*, tantùm unica. At propositio in qua saltem copula non sit significativa, dari non potest. Puto tamen omnem Orationis aut Propositionis partem esse vocem significativam, vocemque omnem quo sensu non est significativa, illo ipso non esse Orationis partem: addo tamen voces aliquando significare materialiter & aliquando formaliter, ut omnes admittunt & sciunt.

B.

MCCCLXXIV. *An Enunciationum & Orationum significatio sit naturalis?*

Dixerat Aristoteles voces significare ad placitum, & nunc adjicit, etiam orationem ad placitum significare: quod potest bono sensu defendi. At rem sic nos intelligimus & explicamus. Liberum est homini vocibus simplicibus hanc vel illam significationem accensere: cæterùm, ex suppositione, quòd accensuerit talem, non est homini liberum verbis compositis aliud significare, quàm quod postulant verba, nisi sermonem turbare velit, & multâ æquivocatione laborare. Potuit Nomenclator Græcus sui Alphabeti literis dare potestatem & sonum, quem voluit: at ex suppositione, quod dederit illum, quem habere dicuntur, cùm in Homero lego vocem Θεός, non erit mihi liberum legere *Musa*, aut aliam vocem, sed legere *Theos* necessariò debebo. Ergo potestas & valor singularum literarum est ad placitum: at posito tali aut tali Abecedario, pronunciatio vocum compositarum non est ad placitum. Eodem modo de dictionibus & orationibus philosophabimur: licèt enim liberum Nomenclatori Græco fuerit, singulis vocibus quamcumque adscribere significationem, ex suppositione quòd eam adscripserit, quam in Lexico repetimus, hæc tabellæ inscriptio,

An scriptura habeant valorem ad placitum?

Οὗτος ἐστὶν Ἄτταλος ὁ χριστιανός; debet latinè verti sic, *Hic est Attalus Christianus*, nec aliter potest: at hispanicè meliùs, *Este es Attalo, el Christiano*, defectu enim articuli meliùs quàm latini græca transferre Hispani possunt. Ergo ex hypothesi, quòd singulæ voces significationem determinatam habeant, composita propositionum significatio necessaria est, & non ad placitum.

Vide Epistolam Lugdunensium de Attalo Martyre, & Lipsium de cruce. libr. 2. cap. 11.

Resolutio.

Hinc patet, quo sensu possit dici propositiones habere significationem ad placitum; & quo possit istud negari. Voces enim habent significationem ad placitum, non in partibus, sed in se ipsis: & orationes seu propositiones habent significationem ad placitum, non in se ipsis, sed in partibus: nam positâ significatione partium necessariò sequitur composita significatio.

C.

Ad illud *non omnis* converto oculos, & Herculis Logici laborem secundum in memoriam reducens, contra omnium Dialecticorum mentem, hanc propositionem. *Non omnis oratio est enunciativa*, ajo esse simul afferentem & negantem, & æquipollere huic, *Aliqua oratio est enunciativa, & aliqua non est enunciativa.*

MCCCLXXV. *Quid significet Syncategorema Non omnis? Vide num. 2304.*

D.

Modum imperativum habet communis Grammatica, caret Deprecativo, de illo egimus alibi, & non debere ignorari putamus.

De Imperativo & Deprecativo. Vide numerum 1120.

E.

MCCCLXXVI. *An una simplex vox sit aliquando propositio?*

Ciceronem alloqueris, & ais, *Vter, mi Tulli, Clodium interemit, Milo, an Lucius?* & respondet, *Milo*, & hoc posito sic argumentaris: Vox *Milo* est unica, & generat integrum sensum, imò est integra propositio, & tamen verbo caret: non ergo verum, quod tenet Aristoteles, nimirùm, Enunciationem verbo carere non posse.

Propositio duplex: realis & moralis.

Respondeo vocem *Milo*, bifariam posse considerari, realiter & moraliter: priori illam sensu esse nomen, & posteriori esse compendium linguæ, & æquivalere huic integræ Propositioni *Milo occidit Clodium*, quam verbo carere non dicimus.

F.

An dentur propositiones negativæ?

Propositiones affirmativas admittunt universi: negativas communis admittit opinio, cui

cui Aristoteles semper subscribit: at nos nullam esse negativam putamus, judicantes has duas propositiones, *Petrus non est lapis*, & *Petrus est non lapis*, æquipollentes esse.

Vide num. 2252.

An-ne sublans negativis omnem oppositionem tollimus propositionum? minimè. In his enim propositionibus,

An sit inter propositiones oppositio?

A. *Omnis homo est albus.*
B. *Omnis homo est non albus.*
C. *Aliquis homo est albus.*
D. *Aliquis homo est non albus.*

A. & B: opponuntur contrariè: C. & D. subcontrariè: A. & D. nec non B. & C. contradictoriè.

G.

MCCC LXXVII. Et quidem interdum difficile est assignare propositionem alteri contradicentem, tot enim aliquæ reduplicationibus aut etiam terminis Syncategorematicis, aut adverbiis onerantur, ut omninò difficile sit cognoscere, an sint veræ vel falsæ. Pronunciamus igitur nullam esse propositionem, quæ non habeat alteram contradicentem: huic enim, *Tantùm homo, quatenus homo, est intellectivum, saltem per discursum*, si ista non contradicat, videlicet, *Non tantum homo, quatenus homo, est intellectivus, saltem per discursum*; contradicet omninò hæc, *Falsum est dicere hominem, quatenus homo est, esse intellectivum, saltem per discursum.*

An omnis enunciatio habeat contradictoriam sibi correspondentem?

H.

Cùm dicimus, *Homo est animal rationale*, homo definitur: & quæritur, An nomine definitionis intelligamus totam propositionem, an solùm prædicatum. Illud prius tenent aliqui; putant enim *animal rationale* posse dici de homine, equo, & leone: de homine bene & verè, de equo & leone, male & falsè: adeòque, ut sit definitio bona, vera & exercita, debere exprimi definitum; ita ut *Homo* definitum sit, & definitio sit *Homo est animal rationale*. Contrarium docet Aristoteles, quem sequi Peripatetici videntur: sentiunt enim in hac propositione, *Homo est animal rationale*, definitum esse subjectum, & definitionem esse prædicatum.

Quid definitionis nomine debeat intelligi?

Et quidem re bene consideratâ erit quæstio de nomine: non enim negari potest propositionum aliquas esse definitivas; quales sunt, *Homo est animal rationale*, *Equus est animal hinnibile*, *Leo est animal rugibile*, &c. Et quid, si has ipsas aliquis vocet definitiones?

THESIS IV.

De Oppositione Propositionum.

MCCC LXXVIII. *Quid sit universale? quid sit singulare?*

VNiversale *A.* dicitur, quod in pluribus prædicari natum est; singulare verò, quod non. *Aristoteles capite 7. num. 1.* Necesse est enunciare, quod inest aliquid, aut non: aliquando quidem alicui eorum, quæ universalia sunt; aliquando autem eorum, *B.* quæ singularia sunt. *Ibidem.* Si universali universaliter enunciet quis *C.* quod est aut non est, contrariæ enunciationes erunt. *Capite eodem num. 2.* Quando autem in universalibus non universaliter enunciat, hæ quidem non sunt contrariæ: quæ autem significantur, est esse aliquando contraria. *Capite eodem num. 3. & 5.* In eo quod prædicatur universale, id quod est universaliter prædicari, non est verum. *Capite eodem num. 4.* Affirmatio negationi opponitur contradictoriè, quæ universaliter significat idem, quod *D.* non universaliter. *Capite eodem num. 5.* Impossibile est enunciationes contrarias esse simul veras. *Capite eodem num. 6.* His verò oppositas *E.* contingit aliquando esse simul veras. *Num. 7.* Quæcumque contradictiones universalium universaliter sunt, necesse est alteram esse veram vel falsam. *Num. 8.* Similiter earum, quæ in singularibus sunt: semper enim altera est vera, altera falsa. *Num. 9.* Quæcumque autem in universalibus quidem, non universaliter autem, *E.* non semper hæc quidem vera est, illa verò falsa; sed ambæ possunt esse veræ. *Num. 10.* Enunciationes indefinitæ & universales, nec idem significant, *F.* neque simul sunt necessariò veræ. *Ibidem.* Vna affirmatio uni *G.* negationi opponitur contradictoriè. *Num. 11. & 12.* Necesse est utramque contradicentium habere eosdem terminos. *Ibidem.* Vna affirmatio & negatio est, quæ unum de uno significat, vel cùm sit universale universaliter, vel non similiter. *Capite 8. num. 1.* Si duobus unum nomen positum est, ex quibus non est unum, non est una affirmatio, nec una negatio. *Capite eodem num. 2.* In affirmationibus & negationibus *H.* quæ propter homonymiam non sunt

De oppositione,

Contraria, subcontraria, & Contradictoria.

De indefinitis.

De terminis contradictorum.

De æquivocis.

unum, non est necesse hanc contradictoriam veram, illam verò falsam esse. *Cap. eod. num. 3.* In iis, quæ sunt, & quæ facta sunt, necesse est affirmatio- *De universalibus.* nem vel negationem veram esse vel falsam. *Cap. 9. num. 1.* In universalibus quidem, ut universaliter, semper hanc quidem veram, illam verò falsam: nec non iis, quæ singularia sunt. In universalibus autem, quæ non universaliter dictæ sunt, non necesse est. In singularibus verò futuris *I.* non similiter. *Ibidem.* Omnis affirmatio significat (enunciat) aliquid de aliquo. *Cap. 10. num. 1.* Vnum *De prædicabilibus.* *K.* de pluribus, vel plura de uno affirmare vel negare, nisi sit unum aliquid, quod ex pluribus significatur, non est affirmatio, neque negatio una. *Cap. 11. num. 1.* Eorum, quæ prædicantur, & de quibus prædicari accidit, quæcumque secundum accidens dicuntur, vel de eodem, vel alterum de altero, hæc non erunt unum. *Cap. eod. num. 6.* Prœtereà adjungi non *L.* debent, quæcumque insunt in altero. *Cap. eod. num. 7.* In quibuscumque *M.* prædicationibus neque contrarietas inest, si definitiones pro nominibus dicantur, & secundum se prædicentur, & non secundum accidens: in his aliquid & simpliciter erit verum dicere. *Cap. eod. num. 11.*

Ut clariùs propositionum oppositiones & subalternationes exponat Aristoteles, doctrinam de Universalibus præmittit, quam debebo breviter dilucidare.

A.

MCCC LXXIX. *Vniversale duplex est.* Universale est duplex: Metaphysicum, & Metalogicum: illud est *unum in multis*; & hoc *unum de multis*. Videtur hîc Aristoteles agere de posteriori, & debuisse dicere, *Vniversale est, quod de pluribus prædicari natum est.*

B.

An propositionum quantitas, sit tantùm duplex? Docet Aristoteles, ut verba innuere videntur, & Interpretes putant, Propositionem dividi in Universalem & Singularem. Et licèt hæc ipsa divisio possit sano sensu defendi, facilior & melior est apud juniores communis & scita divisio, quâ distribuitur Propositio, in Universalem, Particularem, Indefinitam, & Singularem.

Dixi divisionem illam bimembrem, datam ab Aristotele, defendi & propugnari posse, si tanti nobis sit dividentis authoritas; *Propositio quoad se & quoad nos.* omnis enim particularia propositio vera, est singularis & certa quoad se, licèt sit vaga & indeterminata quoad nos. Cùm enim dicimus, *Aliquis homo est Deus*, verum dicimus: non tamen dicimus aliquem hominem indeterminatum esse Deum, sed hominem quemdam quoad se determinatum, qui Christus dicitur, qui ex vi *Quando Indefinitæ sint universales & particulares?* hujus propositionis à nobis non determinatur. Et indefinitæ propositiones, non augent numerum; quoniam in materiâ necessariâ dicuntur esse universales, & in contingenti particulares.

De Syncategoremate Aliquis requiritur Dices hanc propositionem, *Aliquis equus requiritur ad equitandum*, nec esse universalem, nec singularem, adeòque præter membra posita ab Aristotele, debere alia adhuc poni, ut completa divisio sit. Respondeo ejusmodi particularem, etiam admissâ divisione communi, esse anomalam & communibus regulis non respondere: & posse ad singularia disjunctiva reduci, quia ad equitandum sufficit hic equus, & requiritur iste vel ille: nullus tamen determinatè. Sed hoc ipsum non videtur satisfacere omninò, & ideò Propositionem in Indefinitam, Universalem, Particularem, & Singularem cum comuni sententiâ dividamus.

C.

Clariùs diceret contrarias vocari duas universales, quarum altera universaliter asserat, quod altera universaliter negat, ut *Omnis homo est albus*, & *Nullus homo est albus*. *Quanam sint positiones contrariæ.*

D.

Videtur aliquid deesse, ut sensus stet; & hanc ob rem aut corrigo aut restituo literam, & ajo, *Affirmatio negationi opponitur contradictoriè, quæ universaliter significat (enunciat) idem, quod negatio negat non universaliter*: ut videre est in his, *Omnis homo currit, Non omnis homo currit*: *Omnis homo est albus, Aliquis homo non est albus.* *Quanam contradictoriæ?*

E.

Contrariis oppositas illas Aristoteles propositiones vocat, quas nos subcontrarias, & has inquit posse esse simul veras: nam & contrariæ esse possunt simul falsæ. Pono exempla. Sunt simul falsæ hæ duæ: *Omnis homo est albus, Nullus homo est albus.* Sunt simul veræ, *Aliquis homo est albus, Aliquis non est albus.* *Et quænam subcontrariæ?*

Hinc patet eos, qui authoritate Aristotelis subcontrarias à censu Oppositarum excludunt, non legisse Aristotelem. Illis ut satisfaciat Hurtadus *disp. 4. Summul. §. 23.* ait Aristotelem oblivionis & ignorantiæ capacem fuisse: adeòque omisisse subcontrarias, aut quia illarum non fuit recordatus, aut quia illas nescivit: at faciliùs, si Aristoteli favere vellet, diceret, eum egisse etiam de subcontrariis, quas vocat Contrariis oppositas. *An illas Aristoteles noverit?*

F.

Quæstio est celebris, quæ inquirit, *An propositiones indefinitæ sint ab omni signo quantitatis præcisæ.* MCCC LXXX. *Dubium an verò succedant.*

an verò aliquam involvant impliciè & æquivalenter? Hoc secundum videtur teneri à doctoribus, & posse facilius defendi. Stengelius *de Convers. Univers. negativa* hæc habet [ex forma videtur esse enunciatio indefinita, cùm ejus subjectum pro multis rebus acceptum nullo notetur signo, ut docet Fonseca *Lib. 3. Instit. cap. 5.* at indefinitæ, ut aliqui volunt, tum ex modo significandi, tum etiam ratione materiæ contingentis, cum eâ constant, imò etiam cum materiâ necessariâ constant, idem valent atque particulares. Alii tamen vero proprius dicunt indefinitas ex materiâ necessaria & impossibili idem valere ratione materiæ atque universales, saltem tunc cùm prædicata eorum non minus latè patent, quam subjecta, aut cùm directa sit prædicatio.

Quando indirecta est prædicatio materia non est necessaria, sed contingens.

Consule Fonsecam *cap. cit.* In *Exod. 22. 18.* & *Deut. 18. 10.* dicitur, *Nec inveniatur in te, qui lustret filium suum, aut filiam ducens per ignem, aut qui ariolos sciscitetur, & observet somnia, atque auguria, Nec sit maleficus, nec incantator, neque qui Pythones consulat, nec divinos, & quærat à mortuis veritatem.*

N. B.

Quibus verbis utique non aliquis tantùm maleficus: sed omnis esse inter Israelitas prohibetur, cum statim subjungatur, *Omnia enim hæc abominatur Dominus.* Cùm ergò hæc non magis in uno, quàm in alio abominetur, vim universalis habere videtur cùm dicitur, *Non sit maleficus in te.* Certe si universalis Enunciatio est, ut aliqui definiunt, cujus prædicatum competit universis speciebus & individuis subjecto comprehensis, vix negari potest hanc *Deus neminis debet patrocinari*, esse universalem: licet definita non sit, hoc est, licet signum aliquod universalitatis (qualia sunt, *Omnis, Universi, Cuncti, Quilibet, Quisque, Quotquot, Unusquisque nullus, ne unus, Nemo*) non habeat subjecto expressè additum; nec id per illud Syncategorema (*nemini*) indigitetur; quia id se ex parte prædicati habet, at prædicato, ut Aristoteles *cap. 7. de Interpret. t. 4.* docet, nota seu signum universalitatis vel non additur, immediatè saltem & quando propositio est tertii adjecti, (nec enim omnis homo est omnis Grammaticus) vel si, cùm prædicatum est verbum adjectivum, rectè talis prædicati partibus additur, ut in præsenti fit, & in hac quoque cernere est, *Deus conservat omnes homines*, eum universalem propositionem non efficit.

Signa Universalia.

Solent ipsa in obliquis, aut etiam adverbiis includi.

Quamvis illud interim Bartholomæo Keckermanno Dantiscano *in Systemate Logic. lib. 1. cap. 1.* non negemus, etiam adverbia, quæ locum nominis tenent, posse facere ut propositiones sint universales: ut

Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt:

& alia ejusmodi, quæ vel loci vel temporis universalitatem significant.]

G.

MCCC LXXXI. ... uni assertioni univ. a negatio contradicat.

Erat opinio communis, quæ docebat, uni extremo non nisi unicum contradictoriè opponi; at huic

Omne animal est rationale.

opponuntur contradictoriè innumerabiles, quales sunt,

Equus non est animal rationale.
Leo non est animal rationale.
Lupus non est animal rationale, &c.

&, si Petrus Paulus & Franciscus sint nigri, cæteri albi; huic

Nullus homo est niger,

opponentur istæ contradictoriè: videlicet,

Petrus est niger.
Paulus est niger.
Franciscus est niger, &c.

Etiam huic propositioni,

Non omnis homo currit.

contradicunt hæ duæ,

Omnis homo currit,
Nullus homo currit,

& similiter huic,

Contingens est, ut cras pluat,

opponuntur contradictoriè,

Necessarium est, ut cras pluat.
Impossibile est, ut cras pluat.

H.

Contradictoriæ non solum debent servare eosdem terminos, sed etiam, ut hîc Aristoteles monet, camdem terminorum significationem: unde juniores solent Contradictionem explicare dicentes. *Contradictio est affirmatio & negatio ejusdem de eodem secundum idem.* Unde istæ propositiones,

Æquivocatio tollit contradictionem.

Canis est astrum.
Canis non est astrum.

Si mutetur vocis æquivocæ significatio, non sunt contradictoriæ: si enim in primâ propositione agatur de cane cœlesti, & in secundâ de domestico, nulla est oppositio.

I.

In singularibus futuris non reperiri determinatam veritatem aut falsitatem; & neutram contradictionis partem esse simul veram, neutram esse simul falsam; agens de materiâ contingenti asserit Aristoteles, tum hîc, tum etiam in pluribus aliis locis.

De propositionum de futuro veritate.

K.

An plura possint de uno affirmari, aut negari? unicâ propositione id posse negat Philosophus, cujus sententiâ hæc

Petrus est animal album.

æquivalet his

Petrus est animal.
Petrus est albus.

Sed, si hîc disputare volumus, de nominibus & non de re erimus disputaturi.

L.

Ergo valeant omnes illi, qui modum significandi ad orientem, & modum essendi ad occidentem, opposito discursu adpellunt: debent enim significari res, ut sunt: &, si aliter significantur, quàm sunt, male significantur.

Modum essendi imitatur modus significandi.

M.

Subobscurè loqui videtur Aristoteles, sed

ex ejus doctrinâ aut hanc verborum interpretationem, aut illationem subjicio: sic inquam. [Ubique loco definiti possumus ponere definitionem, & contrà; nam, si est vera hæc propositio, *Homo est risibilis*, etiam erit vera hæc, *Animal rationale est risibile*. Et, si vera est hæc, *Leo est animal*; etiam erit vera hæc, *Animal rugibile est vivens sensibile*, &c.

THESIS V.

De Propositionibus infinitis.

MCCCLXXXII. *Quænam sint partes, quæ necessaria sunt, in Enunciatione?*

DE quo aliquid affirmatur, vel nomen verum est, vel infinitum. *Aristoteles Capite* 10. *num.* 1. Omnis affirmatio & negatio, aut constat ex nomine & verbo; vel ex infinito nomine & verbo. *Ibidem.* Sine verbo nulla affirmatio aut negatio est. *Capite eod. num.* 2. Enunciationes finitæ fiunt infinitæ posito negandi adverbio ad subjectum *A.* non ad notam *Omnis. Ibidem num.* 12. Pronomina *Omnis*, *Nullus*, nihil aliud significant, quàm affirmationem vel negationem esse de nomine universaliter accepto. *Ibidem.* Quæ opposita sunt secundum finita nomina & verba, quasi negationes absque nomine & verbo videri possunt, non sunt tamen. *Capite eodem num.* 15. Semper necesse est veram vel falsam esse negationem. *Ibidem.* Nomen infinitum non significat verum vel falsum; imò minus, quàm nomen simplex.

MCCCLXXXIII. *An dentur propositiones negativæ?* Vide Herculis Logici laborem II. numer. 2304.

POstquam egimus de contradictione; hoc est, de Affirmativis & Negativis propositionibus, agam de Infinitis: vel enim ipsæ sunt negativæ, vel cum negativis convertuntur: quoniam hæc propositio *Homo non est lapis*, videtur æquipollere huic, *Homo est non lapis.*

A.

Considera bene hanc periodum. Ergo, si hanc propositionem,

Omnis homo currit,

debeamus infinitam reddere, non debemus Syncategorema *Omnis* negatione inficere, sed subjectum. Ergo hæc

Non omnis homo currit,

non est infinita, sed hæc,

Omnis non homo currit.

Vide laborem Herculis primum, secundumque, num. 2252. *&* 2304.

Sed cur monet Aristoteles, negationem debere afficere subjectum? an-non etiam prædicatum afficere poterit? Concedunt ad unum omnes Logici: at nos hodie negamus & dicimus negationem sive cadat supra Syncategorema, sive supra copulam, sive supra prædicatum, reddere propositionem negativam, & tunc tantùm infinitam, quando cadit supra subjectum. Pono exempla.

Omnis homo est animal.
Non omnis homo est animal.
Omnis non homo est animal.
Omnis homo non est animal.
Omnis homo est non animal
Aliquis cygnus est niger.
Non aliquis cygnus est niger.
Aliquis non cygnus est niger.
Aliquis cygnus non est niger.
Aliquis cygnus est non niger.
Nullus lapis est vivens.
Non nullus lapis vivens.
Nullus non lapis est vivens.
Nullus lapis non est vivens.
Nullus lapis est non vivens.

Ecce habes tres propositionum quinarios: in primo primum locum tenet propositio asserens universalis; tertium infinita: secundum, quartumque negativæ; quintum quædam propositio, quæ æquivalet quartæ. De secundo quinario pariformiter philosophamur. In tertio primum locum occupat universalis negativa: tertia est infinita: & quia quinta æquipollet quartæ, cæteræ sunt affirmativæ.

THESIS VI.

De Modalibus.

MCCCLXXXIV.

IN Enunciationibus Modalibus puris, ut ex affirmatione fiat negatio, adverbium negandi (videlicet particula *non*) debet apponi modo, & non dicto. *Aristoteles Capite duodecimo numero tertio.*

Id osten-

Quo modo inverse opponantur? ID ostenditur clarè, quia huic, *Possibile est hominem esse album*, non opponitur contradictoriè hæc, *Possibile est hominem non esse album* (nam istæ subcontrariæ sunt) sed hæc, *Non possibile (aut impossibile) est hominem esse album.*

Aio Aristotelem egisse de contradictoriis: nam in contrariis & subcontrariis ut ex affirmatione fiat negatio particula *non* debet apponi dicto non modo, ut in sequentibus videre licet, *Necessarium est hominem esse animal*: *Necessarium est hominem non esse animal. Impossibile est hominem esse lapidem*, *Impossibile est hominem non esse lapidem. Possibile est corvos esse virides*, *Possibile est corvos non esse virides* in quibus Modi *Necessarium* & *Necessarium non*, nec non *Impossibile*, & *Impossibile non*, opponuntur contrariè: & *Possibile*, & *Possibile non*, subcontrariè: & redeundo ad Aristotelem *Necesse* & *Non necesse*: *Impossibile* & *Non impossibile*. *Possibile* & *Non possibile* opponuntur contradictoriè.

THESIS VII.

De Conversione.

MCCCLXXXV. *Quantopere molimento & obscuritate tradat, quæ hodie clarè, & breviùs tradi solent.* TRansposito nomine & verbo eadem est affirmatio & negatio. *Aristoteles Capite* 10, *num.* 17. Universaliter privativam in eo quod est inesse, terminis convertere necesse est. *Capite* 2. *num.* 2. Prædicativam convertere quidem necessarium, non tamen universaliter, sed in parte. *Capite eodem num.* 3. Earum, quæ in parte, prædicativam quidam convertere, necesse est secundum partem *Capite eodem num.* 4. Privativam autem non necessarium. *Ibidem num.* 5. In propositionibus de modo inesse, universalis negativa universali et convertitur. *Capite* 3. *num.* 2. Affirmativarum utraque convertitur in parte. *Cap. eodem num.* 3. Quod verò est in parte privativum non convertitur. *Cap. eod. num.* 4. In contingentibus affirmativis consimiliter quidem se res habet, secundum conversionem in omnibus *Cap. eod num.* 5. In negationibus verò non consimiliter, sed quæ dicuntur contingere, vel quia necessariò non insunt, vel quia necessariò insunt similiter. *Ibidem.* Quæ eò, quod ut plurimum, atque ob id quod natura sunt, contingere dicuntur, non similiter se habent in privativis conversionibus: nam universalis propositio non convertitur, quæ autem in parte convertitur. *Capite eodem num.* 7.

MCCCLXXXVI. *Quid sit Conversio.* COnversio in propositionibus transmutat terminos; hæc enim, *Homo est animal*, convertitur in hanc, *Animal est homo.* Et hæc *Petrus currit*, in hanc *Currit Petrus.*

Omnia, quæ hîc, & in aliis locis Aristoteles magnâ eruditione pertractat, reduci ad illam Regulam debent, quam pronunciat hoc distichum:

Simpliciter FECI. *convertitur* EBA *per accid.*
ACTIO *per contrap. sic fit conversio tota.*

Conversio est triplex. Hinc patet Conversionem esse triplicem: quoniam propositio convertitur vel simpliciter, vel per accidens, vel per contrapositionem.

Simplex. In primo conversionis genere conservatur propositionis conversæ quantitas, ut cùm dicimus,

Omnis homo est risibilis:
Omne risibile est homo.

Aliquis corvus est albus.
Aliquod album est corvus.

Nullus homo est lapis.
Nullus lapis est homo.

Aliquis leo non est elephas.
Al[illegible] est leo.

Non omne dulce est album.
Non omne album est dulce.

Per accidens. Secundum Conversionis modum *partialem* vocat Aristoteles, *accidentalem* hodie Peripatetici: cur ille partialis nominetur intelligo: cur verò accidentalis, non intelligo: dicitur enim propositio particularis, partialis; quòd universalis sit pars. Considera exempla subsequentia.

Omnis equus est animal.
Aliquod animal est equus.

Nullus leo est arbos.
Aliqua arbos non est leo.

Omnis canis non est aquila.
Aliqua aquila non est canis.

Per contrapositionem. Tertius postulat ut uterque terminus (subjectum, prædicatum) infinitetur. Considera exempla subsequentia.

Omnis homo est substantia.
Omnis non substantia est non homo.

Aliquis cygnus est niger.
Aliquod non nigrum est non cygnus.

Aliquis canis non est albus.
Aliquod non album non est non canis.
Aliquod non album est non non canis.
Aliquod non album est canis.

Si materia fit convertibilis (differentialis, aut propria) universalis affirmativa convertitur etiam simpliciter: &, si materia sit remota, particularis negativa convertitur etiam simpliciter.

An contrapositio ad conversionem simplicem reducatur?

Conversio per contrapositionem, est etiam simplex: Considera istas propositiones.

Aliquod animal non est homo:
Aliquod non homo non est non animal:
Aliquod animal est non homo:
Aliquod non homo est animal.

Prima convertitur in secundam per contrapositionem: tertia in quartam simpliciter: & tamen primæ tertia, & secundæ aquivalet quarta.

Dubium incidens.

An-ne particularis potest in universalem converti? Perit *Baralipton*, si non possit. Dicendum est igitur semper posse converti in alteram particularem; et tunc etiam in universalem quando in necessariam transit. Nam *aliquod animal est homo*, contingens est, & quoniam in hanc necessariam, *Aliquis homo est animal*, transit, potest etiam in istam, *Omnis homo est animal.*

THESIS VIII.

De Syllogismis.

MCCC LXXXVII SYllogistica propositio simpliciter est affirmatio vel negatio alicujus de aliquo. *Aristoteles c. 1. n. 4. & 6.* Terminus dicitur, in quem dissolvitur propositio, ut prædicatum, & de quo prædicatur; aut apposito, aut diviso esse aut non esse. *Cap. eod. n. 7.* Syllogismus est Oratio, in qua positis quibusdam, alterum, quodà positis, necesse est contingere, eo quod hæc sint. *Cap. eod. num. 8.* Syllogismus perfectus nullo alio indiget præter assumpta, ut necessarium appareat. *Cap. eod. num. 9.* Syllogismus imperfectus indiget unius aut plurium, quæ sunt quidem necessaria per subjectos terminos, non tamen assumptæ sunt per propositiones. *Cap. eod. num. 10.* In toto esse alterum altero, & de omni prædicari idem significat. *Cap. eod. num. 11.*

Explicantur voces, quibus in Dialectica utimur.

MCCC LXXXVIII SEmper audis ab Aristotele nomen *Necessitatis* urgeri, & quia sæpè accidit contingentes veritates probari, aliqui inter necessitatem consequentiæ & necessitatem consequentis distinguunt: aliud enim dicunt consequens esse necessarium, & aliud consequentiam esse necessariam. Nam si hæc propositio, *Cras pluet*, est contingens, etiam erit contingens, si legitimum Syllogismum claudet; meus enim discursus rerum naturas immutare non potest. Claudat igitur hunc: *Quotiescumque sydera sunt tali modo disposita, pluit; sed cras sic erunt; Ergo cras pluet.* Dicunt igitur hoc consequens esse contingens, at consequentiam necessariam, quia si veræ præmissæ, impossibile est, ut sit falsum consequens: quam ob rem hæc ipsa esset necessitas sensûs compositi; quam non admitto, sed ejus loco *infallibilitatem* propono: & hunc Syllogismum objicio. *Quotiescumque datur auxilium efficax, homo operatur; sed cras habebis illud, Ergo cras operaberis.* Et in ipso nullam necessitatem, sed summam infallibilitatem reperio. Tua enim operatio libera est, nec ullâ consequentis, aut consequentiæ necessitate infecta: at infallibilis omninò est. Ergo quoties Aristoteles *necessitatem* urget, tu *infallibilitatem* aut lege aut intellige, & procedes securè & exactè.

Necessitas duplex: consequentis & consequentiæ.

Pluvia est contingens.

Discursus Astrologicus.

Infallibilitas distinguitur à necessitate.

Consequen-

Sic necessitas humanam libertatem non tangit.

De omni prædicari dicitur, quando nihil sit subjecti accipere de quo alterum non prædicatur. Aristot. 1. Prior. c. 1. num. 11. *At de nullo similiter.* ibidem.

Basis Dialectica.

Est in Dialectica celeberrima quæstio quæ inquirit, quibus fundamentis nitatur tota efficacia Syllogistica? Anne illis Principiis, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; & quæ sunt eadem inter se, æquè distant à quoquo tertio*; an verò istis, *Dici de omni*, & *Dici de nullo.* Pro prioribus stant innumeri Dialectici; tanto enim est hominum confidentia, ut quæ ab uno dicta, à centum inconsideratè admittantur. At ego demonstro illa, quæ vocant Principia, falsa esse; ut sint vera, non servire Dialecticæ; totamque Artem niti istis ultimis: & ut video consona etiam Aristoteli, quem nostram sententiam propugnavisse gaudeo.

THESIS IX.

De Figuris & Modis.

MCCC LXXXIX. *IN omni Syllogismo dantur tres propositiones tribus tantùm terminis compositæ, & quia Medius trifariam disponi potest, tres ponuntur Figuræ.*

Hæc possunt & debent reduci

In primâ figurâ tres termini ita se habẽt, ut ultim⁹ ut in toto medio, & medius in toto primo sit, vel nõ sit. *Arist. c. 4. n. 2.* Medium in figura prima dicitur, quod & ipsũ est in alio, & aliud in ipso. *C. 4. n. 3.*

De prima figura Aristotelica.

Extre-

Syllogismi formales seu Platonici; quos iuniores ad quartam figuram reijciunt. Extrema appellantur, & id, quod est in alio, & id, in quo est a iud. *Ibidem.* Ex minore propositione negativa in figura prima nihil in forma concluditur. *Cap. eod num. 8. & praeced.* Nec ex majore particulari *Cap. eod. num. 23. & praeced.* Omnes Syllogismi in figura prima sunt perfecti *Cap. eod. num.* 24. per primam figuram omnia problemata monstrantur. *Cap. eod. num.* 25.

De secunda figura. Figura secunda vocatur, quando idem huic quidem omni, illi autem nulli insit, aut utrique omni, aut nulli. *Aristoteles Cap. 5. num. 1.* Medium in ipsa dicitur, quod de utrisque praedicatur. *Cap. eod. num. 2.* Extrema, de quibus dicitur hoc. *Ibidem.* Majus extremum, quod ad medium jacet; minus, quod longius à medio. *ibid.* Ponitur medium quidem extra extrema, sed positione primum. *Cap. eod. num. 3* Syllogismus in hac figura potest esse & universaliter, & non universaliter terminis existentibus. *Cap. eod. num. 5.* Vt in figura secunda modus sit utilis, oportet propositiones esse dissimiles. *Cap. eod. num 13. & praeced.* Et majorem universalem. *Cap. eod num. 27. & praeced.* Omnes Syllogismi in figura secunda sunt imperfecti. *Cap eod. num. 24. & 28.* Per figuram secundam non fit Syllogismus affirmativus, sed omnes privativi, & qui universaliter, & qui secundum partem. *Cap. eod. num. 29.*

De tertia figura. Cùm eidem inest, aliud quidem omni, aliud verò nulli, vel ambo omni, vel ambo nulli, hujusmodi figura appellatur tertia. *Aristoteles capite 6. num. 1.* Medium in illa dicitur, cui ambo attribuuntur. *Cap. eod num. 2.* Extrema, quae attribuuntur. *ibid.* Majus extremum quod longiùs abest à medio. *ibid.* Minus, quod propiùs accedit. *ibid.* Medium ponitur extra extrema, ultimum autem positione seu situ. *Cap. eod. num. 3* Syllogismus in figura tertia esse poterit, terminis tam universaliter, quàm non universaliter medio junctis. *Cap. eod. num. 5.* Syllogismi figurae tertiae debent habere minorem affirmativam. *Cap. eod. num. 10. & 22.* In figura tertia nullus datur Syllogismus perfectus. *Cap. eod. num. 4. & 23.* Vniversaliter per figuram tertiàm ratiocinari non licet, neque privativum, neque affirmativum. *Cap. eod. num.* 24.

Regula generalis pro omni figura. Si attributivi vel privativi sint utrique termini; item, si utrique sint in parte, nihil omninò colligitur necessariò in ulla figura. *Cap. 7. num. 1.* At, si alter sit attributivus, alter privativus, & universaliter accipiatur privativus, semper fit Syllogismus minoris extremi de majore. *Cap. eod. num. 2.* Nec tantùm in prima, verùm etiam in secunda figura & tertia. *Cap. eod. num. 4.* Indefinitum pro attributivo particulari acceptum, efficit eundem Syllogismum in omnibus figuris. *Cap. eod. num. 5.* Omnes Syllogismi imperfecti perficiuntur per primam figuram. *Cap. eod. num. 6.* Licet omnes Syllogismos reducere ad Syllogismos universales primae figurae. *Cap. eod. num. 7. & 12.*

MCCCXC Has ipsas Dialectici Regulas ad paucula carmina reducunt, ita ut necessarium non sit singulas discere aut examinare; ille enim, qui Syllogismum in modo legitimo cõformet, etsi has regulas nesciat aut negligat, illas omnes observabit exactè. Carmina subjiciamus.

Barbara, Celarent, Darii, Ferio: Baralipton,
Celantis Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum.
Cæsare, Camestres, Festino, Baroco. *Darapti,*
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

Isti sunt Syllogismorum modi, quos ex Aristotelis libris eruunt Peripatetici: omnes boni, & legitimi; at Ego eosdem hac Censurâ perstringo.

An reperiantur aly meus? Dico primò, his versibus non comprehendi omnes modos possibiles, sed eos, qui in materia contingenti, adeoque in omni sunt efficaces: nam reperiuntur multi in materiâ necessariâ legitimi, qui in contingenti repudiantur. Hic est bonus,

Hic homo (nempe Petrus) est animal:
Ioannes est homo:
Ioannes igitur etiam est animal.

malus verò iste,

Hoc animal (nempe Cygnus) *est album:*
Corvus est animal:
Ergo Corvus est albus.

Priorem dixi bonum, hunc posteriorem malum; quia in simili formâ, si materia necessaria sit, nunquam dabitur antecedens verum & consequens falsum: & tamen saepè dabitur haec exorbitantia, si sit materia libera vel contingens.

Dico secundò, his versibus Modos Platonicos illos inquam, quos ad quartam figuram multi pertinere pronunciant, non claudi. Nec *De modis Platonicis.*

Patiar, si dicas illos ad primam Aristotelicam reduci, quia etiam secunda & tertia figura ad eamdem primam reducuntur, & nihilominùs distinctæ sunt.

De Indirectis. Dico tertiò, in secundâ & tertiâ figurâ modos indirectos ab Aristotele & Peripateticis omissos fuisse, qui tamen securissimi sunt. Vel excipe contra hos Syllogismos.

IEO. *Indir. Fig. 2.*
Aliquod animal est equus:
Nullus homo est equus:
Ergo aliquod animal non est homo.

OAO. *Indir. Fig. 2.*
Aliqua substantia non est animal:
Omnis homo est animal:
Ergo aliqua substantia non est homo.

AEO. *Indir. Fig. 3.*
Omnis homo est vivens:
Nullus homo est leo:
Ergo aliquod vivens non est leo.

IEO. *Indir. Fig. 3.*
Aliquis homo est vivens:
Nullus homo est leo:
Ergo aliquod vivens non est leo.

AOO. *Indir. Figur. 3.*
Omnis homo est vivens:
Aliquis homo non est leo.
Ergo aliquod vivens non est leo.

Omnes isti modi indirecti sunt boni, & tamen Peripateticis ignoti.

De Submodis. Dico quartò, in primâ figurâ Submodos positos (nimirum, *Celantes*, *Dabitis*, *Baralipton*) qui potuissent omitti, quoniam eodem jure potuissent ponere hos directos, *Barbari*, *Celaro*: & addere indirectum *Celanto*. Sed tota hæc confusio inde orta, quod nesciant Peripatetici inter Modos & Submodos distinguere: Modi enim dicuntur, qui inferunt consequentiam primariam, & qui secundariam Submodi.

Sed quæ sunt consequentiæ secundariæ? subscribo.

Consequentia primaria.
Si sit A. subinferet I. dir. & I. ind.
Si sit E. subinferet O. dir. & E. & O. ind.
Si sit I. subinferet I. indir.
Si sit O. subinferet nihil.

Doctrinam exemplis dilucido.

Omnis homo est animal:
Ergo aliquis homo est animal:
Ergo aliquod animal est homo.

Nullus leo est lapis:
Ergo aliquis leo non est lapis:
Ergo nullus lapis est leo.
Ergo aliquis lapis non est leo.

Aliquis homo est albus:
Ergo aliquod album est homo.

Et quidem hoc etiam adnotare placuit. Quoniam aut fallor, aut vis naturalis potentissima est. Vult Aristoteles describere primam figuram, quæ est prima Platonicæ formæ inversio, & naturali impulsu ductus Platonicam formam describit. Considera illa verba. *Medium in primâ figurâ dicitur, quod & ipsum est in alio, & aliud in ipso.* Hæc enim lex in hoc Syllogismo

Homo est animal, Animal est vivens. Ergo Homo est — — — vivens.

optimè verificatur. Cætera omnia sunt certa.

POSITIONES PHYSICÆ.

Conjugium Philosophicum inter Xantippen & Socratem (puta Materiam & Formam) celebrantes.

Sunt propugnata Salisburgi die VIII. Mensis Iulii, Ann. M.DC.XL. à perdocto Domino Christophoro Scheibl, Præside R. P. Gregorio Heller Göttwicensi Monacho (nunc Abbate) S. Theologiæ Doctore, & Philosophiæ Professore ordinario.

BENEVOLO LECTORI: OCULUM PRO DENTE.

Contractus aliqui in spatiis imaginariis celebrantur. Circumfer in Orbem lumina; resplendebunt semper, conduplicato radio, pro uno, duo. Adeò CONiugiis plena sunt omnia. Compita, Palatia & Atria sat ampla non sunt, Matrimoniis contrahendis; in Angulis etiam celebrantur; ind.

imò, ut altiùs provehar, sæpe in Spaciis Imaginariis. Dico, Superficies Terræ Matrimoniis angusta est nimis, recipiunt se Clandestinè ad loca subterranea, non tamen inhospita; ibi Thetis jungitur Lyæo, Dea Deo, quandoq; Dea maior eo. Nec in Officinis inofficiosè desunt Connubia; miscentur vetera Novis, ut sit Commercium. Iuvencos lascivientes Arator sub iugum misit? fecit Coniugium. Ieiunum ac Viduum est Olus, cui sua divortium indixit. Pictori manus truncetur dextera, qui pingit Adamum sine Eva. Inops est Statuarius, cui deest Truncus. Artes fabricant in aëre, nisi formam copulent Materiæ. Natura non habet bene, quamdiu caret Coniuge. Nuptias respiciunt, quæ vivunt, omnia. Cæterum, qui oculos aperiunt clariùs (ut Speculativi solent) facilè videbunt, Coniugium non fuisse celebrius illo, quo Xantippe, placidi Iovis improba Iuno, Socrati Philosopho sapientissimo nupsit. Huc oculos placuit intendere, Nuptiis interesse, quæ illic gesta, quæ non gesta, bonâ fide, in has paginas referre. Tuum admittunt oculum Lector benevole, dentem rodentem nolunt. Iocosa involarunt aliqua? fortè opportunè. Dissonat enim, quando Exequiæ canuntur pro Hymenæo. Naturam Loci non argue, si Salisburgenses Philosophi, sales è Salsa imbibunt & lætiora eructant. Campo ille dexter est, qui ex uno dolio fundit mulsum & absynthium. Sed, ne nescias, in foro Contentioso celebratur Socraticū Coniugium. Et quid tandem? Quod in litigiis Philosophicis usu venit. Enses à lōgè hic spectat, ille in arenâ stat, & hostes expectat.

Forma Materiæ copulatur.

Mulsum & absynthium ab uno.

Deliberatio

An liceat, vel expediat Socrati, contrahere cum Xantippe?

MCCCXCI. Quanto consilio & circumspectione ad connubium veniendum sit?

DEliberandum diu est, quod statuendum semel. Audin! Socrates? Oraculum est Delphicum, in omni negotio cautè sequendum, in Causa matrimoniali cautissimè. Diu namque Contractus ille ligat, quem sola mors rescindit. In mentem tibi venit uxor, nubere paras, Xantippen in votis & amoribus habes: lynx esto priùs & Argus, num lateat anguis in herba; bilance utere, pondera quid hominis illa, tuóne digna complexu. Empturus in foro equum, si oculos relinquat domi, tripodem habebit pro quadrupede, pullum vicenarium; dignus hic Eques dolo, damno, risu. *Raptum* judica, non *Contractum*, quando sic apprehenditur Sponsa, ut solet nuces Kunzius. Hæc io autem Socrati, familiaris quidam Spiritus: & facilè persuasit in Exordio: quia Sapienti pauca. Dedit pronam Socrates utramque auriculam, & recta monentem in Cor admisit. Vocavit enim illicò quos ad manum habuit Amicos, Philosophos, Legisperitos; Thesin posuit, Sententias rogavit, Responsa dedit.

An duo sint adversarum omnium principia?

I. Sententia. *Xantippe obscuris orta natalibus est, Socrates claris: ergò nec licet, nec expedit nubere.* Ita Plotinus unà cum Stoicis & Manichæis, qui asseruerunt duo esse Rerum Principia, Deum bonum & malum: ut à bono principio anima & forma hominis sit, à malo corpus & materia: propterea peccant Eleemosynarii, qui dum pascunt esurientes, oleum igni affundunt, & materiæ adminiculum præstant, contra illud: *Auferte malum ex vobis.* Hermogenes in Africa hæreticus pejora docuit, materiam constituens Caput malorum omnium, à quo diabolus ac dæmones & quicquid est malorum, descendisset. His applaudit vetus illud poëtæ: mare, ignis, mulier, *tria mala*. Et Aristippus, mulierem parvam sed pulchram conspicatus; parvum quidem pulchrum, inquid, magnum autem malum. Hæc materiæ prosapia est, hæc genealogia Xantippe; quam ab ovo ad mala usque recensuit qui dixit: mali corvi malum ovum. Tu verò Socrates nobilissime, genus tuum ignoras? non meministi Formæ, è Jovis te prognatam esse cerebro? non audis quo te patronymico appellent Philosophi, dum dicunt: Forma est quid *Divinum*? est *Actus*, æmulatur similitudinem Dei? Boni dii sint Iudices, an rectè nupserit Moyses tam clarus Æthiopissæ; & an sit æqua conventio luci ad tenebras, ad Xantippen Socrati.

An mala omnia aliquid à materiâ proveniant?

Quid & qualis sit forma?

Responsio Socratis. Itanè semper maturiora sunt zizania tritico, hæreses Evangelio? Nimirùm sponte nascitur lolium; frumenta quia seruntur, seriùs caput erigunt. Apage sis Hæresis: malum Comprincipium patiatur Bonus Deus? Nec figulus figulum tolerat, valles æquat montibus, qui materiam Deo parem facit. Non est illa primum principium, sed à Principio. Invenerit Manichæus, unde Xantippen cum Furiis infernalibus ratione malitiæ compararet: invênit Doctor Angelicus undè materiam aliqualiter Bono Deo similem faceret. Nam, 1. p. q. 14. a. 11. ad 3. cum objecisset quod Materia, utpotè ens in potentia tantùm, omninò sit dissimilis Deo qui est *Actus purus*: Respondit, *quod licet materia recedat à similitudine Dei secundum suam potentialitatem, tamen in quantum vel sic esse habet similitudinem quandam retinet divini esse.* Igitur Materia quoque in genere Metaphysico bona est, nobili loco nata; quia ens est, quia à primo Ente est. Quod verò Physicè aut Moraliter materia mala sit, (ait Socrates) hoc ei per accidens advenit, ratione Privationis adjunctæ: & quod hodiè adest accidens, cras aberit: & mala Xantippe quæ fuit, bona esse potest. Scilicet, quando mutabit pellem Æthiops, varietates pardus; quando corvus cygnum induet, cygnus corvum. Falleris mi Socrates: nam, *quæ semel mala, semper præsumitur mala*; quia ex vipera rursum vipera nascitur. Nondum ergò contra Manichæos plenè conclusum est.

Materia fuit à Deo creata.

Quid sit Deus? An materia Deo similis sit? An sit bona? & quo sensu?

Iuris Regula.

MCCCXCII. *Prope Deum Angeli, prope nihil materia.*

II. SENTENTIA. *Socrates Rex est, Xantippe Fax est: quam splendebunt nuptiæ!* Ita confessus est & non negavit August. 12. Confess. cap. 7. liberè pronuncians: *duo fecisti Domine, unum prope Te, id est substantiam Angelicam, aliud prope nihil, scilicet Materiam.* Indigna profectò matrimonia, quando ima summis copulantur. Forma sanè, præsertim rationalis, paulò minùs ab angelis, residet solio supra omnia sublunaria elevato, quia *Substantialis Actus* est: è contra quantum in fragili carina mors distat à nauclero, tantum differt materia à Nihilo: quia in genere substantiæ, materia minimum habet entitatis quod excogitari potest, & ideo est quid, maximè in hoc genere, ad quandam veluti nihilitatem accedens. Ergo in ordine Substantiali Actus in summo est, Potentia in fundo: illuc enim feruntur fæces. Æstimet nunc si potest noctua, quàm splendidè se habeat aurum cum scoria. Perspexerunt è tenebris Ægyptiacis hanc materiæ notam ij, qui (referente Simplicio. 1. phys. tex. 65.) in faciem dicere ausi sunt, quod sit *fex vitæ*, quia est infrà vitam.

Forma prope Deum: qua?

Actus, potentia.

Ad hæc si tacet Socrates, vel surdus est, vel vult esse. *Tacet*: perculsus illuminatissimi Doctoris duplicato radio, authoritate scilicet & ratione, obmutescit. Benè, nisi subdolè, nam tacere, quandoque respondere est; silere, sine strepitu culpam agnoscere, stat sententia, erubescit Socrates; & si non pœnitet, pudet saltem nuptui tam pronas laxasse habenas. Verùm paulò majora canamus.

Quàm mala soleat esse mulier?

III. SENTENTIA. *Sydera non tot habet cælum, nec flumina pisces,*
Quot scelerata gerit fœmina mente doles.

Mutato nomine de te fabula narratur vera Xantippe. Ut audio; malè audis. Possint lippientibus ocellis, externa uxoris adoptandæ dedecora pertransiri; at quæ intrinsecus latent pestes animorum, videri non minùs ac vitari debent. Nunc si placet Socrati, Fama loquatur infamis & quotquot subtus præcordia Xantippe nutriat monstra vitiorum, edisserat. *Malefica est, Venefica, adultera, fœdi fraga, morosa, insolens, indomita, crudelis & sanguinaria,* quæ tot maritos, hoc est *Formas principales internecioni* dedit, unaque tot liberos, id est, accidentia *propria & passiones* interemit, ut vix terra capiat cadavera. His monilibus prædita est Sponsa; quam Forma in delitiis habet. Heus! bone vir, jugum sibi bibis impotabile; quæ intrivisti, edes; dæmonium admittes, ubi hoc omnis flagitii compendium deperieris. Verum surdo adhuc fabula canitur.

Materia malitia, quot?

Respondit Socrates: Famam eundo crescere, bullam flando. Quæ caret osoribus ac detractoribus Probitas, insignis haud est. Instabile vulgus plurima in bonam Xantippen detorquet convitia, ut reum faciat quæ Metello innocentior est. Sinamus latrare canes, lallare homines. Qui credit facilè, levis est corde. Bonus interpres, meliora præsumit semper. Hoc in portu cymbam suam alligat Ethicus, si bonus est, quando dubii flant venti. Quide materiæ criminibus tàm disertè loquuntur, multa dicunt, nihil probant. Reus nisi convictus, absolvi debet. Faxo, & Xantippen ut sponsam integerrimam habeo. Nam si latenter improba sit, non diu erit, quia tussis, & horologia Canora, & in calceo stramina latere non possunt. Prævideo. Sapiens hodie non est Socrates; quia sapere vult suo damno. Serò is credit Inimicum gestasse arma sub pallio, cui ferrum jam hæret in jugulo. Materia tot maritos internecione delevit, & una hirundo ver faciet, Socrates unus! dormit scintilla sub favilla? excitabitur, & sedebit flammeus in tecto gallus. Interim tui te non miseret Socrates, cui uno concentu *Ingenui, Constantissimi, probatissimique* titulos *mundus* defert, (ut eodem præconio, nec sit invenire qui de Juditha formosa, nec de forma Physica loqueretur verbum malum) quod cum suspectæ fidei Xantippe te componere, tangendoque picem inquinare velis.

Omnia minora fama.

Materia adultera.

IV. SENTENTIA. *Qui Xantippen in figura dæmonis, & Socratem in specie Angeli pingit, nihil fingit: quia prototypon est assecutus.* Academici sic suis coloribus depingunt materiam, quando eam nominant *sinum informem, & exemplar divinitatis expers.* Horrida, *Turpis* & incomposita est, quia secundum se nihil formæ habet, consequenter omni venustate ac decore caret. Penicillum admovet Anaxagoras & confusum *Chaos* depingit: hoc enim nomine ipsi materia venit. Quid multis? Larva est. De Formæ venusta elegantia pleni sunt libri. Ipsa enim *Forma*, *Species* rerum ipsa est, tota formosa & speciosa, os humerosque Deæ similis. Indignum plane! Formam Imperio dignam, Ancillæ copulari! Circulus aureus in naribus suis, *dedecet*. Imò verò, *reclamat Socrates*, forma virum neglecta *decet*. Quando nubunt Physiognomi, si verum excutias, facies, non uxor, amatur. Forma seu decor vultûs, fragile Vitrum est: si dubitas, inspice speculum Xantippen. Hæc quam cernis anum, quondam formosa puella extitit; an nescis quam breve forma bonum est? Sed & Pulchris stare diu, Parcarum lege negatum est: magna repente ruunt, summa cadunt subitò. Germani quoque hanc sententiam posuêre decretoriam: Quatuor esse quæ ante tempus virum sepeliant. Primò uxorem formosam, tristem familiam, immoderatum cibum, aërem corruptum. Ad lucra si respiciat Socrates, plura colliget è Xantippe vetusta, quàm ex Helena venusta. Nam Fastus inest pulchris, sequiturque *superbia* formam; præterea, lis est cum forma magna *Pudicitiæ*. Formosis levitas semper amica fuit. Ergo cum fœnore de inculta terræ facie duplicem lego fructum: habebo enim, Xantippen tanto *subjectiorem* tantoque *continentiorem*, quantò deformiorem. Spectra quoque domi meæ infesta non erunt, quamdiu Xantippe domi fuerit: nam clavus clavum pellit, fugatque conspectus dæmona dæmon. Sæpe naturâ novercante, deest in genarum pigmentis, quod compensatur in dotibus mentis: &

Dæmon materia similis: Angelus forma.

Chaos materia similis.

tis: & quæ formosa non est, subinde magis gratiosa est.

MCCCXCIII. *Materia anus: Forma infans.* V. SENTENTIA. *Disparitas ætatis magna est, si unius dies Infans de præsenti contrahat cum Ælia edentula. Et hoc audet Socrates.* Dies, imò tempus, deficiat Philosophum Aristotelicum prius, quàm canos enumeret Materiæ primæ annos. Nam si per viam *generationis ac transmutationis* computum inear, prospiciet longissimam *æternitatem*, & exclamabit: *Materia prima Ingenerabilis est.* Sin verò illuminato Fidei oculo *Creationis* viam emetiatur, *An sit generabilis? an creabilis materia prima?* prono capite dicet: *Materia prima ex nihilo est.* Collige nunc Nestora, Mathusalem, & quotquot fuêre celebria senectutis portenta; Xantippe *senior* est, cœli terræque collactanea. Inspice dentes, & ex iis ossibus vaticinâre de annis. numera. non possum. quare? quia nec principium numeri invenio. ergo edentula est. Frangendus miseræ gingivâ panis inermi, posthac. Forma verò materialis quàm dispar in annis! vix nascitur, quando materiæ conjungitur. Non enim est *Actus per se stans*, sed infans ab alnis materiæ pendere desiderans. Obvia tibi *vetula* est juventule Socrates; & non horres? nec à cœpto itinere revertis pedem? *edentula* formidini non est? Nonne amarulenta est alumna tibi, vetula domi manens? Nihil horum auditores. Magna fuit quondam capitis reverentia cani: inque suo precio ruga senilis erat. Charum Xantippe caput; quia canum, *dentes* non habet uxor? stabit viro *nasus* securior. Nimis est simplex, qui *mortem* ovium timet. Sic nullum est sine lucello damnum.

Materia pauper: forma dives. VI. SENTENTIA. *Cistas habet vacuas Xantippe, Socrates nummos. Dextrâne jungent Crassus & Codrus?* Aristoteles hoc in faciem dixit Socrati. Tuam fidem; non fallam. Domus Xantippe nec mures nec fures alit. Causa in promptu est; non habent mihi quod rodant, quod clepant. Vix abiit nunc, ex quo Aristoteles ego in ædes materiæ primæ devocatus, oculis lustravi omnia [imò fugiebant oculos omnia] domûs intestina. Quæsivi. Atria erant aperta. Non mirum si *Ens dividitur in decem Prædicamenta.* evolavit avis, nido relicto. Cubile insuper Prædicamentale, rebus condendis aptissimum, quà poteram ingenij acie penetravi & [bona nova Socrati!] decem suo stantes ordine Cistas, majores minores inveni. Hîc, ajo mihi, lupus tenetur ambabus auribus: aurifodina hîc est. Non solis tamen credidi oculis; auxiliares pariter applicui lacertos, cistarum ut librarent pondus. Plumbeum putavi, plumeum fuit, singularum claustra dissolvi; in fundo hæsi: vacuas retraxi manûs. Hæc spes hæc res, quam de *Definitio negativa.* Xantippe thesauris refero, paucis verbis: *Materia prima nec est quid, nec quantum, nec quale, nec aliud eorum quibus ens determinatur.* Sed [per parenthesin] dic mihi cur toties repetis in Carmine, nec, nec? Non vides? procedit Aristotelis definitio per viam *negationis.* Vetus est proverbium: Cui volupe est *Domina Moneta* nubere, is crumenam certam sibi polliceatur; de pecunia, computum suspendat: quia plerumque quod nimis clarè tinnit, inane est. Sic sic res malè *agitur & nobile par Conjugum patitur, quando habere quæritur, ubi nihil est situm.* Trioboli ergo sit homo Socrates, si, quas ipse *jure proprio* & in *parato* ære habet amplissimas gazas montesque aureos, in pertusum sacculum, qui *nunquam dicit sufficit*, id est in *Materiam*, velit effundere. Sed quis vidit Socratis divitias? forsitan & ipse Argentoratum properat? Ne crede: Creditores non habet Socrates. Vidit omne aurum illius, pauper Aristoteles oculatus testis, & in summa substantiam rei sic recensuit: *Forma est ratio ipsius quod quid erat esse rei.* Longa defi- *Quid sit forma? quid contineat, quid conferat?* nitio, quamvis involuta! desine mirari, amplæ possessiones, amplos habent limites. Forma *substantialis dat & habet omnia.* Prodigè sæpè liberalis est amor, & in vitium vertitur nimium, quando *Sponsus*, dexterâ gravidâ *Dotem* ferens, obviam it mendicabulo meretricio, sinistram vacuam offerenti. Hæc volui. Sategisti Aristoteles: nil tamen egisti. Xantippe Socrati placet, quia paupercula, quia dotem non adfert. Nam quisquis Uxorem, unicam hæredem, cupit adsciscere divitem: is vel iratis pœnam luit Diis, vel infelix esse vult, sub nomine Fortunati. Cum dote copiosa, veniunt incommoda multa. Cave; veniunt à dote sagittæ. Malè cœnat maritus, cui dos in prima scutella toties recoquitur; crambe repetita. Sed & cum for- *Materia est actu nihil, & omnia potentiâ.* micis quietem captat; qui lecto, quem dos attulit, incubat. Noctes ducit insomnes, cum plumæ millies vellicantur, per frigidum illud, *unum est stratum.* Porrò licet quoad præsens materia secundum se Nihil determinatum habeat, *potestate tamen omnia est.* Adhuc spes alit agricolas, licet granum sit emortuum.

MCCCXCIV. VII. SENTENTIA. *Longè distant polus & orcus; à Socrate Xantippe longiùs, uno palmo. Si vis aptè nubere, nube pari: aliàs perit Amor, Gaudium, Cohabitatio; primi flores Matrimonii.* Guttatim fluxerunt hactenùs objectiones; eaque stillicidia nec lapidem nec lapideum Socratem valuerunt emollire. Stat in suâ cautes marpesia sententiâ. Veniant eloquentiæ flumina, & indomitam Socratici amoris flammam, cui Xantippe fomes est, extinguant. Contraria duo quando ponuntur, *Amor inter æquales, inter pares.* sequitur destructio unius. Par pari jungenda conjux; quod impar est, *dissidet.* Agonizat *amor* inter dispares: quia similitudo Causa & anima est amantium, tolle causam, & effectum sustulisti. Ut enim æqualitas & similitudo benevolentiæ conciliatrix est, materque concordiæ: ita inæqualitas est odii dissidiique parens. Convolitant similes pennæ; graculus ad graculum: sturnus ad sturnum. Formicæ formica placet, cicada cicadæ, cervique cervis. Et balbus balbum rectius intelligit: & similes habent labra lactucas. Præterea si similis simili tantùm gaudet, quid dotis erit Materiæ ac Formæ? Triste

murmur, veteres næniæ, musica in luctu. Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi; sedatum celeres, celerem gnavumque remissi. Seni senex jucundissimus, pueroque puer. Denique individua vitæ *Societas*, quomodo in tanta partium dissimilarium inæqualitate consistet? Lapis ligno non cohæret; & surculus ille tantum coalescit arbori, qui consimilis est. Apologo rem dixit Æsopus. Nam carbonarius aliquando rogavit fullonem, ut secum in eadem domo habitare liceret: sed fullo respondit, se id facere non posse. Timeo enim, inquit, ne quæ ego dealbo, tu fuligine macules. Unde hodieque *Carbonarius & fullo non cohabitant*. Propter hoc apud æquos rerum judices, inter *personas impares*, non præsumitur matrimonium, nisi interveniant instrumenta dotalia. Jugum æquale, minùs aggravat.

An fullo carbonariusque possint cohabitare?

Sat verborum, ex turbine: quin halitu reciproco & respiret, & objectam nubem dissipet Socrates? *Principia* inter se *contraria* si statuis *Materiam* & *Formam*, imponis. Nam cohabitant in eadem benè *composita* domo; nec se mutuò expellunt. Si *privationem* & *formam* nominare voluisti, sententiam tene: sunt enim *prima contraria*. Disparitas inter S. & X. non te moveat; nisi supra Deum sapere velis, quia & ipse numero Deus impare gaudet. Conjuges inter, si quæ pullulant odiorum semina, non adolescunt: fiunt prius amoris incrementa. Unus hortus eleganter fovet unà vepres & flores: imò *contraria* juxta se posita magis *elucescunt*: sicut lux & nox. Esto non conveniant montes dissiti, Homines tamen toto etiam cœlo elongati, commeant. Vos interim *Consultores* anxii, si cum Xantippe Socrati non usque adeò integrè semper conveniat, curas deponite, unusquisque suum portat onus. Imprecationes conjugum, sunt maledictiones matinm. Vel unus dum cantillat asellus, in *unisono* nec incipit nec desinit. Varietas delectat.

Principia naturalia tria: & ipsa omnino contraria: Materia, Forma, & Privatio.

MCCCXCV. VIII. SENTENTIA. *Facinus audax! Festucam ex oculis aliorum trahit Socrates, & pupilla sua trabem infigit: quas prohibet nuptias aliis, ipse primus ambit, hoc est jugulare seipsum.* Ad hominem, & verò contra hominem procedit hæc objectio. Peribit isto in gurgite Socrates, ni glaciem frangat. Stobæus in serm. 68. refert, Socratem aliquando rogatum, quibusnam hominibus verbum *pœnitet* omnino esset *indeclinabile*? respondisse, *his qui uxores ducunt*. Nam similes res sunt *senectus* & *nuptiæ*; utramque ardenti voto desideramus: postquam verò nacti fuerimus, tristamur. Et si quæras quando ducenda sit uxor? Dicet juveni nondum; seni, nunquam. Qualis ducenda? Nulla. Nam si formosam duxeris, habebis communem: si deformem, pœnam: si divitem, dominam: si pauperem, curam, & cum aceto mixtam. Paria sunt pisciculorum & juvenum desideria: pisces enim qui extra nassas sunt, quærunt mille aditus; qui verò intus conclusi sunt, exitus mille. Sapienter. Nunc ergo mi Socrates, tibi hoc dictum puta. Quàm felix illa Forma est, quam nulla commaculat *potentialitas*! qui tangit picem seu *Materiam*, inquinabitur ab ea.

Qui nam carere pœnitentiâ non possunt

Quando & qualis uxor ducenda sit?

An forma habeat potentialitatem?

Crines aliquamdiu traxit Socrates, donec responsio incidit, quæ sic sonat. Ne vos hominem exuistis, Consessus amplissime. Nec sol uno consistit in loco. Sæpè mutantur tempora & Capita; hodie annuunt, cras abnuunt. Sit ergò venia Socrati, perperam olim de Connubio differenti, consulenti. Æquioribus Prudentiæ Semitam tentamus passibus, postquam ex calceolo factus est calceus. Nunc sapit Socrates. Damnat consilia pessima Conjugio peremptoria, & in seipso errorem emendat, si et bonis avibus Xantippe uxor accedat:

Materia minister Formæ.

VICTORIA, VICTORIA.

Tandem bona Causa triumphat: Xantippe evincit Socrates.

MCCCXCVI. DEcennium Græcia in armis, in flammis Troja stetit, [si tamen stetit] quando pro Helena bellum fuit: & impendiis fere totidem, pro una Xantippe belli alea vertitur. Instaurantur certamina, & cum juris Legisque peritis extremum Socrati est negotium. Hi enim illicitos in Xantippen amores & vetita connubia pessumdare tentantes, ad Synedrion adstant [stando enim pugnatur & vincitur] & suis armis litem Socrati intentant. Væ tibi Philosophe! quàm vereor, *Iurista legent tibi Textum!* Legent ais? audiam ego. Textum? nisi videro non credam. Ergo ad *Textum* provocat Socrates? heus bajuli, præstò sint Libri. Samsoni profectò tam graves haud fuerunt Gazenses portæ, quas exultante humero in montem tulit, ut bajulis illi textus, aperi sis unum, æquabit spatio ingentes Cœli fornices. Sed à cane non magno sæpe tenetur aper. Congreditur Socrates etiam cum grandi librorum strue. Lixivium paratur ex *Codice*? dummodò modicè. Quid si ex *Tractatu Tractatuum*? erit labor labiorum. Et *Mare magnum* in te si derivent? Sophronisci filius tunc volet esse Tantalus, & aqueas difflare bullas. De *Novellis* & *Institutis*, consulo ut taceant, & rhytmum timeant.

Exscidium Trojæ.

Quàm grave fuerit magistris equitum Bartholo & Baldo, qui faciunt equitare gaballos, hanc vexam Socraticam tolerare, ex ipsorum responsis clarè datur intelligi, hac enim salute donârunt Philosophum: Quid obstrepit pauperculus ille Socrates, qui cum Aristotele cogitur ire pedes, adhucne insanit? quàm vero verus est, eos qui nuptias parant, mensem delirare integrum: huic annus non sufficit. Adeste Domini Collegæ; Socratis misericuli sanemus in sanum cerebrum, ut Legibus convictus indignas damnet Nuptias, Xantippen æterna oblivione in Oceani fundo sepeliat. Pomponi vocem intende, legesque Connubiales è Triquello scaturientes, proclama: Sic sonant,

An omnes Philosophi sint pauperes; & Iurista divites?

Qualia debeant esse conjuges?

nant. *Deformissimarum connubia fœminarum contemnunto: mediocriter speciosas intrepidè deligunto. Vxores æquales genere & opibus ducunto. Vt duarum atque senerum nuptias fugiento. Futuræ uxoris patriam, parentes, ac mores inspiciunto.* Sed prophana sunt hæc; Sacra intona, *Canonica* recense impedimenta, nuptias aut *impedientia*, aut contractas *dirimentia*. *Error.* Socrates Virgo (Non enim *Forma* vagos amat concubitus, *nec migrat de subjecto in subjectum, ne accidentalis quidem.*) Xantippen Virginem putat, cum tamen materia sit *commune* subjectum, successivè sexcentis jam Formis copulatum. Quid est *errare*, si hoc non est? *Cognatio naturalis.* Ab Ente velut à communi stirpite primo descendunt, Socrates & Xantippe: quia *prima divisio Entis est in Actum & Potentiam*, sunt ergo in primo Consanguinitatis gradu, & copulari volunt? proh! pudor. Sat est Pomponi; etsi de *Crimine*, *cultûs disparitate*, de impedimentis *publicæ honestatis* ne verbulum addas; habet.

An forma substantialis: an accidentalis, transire possit de subjecto in subjectum?

An argumenta debeant ab authoritate desumi?

Ergo Socrates occidit? scilicet, ut palma solet, quæ depressa resilit altiùs: quid agitis Juristæ? Ludicra Disputatio, in quâ nulla est Textuum allegatio. Legista sine Citatione, miles sine ense. Ubi Authoritas? Retorquent Juristæ: Lege cautum esse, ne margaritæ projiciantur ante porcos. Si Socrati mille allegationes ob oculos ponerentur, ne unam intelligeret; gallinarum characteres esse putaret. Ad oculum demonstremus Collegæ, Socratis imperitiam. Citationem unam duntaxat ei scribamus, quam si solvere nequiverit, Conjugio in pœnam renunciabit; si solverit ipse, nos Causâ cademus. Optima propositio. Nec mora; pingitur in tabella: ff. & Socrati divinandum exhibetur. Is tabulam versat in omnes partes, & ff. hirquis intuetur oculis. Forte Fortuna suspicio talis obrepsit. Characteres isti ad conjurandos dæmones inventi sunt, servari valebunt, si quando è Xantippe meâ pellendus dæmon est. Sed nugari desino, Poësin consulo. Propositum ff. Logogryphus est. Est; (Juristæ replicant) proptereà Xantippen ex eo suspendimus: solve si potes, & præmium tolle. Amor præmii Socratem præcipitem dedit, ut hanc solutionem extempore daret. ff. ait significat idem quod ff. denotatque Sacrosanctas esse Leges. Laudârunt I.V.D.D. honorificum Conceptum, attamen responderunt, *non esse ad rem.* Insista huic responsioni Socrates! ansam præbet, si tenes, ad rem, ad rem attende. *Res* de qualis agitur, *Conjugium* est; vide si non ff. idipsum significet. Cur non ponitur solitarium f? quia non est bonum hominem esse solum. Ergò *Faciamus*: quidnam? Ex uno f. duplex ff. ex Filio Filiam, ex Adamo Evam: duo Fulcra Familiæ. Rem verbo habere, ff. Conjugium significat: duæ literæ *personas* contrahentes; lineola transversa Contractum ipsum. Rem aciculâ tetigisti Socrates, Ædipo acutiùs. En! submittunt pavones pennata specula, suosque despiciunt pedes.

Quid apud Juristas sit ff.

Vicisti; suspensum resolve præmium, Xantippen tolle; tua est. Nam & licere tibi & expedire Connubium, testatur & fatetur celeberrimum illud ff. quod est *Fiat Fiat.* Sic sic vulnera putata, fiunt oscula, & sagitta extorta recidit in sagittantem. Porrò ne burlando solùm, sed etiam directè respondendo, Leges omnes contra se allatas in unum concluderet sacculum Socrates, tanti laboris res non fuit: Syllogismo unico, sed valido Legibus obstruxit ora, sicut si bolum dedisset cerbero. Syllogismus hic fuit.

ff. est fiat, fiat.

Necessitas non habet Legem: Atqui Xantippe seu uxor malum Necessarium est: Ergo nulla Lege prohiberi potest. Syllogismus hic tanto nocentior est, quanto integrior, quid negabitur? *Major,* est vox Populi, consequenter & Dei. Ratio urget: nam non benè conveniunt, nec in unâ sede morantur Necessitas & Libertas. Lex verò in liberum tantùm cadit hominem. Et quoties ferreas Leges frangit Imbecillitas, quando urget Necessitas? *Minor* Xantippen iterum ad incudem revocat, & ictu congeminato, malitiam simul ac Necessitatem eidem impingit. Malum bonum est, quod evitari potest; fatale verò ac inevitabile, duplex tormentum est. Ægypti Rex in testem adstat, qui in uxore sua adoptanda, Fœmellam staturâ sesqui-palmarem consultò elegit. Causam dixit: quia voluit eligere Brevissimum malum: expedit enim inter plura mala minus; inter diuturna, quod brevius est. Pythagoras, rarò sed benè locutus, filiam unicam libenter collocavit, Inimico suo deterrimo, Uxoram: dicens, quod nihil ei dare poterat Uxore deterius. Phrineo Legislatori suprema verba meditanti, hoc incidit, excidit: ad summam felicitatem nihil mihi defuisset, si Uxor defuisset. Audite populus, Susarion hæc dicit: Malum sunt mulieres. Veruntamen ô populares, non est invenire domum sine malo. Ergo immortale, necessarium tamen, malum est Materia, Xantippe.

MCCCXCVII. Totum physicum materiâ carere non potest.

An detur malum bonum?

An aliquid sit uxore pejus?

Necessitas probatur I. *Materia & Forma sunt per se prima rerum Naturalium principia, quæ neque ex alterutra neque ex aliis, sed ex his omnia fiunt.* Si ex his omnia, sine his ergo nihil. Res naturales à seipsis non fiunt; ex Nihilo non fiunt; ergo ut fiant, necesse est ex Materia seu subjecto fiant. Materia enim est *subjectum primum ex quo aliquid fit, cum insit, per se &c.* Filios Abrahæ suscitare potest ex Lapidibus Deus; Natura sine Materia communi rerum parente non potest. Dentur fortè alicubi arbores anatum feraces; attamen frugi non sunt rami, qui homines portant, optimi sunt filii, qui ex matre sunt. Hinc II. Aristoteles ex necessitate Generationis, licet præposterè, benè tamen conclusit necessitatem Materiæ. *Oportet enim dari commune subjectum & stabile Transmutationis*, quando generatio præterit & generatio advenit. Unde Socrates aliquando Alcibiadi, stultam in toleranda Xantippe patientiam exprobanti, respondit: At tu Alcibiades nonne domi tuæ gallinas toleras glocitantes, anseres perstrepentes? Tolero ait, sed ova mihi pariunt & pullos; & mihi, reponit Socrates, mea Xantippe parit liberos. Verùm Alchimistas opponis, qui *ex Nihilo videntur aliquid facere* posse; aurum ex non auro & ex levissimo pulvere,

Materia & forma sunt duo rerum physicarum principia.

Materia est primum subjectum.

An materiam generationes probent?

Deus omnia ex nihilo: Chymici omnia in nihilum.

quem Philosophicum appellant. Sed hebraico more sententiam relege ut cancri eunt, & videbis operosos hosce Artifices *ex aliquo Nihil facere posse.* Homines fumosi semper, famosi rarò, qui aurum emunt, & fumum vendunt. Non ex quovis pulvere, nec ex quolibet

Ex materia omnia fiunt.

ligno fit Mercurius. Aptissimum, summèque Necessarium subjectum est *Materia ex* qua fiunt omnia. Cætera vel subjecta non sunt, vel prima non sunt. Stat ergo Socrati Victoria, Victoria; quia duplici congressu Adversarios vicit; solvendo, arguendo. Felix Necessitas quæ Xantippen peperit, & Socratem voti compotem facit. Hanc amat; quia Natura determinata est ad unum; & quæ semel placuit, displicere ampliùs nequit. *Tanta molis erat Xantippen ducere velle.*

Tarara: Tarara.

Prodromi veniunt Nuptiales: Xantippe consentit; Socrates proponit Conditiones, Dotalia pacta scribuntur.

MCCCXCVIII.

Non potest esse relatio sine termino.

PArvus error in principio, *fit magnus in fine; nisi maturè factum corrigas.* *Correxit Socrates; benè habet.* Itane in limine offendit, qui festinus est pedibus? Probatum est. Coqua, quia properanter, id est mensibus novem, Jus Vertinum coquere tentavit, mensis intulit perperam conditum. Præceps in præceps ruit. Socrates è sua parte *sponsus* est, ex altera parte *sponsam* nondum habet. Subsistet Relatio sine termino, sicut butyrum in solis radio. Ex parte Formæ constat amor; Materia si consentit, peractus est Contractus, non priùs, Nam bis computare debet, qui sine hospite symbolum

Materia prima habet appetitum ad formam: sed non ad aliquam formam determinatam.

antevertit. Rem clariùs aperiam. *Amor* Materiæ primæ antonomasticè *cæcus est*, & similis potentiæ visivæ: Ille namque *Indifferens* est ad *omnes Formas*; hæc ad omnes Colores. Iam se anguillam tenere fortiter putavit Socrates, nesciens Materiam esse lubricam. Scire debuisset Potentiam plura posse, & ad omnes Formas nobiliores, viliores, præteritas & futuras esse indifferentem: benè affectam singulis, cæco tamen modo & sine discrimine, sicut æquus Judex pendet in bilance. Verè igitur cæcus est Amor, cæca visiva potentia, quæ indifferenter colores omnes recipit, nullo habito pulchrioris respectu. Hæc præscire oportuit Socratem, quod affectio materiæ non sit addicta uni Formæ, sed liberâ in omnes feratur propensione. Jam scit; & maturè rebus consulit.

Causa efficiens.

Conciliatrix ad Xantippen dimittitur Causa Efficitrix, dimidium Facti qui benè Mittit habet. Nulla pro quolibet aspero negotio perficiendo aptior Causa est *Efficiente*: Nam à felici negotiorum successu nomen habet cum omine. Hæc, ad captivandum uni Socrati uni Formæ, *vagum* Xantippes *amorem*, tot admovet arietes, quot *præmittit dispositiones.* Præveniunt qualitates variæ, tenent se ex parte Materiæ, foventur; blandiuntur vicissim, & aureos nomine Socratis promittunt montes. Et ecce! cum sit in omnibus rara constantia, tum in fœminis nulla est: varium & mutabile semper Fœmina; si rides, arridet. Vix resederunt in sinu Xantippea Legati Socratici, continuò in melius mutata sunt omnia; *Indifferentia Materiæ* determinata est & contracta ad hanc numero Formam potiùs quam ad aliam. Consentit Amori Formæ Amor materiæ, fit Relatio mutua, est Sponsus, est Sponsa. Videte quantum possit philtrum apud homines; & apud Xantippen valeant dispositiones! Inunctus est currus, nunc res procedet meliùs.

Materia prima est indifferens.

Prima Conditio. *Xantippe Socrati ut placeat, palliata non veniat.* Multum est in exportando positum, quando domus ardet: & meliùs consistunt matrimonia, justis conditionibus præmunita. Prima Inhibitoria est; luxum vestium & cultum superbum, cui sexus fœmineus apprimè deditus est, in Gallias proscribit, Materiam qua nativo paludamento contentam esse jubet. Si secùs in oculis Formæ compareat, repudium timeat, ludibrium certum e pompa relatura. Verùm, percontari libet, quæ obsecro Interdicti hujus occasio? Dicam si audieris. Habet Xantippe Fautores & Patronos toto penè orbe dispersos, nec paucos, nec ignobiles. Hi ut audierunt in proximo esse ut materia nuptias celebret cum Forma nobili ac divite; decorum censuerunt, si Xantippe cætera deformis, amictu solitò splendidiore palliaretur, & sic Socratis amicos fascinaret oculos. Eum in finem è Scotia quispiam transmisit Materiæ primæ subulem magni nominis umbram *Corporeitatis formam*, quam eidem voluit esse congenitam, ne videlicet ab aliquo Philosophorum detrahi posset. Ni fallor *Secunda* vocari deberent congenita & corporea isthæc involucra: quæ nascentem sequuntur infantem. Nec Hispania suis defuit obsequiis; misit vestem sed non commensuratam, diffluentem liberè, cui nomen *quantitas interminata, materiæ coæva.* Proh! quàm fluida & longa Xantippe tunica, quæ nec terminos Quantitatis habet, nec Temporis. Munus tertium, nescio à quo contextum araneo, Theristrum fuit, subtilissima tela, in officina Metaphysicea concinnata: inscribitur. *Actus Entitativus & Actus præsentiæ* in rerum Natura; extra suas Causas Xantippen constituens. Taceo hic de Unionibus, non è marinis conchis, sed è modalium ingeniis erutis, queis velut monilibus materiam decorare permulti certatim studuerunt, quid fit? ornatur, aut veriùs dicam, *subornatur* his indumentis Materia studiosissimè: sed indignationem venatur pro gratia. Dicam Philosophicè quod res est. Responsa tulit Xantippe semi Regina ex ore Socratis, eadem, quæ à S. Benedicto reportavit servus Totilæ Regis: *Depone* Filia *depone* quod geris, *Tuum non est.* Ut enim servilis persona illa, Regem Gothorum in Purpura mentiebatur, ita Materia prima, quicquid vel Actûs vel Formosi habitûs circumfert, *alienum est*, & contra decentiam status ipsius. Paruit Xantippe, ut jussa fuit, mutua-

Fit resolutio usque ad materiam primam.

Non datur forma corporeitatis.

Non datur quantitas interminata.

Materia secundum se, nec habet actum entitativum, nec actum existentiæ, nec actum præsentiæ.

mutuatas vest... veterem usque pellem suam deposuit, & sic ... tati placuit, Mater aci in ut sit nubilis seu *Terminus à quo* Generationis, debet esse *Potentia denudata* ab omni prorsus Forma. Ha ha! moveat cornicula risum, furtivis nudata coloribus.

MCCC XCIX. *In genera tione substantiali omnia cor rupti acci dentia de perennt.*

Secunda conditio. *In balneo depuretur Xantippe ab omni Fuco, antequam Socrati jungatur Matrimonio.* Dura balnea etiam in molli unda, quæ fucus infernalibus larvas detrahunt, ut apparere debeant quod sunt. Nimirùm sunt fœminæ quæ purpurisso & quibusdam fucis ora oculosque depingunt: quarum facies Ægyptiacæ, superinducto candore deformes, Idola mentiuntur; quas nec numerus annorum docere potest quod vetulæ sint, quæ capillis alienis verticem struunt, & præteritam juventutem in rugis anilibus poliunt. Sunt Irides, colores ostentant, non habent. Non faciem sed larvam gerunt: nec servant corpus quale est fabricatum, sed volunt videri pro altera, altera. Nihil pigmentis hisce infeolum magis quàm aqua & aura: illa lavat, hæc distlat.

Dantur apparentes colores.

Phryne, fœmina genuino vultu decora, cum esset in quodam convivio, in quo ludus hic agebatur, ut singuli per vicem ludicra imperarent quæ vellent, [germani à *defatigando* nomen huic ludo imposuerunt] colludentes jussis obtemperarent; cum vidisset illa mulieres cerussa stibioque depictas, jussit inferri aquam, præcepitque ut omnes exindè vultus abluerent. Factum; sed metamorphosi planè ridenda. Proteus non tot fingit ac refingit facies, quot lymphata isthæc anicularum cohors retulit informes rugas. Hoc non est balneare, quando turpior è balneo redit, quàm intraverat.

Haber Xantippe hanc notam apud Historicos, quod & ipsa solerer adulterinis fucata coloribus ad spectacula procedere: spectant spectentur ut ipsæ. Dignum patellâ operculum, quando hara regulis nitescit aureis. Habet idipsum velut alienum decus materia, quod non tantum forma substantiali sed etiam pigmentis formarum accidentalium, ut albedine, aliisque qualitatibus ac dispositionibus variis sit affecta, imò etiam quibusdam specialibus & *Partialibus formis*, in ordine ad Generationem *Viventium* præcedentibus. Verùm displicent in oculis Socratis hæc superflua ornamenta; is enim se solo venustate substantiali, quam habet ab Anima, totum illud decoris, quod Xantippe mutuum habebat à formellulis minutioribus, adventu suo collaturum se promittit, & quidem cùm insigni Auctario. Lixivium igitur paratur ante Nuptias Materiæ, [nam balnea, vina, Venus cognationem habent] & sic *depuratur ab omni Forma etiam accidentali in priori Natura*, antequam novo Conjugio Socrati copuletur. Lavacro tincta est Xantippe; placet, perplacet Socrati Philosopho. Nunc verè dici meretur Pura Potentia: quid superest? Charta & calamus: pacta dotalia.

Materia non solùm substantialem, sed & accidentales formas recipit.

Omnes excidunt antequam nova substantialis advenuat.

Dotem suam Xantippe scripsit in Charta Bianca, Socrates in Folio. Veni & vide. Tria sunt in chartis quas biancas dicimus; brevissima superscriptio, nihil expressum continens; inde Subscriptio, tertio sigillum. In spatio candido Xantippe seu Materia hæc verba posuit. *Potestate omnia.* Nomen subscripsit; *Pura potentia.* Sigillum Xantippe proprium non habet, præter *Sigillationem* quandam ex præcedentibus Dispositionibus relictam, per quam Materia sigillatur & determinatur ad certam & peculiarem formam, id est ad Socratem potiùs quàm ad Platonem; in qua sigillatione *virtualiter manent* priùs introductæ *Dispositiones*. Fidem Sigillo huic faciunt Complutenses, de Generat. disput. 2. quæst. 7. §. 5. Ad Formam respiciendo vide quanta liberalitate Sponsam suam prosequatur! Scripsit Categorias integras, Esse substantiæ, Corporis, Viventis & c... descendendo per gradus à summo ad infimum; tantorumque bonorum, Xantippen *egentissimam* stante Matrimonio & ad dies vitæ Socrates vult esse participem. Hoc est in folio largiri.

Materia est pura potentia. Est omnia potestate: actu nihil. Ut hispanicè loquar, Es carta bianca.

Ridet Apollo.

Conjugium est. Nuptiæ abeunt, Boni Effectus Matrimonij sequuntur: Vivant conjuges.

MCCCC. QVod *Deus & natura conjungit*, *Arcularius Glutine non ungit.* Quàm vetus hoc, tam verum. Ad quid enim seu fibulâ seu *distinctâ Vnione* indigent, quæ *Seipsis uniuntur*? Nam quando unum *essentialiter* est *Actus*, alterum *essentialiter Potentia*, *frustrà* quæritur per quidnam duo ista uniantur. Alio modo conjugium subeunt Boves, alio planè Homines. Nam: *verba ligant homines, Taurorum cornua funes.* Nempe Socrates & Xantippe animalia sunt socialia, noiunt se per mutuum Consensum quovis signo expressum. Exemplo junctæ tibi sunt in Amore columbæ, Masculus & totam Fœmina Conjugium. Ubi gluten? Detur Oblivioni. Non fuit opus multis cæremoniis in contractu Matrimoniali Socratis & Xantippe; mutuus consensus, Amor congenitus, propensio & indigentia Naturalis utriusque facillimè fecit ex *duobus unum*. Equus adhinnit Equæ, Mas Fœminæ. Materia quoque Formam apperit, ut Arist. 1. Phys. tex. 82. loquitur, *sicut in Fœmina masculum, & turpe Bonum seu Pulchrum.* Vicissim quanto affectu Vir in fœminam propendeat, est nimis clarum. Ferunt Historiæ, dicam an fabulæ? puerulum quendam ab incunabilis inter Viros grandævos, in quodam velut carcere, ita educatum fuisse, quasi extra mundum degeret; præter Viros agnosceret nihil, Fœminarum ne nomine quidem audito. Sic adolevit hic peregrinus in Israël, imò in tota Terra. Hunc Juvenem produxit aliquando senex Rabbi Salomon cautissimè in forum, velut in orbem novum, eique non minus Rerum, quàm

Inter materiam & formam non datur unio ab extremis distincta.

cœcus culurum, ignaro, digito interprete monstravit obvia, suisque appellavit nominibus. Eo, ait, hoc aurum est, avarorum cœlum: Gemma hæc est; vitrum putares, valet Regnum integrum. Granilla candida, saccarum puta, pabulum sunt quod albæ gallinæ filiis datur. Currit ecce! ibi animalculum: caniculus est, bellulus finellulus; in pulvinaribus. Juvenis conspicatus fortè juvenes à parte ludentes, comptulos, cincinnatulos, interrogat (nondum enim in speculo se ipsum viderat, ut agnosceret) quid sunt ista? cui senex: Terrestres Angeli sunt hi, tam chari superis quàm Ganymedes Jovi. Paulò post in conspectum veniunt fœminæ, senes cum junioribus; quæ ne Innocentulo essent pro fascinu, metaphora eleganti eas ita depinxit Juveni, ut vel audito nomine perhorresceret. Nam sic fatur lachrimans.

Quales sint fœminæ?

Hæc quæ cernis, animalia volatilia sunt, & simul aquatilia; pennas habent ut pinnas: quando se committunt aquis, quà parte vadum est, bipedes eunt; ubi profundum est, innant; piscibus per omnia similia, excepto silentio; nam tota die garriunt, & si tres sint, gregem faciunt. Acutissimus habent dentes, mordent ut coluber, & venena diffundunt: sibilant serpentum instar; ita ut meliùs sit habitare cum draconibus & scorpionibus, quàm cùm M & M. Atque ut finem dicendi faciam, hæc animalia peculiari nomine Anseres appellantur. Dixit: & captivum suum reduxit domum; Juvenis ipse, quem quasi in ingressu mundi posuerat lobeus retraxit pedem. Rogatus domi à Naturæ exploratoribus, quæ res in foro fefellisset oculos ipsius maximè; quid Respondit Juvenis? Caniculum fortè in culpam traxit? non. par merces, quam hospiti contribuunt canes & hirundines. Aurum? potiùs globulum. Terrestres angelos? nec hos. Anseres, inquit. Errat hic quisquis formas intentionales & species impressas ab objecto derivari ad oculum, indeque ad phantasiam, negat. Quàm citò non in corbibus sed in cordibus nidificant anseres! Ponent ovum? Heu! Porrigent Scorpionem. Hinc videas naturale quoddam propensionis inter Xantippen & Socratem illicium, ad hoc inditum, ut in mutuam vitæ societatem, ultron è seipsis unirentur. Mutuam Formæ ac Materiæ indigentiam qui non videt, talpa est. Materia enim *totum esse actuale* ita in acceptis refert Formæ, ut *Contradictionem implicet* Xantippen existere sine Socrate, seu materiam sine omni forma. Similiter Formæ materiales omnes, *educi habent ex potentia materiæ*, non eo quidem sensu quo panis ex furno, aut vinum ex dolio, sed eductione Philosophica. Nec ipsæ spirituales formæ materiam rejiciunt penitùs, quia saltem amant quando informant. Conclude tandem, quod sicut in civili & morali matrimonio, appetitus *elicitus*, & expressus *consensus mutuus*, nullius tertij ministerio mediante unit Cajum cum Caja; ità planè in Physico conjugio, appetitus *innatus* & mutuus

Materia omnem actum à formâ recipit. Repugnat esse materiam sine formâ. Formæ materiales educuntur de potentiâ materiæ. Appetitus inter materiam formamque, mutuus & innatus.

uniat Xantippen cum Socrate in Composito, sine Modestico ministerio. Hoc ergò teneas: *Quam Ratum est absque carnali copula matrimonium; tam constans est absque Unione modali Compositum. Pronubus & Pronuba, Nubens & Nupta, Quatuor sunt Causæ ac Rotæ, quibus Compositum physicum construitur. Causalitas Modalis est Quinta Rota.* Tetragrammaton Dei nomen est, plerisque in linguis, & ob hoc summè venerandum. Si Currum Philosophicum seriemque Causarum Physicarum rectè inspexeris; dices, quadriga est: ergo vel detrahe vel adde unam rotam, destruis utrobique quadrigam. Nam sine *Fine* non incipitur, sine *Agente* nihil efficitur, sine *Materia* nihil subjicitur, & sine *Forma* nihil perficitur: Finis *Pronubus* est, Efficiens causa *Pronuba*: contrahendis celebrandisque sic præsunt nuptiis, ut tamen computentur inter Procuratores extrinsecùs assistentes. At verò Nubens & Nupta Forma & materia Causæ sunt & elementa intrinsecè componentia. Exercent Causalitatem suam ex omni parte con bell modo, attamen sine modo. Hoc opus hic labor primus est omnium, efficere compositum. Hæc de curru. Porrò quando in facie omnium rerum Naturalium festivè Copulati sunt Socrates & Xantippe; Annulum sponso non dedit Sponsa. Quid causæ? ut, scitur, quia finem non habet annulus: at Xantippe jam cogitat, ut Conjugium compendium faciat. Dextras non junxerunt? ita quidem, sed prior in congressu levavit pedem Socrates, malo omine; primus quoque in tumulo pedem sistet. Sæpè qui consertis manibus copulantur, fugitivis pedibus dissociantur. Sertum in capite gestavit Socrates ut virgo, acephala—ippe nihil. Peractis hiscè, aurigante Natura, provehuntur ad Convivium nuptiale. Adhuc res benè it conjuges!

Causæ sunt quatuor. Causalitas modalis nō datur. Causæ sunt Materialis, Formalis, Finalis, Exemplaris.

Xantippe non comedit nec bibit, sed vorat & haurit, plus quam Bel: Appetitus enim Materiæ primæ inexplebilis est. Cùm diis certet fœmina? cum leone canicula? Non videtur tibi esse Bell vivus, imò helluo, qui tanta comedit & bibit quotidiè; similas artabas duodecim, & oves quadraginta, vinique amphoras sex? ut Daniel num. c. 14. Nihilominus buccella sunt hæc materiæ, idem quod musca aquilæ. Lupus & Saturnus satur est aliquando, Xantippe nunquàm. Tributaria quatuor Elementa quicquid cibi potûsque attulerunt Nuptiis, Materia se absumpturam *successivè* omnia spopondit. *Ignis* instruxit focum, quasque habuit aluminas Salamandras & in fornacibus Cypri bestiolas pennatas, unà tulit. Quas habuit raras volucres agitabilis *Aër* phænices, pelicanos totamque plumeam gentem, advolare fecit: nec defuit Chamæleon jejunus semper & indefectus, qui oscitans vescitur & follicans ruminat de vento cibos. Quodcunque *maria* & flumina utero gerebant squammigerum pecus, affluebat foco; & inter alia piscis miræ longitudinis, cujus caput in Hollandia, truncum verò corpus in terram longinquam exporrigitur. Denique Terra feras cepit, coquendas dedit. Sic Cœna scena fiet, in epulis perso-

Materia est appetitus insatiabilis.

Elementa sunt quatuor: Ignis: Aër: Aqua: Terra.

personatis. Prorsus ita. De Cerere & Baccho nihil memoro. Ni velint frigere veneicm, adeiunt; adsuor hæc omnia, & tamen materiam non satiant, gulam non explent; videbis an non successivè Xantippe patinas poliat! & calices eluat! Factum est; ad alia.

Duo sunt lætissimi cum Uxore dies, unus quando ducitur, alter quando mortua effertur. teste Teodecte.

In composito Materia & forma non sunt duo, sed unum. Beata censentur Conjugia si primâ fronte spectentur, maximè ob effectus præcipuos qui ab hoc fonte promanant; quos paucis à Xantippa ac Sortate accipe. I. *Unitas Duorum.* Nam Petrus Chrysol. ser. 99. de Conjugibus: quos Deus conjunxit, Natura sociat, & facit Deus ut sit Homo unus duo, duo unus alter ipse homo. Vides Duos in uno? singularitatê in ambobus? dualitatem in unitate? ò matrimonij arcana duitas, in singularitate! Sic etiam *in Composito materia & forma non sunt duo, sed unum.*

MCCCCL. II. *Communicatio bonorum*, quæ consistente Matrimonio industriè adveniunt. Nam Romuli lex ista fuit: Mulier viro legitimè cõjuncta, fortunarum & Sacrorum socia illi esto, utque domûs ille Dominus, ita hæc Domina. Unum habent ærarium, & quas Xantippe mulget ex vacca pecunias, & quas è sudore vultûs Socrates.

Accidentia non subjectantur in materiâ, non in formâ, sed in toto composito. Ita etiam *accidentia* seu entia *supervenientia*, nec ad materiam solam nec ad formam pertinent, sed *in toto Composito* colliguntur & subjectantur. III. *Spes prolis.* Ne time; Socrates & Xantippe steriles non sunt, quanuisque est *Natura*, quæ à Nascitura nomen habet, & quidem Forma magis quàm materia. Primo partu *Gemini emanarunt*, Jacob & Esau, *Quies & Motus*.

Natura est principium motûs & quietis. *Natura enim est principium motûs & quietis, ejus in quo est per se.* Fratres utrinsunt, contrarij tamen saltê *Privative*, seu *sicut via & terminus viæ*. Unus in partu tenet plantam alterius: quia nec motus datur sine suo termino qui est quies, nisi velis procedere in infinitum, nec quies acquiritur sine motu prævio. IV. *Novus fervor in fide conjugali.* Fit non semel, ut quæ solutis habenis prius in omnem ferebatur libidinem fœmina, post Matrimonio juncta, incipiat uni fidem & amorem servare Viro constantissimè; scilicet, quantum fœminea fragilitas permittit. Xantippe in

Materia non potest simul duas formas substantiales suscipere. hac navi est. Indifferês prius ad omnes formas, postquam Socrati fidem dedit, servavit: etsi non diu. Solicitatorem non admisit alium, formam *substantialem* nullam præter unam Socraticam; dicens duas formas Substantiales in uno Composito physico stare non posse. Tentarunt aditum Formæ quædam Partiales, pulsarunt Xantippea ostia, petierunt simul cum Socrate hospitij jura: Verum fidum Socratis delitium sic respondit: Elige (quisquis es) de

Nõ dantur formæ partiales. vacuis, quam non sibi vendicat alter; si nescis, domiorum res habet ista suum. Præventa est materia ab alio amatore Socrate; serò veniunt quæcunque aliæ formę substantiales, pręsertim partiales; nec mirum, claudicant enim, & dicuntur substantiæ imperfectæ. Procul hinc; Socrates aut Cæsar esse vult, aut nihil. V. A Sole

Lux lunæ à Sole, materiæ à formâ. Luna, à Socrate Xantippe lumen habet. Apta sanè comparatio. *Eclipsin rarò patitur sol, luna frequenter; Et est magis ad lapsum fœmina prona viro.* Cæterum inter effectus matrimonij recenset I. C. quod fœminæ coruscent radiis maritorum; hinc reverentia quæ debetur viro, impenditur & uxori. Nempè vertigine laborat fortuna, quid agat nescia: quæ prius in fundo hæsit situla, in summo dispensat aquam; sic serva fit Domina, & honoribus à Socrate derivatis, Xantippe fulget irradiata; & materia quæ fuit potestate omnia, per consortium Formæ actu est omnia. Beata, ni fallor, sunt conjugia, si semper eo quo cœperunt fluant alveo. Sed exitus acta probat, nil lauda solis ab ortu; sæpè bono auspicio finis amara venit. In flumine unda undam trudit, procella procellam; sic in conjugio vexa vexam. Dispone humeros bone Socrates; in tuo jam ludus paratur corio.

Patientia Per Forza,
Quando susque deque feruntur omnia.

Socrates clamat HVI, Xantippe respuit PFVI: Echo fidelissima! Redivivam vo o Empedoclis opinionem, qui *litem* & *amicitiam* docuit esse unica rerum naturalium *principia*. Rectè, si litis nomine Xantippe veniat, sub amicitia Socrates. *Materia* namque *est Potentia Contradictionis*. Forma verò sicut esse suum dat materiæ & composito, ita enixè conatur idipsum conservare pacificè, semperque frui tranquillitate connubiali, dummodo per injurias materiæ liceret. Verùm, qui capit uxorem, litem capit atque dolorem; qui caret uxore, lite caret atque dolore. Xantippe quoties loquitur, obloquitur. Conjuges etiam quando domi sunt, in foro sunt, intellige Contentioso. Novi ingenium mulierum, Poëta dicit: Nolunt quod velis; volunt, quod nolis. Parum diserta est uxor illa, quæ, absente marito, vel cum pileo domi pendente contendere non potest. Insigne Contradictionis exemplum recenset Pogius de muliere, quæ cum virum aliquando Pediculosum vocasset, nec quibuscunque verberibus, ut eam contumeliam retractaret, adduci potuisset, [contusa enim indurantur ampliùs, & uxor quò magis cædebatur eò vocaliùs, ut æra percussa solent, Pediculosum inclamabat] vir tandem verberando lassus, uxorem in puteum demisit, immersurum suffocaturumque se illam minitans, ni linguam corrigeret, & improperium retractaret: at illa instantiùs perstabat, etiam ad mentum usque immersa. Cujus rei indignatione vir motus, in puteum illam adusque verticem depressit. Verùm illa cùm loqui non posset aquis præfocata, prolatis ultra caput manibus, junctisque pollicis utriusque unguibus, tanquam si pediculos perimeret, quia verbis non poterat, signo gestuque marito extrema verba dedit, & sic tandem contradictionis spiritum exhalavit. Potens non minùs in contradicendo Xantippe, contentiosa Materia: ex eo quia ipsa est *ad esse & non esse Contradictionis potentia.* Scilicet jucunda sunt conjugia, ut tecta jugiter perstillantia; ut fumus & pugnus ad oculum.

Meteora plura sunt in Socratis domo, quàm in Elementali cælo: Xantippe tonat; fulgurat, ignis fatuus, capra saltans, fulminat, pluit, grandinat; &, quod mirère, Socrates supra nimbum & nubem est.

MCCCCLI. *Hispanus ait, Paciencia por fuerça.*

An lis & amicitia sint principia rerũ naturaliũ.

Materia est potentia ad terminos contradictorios: & ad incompossibiles. Forma dat esse materiæ.

Materia insidiatur formæ.

Meteora.

Cum

Cum enim Xantippen diu rixantem detonantemque audisset aliquando in ædibus, furori cedendum ratus, fessus cõsedit ante fores ipsius domûs. Illa, magis irritata viri tranquillitate, balneum paravit, lotium, & in caput Socratis de fenestra profudit. Nonne meteoron hoc est, quod de sublimi venit? Meteoroscopus erit Socrates, si ad fenestram suspexerit. Riserunt insigniter qui prætereibant, Viri miseriam; sed & ipse corrisit dicens: Facile divinabam, post tantum *Tonitru* secuturam esse *pluviam*. Sic Socrati suus scaturit fons curarum: quibus tamen non magis offendebatur, quàm si rotæ, quæ aquam ducit è puteo, stridorem audiret. Ab assuetis non fit passio: faber delectatur malleo. Magnum iter ad doctas proficisci non cogitur Athenas, qui *Philosophiæ gymnasium & patientiæ palæstrā domi habet*. Sedit ad mensam aliquando Socrates cum Alcibiade Philosopho; stabant vasa vitrea, testea, potus, fercula. Xantippe stimulante malitiâ succedit mensæ, tabulam evertit susque deque; vasa frangit in mille frusta. Heus! materfamilias: hoc est multiplicare entia sine necessitate! Non movetur Socrates: quin potiùs excusat factum: ut verum sit quod de ipso refert Plin. lib. 7. Socratem clarum sapientia, eodem semper visum vultu, nec aut hilari magis, aut turbato. Sed ludrica sunt hæc, ad seria veniamus.

Sol Occidit, Socrates!

Abibis; vasa collige; peribis.

X*Antippe Radix Corruptionis est: ò mala Herba!* Post tres sæpè dies vilescit piscis & hospes, vilescit & Socrates. Ut vagum est Materiæ ingenium, ita eidem semper Formæ cohabitare censet gravissimum. Renovare vult juventam, & pro suo libitu alteram deperire formam. Nec media desunt: est enim illa Radix Corruptionis, imbecillitatis, senij & interitûs. Hinc media Xantippe non caret, quibus è medio tollat Socratem. Nam si fœminæ sunt ad bona consilia pauperrimæ, malorum tamen omnium sunt artifices sapientissimæ. Et malum quod semel destinavit adultera & fœdifraga, ut inducere possit, Acheronta movebit. Principio tamen laneis incedit Xantippe pedibus, ne Socrates periculum suboleat: admittit clanculùm fovetque in sinu *procaces Dispositiones*, ut vitæ Socratis insidientur, ac tandem aliquando Fatis concedere jubeant. Sed non cedit his malis, qui fortior est: & suas habet Socrates familiares ac temperatas dispositiones, quæ non segniter contrariis resistendo, fugant eas pelluntque. Nondum vita Socrati in fundo est; emerget, ni Xantippe majores fluctus capiti superinducat. Jam parat, quid? pabulum mortis: aconita coquit *mala herba*: parat Socrati, ut cum morte extremùm epuletur. Invenerint alij sagacissimi Rerum scrutatores varia; hoc tamen Diodorus refert Hecatem fœminam omnium primam *aconitum* invenisse, & ad venena mortifera conficienda summum studium operamque impendisse. Nam cum fœminæ sint naturâ debiles ac timidæ, neque audeant aperto Marte congredi, pellem vulpinam induunt, cum leonina deest;

Materia origo corruptionis.

Dantur dispositiones pravæ.

Fœmina aconitum invenit.

nocent, ut possunt, aut veneno aut fraude. Verè si Philosophia meditatio mortis est, Xantippe magistra est. Audin: ut canit Socrates! Qui est sub conjuge, sub jugo premitur, & mori cupiens languere cogitur: hic dolor maximus & pœna dicitur, ut rubus ardeat qui non consumitur. Xantippen capiens hic mortem accipit, dum putat vivere jam mori incipit. Expertus cecinit Socrates, at serò nimis. I nunc sarcinulas collige; sic jubet Radix corruptionis Xantippe. Male profectò juncti sunt calami & junci; corbem texere ac dare viris, fœminarum quidem fuit semper; at arrepto calamo, fœminis libellum Repudij scribere, virorum est. Inversus cum Xantippe mundus, si fœmina libellum repudij scribit Socrati. Scripsit, scripsit: apertè cum est mala mulier, dum demum bona est. Ariadna Zenonis Imp. Uxor, cum ille, nescio quo morbi genere, pro mortuo habitus vivus in tumulo fuisset depositus, & ex eodem lamentabiliter auditus esset domesticos implorare: prohibuit illa ne quis monumentum aperiret, & sic propriam aliquamdiu depascens carnem Augustus, periit. Maneat ergo Radix omnium malorum, Uxor mala; Sentina corruptionis Materia, nomine ac re fœdifraga & sanguinaria.

Zeno vivus mandatur sepulturæ.

Audite Cives: Testamentum condit Socrates. Xantippe, causa meæ mortis unica, in divisione bonorum suam chartam Biancam, suum propè Nihil, in solidum recipiat; de Bonis Socratis, nec mica ipsi remaneat: spolietur omni decore, ut sic ad nihilum redeat quæ fuit antè nihil: hoc est, [ut Philosophicè loquar & moriar:] *In Corruptione mea substantiali, fiat Resolutio usque ad materiam primam.* Dixit, Vixit. Cadaver exanime rubeas tenuit sat diu genas; dispositio membrorum & varietas colorum adeò venusta, ut alij quidem putarent adhuc vivere, alij verò ad sensum nimis creduli, hoc saltem dicerent, *eadem numero* remansisse accidentia in corrupto, quæ fuerãt in genito. *Sensus* crederet idipsum hodieque, nisi eum *Ratio* correxisset.

In corruptione substantiali fit corruptio usque ad materiam primam.

Xantippe, longum Vale dixit Socrati, & Instantaneum Ave nove Conjugi. Non commoritur Socrati Xantippe? Nequaquam. *Incorruptibilis est Materia.* Apud Indos & Garamantas inveniuntur uxores, quæ mortuo marito certamen commori desiderent; ut scribit Osorius: hæ certamen habent lethi, quæ viva sequatur conjugẽ: pudor est non licuisse mori. Nostris in terris rara est hæc avis. At saltem lacrymas Xantippe funderet: quas? non habet nisi Crocodili. Ergò longum (cur non æternum? quia remanet appetitus materiæ etiam ad Formam præteritam) Vale Socrati; & momentaneum Ave formæ advenienti: quia *Generatio est mutatio instantanea.* Sed annon maturæ nimis hæ Nuptiæ? nondum perfectè intepuit maritus defunctus! Nihil novi; quædam, viventibus adhuc viris, nubunt. Paucæ vivis conjugibus fidem præstant: quis ergo virorum gelido etiam cineri suo fidem poscat, fidem ajo uxoriam vitro fragiliorem? Raræ sunt, earum etiam, quas Honestas dicunt, quibus non super præsentem conjugem, alter jam animo desponsatus sit. Lubricus & præceps Amor est.

Materia est incorruptibilis.

habet appetitum etiam ad formam præteritam.

Iam

Impossibile est materiã primam carere formâ.

Inter eas Virgines Xantippe numerari debet, quia non possunt meminisse se fuisse virgines. Nullum est assignare temporis instans, quo verum sit dicere, Materia Virgo aut Vidua est; ne quidem in prima sua Creatione. Nam tunc matrimonio primùm juncta, id est Concreata fuit; ab eo tempore semper habet virum, & habebit semper, quamdiu vixerit; *quia nunquam caret omni formâ Substantiali.*

Materia sublunares non distinguuntur specie.

Fœmina nulla bona est, quæ sub Cœlo est. A fœmina nihil fœmina unquàm discrepat. *Sic Materia Sublunaris omnes sunt ejusdem Speciei,* differuntque tantùm numero: Omnes Potentia contradictionis, & Radix corruptionis. Et Salomon hoc vidit, quando virum de mille unum bonum reperit, Mulierem verò Nullam. Non datur Electio melioris, ubi pessima sunt omnia. Igitur transilio Lunam, & bona Cœli contueor.

Materia cœlestis est determinata ad unã formam.

Xantippe tunc tandem Bona est, quando in Cœlo est. Fiunt Vota sæpè jocoseria: Utinam! Xantippe mea in cœlo esset! invideo Terram Uxori, Cœlum peto. Favete Superi. Quæ tantorum causa Votorum? Precibus in Cœlum levare volunt Conjugem, ut Viris è Purgatorio liceat in terras remeare. Nam, quid dicam breviter esse Conjugium! Nil præter Tartarum vel Purgatorium: non est in Tartaro quies vel otium, nec Dolor conjugis habet Remedium. Ergo Xantippe seu Materia prima in Cœlo est? Ergò tandem bona est? Est utrumque. Volve cœli volumina, invenies *Potentiam ad Ubi & ad Esse.* Vide, quomodo *Radix* amata *transplantata* dolcescat! Xantippe in cœlo nec *Potentia Contradictionis* est, nec *Radix Corruptionis* nec *fœd-fraga*, nec esurit nec sitit ampliùs, quia tandem à Forma cœli tota ipsius *Capacitas* expleta est, sedato *Appetitu.* Quàm bonum & jucundum, Formam & Materiam Cœli habitare in unum! Nubit felicissimè qui Cœlo nubit.

Hæc ego de Conjugio Philosophico. Nunc taceo, & de Morali ac Domestico Matrimonio, Expertis ac disertis Viris & Uxoribus, loquendi spacium relinquo.

APPROBATIO

Disputatio hæc, salvâ fide, & morum honestate, Principia corporis naturalis, sub elegantissima Metaphora, admodum facetè & doctè explicat; ita ut Lectores non solum bene erudiat, sed mirè etiam delectet.

Meritò igitur publici Iuris fit.

P. Carolus Iacobus, ex Monte Sancto, SS. Th. Doct. & Professor, Universitatis Procancellarius.

POSITIONES METAPHYSICÆ.

VITAM ET DOTES BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DILUCIDANTES.

THESIS I.

De ipsa Philosophia?

Quid sit Philosophia?

MUltæ sunt Philosophiæ definitiones. Ab Ethicis *Mortis Meditatio* illa dicitur: à Physicis *Naturæ contemplatio*: & à nobis hodie *Mariæ cognitio*: quæ definitio, aut descriptio, si malis, duplicem seosum habet, & in utroque est bona. Primò enim *cognitio Mariæ*, ita potest exponi, ut sit cognitio, quam Maria habuit: & secundo ita ot sit quam nos habemus de Mariâ: & respectu prioris cognitionis Maria est intelligens, & respectu posterioris intellecta.

Maria intelligens: Maria intellecta.

THESIS II.

An Deipara sciverit Philosophiam? hoc est, Logicam, Physicam, & Metaphysicam?

MCCCCV. In Mariâ omnes Scientiarum habitus sunt infusi per accidens.

PLacet B. Antonini sententia, qui 3. *part. tit.* 15 *c.* 19. §. 4. Mariam omnibus habitibus Scientiarum naturalium (Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ: has enim Facultates intelligemus nomine Philosophiæ) decorat & exornat: allegatque Albertum, & alios. Hanc eamdem sententiam habuit Jacobus Constantinopolitanus *tract. super Magnificat.* Hanc etiam P. Suarius *disp.* 37. *tract.* 5. Et in Tannerus *tom.* 4. *disput.* 2. *quæst.* 1. *dub.* 3. forti ratiocinio confirmat, ait enim; *Probatur.*

ait enim : [Beata Virgo omnibus, non solùm hominibus, sed etiam creaturis prælata : Ergo si Adamo omnium scientiarum habitus sunt infusi : etiam Beatissimæ Virgini fuerunt ; & præsertim, cùm illis indiguerit ad perfectam Sacræ Scripturæ intelligentiam, & morum scientiam, quam habuit, ut omnes Doctores affirmant.] Ergo Beatæ Virginis scientia (hoc est, scientia, quam habuit B. Virgo) integram Philosophiam complectitur, & hoc nomine meritò definitur : aut si nolis discedere à vocum rigore, describitur.

THESIS III.

De Marianâ Dialecticâ.

MCCCCVI. *Argumentationum modi anomali: Quando boni?*

HÆrent communes argumentandi formæ, cùm ad Mariam venitur : est enim ipsa Omnipotentiæ prodigium, & cùm disputatur de illâ, valent argumentationes prodigiosæ. Concepta est sine maculâ, & ut veritatem hanc probet subtilissimus Scotus, sic arguit.

Et decet : Et non repugnat : Ergo est : quam quidem argumentandi formam, cùm de Mariâ agitur efficacissimam, objecta alia non tolerant : nam, etsi D. Petrus sit Apostolorum omnium Princeps, non patitur, ut argumenteris, *Erat decens, imò & obligatorium sub peccato mortali, quòd non negasset Christum ; Et non repugnabat, quod mansisset fidelis : Ergo non negavit Christum.* Ergo Dialectica, quæ efficax est, cùm agitur de Matre-Virgine, specialis propriaque, quæ non vult in aliis materiis servire. *Logica Mariana est singularis.*

Ascensus ab uno.

Ascensus ab uno à Dialecticis bonis rejicitur, præcipuè si materia sit libera, & cùm de Divâ disputatur, fortissimus & efficacissimus est. Hi sunt Ascensus mali :

Ignis est calidus :
Ergo etiam nix.

Augustus Cæsar fuit clementissimus :
Ergo etiam Caligula & Nero.

Philippus est Hispaniæ Rex,
Ergo etiam Fridericus.

boni autem isti :

Horum Ascensuum efficaciam demonstrat ratio & testimonium Suarij, quod dedimus Thesi I.

Adam habuit omnium scientiarum cognitionem infusam :
Ergo etiam Deipara.

Salomon, cùm dormiebat, philosophabatur :
Ergo etiam Diva, dum dormire videbatur, vacabat Philosophiæ Divinæ.

Talis aut talis Sanctus habuisse dicitur usum rationis in primo suæ conceptionis instanti :
Ergo & Angelorum Regina.

Hæc est Dialectica securissima & efficacissima ; quâ plurimi Doctores utuntur, & inter illos uberiùs & frequentiùs Bernardinus Senensis *Serm. 61. de Beatiss. Virg. Mariâ. cap. 2. art. 1.* Viguerius *Institut. cap. 5. §. 3.* Cajetanus *quæst. 27. art. 3.* Suarius *disp. 4. sect. 7.* Vasques *disp. 119. cap. 3.* & tandem Conradus Calmelet, qui in *Philosophia Deipara Thesi IX.* sic insit. *Adam potuit : Salomon potuit : S. Catharina potuit : Ergo & Beatissima Virgo potuit.* Considero illud *Ergo*, ut unde nascatur inquiro. Et Thesi XXVIII. ex hoc illud fundamentum oriri ait : nimirùm, *Non est denegandum B. Virgini privilegium, quod aliis Sanctis concessum fuit.*

THESIS IV.

An, qui Mariam bene cognoscat, totam Philosophiam : aut etiam, omnes Scientias percalleat?

MCCCCVII. *Resolutio.* *Suadetur.*

TOtam callet omninò Philosophiam, qui Mariæ perfectiones naturales cognoscit : & qui ejus morales & supernaturales prærogativas complectitur mente, omnes Scientias. Et cur : Quia Maria est omnium perfectionum fasciculus, & prodigiosum quoddam totius mundi compendium.

Maria inter purè humanas creaturas perfectissima.

Ut hoc probem, duæ rationes succurrunt ; altera generalis, & altera specialis. Generalis ab hominis perfectione desumitur, qui continet omnium creaturarum prærogativas, & cùm Maria sit inter creaturas humanas perfectissima, hæc generalis ratio speciales vires habebit, si de illâ agamus. Et quidem in homine omnium creaturarum dotes & perfectiones reperiri, didici ab Ethnicis, didici à Patribus. Sanè illi Substantiæ categoriam, & vires Rationalis Animæ dilucidantes, multa dixerunt, quæ possent nostram sententiam confirmare ; sed eadem recensere non vacat. Ad Patres venio, Et quia S. Gregorius, quia Magnus, quia Benedictinus, & quia Pontifex Summus, præ multis aliis colitur & suspicitur, unam aut alteram periodum ex ejus Homiliâ XXIX. decerpo : expositurus enim illa Christi Domini verba, *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ* : sic inquit : [Nunquid, fratres mei, sanctum Evangelium, vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum, ut de eo discipulis dicatur, *Prædicate omni creaturæ.* Sed *omnis creaturæ* nomine signatur homo : omnis autem (enim) creaturæ aliquid habet homo. Habet enim commune *esse* cum lapidibus : *vivere* cum arboribus ; *sentire* cum animalibus : & *intelligere* cum Angelis. Si ergo commune habet aliquid cum omni creaturâ homo, juxta aliquid omnis creatura est homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cùm soli homini prædicatur.] Sic Gregorius : cujus ratio adhuc fortior evaderet, si diceremus omnem materialium creaturarum perfectionem inveniri in homine. Et hanc ob rem tenemus hodie omnes differentias distinctivas, quæ alias rerum genera distinguunt, ab homine nullam importare positivam & realem perfectionem.

Gregorius Magnus religiosus, Magnus Philosophus, & Magnus Pontifex. *Homo est omnis creatura : & cur?* *An perfectio aliqua sublunaris sit, quâ careat homo?*

MCCCCVIII.

Præter hanc rationem, quam fore communem prædixi, licet speciales vires habere dignoscitur, cùm agitur de Matris-Virginis prærogativis, alteram promisi specialem ; & ut liberem fidem, illam addo.

Melleua

Melleus Bernardus (aut, quicumque fermonnm ſuper Salve Regina, quos Iacobus Merlonua Horſtius tom. V. Operum S. Bernardi. pag. 288. poſuit, authoreſt) ex divinis & humanis literia multa congerit, quæ poſſunt huic argumento prodeſſe. Sermonem ſecundum ſic incipit:

Si linguæ centum reſonarent, oraq; centum,
Ferrea vox mihi, nil Mariâ tibi dicere dignum
Poſſem. Eſt Stella maris, quæ Virgo beatâ vocatur.

Sermonem autem tertium ſic:

In freta dum fluvii current, dum montibus umbra
Luſtrabunt, connexa polus dum ſydera paſcet,
Semper honos nomenque tuum laudeſque manebunt,
Spes mea, Virgo pia, Virgo ſacra, Virgo Maria.

An Maria omnes perfectiones comprehendat

Cœli ſuper naturalis Sol & Luna.

Maria cœlum & firmamentū.

Quàm multa ſint prærogativa & perfectiones in Mariâ?

Et poſt pauca omnium elementorum, plantarum, animalium, hominum, cœlorum, Angelorum aliarumque omnium creaturarum perfectiooes io Divâ reperiri ediſſerit brevibus his, & multa, aut omnia potiùs comprehendentibus verbis. [Poſuit in hoc Firmamento Deus Solem & Lunam, Chriſtum & Eccleſiam, & ſtellas prærogativas gratiarum multas. Laudamus Dominum in Sanctis eius, Firmitas, robur & conſtantia & fortitudo mentis eius, quia mundi contempſit gloriam, carnis calcavit illecebras. Virtus eſt Altiſſimi, de quâ ſcriptum eſt; *Et virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* Noo ſolùm autem cœlum & firmamentum, Domina rerum intelligitur, ſed alijs nominibus convenienter appellatur, & rerum vocabulis deſignator. Ipſa tabernaculum Dei, ipſa templum, ipſa domus, ipſa cubiculum, ipſa thalamus, ipſa ſponſa, ipſa filia, ipſa arca Diluvij, arca teſtamenti, urna aurea, ipſa manna, virga Aaron, vellus Gedeoois, porta Ezechielis, civitas Dei, ipſa cœlum, ipſa terra, ipſa ſol, ipſa luna, & ſtella matutina, aurora ipſa & lucerna, tuba & mons, fons quoque hortorum, & lilium convallium. Deſertum ipſa & terra repromiſſionis lacte & melle manans, ſtella maris, navis quoque, via in mari, ſagena, vinea, ager, area, horreum, ſtabulum, præſepe, ſubjugale, apotheca, aula, turris, caſtra, acies, populus, regnum, ſacerdotium. Ovis eſt, paſcua eſt, paradiſus eſt, palma eſt, roſa eſt, fluvius eſt, potus eſt, columba eſt, columoa eſt, veſtis eſt, margarita eſt, candelabrum eſt, menſa eſt, corooa eſt, ſceptrum eſt, panis eſt, oleum eſt, vinum eſt, arbor eſt, virga eſt, cedrus eſt, cypreſſus eſt, platanus eſt, cynamomum eſt, balſamum eſt, myrrha eſt, thus eſt, oliva eſt, nardus eſt, crocus eſt, fiſtula, calamus & ſtorax eſt, ſoror & mater eſt. Et ut breviter concludam, de hâc & ob hanc & propter hanc omnis Scriptura facta eſt, propter hanc totus mundus factus eſt: & hæc gratiâ Dei plena eſt, & per hanc homo redemptus eſt. Verbom Dei caro factum eſt, Deus humilis, & homo ſublimis.] Hæc omnia Melleus Doctor. ex quibus hoc ego conformo ratiocinium. Nulla eſt creata perfectio, quæ oon ſit in Mariâ: ergo, qui ſolam Mariam benè cognoſcit, omnes omninò perfectiones cognoſcit. Ergo Philoſophia Mariana (hæc eſt illa notitia, quæ Mariam contemplatur) omnes ſcientias naturales & ſupernaturales complectitur.

Probatur conclusio.

THESIS V.

De Ente Mariano, & eiuſdem tranſcendentiâ & analogiâ.

Verùm Ens ſit tranſcēdens, & univocum?

Conceptus Entis creati, quidquid de increato ſit, ſumi ſolet dupliciter: ſubſtan- MCCCC-IX.
tivè & adjectivè. Subſtantivè eſt analogum & non tranſcendit ultimas rerum differentias: adjectivè tranſcendit. Si tranſcendentia tollit univocationem (quod multi dicunt, quia ſemper illa ratio per quam diſcrepant, eſt etiam ratio conveniendi) Ens adjectivè ſumptum non eſt univocum.

An Deipara conveniat univocè, aequivocè, aut analogicè cum cæteris creaturis?

Inter Mariam conſideratam ut Ens, & cæteras omnes creaturas [Angelicas, corporeas, humanas] datur analogia, proportio, ſimilitudo, non æqualitas. Marianæ multæ perfectiones etiam in illis reperiuntur; at, quæ eminenti modo reperiebantur in Mariâ, illæ ipſæ congruo modo reperiuntur io cæteris.

Etiam ſunt in Mariâ aliqua, quorum vix umbram io cæteris creaturis, & præcipuè terrenis, reperias. Fuit particulari privilegio præſervata ab originali peccato, in quo ab Angelis, ab Adamo ipſo, & ab hominibus univerſis diſtinguitur; nullum peccatum vel leve totâ vitâ commiſit, in quo etiam diſtinguitur à nobis. Ex his duobus privilegijs ſuborta fuerunt multa, quæ vel non reperias in nobis, vel ſi reperias, potiùs ad æquivocationem, quàm ad analogiam aut univocationem reducas.

THESIS VI.

De Entis Mariani paſſionibus & attributis.

Attributa Entis.

Veritas, Bonitas, Vnitas.

Veritas, Bonitas & Unitas attributa ſunt MCCCCX
Entis: & ſingula diverſimodè ſolent exponi. Sequar communem Metaphyſicorum opinionem, & dicam, Veritatem eſſe Entis cognoſcibilitatem: Bonitatem eſſe ejuſdem amabilitatem: & Unitatem eſſe ejuſdem indiviſibilitatem.

Maria vera.

Et quidem maximè vera eſt Deipara, quoniam maximè cognoſcibilis: tot enim ſuam potentiam manifeſtat prodigijs, ut qui illam ig[…]t, cæcus eſt.

Maria bona.

Eadem Virgo maxime bona est, quia maximè amabilis: qui enim tot munerum favorumque collatricem non amat, lapis est.

Quid sit Unum?

Unum est indivisum in se, & divisum à quo libet alio. Nos in binos divisi homines, vix uni sumus. Duas leges Paulus sentiebat in se ipso inter se repugnantes; volebat invitus, involuntarius rapiebatur; & erat nobis similis, qui similes miserias patimur.

Maria una.

Sed Maria à quâcumque fragili creatura condistincta & divisa integerrima fuit atque adeo una, unica, & si liceat sic loqui unissima creatura fuit: quam ob rem ab Ecclesiâ *Virgo singularis* nominatur.

Virgo singularis.

THESIS VII.

De Ente rationis Mariano.

DUæ quæstiones succurrunt; altera, *An Maria sit Ens rationis?* altera, *An illa Ens reale sit, sed nihilominùs Entia rationis fabricetur?* Et, ut utramque expediam, *Quid Ens rationis sit?* debebo necessariò præmittere.

Quid sit Ens rationis:

Ens rationis est objectum mentis, quod neque est, à parte rei, neque esse potest: ideò dicitur habere suum esse in intellectu, & esse subjectivè nullibi. Et quidem nostri ævi Metaphysici plurima rationis Entia admittunt.

Quotuplex sit?

Qualia sunt, Nihilum positivum: Idola positiva rerum impossibilium: Compositio rerum incompossibilium & repugnantium: Rationis relationes, distinctiones, & prioritates: & Denominationes extrinsecas. Et nos rejicimus omnia rationis Entia, & asserimus ea esse exorbitantias linguæ.

Entia linguæ.

Quid si darentur? An in tali casu Maria & Christus essent Entia rationis? Essent, si Hircocervus, Hippogryps, Mons sine valle, & id genus similia Entia rationis dicerentur: non enim magis incompatibiles termini sunt hi, quos Paralogici ponunt; quàm isti, *Redempta & Immaculatè concepta*, *Virgo & Mater*, *Immortalis & Mortua*: qui verificantur de Mariâ: nec magis sunt repugnantes quam isti, qui verificantur de Christo; videlicet, *Creator*, *Creatus*: *Æternus in tempore productus*; *Immortalis mortuus*; *Immensus captus*; *summus subjectus*; *Cibus esuriens*; *Aquâ sitiens*; &, ut omnia verbo comprehendam, *Deus homo.*

Resolutio ex hypothesi.

Dico igitur Hircocervos, Centauros, Minotauros, Satyros, Tritones, Syrenes, Galatheas, Hippogryphes, &c. non esse Entia rationis, sed monstra quædam possibilia ex unione diversarum naturarum resultantia: ex unione inquam; hypostaticâ, identicâ aut integrali; quia tam absunt à repugnantiâ hi conceptus, ut potiùs possibiles sint [...] ribus modis. Concludo Virginitatem Maternitatemque, posse miraculosè conjungi: addo Innocentiam, si non possit cum redemptione liberativâ, posse cum præservativa componi: &, quia omnia subsunt Omnipotenti Deo, quæ naturaliter sunt immortalia, posse miraculosè adnihilari; & quæ naturaliter sunt mortalia, posse miraculosè perennare generosè & sincerè pronuncio.

Sunt omnia realia & possibilia, quæ entia rationis dicebantur.

Virgo-Mater.

Redemptio duplex.

Et transeundo ad Christum: Divinitatem Humanitatemque hypostaticè unitas Fidei docet, & miracula quotidiana confirmant. Hinc ortæ Antitheses, solâ naturarum distinctione eliduntur, quando enim termini contradictorij de Christo Domino verificantur, alter respicit illum quà Hominem, alter quà Deum.

Cur Christo conveniant contradictoria prædicata?

Ostendimus *Deum Hominem*, & *virginem-Matrem*, non esse Entia rationis, sed esse entitates veras reales, non possibiles solùm sed etiam existentes à parte rei: & inquirimus. *An ipsi Entia rationis conformare potuerint?*

Faciendi Entia rationis vis, ut nunc asseverare placet, ex cognitionis imperfectione suboritur: non enim possibilis est dilucida & perfecta cognitio, quæ res intelligat aliter quàm sunt in se. Deus igitur, cùm habere notitias rerum imperfectas non possit, non poterit Entia rationis conformare sic statuimus contra Gellium & alios veteres & recentiores, sequuti Suarium *disp. ult. Metaph. sect.* 2. *num.* 14. Idem dici debet de Christo Domino quâ Deo.

Entia rationis formantur cognitione imperfectâ.

Et quid de illo quà homine? S. Leo Papa Serm. 1. de Nativitate sic inquit: *Omnipotens Dominus cum sævissimo hoste* (Diabolo) *non in suâ majestate, sed in nostrâ congreditur humilitate, objiciens ei eamdem formam eamdemque naturam; mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem.* Ex quibus verbis hoc breve ratiocinium conficio. [Omnes imperfectiones humanæ naturæ habuit Christus sublato peccato. At posse conficere Entia rationis est imperfectio, quæ nullum involvit peccatum: potuit igitur Christus Entia rationis fabricari.]

Qualem naturam adsumpsit Christus? Peccare non potuit. At potuit Entia rationis conformare.

De Serenissimâ Angelorum Reginâ eodem modo philosophari possumus: ejus enim Animâ specie cum nostris convenit, & nulla succurrit ratio, quæ impediat, ne intelligat moliaturque Entia rationis.

Quod ipsum etiam potuit Deipara.

At quia Christi & Mariæ mentes erant Deo plenæ, & radijs omnium Scientiarum illustratæ, dicendum est in hoc sensu composito neutram potuisse imperfectè intelligere, adeoque nec entia rationis conformare.

Resolutio.

THESIS VIII.

De Ente possibili Mariano.

OMnipotentiæ Thesauri divites & opulenti sunt, & in ipsis Entium infinita Systemata, & in singulis infinitæ Categoriæ, quarum singulæ habent infinita genera & innu-

Systemata: prædicamenta: genera: species. &c.

An creatura Possibiles sint infinitæ

innumerabiles species. Er quidem, cùm Enti possibili infinitatem adscribo, non de categorematicâ, quam vocant, hæc enim in creaturis impossibilis est; sed de syncategorematicâ intelligendus sum.

Cùm Adamum condere voluit Deus, intelligentiâ simplici cognovit innumerabiles alios homines, quos producere potuisset, si voluisset. Vocemus Adamum Hominem A, & cæteros B. C. D. &c. Cognoscens Deus Hominem A. cognovit etiam ejus posteros ab ipso naturali defluxu processuros: & cognoscens Hominem B, etiam cognovit hujus posteros, qui per gradus & genealogias descenderent, si ille produceretur. Et quia stando cursui naturæ effectus unius causæ ab alterâ non possunt procedere, videbat Deus nullum ex posteris Hominis B esse producendum ab Homine A; & nullum ex posteris Hominis A esse producendum ab Homine B.

Effectus unius causa non possunt naturaliter ab aliâ procedere. N. B.

An Adamus Peccato suo omnes possibiles homines commaculaverit

Decreto infinitè libero Deus elegit Hominem A, & Homines B. C. D. E. &c. in meræ possibilitatis thesauro hærere iussit. Creat Adamum, & iste perpetrato crimine omnes suos posteros commaculat: omnes inquam, non solùm futuros, sed possibiles: omnes enim totius illius genealogiæ hominea incurrerunt peccati originalis debitum, vi cujus, si generarentur actu, actu etiam id peccatum originale incurrererent. Quam ob rem, si verè dixero, *Si Fernellius duxisset uxorem habuisset filium R*; etiam verè subjunxero, *Homo R. est purè possibilis, & ad genealogiam & posteros Adami spectat: habet debitum incurrendi culpam originalem: &, si de facto fuisset genitus, illam incurrisset de facto.*

Nota id attentè.

Condoluit naturæ Humanæ lapsæ Deus, illamque redempturus carnem humanam vult adsumere, & à fœminâ nasci. Sed à quâ purissimus & immaculatissimus? à Virgine purâ & immaculatâ. At in totâ Adami genealogiâ, in omni possibilium posterorum Adami serie, nulla erat creatura pura. Peccârat Adam, & posteros omnes infecerat. Convertit igitur oculos Deus ad Hominem B, quem creare potuit, cùm produxit Adamum: ad Hominem, qui non fuerat, adeoque non peccaverat: ejus posteros intuetur, & omnes immaculatos esse reperit, & ex illis eligit personam M. hoc est, Mariam: quæ stando naturali cursui rerum, erat non futura; non enim pertinebat ad genealogiam & posteros Hominis A (Adami) à Deo producti; sed ad posteros Hominis B nondum producti. Hanc ergo miraculosè ad posteros Adami transtulit: [licet enim causa A non possit naturaliter producere effectus causæ B, illos potest producere miraculosè & supernaturaliter.] hanc implantavit Joachimi & Annæ lumbis etiam miraculosè, & jussit ab his causis procedere, à quibus nunquam omninò processisset, si non interfuisset miraculum.

Exponitur conceptionis immaculatæ prodigium.

THESIS IX.

De Prædicamentis Marianis.

De numero Prædicamentorum.

Sub unico conceptu Entia decem prædicamenta collocantur: videlicet. *Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Duratio, Actio, Passio, Vbicatio, Situs, Habere.* An-ne iste sufficit numerus? Congruus est, & jam à plerisque receptus, & sufficiens, me judice, ut omnes realitates complectatur.

Incidentes quæstiones.

His positis debemus inquirere, *An Deus, an Angelus, an Christus, an Maria, in prædicamenta collocentur?*

Quid sit Systema?

Quotuplex

Respondeo præter Prædicamenta debere admitti necessariò systemata, sine quorum notitiâ multa solent in Philosophiâ turbari. Systema dico decem prædicamentorum aggregatum sub uno Ente tali vel tali dispositum. Et inter alia, quæ recensere possem, hæc systemata pono, *Abstractissimum, Infinitum, Spirituale, Materiale.* Materiale, ut ab hoc ultimo sumam exordium, est aggregatum decem prædicamentorum matarialium sub uno Ente materiali & corporeo. Spirituale Systema est aggregatum decem prædicamentorum spiritualium sub uno Ente spirituali & incorporeo. Et Infinitum est aggregatum omnium prædicamentorum infinitorum sub uno Ente infinito. &c.

An Deus in prædicamento collocetur?

Omnia infinita coincidunt

Hinc venio ad Deum, & aio, eum pertinere ad Systema infinitum. Sed ad quod ille prædicamentum? Ad omnia, ad quodlibet; quia (nota hanc rationem bene) omnia prædicata in infinitate coincidunt. Deus igitur est Ens infinitum: hoc est substantia infinitè perfecta; infinitè magna, hoc est, immensa: infinitis attributis, quorum singula infinitæ virtutis sint, condecorata. Habet relationes nobilitatis infinitæ. Ejus duratio est infinita, & vocatur æternitas. Ejus actio est infinita: & considerata secundum esse in dicitur Omnipotentia, & secundum esse ad appellatur Creatio. Ejus passio est nulla: à se enim est, & nullo producitur. [Et nota obiter in Trinitate processiones activas, & etiam passivas reperiri.] Ejus ubi est infinitum, & vocatur Ubiquitas: & quia est ubique caret situ, & quia est immensus, habitu.

An Angeli in prædicamento collocentur?

Hinc transeo ad Angelos. Spirituales sunt, & ad systema incorporeum & immateriale pertinere debebunt: sicut cœli, elementa, metalla, lapides, &c. ad Systema corporeum.

An Christus & Deipara ponantur in prædicamentis

Et ad quod Prædicamentum aut etiam Systema spectat Christus? ad quod Deipara? Christus quà Deus ad Systema infinitum: & quà homo, ad quod Maria: & Maria ad quod homines cæteri. Et ad quod isti? In Systemate materiali hucusque positus à nonnullis, à loco multorum annorum possessione præscripto privatâ authoritate expellitur. Et

Homo nec purè corporeus, nec purè Spiritualis est.

cur? quia cùm purè materialis non sit, non debet in purè corporeo systemate & prædicamento collocari. Et quò inducitur? In spirituale Systema? Eadem ibi ratio militat quæ in materiali: nam, si homo in corporeo Systemate locum habere nequear, quod purè corporeus non sit, non poterit in angelico poni, cùm non sit purè Spiritualis.

De Systemate humano.

Dicendum ergo est Hominem ad nullum purum Systema pertinere, sed esse creaturam compositam duobus entibus ad diversa Systemata spectantibus; nam corpus ad materiale, & Anima ad Angelicum pertinet.

Prædicamentorum leges.

Hinc patet primò frustra se fatigare Metalogicos leges prædicamentales pronunciantes; qui enim dicunt Entia prædicamentalia debere esse composita & corruptibilia, ut vel sic Angelos excludere possint, non cognoscunt Systema incorporeum & immateriale. Qui addunt debere esse Ens reale, finitum, completum, unum per se, & incomplexum, arbitri Metaphysicæ sunt, & multa ignorant. Dicimus igitur Ens prædicamentale esse debere unum per se & incomplexum attributo systematico affectum: quoniam in Systemate infinito nihil finitum, & in spirituali nihil corporeum, & in corporeo nihil materiale potest poni.

An Deus in prædicamento Actionis, Vbi, aut Quando ponatur?

Patet secundò errare Fonsecam 5. *Metaph. cap.* 15. *quæst.* 9. *sect.* 7. Vallium *quæst.* 1. *de subst. cap.* 6. & alios nonnullos docentes Deum poni in prædicamento Actionis, nempe communis & finiti Systematis, eò quod hoc prædicamentum solam extrinsecam denominationem importet. Et patet errare eosdem cùm volunt Deum ad *Vbi* & *Quando* reducere; quoniam immensus Deus loci & ubicationis est incapax; & æternitas, cùm tota simul existat, *quando* habere non potest.

De subsistentia conceptu.

Patet tertiò errare alios, qui Christum ratione subsistentiæ à finito prædicamento excludunt: nam subsistentia in homine requiritur, ut natura sustentetur; & quia id præstare potest, sive finita, sive infinita sit, verus conceptus hominis subsistentiam præcisam ab infinitate & limitatione requiret.

An omnia prædicamenta realiter inter se distinguantur?

Patet quartò errare eos, qui omnia prædicamenta realiter distinguunt inter se: I. nam id in Systemate Divino non asseritur; nam Deus omnia implet & supergreditur prædicamenta. II. nam id in Systemate Spirituali multi viri docti reijciunt. III. nam id in Materiali Vallius, *quæst.* 3. *cap.* 3. & 4. non admittit, apud quem idem motus prout oritur ab agente vocatur *Actio*; prout inest subjecto, *Passio*, & prout adhæret termino, *Fieri*. Quod ipsum affirmare tenentur, quotquot ajunt Quantitatem speciale prædicamentum constituere, nec tamen à Substantiâ distingui.

THE-

THESIS X.

De Substantiâ Marianâ.

Substantiæ partes. Naturæ partes.

SUbstantia est Ens per se: & dividitur in incompletam & completam. Completæ partes sunt Subsistentia & Natura: & Naturæ partes sunt Materia & Forma. De singulis inferiùs disputabo.

Quid sit Accidens? Creaturæ omnes sumus accidentia Mariæ. Conceptus hic alibi expenditur.

Accidens est Entis ens: &, si rem ad mores & virtualitates reduxero, inveniam inter puras creaturas Mariam esse substantiam, & cæteras omnes accidentia. Omnes sumus Mariæ; & propter ipsam vivimus, & propter ipsam in cœlos nos victuros speramus. Sed moralia ista sunt, & physica edisserimus impræsentiarum.

THESIS XI.

De Marianâ Personalitate.

ENs dividitur in substantiam & Accidens: & hanc ob rem Mariam venerabundis oculis contemplabor, & in illâ substantiales & accidentales prærogativas illustrabo.

Quid subsistentia sit?

Primò occurrit Hypostasis, seu subsistentia. Illam dicat Scotus in merâ negatione consistere: & ut eamdem exponant Durandus alijque ad reduplicationes & diversas nominum acceptiones recurrant. Eamdem alij Modorum censui adfingant, & à naturâ distinguant ex naturâ rei. Nos realem distinctionem ponimus, & subsistentiam Marianam esse realitatem & non modalitatem affirmamus.

An sustentet naturam?

Sed qualem? Est ne Humanitatis attributum eam afficiens? minimè. Quid ergò? Est basis fundamentumque Marianam Humanitatem sustinens; Homo enim non est Humanitas habens subsistentiam, sed suppositum seu Persona habens humanitatem.

An subsistentia forma à materiæ subsistentiâ distinguatur?

Progrederis, inquirisque, *An in Mariâ dentur subsistentiæ partiales? An alterâ partiali subsistentiâ corpus, & alterâ subsistat Anima?* Asserit Suarez, & alij non pauci cum illo: negant Thomistæ omnes Doctori subscribentes Angelico. Et nos quid dicimus? Posse ex Christo pro opinione Thomisticâ robustum argumentum desumi. Ait S. Athanasius in Symbolo. *Sicut Anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus.*

Considera singula verba.

Considera attentè illud *sicut*: ego enim argumentor sic. [Si Mariæ subsistentia est composita, etiam Christi est composita: nam aliàs non staret paritas & similitudo, quam Athanasius ponit. Cæterùm, si Christi subsistentia est composita, errat Athanasius, cùm ait, *Qui licèt Deus sit & homo, non duo tamen: sed unus est Christus*: & admittenda est doctrina Nestorij docentis dari in Christo subsistentias partiales, humanam nimirùm &

De errore Nestorij duplicem in Christo personalitatem admittentis.

di-

divinam.] Et hoc ratiocinium ipsissimum converto, &aio : [siquidem Christi subsistentia est simplex, etiam Mariæ subsistentia erit simplex : hoc enim important particulæ *sicut* & *ita*. Non ergo dantur subsistentiæ partiales in Homine.]

THESIS XII.

De Marianâ Materiâ.

Substantiæ gradus.

IN Prædicamento Substantiæ hos gradus Homo poterit enumerare Corpus, Vitam vegetativam, Vitam sensitivam, & Animam rationalem. Omnes in Mariâ reperiuntur, & debent specialiter dilucidari.

Corpus Marianum potest substantialiter & accidentaliter considerari : de ejus dotibus & venustate inferiùs, nunc agam de ejusdem substantiâ.

Quid sit Materia prima? Distinctio subsistentia, existentia, & essentia.

Componitur physicè Materia & Formâ. Materia est pura potentia. Secundum se considerata nec habet actum physicum, nec metaphysicum, nec entitativum, si & hic à metaphysico distingui debeat. Distinguitur realiter à subsistentiâ; realiter ab existentiâ. Subsistit subsistentiâ Formæ : & existit existentiâ Formæ: & hanc ob rem sine Formâ non potest existere.

De potentiâ Materiæ.

An sit possibilis creatura perfectissima?

Omnis Materia habet receptivam potentiam realiter à se distinctam, & appetit diversas formas, nec ullâ determinatâ sanatur, semper enim ad nobiliorem & perfectiorem obtinendam anhelat. At ex hypothesi, quòd detur creatura summa, quod multi certum, & multi probabile judicant, volumus dicere Animam rationalem inter Formas, quæ afficere Materiam possunt, esse nobilissimam: addimus individua esse perfectionis inæqualis; licèt enim natura specifica æqualis in omnibus sit, contrahitur nihilominus per differentias inæquales, ratione quarum individua inæqualia etiam sunt. Et subjungimus inter rationales purorum hominum Animas (hic enim de Christo non agimus) Marianam esse nobilissimam. Et inferimus Materiam illius immaculati corporis, ut pote informatam nobilissimâ formâ nullam aliam appetere, sed habere satiatum appetitum.

An Mariana Materia aliam appetat formam? An habeat satiatum appetitum?

Hinc patet Virginem Mariam naturaliter fuisse immortalem, non solùm innocentiæ nomine, quo etiam Adamus antequam peccaret immortalis fuit ; sed etiam perfectionis nomine, quod Adamo non potuit competere. Hanc ob rem Adami & Deiparæ immortalitatem comparando, sic inquam.

Immortalitas Adami qualis?

[Adamus stando legibus Physicæ, mortalis esset; at habuit immortalitatem ab innocentiâ originali : nam immortalitatis privilegium innocentiam, ut formam passio, sequebatur: quam ob rem cùm primùm peccavit, perdidit immortalitatis privilegium, & fuit obnoxius morti, jam duobus titulis naturali & morali. Naturali, quia quæ naturaliter compacta sunt, naturaliter possunt dissolvi. Morali, quia ob crimen damnatus morte fuit, quam promeritus fuit, & pati deberet etsi naturaliter non esset mortalis. Hinc est quod Adamus innocens non potuerit naturaliter mori; & nocens, non potuerit non mori naturaliter. Immortalitas originariæ innocentiæ annexa, etiam Deiparæ communis fuit; & præter hanc materiæ appetitus nobilissimâ formâ (animâ Marianâ) satiatus, nullam aliam desiderans, naturali inclinatione postulabat, ut Deipara in æternum viveret. Violenta igitur & miraculosa fuit Mariana mors: & miraculum in eo constitit, quod violentia inferretur naturæ & gratiæ : naturæ, quia forma perfectissima perfectissimè informat, & materia cùm tali est prædita non desiderat alias: gratiæ, quia justitia originalis aut ingenio ipsa suo, aut saltem ex decreto divino, morbis & morti erat contraria.]

Immortalitas Mariana qualis?

Deiparæ mors eguit duobus miraculis.

THESIS XIII.

De Marianâ formâ Corporeitatis.

Quæstio proponitur.

MUlti addubitant, An bona consequentia sit, *Beatissima Virgo Maria est vera Mater Christi: Ergo datur forma corporeitatis: Ergo & formæ partiales, quibus hæc componatur.* Et ratio excitandi controversiam hæc est; quia ad veram Maternitatem plus videtur requiri, quàm nudæ materiæ primæ subministratio. Si enim Orthodoxa nos Fides, Ecclesiæ communis authoritas, & Patrum concors doctrina asserit, non solùm corpus, sed & carnem Verbum è Virgine adsumsisse, sumpsit etiam formam carnis & corporis, sine quibus materia prima caro aut corpus esse non potest. At non adsumpsit rationalem Animam Virginis: Ergo præter hanc datur alia in Homine formâ, quæ carnem, ossa nervos & cæteras partes constituit & distinguit, & hanc dicunt *Formam corporeitatis:* quam ajunt esse divisibilem & heterogeneam, ut possit diversas partes constituere & perficere, & hoc est, quod vulgò intendunt & intelligunt nomine *Formarum partialium.*

An solam materiam primam Verbum adsumpserit ex Mariâ?

Qualis sit forma corporeitatis?

Pro resolutione consideranda sunt nonnulla testimonia. Cantat Ecclesia in Symbolo. *Et incarnatus est de Spiritusancto, ex Mariâ Virgine, & homo factus est.* Lego attentè. *Incarnatus est* dicit Ecclesia : ergo ex Mariâ Virgine sumpsit non solam materiam, sed carnem. Sic textum intelligit Hugo de S. Victore *in Speculo de myst. Eccl. cap.* 7. dicens: [Christus, dum Patrem interpellat pro nobis, Angelorum transit intuitum, quia intelligi non potest, quantum præsentia sumptæ carnis impetret.] Sic loqui didicerat Hugo ab Augustino, qui *in Psalm.* 99 ait [De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem nobis manducandam dedit.]

S. Athanasius in symbolo. [anima rationalis & caro unus est homo.] Ecce non

murmur, veteres næniæ, musica in luctu. Oderunt hilarem tristes, tristemque jocosi; sedatum celeres, celerem gnavumque remissi. Seni senex jucundissimus, pueroque puer. Denique individua vitæ *Societas*, quomodo in tanta partium dissimilarium inæqualitate consistet? Lapis ligno non cohæret; & surculus ille tantum coalescit arbori, qui consimilis est. Apologo rem dixit Æsopus. Nam carbonarius aliquando rogavit fullonem, ut secum in eadem domo habitare liceret: sed fullo respondit, se id facere non posse. Timeo enim, inquit, ne quæ ego dealbo, tu fuligine macules. Unde hodieque *Carbonarius & fullo non cohabitant.* Propter hoc apud æquos rerum judices, inter *personas impares*, non præsumuntur matrimonium, nisi interveniant instrumenta dotalia. Jogum æquale, minùs aggravat.

An fullo carbonariusque possint cohabitare?

Sat verborum, ex turbine: quin halitu reciproco & respiret, & objectam nubem dissipet Socrates? *Principia inter se contraria* si statuis *Materiam & Formam*, imponis. Nam cohabitant in eadem benè *composita* domo; nec se motuò expellunt. Si *privationem & formam* nominare voluisti, sententiam tene: sunt enim *prima contraria.* Disparitas inter S. & X. non te moveat; nisi supra Deum sapere velis, quia & ipse numero Deus impare gaudet. Conjuges inter, si quæ pullulant odiorum semina, non adolescunt: fiunt prius amoris incrementa. Unus hortus eleganter fovet unà veptes & flores: imò *contraria* juxta se posita magis *elucescunt*: sicut lux & nox. Esto non conveniant montes dissiti, Homines tamen toto etiam cœlo elongati, commeant. Vos interim *Consultores* anxii, si cum Xantippe Socrati non usque adeò integrè semper conveniat, curas deponite, unusquisque suum portat onus. Imprecationes conjugum, sunt maledictiones manium. Vel unus dum cantillat asellus, in *unisono* nec incipit nec desinit. Varietas delectat.

Principia naturalia tria: & ipsa omnino contraria: Materia, Forma, & Privatio.

VIII. Sententia. *Facinus audax! Festucam ex oculis aliorum trahit Socrates, & pupilla sua trabem infigit: quas prohibet nuptias aliis, ipse primum ambit, hoc est jugulare seipsum.* Ad hominem, & verò contra hominem procedit hæc objectio. Peribit isto in gurgite Socrates, ni glaciem frangat. Stobæus in serm. 68. refert, Socratem aliquando rogatum, quibusnam hominibus verbum *pœnitet* omnino esset *indeclinabile*? respondisse, *his qui uxores ducunt.* Nam similes res sunt *senectus & nuptiæ*; utramque ardenti voto desideramus: postquam verò nacti fuerimus, tristamur. Et si quæras quando ducenda sit uxor? Dicet juveni nondum; seni, nunquam. Qualis ducenda? Nulla. Nam si formosam duxeris, habebis communem: si deformem, pœnam: si divitem, dominam: si pauperem, curam, & cum acero miseriam. Paria sunt pisciculorum & juvenum desideria: pisces enim qui extra nassas sunt, quærunt mille aditus; qui verò intus conclusi sunt, exitus mille. Sapienter. Nunc ergo mi Socrates, tibi hoc dictum puta. Quàm felix illa Forma est, quam nulla commaculat *potentialitas*! qui tangit picem seu *Materiam*, inquinabitur ab ea.

MCCCXCV. Qui nam carere pœnitentiâ non possunt

Quando & qualis uxor ducenda sit?

An forma habeat potentialitatem?

Crines aliquamdio traxit Socrates, donec responsio incidit, quæ sic sonat. Ne vos hominem exuistis, Consessus amplissime. Nec sol uno consistit in loco. Sæpè mutantur tempora & Capita: hodie annuunt, cras abnuunt. Sit ergò venia Socrati, perperam olim de Connubio differenti, consulenti. Æquioribus Prudentiæ Semitam tentamus passibus, postquam ex calceolo factus est calceus. Nunc sapit Socrates. Damnat consilia pessima Conjugio peremptoria, & in seipso errorem emendat, si ei bonis avibus Xantippe uxor accedat:

Materia sequitur Formam.

Victoria, Victoria.

Tandem bona Causa triumphat: Xantippe evincit Socrates.

DEcennium Græcia in armis, in flammis Troja stetit, [si tamen stetit] quando pro Helena bellum fuit: & impendiis ferè totidem, pro una Xantippe belli alea vertitur. Instaurantur certamina, & cum juris Legisque peritis extremum Socrati est negotium. Hi enim illicitos in Xantippen amores & vetita connubia pessumdare tentantes, ad Synedrion adstant [stando enim pugnatur & vincitur] & suis armis litem Socrati intentant. Væ tibi Philosophe! quàm vereor, *Invisse legent tibi Textum*! Legent ais? audiam ego. Textum? nisi videro non credam. Ergo ad *Textum* provocat Socrates? heus bajuli, præstò sint Libri. Samsoni profectò tam graves haud fuerunt Gazenses portæ, quas exultante humero in montem tulit, ut bajulis illi textus, aperi sis unum, æquabit spatio ingentes Cœli fornices. Sed à cane non magno sæpe tenetur aper. Congreditur Socrates etiam cum grandi librorum strue. Lixivium paratur ex *Codice*? dummodò modicè. Quid si ex *Tractatu Tractatuum*? erit labor labiorum. Et *Mare magnum* in te si derivent? Sophronisci filius tunc volet esse Tantalus, & aqueas difflare bullas. De *Novellis & Institutis*, consulo ut taceant, & rhythmum omeant.

MCCCXCVI. Excidium Trojæ.

Quàm grave fuerit magistris equitum Bartholo & Baldo, qui faciunt equitare gaballus, hanc vexam Socraticam tolerare, ex ipsorum responsis clarè datur intelligi, hac enim salute donârunt Philosophum: Quid obstrepit pauperculus ille Socrates, qui cum Aristotele cogitur ire pedes? adhucne insanit? quàm vero verius est, eos qui nuptias parant, mensem delirare integrum: huic annus non sufficit. Adeste Domini Collegæ, Socratis misercull sanemus in sanum cerebrum, ut Legibus convictus indignas damnet Nuptias, Xantippen æterna oblivione in Oceani fundo sepeliat. Pomponi vocem intende, leges que Connubiales è Tiraquello scaturientes, proclama: Sic sonant,

An omnes Philosophi sint pauperes; & inrusta devotes?

Quæ illa devaent esse conjugia?

nant. *Deformissimarum connubia fœminarum contemnunto: mediocriter speciosas intrepidè deligunto. Vxores aquales genere & opibus ducunto. Viduarum atque seniorum nuptias fugiunto. Futuræ uxoris patriam, parentes, ac mores inspiciunto.* Sed prophana sunt hæc: Sacra intona, *Canonica* recense impedimenta, nuptias aut *impedientia*, aut contractas *dirimentia*. *Error.* Socrates Virgo (Non enim Forma vagos amat concubitus, *nec migrat de subjecto in subjectum, ne accidentalis quidem.*) Xantippen Virginem putat, cum tamen materia sit *commune* subjectum, successivè sexcentis jam Formis copulatum. Quid est *errare*, si hoc non est? *Cognatio naturalis.* Ab Ente velut à communi stipite primo descendunt, Socrates & Xantippe: quia *prima divisio Entis est in Actum & Potentiam*, sunt ergo in primo Consanguinitatis gradu, & copulari volunt? proh! pudor. Sat est Pomponi; etsi de *Crimine*, *cultus disparitate*, de impedimentis *publica honestatis* ne verbulum addas; habet.

An forma substantialis, an accidentalis, transire possit de subjecto in subjectum?

An argumenta debeant ab authoritate desumi?

Ergo Socrates occidit? scilicet, ut palma solet, quæ depressa resilit altiùs: quid agitis Juristæ? Ludicra Disputatio, in quâ nulla est Textuum allegatio. Legista sine Citatione, miles sine ense. Ubi Authoritas? Retorquent Juristæ: Lege cautum esse, ne margaritæ projiciantur ante porcos. Si Socrati mille allegationes ob oculos ponerentur, ne unam intelligeret; gallinarum characteres esse putaret. Ad oculum demonstremus Collegæ, Socratis imperitiam. Citationem unam duntaxat ei scribamus, quam si solvere nequiverit, Conjugio in pœnam renunciabit; si solverit ipse, nos Causa cademus. Optima propositio. Nec mora; pingitur in tabella: ff. & Socrati divinandum exhibetur. Is tabulam versat in omnes partes, & ff. hirquis intuetur oculis. Forte Fortuna suspicio talis obrepsit. Characteres isti ad conjurandos dæmones inventi sunt, servari valebunt, si quando è Xantippe mea pellendus dæmon est. Sed nugari desino, Poësio consulo. Propositum ff. Logogryphus est. Est: (Juristæ replicant) propterea Xantippen ex eo suspendimus: solve si potes, & præmium tolle. Amor præmii Socratem præcipitem dedit, ut hanc solutionem extempore daret. ff. ait significat idem quod ff. denotatque Sacrosanctas esse Leges. Laudârunt. I.V.D D. honorificum Conceptum, attamen responderunt, *non esse ad rem.* Insiste huic responsioni Socrates! ansam præbet, si tenes, ad rem, ad rem attende. *Res* de qualis agitur, *Conjugium* est; vide si non ff. idipsum significet. Cur non ponitur solitarium f? quia non est bonum hominem esse solum. Ergò *Faciamus*: quidnam? Ex uno f. duplex ff. ex Filio Filiam, ex Adamo Evam: duo Fulcra Familiæ. Rem verbo habere, ff. Conjugium significat: duæ literæ *personas* contrahentes; lineola transversa Contractum ipsum. Rem aciculâ tetigisti Socrates, Ædipo acutiùs. En! submittunt pavones pennata specula, suosque despiciunt pedes.

Quid apud Juristas sit ff.

Vicisti; suspensum resolve præmium, Xantippen tolle; tua est. Nam & licere tibi & expedire Connubium, testatur & fatetur celeberrimum illud ff. quod est *Fiat Fiat.* Sic sic vulnera putata, fiunt oscula, & sagitta extorta recidit in sagittantem. Porrò ne burlando solùm, sed etiam directè respondendo, Leges omnes contra se allatas in unum concluderet sacculum Socrates, tanti laboris res non fuit: Syllogismo unico, sed valido Legibus obstruxit ora, sicut si bolum dedisset cerbero. Syllogismus hic fuit.

ff. est fias, fias.

Necessitas non habet Legem: Atqui Xantippe seu uxor malum Necessarium est: Ergo nulla Lege prohiberi potest. Syllogismus hic tanto nocentior est, quanto integrior, quid negabitur? *Major*, est vox Populi, consequenter & Dei. Ratio urget: nam non bene conveniunt, nec in una sede morantur Necessitas & Libertas. Lex verò in liberum tantùm cadit hominem. Et quoties ferreas Leges frangit Imbecillitas, quando urget Necessitas? *Minor* Xantippen iterum ad incudem revocat, & ictu congeminato, malitiam simul ac Necessitatem eidem impingit. Malum bonum est, quod evitari potest; fatale verò ac inevitabile, duplex tormentum est. Ægypti Rex in testem adstat, qui in uxore sibi adoptanda, Fœmellam staturâ sesqui-palmarem consultò elegit. Causam dixit: quia voluit eligere Brevissimum malum: expedit enim inter plura mala minus; inter diuturna, quod brevius est. Pythagoras, rarò sed benè locutus, filiam unicam libenter collocavit, Inimico suo deterrimo, Uxorem: dicens, quod nihil ei dare poterat Uxore deterius. Phrinco Legislatori suprema verba meditanti, hoc incidit, excidit: ad summam felicitatem nihil mihi defuisset, si Uxor defuisset. Audite populus, Susarion hæc dicit: Malum sunt mulieres. Veruntamen ô populares, non est invenire domum sine malo. Ergo immortale, necessarium tamen, malum est Materia, Xantippe. Necessitas probatur I. *Materia & Forma sunt per se primæ rerum Naturalium principia, quæ neque ex alterutro neque ex aliis, sed ex his omnia fiunt.* Si ex his omnia, sine his ergo nihil. Res naturales à seipsis non sunt; ex Nihilo non fiunt; ergo ut fiant, necesse est ex Materia seu subjecto fiant. Materia enim est *subjectum primum ex quo aliquid fit, cum insit, per se &c.* Filios Abrahæ suscitare potest ex Lapidibus Deus; Natura sine Materia communi rerum parente non potest. Dentur fortè alicubi arbores anatum feraces; attamen fruge non sunt rami, qui homines portant, optimi sunt fitii, qui ex matre sunt. Hinc II. Aristoteles ex necessitate Generationis, licet præposterè, benè tamen conclusit necessitatem Materiæ. *Oportet enim dari commune subjectum & stabile Transmutationis*, quando generatio præterit & generatio advenit. Unde Socrates aliquando Alcibiadi, stultam in toleranda Xantippe patientiam exprobanti, respondit: At tu Alcibiades nonne domi tuæ gallinas toleras glocitantes, anseres perstrepentes? Tolero ait, sed ova mihi pariunt & pullus; & mihi, reponit Socrates, mea Xantippe parit liberos. Verùm Alchumistas opponis, qui *ex Nihilo videntur aliquid facere* posse; aurum ex non auro & ex levissimo pulvere,

MCCCXCVII. *Totum physicum materiâ carere non potest.*

An detur malum bonum?

An aliquid sit uxore pejus?

Materia & forma sunt duo rerum physicarum principia.

Materia est primum subjectum.

An materiam generationes probent?

Deus omnia ex nihilo: Chymici omnia è nihilo.

quem Philosophicum appellant. Sed hebraico more sententiam relege ut cancri cunt, & videbis operosos hosce Artifices *ex aliquo Nihil facere posse.* Homines fumosi semper, famosi raró, qui aurum emunt, & fumum vendunt. Non ex quovis pulvere, nec ex quolibet ligno fit Mercurius. Aptissimum, summèque Necessarium subjectum est *Materia ex* qua fiunt omnia. Cætera vel subjecta non sunt, vel prima non sunt. Stat ergo Socrati Victoria, Victoria; quia duplici congressu Adversarios vicit; soluendo, arguendo. Fœlix Necessitas quæ Xantippen peperit, & Socratem voti compotem facit. Hanc amat; quia Natura determinata est ad unum; & quæ semel placuit, displicere ampliùs nequit. *Tanta molis erat Xantippen ducere velle.*

Ex materia omnia fiunt.

Tarara: Tarara.

Prodromi veniunt Nuptiales: Xantippe consentit; Socrates proponit Conditiones, Dotalia pacta scribuntur.

MCCCXCVIII. P*Arvus error in principio, fit magnus in fine; nisi maturè factum corrigas.* *Correxit Socrates; benè habet.* Itane in limine offendit, qui festinus est pedibus? Probatum est. Coqua, quia properanter, id est mensibus novem, Jus Vertinum coquere tentavit, mensis intulit perperam conditum. Præceps in præceps ruit. Socrates è sua parte *sponsus* est, ex altera parte *sponsam* nondum habet. Subsistet Relatio sine termino, sicut butyrum in solis radio. Ex parte Formæ constat amor; Materia si consentit, peractus est Contractus, non priùs. Nam bis computare debet, qui sine hospite symbolum antevertit. Rem clariùs aperiam. *Amor* Materiæ primæ antonomasticè *cæcus est*, & similis potentiæ visivæ: Ille namque *Indifferens* est ad *omnes Formas*; hæc ad omnes Colores. Iam se anguillam tenere fortiter putavit Socrates, nesciens Materiam esse lubricam. Scire debuisset Potentiam plura posse, & ad omnes Formas nobiliores, viliores, præteritas & futuras esse indifferentem: benè affectam singulis, cæco tamen modo & sine discrimine, sicut æquus Judex pendet in bilance. Verè igitur cæcus est Amor, cæca visiva potentia, quæ Indifferenter colores omnes recipit, nullo habito pulchrioris respectu. Hæc præscire oportuit Socratem, quod affectio materiæ non sit addicta uni Formæ, sed liberâ in omnes feratur propensione. Jam scit; & maturè rebus consulit.

Non potest esse relatio sine termino.

Materia prima habet appetitum ad formam: sed non ad aliquam formam determinatam.

Conciliatrix ad Xantippen dimittitur Causa Efficientrix, dimidium Facti qui benè Mittit habet. Nulla pro quolibet aspero negotio perficiendo aptior Causa est *Efficiente*: Nam à felici negotiorum successu nomen habet cum omine. *Hæc*, ad captivandum uni Socrati uni Formæ, *vagum* Xantippes *amorem*, tot admovet arietes, quot *præmittit dispositiones.* Præveniunt qualitates variæ, tenent se ex parte Materiæ, foventur; blandiuntur vicissim, & aureos nomine Socratis promittunt montes. Et ecce! cum sit in omnibus rara constantia, tum in fœminis nulla est: varium & mutabile semper Fœmina; si rides, arridet. Vix resederunt in sinu Xantippea Legati Socratici, continuò in melius mutata sunt omnia; *Indifferentia Materiæ* determinata est & contracta ad hanc numero Formam potiùs quam ad aliam. Consentit Amori Formæ Amor materiæ, fit Relatio mutua, est Sponsus, est Sponsa. Videte quantum possit pulchrum apud homines; & apud Xantippen valeant dispositiones! Inunctus est currus, nunc res procedet meliùs.

Causa efficiens.

Materia prima est indifferens.

Prima Conditio. *Xantippe Socrati ut placeat, palliata non veniat.* Multum est in exportando positum, quando domus ardet: & meliùs consistunt matrimonia, justis conditionibus præmunita. Prima Inhibitoria est; luxum vestium & cultum superbum, cui sexus fœmineus apprimè deditus est, in Gallias proscribi, Materiamque nativo paludamento contentam esse jubet. Si secùs in oculis Formæ compareat, repudium timeat, ludibrium certum è pompa relatura. Verùm, percontari libet, quæ obsecro Interdicti hujus occasio? Dicam si audieris. Habet Xantippe Fautores & Patronos toto penè orbe dispersos, nec paucos, nec ignobiles. Hi ut audierunt in proximo esse ut materia nuptias celebret cum Forma nobili ac divite; decorum censuerunt, si Xantippe cætera deformis, amictu solitò splendidiore palliaretur, & sic Socratis amicos fascinaret oculos. Eum in finem è Scotia quispiam transmisit Materiæ primæ subtilem magni nominis umbram *Corporeitatis formam*, quam eidem voluit esse congenitam, ne videlicet ab aliquo Philosophorum detrahi posset. Ni fallor *Secunda* vocari deberent congenita & corporea isthæc involucra: quæ nascentem sequuntur infantem. Nec Hispania suis defuit obsequiis; misit vestem sed non commensuratam, diffluentem liberè, cui nomen *quantitas interminata*, materiæ *coæva.* Proh! quàm fluida & longa Xantippe tunica, quæ nec terminos Quantitatis habet, nec Temporis. Munus tertium, nescio à quo contextum araneo, Theristrum fuit, subtilissima tela, in officina Metaphysices concinnata; inscribitur. *Actus Entitativus & Actus præsentia* in rerum Natura; extra suas Causas Xantippen constituens. Taceo hic de Unionibus, non è marinis conchis, sed è modalium ingeniis erutis, queis velut monilibus materiam decorare permulti certatim studuerunt, quid fit? ornatur, aut veriùs dicam, *subornatur* his indumentis Materia studiosissimè: sed indignationem venatur pro gratia. Dicam Philosophicè quod res est. Responsa tulit Xantippe semi Regina ex ore Socratis, eadem, quæ à S. Benedicto reportavit servus Totilæ Regis: *Depone* Filia *depone* quod geris, *Tuum non est.* Ut enim servilis persona illa, Regem Gothorum in Purpura mentiebatur, ita Materia prima, quicquid vel Actûs vel Formosi habitûs circumfert, *alienum est*, & contra decentiam statûs ipsius. Paruit Xantippe, ut jussa fuit, mutua-

Fit resolutio usque ad materiam primam.

Non datur forma corporeitatis.

Non datur quantitas interminata.

Materia secundum se, nec habet actum entitativum, nec actum existentia, nec actum præsentia.

mutuatas vest... veterem usque pellem suam deposuit, & sic ...ati placuit. Materia e... in ut sit nubilis seu *Terminus à quo* Generationis, debet esse *Potentia denudata* ab omni prorsus Forma. Ha ha! moveat cornicula risum, furtivis nudata coloribus.

MCCC XCIX. In generatione substantiali omnia corrupti ac... denuo de-perirent.

Secundæ conditio. *In balneo depuretur Xantippe ab omni Fuco, antequam Socrati jungatur Matrimonio.* Dura balnea etiam in mollis unda, quæ fucus infernalibus larvas detrahunt, ut appareare debeant quod sunt. Nimirùm sunt fœminæ quæ purpurisso & quibusdam fucis ora oculosque depingunt: quarum facies Ægyptiacæ, superinducto candore deformes, Idola mentiuntur; quas nec numeros annorum docere potest quod vetulæ sint, quæ capillis alienis verticem struunt, & præteritam juventutem in rugis anilibus poliunt. Sunt Irides, colores ostentant, non habent. Non faciem sed larvam gerunt: nec servant corpus quale est fabricatum, sed volunt videri pro altera, altera. Nihil pigmentis hisce infensum magis quàm aqua & aura: illa lavat, hæc distilat. Phryne, fœmina genuino vultu decora, cum esset in quodam convivio, in quo ludus hic agebatur, ut singuli per vicem ludicra imperarent quæ vellent, [germani à *defatigando* nomen huic ludo imposuerunt] colludentes jussis obtemperarent; cum vidisset illa mulieres cerussa stibioque depictas, jussit inferri aquam, præcepitque ut omnes exindè vultus abluerent. Factum; sed metamorphosi planè ridenda. Proteus non tot fingit ac refingit facies, quot lymphata isthæc anicularum cohors retulit informes rugas. Hoc non est balneare, quando turpior è balneo redit, quàm intraverat.

Dantur apparentes colores.

Habet Xantippe hanc notam apud Historicos, quod & ipsa soleret adulterinis fucata coloribus ad spectacula procedere; spectant spectentur ut ipsæ. Dignum patella operculum, quando hara tegulis nitescit aureis. Habet idipsum velut alienum decus materia, quod non tantum forma substantiali sed etiam pigmentis formarum accidentalium, ut albedine, allisque qualitatibus ac dispositionibus variis sit affecta, imò etiam quibusdam specialibus & *Partialibus formis*, in ordine ad Generationem *Viventium* præcedentibus. Verùm displicent in oculis Socratis hæc superflua ornamenta; is enim se solo venustate substantiali, quam habet ab Anima, totum illud decoris, quod Xantippe mutuum habebat à formellulis minutioribus, adventu suo collaturum se promittit, & quidem cùm insigni Auctario. Lixivium igitur paratur ante Nuptias Materiæ, [nam balnea, vina, Venus cognationem habent] & sic *depuratur ab omni Forma etiam accidentali in priori Natura*, antequam novo Conjugio Socrati copuletur, Lavacro tincta est Xantippe; placet, perplacet Socrati Philosopho. Nunc verè dici meretur Pura Potentia: quid superest? Charta & calamus: pacta dotalia.

Materia non solùm substantialem, sed & accidentales formas recipit.

Omnes excidunt antequam nova substantialis adveniat.

Dotem suam Xantippe scripsit in Charta Bianca, Socrates in Folio. Veni & vide. Tria sunt in chartis quas biancas dicimus; brevissima superscriptio, nihil expressum continens; inde Subscriptio, tertio sigillum. In spatio candido Xantippe seu Materia hæc verba posuit. *Potestate omnia.* Nomen subscripsit; *Pura potentia.* Sigillum Xantippe proprium non habet, præter *Sigillationem* quamdam ex præcedentibus Dispositionibus relictam, per quam Materia sigillatur & determinatur ad certam & peculiarem formam, id est ad Socratem potiùs quàm ad Platonem; in qua sigillatione *virtualiter manent* priùs introductæ *Dispositiones*. Fidem Sigillo huic faciunt Complutenses, de Generat. disput. 2. quæst. 7. §. 5. Ad Formam respiciendo vide quanta liberalitate Sponsam suam prosequatur! Scripsit Categorias integras. Esse substantiæ, Corporis, Viventis &c. descendendo per gradus à summo ad infimum; tantorumque bonorum, Xantippen *egentissimam* stante Matrimonio & ad dies vitæ Socrates vult esse participem. Hoc est in folio largiri.

Materia est pura potentia. Est omnia potestate: actu nihil. Ut hispanicè loquar, Es carta bianca.

Ridet Apollo.

Conjugium est. Nuptiæ abeunt, Boni Effectus Matrimonij sequuntur: Vivant conjuges.

MCCCC.

QVod Deus & natura conjungit, *Arcularius Glutine non ungit.* Quàm vetus hoc, tam verum. Ad quid enim seu fibulâ seu *distinctâ Unione* indigent, quæ *Seipsis uniuntur*? Nam quando unum *essentialiter* est *Actus*, alterum *essentialiter Potentia*, *frustrà* quæritur per quidnam duo ista uniantur. Alio modo conjugium subeunt Boves, alio planè Homines. Nam: *verba ligant homines, Taurorum cornua funes.* Nempe Socrates & Xantippe animalia sunt socialia, uniunt se per mutuum Consensum quovis signo expressum. Exemplo junctæ tibi sunt in Amore columbæ, Masculus & totum Fœmina Conjugium. Ubi gluten? Detur Oblivioni. Non fuit opus multis cæremoniis in contractu Matrimoniali Socratis & Xantippe; mutuus consensus, Amor congenitus, propensio & indigentia Naturalis utriusque facillimè fecit ex *duobus unum.* Equus adhinnit Equæ, Mas Fœminæ. Materia quoque Formam appetit, ut Arist. 1. Phys. tex. 82. loquitur, *sicut in Fœmina masculum, & turpe Bonum seu Pulchrum.* Vicissim quanto affectu Vir in fœminam propendeat, est nimis clarum. Fertur Historiæ, dicam an fabulæ? puerulum quendam ab incunabilis inter Viros grandævos, in quodam velut carcere, ita educatum fuisse, quasi extra mundum degeret; præter Viros agnosceret nihil, Fœminarum ne nomine quidem audito. Sic adolevit hic peregrinus in Israël, imò in tota Terra. Hunc Juvenem produxit aliquando senex Rabbi Salomon cautissimè in forum, velut in orbem novum, eique non minus Rerum, quàm

Inter materiam & formam non datur unio ab extremis distincta.

cœcus colorum, ignaro, digito interprete monstravit obvia, suisque appellavit nominibus. En, ait, hoc aurum est, avarorum cœlum: Gemma hæc est; vitrum putares, valet Regnum integrum. Granaslia candida, saccarum pura, pabulum sunt quod albæ gallinæ filiis datur. Currit ecce! ibi animalculum; caniculus est, bellulus finellulus; in pulvinaribus. Juvenis conspicatus fortè juvenes à parte ludentes, comptulos, cincinnatulos, interrogat (nondum enim in speculo se ipsum viderat, ut agnosceret) quid fuor ista? cui senex: Terrestres Angeli sunt hi, tam eb..n superis quàm Ganymedes Jovi. Paulò post in conspectum veniunt fœminæ, senes cum junioribus; quæ ne Innocentulo essent pro fascino, metaphora elegan[illegible]as ita depinxit Juveni, ut vel audito nomine perhorresceret. Nam

Quales sint fœminæ?

sic fatur lachrimans. Hæc quæ cernis, animalia vulatilia sunt, & simul aquatilia; pennas habent ut pinnas: quando se committunt aquis, quà parte vadum est, bipedes eunt; ubi profundum est, innant; piscibus per omnia similia, excepto silentio; nam tota die garriunt, & si tres sint, gregem faciunt. Acutissimus habent dentes, mordent ut colubri, & venena diffundunt: sibilant serpentum instar; ita ut melius sit habitare cum draconibus & scorpionibus, quàm cùm M & M. Atque ut finem dicendi faciam, hæc animalia peculiari nomine Anserea appellantur. Dixit: & captivum suum reduxit domum; Juvenis ipse, quem quasi in ingressu mundi posuerat lubens retraxit pedem. Rogatus domi à Naturæ exploratoribus, quæ res in foro fefellisset oculos ipsius maximè; quid Respondit Juvenis? Caniculum fortè in culpam traxit? non. par merces, quam hospiti contribuunt canes & hirundines. Aurum? potiùs globulum. Terrestres angelos? nec hos. Anseres, inquit. Errat hic quisquis formas intentionales & species impressas ab objecto derivari ad oculum, indeque ad phantasiam, negat. Quàm citò non in corbibus sed in cordibus nidificant anseres! Ponent ovum? Heu! Porrigent Scorpionem. Hinc videas naturale quoddam propensionis inter Xantippen & Socratem illicium, ad hoc inditum, ut in mutuam vitæ societatem, ultro è seipsis unirentur. Mutuam Formæ ac Materiæ indigentiam qui non videt, talpa est. Materia enim *totum esse actuale* ita in acceptis refert Formæ, ut *Contradictionem implicet* Xantippen existere sine Socrate, seu materiam sine omni forma. Similiter Formæ materiales omnes, *educi habent ex potentia materiæ*, non eo quidem sensu quo panis ex furno, aut vinum ex dolio, sed eductione Philosophica. Nec ipsæ spirituales formæ materiam rejiciunt penitùs, quia saltem amant quando informant. Concludo tandem, quod sicut in civili & morali matrimonio, appetitus *elicitus*, & expressus *consensus mutuus*, nullius tertij ministerio mediante unit Cajum cum Caja; ità planè in Physico conjugio, appetitus *innatus* & mutuus

Materia omnem actum à forma recipit.
Repugnat esse materiam sine forma.
Formæ materiales educuntur de potentia materiæ.
Appetitus inter materiam formamque, mutuus & innatus.

uniat Xantippen cum Socrate [illegible] Composito, sine Modifico ministerio. [illegible]c ergò teneas: *Quam Ratum est absque carna[illegible] copula matrimonium; tam constans est absque Unione modali Compositum. Pronubus & Pronuba, Nubens & Nupta, Quatuor sunt Causæ ac Rotæ, quibus Compositum physicum construitur. Causalitas Modalis est Quinta Rota.* Tetragrammaton Dei nomen est, plerisque in linguis, & ob hoc summè venerandum, Si Currum Philosophicum seriemque Causarum Physicarum rectè inspexeris; dices, quadriga est: ergo vel detrahe vel adde unam rotam, destruis utrobique quadrigam. Nam sine *Fine* non incipitur, sine *Agente* nihil efficitur, sine *Materia* nihil subjicitur, & sine *Forma* nihil perficitur: Finis *Pronubus* est, Efficiens causa *Pronuba*: contrahendis celebrandisque sic præsunt nuptiis, ut tamen computentur inter Procuratores extrinsecùs assistentes. At verò Nubens & Nupta Forma & materia Causæ sunt & elementa intrinsecè componentia. Exercent Causalitatem suam ex omni parte con bell modo, attamen sine modo. Hoc opus hic labor primus est omnium, efficere compositum. Hæc de curru. Porrò quando in facie omnium rerum Naturalium festivè Copulati sunt Socrates & Xantippe; Annulum sponso non dedit Sponsa. Quid causæ? ut, icor, quia finem non habe[illegible] annulus: at Xantippe jam cogitat, ut Conjugium compendium faciat. Dextras non junxerunt? ita quidem, sed prior in congressu levavit pedem Socratea, malo omine; primus quoque in tumulo pedem sistet. Sæpè qui consertis manibus copulantur, fugitivis pedibus dissociantur. Sertum in capite gestavit Socrates ut virgo, acephala—ippe nihil. Peractis hiscè, aurigante Natura, provehuntur ad Convivium nuptiale. Adhuc ree benè it conjuges!

Causæ sunt quatuor.
Causalitas modalis nō datur.
Causæ sunt Materialis, Formalis, Finalis, Exemplaris.

Xantippe non comedit nec bibit, sed vorat & haurit, plus quam Bel: Appetitus enim Materiæ primæ inexplebilis est. Cùm dis certet fœmina? cum leone canicula? Non videtur tibi esse Bell vivus, imò belluo, qui tanta comedit & bibit quotidiè; similas artabas duodecim, & oves quadraginta, vinique amphoras sex? ut Daniel num. c. 14. Nihilominus buccella sunt hæc materiæ, idem quod musca aquilæ. Lupus & Saturnus satur est aliquando, Xantippe nunquàm. Tributaria quatuor Elementa quicquid cibi potûsque attulerunt Nuptiis, Materia se absumpturam *successivè* omnia spospondit. *Ignis* instruxit focum, quasque habuit alumnas Salamandras & in fornacibus Cypri bestiolas pennatas, unà tulit. Quas habuit raras volucres agitabilis *Aër* phœnices, pelicanos totamque plumeam gentem, advolare fecit: nec defuit Chamæleon jejunus semper & indefessus, qui oscitans vescitur & follicans ruminat de vento cibos. Quodcunque *maria* & flumina utero gerebant squammigerum pecus, affluebat foco; & inter alia piscis miræ longitudinis, cujus caput in Hollandia, truncum verò corpus in terram longinquam expurrigitur. Denique Terra feras cepit, coquendas dedit. Sic Cœna scena fiet, in epulis perso-

Materia est appetitus insatiabilis.
Elementa sunt quatuor:
Ignis:
Aër:
Aquæ:
Terra.

personatis. Prorsus ita. De Cerere & Baccho nihil memoro. Ni velint frigere venerem, adsunt; adsunt hæc omnia, & tamen materiam non satiant, gulam non explent; videbis an non successivè Xantippe patinas poliat! & calices eluat! Factum est; ad alia.

Duo sunt lætissimi cum Vxore dies, unus quando ducitur, alter quando mortua effertur. teste Teodecte.

In composito Materia & forma non sunt duo, sed unum.

Beata censentur Conjugia si primâ fronte spectentur, maximè ob effectus præcipuos qui ab hoc fonte promanant; quos paucis à Xantippe ac Socrate accipe. I. *Vnitas Duorum.* Nam Petrus Chrysol. ser. 99. de Conjugibus: quos Deus conjunxit, Natura sociat, & facit Deus ut sit Homo unus duo, duo unus alter ipse homo. Vides Duos in uno? singularitatē in ambobus? dualitatem in unitate? ò matrimonij arcana duitas, in singularitate! Sic etiam *in Composito materia & forma non sunt duo, sed unum.*

MCCCCL. II. *Communicatio bonorum*, quæ consistente Matrimonio industriè adveniunt. Nam Romuli lex ista fuit: Mulier viro legitimè cōjuncta, fortunarum & Sacrorum socia illi esto, atque domûs ille Dominus, ita hæc Domina. Unum habent ærarium, & quas Xantippe mulget ex vacca pecunias, & quas è sudore vultûs Socrates.

Accidentia non subjectantur in materiâ, non in formâ, sed in toto composito.

Ita etiam *accidentia* seu entia *supervenientia*, nec ad materiam solam nec ad formam pertinent, sed *in toto Composito* colliguntur & subjectantur. III. *Spes prolis.* Ne time; Socrates & Xantippe steriles non sunt, quia utraque est *Natura*, quæ à Nascitura nomen habet, & quidem Forma magis quàm materia. Primo partu *Gemini emanarunt*, Jacob & Esau, *Quies & Motus*.

Natura est principium motûs & quietis.

Natura enim est principium motûs & quietis, ejus in quo est per se. Fratres uterini sunt, contrarij tamen saltē *Privative*, seu *sicut via & terminus via.* Unus in partu tenet plantam alterius: quia nec motus datur sine suo termino qui est quies, nisi velis procedere in infinitum, nec quies acquiritur sine motu prævio. IV. *Novus fervor in fide conjugali.* Fit non semel, ut quæ solutis habenis prius in omnem ferebatur libidinem fœmina, post Matrimonio juncta, incipiat uni fidem & amorem servare Viro constantissimè; scilicet, quantum fœminea fragilitas permittit. Xantippe in hac navi est.

Materia non potest simul duas formas substantiales suscipere.

Indifferēa prius ad omnes formas, postquam Socrati fidem dedit, servavit: etsi non diu. Solicitatorem non admisit alium, formam *substantialem* nullam præter unam Socraticam; dicens duas formas Substantiales in uno Composito physico stare non posse. Tentarunt aditum Formæ quædam Partiales, pulsarunt Xantippes ostia, perdiderunt simul cum Socrate hospitij jura: Verum fidum Socratis delitium sic respondit: Elige (quisquis es) de vacuis, quam non sibi vendicat alter; si nescis, dominum res habet ista suum. Præventa est materia ab alio amatore Socrate; serò veniunt quæcunque aliæ formę substantiales, pręsertum partiales; nec mirum, claudicant enim, & dicuntur substantiæ imperfectæ. Procul hinc; Socrates aut Cæsar esse vult, aut nihil.

Nō dantur formæ partiales.

Lux lunæ à Sole: materiæ à formâ.

V. A Sole Luna, à Socrate Xantippe lumen habet. Apta sanè comparatio. *Eclipsim rarò patitur sol, luna frequenter; Et est magis ad lapsum fœmina prona viro.* Cæterum inter effectus matrimonij recenset I. C. quod fœminæ coruscent radiis maritorum; hinc reverentia quæ debetur viro, impenditur & uxori. Nempè vertigine laborat fortuna, quid agat nescia: quæ priùs in fundo hæsit situla, in summo dispensat aquam; sic serva fit Domina, & honoribus à Socrate derivatis, Xantippe fulget irradiata; & materia quæ fuit potestate omnia, per consortium Formæ actu est omnia. Beata, ni fallor, sunt conjugia, si semper eo quo cœperunt fluant alveo. Sed exitus acta probat, nil lauda solis ab ortu; sæpè bono auspicio finis amara venit. In flumine unda undam trudit, procella procellam; sic in conjungio vexa vexam. Dispone humeros bone Socrates; in tuo jam ludus paratur corio.

Patientia Per Forza.

Quando susque deque feruntur omnia.

Hessanam ast, Paciencia por fuerça. MCCCCIL.

SOcratis clamat HVI, Xantippe respōdit PFVI: Echo fidelissima! Redivivam volo Empedoclis opinionem, qui *litem & amicitiam* docuit esse unica rerum naturalium *principia*. Rectè, si litis nomine Xantippe veniat, sub amicitia Socrates *Materia* namque est *Potentia Contradictionis.* Forma verò sicut esse suum dat materiæ & composito, ita enixè conatur idipsum conservare pacificè, semperque frui tranquillitate connubiali, dummodo per injurias materiæ liceret.

An lis & amicitia sint principia rerū naturaliū?

Materia est potentia ad terminos contradictorios & ad incompossibiles. Forma dat esse materiæ.

Verùm, qui capit uxorem, litem capit atque dolorem; qui caret uxore, lite caret atque dolore. Xantippe quoties loquitur, obloquitur. Conjuges etiam quando domi sunt, in foro sunt, intellige Contentioso. Novi ingenium mulierum, Poëta dicit: Nolunt quod velis; volunt, quod nolis. Parum diserta est uxor illa, quæ, absente marito, vel cum pileo domi pendente contendere non potest. Insigne Contradictionis exemplum recenset Pogius de muliere, quæ cum virum aliquando Pediculosum vocasset, nec quibuscunque verberibus, ut eam contumeliam retractaret, adduci potuisset, [contusa enim indurantur ampliùs, & uxor quò magis cædebatur eò vocaliùs, ut æra percussa solent, Pediculosum inclamabat] vir tandem verberando lassus, uxorem in puteum demisit, immersurum suffocaturumque se illam minitans, ni linguam corrigeret, & improperium retractaret: at illa instantiùs perstabat, etiam ad mentum usque immersa. Cujus rei indignatione vir motus, in puteum illam adusque verticem depressit. Verùm illa cùm loqui non posset aquis præfocata, prolatis ultra caput manibus, junctisque pollicis utriusque unguibus, tanquam si pediculos petimeret, quia verbis non poterat, signo gestuque marito extrema verba dedit, & sic tandem contradictionis spiritum exhalavit. Potens non minùs in contradicendo Xantippe, contentiosa Materia: ex eo quia ipsa est *ad esse & non esse Contradictionis potentia.* Scilicet jucunda sunt conjugia, ut tecta jugiter perstillantia; ut fumus & pugnus ad oculum.

Materia insidiatur formæ.

Meteora plura sunt in Socratis domo, quàm in Elementali cælo: Xantippe tonat; fulgurat, ignis fatuus, capra saltans, fulminat, pluit, grandinat: &, quod mirère, Socrates supra nimbum & nubem est. Meteora.

Cum

Cum enim Xantippen diu rixantem detonantemque audiisset aliquando in ædibus, furori cedendum ratus, fessus cōsedit ante fores ipsius domûs. Illa, magis irritata viri tranquillitate, balneum paravit, lotium, & in caput Socratis de fenestra profudit. Nonne meteoron hoc est, quod de sublimi venit! Meteoroscopus erit Socrates, si ad fenestram suspexerit. Riserunt insigniter qui prætereibant, Viri miseriam; sed & ipse corrisit dicens: Facile divinabam, post tantum *Tonitru* secuturam esse *pluviam*. Sic Socrati suus scaturit fons cutarum: quibus tamen non magis offendebatur, quàm si rotæ, quæ aquam ducit è puteo, stridorem audiret. Ab assuetis non fit passio: faber delectatur malleo. Magnum iter ad doctas proficisci non cogitur Athenas, qui *Philosophiæ gymnasium & patientiæ palæstrā domi habet*. Sedit ad mensam aliquando Socrates cum Alcibiade Philosopho; stabant vasa vitrea, testea, potus, fercula. Xantippe stimulante malitiâ succedit mensæ, tabulam evertit susque deque; vasa frangit in mille frusta. Heus! materfamilias: hoc est multiplicare entia sine necessitate! Non movetur Socrates: quin potiùs excusat factum: ut verum sit quod de ipso refert Plin. lib. 7. Socratem clarum sapientia, eodem semper visum vultu, nec aut hilari magis, aut turbato. Sed ludrica sunt hæc, ad seria veniamus.

Sol Occidit, Socrates!

Abibis; vasa collige; peribis.

X*antippe Radix Corruptionis est: ò mala Herba!* Post tres sæpè dies vilescit piscis & hospes, vilescit & Socrates. Ut vagum est Materiæ ingenium, ita eidem semper Formæ cohabitare censet gravissimum. Renovare vult juventam, & pro suo libitu alteram deperire formam. Nec media desunt: est enim illa Radix Corruptionis, imbecillitatis, senij & interitûs. Hoc medijs Xantippe non caret, quibus è medio tollat Socratem. Nam si fœminæ sunt ad bona consilia paupertimæ, malorum tamen omnium sunt artifices sapientissimæ. Et malum quod semel destinavit adultera & fœdifraga, ut inducere possit, Acheronta movebit. Principio tamen laneis incedit Xantippe pedibus, ne Socrates periculum suboleat: admittit clanculùm fovetque in sinu *pravas Dispositiones*, ut vitæ Socratis insidientur, ac tandem aliquando Fatis concedere jubeant. Sed non cedit his malis, qui fortior est: & suas habet Socrates familiares ac temperatas dispositiones, quæ non segniter contrariis resistendo, fugant eas pelluntque. Nondum vita Socratis in fundo est; emerget, ni Xantippe majores fluctus capiti superinducat. Jam parat. quid? pabulum mortis: aconita coquit *mala herba*: parat Socrati, ut cum morte extremùm epuletur. Invenerunt alij sagacissimi Rerum scrutatores varia; hoc tamen Diodorus refert Hecatem fœminam omnium primam *aconitum* invenisse, & ad venena mortifera conficienda summum studium operamque impendisse. Nam cum fœminæ sint naturâ debiles ac timidæ, neque audeant aperto Marte congredi, pellem vulpinam induunt, cum leonina deest; nocent, ut possunt, aut veneno aut fraude. Verè si Philosophia meditatio mortis est, Xantippe magistra est. Audio: ut canit Socrates! Qui est sub conjuge, sub jugo premitur, & mori cupiens languere cogitur: hic dolor maximus & pœna dicitur, ut rubus ardeat qui non consumitur. Xantippen capiens hic mortem accipit, dum putat vivere jam mori incipit. Expertus cecinit Socrates, at serò nimis. I nunc sarcinulas collige; sic jubet Radix corruptionis Xantippe. Male profectò juncti sunt calami & junci; corbem texere ac dare viris, fœminarum quidem fuit semper; at arrepto calamo, fœminis libellum Repudij scribere, virorum est. Inversus cum Xantippe mundus, si fœmina libellum repudij scribit Socrati. Scripsit, scripsit: apertè cum est mala mulier, dum demum bona est. Ariadna Zenonis Imp. Uxor, cum ille, nescio quo morbi genere, pro mortuo habitus vivus in tumulo fuisset depositus, & ex eodem lamentabiliter auditus esset domesticos implorare: prohibuit illa ne quis monumentum aperiret, & sic propriam aliquamdiu depascens carnem Augustus, periit. Maneat ergo Radix omnium malorum, Uxor mala; Sentina corruptionis Materia, nomine ac re fœdifraga & sanguinaria.

Materia origo corruptionis.

Dantur dispositiones pravæ.

Fœmina aconitum invenit.

Zeno vivus mandatur sepulturæ.

Audite Cives: Testamentum condit Socrates. Xantippe, causa meæ mortis unica, in divisione bonorum suam chartam Biancam, suum propè Nihil, in solidum recipiat; de Bonis Socratis, nec mica ipsi remaneat: spolietur omni decore, ut sic ad nihilum redeat quæ fuit antè nihil: hoc est, [ut Philosophicè loquar & moriar:] *In Corruptione mea substantiali, fiat Resolutio usque ad materiam primam.* Dixit, Vixit. Cadaver exanime rubeas tenuit sat diu genas; dispositio membrorum & varietas colorum adeò venusta, ut alij quidem putarent adhuc vivere, alij verò ad sensum nimis creduli, hoc saltem dicerent, *eadem numero* remansisse accidentia in corrupto, quæ fuerāt in genito. *Sensus* crederet idipsum hodieque, nisi eum *Ratio* correxisset.

In corruptione substantiali fit corruptio usque ad materiam primam.

Xantippe, longum Vale dixit Socrati, & Instantaneum Avoveve Conjugi. Non commoritur Socrati Xantippe? Nequaquam. *Incorruptibilis est Materia.* Apud Indos & Garamantas inveniuntur uxores, quæ mortuo marito certatim commori desiderent; ut scribit Osorius: hæ certamen habent lethi, quæ viva sequatur conjugē; pudor est non licuisse mori. Nostris in terris rara est hæc avis. At saltem lacrymas Xantippe funderet: quas? non habet nisi Crocodili. Ergò longum (cur non æternum? quia remanet appetitus materiæ etiam ad Formam præteritam) Vale Socrati; & momentaneum Ave formæ advenienti: quia *Generatio est mutatio instantanea.* Sed annon maturæ nimis hæ Nuptiæ! nondum perfectè intepuit maritus defunctus! Nihil novi; quædam, viventibus adhuc viris, nubunt. Paucæ vivis conjugibus fidem præstant: quis ergo virorum gelido etiam cineri suo fidem poscat, fidem ajo uxoriam vitro fragiliorem? Raræ sunt, eat nni etiam, quas Honestas dicunt, quibus non super præsentem conjugem, alter jam animo desponsatus sit. Lubricus & præceps Amor est.

Materia est incorruptibilis.

habet appetitum etiam ad formam præteritam.

Iam

Impossibile est materiã primam carere formâ.

Inter eas Virgines Xantippe numerari debet, quæ non possunt meminisse se fuisse virgines. Nullum est assignare temporis instans, quo verum sit dicere, Materia Virgo aut Vidoa est; ne quidem in prima sua Creatione. Nam tunc matrimonio primùm juncta, id est Concreata fuit; ab eo tempore semper habet virum, & habebit semper, quamdiu vixerit; *quia nunquam caret omni formâ Substantiali.*

Materia sublunares non distinguuntur specie.

Fœmina nulla bona est, quæ sub Cœlo est. A fœmina nihil fœmina unquàm discrepat. *Sic Materia Sublunares omnes sunt ejusdem Speciei*, differuntque tantùm numero: Omnes Potentia contradictionis, & Radix corruptionis. Et Salomon hoc vidit, quando virum de mille unum bonum reperit, Mulierem verò Nullam. Non datur Electio melioris, ubi pessima sunt omnia. Igitur transilio Lunam, & bona Cœli contueor.

Materia cœlestis est determinata ad unã formam.

Xantippe tunc tandem Bona est, quando in Cœlo est. Fiunt Vota sæpè jocoseria: Unnam! Xantippe mea in cœlo esset! invideo Terram Uxori, Cœlum peto. Favete Superi. Quæ tantorum causa Votorum? Precibus in Cœlum levare volunt Conjugem, ut Viris è Purgatorio liceat in terras remeare. Nam, quid dicam breviter esse Conjugium! Nil præter Tartarum vel Purgatorium: non est in Tartaro quies velorium, nec Dolor conjugis habet Remedium. Ergo Xantippe seu Materia prima in Cœlo est? Ergò tandem bona est? Est utrumque. Volve cœli volumina, invenies *Potentiam ad Ubi & ad Esse.* Vide, quomodo *Radix* amara *transplantata* dulcescat! Xantippe in cœlo nec *Potentia Contradictionis* est, nec *Radix Corruptionis*, nec *fœd-fraga*, nec esurit nec sitit ampliùs, quia tandem à Forma cœli tota ipsius *Capacitas* expleta est, sedato *Appetitu*. Quàm bonum & jucundum, Formam & Materiam Cœli habitare in unum! Nubie felicissimè qui Cœlo nubit.

Hæc ego de Conjugio Philosophico. Nunc taceo, & de Morali ac Domestico Matrimonio, Expertis se disertis Viris & Uxoribus, loquendi spacium relinquo.

APPROBATIO

Disputatio hæc, salvâ fide, & morum honestate, Principia corporis naturalis, sub elegantissima Metaphora, admodum facetè & doctè explicat; ita ut Lectores non solum bene erudiat, sed mirè etiam delectet.

Meritò igitur publici Iuris fit.

P. Carolus Iacobus, ex Monte Sancto, SS. Th. Doct. & Professor, Universitatis Procancellarius.

POSITIONES METAPHYSICÆ.

VITAM ET DOTES BEATISSIMÆ VIRGINIS MARIÆ DILUCIDANTES.

THESIS I.

De ipsa Philosophia?

Quid sit Philosophia?

Multæ sunt Philosophiæ definitiones. Ab Ethicis *Mortis Meditatio* illa dicitur: à Physicis *Natura contemplatio*: & à nobis hodie *Mariæ cognitio*: quæ definitio, aut descriptio, si malis, duplicem sensum habet, & in utroque est bona. Primò enim *cognitio Mariæ*, ita potest exponi, ut sit cognitio, quam Maria habuit: & secundo ita ut sit quam nos habemus de Mariâ: & respectu prioris cognitionis Maria est intelligens, & respectu posterioris intellecta.

Maria intelligens: Maria intellecta.

THESIS II.

An Deipara sciverit Philosophiam? hoc est, Logicam, Physicam, & Metaphysicam?

MCCCCV. *In Mariâ omnes Scientiarum habitus sunt infusi per accidens.*

Placet B. Antonini sententia, qui 3. *part. tit.* 15 *c.* 19. §. 4. Mariam omnibus habitibus Scientiarum naturalium (Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ: has enim Facultates intelligemus nomine Philosophiæ) decorat & exornat: allegatque Albertum, & alios. Hanc eamdem sententiam habuit Jacobus Constantinopolitanus *tract. super Magnificat.* Hanc etiam P. Suarius *disp.* 37. *tract.* 5. Et in Tannerus *tom.* 4. *disput.* 2. *quæst.* 1. *dub.* 3. forti ratiocinio confirmat, arguendo; *Probatur.*

ait enim : [Beata Virgo omnibus, non solùm hominibus, sed etiam creaturis prælata : Ergo si Adamo omnium scientiarum habitus sunt infusi : etiam Beatissimæ Virgini fuerunt ; & præsertim, cùm illis indiguerit ad perfectam Sacræ Scripturæ intelligentiam, & morum scientiam, quam habuit, ut omnes Doctores affirmant.] Ergo Beatæ Virginis scientia (hoc est, scientia, quam habuit B. Virgo) integram Philosophiam complectitur, & hoc nomine meritò definitur : aut si nolis discedere à vocum rigore, describitur.

THESIS III.

De Marianâ Dialecticâ.

MCCCCVI. *Argumentationum modi anomali: Quæ de bonis?* HÆrent communes argumentandi formæ, cùm ad Mariam venitur : est enim ipsa Omnipotentiæ prodigium, & cùm disputatur de illâ, valent argumentationes prodigiosæ. Concepta est sine maculâ, & ut veritatem hanc probet subtilissimus Scotus, sic arguit.

Et decet : Et non repugnat : Ergo est : quam quidem argumentandi formam, cùm de Mariâ agitur efficacissimam, objecta alia non tolerant : nam, etsi D. Petrus sit Apostolorum omnium Princeps, non patitur, ut argumenteris, *Erat decens, imò & obligatorium sub peccato mortali, quòd non negasset Christum ; Et non repugnabat, quod mansisset fidelis : Ergo non negavit Christum.* *Logica Mariana est singularis.* Ergo Dialectica, quæ efficax est, cùm agitur de Matre-Virgine, specialis propriaque, quæ non vult in aliis materiis servire.

Ascensus ab uno. Ascensus ab uno à Dialecticis bonis rejicitur, præcipuè si materia sit libera, & cùm de Divâ disputatur, fortissimus & efficacissimus est. Hi sunt Ascensus mali :

Ignis est calidus :
Ergo etiam nix.

Augustus Cæsar fuit clementissimus :
Ergo etiam Caligula & Nero.

Philippus est Hispaniæ Rex,
Ergo etiam Fridericus.

boni autem isti :

Horum Ascensuum efficaciam demonstrat ratio & testimonium Suarij, quod dedimus Thesi I.

Adam habuit omnium scientiarum cognitionem infusam :
Ergo etiam Deipara.

Salomon, cùm dormiebat, philosophabatur :
Ergo etiam Diva, dum dormire videbatur, vacabat Philosophiæ Divinæ.

Talis aut talis Sanctus habuisse dicitur usum rationis in primo suæ conceptionis instanti :
Ergo & Angelorum Regina.

Hæc est Dialectica securissima & efficacissima ; quâ plurimi Doctores utuntur, & inter illos uberiùs & frequentiùs Bernardinus Senensis *Serm. 61. de Beatiss. Virg. Mariâ. cap. 2. art. 1.* Vignerius *Institut. cap. 5. §. 3.* Cajetanus *quæst. 27. art. 3.* Suarius *disp. 4. sect. 7.* Vasquez *disp. 119. cap. 3.* & tandem Conradus Calmelet, *qui in Philosophia Deiparæ Thesi IX. sic infit. Adam potuit : Salomon potuit : S. Catharina potuit : Ergo & Beatissima Virgo potuit.* Considero illud *Ergo*, ut unde nascatur inquiro. Et Thesi XXVIII. ex hoc illud fundamentum oriri ait : nimirùm, *Non est denegandum B. Virgini privilegium, quod aliis Sanctis concessum fuit.*

THESIS IV.

An, qui Mariam bene cognoscat, totam Philosophiam : aut etiam, omnes Scientias percalleat?

MCCCCVII. *Resolutio.* TOtam callet omninò Philosophiam, qui Mariæ perfectiones naturales cognoscit : & qui ejus morales & supernaturales prærogativas complectitur mente, omnes Scientias. *Suadetur.* Et cur : Quia Maria est omnium perfectionum fasciculus, & prodigiosum quoddam totius mundi compendium.

Maria inter purè humanas creaturas perfectissima. Ut hoc probem, duæ rationes succurrunt ; altera generalis, & altera specialis. Generalis ab hominis perfectione desumitur, qui continet omnium creaturarum prærogativas, & cùm Maria sit inter creaturas humanas perfectissima, hæc generalis ratio speciales vires habebit, si de illâ agamus. Et quidem in homine omnium creaturarum dotes & perfectiones reperiri, didici ab Ethnicis, didici à Patribus. Sanè illi Substantiæ categoriam, & vires Rationalis Animæ dilucidantes, multa dixerunt, quæ possent nostram sententiam confirmare ; sed eadem recensere non vacat. *Gregorius Magnus religiosus, Magnus Philosophus, & Magnus Pontifex.* Ad Patres venio, Et quia S. Gregorius, quia Magnus, quia Benedictinus, & quia Pontifex Summus, præ multis aliis colitur & suspicitur, unam aut alteram periodum ex ejus Homiliâ XXIX. decerpo : expositurus enim illa Christi Domini verba, *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ* : sic inquit : [Nunquid, fratres mei, sanctum Evangelium, vel insensatis rebus, vel brutis animalibus fuerat prædicandum, ut de eo discipulis dicatur, *Prædicate omni creaturæ.* *Homo est omnis creatura ? & cur ?* Sed *omnis creaturæ* nomine signatur homo : omnis autem (enim) creaturæ aliquid habet homo. Habet enim commune *esse* cum lapidibus : *vivere* cum arboribus ; *sentire* cum animalibus : & *intelligere* cum Angelis. *An perfectio aliqua sub coelo, quâ careat homo ?* Si ergo commune habet aliquid cum omni creaturâ homo, juxta aliquid omnis creatura est homo. Omni ergo creaturæ prædicatur Evangelium, cùm soli homini prædicatur.] Sic Gregorius : cujus ratio adhuc fortior evaderet, si diceremus omnem materialium creaturarum perfectionem inveniri in homine. Et hanc ob rem tenemus hodie omnes differentias distinctivas, quæ alias rerum genera distinguunt, ab homine nullam importare positivam & realem perfectionem.

MCCCCVIII. Præter hanc rationem, quam fore communem prædixi, licet specialea vires habere dignoscitur, cùm agitur de Matris-Virginis prærogativis, alteram promisi specialem ; & ut liberem fidem, illam addo.

Melleus

Melleus Bernardus (aut, quicumque sermonem super Salve Regina, quod Iacobus Merlonus Horstius tom. V. Operum S. Bernardi. pag. 288. posuit, author est) ex divinis & humanis literis multa congerit, quæ possunt huic argumento prodesse. Sermonem secundum sic incipit:

Si lingua centum resonarent, ora q; centum,
Ferrea vox mihi, nil Mariâ tibi ducere dignum
Possem. Est Stella maris, quæ Virgo beata vocatur.

Sermonem autem tertium sic:

Io freta dum fluvii current, dum montibus umbra
Lustrabunt, connexa polus dum sydera pascet,
Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt,
Spes mea, Virgo pia, Virgo sacra, Virgo Maria.

An Maria omnes perfectiones comprehendat Et post pauca omnium elementorum, plantarum, animalium, hominum, cœlorum, Angelorum aliarumque omnium creaturarum perfectiones in Divâ reperiri edisserit brevibus his, & multa, aut omnia potiùs comprehendentibus verbis. [Posuit in hoe Firmamento Deus Solem & Lunam) Christum *Cæli super naturalis Sol & Luna.* & Ecclesiam, & stellas prætogatinas gratiarum multas. Laudamus Dominum in Sanctis eius. Firmitas, robur & constantia & fortitudo mentis eius, quia mundi contempsit gloriam, carnis calcavit illecebras. Virtus est Altissimi, de quâ scriptum est; *Et virtus Altissimi obumbrabit tibi.* *Maria cœlum & firmamentum.* Non solùm autem cœlum & firmamentum, Domina rerum intelligitur, sed alijs nominibus convenienter appellatur, & rerum vocabulis *Quæ à nomi designatur.* Ipsa tabernaculum Dei, ipsa tem*na sunt prærogativa & perfectiones in Mariâ!* plum, ipsa domus, ipsa cubiculum, ipsa thalamus, ipsa sponsa, ipsa filia, ipsa area Diluvij, arca testamenti, urna aurea, ipsa manna, virga Aaron, vellus Gedeonis, porta Ezechielis, civitas Dei, ipsa cœlum, ipsa terra, ipsa sol, ipsa luna, & stella matutina, aurora ipsa & lucerna, tuba & mons, fons quoque hortorum, & lilium convallium. Desertum ipsa & terra repromissionis lacte & melle manans, stella maris, navis quoque, via in mari, sagena, vinea, ager, area, horreum, stabulum, præsepe, subjugale, apotheca, aula, turris, castra, acies, populus, regnum, sacerdotium. Ovis est, pascua est, paradisus est, palma est, rosa est, fluvius est, porus est, columba, est, columna est, vestis est, margarita est, candelabrum est, mensa est, corona est, sceptrum est, panis est, oleum est, vinum est, arbor est, virga est, cedrus est, cypressus est, platanus est, cynamomum est, balsamum est, myrrha est, thus est, oliva est, nardus est, crocus est, fistula, calamus & storax est, suror & mater est. Et ut breviter concludam, de hâc & ob hanc & propter hanc omnis Scriptura facta est, propter hanc totus mundus factus est: & hac gratiâ Dei plena est, & per hanc homo redemptus est. Verbum Dei caro factum est, Deus humilis, & homo sublimis.] Hæc omnia *Probatur conclusio.* Melleus Doctor. ex quibus hoc ego conformo ratiocinium. Nulla est creata perfectio, quæ non sit in Mariâ: ergo, qui solam Mariam benè cognoscit, omnes omninò perfectiones cognoscit. Ergo Philosophia Mariana (hæc est illa notitia, quæ Mariam contemplatur) omnes scientias naturales & supernaturales complectitur.

THESIS V.

De Ente Mariano, & eiusdem transscendentiâ & analogiâ.

Conceptus Entis creati, quidquid de increato sit, sumi solet dupliciter: substantivè & adjectivè. Substantivè est analogum & non transcendit ultimas rerum differentias: adjectivè transcendit. Si transcendentia tollit univocationem (quod multi dicunt, quia semper illa ratio per quam discrepant, est etiam ratio conveniendi) Ens adjectivè sumptum nun est univocum. MCCCC IX. *Virtùm Ens sit transcendens, & univocum.*

Inter Mariam consideratam ut Ens, & cæteras omnes creaturas [Angelicas, corporeas, humanas] datur analogia, proportio, similitudo, non æqualitas. Marianæ multæ perfectiones etiam in illis reperiuntur; at, quæ eminenti modo reperiebantur in Mariâ, illæ ipsæ congruo modo reperiuntur in cæteris. *An Deipara conveniat univocè, æquivocè, aut analogicè cum cæteris creaturis*

Etiam sunt in Mariâ aliqua, quorum vix umbram in cæteris creaturis, & præcipuè terrenis, reperias. Fuit particulari privilegio præservata ab originali peccato, in quo ab Angelis, ab Adamo ipso, & ab hominibus universis distinguitur; nullum peccatum vel leve totâ vitâ commisit, in quo etiam distinguitur à nobis. Ex his duobus privilegijs suborta fuerunt multa, quæ vel non reperias in nobis, vel si reperias, potius ad æquivocationem, quàm ad analogiam aut univocationem reducas.

THESIS VI.

De Entis Mariani passionibus & attributis.

Veritas, Bonitas & Unitas attributa sunt Entis: & singula diversimodè solent exponi. Sequar communem Metaphysicorum opinionem, & dicam, Veritatem esse Entis cognoscibilitatem: Bonitatem esse ejusdem amabilitatem: & Unitatem esse ejusdem indivisibilitatem. MCCCCX *Attributa Entis.* *Veritas, Bonitas, Unitas.*

Et quidem maximè vera est Deipara, quoniam maximè cognoscibilis: tot enim suam potentiam manifestat prodigijs, ut qui illam ig[illegible]r, cœcus est. *Maria vera.*

Maria bona. Eadem Virgo maxime bona est, quia maximè amabilis: qui enim tot munerum favorumque collatricem non amat, lapis est.

Quid sit Unum? Unum est indivisum in se, & divisum à quo libet alio. Nos in binos divisi homines, vix uni sumus. Duas leges Paulus sentiebat in se ipso inter se repugnantes; volebat invitus, involuntarius rapiebatur; & erat nobis similis, qui similes miserias patimur. *Maria una.* Sed Maria à quâcumque fragili creatura condistincta & divisa integerrima fuit atque adeo una, unica, & si liceat sic loqui unissima creatura fuit: quam ob rem ab Ecclesiâ *Virgo singularis* nominatur. *Virgo singularis.*

THESIS VII.

De Ente rationis Mariano.

DUæ quæstiones succurrunt; altera, *An Maria sit Ens rationis?* altera, *An illa Ens reale sit, sed nihilominus Entia rationis fabricetur?* Et, ut utramque expediam, *Quid Ens rationis sit?* debebo necessariò præmittere.

Quid sit Ens rationis: Ens rationis est objectum mentis, quod neque est, à parte rei, neque esse potest: ideò dicitur habere suum esse in intellectu, & esse subjectivè nullibi. Et quidem nostri ævi Metaphysici plurima rationis Entia admittunt. *Quotuplex sit?* Qualia sunt, Nihilum positivum: Idola positiva rerum impossibilium: Compositio rerum incompossibilium & repugnantium: Rationis relationes, distinctiones, & prioritates: & Denominationes extrinsecas. Et nos rejicimus omnia rationis Entia, & asserimus ea esse exorbitantias linguæ. *Entia linguæ.*

Quid si darentur? An in tali casu Maria & Christus essent Entia rationis? Essent, si Hircocervus, Hippogryps, Mons sine valle, & id genus similia Entia rationis dicerentur: non enim magis incompatibiles termini sunt hi, quos Paralogici ponunt; quàm isti, *Redempta & Immaculatè concepta*, *Virgo & Mater*, *Immortalis & Mortua*: qui verificantur de Mariâ: nec magis sunt repugnantes quam isti, qui verificantur de Christo; videlicet, *Creator, Creatus: Æternus in tempore productus; Immortalis mortuus; Immensus captus; summus subjectus; Cibus esuriens; Aqua sitiens*; &, ut omnia verbo comprehendam, *Deus homo*. *Resolutio ex hypothesi.*

Sunt omnia realia & possibilia, quæ entia rationis dicebantur. Dico igitur Hircocervos, Centauros, Minotauros, Satyros, Tritones, Syrenes, Galatheas, Hippogryphes &c. non esse Entia rationis, sed monstra quædam possibilia ex unione diversarum naturarum resultantia; ex unione inquam, hypostaticâ, identicâ aut integrali; quia tam absunt à repugnantiâ hi conceptus, ut potiùs possibiles sint pluribus modis. *Virgo-Mater.* Concludo Virginitatem Maternitatemque, posse miraculosè conjungi: addo Innocentiam, si non possit cum redemptione liberativâ, posse cum præservativâ componi: &, quia omnia subsunt Omnipotenti Deo, quæ naturaliter sunt immortalia, posse miraculosè adnihilari; & quæ naturaliter sunt mortalia, posse miraculosè perennare generosè & sincerè pronuncio. *Redemptio duplex.* Et transeundo ad Christum; Divinitatem Humanitatemque hypostaticè unitas Fidei docet, & miracula quotidiana confirmant. *Cur Christo conveniant contradictoria prædicata?* Hinc ortæ Antitheses, solâ naturarum distinctione eliduntur, quando enim termini contradictorij de Christo Domino verificantur, alter respicit illum quà Hominem, alter quà Deum.

Ostendimus *Deum-Hominem*, & *Virginem-Matrem*, non esse Entia rationis, sed esse entitates veras reales, non possibiles solùm sed etiam existentes à parte rei: & inquirimus, *An ipsi Entia rationis conformare potuerint?*

Entia rationis formantur cognitione imperfectâ. Fingendi Entia rationis vis, ut nunc asseverare placet, ex cognitionis imperfectione suboritur: non enim possibilis est dilucida & perfecta cognitio, quæ res intelligat aliter quàm sunt in se. Deus igitur, cùm habere notitias rerum imperfectas non possit, non poterit Entia rationis conformare sic statuimus contra Gellium & alios veteres & recentiores, sequuti Suarium *disp. ult. Metaph. sect. 2. num.* 14. Idem dici debet de Christo Domino quà Deo.

Et quid de illo quà homine? S. Leo Papa Serm. 1. de Nativitate sic inquit: *Omnipotens Dominus cum sævissimo hoste (* Diabolo *) non in suâ majestate, sed in nostrâ congreditur humilitate, objiciens ei eamdem formam eamdemque naturam; mortalitatis quidem nostræ participem, sed peccati totius expertem.* Ex quibus verbis hoc breve ratiocinium conficio. [Omnes imperfectiones humanæ naturæ habuit Christus sublato peccato. At posse conficere Entia rationis est imperfectio, quæ nullum involvit peccatum: potuit igitur Christus Entia rationis fabricari.] *Qualem naturam adsumpsit Christus? Peccare non potuit. At potuit Entia rationis conformare.*

De Serenissimâ Angelorum Reginâ eodem modo philosophari possumus: ejus enim Animâ specie cum nostris convenit, & nulla succurrit ratio, quæ impediat, ne Intelligat moliaturque Entia rationis. *Quod ipsum etiam potuit Domina.*

At quia Christi & Mariæ mentes erant Deo plenæ, & radijs omnium Scientiarum illustratæ, dicendum est in hoc sensu composito neutram potuisse imperfectè intelligere, adeoque nec entis rationis conformare. *Resolutio.*

THESIS VIII.

De Ente possibili Mariano.

OMnipotentiæ Thesauri divites & opulenti sunt, & in ipsis Entium infinita Systemata, & in singulis infinitæ Categoriæ, quarum singulæ habent infinita genera & *Systemata prædicamentalia: genera & species.* inn-

An creaturæ Possibiles sint infinitæ?

innumerabiles species. Et quidem, cùm Enti possibili infinitatem adscribo, non de categorematicâ, quam vocant, hæc enim in creaturis impossibilis est; sed de syncategorematicâ intelligendus sum.

Cùm Adamum condere vellet Deus, intelligentiâ simplici cognovit innumerabiles alios homines, quos producere potuisset, si voluisset. Vocemus Adamum Hominem A. & cæteros B. C. D. &c. Cognoscens Deus Hominem A. cognovit etiam ejus posteros ab ipso naturali defluxu processuros: & cognoscens Hominem B, etiam cognovit hujus posteros, qui per gradus & genealogias descenderent, si ille produceretur. Et quia stando cursui naturæ effectus unius causæ ab alterâ non possunt procedere, videbat Deus nullum ex posteris Hominis B esse producendum ab Homine A; & nullum ex posteris Hominis A esse producendum ab Homine B.

Effectus unius causa non possunt naturaliter ab aliâ procedere. N. B.

Decreto infinitè libero Deus elegit Hominem A, & Homines B. C. D. E. &c. in meræ possibilitatis thesauro hærere jussit. Creat Adamum, & iste perpetrato crimine omnes suos posteros commaculat: omnes inquam, non solùm futuros, sed possibiles: omnes enim totius illius genealogiæ homines incurrerunt peccati originalis debitum, vi cujus, si generarentur actu, actu etiam id peccatum originale incurrerent. Quam ob rem, si verè dixero, *Si Fornellius duxisset uxorem habuisset filiam R*; etiam verè subjunxero, *Homo R. est purè possibilis, & ad genealogiam & posteros Adami spectat: habet debitum incurrendi culpam originalem: &, si de facto fuisset genitus, illam incurrisset de facto.*

An Adamus Peccato suo omnes possibiles homines commaculaverit?

Condoluit naturæ Humanæ lapsæ Deus, illamque redempturus carnem humanam vult adsumere, & à fœminâ nasci. Sed à quâ purissimus & immaculatissimus? à Virgine purâ & immaculatâ. At in totâ Adami genealogiâ, in omni possibilium posterorum Adami serie, nulla erat creatura pura. Peccârat Adam, & posteros omnes infecerat. Convertit igitur oculos Deus ad Hominem B, quem creare potuit, cùm produxit Adamum: ad Hominem, qui non fuerat, adeoque non peccaverat: ejus posteros intuetur, & omnes immaculatos esse reperit, & ex illis eligit personam M. hoc est, Mariam: quæ stando naturali cursui rerum, erat non futura; non enim pertinebat ad genealogiam & posteros Hominis A (Adami) à Deo producti; sed ad posteros Hominis B nondum producti. Hanc ergo miraculosè ad posteros Adami transtulit: [licet enim causa A non possit naturaliter producare effectus causæ B, illos potest producere miraculosè & supernaturaliter.] hanc implantavit Joachimi & Annæ lumbis etiam miraculosè, & jussit ab his causis procedere, à quibus nunquam omninò processisset, si non interfuisset miraculum.

Nota id attentè.

Exponitur exceptionis immaculatæ prodigium.

Caramuelis Metalog. Lib. X.

THESIS IX.

De Prædicamentis Marianis.

SUb unico conceptu Entis decem prædicamenta collocantur: videlicet. *Substantia, Quantitas, Qualitas, Relatio, Duratio, Actio, Passio, Vbicatio, Situs, Habere.* An ne iste sufficit numerus? Congruus est, & jam à plerisque receptus, & sufficiens, me judice, ut omnes realitates complectatur.

De numero Prædicamentorum.

His positis debemus inquirere, *An Deus, an Angelus, an Christus, an Maria, in prædicamenta collocentur?*

Incidentes quæstiones.

Respondeo præter Prædicamenta debere admitti necessariò systemata, sine quorum notitiâ multa solent in Philosophiâ turbari. Systema dico decem prædicamentorum aggregatum sub uno Ente tali vel tali dispositum. Et inter alia, quæ recensere possem, hæc systemata pono, *Abstractissimum, Infinitum, Spiritvale, Materiale* Materiale, ut ab hoc ultimo sumam exordium, est aggregatum decem prædicamentorum materialium sub uno Ente materiali & corporeo. Spiritvale Systema est aggregatum decem prædicamentorum spiritualium sub uno Ente spiritvali & incorporeo. Et Infinitum est aggregatum omnium prædicamentorum infinitorum sub uno Ente infinito. &c.

Quid sit Systema?

Quotuplex?

Hinc venio ad Deum, & aio, eum pertinere ad Systema infinitum. Sed ad quod ille prædicamentum? Ad omnia, ad quodlibet; quia (nota hanc rationem bene) omnia prædicata in infinitate coincidunt. Deus igitur est Ens infinitum: hoc est substantia infinitè perfecta; infinitè magna, hoc est, immensa; infinitis attributis, quorum singula infinitæ virtutis sint, condecorata. Habet relationes nobilitatis infinitæ. Ejus duratio est infinita, & vocatur æternitas. Ejus actio est infinita: & considerata secundum esse in dicitur Omnipotentia, & secundum esse ad appellatur Creatio. Ejus passio est nulla: à se enim est, & nullo producitur. [Et nota obiter in Trinitate processiones activas, & etiam passivas reperiri.] Ejus ubi est infinitum, & vocatur Ubiquitas: & quia est ubique caret situ, & quia est immensus, habitu.

An Deus in prædicamento collocetur?

Omnia infinita coincidunt.

Hinc transeo ad Angelos. Spirituales sunt, & ad systema incorporeum & immateriale pertinere debebunt: sicut cœli, elementa, metalla, lapides, &c. ad Systema corporeum.

An Angeli in prædicamento collocentur?

Et ad quod Prædicamentum aut etiam Systema spectat Christus? ad quod Deipara? Christus quà Deus ad Systema infinitum: & quà homo, ad quod Maria: & Maria ad quod homines cæteri. Et ad quod isti? In Systemate materiali hucusque positus à nonnullis, à loco multorum annorum possessione præscripto privatâ authoritate expellitur. Et

An Christus & Deipara ponatur in prædicamento?

divinam.] Et hoc ratiocinium ipsissimum converto, & aio : [siquidem Christi subsistentia est simplex, etiam Mariæ subsistentia erit simplex : hoc enim important particulæ *sicut* & *ita*. Non ergo dantur subsistentiæ partiales in Homine.]

THESIS XII.

De Marianâ Materiâ.

Substantiæ gradus.

IN Prædicamento Substantiæ hos gradus Homo poterit enumerare Corpus, Vitam vegetativam, Vitam sensitivam, & Animam rationalem. Omnes in Mariâ reperiuntur, & debent specialiter dilucidari.

Corpus Marianum potest substantialiter & accidentaliter considerari : de ejus dotibus & venustate inferiùs, nunc agam de ejusdem substantiâ.

Quid sit Materia prima? Distinctio subsistentiæ, existentiæ, & essentiæ.

Componitur physicè Materia & Formâ. Materia est pura potentia. Secundum se considerata nec habet actum physicum, nec metaphysicum, nec entitativum, si & hic à metaphysico distingui debeat. Distinguitur realiter à subsistentiâ; realiter ab existentiâ. Subsistit subsistentiâ Formæ : & existit existentiâ Formæ: & hanc ob rem sine Formâ non potest existere.

De potentiâ Materiæ. An sit possibilis creatura perfectissima?

Omnis Materia habet receptivam potentiam realiter à se distinctam, & appetit diversas formas, nec ullâ determinatâ satiatur, semper enim ad nobiliorem & perfectiorem obtinendam anhelat. At ex hypothesi, quòd detur creatura summa, quod multi certum, & multi probabile judicant, volumus dicere Animam rationalem inter Formas, quæ afficere Materiam possunt, esse nobilissimam: addimus individua esse perfectionis inæquales; licèt enim natura specifica æqualis in omnibus sit, contrahitur nihilominus per differentias inæquales, ratione quarum individua inæqualia etiam sunt. Et subjungimus inter rationales purorum hominum Animas (hic enim de Christo non agimus) Marianam esse nobilissimam. Et inferimus Materiam illius immaculati corporis, ut pote informatam nobilissimâ formâ nullam aliam appetere, sed habere satiatum appetitum.

An Mariana Materia aliam appetat formam? An habeat satiatum appetitum?

Hinc patet Virginem Mariam naturaliter fuisse immortalem, non solùm innocentiæ nomine, quo etiam Adamus antequam peccaret immortalis fuit; sed etiam perfectionis nomine, quod Adamo non potuit competere. Hanc ob rem Adami & Deiparæ immortalitatem comparando, sic inquam.

Immortalitas Adami qualis?

[Adamus stando legibus Physicæ, mortalis esset; at habuit immortalitatem ab innocentiâ originali : nam immortalitatis privilegium innocentiam, ut formam passio, sequebatur: quam ob rem cùm primùm peccavit, perdidit immortalitatis privilegium, & fuit obnoxius morti, jam duobus titulis naturali & morali. Naturali, quia quæ naturaliter compacta sunt, naturaliter possunt dissolvi. Morali, quia ob crimen damnatus morte fuit, quam promeritus fuit, & pati deberet etsi naturaliter non esset mortalis. Hinc est quod Adamus innocens non potuerit naturaliter mori; & nocens, non potuerit non mori naturaliter. Immortalitas originariæ innocentiæ annexa, etiam Deiparæ communis fuit; & præter hanc materiæ appetitus nobilissimâ formâ (animâ Mariana) satiatus, nullam aliam desiderans, naturali inclinatione postulabat, ut Deipara in æternum viveret. Violenta igitur & miraculosa fuit Mariana mors: & miraculum in eo constitit, quod violentia inferretur naturæ & gratiæ : naturæ, quia forma perfectissima perfectissimè informat, & materia cùm tali est prædita non desiderat alias: gratiæ, quia justitia originalis aut ingenio ipsa suo, aut saltem ex decreto divino, morbis & morti erat contraria.]

Immortalitas Mariana qualis? Deiparæ mors eguit duobus miraculis.

THESIS XIII.

De Marianâ formâ Corporeitatis.

Quæstio proponitur.

MUlti addubitant, An bona consequentia sit, *Beatissima Virgo Maria est vera Mater Christi: Ergo datur forma corporeitatis: Ergo & formæ partiales, quibus hæc componatur.* Et ratio excitandi controversiam hæc est; quia ad veram Maternitatem plus videtur requiri, quàm nudæ materiæ primæ subministratio. Si enim Orthodoxa nos Fides, Ecclesiæ communis authoritas, & Patrum concors doctrina asserit, non solùm corpus, sed & carnem Verbum è Virgine adsumsisse, sumpsit etiam formam carnis & corporis, sine quibus materia prima caro aut corpus esse non potest. At non adsumpsit rationalem Animam Virginis: Ergo præter hanc datur alia in Homine formâ, quæ carnem, ossa nervos & cæteras partes constituit & distinguit, & hanc dicunt *Formam corporeitatis*: quam ajunt esse divisibilem & heterogeneam, ut possit diversas partes constituere & perficere, & hoc est, quod vulgò intendunt & intelligunt nomine *Formarum partialium.*

An solam materiam primam Verbum adsumpserit ex Mariâ? Qualis sit forma corporeitatis?

Pro resolutione consideranda sunt nonnulla testimonia. Cantat Ecclesia in Symbolo, *Et incarnatus est de Spiritusancto, ex Mariâ Virgine, & homo factus est.* Lego attentè. *Incarnatus est* dicit Ecclesia : ergo ex Mariâ Virgine sumpsit non solam materiam, sed carnem. Sic textum intelligit Hugo de S. Victore *in Speculo de myst. Eccl. cap.7.* dicens; [Christus, dum Patrem interpellat pro nobis, Angelorum transit intuitum, quia intelligi non potest, quantum præsentia sumptæ carnis impetret.] Sic loqui didicerat Hugo ab Augustino, qui *in Psalm.* 99 ait [De carne Mariæ carnem accepit, & ipsam carnem nobis manducandam dedit.]

S. Athanasius in symbolo. [anima rationalis & caro unus est homo.] Ecce non

componit hominem ex anima & materiâ primâ sed ex animâ & carne, Ergo præter animam rationalem admittenda venit forma carnis.

An D. Thomas admiserit formam corporeitatis?

S. Thomas Opusculo 57. [Unigenitus Dei filius suæ Divinitatis volens nos esse participes naturam nostram adsumpsit, ut homines Deos faceret factus homo. Et hoc insuper, quod de nostro adsumpsit, totum nobis contulit ad salutem, Corpus namq; suum pro nostrâ reconciliatione in arâ crucis hostiam contulit Deo Patri: sanguinem suum fudit in pretium simul & lavacrum; ut redempti à miserabili servitute, à peccatis omnibus mundaremur. Ut autem tanti beneficij jugis in nobis maneret memoria, corpus suum in cibum, & sanguinem suum in potum, sub specie panis & vini sumendum fidelibus dereliquit.] ex quibus ego verbis hanc argumentationem conformo. Ut probet D. Thomas quidquid à Virgine adsumptum ad nostram fuisse redemptionem collatum, ad corpus & sanguinem recurrit: sensit ergo non nudam materiam Verbum, sed materiam affectam formâ corporeitatis & sanguinitatis adsumsisse.

Resolutio.

Multa adducere possem, sed sufficiat hæc pauca protulisse, ut videamus Incarnationis mysterium meliùs salvari posse formâ corporeitatis admissâ, quàm negatâ. Illam ergo hodie propugnandam adsumimus: eamdemque nova adhuc ratione roboramus videlicet,

De corpore Christi Domini in triduo.

In triduo mortis Christi, aut Materia prima mansit sine formâ, quod Thomistæ & Scotistæ non admittunt: aut adquisivit novam formam, (nempe, cadaverinam) quam in resurrectione reliquit, contra illud Theologorum effatum, ***Quod semel adsumpsit, nunquam dimisit***: aut habuit corporeitatis formam, quod docent Scotistæ nobiscum.

Quid Verbum ex Virgine assumpserit?

Dicimus ergo Verbum æternum ex Mariâ Virgine sumpsisse materiam primam, non nudam omninò, sed affectam formâ corporeitatibus. Addimus Deum increasse in illo sanctissimo corpore Animam rationalem. Subjungimus ad unionem (quæ realis est: simplex aut duplex secundum probabiles Philosophorum opiniones) influxu activo concurrisse. Tenemus Deiparam, & Christum vivum [& de cæteris hominibus pariformiter philosophamur.] duas habuisse formas, alteram purè materialem, alteram purè spiritualem: videlicet, Corporeitatem, & Animam rationalem.

An unio sit simplex?

Forma duplex.

Forma cadaverina.

Asserimus formam cadaverinam, non esse realitatem aliquam positivam sed vitæ absentiam in subjecto, in quo fuit. Et inferimus in Christi morte Animam rationalem & Corpus mansisse unita Verbo æterno, at fuisse sejuncta inter se: & corpus retinuisse formam corporeitatis, & adquisivisse formam cadaveris, hoc est, absentiam vitæ in subjecto, quod paulo ante vivebat.

Hic discurrendi modus facillimus & suavissimus nobis videtur, & caret difficultatibus quàm pluribus, in quas Thomistarum sententia propugnatores suos inducit.

De Eucharistia sacramento.

Stando huic doctrinæ sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum intelligere, & sancti Concilij Tridentini textum poterimus hanc explicare; nam sublatâ formâ corporeitatis illud bene intelligi & exponi non potest. Sessionis XIII. capite III. hæc lego. *In Eucharistiâ ipse sanctitatis auctor ante usum est: nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperunt* (Matth 26. Marc. 14.) *cùm verè tamen ipse affirmaret, Corpus suum esse quod præbebat: & semper hæc fides in Ecclesiâ Dei fuit statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem, sub panis & vini specie unà cum ipsius animâ & divinitate existere: sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum: ipsum autem Corpus sub specie vini, & Sanguinem sub specie panis, Animamque sub utrâque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur.* (Roman. 6. & etiam Cap. Semel Christus. Cap. Iteratur. Cap. Singuli. &c. qui manducant. de Consecratione distinctione II.) *Divinitatem porrò propter admirabilem illam ejus cum corpore & & animâ unionem. Quapropter verissimum est tantumdem sub alterutra specie atque sub utrâque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quâvis ipsius speciei parte; totus item sub vini specie & sub ejus partibus existit.* [Videntur Patres legisse Homiliam V. de Pascha, quæ adscribitur Eusebio Emisseno; nam verba & sententiæ ipsæ formales sine ullâ differentiâ ponuntur.] & quidem in his verbis Corpus distinguitur a Sanguine, & utrumque à Christi Animâ: atqui sublata formâ Corporeitatis nulla manet Corporis (hoc est, carnis) & Sanguinis distinctio; nam materia prima Corporis ejusdem est rationis cum materiâ primâ Sanguinis: Ergo litera Concilij Tridentini postulat formam Corporeitatis.

Christus est sub speciebus ante sumptionem.

Quomodo existat?

De vi verborum & concomitantiâ.

Totus Christus est sub alterutrâ specie.

Forma corporeitatis.

Confirmatio moralis.

His rationibus Physicis hanc Ego Moralem subscribo. Eadem Tridentina Synodus ejusdem Sessionis Capite secundo dixerat; *Eucharistiam esse symbolum unius illius corporis, cujus ipse* (Christus) *caput existit; cuique nos, tanquam membra arctissima, fidei, spei, & charitatis connexione adstrictos esse voluit*: &c. (1. Corinth. 5. & 11. ad Ephesios 5. ad Romanos 12.) At Corporis Moralis & Mystici nomine non intelligitur sola materia-prima moralis: ergo Corporis Physici nomine non venit intelligenda sola materia-prima realis, sed materia-prima formâ corporeitatis ac accidentibus convenientibus prædita. Probatur assumptum: quoniam Corpus illud mysticum est fide spe & charitate exornatum: ergo præter materiam-primam moralem habet formas constitutivas & exornativas.

Corpus mysticum.

Forma mystica corporeitatis.

Multum videtur hæc ratio Moralis urgere; &, si aliquis dicat à moralibus ad realia & physica non bene discursum procedere, reponam illud Principium, *Oportet de moralibus moraliter philosophari, sicut de physicis physicè*: quo sublato aut negato omnes omninò moralitates perire absolutè pronuncio; sublato enim fundamento reali nullo modo entia rationis, si ista dantur & nullo etiam modo chimæræ à moralitatibus distinguerentur

An hæc moralis ratio sit efficax?

Principium morale.

An Entia rationis & chimæra distinguantur à moralitatibus

THE-

THESIS XIV.

De lacte Mariano.

Quid sit lac? Quid sit sanguis?

COrporis præcipuæ partes sunt; ossa, caro, nervi, sanguis. Lac dicitur à multis Medicis *candidus sanguis* at sanguis dicitur *purpureum lac*: & de hoc præcipuè acturus, interrogas, *An illud, quod Christus Dominus, Mellitus Bernardus, D. Hermanus Iosephus (& siqui alij sunt) de Beatissimâ Virgine suxerunt, fuerit inanime?*

Partes corporis aliæ sunt solida, & aliæ liquida?

Sanè solidas corporis partes (videlicet, cor, cerebrum, carnem, nervos, venas, membranas, &c,) vivere sentiunt omnes; vivere autem sanguinem & cæteros humores, etsi liquidi sint, non omnes asserunt: vitam enim organicam materiam requirere, & rationem organi in corpore liquido inveniri non posse docent

An humores vivant?

Vazquez *tom.* 1. *in* 3. *part. disp.* 36. *numer.* 20. Suarez *tom.* 3 *in* 3. *part. disp.* 151. *sect.* 3. Conimbricentes *libr.* 1. *de gener. cap.* 4. Ruvius *de Animâ quæst.* 8. *numer.* 207: & contrariam sententiam habent Conradus, Medina, Mendoza; Arriaga, & aliqui qui adleguntur â Ruvio.

Lac, si sit separatum, est mortuum.

Hinc ad quæstionem venio, & facili negotio me expedio. Aio lac, quod suxit Christus Dominus fuisse post separationem ab uberibus mortuum: ante separationem juxta unam aut alteram sententiam, si jusseris, philosophabor.

An lac, Divis datum, fuerit verum?

Lac Divis propinatum fortè verum non fuit, sed apparens: sed, si verum, id enim quid vetat asserere? sicut de dato infanti Deo agere poterimus, & dicere post separationem fuisse inanime.

An detur forma sensibilitatis ab Animâ rationali distincta?

Quid si Realis Philosophus, præter corporeitatis formam, etiam animam sensibilem materialem, divisibilem & à rationali distinctam admittens, huc se conferat, & lacti etiam diviso & separato vitam adstruat? Abundabit suo sensu, nec evidenter poterit ab ullo convinci.

THESIS XV.

De Vegetabilitate Marianâ.

Maria hortus conclusus.

MAriæ Florentissimam Animam fuisse virtualiter & moraliter vegetativam, constat ex multis Ecclesiæ, & Veterum Patrum testimonijs; quæ omnia ad has periodos feliciter reduxit Pererius. *Erat* inquit, *anima ipsius hortus cælestis sponsi amænissimus, ubi sanctarum cogitationum folia jucunda, verborum utilium flores odori, sacrarum operationum mentis dulcissimi fructus edebantur. Omnes Animæ potentiæ, sensus omnes interni externique. & interdiu aliqui & noctu aliqui Deum celebrabant.* Sic ille libr. 15. cap. 3. ubi hoc etiam Assertum habet Physicum: videlicet, Divam non dormivisse; aut saltem non ita dormivisse ut nos, totâ enim nocte & die Deum vigili attentione laudabat.

An dormiverit?

THESIS XVI.

De Sensibilitate Marianâ.

Quales fuissent homines in statu innocentiæ?

OMnes, qui in Paradiso mansissent, utpote justitiâ originali præditi, habuissent internas omnes potentias & sensus externos perfectissimos, & multa præstare potuissent nudis organis, quæ hodie armatis vix possumus. Alensis 2. *part. quæst.* 89. *art.* 3. *membr.* 2. de Adami filijs generandis in gratiâ, si ille non peccasset, sic discurrit. *Dicendum, quod parvuli geniti ab Adam in sua nativitatis primordio illuminationem aliquam cognitionis & scientiæ absque dubio habuissent. Quantum verò ad quædam, quæ spectant ad bonum honesti, sicut distinctio præceptorum & cultuum, quibus Deus est venerandus, & similia videtur probabile* (ergo etiam probabile putat oppositum) *quoad cognitionis usus fuisset dilatus quamvis non absurde concedi possit, quòd eius habitus ad hoc esset datus.* Quæ verba tametsi respicere potentias spirituales videantur, non incongruè ad materiales & sensibiles à Poza *elucidarij Mariani libro* 3. *tract.* 15. *capite* 6. *pagina* 1014. & aliis nonnullis trahuntur.

Quales fuissent habitur: potentiæ?

Quales fuissent?

Ex hac doctrinâ hic syllogismus fortis & securus emergit: nimirum: (Omnes, qui essent sine culpâ concepti, haberent potentias sensusque interiores & exteriores omnis honoris peccaminosi & imperfectionis expertes: At Diva concepta est sine culpâ: Ergo sensus illa perfectissimos, & expeditissimas habuit potentias.) Hanc consequentiam dilucidè expendit Angelus, à quo edocta S. Brigitta Or 4. sic inquit. *Quotiescumque oculos levabas* (alloquitur Virginem Mariam) *eorum aspectus stellarum excedebat nitorem. Aures tuæ honestissima super omnes vires maris. Nasus tuus suavissimus. Lingua tua super omnes arbores fructiferas. Lingua tua prudentissima, omnibus dulcior ad audiendum, quàm aliquis dulcissimus fructus ad gustandum. Os tuum cum labijs tuis super rosarum & omnium florum amœnitatem. Collum tuum cum humeris tuis super omnium liliorum venustatem. Frons & facies tua super lunæ albedinem collaudentur. Supercilia cum palpebris, claritatis nitore, solis radios excedunt.*

Marianus visus. Marianus auditus. Marianus odoratus. Marianus gustus: &c. Mariana figura.

THESIS XVII.

De Rationalitate Marianâ.

An Maria habuerit usum rationis à primo suæ conceptionis instante?

MAgnificat Anima mea Dominum, inquit Maria; & si, ex quo nam illa tempore inceperit magnificare Deum, interroges, respondebit Bernardinus Senensis *serm. 61. de Beatissimâ Virg. cap. 2. art. 1.* Viguerius *Institut. cap. 5. §. 3.* Cajetanus *quæst. 27. art. 3.* Suarius *disp. 4. sect. 7.* Vasquez *disp. 119. cap. 3.* & alij illam à primo conceptionis instanti habuisse usum rationis, & Deum devotissimè magnificasse. Et quidem Mariana anima, quoad naturalia perfectissima, quoad moralia purissima, quoad supernaturalia divinissima, elicit tria operationum genera, nimirùm Apprehensiones, Iudicia, & Discursus.

Mariana omnis apprehensio vera & bona.

Et quidem Beatissima Virgo Maria nihil falsò apprehendit: & ratio generalis est, quia apprehensiones esse falsæ non possunt.

Eadem Sanctissima Princeps nihil male apprehendit. Hanc Thesim difficiliùs evicero: quoniam apprehensiones secundum se consideratæ interdum sunt malitiæ obnoxiæ. Ut rem clarè dilucidem, apprehensionem in simplicem & compositam divido. Prior potest errare I. concipiendo unam rem pro alterâ, ut cùm loco Dei Patris senem concipit, & loco Angeli juvenem. II. concipiendo confusè & imperfectè, quod poterat clarè & perfectè. III. connectendo conceptus dissentaneos, ut cùm concipit quis nives virides, cygnos rubros, cœlos aureos (aut etiam chimæras) si velis. His positis pronuncio primò Deiparam stando puræ naturæ ingenio apprehensiones malas & confusas elicere potuisse, at stando scientiarum naturalium & supernaturalium luci, quâ fuit illustrata divinitùs, nec erroneè nec confusè, nec imperfectè res apprehendere potuit.

Errores apprehensionum varij.

Eadem Virgo nunquam mentita est, nunquã erravit. Iudicio humanæ accidunt imperfectiones duæ; mendacium, error; hæc imperfectio naturalis est, illa moralis; & Deipara, quia omni peccato actuali caruit, non habuit judicia defectuosa moraliter; & quia habitibus & notitijs divinitùs infusis, fuit præventa, in enunciando non erravit.

Mariana omnis Assertio vera & bona.

Etiam Deipara præter alias Scientias scivit exactè Logicam, adeoque nihil intulit falsò vel male. Hæc assertio poterit persuaderi ut præcedens: error enim aut liber aut necessarius: est & hic exorbitantem intellectum supponit, & ille voluntatem peccantem: & Deipara potentias exorbitantes aut peccantes non habuit.

Marianus omnis discursus bonus fuit.

Ipsa, quoties discurrebat, syllogismos demonstrativos conformabat. Patet: quia ratio demonstrativa, quidquid Aristotelea dicat aut taceat, est ratio legitima ea certis fundamentis procedens: & Deipara, quia clarissimam, quia certissimam Scientiarum omnium cognitionem habebat, nunquam poterat temerè, nunquam probabiliter philosophari.

An semper Diva demonstrationes eliserit?

Sic de Mariano Intellectu discurro: nec aliter discurres tu, si ad Adamum, Salomonem & alios homines divinitùs illustratos convertas oculos, & supponas Mariam his universis antelatam.

THESIS XVIII.

De Sexu Mariano.

Maris & fœminæ distinctio.

MArem fœminamque distingui specie inadæquatâ, Oviedi & aliorum est Recentiorum sententia: apud quos, ut existimo, illud nomen *inadæquatus, a. um.* additur, ut frangantur dentes invidiæ; aliàs enim absolutè dicerent mares & fœminas distingui specie. Hîc ego. *Si est vera hæc juniorum opinio, impossibile est fœminam transire in virum, aut contrà.* At historiæ nonnullæ hunc transitum interdum referunt, nec succurrit ratio, ob quam illas esse falsas dicamus: Ergo mares & fœminæ distinguuntur numericè, nec majori distinctione substantiali, quàm mares à maribus, & fœminæ à fœminis. Ergo tota differentia est purè accidentalis. Ergo accidere potuit, ut hoc individuum, quod modò est masculum, fuisset fœmineum: aut contrà. Hæc est communis Peripateticorum sententia, qui sequuntur Aristotelem *libr. 8. de hist: Animal.* dicentem: *Fœmina nihil aliud est, quàm mas læsus & mutilatus.* cui consonat Philo apud Antonium. 2. *p. Melissæ*, dicens; *Nihil est aliud mulier, quàm mas imperfectus.* Ergo positâ eâdem materiâ & animâ, si dispositiones perfectæ sint, generabitur mas; fœmina, si imperfectæ.

An fœmina possit in virum converti: vel contrà?

Unde oritur quod proles sit masculus?

Hac doctrinâ generali præmissâ, converto ad Mariam oculos, & has Assertiones pronuncio.

Prima. *Stando communi rerum cursui Maria non exstitisset.* Ergo Maria est creatura miraculosa, quâ caruisset Mundus, Si Deus non produxisset eam miraculosè. Et nota obiter, illam Theologorum quæstionem, quæ inquirit, *An, si Adamus non peccasset, Verbum carnem sumpsisset?* ad Deiparam etiam extendi: nam si Verbum non sumpsisset carnem, nec Deipara producta fuisset.

Maria existentia fuit miraculosa.

Secunda. *Ex vi prioris miraculi Maria non fuisset fœmina, sed vir.* Patet: quia prius illud miraculum dabat solummodò existentiam Mariæ, quæ natura & ingenio suo sexum masculeum postulabat. Et ratio est; quia Mariæ Anima fuit omnium perfectissima (sic supposui superiùs.) perfectissima forma postulat dispositiones perfectissimas. Perfectissimæ dispositiones postulant sexum masculinum. Ergo Mariæ Anima suo ingenio & naturæ derelicta corpus masculeum informaret. At modò informat fœmininum de facto. *Ergo alterum miraculum fuit requisitum, ut hæc creatura, quæ aliàs erat futura mascula fuerit mulier.* Ita persuadet ratio; ita & nõnulli, inter quos Ioan. Bapt. Poza

Maria sexus fuit miraculosus.

qui in

in Elucidario Deiparæ libr. 3. *tract.* 7. *cap.* 1. 2. & 3. ubertùs hanc doctrinam expendit.

Nota hoc.

Hinc patet falsum esse commune illud Peripateticorum Axioma, *Supremum infimi non attingit infimum supremi.* quoniam sexus fœmineus inferior masculino est; & Maria fœminarum summa, non solùm infimum virum exæquat, sed summos superat. Et hoc ipsum assero esse verum in sensu rigoroso & formali, ut dilucidè probat & confirmat Poza *ubi supra. cap.* 4.

THESIS XIX.

De Quantitate Marianâ.

In quo sit sita quantitatis essentia?

CIrca Quantitatis essentiam multæ sunt opiniones, quæ tandem de nomine disputare videntur. Dicamus Quantitatem esse divisibilitatem, ut Aristotelis & Peripateticorum doctrinam & vestigia sectemur. Impenetrabilitas est præter Quantitatis essentiam, & est ejus quædam passio, quæ divinitùs impediri potest.

Impenetrabilitas non est de essentiâ quantitatis.

Multa nos docet sancta Christi nativitas: non enim Diva Christum peperit ut aliæ fœminæ: permansit Virgo: nam virginitatis signaculum non rupit nec aperuit Christus, cùm transijt.

Hoc nos docet miraculum corpora quanta posse adhuc penetrari: ergo impenetratio actualis non est de essentiâ Quantitatis.

An duo corpora esse possint in eodem loco?

Docet non etiam duo corpora esse posse in uno & eodem loco; hoc enim supponit penetratio; & in nativitate Christi, hujus corpus egrediens cum matris utero penetrabatur.

An unum corpus esse possit in duobus locis?

Docet nos tertiò: unum corpus posse esse in pluribus locis: suadet enim id paritas, nam, si duo in uno possunt esse; cur non unum in multis? non succurrit disparitas.

Mariana statura sesquianti tas.

Et quia Pietas erudita me rogat, Quanta fuerit statura (altitudo) Mariani corporis? Mediocrem, aio: non enim fuit pygmæa aut gigas, sed communi cæterarum mulierum venustati respondens. Didici hanc veritatem ab Epiphanio, qui apud Nicephorum *libr.* 2. *Hist. cap.* 23. Figuram & iconographiam Deiparæ accuratè descripsit: cui Cedrenus, Anselmus, alijque diligentes Authores adsentiuntur: quorum omnium sententiam Deiparæ imago à D. Lucâ coloribus vivis expressa roborat & confirmat.

THESIS XX.

De Qualitatibus Marianis.

Quot sint Marianæ perfectiones?

CÙm venio huc, puto me ad Oceanum accedere; puto ad cœlum: non enim ille tot habet guttulas, non hoc tot lucidas, quot Deipara prærogativas: unde quidam Poëta, *Tot Tibi sunt Virgo dotes quot sydera cœlo.* à quo non multum distat hic versus, *Quot guttas Pelagus, tot Virgo sunt Tibi dotes.* Eadem tabula, si striata (utar artis vocabulo) *Si locus est varius nobis referre figuras Mille soles.* & eadem Virgo è locis diversis aspecta, diversa apparet. Alia videtur à cœlo: alia à terrâ: alia à loco mortis, alia à loco vitæ considerata. Hanc ob rem tot illa est nominibus considerata: vocatur enim *Maris stella, Porta cœli. Via vita, Lucifer matutinus, &c.*

Striata tabula.

Marianarum perfectionum divisio.

Hæc omnia enchomia, quæ passim reperiuntur in Patribus, & esset longum recensere, in aliquas possunt classes dividi. Aliæ enim è parthenijs dotibus sunt Dispositiones, aliæ Habitus; aliæ Potentiæ, aliæ Impotentiæ, aliæ sunt Passiones; & aliæ Figuræ.

Mariana dispositio & præservatio.

Inter dispositiones nobilissima est illa gratia præservativa, quæ quodammodo naturam antecessit, & impedivit, ne Marianus animus incurreret culpam originalem.

Mariani habitus.

An detur vacuum in naturâ? an in gratiâ?

His conceptus alibi expendetur uberiùs.

Inter habitus nobilissimus fuit humilitas, quæ maternitatem promeruit: natura enim non patitur vacuum, & magna moventur pondera, ne illud detur: & gratia non patitur vacuum, & quia Deipara in vacuum non receperat gratiam, dicendo *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum,* se profundissimè humiliavit; & tunc Deus ne vacuum maneret, quem nulla posset creatura repleret, descendit de cœlo, incarnatus est de Spiritu-sancto ex Mariâ Virgine, & homo factus est.

Mariana potentia, & potestates.

Inter potentias nobis utilissima est authoritas intercedendi; cujus efficaciam & vim exponunt Patres, & quotidie experimur.

Mariana impotentia.

Maria peccatis expers.

Pauculas in Deiparâ impotentias reperio: at inter ipsas impeccabilitatem, aut impeccantiam saltem, & in hac Divinæ potentiæ prodigium veneror & adoro. Lego in Tridentinæ Synodi sess. 6. can. 23. *Siquis hominem semel iustificatum, dixerit* * * * *posse in totâ vitâ peccata omnia, etiam venialia vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de Beatâ Virgine tenet Ecclesia* : *anathema sit.*

Mariana passiones.

Virgo singularis.

Passiones & proprietates naturales in Divâ eædem sunt ac in nobis, licèt in eminenti gradu: at supernaturales, dotes sunt quædam, gratiæ singularissimæ appendices, & ideò sunt specialissimæ, & nobilissimæ, & hanc ob rem Deipara *Virgo singularis* vocatur.

Alias easque multas habet prærogativas Virgo, quas cùm non possimus directè & per proprias species, indirectè per tropos & figuras, prout suggerit devotio & ingenium, exprimimus & dilucidamus.

THE-

THESIS XXI.

De Marianarum Virtutum *&* Prarogativarum *inten-ſione.*

Extra Deum conceptus infiniti repugnat.

SVb Deo nihil eſt infinitum: omnes ereatæ & ereabiles ſubſtantiæ ſuor perfectioois & nobilitatis finitæ: omnia corpora ſunt magnitudinis finitæ: & qualitates, ſi extenſionem, ſi intenſionem conſiderem, finitæ ſunt.

An ſit poſſibilis creatura perfectiſſima?

Si dantur perfectionis termini, inter homines puros Anima perfectiſſima Mariæ iofuit: & inter ſupernaturales dotes gratia iotenſiſſima Mariæ infuit, unde venit intelligendus Angelus, qui dixit, *Ave gratiâ Plena, Dominus tecum.* & quidem, ſi ſtat hypotheſis, dicitur gratiâ plena, quoniam habere intenſiorem oon potuit. Et, ſi objèceris, ſucceſſu teiopotis gradus gratiæ creviſſe, ſingulis enim Diva inſtantibus majorem gratiam & gloriam merebatut: reſpoodebo, ad ſummum intenſionis gradum Deiparam demum in fioe vitæ pervenlſſe: vel etiam in principio, ſi velis, & ereviſſe moraliter, eo modo, quo gratia creſcit pet actus temiſſiores io illorum ſententiâ, quæ gratiam per ſolos intenſtores ingendit.

Quanta fuerit Virginis ſanctiſſima gratia?

Pia eſt hîc P Franciſci Suarij reſolutio: ipſe enim *in 3. part. diſt. 18. ſect. 4.* rogatus, An gratiâ Mariana tanta fuerit, & pluribus inſtructa gradibus quam in omnibus Sanctis hominibus & iu omnibus Angelis ſimul, reſpondet: [Non video quid contra hanc ſententiam objici poſſit, niſi fortaſſe, quod nova inuſitata, ac præter hominum opinionem eſſe videatur. Io eo eertiùs Sancti Patres & Doctores communi coosenſu eonveniunt, ejus ſanctitatis excellentiam tam fuiſſe eximiam ot ſingulos tam homines quàm Angelos ejuſdem ſtatûs, & paria cum paribus eonferendo longiſſimè ſuperârit, ut expreſsè docet Andreas Cretenſis *Serm. De dormit. Deipara.* S. Chryſoſtomus in Liturgiâ, Petrus Damiani *Sermone de Aſſumptione.* & alij plurimi habent.] Hioc inferebat D. Richel, Lovanii apud Sanctam Gertrudem Antiſtes, gratiam

Quanta Patriarcharum & Religionū Inſtitutorū fuerit gratia.

D. Auguſtini omnium religioſorum ſub Auguſtinianâ Regulâ militantium gratiam exæquare aut evincere: gratiam S. Benedicti omoium Benedictinorum gratiæ æqualem aut intenſiorem eſſe: & eodem modo de omnibus Ordioum Patriarchis Philoſophabatur. At Ego tationem inferendi non video; & quia in aliquibus Communitatibus aliquos Majoribus ſuis moltò majores vidimus nec Richelis diſcurſum, nec Concluſionem approbamus.

THESIS XXII.

De Marianarum Qualitatum alteratione.

An Maria immutabilis?

DEus immutabilis eſt, & ſimilitudinis ratio poſtulare videretur, ut aliquis Divæ immutabilitatem adſcriberet dicens, totâ illam vitâ io uno perfectioois gradu hæſiſſe, oee fuiſſe qualitatum naturalium aut ſupernaturalium ullam variationem aut alterationem perpeſſa. Hae tamen ratione non obſtante.

An miſerias perpeſſa?

Dico primò, naturales in Diva qualitates alterationem fuiſſe paſſas. Et oſteodo, quia vitæ hujus Diva miſerias calamitateſque ſuſtinuit: famem, ſitim, frigus, calorem, & cæteras cæli inclementias; & tandem mortua eſt: quæ omnia non potuiſſent fieri ſine naturalium alteratione qualitatum.

An donum ſupernaturalium habuerit incrementa?

Dico ſecundò; ſupernaturales miraculoſaſque in Divâ qualitates alterationem fuiſſe paſſas. Et hîc meritò ſupernaturales à miraculoſis diſtinguo, quæ enim miraculosè fiont, interdum naturalia ſunt quoad ſubſtantiam, & ſupernaturalia quoad modum. Ut Aſſertio ſuadeatur, ſufficit audire duos Dionyſios (Areopagitam *Epiſt ad S. Paulum*: & Carthuſianum *in 1. ſentent. diſt. 16. quaſt. 2. & ſerm. 2. de nativitate Virginis*) apud quos lego Beatiſſimam Virginem Mariam, frequenter copioſiſſimo fumioe eircumdatam, maximique caloris (hoc eſt, amoris) æſtu propè colliquefactam, improvisè inventam fuiſſe. Ergo favores varios pro ratione temporum à Deo recipiebat.

Objectio. An Diva habuerit ſummam gratiam? An ſummâ ante tranſitum?

Nee contra hoc militat id qood de gratiâ iotenſiſſimâ Theſi XXI. dicebatur: *Cùm*, quia habuiſſe Mariam gratiam intenſiſſimam itaut intenſiorem non potuiſſet, oon diximus abſolutè; ſed cõditionatè, ſi enim oõ datur ereatura nobiliſſima, intenſiſſima gratia nõ dabitur. *tum*, quia ex hypotheſi, quod gratiam in ſummo gradu intenſionis habuerit, potuit ad hunc gradum perfectionis in ipſo tranſitu deveniſſe, & dum viveret habuiſſe incrementa gratiarum. *Tum etiam*, quia præter gratiam alias plurimas habuit Diva prærogativas, quæ inalteratâ gratiâ potuerunt intendi & augeri. *& denique*, quia ipſamet gratia, ſi dicatur à primo inſtanti conceptionis ſumma, & intenſionis realis incapax, adhoc potuit augeri moraliter & meritoriè, & hoc ipſa ſenſu alterari & intendi.

An Mariana gratia intendebatur moraliter?

THESIS XXIII.

De Temperamento Mariano.

Quid ſit temperamentum?

TEmperamentum eſt illud, quod vocatur *Complexio*, & non eſt quoia quædam qualitas

qualitas à quatuor primarijs distincta; sed est earumdem qualitatum quædam adtemperatio in gradibus requisitis à mixto.

Et quotuplex?

Temperamentum duplex est: alterum ad pondus, alterum ad justitiam. Postulat prius, ut omnes qualitates sint in æquali intensionis & remissionis gradu: posterius, ut sint in gradu, quem organi functiones postulant.

An temperamentum ad pondus sit possibile?

Aio igitur primò: Probabile est repugnare temperamentum ad poudus: nam si cooptentur gradus contrariarum qualitatum hoc modo,

Calor. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
Frigus. 8. 7. 6. 5. 4. 3. 2. 1.

Quomodo intensio & remissio correspondeant?

illę non poterunt in gradu æquali reperiri: & nec poterit, qui evidenter demonstret, gradus aliter cooprandos esse.

Aio secundo, si per impossibile daretur in aliquo corpore humano temperamentum ad pondus, illud esset ægrotissimum & imperfectissimum: cor enim magnum calorem postulat, humectatem cerebrum: siccitatem ossa, &c. & esset mirabile corpus, in quo tam essent sicca & arida ossa, quàm sanguis

Temperamentum ad pondus esset pessimum.

Principalis Conclusio.

Aio tertiò Deiparæ corpus non habuit humores ad pondus & æqualitatem attemperatos. Patet, quia fuit integrum perfectum & sanum; & tamen, si humores habuisset ad pondus, esset imperfectissimum & morbis plurimis obnoxium: Imò audebo dicere, si ad pondus esset, liquidum esset, aut sanguine careret liquido, & esset vitæ naturaliter incapax, & ut viveret, perpetuo indigeret miraculo.

Maria igitur habuit humores ad justitiam & quia exactè ad justitiam, habuit nobilissimum temperamentum.

THESIS XXIV.

De Relationibus Marianis.

Quid sit Relatio: & quotuplex?

RElatio est respectus unius ad aliud, & in tres classes differentes dividitur: aliæ enim pondere & mensurâ; aliæ unitate & numero; & aliæ actione & passione fundantur. Et quidem vix de Relatione disputare poterimus, quin ad alia Prædicamenta descendamus; mensura enim & pondus ad continuam Quantitatem spectat; unitas numerusque ad discretam; & Actio & Passio duo specialia prædicamenta constituunt.

Relatio Maternitatis.

Inter omnes Marianas Relationes Maternitas divinissima est: secundum *esse in* est in Deiparâ, secundum *esse ad* terminatur ad Verbum. Audio Christum, ait enim Psalm. 2. 7. *Dominus dixit ad me; Filius meus es tu: ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi, gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Quibus verbis prævenrus D. Paulus ad Hebræos capite primo sic infit. *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum, Filius meus es tu, ego hodie genui te? Et rursum. Ego ero illi in Patrem & ipse erit mihi in Filium?* quibus etiam Melleus Doctor præventus dulcissimam ponderationem habet, quam ego ad hæc verba reduco. [Verè Angelorum Imperatrix debet dici Maria, tantò enim superior est Angelis, quantò eminentius nomen sortita est. Cui enim aliquando Angelorum dixit Deus: Mater mea es tu, & in ventre tuo purissimo genuisti me? & iterum, Ipsa est mea Mater & Ego sum & ero illius amantissimus Filius? Ergo Mariæ loquitur Verbum æternum & ait, Postula à me, & dabo Tibi: (nihil enim negat Parenti suavissimæ Deus:) gentes sunt hæreditas tua: & possessio tua termini terræ.]

Quanta sit Deipara:

Et quantum apud Filium possit?

THESIS XXV.

De Duratione Marianâ.

Incidentes quæstiones,

QUANDO Speciale prædicamentum est, & huc veniens inquiris, I. Quando concepta est Diva? II. Quando fuit parta? III. Quando pariens? IV. Quamdiu vixit? Quando devixit? Et quidem in re dubiâ & antiquâ multæ sunt Patrum & Doctorum dissentientes sententiæ, quæ videri poterunt apud P. Ioannem Baptistam Pozam *Elucidarij Mariani libr. 1. tract. 1. per totum.* Eligam opiniones, quæ majori authoritate firmantur. Sequentem considera Chronologiam.

Anni

Anni mundi	*Anni ante Christ*	*Cæsares.*	*Consules.*	*Vita Deiparæ, & Christi.*
3930	20	23 AVGUS	M. Apuleius. P. Silius. Nerva.	* Sub id tempus Joachimus &
3931	19	24 TVS	C. Sent. Satur. Q. Luc. Vespell.	* Anna copulantur 1 sanctis-
3932	18	25 CÆSAR	P. Cor. Lent. C. Cor. Leot.	* simè coovivunt, & steriles
3933	17	26	C. Funiur. C. Iunius Silao.	* suot.
3934	16	27	L. Do. Ahenob. P. Cor. Scipio.	
3935	15	28	M. L. Du. f. L. Cal. Piso.	*
3936	14	29 Mecœnas	M. Lic. Crass. Cn. Cor. Lent.	*
3937	13	30 (obiit.	Tib. Cl. Nero. P. Q. Varus.	Maria concipitur sioe pecc.
3938	12	31	M. Val. Mess. P. Sulp. Quirin.	Maria nascitur.
3939	11	32	P. Fab. Max. Q. Ælius Tubero.	*
3940	10	33	Q. F. Max. Afr. Iul. Ætonius.	*
3941	9	34 Drusus mor.	Cl. Dr. Nero. T. Qui. Crispin.	*
3942	8	35 Augustus	Mar. Cens. C. Asinius. Gallus.	*
3943	7	36 (emendat	Cl. Tib. Nero. Cn. Calp. Piso.	*
3944	6	37 (Calendar.	D. Læl. Balbus. C. Ant. Vetus.	Præsentatur in templo.
3945	5	38 Iani Tem-	Augustus Cæs. 12. L. Cor. Sylla.	*
3946	4	39 (plum clau-	C. Calv. Sab. a. L. Pass. Rufus.	*
3947	3	40 (ditur.	C. Co. Len. M. Val. Mess.	*
3948	2	41	L. Aug. Cæs. 13. M. Pl. Sylva.	*
3949	1	42	Corn. Lent. L. Calp. Piso.	*
3950	1	43	M. Min. Rufus Sp. Post. Albin.	*
3951	2	44 Macer.	Q. Cæc. Met. Num. M. I. Sylla.	Maria Virgo Verbum Æternom
3952	3	45	Ser. Sulp. Galba M. A. Scaurus.	* (adnunciatum ab Angelo
3953	4	46 Higinus.	L. Cass. Longinus C. Marius.	* (mense Martio concipit, &
3954	5	47	Q. Ser. Cæpio C. At. Serranus.	* (Decembri parit.
3955	6	48	P. Rut. Rufus C. Man. Maxi.	*
3956	7	49 Germanic⁹.	C. Marius 2. C. Fla. Fimbria.	*
3957	8	50 Archelaus.	C. Marius 3. L. Aur. Orestes.	*
3958	9	51 Ovidius ex	C. Marius 4. Q. Catulus.	*
3959	10	52 (ulat.	C. Marius 5. Manl. Aquilius.	*
3960	11	53	C. Marius 6. L. Val. Flaccus.	*
3961	12	54	M. Antonius A. Posth. Albin.	Christus in templo disputat
3962	13	55	Q. Cæcil. Metellus. T. Didius.	(cum Doctoribus. *Luc.* 2.
3963	14	TIBERIUS	C. Corn. Leot. P. Lici. Crassus.	*
3964	15	2	C. Dom. Ahenob. C. Cass. Long.	*
3965	16	3	L. Lic. Crassus. Q. Mut. Scæu.	* His annis intermediis quid
3966	17	4	C. Caldus L. Dom. Ahen.	* egit Christus? quid Deipara?
3967	18	5 Livius mor.	C. Vall. Flaccus M. Herennius.	* Nescimus.
3968	19	6	C. Claud. Pulcher M. Herpenna.	*
3969	20	7	L. Martius Phil. S. Jul. Cæsar.	*
3970	21	8	L. Julius Cæsar. P. Rut. Lupus.	* Christus post disputationem
3971	22	9	Cn. Pomp. Strabo L. Por. Cato.	* in templo habitam mansit
3972	23	10	L. Cor. Sulla Q. Pomp. Rufus.	* subditus illis: hoc est Ma-
3973	24	11	Cn. Octavius L. Corn. Cinna.	* riæ & Iosepho.
3974	25	12 Strabo mor.	C. Marius 7. L. Cor. Cinna 2.	*
3975	26	13 Valerius	L. Cor. Cinna 3. Cn. Pap. Car.	*
3976	27	14 (Max. Mor.	L. Cor. Cinna 4. Cn. Pap. Car.	*
3977	28	15	L. Cor. Asiat. C. Nor. Flac.	Christus baptizatur. *Luc.* 3.
3978	29	16	C. Marius Jun. C. N. Carbo 3.	Pascha I. *Ioann.* 2. 13.
3979	30	17	M. Tull. De Cn. C. Dolabella.	Pascha II. *Luc.* 6. 1. *Matth.* 12. 1.
3980	31	18	L. Cor. S. Fel. 2. Q Cæc. M. Pius.	Pascha III. *Ioann.* 6. 4 *Marc.* 7. 1.
3981	32	19	P. S. Vat. Isauric. A. Cl. Pulcer.	Pasch. IV. *Luc.* 9. 51. *&* 10 2. *Mat.* 9
3982	33	20	M. Æm. Lep. Q. Luct. Catulus.	Pascha V. *Ioann.* 11. 55. ante hoc
3983	34	21	D. Jun. Br. Mao. Æm. Lepidus.	(passus & mortuus Christus fuit
3984	35	22	Cn. Octavius C. Scrib. Curio.	(feriâ sextâ.

3985	36		L. Octavius C. Aurel. Cotta.	*
3986	37	C. CALI-	L. Lic. Luc. M. Aurel. Cotta.	*
3987	38	2 GVLA.	M. Ter. Varro Luc. C. Caß. Va.	Pilatus sibi mortem conscit.
3988	39	3	L. Gell. Publ. Gn. Cor. Lentul.	*
3989	40	4	Cn. Auf. Orestes P. C. L. Sur	*
3990	41	CLAVDIVS.	Cn. Pomp. M. M. Cic. Crassus.	* Multa & ea præclara
3991	41	2	Q. Hort. Orat. Q. Cæc. Metell.	* Diva egerit post mortem
3992	43	3	L. Cæc. Met. Q. m. Vatia Rex.	* Christi, sed nullus illa
3993	44	4	C. Calp. Piso M. Aul. Glabrio.	* Literis consignavit.
3994	45	5	M. Æm. Lep. L. I. Volc. Tullus.	*
3995	46	6	L. A. Cot. 2. L. Manl. Torq. 2.	*
3996	47	7	L. Iul. Cæsar. C. Mart. Figulus.	*
3997	48	8	M. Tull. Cicero. C. Aotonius.	*
3998	49	9	D. Iun. Sillanus L. Cic. Mure.	Synodus Apostolorum. *Act.* 15. *Gal.* 2.
3999	50	10	M. P. Calp. Piso M. Val. Mess.	Paulus Athenas venit. *Act.* 17.
4000	51	11	Q. Cæc. Met. Celer L. Afranius	Deipara moritur.
400	52	12	C. Iul. Cæsar. M. Calp. Bibulus.	Paulus venit Ephesum.
4002	53	13	L. Calpurn. Piso A. Gabinius.	Paulus redit Ephesum. *Act.* 20.
4003	54	NERO.	P. C. L. Spinter Q. Cæc. Metell.	*
4004	55	2	C. Cor. Lent. L. Mar. Philippus.	Capitur Hierosolymis. *Act.* 23.
4005	56	3	Cn. Pomp. M. 2. M. Lic. Cr. 2.	*
4006	57	4	L. Dom. Athen. Ap. CL. Pulcer.	*
4007	58	5	Cn. Dom. Calv. M. V. Messal.	Mittitur Romam.
4008	59	6	Cn. Pomp. M. Q. Cæc. Metell.	*
4009	60	7	S. Sulp. Rufus M. Cl. Marcel.	Marcus scribit Euangelium.

Maria duodennis Christum parit,

Sic discurrere placuit; & sententiam, quam sumus sequuti, nunc firmamus. Cætera pleraque à Christi nativitate pendent. Sanè tenera adhuc fuit virgo, cùm Christum peperit. Melleus Bernardus *epist.* 42. vidisse se uniores ait, *qui moribus æquarent dies, prævenirent tempora meritis, & quod ætati deest, compensarent virtutibus.* Horum Princeps est Diva, quæ duodennis peperit Salvatorem asserente Augustino, aut illo saltem, qui scripsit librum de mirabilibus Sacræ Scripturæ.

Septennis præsentatur.

Præsentationem, licèt in annum secundum aut tertium multi ponant, nos in septimum maluimus rejicere, ut sequeremur Aelrededum *homil. de Iesu duodenni*, qui ait, *Septimum annum spiritus sapientiæ advehit, qui de legis divina meditatione procedit.*

Ex anno ætatis suæ 63. dormivit.

Vixit Beatissima Virgo sexaginta tres annos: Ita habet communis Doctorum opinio, quam teste Franc. Turiano *lib.* 3. *pro Epist. Pontif.* numero globulorum rosatij confirmamus. Eamdem habet Dionysius Carthusianus *libr.* 4. *de laudibus Virginis art.* 6. & alij plures. Et quidem Cedrenus *in Compend. hist. in Tiberio*, Epiphanius Presbyter Constantinopolitanus *in vitâ Virginis*. Cardinalis Baronius *ad annum Christi* 48. Canis *libr.* 5. *de B. Virg. cap.* 1. Suarius *tom.* 2. *in* 3. *part. disp.* 21. *sect.* 1. & alij, docentes Divam anno ætatis suæ sexagesimo secundo excessisse, non videntur à communi sententiâ dissentire, obiit enim Diva anno LXII. completo, & LXIII. incõpleto.

[NOTA. Quoad annos mundi, Consulum, & Imperatorum, sumus sequuti Helvicum, in quo licèt olim aliqua correcturi sumus, hodie nihil immutare volumus.]

Caramuelis Metalog. Lib. X.

THESIS XXVI.

De Actionibus Marianis.

MCCCCXXXI. Quid generationis nomine intelligatur.

APud Lucam cap. 1. vers. 48. inquit Deipara, *Quia* (Deus) *respexit humilitatem ancillæ suæ; ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Scio hîc generationum nomine Expositores intelligere nationes & ætates futuras; & licèt hæc expositio & communis & bona sit, aliam subjungo. *Omnes generationes* ait Virgo-Mater, & meritò: quia Generatio est duplex: activa & passiva; & ob utramque Virgo beata est.

Mariana conceptio.

Generatio passiva, quam *Conceptionem* dicimus, beata est: omni enim originali culpâ caruit; tota Virginis vita beata est, quia omni peccato actuali caruit: & Generatio activa beata est, quia genuit Salvatorem mundi Dominum Deum nostrum.

Maria Dei mater.

An Patri-mater, aut Matri pater

Christi vera fuit mater; non Patri-mater aut Matri-pater; ut Iuniores nonnulli subtiliùs potiùs, quàm securiùs affirmant. Cùm quæritur, Quo illa modo concurrerit? est examinandum priùs quo cæteræ fœminæ concurrant modo, & sublatis omnibus circumstantiis, quæ indecentiam involvunt, cæteræ sunt admittendæ. Deipara igitur concurrit ad Christi generationem activè & materialiter; quoniam cæteræ fœminæ utroque modo ad generationem concurrunt.

Quomodo Christum genuerit

Corporis & Animæ unio à matre producitur.

Subministravit igitur purissimam materiam ex quâ conformaretur Christi Domini corpus, & ad unionis, quæ corpori animam adnectit,

nectit, productionem influat activo concursu.

Unio triplex in Christo. Et ne hic aliqua fit æquivocatio, ajo tres esse uniones in Christo, duas partiales & hypostaticas (nimirùm corporis ad Verbum, & animæ ad Verbum) ex quibus completur unio hypostatica integra humanitatis ad Verbum: & unam physicam inter corpus & animam: & hanc unicam generatione suâ activâ Virgo tetigit.

An singulæ compositæ sint? Sed quales sunt hæ tres uniones? simplices, an compositæ? Placet nunc inter duo extrema duas uniones admittere: ergo unio physica in Christo est duplex: nam componitur ex duabus unionibus partialibus, quarum *Unio physica.* altera inest corpori & terminatur ad animam: & altera inest animæ & terminatur ad corpus. Ergo unio hypostatica in Christo est *Unio hypostatica.* duplex: altera increata, ratione nostrâ à Personalitate distincta, quæ ratione etiam nostrâ inest personalitati Verbi, & ratione iterum nostrâ terminatur ad Divinam naturam primariò, & ad humanam secundariò: altera creata, quæ inest humanitati & terminatur ad personalitatem Verbi æterni.

THESIS XXVII.

De Passionibus Marianis.

MCCCC XXXII. *Quomodo distinguatur à passione propassio?* PEtis, An Beata Virgo habuerit miserias & passiones? & respondeo Theologos Passiones à Propassionibus distinguere, ita ut illarum nomine moralem aliquam indecentiam intelligant, quam nolunt in his reperiri. Et quidem hoc sensu Mariæ Virgini immaculatæ passiones universas negabimus. At quia Metaphysici sumus, & hac distinctione impræsentiarùm non egemus, passionum nomine mutationes reales & physicas intelligemus præsciodendo à moralibus: & hoc sensu inquiremus, An Deipara passiones habuerit? An fuerit temporum & elementorum inclementiam perpessa? An habuerit morbos? An fuerit mortua? An resurrexerit? An sit corpore & animâ in cœlo?

An possit Deus innocentem affligere? Respondent aliqui nullam à Deo posse Animam innocentem affligi: & inferemus; ergo beata Virgo non fuit innocens. Quid dicent? Audire illos non volo; quoniam blasphemias contra Divam non patiar. *Pœna & pœnalitatis differentia.* Pœnam à pœnalitate distinguo: illam criminis correlativam dico; hanc verò sanctitatis ornamentum: & quia Deipara sanctissima fuit, nullam pœnam, at multas fuit pœnalitates perpessa. Passa ab elementis frigus, æstum, &c. morbos non habuit; at eodem miraculo illos habere potuit. Obiit tandem, & fuit ab Apostolis *Resolutio.* sepulta. At illud purissimum corpus paulo post sui obitûs diem ad Empyreum translatum Veterum Patrum & Juniorum Doctorum consensus communis affirmat. S. Joannes Damascenus Orat. 2. de dormitio Beatissimæ Virginis Mariæ: *Huic* (Deiparæ) *recta plana & facilis ad cœlum parata est via* *Maria corpore & animâ est in cœlo.* *Si enim, Ubi ego sum, illic & minister meus erit, inquit vita & veritas Christus: quomodo non potiùs Mater cum ipso erit.* Subsumo. At Christus corpore & animo in Empyreo est: *N.B.* ergo & Diva. Consequentia, si ageremus de aliâ creaturâ, esset forte non fortis: at quia agimus de singulari Virgine, singularissimo privilegio bona est.

THESIS XXVIII.

De Ubicationibus & Peregrinationibus Marianis.

UBicatio motu locali adquiritur, & Deipara vix est permissa quiescere; nam illam causæ internæ & externæ ad varias civitates aut etiam provincias ablegarunt. De ejus peregrinationibus alij Authores sparsim, at Ioannes Baptista Poza in Elucidario Mariano multa congerit, quæ poterunt utiliter legi. MCCCC XXXIII. *Quoties ubicatio adquiratur?* *Libro I. tract. 9.* agit de peregrinationibus Deiparæ ante conceptum Christum. *tract. 10.* de festinationibus peregrinationum Mariæ post conceptum Salvatorem. *tract. 11.* de primâ peregrinatione post conceptum Christum ad montana Iudæ. *tract. 12.* de peregrinationibus Deiparæ post reditum è montanis Iudææ usque ad expeditionem in Ægyptum. *Peregrinationes Marianæ.* *tract. 13.* de peregrinationibus Mariæ ad Ægyptum & in Ægypto. *tract. 14.* de peregrinationibus Divæ in obsequium templi post reditum ab Ægypto. *tract. 15.* de peregrinationibus Virginis triennio prædicationis Christi. *tract. 16.* de fugâ & navigatione Mariæ ad Ephesum. *& tandem tract. 17.* de reliquis omnibus peregrinationibus. *An Maria navigaverit.*

THESIS XXIX.

De Vacuo Mariano.

MCCCC XXXIV. *An cœli sint solidi?* *Quomodo fiat rarefactio.* HOc nomine illud Vacuum intelligo, quod translatione corporis Mariani ad Emphyreum causatur. Si enim cœli sunt duri & solidi, quod multi affirmant: & sublunaria corpuscula occupare majus spatium nequeunt, quod tenet Arriaga & cum illo nonnulli opinantes rarefactionem fieri non laxatione partium ad maius occupandum spacium, sed intromissione corpusculorum: Si inquam, hæc duo dicantur, non *Resolutio totam difficultatem.* poterit Deus adnihilare in sublunari mundo unum corpus, quin detur vacuum. Et, quia perinde est, adnihilare & extrahere, non potuit Deus corpus Beatissimæ Virginis Mariæ (& idem dicendum est de Christi corpore) ad Empyreum transferre, quin tantum

spacium

ſpacium, qnantum occupabat in terris, vacuum reliquerit.

THESIS XXX.

De Situ Mariano.

MCCCC, XXXV. Principes ſtant.

OMnes ſituationes materiales & phyſicas habere potuit: nulla enim ratio jubet ne ſederit, jacuerit; ſteterit, &c. at, quia ſtare Imperatorum eſt, unde illud *Oportet Imperatorem ſtantem mori.* ſtare Diva in cœlis dicitur, & ſtetiſſe in terris. Canit Eccleſia, *Stabat mater doloroſa, juxta crucem lachrymoſa*, &c. & S. Antoninus 4. part. tit. 15. cap. 41. §. 1. *Stabat beatiſſima Virgo ubique ſuam voluntatem conformans Divinæ, ac repetens illud Ecce ancilla Domini, &c. & illud Fiat voluntas tua, &c.*

De ſitu, quem in utero ſervant infantes, multa Naturales Philoſophi, multa Medici: & de ſitu, quem in conceptione ſuâ habuit Deipara, multa Theologi. Placet huc referre unum partagraphum ex Pozæ Mariano Elucidario: In cujus *libr. 3. tract. 9. cap. 4.* ſic inquit. [Siqdis tamen ſic pro Mariâ in materno utero ſtatuere contendat, ut inſuetum illa ſitum ob prædictas cauſas adepta ſit, plura ex poſitione corporis ad myſticam intelligentiam derivabit: producam nonnulla intentis oculis ad ſitum morientis Chriſti; & initia redemptionis noſtræ ad conceptum Mariæ. Ieſus inclinato capite tradidit ſpiritū, Chryſ. hom. 84. *ut non neceſſitate, ſed voluntate ſe mori oſtenderet.* Maria primum accipit ſpiritum in corpuſculo diverſum habente ſitum à communi lege naturæ, ut non tam illius edictis, quam privilegiis gratiæ producta videatur. Inclinato capite, inquit Laurentius Iuſtin. lib. de triumphali agone cap. 20. emiſit Ieſus ſpiritum, quia cùm caput Chriſti Deus ſit, illum *liquefecit ad miſericordiam, flexit ad gratiam, inclinavit ad indulgentiam*, Maria ſive flexis genibus concepta, ſive erecta, orantis, & ſupplicantis ſitum monſtrat, ut Deum mulceat, & flectat & inclinet: non convoluta faſciis, aut facie in genua compoſita producitur, ne vel ipſa membrorum compoſitio averſam adeò vultum repræſentet. Antonius Ghiſlandus quæſt. 302. in Dom. Palm. inclinate capite Chriſtum obiiſſe arbitratur, ut obedientiam præferret: Maria novo illo ſitu, & obedientiam oſtendit & alacritatem, & expeditionem ab impedimentis. Lanſpergius homil. 52. de paſſione propterea inclinato capite mortuum ait Ieſum, quod onere gravaretur noſtrorum peccatorum, quæ ipſe portabat. Maria quod ne originalem quidem maculam haberet aut habuiſſet, nullis membranarum vinculis impedita concipitur, ſed libera, ſoluta & erecta; non enim culpæ alicujus onera geſtabat. Sanctus Athanaſius quæſt. 6. ad Antiochum. *Quia mors* (inquit) *Chriſtum metuens ad ipſum non audebat accedere, Chriſtus inclinato capite eam vocavit.* Maria, quia viventium mater, ab ipſo conceptu declaratur; non inclinato in genua capite; ſed ſublimis & erecta locatur facie in utero: ſic filius graſſantem mortem allicit, ut eam aboleret, mater longinquam vitam advocat, ut illam propagare queat. Ieſus inclinato capite emiſit ſpiritum, ut ſe non averſum à nobis hâc quaſi imagine fugaret. Maria erectâ facie primum capit ſpiritum, ne in ipſo conceptu à Deo averſa; ſed ad ipſum anhelans exiſtimetur. Inclinato capite omnes ſui corporis partes luſtrat Ieſus, erat enim ſacra illa caro, & Deo & hominibus ſpectanda; Maria non ſe, ſed Deum ipſum ſpectans novo quodam ſitu, & habitu intra maternum uterum adumbratur. Verum, quod hoc philoſophandi genus modum exigat & menſuram, ab eô ſuperſedeo: Sat fuerit oſtendere nihil tam jejunum eſſe, ſi legitimè examinetur, quod non multas & varias capiat intelligentias.]

Mariæ ſitus.

Chriſti ſitus.

Cur inclinato Chriſtus capite tradiderit ſpiritum?

THESIS XXXI.

De Habere Mariano.

MCCCC XXXVI. Mariæ domus Lauretana.

QVid habuit in terris Maria; quod ad habendi prædicamentum ſpectet? Domum pauperem, & paucas veſtes. Domus miniſterio Angelorum, iterùm iterùmque tranſlata fuit: & hodie apud Lauretum ſummâ totius Europæ religione colitur. E veſtibus tunica ditat Alderſpacenſe Cœnobium in Bavariâ, cujus materia craſſa & vilis pretioſiſſimis gemmis & unionibus, à multorum devotione oblatis; hodie integitur.

Tunica.

An Deipara Regina fuerit.

At multo jure. Angelorum Regina poſſidebat, quibus carebat actu: & ut hanc ego veritatem dilucidem; & Dialecticam Marianam promoveam, pronuntio hanc eſſe bonam conſequentiam, *Maria eſt concepta ſine peccato originali, ergo eſt domina totius orbis terrarum.* Videbitur illatio incontinua aut difficilis; ſed eſt ſecuriſſima, & inde ſecuritatem habet, quod Adamo innocenti omnia fuerint ſubjecta: nam ut ait Rex Pſalm. 9. *Quid eſt homo, quod memores eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum?* ſi naturam reſpiciam, *minuiſti eum paulo minus ab Angelis*: ſi gratiam, *gloria & honore* (hoc eſt, innocentiâ originali & gratia actuali) *coronaſti eum ſuper opera manuum tuarum. Omnia ſubjeciſti ſub pedibus eius; aves & boves univerſas inſuper & pecora campi: volucres cœli & piſces maris, qui perambulant ſemitas maris.* Si in innocentiæ ſtatu permanſiſſet; hanc juriſdictionem & dominium ille & eius poſteri univerſi conſervaſſent. Peccavit, & factus eſt ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus. Privatus eſt juſtitiâ originali; & omnibus juribus, quæ eam concernebant. Nos habemus actualia peccata nimis multa: originarium in nobis, imò etiam in Adamo incurrimus: & quia pœna peccatum ſequitur,

Nota hanc bene.

An Adamus fuerit Rex?

Cur regno carent?

Quotitulo Reges hodie præsideant?

tur, omni iure quod habebat Adamus in creaturas, justissimè privati sumus; nam si quod hodie habemus, illud nititur ab alio titulo. At Maria nullam actualem culpam habuit, fuit sine macula concepta, non peccavit in Adamo, nec eius prævaricationis fuit particeps, non ergo esse debet supplicij consors. Retinet ergo jus, quod retinuisset Adamus, si non peccasset. Est igitur Domina totius orbis terrarum.

SVPPOSITIONES PHILOSOPHICÆ

Quatuor celeberrimis Scholis (nimirùm, Reali, Modali, Formali, & Expressivæ) correspondentes.

ARGVMENTATVRIS.

Quomodo suppositiones & Positiones differant.

SÆpe Positiones in prælum & in prælium misimus: nunc verò suppositiones damus, & quia nomen ipsum est novum, quid illa sint, & cur in prælum data, & prælio non sint committenda, Eximij, Eruditissimi, & Doctissimi Domini, interrogatis: & Ego paucis verbis respondo. POSITIONES *Latinè, Græcè* ΘΕΣΕΣ *vocamus, Assertiones, quæ propugnandæ proponuntur, contra quas volumus ut insurgant Ingenia, & argumentorum tela explodant. Sed* SVPPOSITIONES *Latinè, Græcè* ΥΠΟΘΕΣΕΣ, *eas Propositiones dicimus, quas supponi tanquam fundamentales volumus, & in dubium reduci non volumus. Quatuor diebus distinctis (sic Academicus mos habet) Theologiam defensuri sumus, & quia singulis vicibus fundamentis diversis insistemus, volumus eadem ipsa Fundamenta evulgare, ut clariùs liquidiùsque doctrinæ cognoscatur varietas, ne hanc fortè inconsequentiæ adfingat aliquis, quam summa consequentia debebit. In prima igitur disputatione* SCHOLAM REALEM *profitebimur, & Theologiam totam, quanta est, Philosophiæ Reali attemperabimus. In secunda* SCHOLAM MODALEM *sectaturi, Philosophiam Modalem supponemus, & Assertiones universas Theologicas ad hæc fundamenta elimabimus. In tertia* SCHOLÆ FORMALI *subscribemus, & Philosophiam Formalem supponendo, quidquid hucusque aut per realitates aut modalitates explicuimus, per Formalitates salvabimus: aut ad mentem Scoti Formalitates ante mentis operationem admittentes, aut ad mentem Angelici Doctoris, illas fieri (distingui) ab intellectu pronunciantes. Et tandem disputatione quarta* SCHOLAM EXPRESSIVAM *tenebimus, & ad expressiones, relationes, & connotata recurrentes magno realitatum compendio omnia dilucidabimus.*

Theologia tota Physicis suppositionibus fundatur. — *Schola Realis.* — *Schola Modalis.* — *Schola Formalis & hæc est duplex, videlicet, Thomistica & Scotistica.* — *Schola Expressiva.*

Sed quo nos modo suppositiones tam diversas, aut adversas poterimus eadem pagina & contextu proponere? An non etiam deberemus diebus singulis suppositiones diversas evulgare? Debemus, & præstamus: & quia brevitatem diligimus omnes quatuor SCHOLAS *eadem pagina repræsentamus. His vocibus* Entitas, Entitativus, *&* Entitativè, *magno utemur consilio: & prima die* Entitatis *vocabulo intelligemus Realitatem, secunda* Modum, *tertia* Formalitatem, *& demum quarta* Expressionem *seu* Connotationem. *Et consequenter* Entitativum *prima die* Reale, *secunda* Modale, *tertia* Formale, *& quarta* Expressivum *significabit. Et tandem pro dierum varietate* Entitativè *distingui aut identificari dicentur, quæ* realiter, modaliter, formaliter, aut

Hæ quatuor Scholæ eadem pagina comprehenduntur. — *Vocum Entitas, Entitativus, & Entitativè varia significatio.*

aut connotativè. *Hanc ego ob rem has easdem voces nimirùm*, Entitas, Entitativum, Entitativè *expressi charactere diverso, ut meus moneatur Lector easdem esse æquivocas, & à disputationis die prima, secunda, tertia, quarta adsignificationem Realem, Modalem, Formalem, Expressivamque determinari. Has igitur suppositiones tanquam Prima Principia adsumetis, & his armis instructi poteritis Theologicas Positiones, quas sum defensurus, invadere. Has easdem Ego, ut Vobis satisfaciam adsumam; ita ut eadem Asserta clypeos dent Mihi, & Vobis arma. Valete. Dedi Lovanij decimo Calendas Februarias Anni M.DC.XXXVIII.*

I.

De Causis in genere.

MCCCC XXXVIII. *Quæ & quot sint Causæ?*

QVatuor sunt: Materialis, Formalis, efficiens, & Finalis. His adnumerant Iuniores quintam, Exemplarem videlicet, quam etiam cognoverunt Veteres, non tamen esse quintam putarunt, nam ad Finalem potest facillimo negotio reduci. Ex his, duæ priores (Materialis & Formalis) sunt intrinsecæ: & duæ posteriores (efficiens & Finalis) extrinsecæ.

An materialis & formalis sint diversæ causæ? *An etiam efficiens & finalis?*

Sunt, qui existiment Materialem Formalemque esse eamdem causam, sunt qui addubitent: nam, sicut in Continuo seu in toto Integrali, in eodem genere causæ unitur pars A parti B, quo pars B parti A, sic etiam in toto Physico videretur in eodem genere causæ Corpus uniri Animæ, quo Anima Corpori. Sunt, qui efficientem Finalemque materialiter tantùm distinguant, asserentes, Causam extrinsecam, si realiter operetur, vocari Efficientem; &, si intentionaliter, Finalem. Omnia hæc, si bene ponantur & expendantur, probabiliter possunt defendi, at nolumus discedere à doctrinâ communi, & numerum Causarum minuere, quem conservat præscripta multorum sæculorum authoritas, & rationes meliores & certiores confirmant.

THESIS II.

De Principiis intrinsecis rerum naturalium.

Coincidunt varia nomina.

PRincipium intrinsecum, *Causa intrinseca*, & *Pars* tria sunt apud Physicos nomina, & unates; idem est enim examinare, *Quot & quæ sint rerum naturalium principia?* ac inquirere, *Quot & quæ sint corporum intrinsecæ causæ, seu partes?* Principia igitur Corporis sunt Materia, Forma, & Privatio. *Quot sint principia?*

Quid sit materia prima? Materia prima est primum omnium formarum aut etiam mutationum subjectum: & semper est principium intrinsecum.

Caramuelis Metalog. Lib. X.

Quid sit forma? Forma substantialis est actus & materiæ substantialis perfectio: & ipsa nō semper est principium intrinsecum: nam in conversione substantiali, terminus *à quo* est principium extrinsecum, & terminus *ad quem* intrinsecum. Sicut de Formâ, sic etiam de Privatione philosophabimur: Privatio enim est quædam forma negativa. Sanè Privatio, quando est terminus *à quo*, est principium extrinsecum; & quando est terminus *ad quem* est intrinsecum; videlicet, corporis geniti. *Quid privatio?*

Duplex physici corporis consideratio. Corpus Physicum solet bifariam considerari: nempè *in fieri*, & *in facto esse*. Consideratum *in fieri*, pendet à principiis intrinsecis & extrinsecis, & consideratum *in facto esse*, tantummodò pendet ab intrinsecis.

III.

De Transmutatione, aut Conversione.

MCCCCXXXIX. *Varia explicantur nomina.*

C*onversio*, *Transmutatio*, & *Generatio physica* etiam sunt tria nomina, quæ significatione non differunt. Est igitur Conversio transitus Materiæ ab unâ formâ ad alteram. Et hic transitus est triplex: Positivo-positivus, Positivo-negativus, & Negativo-positivus. *Conversio triplex.*

Positivo-positiva. Conversio positivo-positiva, est transitus materiæ ex unâ formâ positivâ ad aliam formam positivam, Talis est apud Peripateticos conversio ligni in ignem; materia enim, quæ habebat formam ligni transit ad formam ignis; in quo transitu lignum convertitur in ignem.

Positivo-privativa. Conversio positivo-privativa, est transitus materiæ à formâ positivâ ad ejusdem formæ privationem. Sic Scotistæ explicant hominis mortem; quia cùm forma cadaverina apud ipsos nihil sit aliud, quàm discessus Animæ Hominis; mors erit quædam substantialis conversio, vi cujus corpus humanum transit à possessione Animæ rationalis ad ejusdem Animæ rationalis carentiam. *Forma cadaveris.* *Quid sit mors?* Et, si clariora desideres, accidentales conversiones considera: hæ enim ut meliùs substantiales intelligas, te juvabunt. *Accidentales conversiones.* Igitur ad conversionem diei in noctem converte oculos, ad eclipsim Lunæ; aut universim loquendo, ad obscurationem corporis lucidi, quando

 enim

enim lucidum convertitur in tenebrosum, à luce, quæ est forma positiva, ad tenebras, quæ sunt lucis privatio & absentia, transitur.

Privativo positiva conversio. Conversio privativo-positiva inter terminum privativum & positivum exercetur. Talis est transitus noctis in diem, tenebrarum in lucem, mortui in vivum ? &c.

Conversionis termini Termini (scilicet *à quo* & *ad quem*) sumuntur formaliter & totaliter: primâ acceptione dicunt formas tantummodò: & secundâ composita. unde, cùm Petrus moritur, termini formales huius transmutationis, sunt Anima rationalis & Forma cadaverina (quidquid hæc sit) at termini totales sunt Petrus vivus, & Petri cadaver.

IV.

De Causa Materiali.

MCCCCXL. *Explicatio nominum.* CAusa *Materialis* vocabulum latiùs patet, quam *Materia-prima* ? omnis enim Materia-prima est causa materialis, sed non contra: multæ enim res spirituales, aut etiam supernaturales, officium Causarum materialium exercent, & tamen ab imperfectionibus Materiæ-primæ longè absunt.

Arist. libr. 2. Phys. Quid Causa materialis sit? Est autem Causa materialis apud Peripateticos *id, ex quo aliquid fit*: vel clariùs, *est id, ex quo velut ex parte subjectiva fit aliquid.*

Radix. Potentia. Causalitas In Causâ materiali reperitur Radix, Potentia, & Causalitas. Radix est ipsamet realitas Causæ. Potentia est quædam *entitas* realitati causæ *entitativè* superaddita, & ab eâdem *entitativè* etiam distincta, quæ dat recipiendi virtutem: & hæc virtus est receptiva *ut quo*, & pertinet ad actum primum. Causalitas est ipsamet unio; quæ est Causæ materialis exercitium & pertinet ad actum secundum.

V.

De Causa Formali.

MCCCCXLI. *Nominum explicatio.* CAusa *Formalis* vocabulum latiùs patet, quàm *Forma substantialis*: omnes enim Formæ substantiales consideratæ ut informant & perficiunt materiam, sunt Causæ formales ? sed non contrà: multa enim accidentia officium Causarum formalium exercent, & tamen à perfectione Formæ substantialis deficiunt.

Quid forma substantialis sit Est autem Causa formalis apud Peripateticos, *id per quod aliquid fit intrinsecè.* Vel clariùs, *est id, per quod velut per partem informantem & actuantem fit aliquid.*

Radix. Potentia. Causalitas In Causâ formali reperitur, Radix, Potentia, & Causalitas. Radix est ipsamet realitas causæ. Potentia est quædam entitas realitati Causæ *entitativè* superaddita, & ab eadem *entitativè* etiam distincta, quæ dat informandi virtutem: & hæc virtus est informativa *ut quo*, & pertinet ad actum primum. Causalitas est ipsamet unio: quæ est Causæ formalis exercitium & pertinet ad actum secundum.

Distinctio materiæ & formæ. *Sed quomodo Materia prima & Forma substantialis distinguuntur?* Si interrogatio sit de corpore & Animâ hominis responsio est facilis, constamus enim Fidei, rationi, & sensui & Animam separatam realiter à corpore humano distingui dicimus: & Animam, quamdiu corpus informat, etiam realiter condistingui putamus. *Corporis & Animæ rationalis.* Si autem agatur de formis substantialibus materialibus, illas omnes à materiâ primâ *entitativè* distinguemus.

Formarum classes. Pro coronide hujus Articuli sciendum est, Formas reduci ad tres præcipuas classes: aliæ enim sunt substantiales, aliæ accidentales, aliæ charactericæ seu essentiales. *Forma substantiales accidentales: & essentiales.* Forma substantialis pertinet ad prædicamentum substantiæ & substantialiter materiam perficit. Forma accidentalis pertinet ad alia prædicamenta, & suo subiecto inhæret. Forma essentialis est accidentalis characterica, quæ requiritur ut intrinsecè constituatur subjectum in esse talis denominationis: nam *Gigas, Pygmæus, Æthiops, Senex, Puer, Infans,* distinguuntur inter se, & non per formas substantiales, nec per formas pure accidentales, sed per essentiales, seu accidentales charactericas ? *Concreta characterica: quæ sint quo constituantur modo, & definiantur* *Gigas* enim præter humanitatem dicit magnam corporis molem, & hoc accidens non dicit accidentaliter, nam illo sublato non manet Gigas: ergo dicit illud essentialiter & characterice. Et quidem accidentia essentialia ingrediuntur definitiones concretorum ejusmodi: quoniam Gigas est homo magnus: Pygmæus est homo parvus: Æthiops est homo niger: Senex est homo annosus: Puer est homo qui nondum ingressus est adolescentiam: Infans est homo, à paucis diebus aut mensibus natus.

***

VI.

De Vnione.

Quid sit unio *& quotuplex.*

MVltæ sunt controversiæ circa essentiam unionis : & dum alii aliter philosophantur, nos breviter totam hanc difficultatem expediemus dicentes, Vnionem esse quandam *entitatem entitativè* à subjecto distinctam. Vnio in quocumque Composito (Physico aut Integrali) duplex est : nam in igne v. g. alia est unio, quâ materia unitur formæ; aliâ, quâ forma unitur materiæ : illa est causalitas materiæ, hæc formæ : illa dicitur *materializatio*, hæc *informatio*.

Vnionis divisio.

Vnio est duplex substantialis & accidentalis; illa interest materiæ & formæ substantialium : hæc vocatur inhæsio, & reperitur aut inter substantiam & accidens, aut etiam inter accidens & accidens: Quantitas enim est accidens substantiæ materiali inhærens : & Qualitates materiales, quas primas vocant, sunt accidentia Quantitati inhærentia : & Qualitates secundæ sunt accidentia inhærentia primis Qualitatibus.

Accidentium subjecta.

Quando accidens unitur accidenti, intersunt duæ uniones partiales, quarum utraque est accidentalis: Quando unitur accidens substantiæ, intersunt etiam duæ partiales uniones, quarum altera; quæ se tenet ex parte substantiæ est substantialis; & altera, quæ se tenet ex parte accidentis, est accidentalis : unde dicendum est, substantiam corpoream substantialiter Quantitatem recipere & Quantitatem accidentaliter eamdem substantiam informare. Quando substantia unitur substantiæ utraque unio est substantialis. In homine inter Corpus & Animam rationalem duplex est unio; utraque substantialis : nam partes, quæ his nectuntur unionibus sunt substantiales : at altera, nam se tenet ex parte Corporis, est materialis; & altera, nam se tenet ex parte animæ, est spiritualis. Et tandem, quando alterum extremum est naturale & alterum supernaturale; unio quæ ex parte naturæ se tenet, erit naturalis; & altera supernaturalis. Sed quid est supernaturalitas? Nolo è Physicis egredi, sed quia me rogas, esse *Entitatem entitativè* ab Entibus naturalibus distinctam assero.

De unione Animæ & Corporis.

De unione rerum supernaturalium. *Supernaturalitas quid?*

VII.

De Passione.

MCCCC XLIII. *Quæstiones nonnullæ proponuntur.*

SVccurrunt controversiæ difficiles, & inter alias *Prima est*, Quid sit Passio; *Secunda*, An distinguatur ab ipsa materia? *Tertia*, An distinguatur ab Vnione? *Quarta*, à quonam producatur? Quinta An per veram actionem producatur? *Sexta*, an duæ sint passiones in productione formarum, altera respectu formæ, & altera respectu unionis?

Quid passio sit?

Respondetur *ad primam* Passionem esse *entitatem quamdam. Ad secundam & tertiam* Passionem considerari posse ut radicem, ut potentiam, & ut actum. Passio ut radix, est ipsamet materia prima : ut potentia, est illa potentia materiæ quam appellamus Receptivam, ut actus (secundus videlicet) est materiæ causalitas : nimirùm illa unio, quæ se tenet ex parte materiæ & terminatur ad formam. *Ad quartam* dicendum est neutram unionem substantialem, (hoc est; nec materializationem, quæ vocatur *Passio*, nec unionem alteram; quæ vocatur *Informatio*) à suo subjecto efficienter produci : materiæ enim non est producere, sed recipere : & formæ non est producere; sed informare: A quo ergo producitur Vnio; Ab agente extrinseco : nam in igne genito considerâtur materia & forma : materiam creativa conservatione conservat Deus; & potentiam receptivam, & receptionem ipsam aut passionem concreativâ. Et ignis, qui efficienter formam ignis producit in ligno, hic etiam præter formam informatricem potentiam & unionem formalem; (hoc est; unionem; quæ se tenet ex parte formæ) comproducit. Hæc veritas gravem patitur difficultatem translata ad Hominem, qui gigni dicitur; cùm tamen materia prima & anima rationalis creentur : ergo si potentiæ ipsæ (receptiva & informativa) & uniones ipsæ concreantur, nihil erit omninò, quod generetur. Respondent aliqui unionem hominis gigni à Patre; at isti vix possunt suam sententiam defendere. Ajunt alii eamdem unionem gigni à Matre; & isti faciliùs rem expediunt : nam licèt contingere possit, ut Pater obierit ante creationem & infusionem animæ rationalis, non potest contingere ut moriatur mater antequam generetur infans. Nos autem dicimus infantem generari ab utroque parente, quia ipsi efficienter inceperunt generationis motum, qui semel cœptus postulat, ut nisi impediatur per vim usque ad complementum & perfectionem perducatur. Nam qui lapide percutit hostem, non eum occidit moraliter, sed physicè; & tamen mori poterit antequam lapis à se projectus, hostis caput infringat. Hinc patet, quid *ad quintam* dicendum sit : quoniam productio est vera & realis actio, & consequenter erit vera & realis actio comproductio. Sed quo modo distinguitur actio quâ producitur radix, ab actione seu comproductione quâ producitur potentia? & quomodò alterutra ab actione, quâ etiam comproducitur unio; *entitativè. Ad sextam* ajo, unicam esse passionem, nam materia prima

An & à materia distinguatur? An ab unione?

Causa unionum efficiens.

An homo generetur? & quomodo?

A quo unio animæ & corporis producatur?

Productionis & comproductionis discrimen.

Quotuplex passio sit

ut quod, & potentia receptive *ut quo* per receptionem seu unionem materialem, tanquam per exercitium & actum secundum materialem patiuntur formem, quæ tanquem principium *quod*, media virtute informativâ tanquam principio *quo*, & informatione seu unione informativâ tenquam exercitio seu actu secundo, ipsammet materiam informat.

VIII.

De Causa Efficiente.

MCCCCXLIV. *Quid illa sit*

AGit de illla Aristoteles *libr. 2. Phys. text.* 29. & asserit hoc mtelligi oomine *id, unde primum principium mutationis est.* Et quia hæc definitio & brevior & obscurior est, quàm eliæ quæ à Iunioribus sunt concinnetæ, plecuit sic causam hanc definire: *Causa efficiens est causa extrinseca per se, a qua primo in exsequutione procedit actio.*

In Ceusa efficienti sicut in cæteris, eut etiam clariùs & liquidiùs quàm in cæteris reperiuntur, Radix, Potentia, & Causalitas. Radix est ipsemet realitas Causæ efficientis. Potentia est quædam *entitas* realitati Causæ efficientis *entitativè* superaddita, & ab eedem *entitativè* etiam distincta, quæ dat producendi virtutem: & hæc virtus est productiva *ut quo*, & pertinet ed ectum primum. Ceusalitas est ipsamet actio; quæ est Causæ effectricis exercitium & pertinet ad ectum secundum.

Radix, Potentia, Causalitas

Doctrinem hanc exemplo notissimo dilucidabo. Anima rationalis est efficiens, & in ipsa has tres rationes dilucidè adsignare potero: nam ipsamet substantie Animæ est radix intelligendi: meos est potentia intellectiva: & Anima *ut quod*, & mens *ut quo*, eliciunt operationes intellectuales, de quibus differemus inferiùs.

IX.

De Divisionibus Causæ efficientis.

DCCCCXLV.

SVnt multæ & variæ; & æquivocationibus millenis plenæ: recensebo præcipuas, singulasque juxta seosum & acceptiooem meliorem explicabo.

Causa prima & secunda.

Primò Cause efficiens in Primem & secundam dividitur. Causæ primæ nomine intelligimus Deum, & Ceusarum secundarum nomine Creaturas.

Creativa & generativa.

Secundò dividitur in Creatricem & Generetricem: & quia hæc nomina non bene solent explicari, pronuncio, Creationem esse productionem rei ex nihilo subjecti: & Generationem esse productionem rei ex subjecto. Quæ producuntur ex nihilo sui, non creantur: & quæ producuntur ex aliquo sui creari possunt. Et ostenditur; nam forma substancialis corporea, (ignis ex. gr.) quæ non eret, ex nihilo sui producitur, & nihilominùs non creatur, sed generatur: & quantitas in Eucharistia, erat ante consecrationem, & licèt post consecrationem conservetur ex aliquo sui, non conservatur actione generativa, sed creativa; quia illa conservatio est quædam permanens productio ex nihilo; nempe, subjecti.

Quid creatio & generatio sint?

Conservatio est productio permanēs.

Tertiò Ceusa Efficiens vel est operans, vel cooperans, producens vel comproducens: vel est præmovens & prædeterminans ad operandum. Causa efficiens operans eedem, quæ Totalis: Causa cooperans eadem quæ partialis. Et partialis est triplex; nam vel est partialitate causæ, vel partialitate effectûs: vel partialitate causæ & effectûs. Partialitas ceusæ reperitur, ubi duæ causæ producunt unum indivisibilem effectum, & huc pertinent Prima & Secunda, huc etiam Causa radicalis & formalis, huc aliæ multæ. Partialitas effectûs reperitur ubi uniaca & eadem causa alteram partem producit: sic Deus quando, creavit, materiam primam, eius potentiam receptivam concreavit. Partialitas causæ & effectûs reperitur in duobus portaotibus lapidem, quem unus non posset.

Causa operans & cooperans, movens & præmovēs. Causa totalis & partialis.

Causse præmovens & prædeterminans secundum multos est etiam producens & efficiens: secundum alios præmovens tantùm: & quia utrumque videtur possibile causam prædeterminãtem in præmoventem & præficientem divido. At, inquies, præmovens non est efficiens. Nego sequelam ego, quia quæ causam efficientem realiter appplicat & præmovet, dici poterit causa efficiens mediata.

Causa prædeterminans.

Quartò Causa dividitur in Principalem & Instrumentalem: illa est, quæ propriâ virtute; hæc autem, quæ alterius virtute operetur. Sed quid est virtute propriâ, & quid est alienâ operari; Aliqui sic quæstionem expediunt. Causem principalem definiunt esse causam efficientem, quæ ex natura sua & citra elevetionem habet virtutem proportionatam produceodo effectui: Instrumentalem verò, quæ ex natura sua & citre elevationem causæ principalis non habet proportionatam virtutem ad produceodum effectum. Et quia hic modus loquendi & philosophandi videtur expeditior, illum hodie tenebimus.

Causa Principalis & instrumentalis.

Sed non immeritò curiosiùs inquiritur, quidnam sit illa elevatio: hac enim ignoretâ ignoretur pariter natura utriusque Causæ, necessum est. Quæ ut intelligatur, opus est advertere elevationem aliam esse intrinsecam, aliam extrinsecam. Elevatur cause intrinsecè, cùm recipit aliquam qualitatem: [sic enim elevatur intellectus cùm recipit fidem, gloriæ lumen: &c.] elevatur extrinsecè, cùm nihil recipit iotrinsecum, sed assumitur ut per concursum causæ nobi-

Quid elevatio sit?

nobilioris illi adsistentis elevata effectus ordinis nobilioris producat. Iterum elevatio est duplex: videlicet, completa, & incompleta: incompleta consistit in conjunctione (laxiùs sumendo conjunctionis vocabulum, prout relativum etiam dici potest conjungi cum termino ratione respectûs, quem habet ad illum) ipsius Caussæ instrumentalis cum principali, completa verò ultimatè consistit in conjunctione instrumenti cum virtute caussæ primæ non quomodocunque spectata, sed actu conferente concursum intuitu Caussæ principalis propriæ concurrentis in genere Caussæ finalis ad elevationem dictam, talem, qualem, non contulisset, si Caussa principalis propria talis vel talis non fuisset.

X.

De Concursu Divino.

MCCCCXLVI. Dependentia Creaturæ à Creatore postulare videtur, ut non solùm Causas ille operativas & effectus conservet, sed ad ipsammet earum actionem & operationem concurrat. Neque tamen inde licet deducere. 1. Omnem Causam fore instrumentalé. 2. Hominem in operationibus suis non fore liberú. 3. Deum autorem futurum, concursumque præbiturum ad peccatum. Non primum, eo quod ratio causæ principalis non excludat cooperationem alterius. Non secundum, vel quia concursus Dei non habet se antecedenter ad voluntatem hominis, per modum principii prædeterminantis ut aliqui volunt, sed concomitanter, & per modum cooperantis, vel quia prædeterminatio, si conceditur, non tollit libertatem humanam, sed perficit. Non tertium, cùm nec suadeat, nec ad peccatum alliciat, neque concurrat ad peccatum formaliter, id est, secundum malitiam sumptum, sed tantùm materialiter, id est, secundum entitatem physicam spectatum; Concursus autem hic Causæ primæ non est virtus quædam superaddita, seu impressa ipsi Causæ secundæ, ne cogamur admittere quidpiam creatum in operando independens posse esse à Deo. Anne diversa actio; Negant aliqui: quia alias vel daretur processus infinitus, vel superflua dabitur actio, vel hic concursus non erit productio rei. Sed nos dicimus omnem actionem & operationem esse *entitatem*, adeoque concursum causæ primæ & secundæ esse duas *entitates* distinctas inter se entitativè: & ex hac conclusione aliquam ex illis sequelis inferri, absolutè negamus.

Cur aliqui negaverint Divinum concursum.

Quid sit ipse concursus.

Quæritur *An Causa prima determinet secundam*: Priùs, quàm respondeatur, studiose advertendum, quod possit in proposito duplex concipi determinatio, una, quæ præcedat influxum, seu actionem Causæ secundæ, dicta *prævia actio*, seu *prædeterminatio*, altera, quæ juncta sit cum influxu, & actione, dicta *simultanea determinatio*. Deinde, quòd posterior determinatio possit fieri, vel quoad specificationem actûs, scilicet ut talis speciei actus procedat à Causa secunda, & non alterius; vel quoad individuationem actûs, scilicet ut à Causa secunda hic numero procedat actus, & non alius. His positis respondent aliqui priori modo non determinari à prima Causas secundas, eo quod non appareat, quomodo salvetur tum libertas creaturarum rationalium, tum impeccabilitas Dei secundum contrariam opinionem; neque etiam, quomodo non sit omninò frustranea ejusmodi prædeterminatio: respondent alii libertatem non lædi, & ideò posse hanc prædeterminationem securissimè admitti. Nos dicimus dari concursum prævium, sed prioritate *entitativa*, & hunc ipsum concursum prævium volumus distingui *entitativè* à concursu causæ secundæ. De individuatione actûs est major difficultas: nam si formarum individuatio sumitur à subjecto, causa secunda in hoc casu determinat primam: si à causa efficienti illa sumitur, Mantiquus adhuc ad causam secundam recurrit: ad primam alii; est enim Causa secunda positis ad agendum requisitis omnibus indifferens, ut illa actione numero agat, consequenter determinatione egebit, quæ cùm prior non sit, utique posterior erit, & cùm illa ab alio Agente creato utpote æquè indifferente quoad actus in individuo spectatos non procedat, omninò asserendum erit procedere à Deo.

Determinatio duplex.

Determinatio iterum duplex.

An detur prædeterminatio?

Principium individuationis.

XI.

An sit aliqua Causa communis & Universalis, vel aliquod Individuum vagum, quod Causis singularibus deficientibus, effectus naturales producat.

Celebris quæstio est inter Philosophos hoc tempore, *An individuum vagum possit esse Causa principalis respectu aliquorum effectuum. v.g. an rana quædam indeterminata possit esse Caussa Principalis alicujus ranæ productæ ex putri materia in Indiis?* Nostram sententiam, ut explicemus, fundamenti loco, quædam præ- MCCCCXLVII.
mittenda sunt. Et priùs opinionem aliorum producemus. Affirmativam partem tenent aliqui, & ut illam suadeant, asserunt Individuum vagum dupliciter posse sumi. I. ut illud dicatur in proposito Individuum vagum, quod est agens ita indeterminatum, ut nec respectu nostri intellectûs, nec divini sit determinatum. II. ut non nisi indeterminatum, vagumque dicatur respectu intellectûs nostri, non idem divini: & quidem ad hanc secundam acceptionem omnes nostræ propositiones particulares pertinent; hæc enim *Aliquis homo currit*, si vera est, est indeterminata quoad nos, non tamen quoad se, nec quoad Deum: ideò enim vera est, quia aliquis homo determinatus (puta Petrú vel Paulum) currit: & hunc, quem nos nescimus, cognoscit Deus. Secundum est. Quodpiam principium posse dici Caussam pricipalé, etsi immediatè non influat, ut manifestum est ex hominis generatione, cujus Pater est causa principalis tametsi mediata vel distās. Tertiú est etiā Causam principalem dici posse id, quod licèt in se non existat, modò existat in sua virtute juxta

Duplex vocis acceptio.

eam-

Causa principalis, quæ dicatur? Quæ instrumentalis?

eamdem doctrinam: sæpè enim Pater est mortuus cùm producitur filius, & tamen est causa principalis illius, quia existit in virtute decisa, quæ immediatè operatur. Quartum est, ut quippiam sit instrumentum seu virtus agendi alterius, non requiri, ut sit productum ab eo, cujus dicitur esse instrumentum, seu virtus: sed sufficere, ut sit virtus debita tali, vel tali agenti, à quocumq; tandem producatur, cùm sufficienter vel ex natura sua, vel ab arte, &c. subordinari possit tali vel tali agenti: utique penicillum Pictoris Instrumentum dicitur, etsi à Pictore non sit coostructum. Ex his nonnulli colligunt, an Individuum vagum possit esse Causa principalis respectu aliquorum effectuum? respondent enim omninò affirmativè, sive Individuum vagum absolutè loquendo primo modo in fundamento primo assignato, sive secundo modo præsenti rerum statui convenientiùs accipiatur, eo quod ejusmodi accidentia, quibus rana ejusmodi producitur, sint virtus agendi alicujus ranæ, vel omninò indeterminatæ, & vagæ, vel determinatæ respectu intellectûs divini, indeterminatæ quoad nostrum Intellectum, ejusque entitatem præcisè spectatam, ut vel hinc colligere est, quod conentur illa accidentia effectum assimilare ranæ, & non alteri: neque enim hic caussæ æquivocæ ratio objecta locum habet, cùm neque Deus, neque cœlum probabiliter assignari possit respectu ejusmodi effectûs, non quidem Deus, eò quod, si assignari possit caussa creata univoca, non sit fugiendum ad Deum; non Cœlum, cùm sit omni rana, utpote animali vivente, ignobilius.

Resolutio.

Hæc opinio licèt à multis propugnata Ingolstadii, Dilingæ, & in multis Universitatibus Germaniæ, non videtur obtinuisse Lovanii, & ideò exercitii caussâ supponetur à nobis, ut videamus, an in Theologicis aliqua inde absurda aut exorbitantia sequantur?

De incarnatione Verbi.

Dices, ex illa sequi Christum Dominum ab individuo vago masculo conceptum fuisse; quod contra fidem militat, quæ Christi conceptionem attribuit Spiritui sancto. Et sequelam probas: quoniam omnia, quæ in productione ranæ, in Christi conceptione salvantur. Sic objicis: at nego omnia; quoniam ranæ productio est successiva, ad exigentiam accidentium, quæ potuerunt à rana agente introduci, & fuerunt introducta per accidens: at Christi conceptio fuit instantanea,

Qualis fuerit?

tota miraculosa, & supra causarum naturalium aut etiam supernaturalium exigentiam: & ideò nihil habet commune cum effectibus, quos multi dicunt provenire per accidens, & hodie nos disputationis gratiâ dicimus à vago individuo produci.

XII.

De Causa Finali,

DCCCCXLVIII. *Quid sit?*

CAusa Finalis, quam Aristoteles 2. *phys. t.* 20. dicit esse id, cujus gratiâ aliquid fit, causa intentionalis: &, si ordo rerum intentionalium ad Physicam pertinet, est vera realis, & physica Causa, cùm ab ea per se dependeat mediante reali Causalitate, principioq; caussandi intentionaliter saltem existente effectus physicus. Principium caussandi est bonitas Finis juxta Aristotelem 2. *phys. t.* 31. hac enim proximè potens constituitur Finis, ut appetatur. Sed verane semper, an etiam apparens? De vera non est dubiû, esse principium; de apparente pariter affirmamus, cùm experientia doceat quotidiana, multa appeti ut delectabilia & honesta, quæ in re talia non sunt: & ratio patrocinatur hæc, quod finis non moveat nisi cognitus, ignoti enim nulla cupido, si igitur cognitione censeatur res bona, sive jam reipsa talis sit, sive nô, apta erit, ut habeat caussalitatem finis? Neq; tamen existimandum hanc apparentem Bonitatem non esse veram quandam Bonitatem simpliciter, cùm revera etiam in apparente bono apprehendatur vera ratio boni, vel honesti, vel jucundi, sed dici talem ratione applicationis ad hanc, vel illam rem, unde nô tam bonitas apparens foret dicenda, quam bonum. Verum cùm utile etiam sit bonum, dubitatur an requisitam pro Fine bonitatem habeat. Respondetur negativè, cùm hujus boni sic spectati Bonitas propter se non sit appetibilis.

An bonitas finis sit vera? An voluntas tendat in incognitum? Utile, quà tale non est finis.

Quomodo operetur finis?

Ratio operandi finis est amor efficax, seu intêtio: ex communi enim sensu causalitas finis consistit in tractione, & allectione bonitati per intellectum propositæ tali, qua ponatur necessariò, aut saltem infallibiliter effectus ipsius Finis; præter dictum autem amorê nihil est assignabile, quod sit ejusmodi tractio; Amorem autem efficacem tractionê esse talem, cum qua ponatur effectus finis, constat, quod ideò & pôdus, & efficax dicatur. [Ex his dictis est colligere, 1. Caussalitatê caussæ finalis nô vocari motionê *metaphoricā*, quod nô sit vera quædâ *entitas*, sed quod nô procedat à caussa finali, sicuti motio procedit à caussa efficiente, ad qualê significandam primariò & per se hæc vox *Motio* est imposita. 2. Caussalitatem caussæ finalis requirere etiâ veluti conditionê, & connotare ipsam caussam efficientê actu caussantê; nam cùm finis nô effectivè causset, immediatè videlicet, sed alliciêdo, & trahendo, vel ut multi & sapienter loquuntur, præmovendo & prædeterminando, ita tamen, ut efficienter tractionem, & effectionem non producat, vel aliquid consequens allectionê, manifestum est actualis Caussæ munus non obiri à Fine, nisi adsit quodpiam agens effectivè, producens allectionê, seu tractionê, vel saltê ea, quæ dictam sequuntur tractionem.]

An ejus operatio metaphorica sit? An pêdeat à causa efficiente?

Cùm autem Caussalitas finis in actû non exeat, nisi accedente quâdam intellectûs cognitione, quâ hoc, vel illud bonum proponatur appetitui, quæstio est, *An cognitio hæc sit formalis ratio, seu motivum ipsius finis, an verò tantùm conditio, sine qua finis actu non haberet rationem caussæ finalis actualis?* Ad quam quæstionê respondent aliqui tantùm esse conditionem, sine qua non. Non esse formalem rationê vel hinc probant, quòd cognitione non constituatur potens habere Caussalitatê veluti eo, quod in fine appetitur: Avarus enim nô appetit cognitionem nummorum, sed ipsos nûmos; esse tamen conditionê inde constat, quod finis nô causset nisi alliciat, allicere autê nô possit, nisi cognoscatur: Nos autê hoc modo discurrimus. Putamus in causa Finali, sicut

Objectio.

etiam

Radix. Potentia. Caussalitas. etiam in Materiali, Formali,& Efficiente Radicem, Potentiam,& Caussalitatem seu exercitium & operationem reperiri. Puto Caussam Finalem radicalem & *quæ* movet *ut quod* esse ipsammet realitatem Finis: puto realitatem hanc Finis habere virtutem motivam superadditam; videlicet cognitionem & volitionem efficacem (quarum utraque concurrit *ut quo*:) sed hæc ultima proximior est.) Et tandem Caussalitatem Causæ Finalis in quadam physica prædeterminatione consistere; quia valetudo absens, cognita & efficaciter desiderata prædeterminat ægroti voluntatem, ut Medicos advocet, pharmaca sumat, & per hæc media valetudinem tandem adquirat. *Finis est causa prædeterminans.*

Solutio. Sed non facilis neque exiguus scrupulus circa caussalitatem finis hoc modo explicatam reliquus est, qui nisi eximatur, obruere doctrinam hactenus traditam videtur: Cùm enim caussa in actu,& effectus simul esse soleant juxta Aristotelem *2.phys.t.37.* in fine verò fit sæpè effectus sine amore Finis, v.g. cùm quis tota die ambulat, ut perveniat Ingolstadium,& tamen minimè tota die de Ingolstadio cogitat, atque etiam amor finis sæpè fit sine effectu v.g. amor sanitatis sine ambulatione, vel medicinæ applicatione, videtur omninò hinc concidere Doctrina hactenus tradita. Verum hic scrupulus hunc in modū eximendus videtur, ut dicatur ad priorem casum ejusmodi ambulantem non formaliter, sed virtualiter aut habitualiter potiùs, agere propter finem, quatenus scilicet non vi præsentis cognitionis,& amoris, sed jam præteriti tendit ad finem scriptum, ad posteriorem verò ejusmodi amorem finis in ordine ad talem effectum non esse sufficientem Caussalitatem finis, eo quod careat connotatione coëxistentis actionis Caussæ efficientis, qualem tamen supra necessariam asseruimus.

An Deus agat propter finem? Deus non agit propter finem, si spectetur quoad actiones immanentes, cùm quidquid in Deo est, sit ens independens ab alio, uti à caussa ob summam,& Infinitam Dei perfectionem; si verò spectetur quoad actiones transeuntes, non agit quidem propter finem, mediante caussalitate distinctâ, cùm amor Deo intrinsecus non distinguatur à Deo, tamen aliquo modo agit, quatenus scilicet cognoscu bonitatem finis,& proportionem mediorum ad finem, neque etiam illi desit amor efficax, licèt non distinctus sit, quo Deus suam prosequitur bonitatem. Agentia purè naturalia non agunt propter finem propriè, eo quod omni careant cognitione, agunt autem directivè, cùm à Deo omnes operationes agentium purè naturalium in suam bonitatem mediante cognitione,& amore illius bonitatis ordinentur; hinc fit, ut si ejusmodi actiones spectentur in ordine ad causas naturales tantùm, non tendant ad aliquid veluti finem, cùm illud rationem boni actu moventis respectu talis agentis præcisè spectati habere non possit, sed duntaxat tendunt ad aliquid veluti terminū. Animalia bruta agunt etiam propter finem aliquo modo propriè; cognoscunt enim finis bonitatem, non tamen proportionē mediorum, cùm careant cognitione intellectivâ. Hominem & Angelos propter finem propriissimè posse agere absque controversia est,& restantur omnes ii, qui jā jam fruuntur Fine ultimo, Deo Optimo Maximo. *An agentia naturalia?* *An animalia?* *malia? An homo & Angeli?*

XIII.

De Quantitate.

IN corpore reperitur Substantia, Partium multitudo, Divisibilitas, Extensio, Magnitudo, Mensurabilitas, & Impenetrabilitas. Singulas consideremus. MDCCCXLIX. *Quæ sint consideranda in corpore?*

Substantia corporis materialiter dicit Materiam primam,& formaliter illam formam, quâ in tali aut tali corporis specie constituitur.

Partium multitudo est posterior substantiâ,& prior divisibilitate prioritate entitativâ: non enim volumus dicere divisibilitatem esse priorem partibus, sed contrà: ideò enim corpus in partes potest dividi quia habet partes: nimirùm, aut potentiâ distinctas, quod voluit Aristoteles,& hodie omnes illi defendant, qui volunt esse veri Peripatetici: aut actu distinctas, quod multi propugnant & docent. Hoc quod est habere partes, vocatur *Quantitas*,& est quædam *entitas* entitativè à proprio subjecto distincta. *Divisibilitas. An ante divisionē dentur partes.*

Divisibilitas est secundarius Quantitatis conceptus, & in unionis inamissibilis negatione consistit, quæ enim inamissibilem unionem habent, inseperabilia sunt, & quæ inseparabilia realiter sunt indivisibilia. Fortè hæc ipsa unio inamissibilis est impossibilis: & si impossibilis est, hic secundarius conceptus non multum distabit à primo. *Unio duplex: amissibilis & inamissibilis.*

Extensio in penetrationis carentiā sita est: cùm primum partes sunt extra partes extenduntur. *Penetratio Extensio.*

Magnitudo nihil aliud est, quàm tanta extensio; unde videntur hæc duo nomina idem significare. *Magnitudo.*

Mensuræ ratio duplex est, passiva & activa: & est secundarius conceptus magnitudinis: ideò enim hanc lineam possum mensurare, quia magna est, & magnitudinem ejus ignoro: at ideò hac ego utar ut illam mensurem; quia hæc minor est,& magnitudinis mihi jam notæ. Ajunt aliqui me posse uti magnis ut mensurem parva, ignotis ut mensurem nota: sed, cùm sic loqui volunt, quæstionem aut ignorant omninò, aut totam ad voces & verba reducunt. *Mensura. An magnis parva possimus mensurare?*

Tandem impenetratio in carentia consistit; quando enim duo corpora nō sunt in eodem spacio, non esse penetrata dicuntur. Sed unde nascitur impenetratio? ab impenetrabilitate. Et quid ipsa? Quædam *entitas entitativè* ab ipsa quantitate distincta. *Impenetratio.*

Peripatetici Quantitatē in Lineam superficiē,& Corpus subdividūt; sed hæc divisio nō est immediata, fortè nec bona; & hâc ob rem, quidquid de divisione sit, quæstionē hâc expedio dicens, in corpore veras superficies, in superficie veras lineas,& in linea vera puncta inve- *Quantitatis divisio.*

inveniri; & addens puncta, lineas & superficies esse *entitates* quasdam *entitativè* à corpore distinctas.

XIV.

De Qualitate.

MCCCC L. *Quid illa sit*

SI ponamus Quantitatem esse verum reale & physicum accidens, & realiter à substantia materiali distingui, poterimus securè asserere Qualitates corporeas esse *entitates entitativè* à quantitate distinctas. Species qualitatis hæ sunt:

Ejus species.

Qualitas corporea.
- *Prima*
  - *Habitus.*
  - *Dispositio.*
- *Secunda*
  - *Potentia.*
  - *Impotentia.*
- *Tertia.*
  - *Passio.*
  - *Passibilis qualitas.*
- *Quarta*
  - *Forma.*
  - *Figura.*

Earundem distinctio Qualitas enim immediatè dividitur in quatuor innominatas: & singulæ in binas; unde omnes Qualitatis species octo sunt, *entitativè* inter se, & *entitativè* à corporeâ quantitate distinctæ.

& explicatio. Si petas singularum essentias explicari: respondebo nomina esse significationis claræ & notæ, & nos illa intelligere secundum acceptionem communem in nostris scholis receptam.

XV.

De Relatione.

MCCCC LI. *Quid sit relatio*

FAciliùs intelligitur, quid relatio sit, quàm explicatur; quia ejus essentiam vocabulis absolutis explicare non possumus, & cùm utimur relativis idem per idem explicamus. *An relatio sit genus ad prædicamenta posteriora?* Est autem relatio quædam *entitas* à suo subjecto aut fundamento non nisi *entitativè* distincta. Et si quis dixerit Relationis conceptum in cætera Prædicamenta (nimirùm, in Durationem, Quando, Actionem, Passionem, Fieri, Locum, Vbicationem, Situm, Habere, &c.) subdividi, me contradicturum non credat.

Relatio duplex examinatur. Divisio Relationis in Prædicamentalem & Transcendentalem, quomodocumq; explicetur, Scholas universas confundit. Si enim Prædicamentalis nomine realiter distinctam intelligunt, & Transcendentalis nomine identificatam, Scholæ Realis dogmata cum dogmatibus Scholæ Formalis aut etiam Expressivæ confundunt.

Relatio iterum duplex proponitur. Divisio altera, quâ Relatio dividitur in eam, quę est secundum esse, & in eam quæ est secundum dici, vera est; at non debet contrahi & ad Relationis prædicamentum limitari; nam substantias ego etiam secundum dici, Deos secundum dici, Animalia & Arbores *Philosophia secundum dici.* secundum dici: magnitudines, qualitates, tempora, loca, & multa alia quæ secundum dici sint, & secundum esse non sint in Politico, aut etiam Scholastico mundo reperio. Imò hinc occasione sumptâ libellum integrum scripsimus, quem, quia de Entibus secundum dici totus est, inscripsimus *Philosophiam secundum dici.*

XVI.

De Duratione.

MCCCC LII. *Existentia, Persistentia, Quando.*

IN corporum duratione tria reperio: Existentiam, Persistentiam, & Quando, ut mirum sit ab hoc ultimo Peripateticos speciale Prædicamentum deduxisse, & Existentiam ad Prædicamentum Substantiæ relegasse.

Quid sint Quando res est extra causas, dicitur existere: & quando in suo esse persistit, dicitur durare: & quia corporum duratio est successiva *Tempus* & *Tempus* dicitur, *quando* illa carere non potest. Sunt igitur Existentia, Duratio, & Quando tres *entitates* inter se distinctæ *entitativè* & à corpore etiam distinctæ *entitativè*. *Harũ entitatũ distinctio.*

Tempus. Sed quomodo Tempus ævo & æternitati correspondet? Verbo dicam: Tempus, quod est corporum duratio, est simpliciter successivum, nullam enim habet simultaneitatem. *Æternitas.* Æternitas, quæ est duratio solius Dei, est simpliciter simultanea; existit enim tota simul, nec ullius successionis est capax. *Ævum.* Et Ævum quod Angelorum duratio est, partim simultaneum, & partim successivum est. *Quando.* *Quando* in æternitate propriè non invenitur, sed impropriè & extrinsecè: in Ævo autem & Tempore invenitur propriè. Et quid est *Quando?* Est relatio & comparatio durationis prioris & posterioris, qua utimur, ut explicemus quando extiterit res: nimirùm, cùm dicimus: *olim, nudius tertius, heri, hodie, cras, perendie, anno sequenti*, &c.

XVII.

De Actione, Passione & Fieri.

MCCCC LIII.

EGi de Actione, cùm de Causa efficiente: de Passione cùm de Materiali: nunc breviter aliquid sum additurus.

Subjectum harum entitatum. Actio est in agente, Passio in passo, Fieri in termino. Actio est *entitas* & ab agente distinguitur *entitativè*. *Earundem distinctio.* Eodem modo de Passione philosophor, est enim *entitas*, & à passo *entitativè* distinguitur. Idem dico de *Fieri*, est enim quædam *entitas*, quæ adhæret termino, & ab illo *entitativè* distinguitur.

Inhæsionis & adhæsionis differentia. Fieri seu fitionem termino adhærere dixi non enim subjectum inhæsionis requirit nam termino inhærere non potest; cùm sit termino prior: nec debet inhærere subjecto. *An fieri inhæreat?* cùm creatio passiva vera sit fitio & fieri, & tamen subjectum non habeat.

INter Actiones, quæ sunt dignissimæ consideratione, ponendæ sunt Rarefactio, & Intentio: ad Quantitatem prior pertinet, & ad Qualitatem posterior.

Fit autem Rarefactio intensione cujusdam

qua-

De rarefactione & condensatione quantitatis. qualitatis divisibilis in gradus: & Condensatio ejusdem qualitatis remissione. Hæc qualitas *entitativè* distinguitur à Quantitate: & hujus qualitatis gradus *entitativè* distinguuntur inter se. Et quidem hic modus explicandi Rarefactionem & Condensationem est facillimus & commodissimus. Sed quia Rarefactionem & Condensationem ad Intensionem & Remissionem reduximus, oportebit & istas explicare.

De intensione & remissione qualitatû. OMnis Qualitas est divisibilis in partes *entitativas*, quas gradus vocant. Istæ partes distinguuntur *entitativè* inter se. Et dicimus subjectum habere primum gradum caloris, cùm recipit primam qualitatis partem seu gradum: habere secundum, cùm recipit secundum: &c.

Intensioni opponitur Remissio; & dicitur calor remitti, quando aliquos gradus Intensionis deperdit.

Alteratio quid sit? Motus Intensionis & Remissionis (aut etiam Rarefactionis & Condensationis, sed hoc rariùs) dicitur *Alteratio*: & distinguitur à Generatione & Corruptione, quod nomine Generationis (cui Corruptio opponitur) productio formæ substantialis aut saltem formæ characteristicæ & essentialis intelligatur: at nomine Alterationis, non nisi quædam accidentium (qualitatis videlicet, aut etiam quantitatis) variatio. *Forma triplex substantialis, essentialis, accidentalis.*

XVIII.

De Vbicatione & Loco.

MCCCLIV. LOcus est duplex, intrinsecus & extrinsecus: intrinsecus est ipsum spatium: & extrinsecus apud Peripateticos *est superficies immobilis corporis ambientis*: quæ regulariter vera est: at quia globulus in vino consecrato submersus in loco esset, & tamen superficie corporis non ambiretur, hanc ob causam Locum alio modo definio. *Locus est*, ajo, *superficies quantitatis ambientis, quæ secundum se considerata sit quoddam individuum vagum: & considerata secundum spatium sit immota.* ut immota sit, distantias cosmographicas longitudinis, latitudinis & remotionis à centro terræ conservari requirit: his enim tribus invariatis locum (intrinsecum aut extrinsecum) variari impossibile est. Sed interrogas, cur hæc superficies dicatur à nobis esse individuum vagum? Et respondeo, sicut equus requiritur ad equitandum, sic etiam requiri superficiem, ut corpus in loco constituatur: requiritur quidem equus ad æquitandum aliquis, sed non aliquis determinatus: sic, ut turris sit hîc, requiritur aliqua superficies ambiens; non hæc, aut illa determinatè; nam aër fluit, mutantur superficies, & tamen turris remanet in eodem loco: ergo requiritur aliqua vagè & indeterminatè, quæcumque illa sit, modò distantias priores (longitudinis, latitudinis, & remotionis) quæ immotæ dicuntur, retineat.

Quid sint? *Nota hoc.* *Quid sit immota superficies.*

XIX.

De Situatione.

ORdo partium nominatur situatio, & est duplex: partium in ordine ad se, & partium in ordine ad locum. Ordinem in ordine ad se habent partes corporis Christi in Eucharistiâ; non enim sunt ibi confusæ, licet sint penetratæ; digitus enim unitur manui & non capiti, & aures uniuntur capiti & non pedi. Ordinem in ordine ad locum habent partes corporis Christi in cœlo, & in terris partes cujuscumque corporis naturalis. MCCCCLV. *Quid, & quotuplex sit?* *Quomodo sint partes Christi in Eucharistia?* *Quomodo in cœlo?*

Et quid est Situs secundum quiditatem suam Scholasticam consideratus? Est ille *entitas* quædam relativa, insistens partibus corporis, & ab illis distincta *entitativè*.

XX.

De Habere.

TOtum ultimum Prædicamentum, si admittenda sit Peripateticorum expositio, artificiale est; &, si aliorum interpretatio, virtualis aut moralis: puto enim Homines habere naturaliter capillos, dentes, ungues, &c. artificialiter vestes, arma, &c. & moraliter divitias, census, reditus, campos, agros. Puto brutorum arma & induvias, aviumque plumas esse ornamenta naturalia & ad hoc physicum Prædicamentum pertinere. Cæterum, quia mihi placet esse Peripatetico, hodie vestes tantùm & arma ad hoc Prædicamentum reducam dicens, Homini inesse quamdam naturalem capacitatem ut vestes induat, & arma induat, & rebus diversis se exornet. MCCCCLVI. *Habere est triplex naturale, artificiale, morale.*

Et quid erit hæc capacitas? Quædam *entitas* ab homine distincta *entitativè*.

DE ANIMA.

Non solùm Physices notitiam Theologia, sed etiam Animæ exactam cognitionem supponit, omnes enim errores & hæreses, quæ suboriuntur in Ecclesia aut ex ignorantia (& hoc frequentiùs) aut ex præjudiciis Philosophicis (sed hoc rariùs) nascuntur. Hanc ergo ob rem, ut securè agere possimus de Deo, de Anima universim & speciatim disseramus. MCCCCLVII. *Quàm sit necessaria cognitio Animæ?*

XXI.

De Animâ in generali.

ANimæ humanæ cognitio est summè necessaria: qui enim ignorant illa, quæ de ejus essentiâ, potentiis, & operationibus, ab Aristotele, aut aliis viris doctis sunt scripta, nunquam intelligent, quæ de Angelis & Deo à Theologis in Scholis traduntur. Est autem Anima MCCCCLVIII. *Quid sit Anima.*

nima nobilissimum Physicæ objectum, & definitur ab Aristotele *libr. 1. de anima. t. 4. 5. 6. 7. Actus primus corporis naturalis organici potentiâ vitam habentis.* Ubi nomine *corporis organici potentia vitam habentis*, intelligimus, vel materiam instructam formis partialibus substantialibus; & tunc *vita* sumitur pro substantiali, nempe pro ipsa *anima*. Vel etiam corpus jam animatum; & tunc definitio traditur per *effectum formalem*; ut sensus sit: anima est actus, per quem corpus formaliter habet, quod sit organizatum, seu animatum: qua ratione dicimus albedinem esse actum albi, &c. & in hac notione, *vita* in definitione posita, sumitur pro accidentali; nempe pro ipsa operatione vitali. Et hæc posterior *corporis organici* acceptio, valdè est ad mentem *Aristot.* ut patet ex *text.* 8. & 10. [Hic statim succurrit dubium hoc, nimirùm, quomodo Corporeitas, Anima, & Vitalitas inter se distinguantur? & respondeo distingui *entitativè*.]

Quid sit corpus organicum?

Corporis Anima & vita distinctio.

HAnc animæ definitionem omni animæ univocè communem explicat *Aristot.* per aliam (quæ tamen descriptiva solum est, & accidentaria) veluti per effectum, & à posteriori; imò, si vivere, sentire, & intelligere, accipiantur ut finis animæ, quodammodo à priori; dum 2. *de an. t.* 24. anima dicitur esse *principium, quò primò vivimus, sentimus, & intelligimus*: ut si dicat; id quod est principium quo vivimus, sentimus, & intelligimus, est actus primus corporis organici &c. atqui anima est principium &c. ergo &c. Porrò tria sunt animarum jam definitarum genera. *Vegetatrix, Sentiens, Rationalis.* Quarum diversitas & pluralitas, rectè deducitur ex diversa earum supra materiam, & in essendo, & in operando, elevatione. Quòd si pluralitas attendatur penes earum subjecta, in quibus reperitur unum aliquod operationis vitalis principium, sine alia, *quatuor* erunt animarum gradus: *Vegetantis, Sentientis tantùm, & non loco moventis*, ut est in Zoophytis seu plantanimalibus; *Sentientis simul & loco moventis*, ut est in brutis: & tandem *Intelligentis*, ut est in hominibus; [aut etiam in Angelis proportione servatâ.] Si denique penes diversum operandi circa objecta sua modum, quatuor erunt animarum gradus. *Vegetativus*; cujus operatio est sine cognitione; *sentiens*; cujus operatio est cum cognitione, sensibili, organicâ, & attractivâ ipsius objecti ad sensum. *Appetitivus*; cujus operatio fit per inclinationem seu attractionem passivam ipsius potentiæ in objectum. *Loco motivus*; cujus operatio est progressio, &c. *Intellectivus*; cujus operatio fit sine dependentia ab organo, per species spirituales, &c. Vita loco-motiva videtur sensitivam, aut saltem vegetativam supponere: at Joannes Eusebius Nierembergius illam syderibus universis accensuit, sensitivâ & vegetativâ negatis. *Appetitum* est naturæ proprietas: reperitur in caussis inanimatis & vocatur *Innatus*; & etiam reperitur in caussis animatis, & tunc dicitur *Vegetativus, Sensitivus, & Rationalis*: & hic ultimus ille est, qui alio nomine *voluntas* appellatur.

Quot sint Animarum genera?

Quot animarum gradus?

An & qualiter sydera vivant?

IN Aristotelis & Peripateticorum Scholâ, cum formatur fœtus humanus, primò introducitur anima *vegetans*, quæ est principium solius nutritionis & augmentationis. Deinde crescentibus paulatim dispositionibus ad animam sentientem, desinit vegetans, & inducitur *sentiens*; & hac similiter desinente, *rationalis*; quod satis clarè docet *Aristot. 2. de gener. cap.* 3. *2. de ani. t.* 31. Accedit Medicorum consensus; imo & Theologorum: qui ad cognoscendum, qualis in abortu culpa intercesserit, statuunt considerandum quænam anima in fœtu fuerit; ut notat *Dand. 2. de ani. col.* 792. Sanè, nisi potentia *generativa* in homine deterioris conditionis est, quàm in plantis & bestiis, necesse est ab homine generari & vegetantem, & sentientem animam, cùm rationalis non possit. Quod tamen in nutritione non est necesse; cum ea non sit generatio simpliciter, sed solùm *adgeneratio*, & quædam quasi extensio animæ jam informantis corpus: ideòque non postulet tot media & gradus, per quæ deveniatur ad animam perfectiorem; sicut postulat generatio simpliciter. Tandem; hunc ordinem intrinsecè postulat natura compositi humani; ut non nisi per antecedentes animas inferiores, velut gradus quosdam, ad nobilissimam animæ rationalis formam deveniatur.

Ad mentem Aristotelis. An plures Animæ successivè sint in hominis aut animalis generatione?

Causa verò, cur, adveniente perfectiore anima, desinant imperfectiores; non est sola naturalis consecutio, quia scilicet perfectioris adventu imperfectior cedat hospitium, ne frustrà & otiosa cum eadem remaneat: sed causa est ipsum generans animam perfectiorem; quod, continuando actionem, producit dispositiones nimium excedentes certam & determinatam dispositionum, quas anima imperfectior postulabat, latitudinem; quæ, cùm non minus excessu, quàm defectu, vitientur, ideò formam quoque evanescere necesse est. *Dand. cit. col.* 794.

Cur animæ in viventis generatione succedant?

Unica ergo in plantis est anima vegetans; in brutis verò priùs anima vegetans, & hac desinente, unica anima sentiens introducitur; per quam & sentiunt, & in tali specie sentiunt, cùm operationes earum nullam multiplicationem animarum sentientium in eodem individuo indicent. Quod autem *Aristot. 3. de gen. animal. cap.* 3. ait, *non simul esse animal & equum*, &c. non vult, in equo prius generari animam sentientem animalis; & hâc corruptâ, aliam equi; sed, cum probaret in generatione hominis priùs produci animam sentientem, quàm rationalem, ideò, quia illa est universalior & prior, quàm hæc; id confirmat exemplo animalis

malis & equi ; quorum illud prius est & universalius, hic posterior & minus universalis. *An omnia bruta sint ejusdem infima speciei?* Unde collige sententiâ Aristotelis vel non distingui substantialiter animal ab equo, adeòque omnia animalia irrationalia esse ejusdem infimæ speciei substantialis, & tantùm differre per accidentia characterica, quod multi hodie propugnant, ne ab Aristotelis doctrinâ excedant: vel distinctionem saltem animalis & equi esse tam levem, ut non sit necessaria forma intermedia, ut ex vegetabilitate ad hinnibilitatem perveniatur.

Sic Peripatetici philosophantur. At nos *Quid sit semen?* putamus hanc animarum successionem necessariam non esse; sentimus enim Leonis semen esse leunculum à parente decisum, animantem parvulam, liquidam, quæ in matrice consolidetur crescatque, quousque ad tempus & perfectionem veniat, quæ *An anima rationalis sit extraducta?* natura præscripsit. Qui humanam Animam ex traduce delirant, eodem poterunt modo philosophari: nos verò, qui creari & infundi à Deo illam dicimus, à parentibus decidi materiam formâ corporeitatis, animâ vegetativâ, & sensitiva prædita n affirmamus. Et quo tres istas formas in materia seminali distinguimus? *Entitativè* illas, ut vel sic Scholarum & Doctorum placita diversa componamus.

MCCCCLIX. *Quot formæ in singulis compositis sint?* IN Scholâ Expressivâ, imò etiam in Schola Formali, si sermo sit de reali multitudine, unica sola forma in quocumque composito substantiali admittitur: unica in elementis, unica in plantis, unica in brutis, & etiam in Hominibus unica.

Quomodo una & eadem anima tam diversas faciat operationes? Sed quomodo in horum Authorum (videlicet, Formalium & Expressivorum) opinione, unica anima in brutis, tam diversas vegetantis & sentientis functiones, & unica in homine rationalis anima, vegetantis, sentientis, & intelligentis functiones exercere potest? ℞. enim *Rub. tract. de plural. anim. quæst.* 2. quia anima sentiens, vegetantem; & rationalis, iam vegetantem, quam sentientem, partim *eminenter*, partim *formaliter* continet. *Eminenter*; quia continet in gradu superiori & perfectiori, secundum quem omnes operationes imperfectioris animæ exercere potest. *Formaliter*; non quod anima E. C. rationalis ipsam entitatem physicam animæ inferioris formaliter, seu actu, in se contineat; sicut aliqui ajunt formas elementorum formaliter manere in mixto: sed quia velut actus & forma, in eodem genere superior, perfectiones & actus cæterarum, in genere causæ formalis virtute continet, & communicando se corpori, facit illud formaliter vegetans, sentiens; non aliter, ac si ipso actu physico animæ vegantis, sentientis, informaretur.

Discutitur sententia Scoti. IN Scholâ Scoti multa subtiliter ponuntur: & quando agitur de formarum numero, & inquiritur, An in uno & eodem composito physico plures formæ substantiales reperiantur, respondent Scotistæ his verbis. [Sicut plures simul animas in eodem animato rejicimus; ita plures simul cum unâ animâ formas substantiales libenter amplectimur: *De multitud ne Animarum.* auctoritate *Aristot.* 1. *anim. t.* 72. 2. *anim. T.* 4. 8. *phys. T.* 28. *&c.* & torrente Autorum & firmissimis nixi rationibus. Cur enim tantus formarum partialium & organicarum apparatus ad introductionem animæ necessarius, ea vix introductâ, debeat facessere; Cùm tamen vel informes maculæ, fœtui nondum animato impressæ in utero, remaneant in animato? quid hostile anima advehit? certè caro, ossa, nervi, sanguis, in homine essentialiter & substantialiter differunt, ut patet ex eorum proprietatibus, accidentibus, operatione, &c. at non per animam; quia hæc est unica in toto corpore; ergo per formas substantiales. *De formis partialibus.* Imò si formas partiales, præsente anima, repulis, cogeris dicere in SS. EUCHARISTIA, sub *speciebus panis*, poni *ex vi verborum*, etiam *Animam* CHRISTI: contra *Concil. Trid. sess.* 13. *cap.* 3. Nam *ex vi verborum* ponitur *corpus*: hoc autem, nec est sola materia prima: nec per se, cum formis partialibus; ergo cum Anima.

Age verò: In homine recens mortuo, *An resolutio fiat usq; ad materiam primâ?* eademne est substantialiter & essentialiter caro, ossa, nervi, arteriæ &c. quæ fuerunt in vivo; an diversa? si eadem; ergo eandem habeant formam substantialem, quam nunc: sed hæc non est anima, ergo forma partialis, carnis, ossis, &c. si diversa? (ut omittam hoc repugnare sensuum experimento) quomodo, quibus præviis dispositionibus, quo fine, à quo nova forma substantialis producatur? Deinde est ne forma similis illi, quæ fuit ante adventum animæ? E. C. forma ossis, carnis, nervorum &c. Sed quorsum, obsecro, novarum istarum formarum productio in cadavere, in quo nullum sint habituræ usum & operationem? *De cadavere.* ad quid forma nervi in immobili? ad quid arteriarum, venarum in exangui? an fortè ne fame pereat, cadaveri sanguinem affundent? ad quid forma carnis, ossis, &c. mox denuò corrumpenda?

Si confugias ad *formam cadaveris*, non effugies graves, circa principia orthodoxæ fidei, difficultates; ut notat *Coninck quæst.* *An Christi corpus in triduo habuerit formam cadaverinam?* *76. de SS. Eucharist. dub. un.* I. enim sequitur *Corpus* CHRISTI (si in eo *formam cadaveris* ponis) fuisse corruptum; contra illud *Actorum* 2. *ex psal.* 15. *neque caro ejus vidit corruptionem*: propriissimè enim illud corrumpitur, quod amissâ priori formâ substantiali, in aliam & cadavericam quidem, mutatur. II. Non esse unum idemque (nec *moraliter* quidem) *Corpus* CHRISTI, quod natum est ex VIRGINE, quod jacuit in sepulchro, quod resurrexit à mortuis: contra

sensum totius *Ecclesiæ* & *SS. PP.* teste *Dand.* 2. *de anim. col.* 785. III. Si quis Apostolorum in Triduo Mortis CHRISTI consecrasset, eum non potuisse ponere tale *Corpus*, *ex vi verborum*; quale posuit CHRISTUS consecrans.

Forma corporeitatis cum his partialibus formis consistit.

Reliquum ergo est ut in materia prima; præter Animam, dentur quoque *formæ partiales substantiales.* Hæ enim formæ actuant quidem materiam, & cum ea, speciem & essentiam carnis, ossis, &c. constituunt; non tamen ultimò intentam ad totius integritatem; sed cum ordine ad alium actum perfectiorem, respectu cujus, se habent ut receptivum inadæquatum (adæquatum enim est materia una cum formis) & non solùm ut dispositio. *Petes*, si, abscedente anima, remanent formæ partiales carnis, ossis, &c. cur non retinent eandem qualitatum, quam prius, temperiem? *Resp.* quia hæc illis (utpote formis animæ intrinsecè subordinatis) non debetur, nisi prout actu sunt cum anima; neque cujuslibet formæ est, reducere se ad pristinum statum; sed illarum solùm, quæ cum materia faciunt unum compositum ultimatum, non actuabiles per alium actum; quales non sunt formæ partiales. *Quid* si DEUS ponat animam rationalem in sola materia prima? *Resp.* tale compositum non fore hominem: sicut nec foret, si in lapide poneretur anima. Homo enim est compositum ex anima & corpore, eoque organico. Est verò anima in toto corpore vivente, non tamen easdem in singulis partibus exercet operationes; sed, pro diversitate organorum, diversas.] Sic philosophantur Scotistæ: quibus nos simul consonamus & dissonamus asserentes, in Plantâ esse formam corporeitatis & vitam vegetativam: in Bruto corporeitatem, animam vegetativam & sensitivam: & in homine has tres ipsas, & præter illas Animam rationalem. Addimus has formas distingui inter se *entitativè.*

Compositum ex materia prima & anima rationali non esset homo.

MCCCCLX. *Quæstiones incidentes.*

SEd quia videntur supponere, Animam rationalem esse indivisibilem: & hoc omnes aut ferè ex spiritualitate & immortalitate deducunt, interrogas, An rationalis Anima sit immortalis? An spiritualis? An etiam simplex & indivisibilis?

Ajo primò fide tenendum esse Animam rationalem esse immortalem; justi enim in perpetuum vivent, & in inferno sempiternus horror inhabitat.

Quid sit Spiritualitas?

Ajo secundò, non constare quid significent hæ voces, *Spiritualitas*, & *Immaterialitas*; multi enim putant esse synonymas, multi diversas. Multi censent vocari Spirituales substantias penetrabiles, multi indivisibiles: multi aliter philosophantur: at nihilominùs in hoc omnes conveniunt, quòd substantiæ, quæ spirituales, & immateriales vocantur, sint altioris ordinis & systematis quàm materiales: & hoc sensu Animam rationalem dicimus spiritualem, licet nondum specialiter & particulatim in quæstione de expresso Spiritualis conceptu & quiditate convenerimus.

An rationalis Anima sit Spiritualis?

An sit indivisibilis?

Ajo tertiò, non esse de fide Animam rationalem esse indivisibilem: quia de Animæ rationalis indivisibilitate pauca apud Authores, & nulla apud Sacras Scripturas & Concilia orthodoxa reperies.

An divisibilia sint mortalia?

Ajo quartò, hanc consequentiam, *Est immortalis, ergo indivisibilis, non esse bonam.* Sed *dices*; Quod habet compositionem, dissolutioni obnoxium est, Ergo, si Anima rationalis ex partibus integralibus componitur, etiam in easdem dissolvetur: Ergo erit mortalis. *Et respondeo* negando primam objectionis propositionem, multa enim dicuntur composita, quæ etiam incorruptibilia dicuntur. Peripatetici (omnes, aut ferè) statuunt cœlum componi ex materiâ & forma realiter distinctis, inseparabilibus tamen, & nihilominùs docent cœlos esse incorruptibiles. Thomistæ asserunt intellectum & voluntatem ut alias potentias omittam, distingui realiter ab Animâ, & tamen esse inseparabiles, & per consequens incorruptibiles. Ergo, qui diceret substantiam Animæ habere partes integrales, modò eas inseparabiles assereret, immortalitatem cum divisibilitate componeret.

An cœlum sit corpus simplex? An sit incorruptibile?

An potentiæ realiter distinguantur ab Anima?

MCCCCLXI. *An divisibilia sint materialia?*

Ajo quintò, hanc etiam consequentiam, *Est spiritualis, Ergo est indivisibilis*, non esse bonam: non enim omnia spiritualia sunt indivisibilia, nam apud Scotistas intensio qualitatum fit per additionem partis ad partem, & hoc modo qualitates spirituales, aut etiam supernaturales intendi in eorumdem opinione dicuntur. Unde oritur instantia quædam, quæ indiget solutione, posset enim aliquis argumentari, [Anima rationalis, si esset indivisibilis, vel id haberet, quia substantia est, vel quia spiritualis est: at id non habet, quia substantia est, nam lapis est substantia & nihilominùs est divisibilis. Sed nec id habet, quia spiritualis est, quia qualitates spirituales sunt apud Scotum divisibiles: Ergo Anima divisibilis est.] Huic rationi responderunt nonnulli Animam rationalem nec esse indivisibilem quà substantiam, nec quà spiritualem: sed quà substantiam spiritualem. At hoc non placet, quia quà substantia spiritualis non habet alia prædicata essentialia, quàm quæ Substantia & Spiritualitas continet: nam & homo quà animal rationale, non habet alia prædicata essentialia, quàm prædicata animalitatis & rationalitatis. Accedit quòd stante hac solutione non solùm supernaturales qualitates,

Quomodo fiat intensio?

Objectio.

Origo indivisibilitatis.

Prima solutio.

sed

sed etiam Deus & Angeli deberent esse divisibiles: si enim ratio formalis indivisibilitatis in animalitate & rationalitate simul sumptis consistat, ubi istæ non sunt, illa non erit: at ipsæ non sunt in Deo, non sunt in Angelo: non ergo Deus & Angeli essent indivisibiles. Ergo objectio aliter debebit dissolvi. Respondeo igitur illam inefficacem esse, & hoc ipsum eamdem retorquendo demonstro. Sic inquam: [Anima rationalis, si esset divisibilis, vel id haberet quia substantia est, vel quia spiritualis est: at id non habet quia est substantia, quoniam Deus, & Angeli (ut & Thomisticas formas brutorum perfectorum omittam) substantiæ sunt, & tamen indivisibiles sunt: sed nec id habet quia est spiritualis, quoniam etiam Deus & Angeli spirituales sunt, & tamen indivisibiles sunt.]

Secunda solutio.

An brutorum Animæ sint indivisibiles?

Ajo sextò, non dari rationem manifestam, quæ evincat Animam esse divisibilem in partes realiter distinctas. *Sed arguis contrà*: nam Anima in dextro brachio solet moveri sursum, in sinistro deorsum, & tunc in pede quiescere, &c. Sed hoc innuit Animam esse divisibilem: ergo. *Respondeo* Animam movere corpus voluntate, & per accidens moveri in corpore: & quia corporis partes diversis motibus aguntur, illam moveri etiam diversis motibus: at non contrariis, quies enim animæ in pede non opponitur motui animæ in manu, sed motui animæ in eodem pede.

Considerentur hæc prodigia.

Arguis iterùm. Abscissa hominum capita sæpè loquuta sunt! sæpè etiam homines sunt sine corde loquuti: &c. at hoc fieri non potest, nisi Anima dividatur in partes: ergo cùm homines decapitantur, etiam illa dividitur. Probas majorem, quia, ut refert P. Josephus da Costa *libr. 5. Histor. Indicæ cap. 28* Hispanus quidam extracto corde dixit, *Caballeros muerto me han.*

MCCCC LXII. *An sint verè & naturalia?*

Respondeo totum hunc syllogismum malum esse; nam ex præmissis falsis nihil potest inferre. Ergo majorem nego; aut, si urbanitas suadeat, distinguo, asserendo, aut Dei ope, aut dæmonis præstigiis prodigia ejusmodi aliquando accidisse: eadem autem naturaliter accidisse negando: nam vel deceperunt te, qui similia narrarunt: aut ipsimet fuerunt decepti: nam cùm oculus sit perspicax, & auris tarda, ad illos potuit pervenire priùs species truncati capitis, quàm vox ante truncationem formata. Cæterùm etsi esset vera major, minor non esset vera: quia stante indivisibilitate animæ posset aliquis dicere, caput ultimò mori: & quoties capita abscissa sunt loquuta habuisse non partem animæ, sed totam animam, quæ in trunco corpore, aut in exsecto corde esse desierat.

Oculo est tardior auris.

An capita excisa à corpore vivant?

Arguis ultimò. Membra mortua ab intrinseco moveri non possunt, sed excisa à corporibus humanis palpitant, aut etiam saltitant, Ergo adhuc vivunt. Probant minorem mille exempla, & inter alia ternus capitis Paulini saltus, fontium trium, qui hodie Romæ perennant, effector. Et *respondeo*, motus aliquos palpitationesque, quæ tamen brevi tempore durent posse à spiritibus animalibus post mortem relictis provenire: ad diuturniores motus, vel in fraudes Dæmonis, vel in supernaturalia miracula referimus: & quia actum de D. Pauli capite, dicimus in ejus martyrio multa reluxisse miracula; & inter alia, miraculosum fuisse illum ter repetitum saltum, miraculosus illas fontium totidem scaturigines: miraculosam eorumdem fontium conservationem.

Caput D. Pauli excisum ter saltavit & erinde tres fontes eruperunt.

Ajo septimò, ex suppositione, quod anima probabiliter esset divisibilis, debere dici indivisibilem ab omni viro generoso & prudenti: quod hoc modo persuadeo. Prudentia postulat, ut de amicis credamus & sentiamus, quod dignius & excellentius est: & ideò dum alii B. Virginem esse in peccato conceptam sentiunt, & alii dissentiunt, nos qui prudentes sumus, quod dignius & nobilius sentimus, nec patimur opinionem contrariam propugnari. Ergo, si nobis ipsis amici sumus, id quod dignius & excellentius de nobis sentiemus & dicemus, aut aliàs erimus imprudentes & pusillanimes, si humanæ naturæ gloriam sine necessitate deprimamus: & dicemur ingrati, si animæ indivisibilitatem nos à Deo recepisse negemus.

Res. Immorata.

An Deipara sine labe concepta sit?

MCCCCLXIII. *Sed inquiris:* An saltem probabile sit Animam rationalem esse divisibilem? Respondeo nullam esse rationem evidentem, quæ indivisibilitatem evincat: & esse aliquos hodie, qui Animam rationalem habere partes realiter distinctas defendant. [Et quia hæ Theses elapsis annis sedecim iterum recuduntur, noto P. Andream Caloecerum S. Theol. Doctorem & Professorem docuisse Olomucij, & publicè dictasse & defendisse in Scholis Animam rationalem esse immortalem spiritualem & divisibilem in partes realiter distinctas. Ergo si Olomucij hæc opinio apud Patres Societatis dictata & propugnata fuit, & hodie à Caloecero tenetur defenditurque, poterit procul dubio, si aliundè non obsit, in aliis locis propugnari.]

Divisibilitas Animæ rationalis Olomucij dictata & defenditur.

Et quid dicimus nos? Multò moderatiùs discurrimus, tenemusque Animam rationalem esse formam substantialem hominis, realiter à corpore distinctam, eamque habere partes *entitativas*, quæ inter se *entitativè* distinguantur. Sic in gymnasio ut consequentiæ rigorem observare possimus, discurremus; quoniam extra gymnasium malumus inconsequentiæ quàm pusillanimitatis

Resolutio nostra.

notari : & hanc ob rem Animæ humanæ perfectionem (hoc est nostram) quantum probabilitas & prudentia permittat, exaltabimus.

Quid & quomodo recedat Anima brachio exciso

Quid tandem fit de animâ rationali, cùm abscinditur E. C. brachium? R. eam minimè abscindi; neque regredi ad vicinam humeri partem; per motum localem &c. Sed desinere abesse à brachio; causaliter quidem, ob defectum debitarum dispositionum, & positionem dispositionum quæ formas partiales constituunt in esse ultimatè actuato & per se; quod enim anima est incompossibile; quas inter dispositiones una est discontinuatio à reliquo corpore. Nonne Deus, annihilato aëre, inter aquæ & ignis elementum medio, desineret esse in illo? & tamen per nullum motum localem aut propriè dictum recessum. Formaliter verò incipit anima abesse, per negationem præsentiæ localis, supponentis destructionem informationis.]

An Animæ plantarum & brutorum sint divisibiles?

ET quo philosophabimur modo de Animabus Plantarum & Animalium, tam imperfectorum, quàm perfectorum? Respondeo illas constare partibus entitativis, hoc est, entitativè distinctis. Sic potest intelligi & exponi Aristoteles *libr. 6. Phys. text. 49. & libr. 8. Physic. text. 79. & libr. de incessu animal. cap. 5.* ubi ait nullum ex sanguine præditis animal dissectum vivere, *tempore, ut ita dicatur, aliquo*: id est notabili; ergo videtur id concedere de tempore aliquo brevissimo. Certè ipse libr. *de juvent. & senect.* ait testudines avulso corde moveri. *Aver. 7. Phys. com. 4.* testatur se vidisse arietem, qui resecto capite ambulârit. Et licet animæ perfectorum animalium in partibus dissectis, nec momentum viverent; non tamen ideò essent indivisibiles; quia esse divisibilem animam, latiùs patet, quàm divisam vivere: & possunt dici animæ brutorum perfectorum possidere certum numerum, & dispositionem organorum, quæ in partibus resectis esse non possunt. Hinc etiam insectorum animæ, si v. g. dividantur transversim, vivunt, si in longum v. g. non vivunt.

MCCCCLXIV.

De Animæ potentiis in genere.

POTENTIA propriè dicta, universim est *Entitas quæ est principium proximum operationis alicujus, ad quam ex natura sua instituta & ordinata est. Suar. disp. 43. sec. 3. num. 20.* Tales sunt *potentiæ vitales animæ.* Quæ distinctæ sunt *entitativè* ab ipsâ animâ, cum hæc sit substantia; potentiæ verò, qualitates reales, in secunda specie qualitatis: *Arist. cap. de qualit.* Absit autem, ut hîc adversemur S. BERNARDO. licet enim is *de interiori domo cap. 67.* dicat *intellectum, voluntatem, & memoriam, esse unam animam: sicut Pater & Filius & Spiritus sanctus*, sunt unus Deus; summùm tamen vult, eas esse unam animam *radicaliter*; id est, radicem ipsorum esse unam animam.

An & quomodo distinguantur ab Animâ?

An possint separari ab Animâ?

Censent autem *P. Suar. disp. 18. Sec. 3. numer. 2. Rab. quæst. 3. num. 23.* &c. potentias animæ, per potentiam DEI esse separabiles ab anima: cùm sint minùs cum essentia animæ connexæ, quam subsistentia cum natura substantiali; cujus tamen emanationem DEUS in SS. HUMANITATE CHRISTI suspendit. Negat tamen, *P. Rab. quæst. 2. num. 19.* potentiam vitalem E. C. intellectivam, posse uniri à DEO subjecto extraneæ naturæ, E. C. lapidi, aut animæ inferiori. Alii affirmant; unò si DEUS ponat E. C. potentiam visivam in lapide; & suppleat concursum animæ, quantum, in genere causæ efficientis, supplere potest; ab ea productum iri actum videndi in lapide: eum tamen non fore vitalem; utpote de cujus essentia sit, ut procedat à principio vitali & formali, conjuncto cum principio immediato, & proximo operationis. Quod si etiam intellectus separatus eliceret actum; hunc tamen non fore beatificabilem; beatitudo enim formalis solùm consistit in operatione intellectiva, conjuncta cum formali & substantiali principio vitæ; qualis non foret ille actus.

Et quid dicemus nos? Illas esse *entitates* distingui *entitativè* ab animâ, & *entitativè* inter se: & addemus eas legibus aliarum *entitatum* judicandas.

Potentiarum specificatione.

PRogrederis, & scire vis, Unde potentiæ ejusmodi specificentur? Sit responsio: *Potentiæ animasticæ* (uti & omnes aliæ, quæ per se ordinantur ad operationes & ad actus) *specificantur* ab iisdem actibus adæquatis; qui nempe ita adæquant potentiam, ut ultra illos, illa non se extendat; &, mediantibus actibus, ab eorundem actuum objectis formalibus, primariis, adæquatis, & per se. Potentiæ enim non possunt definiri nisi per actus; *hinc Aristot. 2. de ani. t. 33.* ait actus esse priores *ratione* (id est definitione) ipsis potentiis; non ordine generationis; sic enim priores sunt potentiæ; nec prout potentia & actus correlativa sunt; sic enim sunt simul; sed quia actus in sui definitione & essentia non includunt potentias, potentiæ verò in sui definitione includunt actus; & eodem modo objecta sunt priora actibus, ideòque actus ab objectis, potentiæ ab actibus specificantur: cum specificari ab aliquo extrinseco, nihil aliud sit, quàm habere totam suam essentiam transcendentaliter ordinatam ad illud: cùm ergo potentiæ ita ordinentur ad actus; neque tamen ad hos terminari possint, nisi etiam terminentur ad terminum ipsius actûs, qui est objectum; hinc potentiæ specificantur quoque ab objectis, mediis actibus.

An potentia sensitiva hominis & leonis sint ejusdem infimæ & co-speciei?

Ex quibus colligit *Rab. quæst. 8. num. 123.* 1. Potentiam visivam hominis & leonis esse eandem specie; specificatio enim attenditur penes objectum, non penes principium potentiæ: objectum autem formale idem est,

& co-

& eodem modo immutativum utriusque potentiæ. II. Omnes actus unius potentiæ, esse ejusdem speciei, licet sint circa objecta in genere entis alioquin diversa; v. g. omnes simplices apprehensiones; omnes compositiones, omnes discursus &c. & demus actus esse diversæ speciei, E. C. visionem albi, & visionem nigri; potentiæ tamen non distinguentur specie; tum quia hi actus singuli sunt solùm inadæquatum specificativum potentiæ visivæ; tum quia album & nigrum, respectu suorum actuum, se habent ut objecta totalia & adæquata, cùm sint ex natura sua repræsentatio formalis, hujus tantùm, & non alteriùs objecti; respectu verò potentiæ sunt solùm inadæquata objecta; cum hæc sit ordinata ad omnes suas operationes.

Quænam sit causa potentiarũ effectrix?

SUperest, ut agamus de causâ efficiente & materiali potentiarum, sunt enim variæ Authorum sententiæ. Alii docent illas emanare, aut pullulare: alii illas comproduci ab Animâ: alii philosophantur aliter. At me judice causa efficiens potentiarum animæ, est ipsum generans; utpote quod non modo tribuit ipsum *esse*, sed ea omnia, quæ pertinent ad perfectionem ipsius *esse*, quæque ei debita sunt, pro primo instanti existentiæ illius; inter quæ sunt etiam *potentiæ*. Concurrit quoque anima ut instrumentum, aliquo modo efficiens easdem potentias, easque è subjecti potentia educens; non per actionem aliquam physicam propriè dictam, quæ cum motu solet esse conjuncta; sed per *emanationem* naturalem: sed hoc est loqui cum multis, & obtorquere vocum significationem, ut sentiamus cum paucis.

Quænam sit causa materialis potentiarum?

DIfficilius est determinare causam materialem potentiarum. Nostrâ quidem sententiâ omnes, sive spirituales, sive materiales ipsæ sint *entitativè* distinguuntur ab Animâ, & *entitativè* insunt Animæ. De intellectu nulla videtur esse difficultas: illum enim in Animâ collocavit Aristoteles *libr. 3. de Anim. text. 4. & 6.* & *libr. 1. de Anim. text. 66. & 92.* Actus corporeos aliqui partim in Animam & partim in corpus ponunt: nos omnes (corporeos, in corporeos) in suis potentiis immediatè locamus, & quia illos esse entitates dicimus, & à suis subjectis entitativè distingui, ideò asserimus ab anima illos *ut quòd*; & à potentiis *ut quo* produci *entitativè*, & non aliter.

Quænam actuum vitalium?

An potentiæ sint in toto corpore

Non sunt autem potentiæ organicæ diffusæ per totum corpus: sed suo quæque organo alligatæ; licet enim sint proprietates animæ; non tamen sunt illi debitæ ubivis, sed prout apta cuilibet potentiæ organa informantis. Quæres an possit una potentia simul elicere plures operationes? Respond. I. Potentias diffusas per totum corpus, qualis est *sensus tactus*, ratione diversarum partium, posse: potest enim simul in manu sentire calorem, in pede frigus. II. Idem posse potentiam inorganicam; imò & organicam uni certo organo alligatam, circa objecta disparata; non modò supernaturali virtute; sed naturali quoque, eliciendo simul plures operationes inadæquatas tamen, & circa diversa objecta.

XXII.

De Animâ vegetante, de quâ Arist. 2. de An. à T. 34. usque ad 41.

ANIMA VEGETATRIX est *actus primus corporis organici, potentia vitam vegetativam habentis.* Ejus *potentiæ principales*, tres MCCCCLXV.
tantùm sunt: *Nutritiva*, *Augmentativa*; *Generativa*; qui ternarius ex triplici, quæ in viventibus est, indigentia colligitur. *Nutritiva* enim sufficto alimento debet restaurare partes humidi, actione caloris perpetuò evaporantes; ne alioquin intereat, cum vita consistat in calido & humido: *de long. & brevit. vit. cap. 3.* *Augmentativa* debet vivens ad eam; in qua operationes suas perfectè exercere possit, magnitudinem producere. *Generativa* debet perpetuare ipsum vivens, non in se, cum sit individuum mortale & caducum, ergò saltem conservando speciem, per successivam plurium generationem.

Quid sit Anima vegetativa? Quot potentias habeat

Potentia duplex: principalis, & ministrativa.

Potentiæ verò. *Ministrantes* animæ vegetatrici, hæ quatuor sunt. I. *Attractiva*, quæ licet in radice plantarum; & in stomacho animalium; præcipuè vigeat, per totam tamen plantam, & animalis corpus; spargitur; cum ad omnes ejus partes alimentum jam præparatum attrahere debeat. II. *Contectiva* seu digestiva; quæ alimentum multiplici alteratione, præsertim in ventriculo, & hepate, præparat & concoquit, ut in substantiam aliti sit convertibile. III. *Retentiva*; quæ alimentum, cùm id non possit momento alterari, in receptaculis retinet, ne indigestum diffluat. IV. *Expulsiva*; cujus est expellere sordes & excrementa, nutritioni inepta.

Quid sint potentiæ?

Potentiæ principales Animæ vegetativæ, sunt *Entitates* quædam, inter sese & ab Animâ *entitativè* distinctæ: quod colligimus ex diversitate operationum. *Auctrix* enim tunc operari desinit; cùm *Altrix* est maximè vegeta: nempe ubi vivens pervenerit ad statum consistentiæ; & tamen utraque facultas in eodem organo, & per eadem instrumenta operatur; quæ sunt calor, spiritus, &c. quæ in ea ætate summè florent. *Generativa* verò debetur generatio membrorum & totius viventis: habetque diversam à cæteris sedem: ubi superfluum alimenti, vim seminariam accipit. Ex diversitate *objecti formalis specificativi.* Objectum enim *Altricis*, est alimentum substantiale, in aliti substantiam convertibile. *Auctricis*, est alimentum, prout quantum. *Procreatricis*, alimentum, prout nutritioni superfluum, & aptum ad illud vivens generandum.

An potentia nutritiva à generativa: an cæteræ potentiæ inter se distinguantur?

Dum ergo *Aristot. 2. de anim. T. 42.* ait eandem esse potentiam *vegetativam* (id est nutritivam) *& generativam*: intelligendus est solùm ratione identitatis, circa materiale objectum remotum, nempe alimentum. *Dand. 2. de anim. com. 50.* Censemus pariter *potentias ministrantes* animæ vegetativæ; tum à *principibus*; tum inter sese distingui *entitativè*, idque ex diversis singularum objectis formalibus, & operationibus colligimus; quarum tam multiplicem efficientiam judicamus esse supra vires unius solius, aut pauculatum duntaxat potentiarum.

Calor duplex.

Harum omnium facultatum generale instrumentum, est *calor*: isque universim duplex; *Insitus* unus; *Influens*, vel adventitius alter. *Insitus* subdividitur in *elementarem*; qui scilicet singulis partibus, ex intrinseca elementorum permixtione, inest; & *vitalem*; qui proprius est cuique membro, & à primo ortu insitus, sustentaturque in humido radicali. *Influens*, ita dicitur; quod è corde ad cætera membra influat: & dividitur in *naturalem*; qui crassior est, & nutritioni servit; *vitalem*; qui tenuior est, & per arterias cum Spiritu diffunditur; *Animalem*; qui temperatus in cerebro, ad motum & sensum efficiendum per nervos diffunditur. Et quomodo, quæso isti calores distinguuntur? Respondeo distingui inter se *entitativè*.

Quod sit vitæ principium?

CONtrovertitur inter Philosophos & Medicos de *vitalis caloris fonte*. Nos; si de vitali calore, singulis membris in primo ortu instillato, sermo sit; nulli certo membro ejus originem adscribimus. Sin de calore *influente & adventitio*; *Cor* (utpote spiritus & sanguinis officinam) *caloris fontem* salutamus, cum *Aristot. de sens. & sensil. cap. 1. 3. de part. cap. 7.* Hinc in perturbationibus animi, præsertim timoris, calor ad cor recurrit; hinc perpetuus in corde pulsus, in arterias quoque derivatus. *Cor* ergo membrorum omnium Rex, in medio animalis, sub pericardio, velut conopæo residet; cæterisque omnibus membris spiritus vitales, veluti vicariam quandam potestarem communicat; jecori, gignendi sanguinis; cerebro, sensum, & voluntarium motum efficiendi, &c,

Est autem *cor* principium sanguinis, non inchoati illius & imperfecti, qui fit in hepare; sed perfecti & ultimi; non quòd sanguis ex hepare in cor, & inde per venas distribuatur; sed quia mediante spiritu in corde genito, & in arteriis, venas comitantibus sparso, sanguinem perficit. Imò & *venarum arteriarumque principium Cor* statuamus cum *Aristot. 3. de part. cap. 7. 1. de gener. animal cap. 18. & peripateticis*: Et ex Medicis, *Vesalio libr. 3. cap. 6.* Venæ duæ potissimum sunt radicales, *Vena cava*, *Vena arteriosa*, & devehendo sanguini destinatæ, & dextro sinui cordis insertæ. *Arteriæ* totidem; *magna* seu *porta*, & *venosa*; devehendo spiritui vitali consecratæ.

Unde arteriæ nascantur?

Arteriarum ergo principium, omnes cordi adscribunt; non item venarum; sed hoc quoque *Cordi* deberi, manifestum fit. I. Quia cordis substantia, utpote solidior, magis est proportionata solidæ venarum substantiæ, quam mollior hepatis. II. Cor est arteriarum omnium fons, quidni & venarum? Cum hæ, ab illis, vix alio, quam minori crassitie differant. III. testatur *Dand.* nobilis in paucis Philosophus & Medicus *libr. 3. de part. homog. cap. 17.* se radicem *venæ cavæ* in hepare diligentissimè (in gratiam Galeni) quæsitam, minimè invenisse; aperto verò cordis utroque sinu, deprehendisse nullam venam arteriamve cor permeare, sicut reliquas omnes corporis partes, ergo in solo corde radicantur. IV. Priùs formantur venæ, quàm caro jecoris, cùm eam Galenus ipse, inter parenchymata, seu sanguinis affusiones aut concretiones censeat; quæ, ex communi Medicorum, apud *Dand. cit. cap. 17.* posterius venis, formantur; quomodo ergo hepar sit radix venarum, utpote posterior trunco. V. Venæ cavæ orificium, ad dextrum cordis sinum, amplius est, amplitudine corporis venæ cavæ, undiquaque: teste *Vesal. libr. 3. cap. 6.* contrà *Galen.* ipsa quoque vena arterialis, è dextro sinu prodiens, nullo modo venam cavam tangit, teste *Dant. cit.* contra *Galen.* cùm inter utramque, non parva Cordis substantia mediet; imo *arterialis* sextuplo crassior sit quam *cava*; ergo una ab altera non oritur, nec ad jecur reducitur; sed utraque immediate oritur ex corde.

De Venis.

Denique *vena porta*, non ad *jecur*, sed ad *cor*, ut ad principium reducitur, teste *Aristot. 1. Histor. animal. cap. 18. 4. de part. cap. 4. Dand. libr. cit. cap. 21.* aliisque optimis Anatomicis; utpote continuata, cum *vena cava* propaginibus, per exiguas quasdam venulas, in jecoris substantiam sparsas. Esto verò careant aliqua animalia dextro cordis sinu; ut objicit *Andreas Laurent.* poterunt illæ è sinistro oriri. Quanquam & assumptum *Laurentij*, neger *Aristot. 3. de part. cap. 4. & Dand. cit. cap. 18.* in quo enim vase reciperetur sanguis, gignendo spiritui?

Quid sit potentia nutritiva?

POTENTIA NUTRITIVA, est *naturalis facultas viventis, convertens alimen-* MCCCCLXVI.
tum in substantiam aliti. Objectum ejus, *alimentum*, duplex est. *Proximum* quod immediatè convertitur in substantiam aliti. *Remotum*; quod indiget concoctione, antequam convertatur: debet enim alimentum aliquo modo esse *simile & dissimile* alito. 2. an. T. 45. debet ergo tale alimentum esse substantia. Hinc quando *species Eucharistica* (ex communi Theologorum) nutriunt; in eo instanti, quo quantitas ultimò disponitur per dispositiones carnis, aut alterius partis nutriendæ; DEUS creat materiam, vel

An Eucharistiam nutriant, & quomodo?

eandem

eandem numero, quæ ante desiit, vel aliam, ex qua naturale agens, per dictas dispositiones producat formam carnis, ossis &c. *Dand. 2. de an. digress. 25.*

An odor nutriat?

Nec *odores*, nec *elementum* ullum, seorsim in suo statu naturali positum (secus si permisceantur) nec *lapides*, nec *metalla*, nisi fortè in minutissimos pulveres contusa, & potione aliqua temperata, sunt apta nutritioni. Imò nec *vinum*, nisi permixtum aliis cibis, aut dulce ac crassum, ut mustum, sapa, &c.

An sanguis alimentum sit?

Alimentum proximum viventis est solus *sanguis*; non item humores ceteri; *pituita* seu phlegma, *bilis* seu cholera, & *bilis atra* seu melancholia. *Aristot. 3. hist. cap. 19.* Ventriculus ergo non nutritur chylo, sed sanguine attracto per venas è jecore ad ipsum directas; *Vesal. libr. 8. cap. 3. Conimb. 1. Gener. cap. 5. quæst. 8. art. 2.* Dum autem dicimus sanguinem esse alimentum proximum, loquimur de alimento generali omnium partium corporis, non autem de alimento partis alicujus singularis.

An sanguis immediatè in alitи substantiam convertatur?

Probabile enim est, sanguinem prius, quam in substantiam aliti vertatur, converti in *quatuor humores secundarios*. Hi sunt, *humor sanguineus*, qui cernitur in poris venularum capillarium; *Ros*; qui in superficie partium nutriendarum; *Cambium* intra earundem poros receptum; *Gluten*; qui est humor viscosus, intimiùs partibus nutriendis adhærescens. Quos tamen omnes, cùm probabile sit, nec inter sese, nec à sanguine substantialiter differre, ideò adhuc simpliciter dici potest sanguis alimentum immediatum omnium partium.

Quomodo fiat nutritio?

Sic autem se habet nutritionis processus. Cibus ore susceptus, dentibus comminutus, & irrigatus saliva, quam linguæ radix & glandulæ suppeditant, per æsophagum mittitur in ventriculum; cujus calore coquitur, & vertitur in chylum; qui concoctus, per Pylorum, seu inferiùs ventriculi orificium, detruditur ad intestina; quorum flexuoso anfractu perficitur: & hæc prima concoctio, dicitur *chylosis*. Ex intestinis tenuioribus, chylus per venas mesaraicas, ex cavo hepatis, ad intestina per Mesenterium sparsas, ad hepar attrahitur; hîc in *chymum* (qui congeries est quatuor humorum) vertitur, & paulatim sanguis à reliquis tribus humoribus separatur; quorum fæculentiores partes, in sua quæque vasa se recipiunt: Hæc secunda concoctio, *chymosis* vocatur. Sanguis denique, primum venâ cavâ exceptus, & à vicino in arteriis spiritu perfectus, & à partibus corporis omnibus attractus, capillares venas subit, & in dictos humores primùm, tum in substantiam viventis vertitur.

Anima vegetativa, per potentiam nutritivam semper operatur.

Vivens toto vitæ tempore nunquam cessat ab aliqua operatione ad nutritionem spectante, ab ipsa tamen nutritione *formaliter*, quæ est adgeneratio ipsa alimenti; cessat aliquando. Nutritionem præcedunt fames & sitis. *Fames formaliter, est dolor ex divulsione ventriculi excitatus*, appetendi cibi gratia. *Sitis formaliter*, est *dolor ex vellicatione facta in ventriculo potissimum, æsophago* & faucibus, appetendi *potus gratia.*

Unde morbi & mors?

Cum autem *humidum radicale* nunquam possit perfectè resarciri, inde fit, ut vitâ perpetuari non possit. Quare probabilius putat *Peter. libr. 3. in Genes. quæst. 3.* post Scotum *in 2. d. 19. quæst. 1.* & ut videtur, *S. Doct. 1. par. quæst. 97. art. 4.* nec fructum comestum *Arboris vitæ*, conservaturum fuisse hominem, etiam in statu innocentiæ, per infinitam durationem; aliàs ea virtus naturalis, fuisset actu infinita. Præsertim cum homo naturâ sua sit mortalis, utpote compositus ex qualitatibus quatuor, inter se contrariis & activis; quod est caussa remota mortis; proxima verò est earundem qualitatum intemperies, & depastio humidi radicalis, ab insito calore: mortalitas ergo proxima, non remota, inflicta est Protoplastis post peccatum.

Quid sit mors?

Est verò *Mors*, *recessus animæ à calido deficiens*; id est, è corpore, in quo calor deficit: hinc *Aristot. libr. de vita & morte cap. 14.* eam definit esse *extinctionem caloris*: sed hæ descriptiones sunt caussales tantum: *formaliter* enim *mors*, est *privatio ipsa instantanea vitæ.* Unde colliges *mortem formaliter*, esse unam eandemque in omnibus. *Causaliter*, esse vel naturalem, vel violentam. *Naturalis* ea solùm propriè est, quæ ab extincto, præ nimia senectute, calore, absumptoque humido radicali oritur; & ab *Aristot. marcor* dicitur. *Violenta* verò omnis illa, quæ ex quavis alia caussa, præterquam ex consumpto præ nimia senectute humido & calido, nascitur. Mortis prænuncius est *morbus*,

Quid sit morbus?

nempè *intemperies primarum quatuor qualitatum in corpore animalis*; quâ ut plurimum cum *sensu doloris impediuntur functiones viventis.*

Quid sit vita?

Morti opposita *Vita*, describitur ab *Aristot. libr. de respir. permansio seu conjunctio animæ vegetantis cum calido* id est cum corpore habente calorem naturalem, residentem in humido, qui velut custos est animæ. Vitæ conservatrix I. Est sanitas nempè *temperies primarum qualitatum in animali, apta ad omnia vitæ, sensûs & rationis* (ubi opus est) *officia exercenda*.

Quid sit sanitas? & quomodo ab humorũ temperamento distinguatur?

Hinc colliges sanitatem non esse Habitum aliquem, à quatuor primis qualitatibus rectè inter se temperatis, distinctum; *Temperies* enim, in qua diximus consistere *sanitatem*, physicè & materialiter accepta, sunt ipsæ qualitates temperatæ; formaliter verò, est mutua earundem ad se invicem habitudo. Sic doctiores discurrunt. Sed interrogas, an illa (nempè sanitas) possit saltem probabiliter à quatuor humoribus & eorum temperamento distingui? Et respondeo esse varias Philosophorum opiniones,

& si placeat, sanitatem ab illis (humoribus & temperamento) distingui *entitativè* supponimus.

Quid respiratio sit? II. *Respiratio, qua nihil aliud est, quam attractio & emissio aëris in animali, per pulmones & asperam arteriam facta ad cor refrigerandum.* Index denique aut sanitatis, aut morbi, est motus cordis & arteriarum, qui *pulsus* dicitur; quo cor & arteriæ, modò ex calido intumescente dilatantur seu elevantur; & *diastole* dicitur: modo calore detumescente ad pristinam figuram contrahunt sese; & *systole* vocatur. Sed nota cùm cor dilatatur, arterias comprimi; cùm cor comprimitur; illas dilatari.

Pulsuum motus.

MCCCC LXVII. *Quid sit augmentatio?*

AUGMENTATIO est *motus viventis à vegetante anima, caloreque naturali factus; aliquo extrinsecus accedente, quo vivens idem semper manens, ex minori & imperfecta quantitate, ad majorem & perfectam, per omnes partes progreditur*, ut optimè & congruenter naturæ suæ, *operari possit*; *Dand.* Est autem quælibet *argumentatio* particularis, motus continuus & successivus; excommuni *apud Rub. 1. de gener. tract. de aug. quæst. 3.* & diserta. *S. Th. 3. P. quæst. 33. art. 1.* certè eam *Aristot.* semper inter motus successivos numerat. 5. *phys.* T. 18. 8. *phy.* 55. T. *gener.* T. 25. 6. *phy.* T. 48. *et.* 132. 5. *Meta.* T. 18. accommodat enim sese augmentatio nutritioni, cui semper est adjuncta; & cum *hac*, per accidens saltem, fiet successivè; fiet etiam *illa*, sed per se, successivè.

Augmentationis & rarefactionis differentia.

Differt *argumentatio à rarefactione*, hoc potissimum, quod per *illam*, acquiratur nova quantitas; per *hanc*, novus tantummodu pristinæ quantitatis modus. Id autem quomodo fiat, nemo satis explicat, ventilandum ergo ingeniis & disputationi permittimus.

An, & quæ partes corporis animam habeant?

CONtrovertitur, quæ partes corporis sint animatæ. Nos arbitramur I. *Cerebrum* animatum esse solâ anima vegetante; nutritur enim; quod tam copiosæ venulæ per illud sparsæ testantur: insensile tamen est; etiam vulneratum & duro compressum ferro, aut divisum, experientiâ teste. II. *Sanguinem* reliquosque *tres Humores*, non esse animatos. Sanguis enim non nutritur vitaliter; & si esset animatus foret quoque pars corporis, & proinde in SS. EUCHARISTIA, *ex vi* VERBORUM, poneretur sub *speciebus* panis, non minus quam *caro, ossa, nervi*: contra *Concil. Trid.* docens, *sanguinem* sub speciebus panis, poni solùm *concomitanter*. III. Neque semen. 2. *de an.* 1. 10. 2. *de Gener. animal. cap.* 10. 19. &c. vivunt quidem semina plantarum, non quà talia; sed quia veræ partes fructuum sunt, aut fructus ipsi; non item semen animalis. Semen autem, utpote generativum differre à sanguine essentialiter, probabile est. IV. neque *Lac*: cùm non differat essentialiter à sanguine, sed sit pars tantum ejus, melius cocta. *Arist.* 4. de Gener. *animal. cap.* 8. V. nec *ossium Medulla*: utpotè coctum excrementum (ut definit *Aristot.* 2. *part. cap.* 6.) ejus, quod in ossa distribuitur, alimenti sanguinei: quod tamen est inanime. *Medulla* tamen spinalis seu dorsi, animata est; utpotè ejusdem substantiæ cùm cerebro, ut cum eo continuata, & velut propago illius, etsi aliquanto durior, quanto amplius ab eo recedit.

VI. *Sevum & Adeps*, non sunt animata: cùm nec terminum magnitudinis, sicut reliquæ viventis partes, habeant; nec vitaliter nutriantur. Est autem *Adeps* pinguior & tenuior sanguis, è venis exsudans, paulòque magis coctus, & frigore incrassatus: à quo *Sevum*, penes majorem siccitatem & crassitiem, differt. VII. *Pili, Ungues, Dentes, Cornua*, non sunt animata, Cùm non nutriantur vitaliter, nec nisi excrementitio alimento, ad radices, posito: & nulla pars animata, usu ipso atteratur: Quæ caussa est, cur cutis plantæ, seu infra pedes, nunquam atteratur, sicut atteruntur soleæ calcei; illa enim animata est, hæc inanimis.

VII. Cutis interior animata est; nutritur enim & sentit, & mediæ est, inter ossa & carnem, naturæ. Exterior verò, seu *cuticula*, forte animata non est, utpotè nata ex meris excrementis, & insensilis 3. *hist. cap.* 11. *&c.* IX. Partes solidæ, ut *caro, nervi, vena, arteria, ossa, ligamenta.* Membranæ, Tunicæ, &c. animatæ sunt. *ossa* tamen non sentiunt. 1. an. T. 79. 3. an. t. 66. quia nimis terrea, sicca, dura. Omnes denique partes corporis inter se *continua* sunt: cùm & cerebrum continuetur saltem Medullæ Spinali; *ossa* verò continuentur aliis partibus, per cartilagines, quæ sunt mediæ conditionis, inter ossa & carnem.

De partium corporis continuitate.

TRiplex autem attendi potest partium continuitas. I. Ratione formarum partialium substantialium. II. Ratione materiæ & quantitatis. III. Ratione formæ totalis, Animæ. De secunda & tertia continuitate accipimus, non de prima; cum dicimus omnes partes viventis esse *continuas.* Quod si objicias semina in pomis, & in siliquis fructus, quæ vivunt, quia verè nutriuntur, nec tamen continuantur cum reliquis viventis partibus, ut patet aperientibus seu dividentibus. Respondeo, Aliquas partes viventium, progressu temporis discontinuari ab aliis partibus, uti sunt, quæ à *Theophrasto libr.* 1. *de plantis. cap.* 3. dicuntur *partes annuæ* plantarum, ut *folium, flos, pedicellus, capreolus, muscus, semen, fructus.* Discontinuantur enim; quia deficit in partibus, per quas continuantur, humor necessarius ad continuationem. Idem dic de seminibus

intra

intra fructus, & de fructibus intra siliquas: dum enim habent sufficientem humorem, continuantur cum iis, in quibus latent, per aliquas venas seu pedicellos, per quos transmittunt alimentum, exsiccato verò paulatim humore, discontinuantur; non tamen statim moriuntur, sicut neque statim moritur surculus à ramo recisus, concoquunt enim adhuc humorem aliquem indigestum, quem intra se habent, eumque in alium substantiam vertunt; donec omninò intereant.

XXIII.

De Animâ sentiente, de quâ Arist. 2 de An. à T. 51.

MCCCCLXVIII. *Quid sit Anima sensitiva?*

ANIMA SENTIENS, est *actus primus corporis naturalis organici, potentia vitam sensitivam habentis.* Cujus Potentias sentientes, priusquam singillatim inspiciamus; de sensu universim, quædam præmittimus. *Sensus* igitur, non est Potentia merè passiva; sed *activa* simul & *passiva.* Prout enim recipit species ab objecto, & actum sensationis immanentem, *passiva* est: prout eundem actum elicit; *activa.* Ergo Sensus est duplex, activus & passivus; vel; si simplex, compositus è duobus partialibus sensibus. Sed quomodò hi duo sensus, seu totales seu partiales dicantur, distinguuntur? *Entitativè.* Est autem objectum sensûs, aliud *sensibile per accidens*; aliud sensibile per se. *Illud* est, quod per se non immutat sensum, producendo in eo speciem, aut illum reintitando: sed tantum est adjonctum ei, quod potentiam per se immutat; ut est v. g. esse Socratis, adjunctum colorato, &c. *Sensibile per se est*, quod immediatè & per se immutat potentiam, producendo in illa speciem, eamque terminando. Idque duplex est T. 63. *Proprium*, quod per se non contingit sentiri, nisi uno sensu, unius ordinis; uti est color, odor, sapor, sonus, calor, frigus, humiditas, siccitas &c. *Commune*, quod à pluribus sensibus sub eadem ratione percipi potest. Cujusmodi ait *Arist.* T. 64. esse magnitudinem; seu quantitatem; numerum; figuram; motum; quietem. Quibus ex eodem 2. de an. T. 133. addi potest unitas, & ex *cap. 4. de sen. & sensil.* asperum, læve, obtusum, acutum: & ex 4. *Phys.* T. 98. Tempus. Quibus Optici addunt distantiam, situm, rectum, curvum; Quæ tamen omnia ad quinque dicta prima capita, revocari possunt. Unitas, distantia, situs, locus, (si is tamen sensibile commune est) ad quantitatem; cujus nomine hic intelligitur extensio propriè quantitativa, in ordine ad locum; alioquin etiam quantitas CORPORIS CHRISTI, prout est in SS. EUCHARISTIA, naturaliter videri posset. Tempus, vel reducitur ad motum, & cum eo sentitur, vel non sentitur sensu externo. Reliqua reduc ad figuram.

Sensus duplex.

Quod sit objectum sensuum?

Sensibile proprium.

Sensibilia communia.

Porrò *sensibilia communia*, non dicuntur *sensibilia per se*, quasi seorsim, & separata à sensibili proprio, sensibilia sint; cùm non habeant rationem primariam objecti sensûs, teste *Arist.* T. 65. Sed quid si quis manu tangeret quantitatem cœli; carentem sensibili proprio; nonne eam sentiret? Respondeo me didicisse à Patribus cœlum non esse durum, sed liquidum & aëreum, & putare esse nugas omnia quæ de sphæris concentricis, eccentricis, & epicyclis solidis à viris otiosis dicuntur; & ideò non sentio objectionis violentiam. Sed quid dicerent Peripatetici? [Quantitatem cœli restitutam quidem manui, & hanc, si vim cœlo inferre molitetur, læsum iri: id totum tamen absque vera sensatione, quæ fieret in sensu externo tactûs; sicut cum aliquid manu stupida tangimus; & si ex violento illo conatu, dolor in manu sequeretur; non proventurum ex vero contactu cœli; sed quia soliditas duritiesve cœli, in manu sustulit debitum se habendi modum, ex quo manat dolor. Deinde; si dicas illum esse verum tactum; non tamen fieri sine sensibili proprio, duritie, vel soliditate cœli.] Tantæ molis erit falsam defendere mentem Ethnici Aristotelis. *Sensibilia communia*, non dicuntur *per se sensibilia*; quasi sentiantur per actionem & speciem, distinctam ab eâ, per quam sentitur sensibile proprium: alioquin possent etiam sentiri separata.

An cœlum sit solidum? An sit tangibile?

Dicuntur ergo *sensibilia per se*, quia ex se habent vim immutandi sensum, modificando actionem sensibilium propriorum, & sunt ratio, ut sensibilia propria tali, vel tali modo, immutent sensum: E. G. motus vel quies, adjuncta colorato; faciunt ut coloratum videatur in motu, vel quiete &c. Quantitas facit, ut videatur in tanta quantitate. Fit enim visio per pyramidem radiosam, seu speciem visibilem, ad instar pyramidis ex objecto sparsam; cujus basis sit in superficie objecti; vertex verò, seu cuspis, in centro oculi. Hinc neque res non quanta; neque non sufficienter quanta, videri potest: *illa*; quia non potest esse basis pyramidis radiosæ: *hæc*; quia non facit pyramidem; cujus angulus sit proportionatus, angulo verticali oculi; ut notat *Aguilon. 1. opt. propos.* 54. Vides ergo, quomodò major, minorvè quantitas modificet rem visibilem; quia enim per illam variatur basis pyramidis; ideò variatur transmissio specierum, & proinde visio.

Sensibilia per se.

Sensibile *proprium*, & *commune*, per unitam speciem, & per modum unius objecti, sentiuntur: Et cùm variatur *commune*, remanente *proprio*; manet quidem species quoad entitatem; perit tamen quoad modum. QUOD docet *Arist.* T. 63

Agimus de speciebus intentionalibus ex suppositione.

Sensum

fortè enim illa non dantur in rerum naturâ.

Senſum non decipi circa ſenſile proprium : accipiendum eſt de ſenſili proprio, adæquato , primario & in communi alicujus potentiæ. ut. E. C. circa colorem, & lumen, quà talia, non poſſit decipi viſus, & circa ſonum , auditus &c. Potentia enim nequit extra ſui objecti limites excurrere. Poteſt tamen falli circa ſenſibile ſecundarium , inadæquatum & particulare ; E. C. circa colorem quà nigrum; circa ſonum quà acutum &c. Poteſt enim operatio tali objectu non eſſe conformis; quod eſt ſenſum decipi. Idque contingit ex defectu debitæ diſpoſitionis , in organo & medio. Sic febrienti , res dulces, amaræ videntur , propter organum guſtûs humore bilioſo infectum. Sic res per viridia conſpicilia viſæ, apparent virides ; infectis quodammodo , virore illo, ſpeciebus. Sic oculi Aurigine laborantes , cærulea , putant viridia , ob tranſparentem bilis flavedinem, quæ cum cæruleo , viridem componit ; *Agulon.* 1. *opt. prop.* 39.

An & quando ſenſus decipi poſſint?

Circa *ſenſibilia communia* , tam in genere , quam in particulari , decipi poteſt ſenſus , ut prolixè & eruditè oſtendit *Agul. libr.* 4. *opt.* & patet inductione. I. In *motu, quiete* & *numero* : ut cum Solem quieſcere & navigantes , navem , in qua vehimur, ſtare ; littora verò moveri putamus. Un etiam contingit ebriis, delitis , phreneticis; è quorum cerebro , ſpiritus valdè impuri, & fumoſis vini vaporibus mixti , per nervos opticos deſcendunt , & inordinatè in ipſo oculo agitantur ; nec ſinunt oculorum axea firmari ; ideò illis omnia moveri , & genuina eſſe videntur;

Cum bibitur concha, cum jam vertigine tectum
Ambulat,& geminis conſurgit menſa lucernis.

Oh ſimilem commotionem , vertigine laborantibus , & pueris , cum in orbem verti deſierint

——— *videntur*
Atra verſari & circumcurſare columna,
——— *vix ut jam credere poſſint,*
Non ſupra ſeſe ruere omnia, tecta minari.

II. In *quantitate* , ut cum aſtra exigui inſtar orbiculi apparent ; ob nimiam pyramidis radioſæ , in tanta diſtantia tenuitatem. III. *in diſtantia*; ut cum nocturni ignes , viciniores videntur , quàm ſint ; eo quod ſpatium interjectum, ob affuſas tenebras, æquo æſtimari non poſſit. IV. In *Situ*, ut cum Horizon altior videtur , eo quod , propter immoderatam diſtantiam , ab oculo , in eadem, qua oculus eſt , altitudine ſpectetur ; cum attolli magis magiſque videamur ea , quæ remotiora ſunt , *Aquilon.* 4. *opt. de Fall. ſit prop.* 39. V. In figura ; ut cùm turres , & id genus ſtructuræ angulares , circulares apparent , ob nimiam diſtantiam ; quia tenuea angulorum extremitates , oculum fugiunt, &c.

Axioma illud *ſenſibile poſitum ſupra ſenſorium* , ſeu ſenſum , *non facit ſenſationem*, ſumitur ex *Ariſtot.* 2. *de an.* T. 75. 98. 116. & verum putant nonnulli , in omni ſenſu ; Si. I. Per *ſenſibile* intelligas extraneam ſubſtantiam. II. Per *Senſationem* , accipias , perfectivam , non autem corruptivam, & noxiam ſenſorio : ſed quia Schola Localis opinatur contrarium , quæſtionem indeciſam relinquimus. Cur autem *vehemens ſenſibile* , *lædat ſenſum* , ut docet *Ariſt.* 2. *an.* T. 123. & 142. & conſtat experientia magnæ lucis , ac ſoni , cæcitatem ſurditatemve inducentium ; cauſa ſunt , vel ipſæ ſpecies intentionales , excedentes vim paſſivam potentiæ ſentientis ; vel qualitas activæ iis adjunctæ ; quæ ſanſorium nimio exceſſu lædunt.

An ſemper debeat eſſe medium inter ſenſū & ſenſibilei?

MCCCC LXIX.

An dentur ſpecies intentionalesi?

SPecies *intentionales ſenſibiles* probabiliter admittendæ ſunt, ob communem ſententiam SS. PP. Theologorum , Philoſophorum , apud P. *Rub.* 2. *de an. tract. de ſpecieb. ſenſ. q.* 3. & *Ariſtotelis* paſſim. Sed præſertim 2. *de an.* T. 121. ubi *ſenſus* dicitur *ſuſceptivum formarum* , *ſine materia.* Senſus enim , ex ſe indeterminatus , debet per illos determinari , & objectum ad ſe attrahere.

Quomodo producantur.

Producuntur *hæ ſpecies*, ab objectis ſenſibilibus , *uniformiter* , *difformiter* per totum medium , in inſtanti ; cum nullo retardentur contrario ; & maximè accedant ad ſpiritualium accidentium naturam ; & propoſito objecto ſtatim fiat viſio. Quæ tamen productio ita fit ut illa pars ſpecierum , quæ eſt immediatè producta ab objecto , producat in parte medij proxima aliam ; & hæc aliam , ac deinceps ad potentiam uſque ; quod patet cùm objectum in ſpeculo videtur per reflexam è ſpeculo ſpeciem , quæ neceſſario produci debuit à parte ſpeciei , directè in ſpeculum illapſæ.

Quid ipſæ ſint

Sunt hæ ſpecies , *qualitates materiales*, utpotè eductæ è potentia ſubjecti , ac proinde *diviſibiles & extenſæ* , *ratione ſubjecti* ; ratione tamen objecti , ſunt indiviſibiles ; habent enim quendam modum exiſtendi, & operandi , proprium rerum indiviſibilium. Nam & tota , ab objecto producta ſpecies , recipitur in toto medio , & repræſentat totum objectum , & ſingulæ partes ſpeciei , receptæ in medio , æquè repræſentant totum objectum ; quia in ſingulis medij particulis , ſingularum objecti partium ſpecies recipiuntur. Hinc per minutiſſimum foramen, integros montes & campus pervidemus. Interim in qualibet medij particula quotumlibet objectorum ſpecies manent inconfuſæ, & numero diſtinctæ, juxta diſtinctionem objectorum. *Dand.* 2. *an. dig.* 30.

eo quod,

eo quod, sicut ponus in sua natura ab objectis, quam à subjecto pendeant, ita & in unitate.

An differat naturà ab objecto? Ex quo etiam sequitur, species, licet sint similes, & imago objectorum in repræsentando, essentiæ tamen ab illis, esse diversæ. Alioquin, si essent ejusdem cum illis naturæ, non posset species albedinis, & species nigredinis esse simul conjuncta in eadem medij, aut sensorij parte; ac proinde non posset album & nigrum, simul videri. Concurrunt verò unà cum potentia effectivè ad faciendam sensationem; ita ut ex speciebus & sensu, velut ex duplici partiali, constet unum totale principium sensationis. Quamvis

An amoto objecto permaneant? autem communiter, amoto objecto; evanescant species intentionales; nobis tamen non omninò improbabile videtur, subinde, cum vehementiùs affecerint sensum, aliquantisper posse remanere, etiam amoto objecto. Præsertim cum id fiat in sensu interno: movemur auctoritate S. AUGUSTINI, qui 10. *Trinit. cap.* 20. *Cum diu (inquit) solem attenderimus, & deinde oculos clauserimus, quasi versantur in conspectu, quidam colores lucidi; quos, intelligendum est, esse reliquias illius formæ, quæ facta erat in sensu, dum corpus lucidum videretur.* Similia clarissimè habet *Arist. lib. de insom. cap.* 2. 5. *de gen. animal. cap.* 1.

An sint objecta quod? Neque improbabile nobis videtur, species sensibiles nonnunquam sentiri, ut *objectum quod*, etsi directè, non illi, *quo*, sentiuntur. Movemur autem experientia specierum reflexarum in speculo, & in aquis, in charta, cum per vitrum foramini orbiculari circumpositum, in eam, reliquo cubiculo obscuro, immittuntur, & di cursantes per areas, aut compita pueros, equos, currus volantes, ludicro in ipsa spectaculo intuemur. Revera enim hæc in papyro, in speculo, cernimus, sed ibi non sunt objecta. Ergo ibi videmus species immediatè, & per ipsas objecta.

MCCCCLXX. *De potentiâ visivâ.*

OCULUS, POTENTIÆ VISIVÆ ORGANUM, constat septem musculis, quinque tunicis, Aranea Retina, Uvea Cornea, Adnata, geminis nervis opticis io araneam desinentibus. Ternis humoribus; vitreo, albugineo, chrystallino.

Ubi fiat visio? Sed ubi fit visio? Aristoteles *lib.* 2. *de Anim. cap.* 10. *text.* 130. asserit in Chrystallino visionem fieri: & probat, quia hoc humore læso irreparabilis est visus. Sed ratio est levis, & Philosophi conclusio falsa. Humor enim chrystallinus requiritur ut medium, & visio fit in fundo oculi, in quo res omnes exteriores quasi penicillo pinguntur.

In quo sita sit visus perfectio? *Affectus bonitas*, consistit in hoc, ut procul, & distinctè, rerum visibilium differentias percipiamus. Ejus diversitatis caussæ sunt, tum spiritus animales, per quos fit visio, tum quantitas & dispositio pupillæ, 5. *de gener. animal. cap.* 1. Qui us enim spiritus hi valde puri & copiosi, vident procul & distinctè, quibus copiosi, sed impuri, procul, sed parum distinctè, quibus nec copiosi, nec puri, nec procul, nec distinctè, quibus multus quidem spiritus, sed oculi porosi, per quos evaporent, non possunt diu & sine fatigatione obtutum figere. Qui parvum habent humorem crystallinum, ut ij, quibus oculi parvi, jique exsij, plus noctu vident, quam quibus grandes, ac nigri oculi, cæsius enim color provenit ex perspicuitate pupillæ, lumini noctis etiam exiguo, magis pervia, quam alia minus perspicua, &, ob magnitudinem, plus habens opaci. Oculi denique è suis cavitatibus prominentes, obtusum, & non procul vident. Abditi introrsum, acutum, & magis procul: cum & unitas magis species recipiant, & à lumine minus dirigentur, quæ duo valde conducunt perfectæ visioni; hinc perfectiùs vituri, oculos aliquantulum claudimus, aut manum superciliis obducimus, ad faciendas velut latebras oculo, minusque diffusum lumen recipiendum, à quo proinde spiritus vitales minus dissipentur, & disgregentur, unde *Arist. l. cit.* an

An ex puteis videantur sydera? ex imis puteis, etiam interdiu, videri Astra, quia nempè lumen meridiale, ea proportione receptum in oculis, non impedit visum. At, quid dicemus de Aquilegibus, aut *Zaburis* (uti Hispani vocitant) qui dicuntur abdita terræ visceribus, venas

Aquilegæ & Zaburæ. metallorum, thesauros, cernere, & latentia sub sarcophagis cadavera? Respondeo Eos, si absint vires dæmonis, fucum facere, neque enim quæ prædicant cernunt, sed ex quibusdam indicijs latere suspicantur. Aquas quidem, ex matutinis vespertinisque vaporibus exspirantibus, juncis, arundinibusque ibi consitis, tanis multum incubantibus &c. de quibus consule *Vetruv. libr.* 8. *de Architect. Plin. libr.* 31. *hist.*

Metallorum inquisitores. *cap.* 3. Venas metallorum deprehendunt, ex lapilli seu herbarum quodam genere, illic nasci solito: ut de *Chelonia* refert *Plin.* & de Theangelida *Vair. libr.* 2. *de fasc. cap.* 4. Thesauros & cadavera à dæmone cognoscunt; judicant enim quæ, & qualia sint, quod, nisi prius ea visu, vel ab aliis relatu acceperint, naturaliter fieri nequit, cum visio non fiat nisi per receptionem specierum; quos per tam densa terræ & sarcophagi corpora trajici minimè credendum est; præsertim ad rubentissimos (ut oculatus testis refert Del Rio) Zaburorum illorum impostorum oculos, aptæ visioni minimè idoneos.

An talpa habeant oculos; an videant? An *Talpa* videat, *controvertitur. Arist. 2. de An. T.* 131. *&* 1. *hist. cap.* 9. *& libr.* 4. *cap.* 8. oculos eam habere, sed pelliculâ quâdam obductos, confusos, oblæsos, testatur: probaturus sensoria omnia animalibus perfectis inesse: cùmque & ipsa animal perfe-

perfectum sit; ratione generis, mus videlicet quidam, oculos saltem habet; etsi natura ab iis perfectissimè formandis, ratione speciei, destiterit. Sed ad quid oculus *Talpæ*, sine visu? nonne *Arist.* 2. *an.* T. 9. oculum sine visu, homonymè oculum nominat? Quare probabiliter opinamur non nuda planè & otiosa organa Talparum speciei inesse, sed exili aliquâ videndi functione prædita; qualis inquit *Simpl.* per obductam oculis tunicam esse potest; & in nobis, dum penè occludimus palpepras, esse solet, & animaculis noctivagis.

At quorsum visus Talpæ, tenebrosæ, opacæquè regionis inquilino? An, quia perfectum animal est, & sensorio visûs præditum? An non, tam ut videret, quam ut videndi usum lucemquè fugeret? Cùm enim naturalis ejus locus esset *terra*, aër verò maximè noxius, ut hunc vitaret, & intra terram se contineret, inseruit natura lucis sensum, ut si quando prodiret ex terra, lucis læsionem sentiens, repente sese abderet. Cur tam exilis visus? Ob ineptitudinem sensorij crassamquè pelliculam; alias caussas vide apud *Cardan.* 10. *Subtilit.* Quæ *pellicula* illius necessitas? An (ut ait *Philop.*) ne, dum terram fodit lumbricos & herbarum radices in cibum quæritans, facilè obcæcaretur? An (ut vult *Albert.*) ut animaleulum, tenebroso domicilio assuetum, in lucem prodiens, eam sustinere posset? *Formicam*, cæcam facit *Cardan.* 9. *subtil.* sed immeritò; cum easdem in illa, quas in animalibus visu præditis, operationes observemus; & in multis magis mirandas, quas refert *Cardan.* 7. *de rerum variet. cap.* 28. Et in majoribus formicis, apertè oculi deprehenduntur teste *Dand.* 3. *de an. dig.* 1. Omnia deniquè volantia, visu prædita sunt.

De objecto potentiæ visivæ.

Objectum visûs est quidquid per se primò videri potest: uti sunt *lumen* & *color*. Est autem *lumen*, non corpus, nec effluxus corporis, nec forma substantialis: sed qualitas *emitativa*, *entitativè* ab objecto aut à medio distincta: *entitativè* afficiens ac denominans medium illuminatum, producensque effectum realem physicum, calorem. Recteque ab *Arist.* 2. *an.* T. 69. definitur (in ordine ad visionem) *actus perspicui, secundum quod perspicuum est*, hoc est: forma quædam, per quam res perspicua, formaliter fit talis, ut per ipsam, velut per medium, fiat visio. Quare lumen, & ex parte medij, ut species colorum devehat; & ex parte objecti, ut per eas potentias mediumque, immutet requirimus, ita ut utrumque sit illuminatum; est enim *lumen actus perspicui in actu*. T. 73. & velut colorum hypostasis ut ait *Aguilon.* 1. *opt. prop.* 60. & extrinseca quædam omnium colorum forma; nec obstat quod in fundo putei, meridie quoque videantur astra; & felium oculi, nitedulæ, ligna putrida, noctu etiam videantur. Semper enim tanta est sphæra activitatis cujusque luminis, ut notat *Aguilon. cit.* ut aliquid per medium trajiciat. Quare etiam ad videndum ipsum lumen, requirimus medium illuminatum, veluti dispositionem necessariam ad species devehendas; putamus enim *lumen*, sicut colorem, videri per *speciem* intentionalem, diffusam ex ipso, per medium, in potentiam. Lumen enim distans, non potest per se uniri potentiæ; ergo per vicariam sui speciem.

Quid lumen sit

Colorum hypostasis.

An lumen indigeat specie?

Producitur autem lumen ex potentia materiæ; funditurque per medium, *uniformiter*, *difformiter*, in instanti, eo modo, quo disseruimus de productione specierum, per accidens tamen produci poterit successivè; cùm vel corpus lucidum successivè perficitur; aut opacum corpus, à quo lumen impediebatur, successivè removetur. Probabile etiam est lumen non à sola opaci corporis superficie recipi, sed proximis quoque huic partibus.

A quonam producatur? & quomodo?

Quæres quid differant inter se, *Lux*, *Lumen*, *Radius*, *splendor*? Respondent Philosophi doctissimi, non differre, nisi ratione subjecti, aut connotati alicujus: eadem enim est qualitas. *Lux* dicitur, prout inhærens connaturaliter corpori lucido: *lumen* verò prout reperitur in alio subjecto, per actionem agentis extrinseci. *Radius*; prout corpore lucido quasi egreditur per lineam rectam: & si ab illo rectà sine impedimento feratur, dicitur *rectus*: si incurrat in corpus opacum & velut geminetur, *reflexus*: si è medio raro in deorsum, E. C. ex aëre, in aquam; *fractus*: si denuò ex medio denso in rarum; *refractus*. *Splendor* denique, seu *fulgor*, maximè nascitur ex corpore opaco, ad quod fit reflexio: non quidem per unam tantùm lineam rectam, sed in omnem partem, & velut in sphæram. Sed nos Lucem, Lumen, Radium, & Splendorem distinguimus *entitativè*.

Lucis, luminis, radij, & splendoris differentia.

Color, duobus modis considerari potest. Primò prout absolutè est qualitas quædam: sic ab *Aristot. de sens. & sensil. cap.* 3. describitur esse *Terminus seu Extremitas perspicui, in corpore terminato*. Secundò, prout est visibilis: & sic consideratur ab *Aristot.* 2. *de an. t.* 67. & describitur esse *Motivum perspicui in actu*; id est, immutativus potentiæ, per species in medium, actu illuminatum, sparsas. Est porrò, *color à lumine entitativè distinctus*. Et generatur proximè ex permixtione perspicui & lucidi cum opaco; id est ex materia ignis, aëris, aquæ, terræ. Si ergo in mixto prædominentur *lucidum* & *perspicuum*; puta ignis & aër, vel aqua; erit color albus; si opacum, terreum, niger: si multum lucidi, perspicui, opaci, ruber; si parum ex omnibus proportionaliter, colores reliqui. Albedo & nigredo, colores *extremi* sunt: cæteri, *medij*; non tam reali compo-

Coloris duplex consideratio.

compositione, & participatione extremorum; quam eorundem negatione. Quare probabile est, omnes colores esse qualitates secundas simplices, & inter sese distinctas tantùm *entitativè*.

Quo modo colores distinguantur?

Colores apparentes, quos vocant, qui illos admittunt & à veris distinguunt, nihil aliud sunt, quam ipsum *lumen* tali vel tali modo, ad oculos reflexum &c. Dupliciter tamen fieri possunt. I. Cùm concursu alicujus corporis verè colorati, per quod lumen vel transit, vel è quo reflectitur, & à cujus colore quodammodo modificatur: ut cum lumen è panno purpureo reflexum, oppositum parietem, quasi purpurat, aut per frondes arborum transiens, earum viriditate, subjectam pingit humum: nisi malis dicere cum *Zabar. libr. 1. de visu. cap. 7.* purpureum illum, in muro, colorem, nasci à speciebus purpurei coloris in panno. II. Sine concursu veri colorati: ut sunt colores in Iride & nubibus; qui sunt ipsum lumen, in tali vel tali corpore receptum: receptum enim in corpore valde perspicuo, & parum opaco, & ad nos reflexum, fit color albus: Si in multum opaco, niger; si in perspicuo & opaco, plusquam ad album requiratur, rubeus; si in magis adhuc opaco, cæruleus &c.

An dentur colores apparentes? & quid ipsi sint?

Ex dictis colligit Peripateticus, nec *cælum*, nec *simplicia* alia *corpora*, propriè colorata esse. *Nivis* & *spuma* alborem, putat. P. *Dand. 2. an. digress. 35.* esse tantùm variam reflexionem lucis; aut certè, esse verum, sed imperfectum colorem, natum ex opacitate terrea, & lucido; non igneo, seu elementari; sed externo solùm. Videntur denique colores apparentes per species proprias luminis, modificatas à subjectis, è quibus ad nos reflectuntur.

An cælū, nix, spuma, &c. colorē habeant?

Et quid nos de apparentibus coloribus pronunciamus? Omnes colores apparentes verosque distingui semper *entitativè*.

De potentia auditiva.

POTENTIÆ AUDITIVÆ organum est Auris; in cujus *Tympano*, seu membrana foraminis auris obtensa, fit *auditio*; non vero in nervo, ossiculis, vel aëre interno. Quî fit cur à nativitate surdi, plerumque sint etiam muti? Respondet *Andr. Laurent. 4. de Anat. cap. 18. quæst. 16.* Nervum auditorium *quintæ conjugationis*; per duos surculos, tum in auris membranam, exquisitissimi sensûs, tum in linguam & laryngem inseri: & canaliculum quendam, ex ea foraminis parte, ubi aër internus est, ad os usque & palatum, protendi; propter hanc ergo in organis similitudinem, sympathiam quoque nasci similium affectionum. *Objectum auditûs* est *sonus*, nempè *qualitas patibilis* nata ex locali Motu, & trium corporum percussione; quorum duo sint percutientia & sonantia; unum percussum; nempè elisus aër aut aqua; & in his solis, non autem in sonantibus corporibus, subjectatur sonus. Cùm procul auditur sonus, si species intelligibiles non dantur, per totum medium defertur realiter: si dantur, defertur ad aliquod spatium realiter, per reliquum intentionaliter; uti etiam per parietes & muros; cum iis inclusi sonum extenùs factum audimus; uti & sonum à globulo in cymbalo, undique clauso & obturato, excitatum, percipimus. ECHO est *sonus*, seu *vox repercussa ad solida & concava*, planaque ac levia corpora. Hinc quo plura talia corpora occurrerint, quorum unum celerius, alterum tardius impediat ulteriorem soni effusionem, cogaturque redire illuc, unde effluxit; eò crebior fiat Echo.

An surdi à nativitate muti sint?

Auditûs objectum.

Quid Echo sit.

Apibus auditum immeritò ademit *Cardan.* cum eum illis. *Plin. Alb.* alijque plurimi tribuant teste *Dand. 3. an. digress. 1.* & manifestè *Arist. 9. hist. c. 40.* Cur enim alioquin ab unius apiculæ excubitricis bombo, modo excitantur? modo ad dormiendum susurro circumvolitantis invitantur? cur æris sonitu convocantur, & delectantur? certè sola aëris percussione tam violentâ, læderentur potiùs & avolarent. Nec obstat *Arist. initio Metaph.* non enim ibi negat apibus auditum, prout est sensus soni; sed prout recipit sonum, ad modum sermonis & nominum; quæ conceptiones quasdam significent: is enim disciplinæ principium est; & in iis solùm animalibus reperitur, quæ disciplinæ aliquo modo capacia sunt; ut sunt canes, simiæ, psittaci &c. *Albert.* & *Dand.* cit.

An apes audiant?

OLFACTIO fit in carunculis mamillaribus, earumque meatibus. Ejus objectum ODOR est qualitas secunda, orta ex mixtione primarum, dominante sicco & calido, immutativa olfactus. Odor defertur per aërem & aquam, velut per medium secundum esse proprium in ipsis exhalationibus odoriferis delatum. Si non dantur species intentionales odorum totus motus est physicus; si illæ dantur, motus erit partim physicus & partim intentionalis. Pisces odoratu pollent; eo enim in tenebris escam dignoscunt, & accurrunt: odoribus evocantur ex antris; nidoribus & sœpiarum carunculis densatis delectantur plurimum. Ostria videntur olfactum habere cautissimum, quoniam illæ, quas Belgæ nominant, ita offenduntur sordibus, ut ad unius pueri excrementa discedere per magnam distantiam cogantur. Apes quoque, culices, formicæ, odorati inde colliges quod procul odores sentiant? nec putridis floribus insideant apes, & Regem amissum odoratu sagaci inquirant *9. hist. cap. 40.*

De Potentia Olfactiva.

Quid sit odor?

An pisces odoratum habeant?

Gustûs

De Potentiâ Gustativâ. GUstûs sensorium, est lingua: in cujus *nervis mollioribus*, præsertim in cuspide linguæ, sensationem fieri est vero simillimum. *Aristot. l. 2. hist. cap. 11.2.* de part. c. 17. &c. SAPOR (qui est objectum gustûs) est qualitas secunda, orta ex primis, prædominante humido; gustus immutativa ex *Arist. de sens. & sensil. cap. 4.* Sapores sentiri mediis speciebus intentionalibus, probabile est.

De Potentiâ tactivâ. SEnsus *Tactus* est dispersus per totum corpus. Differt à *gustu*, tum objecto, quòd *illius* sunt qualitates tangibiles; *hujus* sapores. Tum quia organum gustûs est sola lingua; Tactûs, totum corpus. Ex his omnibus colligitur esse probabile, I. Omnes sensus externos sentire mediis *speciebus intentionalibus*: cùm *Aristot. T. 121.* absolutè dicat *sensum esse susceptivum formarum sine materia*. II. Omnes sentire per medium aliquod. *Auditus* enim, sentit per aërem internum. *Visus*, per humorem albugineum: *Gustus*, per salivam; *Odoratus*, per ossa spongiosa: *Tactus*, per cutim. *Andr. Laur. 4. anal. q. 25.* Licet autem homo quinque externis sensibus polleat, tamen.

Nos Aper Auditu, Linx visu, Simia gustu; Vultur odoratu, præcellit Aranea tactu.

MCCCCLXXII. *De internis sensibus.* SENSUM INTERNUM unicum tantum esse, quoad rem, probabile est; propter diversos tamen actus & functiones, diversimodè nominatum. Prout enim sensata nuncia ab externis sensibus, præsentia percipit, & inter ea unum ab alio, velut arbiter discernit, *Sensus communis* dicitur: prout non solùm præsentia, sed, per asservatas species, absentia quoque cognoscit; *Phantasia*. prout non solùm absentia simplicia percipit, sed unum quodammodo ex duobus componit. E. C. ex auro & monte, aureum montem; *Imaginatio*. prout, non solùm res ab externis sensibus perceptas, sed non sensatas quoque. E. C. rationem inimici, amici &c. attingit; *Æstimativa*. prout circa hæc omnia, etiam præterita, versatur, conservando earum species; *Memoria*. in homine verò, prout comitante rationem discurrentem, & cum quodam imperfecto discursu & collatione circa sensibilia singularia agit, *Cogitativa*; & si jam sint præterita; *Reminiscentia*. Hi ergo actus recensiti, singuli sunt inadæquati, & eorum objecta inadæquata, unius realiter sensûs interni, cujus actus & objectum adæquatum, est objectum sensibile omnibus istis modis cognitum. *Sensus internus*, æquè ac externus, indiget *speciebus* ad cognoscendum; imò sicuti est essentialiter perfectior ipsis sensibus externis, ita perfectioribus eget speciebus, velut instrumentum ad operandum; quare si species illæ fuerint *sensatæ*, producuntur ab ipsa specie expressa objecti externi, conjunctâ simul cum ejusdem specie impressa, in sensu prius recepta, & per animales spiritus, ad interni sensûs *Regiam* devecta; Quam in duabus illis celebri anterioris cavitatibus collocamus, cum *Rub.* ad quas omnes nervi descendentes ad organa sensuum confluunt. Et per has species sensus communis percipit, & objectum simul, & ejus sensationem, quod externum nequit. Si verò *species illæ sensus interni*, insensatæ fuerint, ut est species repræsentans ovi, viso lupo, rationem inimicitiæ; induntur à Deo vel in primo ortu, vel tunc, cum lis indigent animalia.

Singuli enumerantur & explicantur.

An indigeant speciebus intentionalibus, & ha dantur?

Quot sint sensus? Sicut est probabile sensum internum esse unicum, sic etiam est probabile esse etiam unicum sensum externum, qui in oculo videat, audiat in aure, odorem percipiat in nare, saporem in ore, & primas qualitates in corpore.

Au to enam esse probabile sensum internum & externum esse unicum, & solummodò penes diversa organa multiplicari.

Resolutio. Et quid dicemus nos in re ambiguâ? Sensus externos inter se & ab Anima: & sensus internos inter se & ab animâ: & sensus internos ab externis distingui semper entitativè.

XXIV.

De Animâ Rationali.

Quid sit anima rationalis? TAndem ad Rationalem Animam propter quam differimus à cæteris, pervenitum est. Est autem Anima rationalis *actus primus corporis naturalis organici, potentia vitam rationalem habentis*. Item esse Formam informantem Humani corporis, & ex natura suâ spiritualem, immortalem, à solo DEO creatam; non unam in omnibus hominibus, sed in singulis singulas, sine ulla Metempsychosi, nemo Christianus Philosophus dubitare potest. Verius quoque existimamus, omnes animas rationales esse, etiam quoad differentias individuales, esse ejusdem prorsus perfectionis, inæqualitas enim operationis, ingenij &c. provenit ex dispositione inæquali organorum, crassitie & tenuitate sanguinis, spirituum &c.

De transmigratione animarum.

Intellectus agens. Datur in Anima *Intellectus Agens*, qui est potentia producens in intellectu possibili, species intelligibiles, ipsi, utpote potentiæ ex se indeterminatæ, necessarias; &, quia spiritualis est, proportionatas; quæ, ut sint rerum quoque sensibilium repræsentativæ, ideò ad eas producendas concurrit etiam phantasma, velut instrumentum elevatum à potentia nobiliore. *Rub. hic q. 3.* Dicitur porrò *Intellectus Agens illustrare phantasmata*; non quod veram aliquam in ipsis phantasmatis qualitatem producat; nec præcisè, quia illis assistat; sed quia per speciem intellectualem ab eo productam, velut accessu luminis repræsentantur res antea non per-

perceptæ; & per consequens etiam phantasmata.

An intellectus agens & possibilis inter se distinguantur. ¶ *Intellectus Agens*, non ideo dicitur intellectus, quod formaliter ipse intelligat; cum enim hoc munus sit intellectus possibilis, teste *Arist. 3. an. T.1. & 5.* Nonne superflua est, nova isthæc entitas? Ad quid enim duæ potentiæ, eidem actui intellectionis formaliter eliciendo? quia illustrando phantasmata, & producendo species in intellectu possibili, *eum* ultimo constituit, ad eliciendam intellectionem, ac proinde verosimile est *Intellectum Agentem*, esse potentiam distinctam, ab *intellectu* possibili, colligitur ex *Arist. 3. An. T.18.19. Hic* enim est potentia cognoscitiva; *Ille* minimè; *Agentis* operatio est transiens, sola, inquam, productio specierum extra se; *Possibilis*, est immanens, ipsa nempe intellectio; *Hæc*, est *vitalis operatio*: *Illa* non; procedit enim ab Anima, non qua principiũ vitale operandi est, sed qua forma quædam substantialis est. Hinc denique fit *Intellectum Agentem* qua talem, comparatum cum *possibili*, qua hic præcisè possibilis est; & est potentia passiva, ac receptiva specierum; esse perfectiorem *possibili*; utpote *Agens* Passo. Secus, si *possibilis* spectetur, etiam prout activus.

Quid sit intellectus possibilis. ¶ Est verò *intellectus Possibilis, potentia propria Animæ Rationalis, ab ea, & ab intellectu agente* entitativè *distincta*: *eidem animæ* entitativè *inhærens, & ad res omnes intelligendas, data.* Dividitur ab *Arist. 2. an. T.49. & 6. Eth. c.1.6. Meta. T.1. in speculativũ & practicum*, qui duo sunt una eademque potentia; si per *Intellectum speculativum*, sumas potentiam ipsam, quæ speciebus & principiis speculativis instructa, versatur circa *necessaria*; per *practicum* verò, eam quæ principiis & speciebus practicis imbuta, agit circa *contingentia*. *An à memoria distinguatur.* Nec *Intellectus* possibilis ex *natura rei* distinguitur à *memoria intellectiva*; cujus munus est conservare species intelligibilis, iisquè ad actus recordationis uti. Hoc enim totum præstat Intellectus, qui sicut recipere species potest, ita eas retinere, & iis uti. Nec tamen hinc sequitur I. Intellectum semper intelligere. nam ex imperio voluntatis potest uti, vel non uti speciebus; requirit item (in hac vita) actus phantasiæ, qui non semper præsto sunt. Nec II. nunquam posse contingere oblivionem; etsi enim species ex se, semper maneant, non tamen semper quoad usum: cum sæpè ex defectu phantasmatum nequeant exire in actum, sine quibus nullus actus memoriæ, uti nec ulla intellectio fit in hac vita. *Arist. 1. an. T.66.* Quod, si consequentiæ sis tenax, & velis intellectum agentem à memoria intellectiva *entitativè* distinguere, tuæ libenter opinioni subscribam, & scholæ majorem rigorem sententiarum servabunt.

¶ Contingit autem oblivio ex imperfectione organizatione cujus phantasmata & imagines rerum, vel omnino evanescunt; vel ità consopiuntur, aut importuno accessu obruuntur, ut in actum memoriæ prodire nequeant. Hinc senibus, quia habent organa duriora & licciora, ob frigus ætatis, ac proinde minus apta recipiendis phantasmatis, & aptiora perdendis memoria vacillaturi & nimis juvenibus, ob nimiam humiditatem qua sit, ut imagines facilè diffluant, instar figuræ à sigillo impressæ in aquam.

¶ *Intellectus possibilis, in Habitu, Adeptus, Mens, Intelligentia, Ratio*, distinguuntur *entitativè*. *Explicantur nonnullæ Animæ facultates.* Consono S. Thomæ 1. *part. quæst. 79. art. 8. 10.* Mens enim considerata per se; & velut denudata omnibus speciebus & formis; dicitur *Intellectus possibilis*, & pura potentia: prout iisdẽ instructa & integrè constituta in habitu; & actu primò ad operandum: *Intellectus in habitu* prout post longam exercitationem in scientiis adepta est omnem perfectionem; *Intellectus adeptus*. prout mensurat quasi veritatem in rebus, applicando eas suis principiis; *Mens*. prout est principium actualis intellectionis perfectissimæ, *Intelligentia*. Prout denique est ratiocinandi principium; *Ratio*. quæ si ratiocinetur ex divinis & æternis; *Ratio superior*; sin ex caducis & terrenis, *inferior*.

¶ *Intellectus* possibilis differt à *Synderesi*, distinguitur *entitativè*. Et Conscientia *entitativè* ab utraque distinguitur. *Intellectus, Synderesis, Conscientia.* Est autem *Synderesis* habitus primorũ principiorũ practicorũ universalissimorum, ex quibus regulantur alia. ad eamque pertinet *stimulare* ad bonum proponendo voluntati verissimas, & incommutabiles regulas &c. & *murmurare* de malo, ostendendo difformitatem ab illis, eamq; dissuadendo. à qua Lex *naturalis* in hoc differt: quod sit collectio omnium absolutè dictaminum practicorũ, quæ naturaliter sunt nota, sive ex iis ut ex principiis regulentur alia; sive non. *Conscientia* deniq; est *Actus* ipsius *Synderesis*. Et dicitur *testificari, ligare, instigare, excusare, accusare, remordere* &c. prout varij Synderesis actus exercentur, circa præterita facta, facienda: vel nõ facta, nõ facienda, circa malè vel benefacta &c. Deniq; intellectus possibilis distinguitur à *voluntate*: Illius enim objectũ est ens intelligibile; *Huius, Bonum. Ille* attrahit objectum ad se; *hæc* trahitur in objectum &c. Sed quomodo intellectus, Voluntasque distinguuntur *entitativè*.

MCCCC LXXIV. *Dubium succurrit.* Hic occurrit difficilis quæstio quæ inquirit, *An intellectio in actione, an verò in passione consistat?* Et quidẽ licèt hic libeat hãc quæstionẽ examinare, omnibus sensibus & potentiis intentionalibus cõmunis est: quoniã de visu, de auditu, & de quocumq; alio sensu interrogare possẽ; *An eiusdẽ in actione sensatio, an verò in passione cõsistat*: Vt ergo rẽ exactè exponã.

Dico primò, Intellectum, actionẽ, fieri, Verbum mentis, passionem, esse quinq: *entitates*. *In quo consistant actiones perceptivæ.* *entitativè* ab anima & inter se ipsas distinctas. Addo intellectionem in verbi receptione & passione consistere.

Dico secundo de omnibus sensibus & potentiis perceptivis pariformiter esse philosophandum.

Dico tertiò Voluntatem, actionem, fieri, pondus, passionem, esse quinque *entitates*, *In quo act. positiva.* *entitativè* ab anima, ab intellectu, & inter se ipsas distinctas. Addo volitionem in ponderis receptione & passione consistere.

Dico quarto, de omnibus potentiis & qualitatibus appetitivis pari formiter esse philosophandum.

In quo consistat libertas?

Dico quintò; libertatis exercitium in actione consistere. Et hoc demonstrari videtur; nam si actio & productio qualitatis est necessaria, etiam ejusdem receptio esse necessaria debebit.

Voluntas est libera. An etiam intellectus sit liber?

Sed quæ potentiæ sunt formaliter liberæ? Voluntas, in communi sententiâ: Sed quia in Theologiâ plurima sunt alteranda, si Intellectus esse liber dicatur, ut periclitet illustrium Virorum ingenia, intellectum esse formaliter liberum assevero.]

MCCCCLXXV. *Quæstio incidens.*

VT nihil maneat, quod non sit bene examinatum, *Quid sit Verbum mentis*, & *quid sit pondus voluntatis* inquiris & respondeo Verbum mentis esse simulacrum quoddam ab intellectu aut à mente dicente expressum: est qualitas quædam repræsentans objectum. Sed quomodo ab intellectu? quomodo ab ab specie intelligibili? & quomodo ab objecto distinguitur? Respondeo verbum mentis secundum duplex esse (reale, & intentionale) posse considerari: addo illud secundum esse reale consideratum esse qualitatem quandam *entitativam*, & ab specie impressa & ab intellectu entitativè distinctam: subjungo illud secundum esse intentionale ab Intellectu etiam & specie impressa distingui *entitativè*.

An intelligens fiat res intellecta intentionaliter?

Laudo interim à subtilitate Thomistas, licèt videantur magna inconsequentia laborare; cum considerantes verbum mentis secundû suum esse reale in Realem Scholam se ingerunt, & considerantes idem verbum secundû esse intentionale ad Scholam Expressivam se transferunt. Defendemus igitur tanquâ probabilem hanc Conclusionem: [Verbum mentis secundum suum esse reale & physicum distinguitur realiter ab intellectu, à specie impressa, & ab objecto (non agimus hic de illo actu, quo Verbum repræsentat se ipsum, vel quia hic actus fortè est impossibilis, vel quia est irregularis.) Verbum verò secundum suum esse intentionale, nec realiter, nec modaliter, nec formaliter, sed ut plurimum expressivè ab intellectu, à specie impressa, & ab objecto distinguitur: quam ob rem nihil aliud erit intellectio, quàm transsubstantiatio quædam intentionalis intellectus, speciei impressæ, & verbi mentis in suum objectum.]

Nota singula attentè. *Quid sit intellectio. De transsubstantiatione intentionali.*

QVo Anima modo singularia? quo universalia? quo Deum, & Angelos? quo substantias abstractas? & quo se ipsam intelligat & cognoscat? inquiris. Et respondeo me posse controversiam ad duplicem hypothesim reducere: nimirùm, vel ponendo dari species intentionales, vel ponendo non dari. Sed quia hæc secunda suppositio vix à paucis admittitur, primæ stabimus; & dari species intentionales supponentes respondebimus difficultati.

An & quomodo singularia & universalia cognoscantur?

Assero igitur intellectum cognoscere singularia proprio & peculiari conceptu directè & per se, non verò reflexè tantum, aut per universalia; sed per proprias species rei singularis sensibilis. *Universalia* verò cognoscit per species item rerum proprias productas ab intellectu agente, mediante specie expressa naturæ singularis cognitæ, non ut singularis, sed potius ut universalis fundamêtaliter seu materialiter. Dantur propriæ species intelligibiles, non modò accidentium sensibiliû, sed etiam substantiarum materialium. Quomodo enim intelligerentur per alienas accidentium? Producuntur illæ ab intellectu agente, mediâtibus phantasmatibus accidentium, & actu *Cogitativæ*, quæ saltem in homine potest assequi substantias materiales, secundum entitatê individualem; etsi non secundum quidditatê.

Quo Deum modo & Angelos?

¶ DEVM quoque & substantias abstractas intelligimus aliquo modo, non tamen per species proprias; sed per alienas rerum materialium. Privationes quoq; & non entia, intelligimus per entia seu formas oppositas; vel *negativè*: ut cû DEVS cognoscendo omnia aëris accidentia, non cognoscit in eo lumen, & proinde cognoscit tenebras; vel *positivè*, ut cû apprehenso aëre & lumine, infert judiciû compositivum, vel divisivum de iis inter se vel cônexis, vel disiunctis. Anima seipsam etiam in hac vita intelligit, per alienas tamen species; vel rerum materialium per viam remotionis &c. vel cognoscendo proprium actum. Intellectus quoq; in hac etiâ vita, seipsum; actus suos, habitus, species voluntatem, ejusquè actus & habitus intelligit, mediantibus speciebus, alienis tamen, nempe rerum sensibilium & per cognitiones reflexas.

Quodnam sit adæquatum intellectus objectum?

¶ Ex dictis colliges quodnam sit objectû *adæquatum intellectus*, objectum enim *terminativum* simul & *motivum* (quod videlicet nô modò terminare intellectum potest, sed per proprias quoq; species movere) est solum ens sensibile: cum enim intellectus, ut potentia passiva, non moveatur nisi per species intelligibiles, & hæ non eliciantur sine concursu phantasmatum; sicut phantasmata solum sunt sensibilium; ita etiam sensibiliû tantum, sunt propriæ species; & proinde hæ solum movent intellectum. Objectum vero *terminativum* tantum, & *non motivum* (quod scilicet, terminare quidem intellectum potest, nô tamen, nisi per alienas species movere) est ens in tota sua latitudine acceptum, prout finitè attingibile.

XXIV

De Anima separatâ.

MCCCCLXXVI. *De morte & corporis resurrectione.*

MOri homines, & resurrecturos eos esse fide est, Athanasius in Symbolo: *Ad cujus* (Christi) *adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt de factis propriis rationem: & qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui verò mala, in ignem æternum. Hæc est fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.*

Dubium occurrens.

ET hic primò succurrit ista Quæstio: nimirûm, *An status separationis* (in illo Animæ rationalis ab hominis obitu usque ad resurrectionem erit) *violentus sit aut naturalis?*

Resolutio.

Respondeo nec naturalem, nec contranaturalê seu violentum eum esse. Separata enim anima nô côservatur per violentiam: cadaver non potest naturaliter dispositiones huma-

tas adquirere, nec anima se corpori reunire naturaliter, ergo præternaturalis est reparationis status, & resurrectio ipsa, & circumstantiæ illius miraculosæ.

DE Animæ separatæ magnitudine, An videlicet se possit per spacium extendere? & si possit, An habeat extensionis limites, ultra quos se explicare non possit? De ejusdem figurâ, An scilicet ejus maxima extensio in spacio alicui figuræ correspondeat? De qualitatibus, nimirùm, An retineat materiales, spirituales, & supernaturales, quas in vitâ adquisivit? An Deus habita ratione illius status novas infundat, saltem intentionales, quibus utatur, & objecta abstracta, & à sensibus remota agnoscat? De relationibus, actionibus, passionibus: nempe, An agere possit in corpora? an ab his pati? an in Angelos aut alias separatas Animas? De duratione, An duret ævo aut tempore? De ubicatione & loco: An ipsa in loco sit? An in definitivo? An moveatur? An moveat? Vbi nam sit Infernus? ubi Purgatorium? ubi Empyreum? ubi limbus infantum? &c. An anima sit situs capax? An sicut vestes habet corpus, illa, si ad Empyreum perveniat, habitura sit vestes aliquas lucis aut gloriæ immaterialis? Nec non de aliis Animæ prærogativis plurimæ poterunt quæstiones excitari, in quibus nulla aut pauca necessariò dicenda sint, sed possint omnia fere in partem utramque vel inducei vel trahi. Cæterùm, ut aliquam habeamus lucem, nonnihil dicamus de Angelis: est enim eis simillima Anima separata, & multum proderit illos cognoscere, ut illam penitiùs cognoscamus.

Animæ sunt Angelis similes.

XXV.

De Angelo.

MCCCC LXXVII. An, & quid sit Angelus?

PRæter materiales substantias & rationales Hominum Animas esse Angelos de fide est. Sunt autem Angeli quædam substantiæ immateriales, spirituales, immortales; à Deo creati: & ideò incorruptibiles respectu causarum secundarum: & licèt respectu causæ primæ sint adnihilabiles, non tamen sunt adnihilandi.

An possint distingui solo numero?

Quæstio illa, quæ interrogat; An dentur sub unicâ specie plures Angeli distincti puro numero? à nobis facili negotio expeditur: tenemus enim in singulis speciebus infimis esse plures, illosque inter se *entitativè* distingui.

Hierarchiæ & chori.

Distributio Angelorum in hierarchias & choros est naturalis, fortè ad substantiam, & fortè pertinet ad accidentia.

Angeli boni & mali.

Beatorum & Reproborum spirituum distinctio à libero arbitrio fuit nata: qui enim peccarunt, damnati sunt supplicio æterno; qui autem perseverarunt in gratia gloria æterna coronati sunt.

Elevatio supernaturalis.

Angelus, ut beatetur, recepit quandam potentiam, spiritualem, supernaturalem, intentionalem, quam *Lumen gloriæ* nunc ipamus. Ergo si habetur ratio consequentiæ Angelus ut puniretur, recepit quamdam potentiam materialem, infra naturalem, intentionalem numero à sensibus nostris internis & externis distinctam. Lumen gloriæ in Angelis electis est tota ratio agendi, ut gloriam habeant: & qualitas illa infra-naturalis in reprobis est tota ratio agendi, aut patiendi potiùs, ab illa enim habent, quod pœnas & dolores patiantur. Ratio asserendi hanc infranaturalem qualitatem hæc est; quoniam non minus est extra naturam, imò plus est extra naturam Angelicam elicere actus supernaturales, quàm naturales: ergo, licèt neutros elicere naturaliter possit, siquidem infuso habitu supernaturali potens est actus supra naturam suam elicere; infuso habitu (quo nomine habitualem qualitatem intelligo) infranaturali actus infra suam naturam operabitur.

Elevatio infranaturalis.

An lumen gloriæ sit tota ratio agendi?

Cur sint ponendi habitus infranaturales.

Quid sit habitus?

MCCCC LXXVIII. De gloria & pœna animarum.

HInc patet, quo modo beentur Animæ sanctorum in Empyreo: & quo modo torqueantur in orco hominum sceleratorum animæ: illæ enim donantur lumine gloriæ, hoc est, supernaturali qualitate: & hæ aut retinent materiales sensus, si isti dum vivimus, animæ rationali inhærent, aut aliàs illos divinitùs adquirunt, ut dolores corporeos, qui infra naturam substantiæ spiritualis sunt, in æternum patiantur.

Quæstio subsequens.

Inquiris, *An etiam electi Angeli, & beatorum Hominum Animæ habeant infranaturales aliquas qualitates, vi quarum eliciant actus aliquos infranaturales?* Et respondeo non esse cur sanctos in cœlo Angelos corporeis potentiis oneremus: at esse cur spirituales hominum Animas corporeis potentiis expediamus, ut sicut peccatis supplicia, ita & meritis gloria respondeat; & quia damnatæ Animæ, etiam in separationis statu duas pœnas habent damni & sensus: quarum ad intellectum spectat prior, & ad potentias materiales posterior: ita & beatæ duas habeant glorias visionis & jucunditatis, quarum prior ad intellectum, & posterior ad potentias materiales spectat.

Sic de gloria & beatitudine discurrimus, dum lumen inaccessibile rimamur: olim (sic spero) omnia exactè scituri, quando Deum, qui omnia est, adeoque in ipso omnia, intuitivè videamus. Interim, ut in altera vita à Domino benedicaris, in hac ubique & semper, *benedic Anima mea Domino: & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius.*

POSITIONES

De Dei, Angeli, & Rationalis Animi simplici essentia, immortali natura, & libera voluntate, ad mentem Melliflui Doctoris,

Fuerunt propugnatæ Lovanij sub Authoris præsidio ann. 1642. & recusæ iterum, ut omnibus, qui illas optabant satisfieret.

ARGUMENTATURIS.

Mirabimini fortasse Eximij & Eruditissimi Viri, cùm videbitis in Palestra Theologica proponi Theses de libero voluntatis arbitrio, auxiliis Divinis & supernaturalium Virtutum cooperationibus intactis; placuit hanc materiam non tangere, cum enim hæ Theses ad aliquot folia excurrant, alicui fortasis viderentur libellus de Gratia & Arbitrij concordia, adeòque impingere in Sanctissimi Domini Nostri decretum, qui libros de Auxilijs interdicit. Scripta de Voluntate pura, vox viva etiam voluntati auxilijs præventa applicabit, & si penitiùs gratiæ & Arbitrij concordiam ad mentem Cistertiensium percallere velitis, secundas Theses de hac materia, sed folio simplici iuxta Academiæ morem in eodem Gymnasio propugnabimus.

OMNIBUS.

MCCCCLXXIX. *In substantialibus Theologiæ articulis omnium Patrum veterum & innovatorum doctrina est eadem.*

Idem Patres Magistri & Discipuli dicuntur respectu diversorum. Distinguit eos non doctrina, sed ætas. Illa apud omnes eadem; non enim veteres aliam aut alteram fidem habuerunt: sed tempus successivi fluxus intervallis ita per sæcula Patres & Doctores distribuit, ut unaquæque ætas dives non haberetur aliis invideret. Orbis Magistri, Apostoli, eorumdem doctrinam illibatam tenemus, sed quam ab illis immediatè recipere ætatis discretio prohibuit, concessit Doctorum & Patrum interrupta successio. Inter omnes præcipui, Dionysius, Gregorius, Ambrosius, Hieronymus, Augustinus, Prosper, Hilarius, Bernardus, Thomas, Scotus, Durandus, & Molina: qui quidem universi, tum in aliis materiis, tum in hac præcipuè quoad substantiam conveniunt, activam arbitrij indifferentiam propugnantes; & solùm differunt in modo loquendi aut defendendi: nemo enim Catholicus aut celebris famæ hæreticus legitur, qui proscripserit omnem indifferentiam. Iam Calviniani admittunt, ita hominem naturales & civiles actiones elicere, ut & omittere possit, jam dicunt gratiam liberæ naturæ attemperari: unde ipsis severiores dicendi sunt, si qui liberum arbitrium servum seu necessitatum protrudunt.

Theologi nobiliores.

Cùm inter citatos Authores Augustinum & Bernardum specialiter admittimus, reliquos suffragii authoritate non privamus; imò credimus, nos omnium Patrum doctrinam propugnare, cùm horum, qui hæredes instituti à prioribus, suarum nos sententiarum instituerunt hæredes. Cæterùm Theologiam professurus, ne ignoret quanti Augustinum; Bernardum, & alios Patres facere debeat, subsequentia legat Theoremata.

THEOREMA I.

Doctrina Augustini Sol est.

An Sol habeat maculas.

SOl Monarcha Sydetum; motuum cælestium regula, luminis scaturigo infamatur de maculis à recentiorum superstitiosâ perspicaciâ. Maculosus jam dicitur, qui purus olim credebatur. Tubi optici nebulas detexerunt, quæ immersæ splendorum oceanis nudos oculos latebant. Verùm si benè examinem, nec Sol est tenebrarum particeps, nec visus armatus Helioscopio deluditur; sed discursus oberrat. Sanè maculas varias conspicimus, cùm Solem, imò & in ipso Sole, maculas quidē, sed non Solis. Corpora vicina Soli subvolant, & eius purissimam lucem exclipsant. Hoc videmur velle significare, cùm Divinum Doctorem Solem dicimus; hoc cùm eius doctrinam luce meridianâ clariorem & securiorē acclamamus. Fuerunt aliqui, fateor, qui felicissimi ingenij Teloscopus præditi maculas & nebulas in sanctissimi Patris doctrinâ, imo & in personâ repererunt. Si dicam illos decepit, inclamabunt; experientias & sensa ipsa negari, quæ apud omnes supponi debent; addent inurbanam esse & vacillantem querimoniam, quæ de fallaciâ matrem scientiæ inf-

Quid sint

Augustinus est Sol. An habeat maculas.

rum experientiam inc ıſat. Dicam igitur eorumdem obſervationes eſſe veras, maculas in Auguſtini doctrinâ tametſi Divinâ obſervari; maculas quidem, ſed non maculas ipſius doctrinæ, Subvolant expoſitores aliqui, qui dum vel nimis ſeverè ſententias Auguſtini intendunt, vel nimis ignavè remittunt, interpoſitis puſillanimitatis Calvinianæ, & ſuperbiæ Pelagianæ nebulis puriſſimam doctrinam eclipſant. Incantè inclament; qui obſervaverint jam jam videri Solis maculas, & nævos Auguſtini; Detectæ ſunt maculæ in Sole, ſed non Solis, detecti errones imò & errores in doctrina Auguſtini, non tamen errores Auguſtini. Errones illi parvuli, quos Author Mediceos; & Auctor vocavit Auſtriacos, inviſi errarent, ni ad faciem Solarem appellerent. Ita ſuperſtitioſa Pelagij generoſitas, & perfida Calvini humilitas inobſervabiles fuiſſent, ſi non acceſſiſſent Auguſtinum. Quiſquis nudis oculis Solem-Auguſtinum obſervare contendis, ſiquidem Aquila non es, excellentiâ luminis ita offuſcaberis, ita ut potiùs potentiam viſivam corrumpas, quàm objectum obſerves. Arma ingenij oculos Philoſophiæ Chriſtianæ perſpicillo, & tunc clarè ſcientiarum Solem obſervabis, Frequentiſſimas videbis maculas, ſed ne ſtatim aut Soli ingenitas, aut Auguſtino inhærentes exiſtimes: tranſeunt, ſuccedunt; remanet. Nam ſibi ſemper unus & ſimilis, non ſuas, (his enim caret) ſed expoſitorum maculas indigitat candidâ ſinceritate.

Sit ipſe & tamen ſint illæ! — *Auſtriaca Malapertii ſydera.* — *Quo ſit modo legendus Auguſtinus.*

THEOREMA II.

Vt Auguſtiniana doctrina à Pſeudo-Auguſtiniana diſcernatur, non ſufficit ſolus Auguſtinus.

MCCCC LXXX. DVæ ſunt controverſiæ difficiles inter Divini Præceptoris Diſcipulos. Altera circa librorum Canonem, & altera circa intelligentiam. Non eſt hæc controverſia ſingularis in ſcholâ Auguſtini, eâdem turbatur Ciſtertienſis, eâdem aliæ; imò & ipſa Chriſtiana ſimili præpeditur, cùm examinat, Quot & qui libri ad Canonem verum pertineant? Debemus Auguſtino; quod poſſimus oſtendere librum Machabæorum eſſe Canonicum; libri enim XVIII. de Civit. Dei capite XXXVI. *Machabaeorum libros*, ait, *non Iudæi ſed Eccleſia pro canonicis habet.* quod ex ſolâ ſacrâ Paginâ oſtendere non poteramus. Vt autem vera Auguſtini opera ab adulterinis diſtinguamus, non ſufficit ſolus Auguſtinus; requiritur enim præſcripta librorum authoritas, & conſtans Chriſtianorum traditio; ſi enim, *ut quis prudenter credat, oportet, ut talis ſit fides propoſitio, quæ evidenter videat res fidei eſſe credibiles & credendas*; imprudenter credemus ſcriptum aut viſum ab Auguſtino librum, quem aliquis ju-

Caramuelis Metalog. Lib. X.

Vt ſacra à non ſacra diſtinguantur non ſufficit ſola ſcriptura. — *Quid requiritur ut aliquis tenebatur tradere.*

nior Typographus nullis additis credibilitatis argumentis nomine Auguſtini protrudit.

Semel poſito legitimo & vero Operum Auguſtinianorum canone, excitatur controverſia de ſenſu; pro cujus ſecuriſſimo examine ſit

THEOREMA III.

Quicumque in Auguſtini expoſitione ſequitur Proſperum, Hilarium, Bernardum, Thomam, Scotum, & communem Eccleſiæ doctrinam, verba exponit ad mentem Auguſtini.

EX hac concluſione inferam Corollarium. *Qui in exponendo Auguſtini contextu deſerit communem expoſitionem Doctorum Scholaſticorum, & ſequitur dictamen proprium, ſuperbus eſt, & mentem Auguſtini non percallet.*

Quo modo ſit interpretandus Auguſtinus?

Oſtenditur; Quia eum eſſe temerarium Iudicem, qui in materiâ Fidei interpretatur S. Paginam contra communem Catholicorum ſententiam; aſſerunt univerſi. Ergò ſimiliter temerè judicare dicendus eſt ille; qui ſpiritu ſuperbiæ ductus plus in Auguſtini expoſitione ſibi deferat, quàm omnibus Scholaſticis; qui optimis ingeniis præditi, magnis laboribus exculti; frequentiſſimis controverſiis exerciti pro Eccleſiâ Romanâ mille annis militarunt.

Hinc à fortiori colligitur, injurios Auguſtino illos eſſe, qui ita eius verba decapitant & plectunt; ut hæreticis faveant; *littera enim occidit, ſpiritus verò vivificat.* Decapitatæ Auguſtini periodi & in alienum ſenſum allegatæ ſententiæ, clauſulæ ſunt aërum verberantes; quia mortuæ, ac proptereà magiſterio defunctæ. Spiritus autem ille, qui mentem ditavit Auguſtini, textum vivificat, & lectores erudit. Ipſe autem ſpiritus Catholicus eſt, habemus enim Deum communem non privatum. Vndè cùm audio, *Faceſſat & iſta hinc invidioſa querimonia, quod Auguſtini ſententia Calvino aut Luthero favere videatur. Si enim Auguſtini eſt, illorum error eſſe non poteſt*; condoleo prorſus intellectui aliis ideis prævento, & ajo: *Sanè ſiquidem illorum error eſt, Auguſtini ſententia eſſe non poteſt.*

Plectuntur interdum capite Auguſtini periodi. — *Janſenius ibi*

THEOREMA IV.

Qui Doctorem Mellifluum ſequitur, non poteſt diſcedere à Divino.

TAmetſi perſuaderi hoc poſſit ex diligentiâ, ſtudio & aſſiduâ lectione; cui vacabat Bernardus; mihi demonſtratio aliundè deſumenda eſt. *Quæ ſunt ſimilia & æqualia uni tertio*, inquiunt Geometræ, *ſibi inæqualia & diſſimilia nequeunt eſſe.* Atqui Auguſtinus olim ſecutus eſt communem Eccleſiæ doctrinam, idem poſt aliquot

Bernardus Auguſtino conſonat.

Ecclesia semper sibi similis.

sæcula fecit Bernardus; ergò vel Ecclesia illa prior posteriori est dissimilis, vel Divini & Melliflui Doctorum doctrinâ parallelizat. Hoc Theorema non solùm Catholici, sed & Heterodoxi profitentur. Calvinus legit hunc sermonem ipsum, quèm expendimus, & libri Institutionum secundi capite secundo, *Augustino*; ait, *subscribens Bernardus ita scribit* serm. 81. in Cant. Hinc facilis responsio postulantibus, Quam sententiam habuerit Augustinus, quam Bernardus in hac aut illâ materiâ ad fidem pertinente? dicendi enim sunt habuisse eamdem, & non aliam quam habet Ecclesia. Si instet aliquis, se hòc ipsum inquirere, & doceri velle; quam sententiam habeat Ecclesia? Si dubitat; scimus id Romano-Catholici & gratiâ Dei præventi nunquam in hac materiâ dubitamus.

Testimonium I. Calvini pro Bernardo.

THEOREMA V.

Theses de Gratia & Libero arbitrio desumpsit Bernardus ex Paulo juxta doctrinam communem exposito.

QVanti Bernardus Patres fecerit, fatentur æmuli & inimici; nam dum nocere desiderant; illius erga veteres observantiam commendant. Legatur Berengarij liber Apologeticus, quem pro Petro Abaylardo edidit contra Senomense Concilium. Ibi Bernardum, quem nominat illius Concilij pontificem, calamo virulento incusat, Stylum carpit, acumina deridet; & furtivas ipsius speculationes deprehendisse gloriatur: Hoc, illud, ab Ambrosio, & aliis Patribus furtim exceptum quasi propriæ inventionis fructum asserit edi à Bernardo, qui sine Scripturâ & Patribus nesciret loqui. Sed quis non videat Bernardi doctrinam, dum de hujusmodi furtis author agitur reus, maximè commendari? tota ex Ambrosio, Augustino, & aliis Patribus desumpta est; nihil Bernardo debet præter merum ornatum. Hæc est Berengarij sententia; cui libenter subscribo. Sed quia hîc præcipuè de gratiæ & liberi arbitrij concordiâ disceptatur, adjungam aureum libellum de hac materiâ fuisse à Bernardo scriptum ad VVilhelmi Theodoricensis Antistitis instantiam. In illo animadverto totum discursum verbis Pauli subsistere, & communi Doctorum suffragio, *Credimus*, ipsemet ait, *placere Lectori, quod à sensu Apostoli nunquam recedimus, & quaquaversam evagetur oratio in eadem pene ipsius verba frequenter recidimus: Quid enim nostra aliud sonant, quàm illud: Ergo neque volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei?* & nequis diceret in materiam verborum sæpius recidi, sed particulari sensu animatam, hanc objectionem in Dedicatoriâ ipsa præoccupat, & ait, *Vereor ne, aut gaudia minùs dignè loquutus inveniar, aut pertractata a pluribus superfluò retractasse.* Sed cur superfluò? quia nihil novi dixerat, sed solùm illa, quæ pertractatant veteres, fideliter resumpserat, & clariùs retractaverat. [Vbi nota obiter. Bernardum resumpsisse iterum hanc materiam Serm. LXXXI. in Cantica, ubi hunc libellum citat, & libertatis indifferentiam ratiociniis fortissimis stabilivit, quæ lacera cita Calvinus libr. 2. Instit. cap. 5. lacera inquam quia si integra citarentur, Hæresiarcha necessariò succumbere debuisset.]

Bernardus Patres veteres sequitur.

Ad verba Pauli suas sententias obnoxat.

Cur obtruncata Melliflui Doctoris sententia à Calvino fuerit.

THEOREMA VI.

Præter libertatem à coactione, quæ etiam brutis & insensibilibus communis est, personæ intellectuali tres diversæ libertates conveniunt. Prima, à necessitate; secunda, peccato; tertia à miseria.

OMnia viventia (physica vita solùm, aut intentionalis etiam illis insit) sunt liberæ à coactione, cogitur enim, qui violentiam patitur. Hæc definitur motus ab extrinseco passo non conferente vim; ergò cum vita sit motus ab intrinseco, nulla creatura potest violenter vivere. MCCCCLXXXI.

A coactione planta & animantes sunt libera.

Libertas à necessitate omnibus substantiis intellectualibus competit, nam ex intellectu bene infertur voluntas, ut D. Thomas 1. *part. quæst.* 19. *art.* 1. asserit; & si objectum limitatum sit, bene infertur libertas, Damasceno *libr.* 2. *Orthod. fides cap.* 27. asserente. Dixerim, *bene infertur*, quia probabiliter infertur, scio enim Theologos nonnullos hanc eamdem consequentiam negare. Vide Arriagam *disp.* 21. *de Anima num.* 127. & *disp.* 24. *de Vol. Dei num.* 1. ubi docet non repugnare intellectivum, quod non sit volitivum.

An omne intellectivum sit volitivum.

Libertas à peccato est duplex; ingenita, & adquisita, quæ & *passiva* vocatur. Dicuntur à peccato liberi, qui illo carent, tametsi nunquam illud habuerint: liberati autem, qui à peccati compedibus gratiæ potentiâ liberantur.

Liberi & liberati à culpa.

Non aliter libertatem à miseria in ingenitam & adquisitam divides. Ingenitam haberet animus, qui beatus crearetur; adquisitam habent, qui quòd gratiæ cooperati, cælo donati sunt.

Liberi & liberati à miseria.

HIS IDEIS

PRæventi, D. Bernardi Sermonem LXXXI. in Cantica exponamus, è cujus pulcherrimis foliis excerpentes aliquot flores & expendentes; præcipuas Theologiæ difficultates & controversias resolvemus.

D. BER-

D. BERNARDI SERMO LXXXI.

IN CANTICA.

Qualiter Anima Verbo Dei similatur per simplicitatem essentiæ, immortalitatem, & arbitrii libertatem.

TEXTUS.

An anima simplex? an cælestis; an similis ipsimet Deo.

MCCCC LXXXII. [1] QVæ situm est antè de affinitate Animæ ad Verbum, atque id quidem necessariò. Quæ enim conventio tantæ majestati, & tantæ paupertati, ut more & amore sponsorum veluti ex æquo sese complecti desecantur sublimitas illa & illa humilitas? [2] Nam si verè id dicimus, valdè læta fiducia est si falsò, valdè punienda audacia; [3] Propterea ergò de convenientia horum quærendum fuit, quæ quidem jam multa inventa est, sed non omnis: [4] Quis vel nimis hebes non videat quàm se è vicino respiciant imago, & quod ad imaginem est? quorum utrique unum uni, & alterum alteri, sermo si recolitis; assignavit hesternus [5] Nec de imagine tantùm, sed etiam de similitudine demonstrata ibidem propinquitas est, nisi quod ipsa similitudo in quo vel in quibus potissimùm constat, necdum à nobis est declaratum. [6] Age, jam intendamus declarationi huic, ut quò Anima pleniùs suam agnoverit originem, eò amplius erubescat vitam habere degenerem. [7.] Imò verò quod peccato vitiatum deprehenderit in natura, studeat reformare industria: ut dignè suo genere, Dei quidem munere sese regens, ad amplexus Verbi fidenter accedat.

Imaginis & imaginati propinquitas. — *Animarum origo.*

Libri mendis non carent. NOTA, *Innumeris impressi libri mendis scatent, quæ exemplarium collationem & Lectorum judicium requirunt; omissa igitur punctionum varietate, quæ nimis frequens est, verba illa restituam, quæ videntur impressorum negligentia alterata.*

Num.6. Age jam *lego, non enim bene,* Agò jam, *legebatur.*

Num.7. Videretur potiùs debere legi, suo ingenio, Dei quidem munere; *quia cùm priùs naturam cum industria propria comparasset, aptè gratiam cum ingenio conferret. Sed quia vulgata lectio etiam acumine exuberat, illam retinemus hac animadversione subjuncta.*

ECTHESIS I.

Divinæ & humanæ libertatis collatio.

EX præcellentibus Melliflui Doctoris sermonibus, & libello, qui de Gratia & libero arbitrio inscribitur, innotescit qualis & quanta sit inter libertatem Divinam humanamque similitudo. Homo integer habuit libertatem à necessitate, à peccato, à miseria: primam vulnerabilem, secundam amissibilem, adquisibilem tertiam. Præditus fuit arbitrii staterâ, ad æquilibrium indifferentiæ regulatâ: tali tamen, quæ posset adquirere aut obediendo legi infallibilitatem in bono; aut prævaricando, infallibilitatem in malo. *Libertas hominis integri.* Peccavit homo corporeo appetitui serviendo; & corpus jam quia corruptione peccati inficitur, adgravat animum & volentem deprimit tametsi in alta cogitantem. *Libertas hominis lapsi.* A peccato etiam liber erat, dum integer; sed quia servum esse vel liberum; liberum fuit, arbitrii libertate abutendo consilii perdidit libertatem. Liber dici potuit à miseria, potentiâ potiùs tamen quàm actû. Vnde inferiùs num. 15. Sanctus Doctor, *accepit itaque in sui conditione Anima, & si non esse, posse tamen esse beata.* Miserum erat posse mori; fœlix posse non mori: homo autem innocens & mori & non mori poterat, quia & poterat peccare & non peccare. Antequam peccaret remotè potuit mori; nam antequam peccaret, poterat peccare: non tamen potuit pœnam servitutis

Libertas beatorum.

ſubire priùs quàm culpam liberè perpetraret. Hominis libertas converſione inſtauratur, & confirmatur beatitudine. Beati animi habent indifferentiam: & quia in corruptibili corpore peccati corruptione caruerunt, donantur rectâ arbitrii conſtantiâ, & rectitudine conſtanti. Poterat homo integer non abuti arbitrio; quo beatus non poteſt abuti. Poterat ille carere omni peccato, non poteſt iſte non carere. Ille poterat non mori, iſte non poteſt mori. Libertas ergò Humana & Divina non poſſunt non dici parallelæ: Deus enim nec arbitrio abuti, nec peccato infici, nec miſeria inquinari poteſt. Hæc omnia mente concipiens Bernardus, & vix ſeipſum capiens exclamat num. 2. *Si verè id dicimus, valde lata fiducia eſt: ſi falſo valde premenda audacia.*

Libertas Dei.

ECTHESIS II.

Imaginis & rei imaginatæ identitas intentionalis.

Hæc poſitio continet doctrinam pulchram ſubſtantialemque: & tradita à Thomiſtis, ſchola expreſſivè reſpondet.

ITa è proximo ſe reſpiciunt imago, & quod ad imaginem eſt, ut ipſa quà talis non differat ab imaginato. Operationes intellectûs, intentionales objectorum imagines ſunt, & tametſi realiter diſtinguantur, intentionaliter loquendo objectum, expreſſa ſpecies, perceptio, potentia, & ipſamet anima ſunt idem. Quam ob rem dicimus cognitionem quandam mentis in objectum tranſſubſtantiationem intentionalem. Si ſemel aſſeratur *eſſe naturale & intentionale* in Deo non diſtingui: neceſſariò tenendum eſt, Verbum eſſe Filium & Patri conſubſtantiale: addendum, Spiritum Sanctum Filium non eſſe tametſi identicè conſubſtantialem.

ECTHESIS III.

Imaginis & ſimilitudinis diſtinctio.

Interdum etiam Catholici rigorem in loquendo non ſervãt.

NEc de Imagine tantùm, ſed etiam de ſimilitudine diſputandum eſt: quia licet hæ duæ voces à Calvino *libr. inſtitut. 1. cap. 15. num. 3.* & aliis Heterodoxis confundantur, aptè à Melliſluo Doctore diſtinguuntur, ita ut imago ad naturam, & ſimilitudo ad proprietates referantur. Homo eſt naturalis imago Dei in Animo, ſimilis in potentiis: eſt Dei imago ſupernaturalis in Gratia, ſimilis in habitibus ſupernaturalibus, & præcipuè in lumine gloriæ, quo donati ſimiles Deo erimus, nam videbimus Deum ſicuti eſt.

ECTHESIS IV.

Vter, Calvinus an Chemnitius noſtro Authori invidentior?

Præſtat vituperari à malis, quàm laudari.

PLus honoris conferunt hæretici, cùm Bernardum accuſant, quàm cùm excuſant. Libertatem arbitrii eſſe immunem à neceſſitate conſtanter Bernardus ediſſerit: accuſat Calvinus *libr. 2. Inſtitut. cap. 2. num. 5.* & Chemnitius *in examine Seſſionis VI. Concilii Tridentini* excuſat. Ille dum erroris Bernardum arguit, quòd præter *non-coactionem* etiam poſtulet *non-neceſſitatem*, mentem noſtri Authoris dilucidat: hic dum vocis abuſum eſſe contendit, & neceſſitatis nomine vult coactionem intelligi, graviter contra Bernardum peccat. Calvinum benè hîc expoſuiſſe Bernardum & malè deſeruiſſe, demonſtrat melliſluus contextus, qui Chemnitii devotionem incuſat: mavult enim Bernardus à Calvino benè exponi, & deſeri: quàm ab aliis retorqueri in hæreſin, exponi malè, & ob ſententias, quas nunquam cogitavit, coli.

ECTHESIS V.

Paulo & Bernardo cæleſtis Animorum origo.

An rationales hominum Animæ in cælo fuerint conditæ, & poſt ad corpora hùc infuſæ.

BErengarius Abaylardi diſcipulus verba textûs perlegit ſupercilio invido, & Bernardo Origenis errorem imponit. Colligit in Apologetico, quod pro ſuo Præceptore edidit contra Senonenſe Concilium, Doctoris Melliflui ſententiâ humanos Animos creari in Cœlo, & poſteà in corpora detrudi. Vnde Bernardum ſic alloquitur: *Aiunt*, inquit, *Philoſophi, quorum Duces ſunt Plato & Pythagoras, quibus & tu ex parte maxima adquieſcis, Animas ſcilicet olim ab initio* (nempe *Mundi*) *factas conditaſque in theſauris Dei; indeque ob antiquum vitæ contagium in corporum ergaſtulum lapſas, rurſuſque ſi corpus juſte gubernaverint ad antiqua honeſtatis vultum meritorum vehiculo redituras, &c. ...... Tu itaque* (Bernarde) *doctrina ſalutaris tramite devius in Philoſophorum ſcopulos ruis. Et dum dignitatem animæ jactitas, originem ei ſyderiam flore jejuni eloquii nundinaris.* Hic tamen evidenter videmus, literam Melliflui Doctoris retorqueri, & invidiam Dialecticæ imperitam eſſe. Animos è cœlo oriundos frequenter meus Bernardus ediſſerit ſubſcribens Apoſtolo & Eccleſiæ Doctoribus. Cœleſtem Patrem habet animus, ergò benè aſſeritur oriundus è cœlo. Aſſumptum probant verba Chriſti dicentis, Matth. 5. 48. *Eſtote ergò vos perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Et 6. 14. *Si enim dimiſeritis hominibus peccata, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra.* Et 6. 26. *Pater veſter cæleſtis paſcit illa,* nempe *volatilia.* Terrenus nuncupatur animus, cùm ſordidus: ſpiritualе corpus, cùm purum. Omnia cœlitùs proſequitur Paulus 1. Corinth. 15. 14. *Seminatur corpus animale, ſurget corpus ſpiritale, ſi eſt corpus animale, eſt & ſpiritale: ſicut ſcriptum eſt, Factus eſt primus homo, Adam in animam viventem, noviſſimus Adam in Spiritum vivificantem. Sed non priùs quod ſpiritale eſt, ſed quòd animale: deinde quod ſpiritale. Primus homo de terra terrenus: ſecundus homo de cœlo cæleſtis. Qualis terrenus, tales & terreni. Qualis cæleſtis, tales & cæleſtes.* Adſonat Author operis imperfecti contra Iulianum Pelagianum libr. 1. num. 54. ſub fin, qui citat Gregorium dicentem, *Venerare nativitatem, per quam*

Pater cæleſtis.

Corpus ſpiritale.

Homo cæleſtis.

quam terrenæ nativitatis vinculis liberatus est, & addit: *Nullo itaque modo ad istam gratiam pertinere parvulos confitemini, quamdiu negatis eos nativitate cœlesti à terrena nativitatis vinculis liberari.* Dantur igitur homines cœlestes; illi nimirùm qui Patrem suum cœlestem colunt; quorum post terrenam quæ ad partum pertinet, nativitas, quæ baptismum attinet, cœlestis fuit: quorū conversatio in cœlis est, ne Spiritum habeant degenerem.

ECTHESIS VI.

Peccati gravis, mors comes individua est.

Per peccatum mors. Peccatum grave non solùm animo est excidium, sed & ipsi corpori morbus, imò mors; non enim moreremur, si nullo iniquinati peccato viam mandatorum Domini cucurrissemus. Malum est ipsi corpori ab anima peccatrice informari. Malum Animæ quidditati, habere peccato infectam voluntatem. Arbitrii libertas laborat amissa libertate consilii: honesti boni tædio & ambitione delectabilis miserè inficitur; nec potest propriis viribus à fovea egredi; in quam cadere liberum fuit. Deformatus animus reformabilis est, gratiâ & cooperatione; illa est Dei munus; hæc industria est, quæ nascitur à proprio ingenio auxiliis Divinis elevato. *Vita per gratiam.*

TEXTUS.

Deus simplex, simplex Animus.

(8) ADvertat igitur ex hac divinæ ingenuitate similitudinis inesse sibi illam suæ substantiæ naturalem simplicitatem, quâ hoc est illi esse, quod vivere, etsi non quod benè, quodve beatè vivere: ut sit similitudo, non æqualitas; gradus propinquus, gradus tamen. (9.) Neque enim unius excellentiæ, parisve fastigii sunt, hoc habere esse quod vivere, & item habere hoc esse quod beatè vivere. (10.) Ergò si Verbi est illud propter sublimitatem; hoc Animæ propter similitudinem; salvâ quidem eminentiâ Verbi; palam est affinitas naturarum, palam Animæ prærogativa. (11) Et ut, quod dicitur, planius fiat, sòli Deo id esse, quòd beatum esse; atq; hoc primū & purissimum simplex. (12) Secundum autē simile est huic, id videlicet habere esse quod vivere, atque hoc Animæ est (13) Ex hoc ersi inferiori gradu, ascendi potest, non modò ad bene, sed etiam ad beatè vivendum: non quia vel tunc sit hoc esse quod beatum esse illi qui eò pervenerit; quatenus ita glorietur pro similitudine, ut tali ēn pro disparitate habeat semper unde omnia ossa eius dicant: *Domine quis similis tui?* Bonus tamen Animæ gradus, ex quo & solo ad beatam ascenditur vitam.

Verbi Divini & animæ similitudo. *Esse Dei.* *Esse Animæ.*

Quid significet Prærogativa. NUm. 10. Prærogativa *sine comparatione usurpatur; non enim est Authoris intentum adscribere Verbo æterno eminentiam & Animo humano præeminentiam, cùm potiùs soli Verbo expresse præeminentiam concedere debeat, & faciat.* *Nam inferiùs num.* 26. Fatemur similitudinem, *ait*, æqualitatem renuimus. *& num.* 24. Anima, *inquit*, summo gradui (*illi scilicet in quo est Deus*) quantùm licet appropians, non pertingen tamen. *Et num.* 32. verbo similis, sed non æqualis.

ECTHESIS VII.

Simplicitas quid? In Deo & in Animo, Memoria, Intellectus, Voluntas, sunt identificata essentia.

DEus infinitè simplex est, non quod perfectionibus careat, sed quòd distinctis. Ideò optimè à nostro Doctore Deus dicitur *Primum & purissimum simplex.* Etsi admittatur axioma illud philosophicum (hic verùm) *Quod in quocunque genere supremum est,* *est causa reliquorum:* inferetur summum & purissimum hoc simplex, quia in genere simplicitatis supremum est, esse Animorum, itidem simplicium, vera causa: Ideòque veram esse Angelici Doctoris sententiam asserentem, Dei scientiam esse causam rerum. Quod & admittit noster Author, cùm num. 22. *Anima hominis, ait, in eo dignitatis creata est, vita à vita, simplex à simplici, immortalis ab immortali.* Simplicitas formalitas est identificativa, quæ alias formalitates absolutas infinitè conveniendò identificat. Hanc Deus in summo gradu obtinet, hanc in propinquo Anima. Deus simplex cùm sit, habet intellectum & voluntatem sibi identificata; habet & Anima. Quia in Deo Essentia, Natura, Intellectus, Voluntas, Esse, Vivere, Bonitas, & Beatitudo sunt eadem realitas, primum & purissimum ipse Simplex est; quia in Anima, Essentia, Natura, Intellectus, Voluntas, Esse, & Vivere identificatæ formalitates sunt, ideo similis est; quia Animæ distincta realiter bonitas accidit, beatitudo adolescit, & communicatur supernaturalitas, totaliter simplex non est, se Dei omninò simplicis partim similis

Simplicitas Dei. *Simplicitas Animæ.*

lis partim dissimilis, cùm se ad imaginem & similitudinem Dei simplicis factam esse maximè gloriatur, sanctissimè inclamat, In simplicitatis attributo; *Domine quis similis tibi?*

ECTHESIS VIII.

Simplicitas Verbi & Animi, non sunt æquales, sed analoga.

Non datur substantia essentialiter bona vel mala.

NVllus animus quiditativè bonus, nullus quiditativè malus; nulli cœlestis connaturalis beatitudo, & nulli contranaturalis. Ab arbitrio habet Animus quod possit elicere aliquos actus moraliter bonos, non tamen quòd meritorios & morales supernaturaliter. A gratia habet, quòd operetur meritoriè, à fide & aliis infusis habitibus quòd supernaturaliter. Si oculis corporeis Deus videri posset, etiam ex gradu sensitivo ad æternam adscendi posse vitam: sed quia potentiæ corporeæ incorporea percipere non possunt, nec Deus oculis corporeis potest perspici, nec aliunde quàm ex solo intellectuali gradu ad beatam ascenditur vitam. *Ascenditur*, inquit Bernardus num. 13. quia etiam ex Angelico olim ascendi potuit: jam non potest; Angeli enim lapsi resurgere nequaquam possunt.

Bruta Deū videre nō possunt.

Dæmones non possunt resipiscere.

TEXTUS.

Mellifluí Doctoris Philosophia.

MCCCCLXXXIV. *Vivens vegetativū & sensitivum.*

(14) SUnt namque viventia, & horum genera duo; quæ sentiunt, & quæ non sentiunt. (15) Porrò in sensibilibus sensibilia præferuntur, atque utrisq; vita quâ vivitur & sentitur. (16) Non stabunt pariter in gradu uno vita & vivens, multò minùs vita, & quæ sunt sine vita. (17) Vita Anima est, vivens quidem, sed non aliunde quàm seipsâ, ac per hoc non tam vivens quam vita, ut propriè de ea loquamur. (18) Inde est quod infusa corpori vivificat illud, ut sit corpus de vitæ præsentia non vita, sed vivens. (19) Vnde liquet, ne vivo quidem corpori id vivere esse quòd esse, cùm esse, & minimè vivere possit: multo minùs quæ vitæ expertia sunt, ad hunc gradum assurgent. (20) Sed nec omne quod vita dicitur vel est, continuò valebit pertingere huc. Est pecorum, est & arborum vita; sensu altera vigens, altera carens: neutri tamen idem esse quod vivere est: cùm (ut quidem multorum opinio est) ante in elementis, quàm vel illa in membris, vel ista in ramis extiterint. (21) At secundum hoc cùm desinunt vivificare, simul vivere cessant; sed non & esse. Solvuntur pariter & dissolvuntur, tanquam non alligatæ tantùm, sed & colligatæ. Neque enim unum simplex est quæque harum, sed ex pluribus constans: & propterea non redigitur in nihilum, sed dilabitur in partes, ut & ad suum quodque recurrat principium. Verbi causa aër ad aërē, ignis ad ignem, & reliqua in hunc modum. (22) Nequaquam igitur tali vitæ idem esse & vivere est, quæ est, & quando non vivit. Porrò nihil horum quibus non hoc esse, quod vivere non sit, ad benè beatèque vivendum quandoque proficiet vel emerget: quippe quod neque ad hunc inferiorem gradum potuit pervenire.

Concreti & abstracti distinctio.

Forma corporeitatis.

Origo ab elementis.

An omnia ex elemētis componantur?

NUm. 20. *docet esse opinionem multorum, corpus, vegetativam animam, imò & sensitivā ex quatuor elementis componi. Sed qui illi multi? Sanè non Peripatetici, illi enim has animas ab elementorum quiditate distinguunt, sed Empedocleæ, qui nihil corporeum cognoverunt præter quatuor elementa simplicia, & quæ ex illis constabant. Ad eorumdem mentem* Materia prima *est quatuor elementorum commixtio.* Vita vegetativa *est elementorum proportio, harmonia propter temperamentum, & propter figuram organica.* Vita sensitiva *est elementorum connexio intentionalitate donata.*

ECTHESIS IX.

Substantiarum distributio, explicatio, collatio.

TOtam de substantia Physicam & Metaphysicam doctrinam Bernardus paucissimis lineis complectitur. Viventia in tres ordines dividit; alia enim sunt vegetabilia, & non sensibilia, alia sensibilia & non vegetabilia, alia simul vegetabilia & sensibilia. Ad primum ordinem spectant plantæ & universæ arborum species; etiam & illæ, quæ ob producta animantia Zoophytæ nominantur: ad ultimum universæ animantes; illæ nimirùm quæ aquis innatant, aëra pectunt, terras incolunt: non enim flammas ebibunt: sunt enim papiliones nonnulli in fornacibus nati, licèt non sint volucres, quæ inhabitent regionem ignis. Ad secundum ordinem reduceretur irrationalis Anima, si separata produceretur; nam à corpore habet, quod vegetabilis sit. Si naturarum excellentiam examinem, placet Bernardi resolutio præferens viventia non viventibus, vegetativis sensibilia, purè-sensibilibus corpora vitâ simul vegetativâ & sensitiva

Viventia vegetativa, sensitiva. Vegetativum & sensitivum simul.

tivâ prædita: his ratioi a ès Animas; Animabus Angelos, Angelis Deum.

ECTHESIS X.

Concreti & Abstracti discrimen.

Quid sit vita: quid vivens?

Vivam substantiam & vitam differre, vix noverunt Ethnici. Qualis sit hęc differentia, subtili indagine quærunt & expendunt Christiani. Vita Bernardo est formalitas, vivens à semetipsa, vel, ut nos loquimur, vivens *ut quò*. ipsâ enim infusâ corpus vivificatur, & redditur vitæ præsentiâ non vita sed vivens: corpus enim vivens nihil est aliud quàm *corpus habens vitam*, aut si malis, *suppositum habens corporeitatem affectam vitâ*. Suppositialitas seu subsistentia est fundamentum & basis naturæ, illud enim hanc habet & sustentat: ideòq; falsum; subsistentiam esse aut modum: aut proprietatem naturæ: verùm, esse basin & sustentaculum. Cùmque positiva realitas in negativa esse non possit, proscribitur à Mellifluo Doctore subtilis illa opinio, quæ subsistentiam docet in mera negatione consistere.

Quid subsistentia sit.

ECTHESIS XI.

Forma corporeitatis.

An existentia & forma corporeitatis idem sint?

De corporeitatis forma multa supponunt & pauca probant recentiores. Viri nonnulli docti, & præcipuè in Schola Locali, quæ hodie in pretio, judicant, illam esse corpoream existentiam, corporaque insensibilia nil substantiale habere præter materiam existentem, quam corpus dicimus. Si examinandus veniat lapis, dicetur habere, præter illa accidentia, quæ illum à metallo & aliis rebus ejusdem ordinis distinguunt; materiam existentem, & nihil prorsus aliud quod ad substantiæ categoriam pertineat. Si placeat existentiam jam ipsam vocare formam corporeitatis, dicent nullam dari materiam informem, sed omnem corporeitatis substantiali formâ semper affici, & aliquando aut sensitivâ aut rationali: si displiceat, tenebunt sententiam priorem, sed mutatis vocabulis: asserent enim omnia insensibilia corpora accidentibus variis ornata quidem esse, sed carere formâ substantiali. Nos autem, qui ad mentem Mellifui Doctoris discurrimus admittimus formam corporeitatis, à materia & ejus existentia distinctam.

Datur forma corporeitatis.

Si materia prima Hominis ab Animo haberet quod esset corpus, & non à realitate aliqua ab Animo rationali distinctâ, id corpori vivo esset esse quod vivere: at quia teste Bernardo *num.* 19. corpus hoc potest esse quin vivat, dicendum est, materiam primam formâ corporeitatis in esse corporis: & formâ vitali in esse viventis constitui. Hinc patet post mortem hominis idem omninò corpus remanere, quod antea vivificabatur. Corpusq; vivum & mortuum per contradictorias differentias distingui; illud enim est habens vitam; hoc, habens vitæ privationem. Hinc patet cadavera hominum ab hominibus ideò differre, quod hi sint corpora habentia animam ratioalem, illa verò, corpora habentia privationem animæ rationalis; non autem privationem qualemcumque, sed privationem Animæ, quam priùs habebat. Vt de Humanis ita & de Belluinis cadaveribus Doctor noster philosophatur: nam sicut hominis habet esse ab Existentia, & vivere ab Animo: ita & corpus Leonis existit ratione existentiæ, & animæ ratione vivit.

Quid sit forma cadaverina?

ECTHESIS XII.

Discrimen Corporis & Animæ vegetativæ.

De arborum vegetativa vita major videretur esse difficultas; nã de vegetativis eodẽ modo loquitur ac de sensitivis Bernardus. Legunt Bernardum docti nonnulli Cistercienses, & inferunt non dari animam vegetativam distinctam à materia prima. Nam duæ istæ operationes quæ vegetabiles vocantur, nempe augmentatio & generatio, possunt fieri sine forma distincta, illa partium unione, hæc divisione; partium enim identificatione fit corpus majus, & identificatarum divisione multiplex. Differunt Substantia vegetativa & & Non-vegetativa organo tantùm; illa enim organica est, hæc inorganica; illa habet partium dispositionem ad functionum ab artifice intentarum exigentiam, quibus hæc caret: His tamen non obstantibus verum esse ajunt, quod hîc docemur à Bernardo, nimirùm quod non sit idem arbori esse ac vivere: viridis enim existit & vivit: sicca existit, sed non vivit: nam viridis habet organa debita (nempe tali figurâ magnitudine & qualitatum temperamento prædita) sicca non habet ac proptereà non vivit. Sic illi: At nos, qui pressius sectamur Doctoris Mellifui vestigia vitam materialem asserimus realiter distingui à corpore, & esse triplicem: videlicet, vegetativam tantùm, sensitivam tantùm, vegetativam & sensitivam simul.

Prima opinio.

Nostra ex D. Bernardi sententia.

ECTHESIS XIII.

In hominis obitu & post, non solùm fit resolutio usque ad materiam primam, sed corpus in prima elementa dissolvitur.

Corpus esse divisibile experiẽtia demonstrat, nec in controversiam legitimam potest revocari. Sed unde habet quod tale sit? non quidem ab aliquo prædicato essentiali sive quiditativo, sed ab accidente quantitate, quoniam secundum se consideratum, neque est divisibile, sed ab utroque termino contradictionis abstractum. A quantitate indeterminata habet quod sit divisibile, ac propterea, quod sit species; à determinata quod sit divisum in se & divisum ab alio, ideòque quod sit unum, & singulare. Partes integrales molis corporeæ dividuæ sunt, finitè tamen, potest enim

Quantitas est corporis divisibilitas.

Est indeterminata & determinata.

Corpus componitur ex elementis. enim corpus in elementa & primas atomos resolvi. Sed an hæ atomi, quibus corpus continuum coalescit, sint homogeneæ an heterogeneæ investigas; & subscribentes nostro Doctori respondemus, aliàs esse igneas, aliàs aqueas, aliàs aëreas, terreas aliàs, & ex his puris elementis corpus mixtum constitui vitæ capax. Et si adhuc inquiras, Quî differant inter se elementa? addemus illa differre per putas qualitates. Item, mori Hominem divortio corporis & animi: vitæ excidio animantes: siccari arbores organorum defectu, & corpus mixtum elementorum discretione dissolvi.

CONFIRMATIO CHYMICA.

Quid Chymia sit. CHYmia definitur, *Ars dissolvendi corpora naturalia mixta*, & ideò audit Analytica seu Resolutoria. Syntaxica seu compositoria Chymia quæritur, nondum perfectè inventa. Scimus aurum, argentum, & æs, lapides quoscumque, imò & plantas & bruta, dissolvere; excitare mortuas animantes, arbores combustas restituere, ex puris elementis preciosos lapides, aut fixa metalla (tale aurum, & si qua illo nobiliora latent nondum reperta) coagulare nescimus.

Quomodo differat à Physica? Differt Chymia à Physica, ut praxis à speculatione. Physicum agit, Philosopho. 1. Physic. text. 1. asserente, qui Entis naturalis per causas cogniti elementa & principia percallet: Chymicum, qui illud in prima elementa & principia dissolvit. *Elementa Chymica.* Hæc quatuor. PRIMUM vocatur *Terra-damnata* estque cinis (*siccus*) arenosus & elotus, quodque facili negotio in vitrum abit. *Terra.* SECUNDUM dicitur *phlegma* & est (*liquor frigidus*) insipidus, inodorus, aqueus; qui tantùm humectat, nullamque activitatem sensibilem habet. *Phlegma.* TERTIUM *Sal* nominatur, & est materia salsa (*humida virtualiter, sicca formaliter*) qualis ipse aër est. *Sal.* QUARTUM est *balsamum* (*calidum*) igneum, dulce, oleaginosum, nativum partium calorem & virtutem conservans. *Balsamum.* Hoc quartum iteratis operationibus meliùs defæcatur, & cùm purius evadit, qualitates non mutat sed minùs subtiles partes perdit, & *Mercurius* à Chymicis, ab aliis *Quinta essentia* vocatur. Sunt, qui hunc Mercurium non igneum sed æthereum existiment, sed experientia docet ipsum calidum esse, ideòque ad ignem spectare.

Vocabula media. Hæc enim cujuscumque corporis Chymica analysis evidenter ostendit omnia corpora, heterogenea esse, & constare, si utamur Lexico Galeni, partib. calidis, humidis, frigidis, siccis: aut etiam sulphureis, salsis, phlegmaticis, cinereis, si Paracelsi & omnium Chymicorum: vel, quod idem omninò est, igneis, aëreis, aqueis, & terreis, si nostri Mellifui Doctoris.

Quid senserit Aristoteles. Corpoream molem ex quatuor elementis coalescere Platoni suo magistro subscribens ab aliquibus creditur docuisse etiam textu de cœlo textu LXI. Aristoteles, cujus verba Ramus, Kragius, & alii urgent, ut non solùm erroris, sed & inconsequentiæ incusent omnes Peripateticos.

T E X T U S.

Simplicitas & Immortalitas solius rationalis Animi prærogativa, quibus Anima vegetativa & sensitiva caret.

DCCCCLXXXV. [23] SOla, quæ in ipso statu cognoscitur Anima hominis, in eo dignitatis creata est, vita à vita, simplex à simplici, immortalis ab immortali: ut non sit longè à summo gradu, ubi scilicet id esse quod beatè vivere est, in quo solus stat beatus, & solus Rex Regum, & Dominus Dominantium.

Circa litteram. NUm. 23. Sola, quæ in ipso, *summum* gradu, ex quo ad benè beatèque vivendum ascenditur.

Qui non solum corporis molem, sed ipsas fortè plantarum & brutorum animas ex elementis variè permixtis & temperatis composuerat, jam ad contemplationem animi rationalis accedens; illum ex elementis materialibus diffitetur coalescere, sed & simplicem & immaterialem, ideòque Dei imaginem & similitudinem esse persuadet.

ECTHESIS XIV.

Divinæ Simplicitatis & Immortalitatis collatio.

Simplicia omnia immortalia. PAucis verbis multa complectitur. Deum simplicem & immortalem asserit, imò priùs dicit simplicem quàm immortalem. Substantiæ enim simplicitas immortalitatem inferret; tametsi Deus duraret successivè: & durationis simplicitas & simultaneitas inferrent immortalitatem tametsi in Deum caderet realium formarum & accidentium compositio. *Cur Deus sit immortalis.* Ex simultaneitate durationis immortalitatem Dei demonstrat noster Doctor num. 33. Tene hanc periodum; *Apostolus dicat; Qui solus habet immortalitatem, quod ego reor pro eo dictum, quod solus sit natura incommutabilis Deus.* In instanti indivisibili successionis experte nulla dari potest commutatio: ergò nec mors. Hæc enim etiam mutatio est.

est. Tota autem æternitas, simultanea asseritur & tota simul.

Anima rationalis est indivisibilis. Animam simplicem & immortalem affirmat: eandemque non posse aliter quam per creationem fieri, non posse aliter quam per annihilationem corrumpi. Vitam potiùs quam Viventem dici & meritò; in abstracto enim sumpta, est vivendi principium *quo*, & in concreto tametsi sit habens vitam *ut quod*: est tamen vita *ut quo* respectu corporis, quod actuat & informat.

TEXTUS.

Verbo Divino in naturâ & beatitate Anima similis.

(24) ACcepit itaque in sui conditione Anima; etsi non esse, posse tamen esse beata; summo proinde gradui quantum licet appropians, non pertingens tamen. MCCCCLXXXVI. *Beatitudinis capacitas Animæ rationalis est naturalis.* (25) Neque enim vel ipsi, ut suprà diximus, hoc erit aliquando esse, quod beatam esse, nec quando beata erit. (26) Fatemur similitudinem, æqualitatem renuimus. (27) Verbi causa: vita Deus, vita & Anima est: similis quidem, sed dispar. *Anima Deo similis & dissimilis est.* Porrò similis, quod vita, quod seipsâ vivens, quod non tantùm vivens, sed & vivificans: sicut & iste hæc omnia est. (28) Dispar verò quantùm à creante creata. Dispar, quòd ut nisi creata ab illo, non esset, sic nisi ab ipso vivificata, non viveret. (29) Non viveret dico, sed spirituali vitâ, non naturali. *Deus Animæ vita.* Nam naturali quidem etiam quæ non spiritualiter vivit, immortaliter vivat necesse est. (30) At qualis vita, in qua satiùs foret non nasci, quàm non ab eâ mori. *Vita carens gratiâ, mors est.* Mors potiùs est, & ideò gravior, quia peccati, non naturæ. Denique mors peccatorum pessima. (31) Ita ergo quæ secundum carnem vivit Anima, vivens mortua est, quippe cui bonum erat omninò non vivere, quam sic vivere. A quâ nimirùm vitali quâdam morte minimè unquam resurget, nisi per Verbum vitæ; imò per Verbum vitam viventem utique & vivificantem. (32) Aliàs autem immortalis est Anima, & in hoc nihilominùs Verbo similis, sed non æqualis. *Deus est immortalis. An solus?* *Anima immortalis.* (33) Nam in tantùm superexcellit immortalitas Deitatis, ut Apostolus (1. *Timoth.* 6.) dicat de Deo; *Qui solus habet immortalitatem*, quod ego reor pro eo dictum, quod solus sit naturâ incommutabilis Deus, qui ait: *Ego Dominus, & non mutor.* (34) Vera namque & integra immortalitas tam non recipit mutationem, quàm nec finem, quòd omnis mutatio, quædam mortis imitatio sit, *Deus est immutabilis.* *Omnis mutatio est quædam mors.* omne etenim quod mutatur, dum de uno ad aliud transit esse, quodammodo necesse est moriatur quod est, ubi esse incipiat quod non est, quod si tot mortes quot mutationes, ubi immortalitas? (35) Et huic vanitati subjecta est ipsa creatura non volens, sed propter eum qui subjecit eam in spe. Attamen immortalis Anima est: quoniam cum ipsa sibi vita sit, sicut non est quò cadat à se; sic non est quo cadat à vita. Verùm cùm constet suis affectibus mutari eam, agnoscat ita se Deo in immortalitate similem, ut sciat sibi deesse non modicam immortalitatis partem soli cedens absolutam, perfectamque immortalitatem, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.

Variæ lectiones. Num. 24. *Multa exemplaria legunt* quantumlibet, *sustineo* quantumlicet *vel* quantum licet, *tametsi aliqui* quantum libet *legendum contendant. Sustineo, inquam, quia Anima ad summum perfectionis gradum non appropiat quantumlibet, sed quantum licet siper naturam, & gratiam.*

Num. 31. *Vulgata exemplaria legunt*, viventem utique & vivificantem, *restituo* viventem utique & vivificantem.

Num. 32. Aliàs avem immortalis est. *Deleo* avem *lego* autem.

Num. 33. *Habent impressa exemplaria*, incommunicabilis Deus, qui ait, Ego Dominus & non mutor; *Manuscripta* Incommutabilis. *Sequor hanc ultimam lectionem; mutationi enim non incommunicabilitas, sed incommutabilitas contrariatur: nam essentia Divina communicabilitas necessariò convenit, & repugnat mutatio.*

ECTHESIS XV.

Verbi æternum-geniti & Verbi in tempore facti inæqualitas.

VErbi ab æterno Patri dicti, & verbi facti (aptè in sacra paginâ Creaturæ *Verba facta* vocantur seu *Verbo facta*; non enim *Verbum duplex: genitum, factum.* impossi-

impossibile apud Deum omne verbum, id est, omnis creaturæ) æqualitatem Arius olim professus à nostro Doctore condemnatur, inter Verbum dictum & factum similitudinem magnam concedente, & æqualitatem negante. *Fatemur*, inquit, num. 16. *similitudinem: æqualitatem renuimus*, ubi utitur verbis quæ extrinsecam professionem involvunt, ut doceat Verbi Divinitatem non solùm esse credendam, sed si postulaverit occasio, confitendam; Verbique à Patre dicti & Rationalis animi à Deo facti æqualitatem non solùm negandam mente, sed renuendam, hoc est, externâ reprehensione damnandam. Unde & num. 12. cum Verbi dicti eminentiam cum Verbi facti vilitate composuisset Bernardus, inæqualitatem confessurus, non imperavit potentiis puris Animi ut Dei vacarent confessioni, sed & hanc eandem confessionem operationibus externis indixit, inquiens, *Ex hoc, etsi inferiori gradu, adscendi potest, non modo ad benè, sed etiam ad beatè vivendum: .... quatenus ita glorietur pro similitudine, ut tamen pro disparitate habeat semper* (Animus) *unde omnia ossa* (id est, virtutes corporeæ, & externæ operationes) *dicant; Domine, quis similis tui?*

Sunt inæqualia, sed similia.

Confessio Fidei debet esse aliquando externa.

ECTHESIS XVI.

Dei & Animi Humani analogia.

Quid illa sit?

ANalogia, est summa in summâ disparitate paritas, est in summâ dissimilitudine summa similitudo. Corporea & Spiritualia simillima sunt & dissimillima. Sanè dissimillima, quia corruptibile & incorruptibile, materiale & spirituale non genere, ut voluit Aristoteles, sed differunt plus quam genere; non enim prædicamento distant, sed systemate, quod est syntaxis complectens omnia prædicamenta ejusdem ordinis. Datur enim systema Materiale, & hoc continet decem prædicamenta materialia; datur & Spirituale, quod decem spiritualia; Divinum, quod decem divina; & Morale, quod decem moralia complectitur. Humanus Animus & Deus analogi; summè enim dissimiles cum sint, summam habent similitudinem. Dissimilitudinem demonstrat imparitas, hic enim creator, illa creatura; hic à se, ille à Deo; æternus hic, at ille temporaneus; hic infinitus & immensus, ille finitæ magnitudinis & perfectionis limitatæ: cæterùm terminis contradictoriè oppositis subest omnimoda similitudo. Olim Apostolus, *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur*; id est, oportet ex creaturis venire in notitiam creatoris: sed cur? Propter analogiam, propter similitudinem; oportet enim sic philosophari de divinis divinitùs, ut de humanis humanitùs. Audi ergò Bernardum num. 27. & altiùs analogiam intelliges. *Vita Deus, vita & Anima est*: inquit, & adquiescis: addit tamen, *similis quidem, sed dispar*. Sed cur? quia analoga, ac propterea partim eadem & partim diversa. Ergò tenetur S. Doctor propositionem roborare, paritatem & disparitatem demonstrando. Illam probat his verbis; *Porrò similis, quod vita, quod se ipsâ vivens, quod non tantùm vivens sed vivificans; sicut & ille* (Deus) *hæc omnia est*; hanc istis; *Dispar verò, quantum à creante creata. Dispar, quod ut nisi creata ab illo, non esset; sic nisi ab ipso vivificata, non viveret.* Infero; Ergo si à Deo negativè abstrahas Aseitatem, remanebit conceptus Rationalis animi; si præcisivè, erit omninò unus & univocus, nimirùm *Conceptus substantiæ spiritualis intellectiva, volitiva & operativa*, Deo & Animo rationali communis.

Quid sit systema?

Deus cognoscitur ex creaturis.

Deus & Anima similes & dissimiles.

An analoga in idem conveniant, & an in univocatione transire queant?

ECTHESIS XVII.

Corporis & Animi interitus, expositus, collatus.

COrruptionem duplicem cognoscit Theologia Christiana: naturalem & supernaturalem. Illa triplex: Corporis, Animi, Hominis. Homo ex immortalibus extremis compositus, mortalis est, moritur cùm animus rupto informationis vinculo separatur. Remanet corpus, non verò incorruptibile: mixtum est, & in elementa resolvitur, cum ipsa dissolvuntur. Corrumperentur hæc ipsa substantialiter, si forma corporeitatis à materiâ primâ separaretur, imò & corrumperetur Anima, si annihilaretur, quia actione creativâ producta & conservata aliter desinere non potest. (videtur numerus 20.) Gratia Animæ viventi vita est altera, supernaturalis naturali, humanæ divina, sublunari cælestis. Gratiâ carens, simul vivus & mortuus; habet vitam-animam & caret vitâ-Deo. Utra miserabilior mors? utra horribilior? Meliùs fuisset peccatori obiisse ante diem, & animæ separatione peccatum prævenisse, quàm peccasse. Præstaret fuisse in materni ventris carceribus oppressum, & semel genitum ante nativitatem excidisse, quàm legem divinam temerasse. Unde Christus apud Matth. 26. 24. *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, ut adsonet noster Doctor, num. 30. *Qualis vita*, ait, *in quâ satius foret non nasci, quàm non ab ea mori. Mors potius est, & ideò gravior, quia peccati, non naturæ.* Sed admissâ hâc doctrinâ adhuc succrescit difficultas prolixior, Annon solùm mori sed & annihilari præstet, quàm peccare? Sed respondet affirmativè Bernardus. *Mors* inquit, num. 30. *peccatorum pessima. Itaque ergo quæ secundum carnem* (hoc est carni serviendo, & legem divinam temerando) *vivit anima, vivens mortua est; quippe cui bonum erat omninò non vivere, quàm sic vivere.* Ubi obiter nota non agere nostrum Doctorem de vita corporis, sed de vitâ animæ quam ipsa nisi per annihilationem perdere non potest. Nota illud *omninò*, nota singula.

Mors duplex.

Gratia est vita.

An præstet non esse, quàm in inferno esse.

Hinc

An infantes sine baptismo decedentes condemnentur? Hinc infertur Corollarium certissimum, nimirum infantes sine baptismo discedentes cruciatibus æternis non addici: & suadetur sequenti Syllogismo. Meliùs est homini non esse, quam gehennæ ignibus damnatum esse; meliùs est parvulis sine baptismo vitâ functis esse quam non esse: ergò non sunt damnati tali pœnâ. Consequentia est legitima. Major est expressa Bernardi in hoc Sermone: & minor Augustini. (*Non dico parvulos sine Christi baptismate morientes tantâ pœna esse plectendos, ut eis non nasci potiùs expediret. . . . . Quis dubitaverit parvulos in damnatione omnium levissima futuros, qua quibus, & quanta erit, quamvis definire non possim, non tamen audeo dicere, quod eis ut nulli essent, quam ut ibi essent, potius expediret.* Ita Hipponens. Præsul. libr. 5. contrà Julianum cap. 8. aliàs 11.)

TEXTUS.

De Libero Arbitrio.

MCCCC LXXXVII. (36) NOn mediocris tamen Animæ dignitas præsenti disputatione comperta est, quæ geminâ quâdam vicinitate Naturæ, Verbo appropiare videtur, Simplicitate essentiæ & Perpetuitate Vitæ. (37) Sed enim adhuc occurrit quòd minimè præteribo: Nec enim minùs insignem similemve minùs Verbo Animam facit, sed fortè etiam plus Arbitrii Libertas hæc est: planè divinum quiddam præfulgens in Animâ tanquam gemma in auro. (38) Ex hac nempè inest illi inter bonum quidem & malum, nec non inter vitam & mortem, sed & nihilominus inter lucem & tenebras, & cognitio judicii, & optio eligendi: & si qua sunt alia quæ similiter circa animi habitum sese è regione respicere videantur. (39) Nihilominùs inter ipsa censorius quidam arbiter (is Animæ oculus) dijudicat & discernit: sicut Arbiter in discernendo, ita in eligendo Liber. Unde & liberum nominatur arbitrium, quod liceat versari in his pro arbitrio voluntatis. (40) Inde homo ad promerendum potis, omne etenim quod feceris bonum malumve, quod quidem non facere liberum sit, meritò ad meritum reputatur, & ut meritò laudatur non is tantùm qui potuit facere mala, & non fecit, sed & qui potuit non facere bona & fecit: ita malo non caret meritò, tam is qui potuit non facere mala & fecit; quam qui potuit facere bona, & non fecit.

Anima indivisibilis & immortalis.

Anima libera.

Explicatur quid sit liberum voluntatis arbitrium.

Observationes circa textum. Num. 37. *legebatur* & fortè, *exscripsi* sed fortè, *aliàs enim nulla esset particularum antithesis.*

Num. 36. *Sustine, si velis, vulgatorum exemplarium lectionem.* Quidam arbiter is, Animæ oculos (*intelligo cogitationes*) dijudicat & discernit. *Sed existimo debere parenthesin exprimi, & restitui,* oculos; *id enim videtur contextus postulare.*

Malum meritum quid? Num. 40. *Cur*, malo non caret merito? *deleo accentum, ut* malum-meritum *pro* demerito *poni dicatur.* Sed cùm *demeritum* etiam in bonam partem accipiatur, meliùs noster Author *malum-meritum* posuit, ne remaneret æquivocationi alicui locus. Imitatus est Augustinum *libr. 4. contra Julian. cap.* 8. ubi lego, *Nos autem cùm vitiata originis mala merita esse dicamus gratiâ dicimus intrare parvulum in regnum Dei.* imo Ecclesiam hebdomade sanctâ dicentem. *Concede nobis tuæ propitiationis effectum, ut sicut in passione suâ Dominus noster Iesus Christus utrique* (latroni & Judæ) *diversa intulit stipendia meritorum*, &c. Hanc etiam vocis acceptionem approbat Antistes eloquentiæ Lipsius *Centur. ad Italos Epist* 57.

Caramuelis Metalog. Lib. X.

ECTHESIS XVIII.

Arbitrii libertas diffinita, à contingentiâ secreta, in species divisa.

Abaylardi error. ETiam Bernardi tempore de libero arbitrio agebatur; id Deo & homini negavit Abaylardus. Asseruit Deum carere arbitrio libero, non quod coactus operaretur, sed quod necessariò; sublatâ enim bicorni indifferentiâ conceptus libertatis corruit. (Asseruit homines sine gratiâ merere non posse, & cum illâ non merere non posse; & interim ab omnibus dicitur humanam libertatem negasse; Ergò ex eorundem verissimâ sententia talis gratiâ proscriberet libertatem humanam.) Abaylardi discipuli infecissent Europam, ni Bernardus libello de Gratiâ & libero arbitrio & sermonibus in Cantica editis eorundem retudisset audaciam. Humana ergò libertas ad mentem Bernard. debet definiri, *Potentia, quæ positis omnibus ad operandum prærequisitis, cum operari potest, (imò & cum de facto operatur) tunc etiam ab intrinseco habet, quod possit non operari.*

Quid sit potentia libera?

Contingentia & indifferentia differentia.

Hæc indifferentia voluntatis debet à contingentiâ distingui. Contingentia enim dicit indeterminationem causæ ab intrinseco determinabilis. Undè naturalium causarum actiones, sicut & ipsæ causæ, *contingentes* dicuntur, non verò *indifferentes*; ab extrinseco enim habent quod possint non operari, imò & non esse; Deus enim non solùm potest earumdem actus impedire, sed & ipsas annihilare. At verò causæ indifferentes & liberæ possunt pro arbitrio & ab intrinseco ab operatione cessare.

Quotuplex sit indifferentia?

Indifferentia est Quintuplex. *Prima* contradictionis formalis; qualis inter volitionem & non volitionem versatur. *Secunda*, contradictionis objectivæ; qualis est inter Amorem operis & amorem omissionis. *Tertia*, contrarietatis formalis; qualis inter amorem & odium, volitionem & nolitionem. *Quarta*, contrarietatis objectivæ, qualis inter amores caloris & frigoris. *Vltima* dicitur analogiæ, & versatur inter hoc & illud medium respectu ejusdem finis. (Has omnes differentias cognovisse, admisisse, & docuisse Bernardum, vel invito Chemnitio contextus ipse qui exponitur, & aliæ parallelæ periodi, quas frequenter resumit, demonstrabunt.)

ECTHESIS XIX.

Indifferentia contradictionis formalis.

An potentia peccandi sit bona?

Cur data à Deo?

Indifferentiæ expositio.

BErnardum admisisse formalis contradictionis indifferentiam convincunt clarissimè sequentia testimonia. *Soli inter animantia*, ait libello de gratiâ & libero arbitrio, *datum est homini posse peccare, ob prærogativam liberi arbitrij. Datum autem non ut proinde peccaret, sed ut gloriosior inde appareret si non peccaret, cùm peccare posset.* (vide pulcherrimam actûs liberi definitionem. Tunc enim actum bonum liberè elicis, cùm ita non peccas ut peccare possis.) *Quid namque gloriosius ei esse poterat, quam si de ipso diceretur quod Scriptura perhibet dicens: Quis est hic & laudabimus eum? Vnde ita laudandus? Fecit enim mirabilia in vitâ suâ. Quæ? Qui potuit transgredi & non est transgressus: facere mala & non fecit. Hunc ergò honorem quamdiu absque peccato fuit, servavit; amisit cum peccavit. Peccavit autem quia liberum ei fuit. Nec aliunde profectò liberum, nisi ex libertate arbitrij, de quâ utique inerat eipossibilitas peccandi. Nec tamen fuit culpa dantis, sed abutentis; qui ipsam videlicet facultatem convertit in usum peccandi, quam acceperat ad gloriam non peccandi. Nam etsi peccavit ex posse quod accepit, non tamen quia potuit, sed quia voluit. Nec enim prævaricante diabolo & Angelis ejus etiam prævaricati sunt, non quia non potuerunt, sed quia noluerunt. Peccantis igitur lapsus, non dono adscribenda est potestatis, sed vitio voluntatis.* Omnes illi termini, *Non peccare & peccare, Transgredi & non transgredi, Absque peccato esse, & esse cum peccato, Vsus peccandi & gloria non peccandi*, opponuntur contradictoriè, & de actibus formalibus debent exponi; peccare enim & non peccare, consistit formaliter in voluntate.

D. Benedicti Regula proponitur, sed non imponitur.

Subjungam aliud testimonium ex capite 11. libri de præcepto & dispensatione, ubi inter alia notavi hæc verba. *Itaque, ut sentio Regula sancti Benedicti omni homini proponitur, imponitur nulli; . . . . quod autem in voluntate est suscipientis non in potestate proponentis, meritò dixerim, non necessarium.* Ecce voluntarium & liberum esse nobis ait, subesse Regulæ Benedictinæ, & inde probat, quod nullâ vi extrinsecâ cogi ad illam possimus, sed solùm dependere à nostræ libertatis arbitrio, quod illam suscipiamus aut non: undè prosequitur, *Attamen hoc ipsum quod dico voluntarium, si quis ex propria voluntate semel admiserit & promiserit deinceps tenendum, profectò in necessarium sibi ipse converterit, nec jam liberum habet dimittere, quod ante tamen non suscipere liberum habuit.* Verba tam clara sunt, ut nullo indigeant commentario. Necessitatem liberæ voluntati opponit, nec vult libertatem intelligere, ubi necessitatem. Professo religioso non est liberum jugum Regulæ, & hoc quia dimittere non potest: liberum fuit novitio, quia non suscipere potuit. Ergò cum vota emittit, id quod ipsi erat liberum; quia poterat acceptari & non acceptari, in necessarium convertitur, quia ita debet teneri, ut dimitti non possit: undè addit, *Ideò quod ex voluntate suscepit, ex necessitate jam tenebit.* Et probat, *Quia omninò necesse est eum* (sicut intelligenti est) *reddere vota sua, & ex ore suo aut condemnari aut justificari.*

An liberum in necessarium transire possit?

Hâc formalis contradictionis indifferentiâ præditam esse voluntatem docuerat Hipponensis Episcopus *libr. de spir. & lit. cap.* 31. ubi arbitrij potestatem ponit inter *velle & non velle*, & ideò ait, *Quid igitur ultra quærimus, quandoquidem hanc dicimus potestatem, ubi voluntati adjacet facultas faciendi? Vnde hoc quisque in potestate habere dicitur, Quod, si vult, facit; si non vult, non facit.*

Præter coactionem etiam necessitas opponitur libertati.

Ex *libr. 2. de actis cum Felice cap.* 5. ut ostendat arbitrij libertatem esse necessariò admittendam, docet non posse Hæreticos vel quatuor periodos texere, quin eam admittant; & probat ex Manichæi operibus, quia licet esset liberi arbitrij infensissimus hostis, in libro qui *Thesaurus* inscribitur, carpit aliquos, quod legem Dei servare noluerint. Hîc ergò ad Manichæum noster Author, *Vides*, ait, *in his verbis confirmatum esse etiam à nesciente quod loqueretur, Liberum arbitrium. Qui enim servare legem non vult, in potestate ejus est si velit.* Et ut ostendat hanc contradictionis indifferentiam ex contrarietate resultare (non enim datur pura omissio, ut suo loco videbimus) subjungit: *Non enim dixit, Non potuerunt* (imò nec *Non voluerunt*) *sed Noluerunt.* Ubi obiter notandum est Manichæos asseri negasse Liberum arbitrium, tametsi non docuerint humanam libertatem cogi; sufficiebat enim ut arbitrium negasse dicerentur, quòd assererent illam necessitari.

ECTHE-

ECTHESIS XX.

Indifferentia contrarietatis formalis.

MCCCCLXXXVIII Consensus & dissensus ut habet communis sententia, contrarij actus sunt, & nihilominùs voluntas est indifferens, ut eliciat alterutrum teste Bernardo, qui *Sola voluntas*, ait, *quoniam pro sua ingenita libertate, aut dissentire sibi, aut præter se in aliquo consentire nullâ vi, nullâ cogitur necessitate*, hoc est, nullâ violentiâ aut coactione, sicut nec ullâ indifferentiæ negatione impellitur aut determinatur.

Volebat in eodem tractatu S. Doctor ostendere vera esse Isaiæ 52. verba, quibus asseritur Christus Dominus oblatus, quia voluit, sicut & cùm voluit, natus ex muliere factus sub lege, ... & fuisse sub lege miseriæ, quia voluit; hoc est, liberè fuisse natus, liberè traditus, liberè oblatus, liberè miser: ut, inquam, hoc probet; assumit hanc periodum, *Porrò & à miseriâ, quæ est pœna peccati* (Christus) *nihilominùs libertatem, sed potentiâ, non actu* (hoc est, *poterat ab intrinseco liberari*) *nemo quippè tollebat animam ejus ab eo, sed ipse ponebat eam.* Ergò teste Bernardo ideò dicendus est Christus liberè passus esse mortem, passionem, & reliquas vitæ miserias, quod illas voluerit pati, cùm nolle potuisset, & se ab illis, illas nolendo, liberare. *Libr. de gratia & libero arbitrio cap. 3.* voluntatem humanam esse suarum operationum dominam & prædıtam arbitrio libero docuerat etiam Augustinus; dixerat enim. *Utique cui dicitur, Noli vinci, arbitrium procul dubio voluntatis ejus convenitur: velle enim & nolle propriè voluntatis est.*

Christus natus & passus liberè est.

Suppono professionem & devotionem esse actus formales voluntatis, quibus nos Deo devovemus, & ejus profitemur militiam: & transeo ad Augustini soliloquia, *ultimo enim capite libri 1.* sic ait. *Noli esse velle quasi proprium & in tuâ potestate, sed ejus clementissimi & utilissimi domini te servum profitero.*

Et *serm. 44. de divers. cap. 28.* nobis esse liberum docet, vel nolle subesse jugo vel velle: inquit enim, *Quid est; erit autem cùm deposueris & solveris jugum de collo tuo? Liberum tibi est, si volueris converti.*

Et *libr. 1. de Nuptiis cap. 6.* ex eâdem contrarietatis indifferentiâ probat humanam libertatem: *Exspectatur, ut ea velut sui juris, id est, sui arbitrij libido commoveat; & aliquando hoc facit animo volente, cum aliquando faciat & nolente.*

Et *libr. 5. de Civit. cap. 10.* dilucidè, *Si necessitas nostra, ait illa dicenda est, quæ non est in nostrâ potestate; sed etiam si nolumus efficit quod potest, sicut est necessitas mortis; manifestam est voluntates nostras quibus rectè vel perperam vivitur, non esse in nostra potestate: multa enim facimus, quæ si nollemus, non utique faceremus. Quo primitùs pertinet ipsum* VELLE, *nam si* VOLUMUS *est, si* NOLUMUS *non est: non enim* VELLEMUS *si* NOLLEMUS...

Et ibidem. *Sunt igitur nostræ voluntates; & ipsæ faciunt quidquid volendo facimus, quod non fieret si nollemus.*

Et *libr. 16 de Trinit. cap. 20.* examinaturus, An Pater æternus liberè produxerit filium? interrogat, *Produxerit ne volens an nolens? Nolle enim & Velle* sunt actus libertatis. Eodem modo proponit eandem quæstionem Epiphanius in Anchorato, & hæresi sexagesimâ-nonâ, sed respondens agit de libertate contradictionis; notavi hæc verba. Οὔτε θέλων ἐγέννησεν, οὔτε μὴ θέλων, ἀλλ' ἐν τῇ ὑπὲρ βουλὴν φύσει. *Neque* VOLENS *genuit, neque* NON-VOLENS: *sed in natura quæ præter consilium* (hoc est, *præcisivè distincta à consilio*) *est.*

An processio Verbi æterni sit libera?

ECTHESIS XXI.

Indifferentia contradictionis Objectiva.

Indifferentia ad bonum & malum ægroti arbitrij indicium est, quia nec beati, utpotè æternùm-sani, in cœlo mala facere possunt, nec æternum-mortui ad bonum respirare in inferno. Boni autem & mali oppositio qualis est; contraria-nè an contradictoria? Utramque probabiliter defendi solet. sed malo omnia positiva, bona dicere; & omnia privativa, mala. nec ideò censendus ero negare actus indifferentes, quia non quæcumque carentia bonitatis debet dici malitia, sed carentia bonitatis debitæ, unde malitiam non in negatione sed in privatione aut potiùs defectu morali constitutam esse defendo. Indifferentiam ad bonum & malum viatoribus Bernardus concedit, & ut ego explico indifferentiam contradictionis objectivæ. Considera hæc verba ex libello de Gratiâ desumpta. *Est verò ratio data voluntati, ut instruat illam, non destruat: destrueret autem, si necessitatem* (hoc est *carentiam indifferentiæ*) *imponeret; quominùs liberè pro arbitrio sese volveret, sive in malum consentiens appetitui, ... sive ad bonum gratiam sequens.* Et iterum, *Si, inquam, horum* (nempè *boni & mali*) *quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, voluntas* (libera) *jam non esset, ubi enim necessitas* (id est, *carentia indifferentiæ*) *jam non voluntas* (nimirùm de quâ agimus, scilicet *Libera.*)

Indifferentia ad peccandum non est de essentiâ libertatis.

An malitia consistat in positivo?

An dentur actus indifferentes?

Videtur hîc Bernardus nequidem velle nomê voluntatis adscribere voluntati non liberæ.

Lego etiam post pauca; *Cujus voluntati consensus* (*utique voluntarius non necessarius*) *dum aut justos probat aut injustos* (hoc est, *dum justa aut injusta*, sive quod idem est, *bona vel mala approbat*) *etiam meritò beatos facit vel miseros.* Ubi præter indifferentiam contradictionis objectivæ expressam illis verbis *justos injustos, beatos miseros*, reperio meum Bernardum pulchrè distinguere inter actiones voluntatis, & voluntarias. *Operatio voluntatis* dicitur quæcumque à voluntate oritur, libera sit aut necessaria: *Voluntaria* autem illa sola, quæ à voluntate elicitur cum indifferentiâ, hoc est, sine necessitate.

Interim non omnis actus voluntatis est voluntarius.

Et paulò post. *Sola ergo voluntas ...... non immeritò justam vel injustam beatitudine seu miseriâ dignam*

dignam ac capacem creaturam constituit; prout scilicet justitiæ injustitiæve consenserit. Consentire justitiæ & consentire injustitiæ sunt actus positivi voluntatis formaliter symboli (est enim uterque consensus) sed contradictorii objectivè (quia sunt de objectis oppositis contradictoriè.)

Et statim, *Libertas à necessitate (seu à carentiâ indifferentiæ) æquè & indifferenter Deo, universaque tam mala quàm bona rationali convenit creaturæ. ... Quomodo namque ad bonum conversum ..., sic sponte devolutum in malum* &c.

Unde liberum arbitrium dicatur?

Et deinde. *Cùm bonum volunt ..... cùm malum; ..... utrobique voluntas, & ubique libertas, cedit siquidem voluntati necessitas. Ex hac ergò tantùm libertate, quâ liberum est voluntati seipsam judicare, vel bonam si bono, vel malam si malo consenserit, quippe quæ in neutro, nisi certè volendo, consentire se sentit, liberum arbitrium credimus nominari.*

Et iterum. *Quatenus nonnisi suâ voluntate aut mala fieret & jure damnaretur, aut bona maneret & meritò salvaretur.*

Hanc eandem doctrinam confirmant verba illa fortissima, quæ dilucidamus. *Liberum nominatur arbitrium*, ait Bernardus, & si inquisieris, Cur? respondet, *quòd liceat versari in his* (hoc est, in unâ aut altera contradictionis parte) *pro arbitrio voluntatis. Inde homo ad promerendum potis. Omne etenim quod fecerit bonum malumve, quod quidem non facere liberum fuit, meritò ad meritum reputatur. Et ut meritò laudatur non is tantùm qui potuit facere mala & non fecit; sed & qui potuit non facere bona & fecit; ita malo non caret meritò* (id est, non caret demeritu; bonum meritum enim attribuit charitati; malum, culpæ) *tam is qui potuit non facere mala & fecit, quam qui potuit facere bona & non fecit.* Ecce, via est periodus, in qua non exponatur voluntas potens ad terminos contradictorios.

Explicatur libertas.

An possit libertas humana demonstrari?

Ex hâc contradictionis objectivæ indifferentiâ Augustinus *libr. de grat. & libr. arbit. cap.* 2. probavit dari libertatem. *Ubi ad aliquid*, ait, *faciendum vel non faciendum in divinis monitis opus voluntatis exigitur, satis demonstratur liberum arbitrium.* Voluntas faciendi & voluntas non faciendi, cum volitiones sint, non opponuntur formaliter sed objectivè, respiciunt enim contradictorios terminos; nimirùm, *facere & non facere.*

Quid sit actio libera?

Et *libr. de duabus animabus cap.* 10. actum liberum per hujusmodi indifferentiam definit. *Est*, ait, *animi motus cogente nullo ad aliquid vel admittendum vel adipiscendum.* verbis illis *cogente nullo* actum liberum non posse esse violentum aut ab extrinseco declarat; verbis sequentibus indifferentiam, quæ versatur inter *velle non admittere*, & *velle admittere*, adjungit tanquam formam constitutivam libertatis. (Aliqua exemplaria legunt *vel non admittendum*, restituo *non admittendum*, ut sensus clarior & perfectior evadat.)

Quid sit peccatum? Quid contritio?

Et *libr. de morib. Eccl. cap.* 12. supponit culpam esse actum voluntatis quo volumus non subesse Deo, sed ipsi esse moraliter æquales: definit contritionem esse ejusdem voluntatis actum, quo volumus subesse Deo & omnem modalem æqualitatem, quam spiritus superbiæ suggerit, prudenter detestamur; & ut explicet liberi arbitrij vires, comparat peccatum contritioni (actus sunt inter quos versatur indifferentia contradictionis objectivæ) & ait, *Dilectione ergò redit ad Deum, quâ se illi non componere, sed supponere affectat.*

ECTHESIS XXII.

Indifferentia contrarietatis objectiva.

SI ratio formalis malitiæ positiva sit, non jam contradictoriè, sed contrariè opponetur morali bonitati, & fortè omnia quæ hactenus ut contradictionis objectivæ indifferentiam exponebamus, possent huc revocari. Certè dùm positâ malitiæ & bonitatis contradictoria oppositione, adhuc dicendum est contrariè virtutibus vitia obversari. Habet homo Bernardo teste indifferentiam, ut vel virtutes pro equitu, vel vitia. dabo formalia verba. *Inter quem utique Dei invitum spiritum, & carnis appetitum*, ait in eodem Arbitrio & Gratiæ libello, *tenet medium quemdam locum id quod dicitur in homine liberum arbitrium id est, humana voluntas; & tanquam in devexo latere montis admodum arduæ inter utrumque pendula, ita appetitu infirmatur per carnem, ut nisi sedulò spiritus adjuvet infirmitatem ejus per gratiam non solùm non valeat justitiæ (quæ est juxta Prophetam, sicut Montes Dei) ascendendo de virtute in virtutem ad præcludere culmen, sed etiam de vitio semper in vitium suo pondere devolutæ in præceps; prægravata nimirùm non solùm lege peccati* (vicietur legem peccati dicere fomitem, quem perpetuò constringimus) *originaliter membris insita, verùm & consuetudine terrenæ inhabitationis usualiter affectionibus insolitâ.* MCCCLXXXIX.

Quo modo opponantur malitia & bonitas?

Quo modo virtutes & vitia?

Concupiscentia vires.

Multa docet nos Vir Sapiens periodo brevi. *Primò*, Deum nec concurrere nec prædeterminare voluntatem ad materiale peccati, sed ipsam à concupiscentiâ & fomite ita aggravari, ut infallibile sit inficiendam peccato esse, nisi Dei gratiâ protegatur. Quod pulchrè & radicitus exponit illud simile de homine in latere montis pendente: qui quidem non indiget auxiliis ut ruat, indiget ut ad culmen adscendat.

An Deus prædeterminet ad materiale peccati?

Secundò, Voluntatem in arbitrij præcipitio positam, si destitueretur gratiâ, non posse per actus meritorios de virtute in virtutem adscendere. Consultò *si destitueretur* dixi, non *si destituitur*, ut ostendam malè negari omnia auxilia sufficientia, quia nullo tempore à Deo ita deserimur, ut non habeamus gratiam sufficientem ut possimus obligatoriis præceptis satisfacere.

An dentur & an semper dentur auxilia sufficientia?

Tertiò, Manifestè declarat S. Doctor, liberum arbitrium sine duobus extremis & indifferentia ad utrumque exponi non posse: noto illud *inter utrumque pendens*, non liberum arbitrium diceretur, quod tantùm alterutri extremo cognitu insisteret, quia ut actus liber evadat,

Determinatio ad unum opponitur libertati.

evadat debent cognosci duo bona, inter quæ medium liberum arbitrium pendeat, & ab intrinseco se movens eligat alterum, & alterum rejiciat.

ECTHESIS XXIII.

Indifferentia analogia obiectiva.

Quomodo negaverit Christum Petrus?

MOri & *Negare Christum* nec opponuntur contrariè, nec contradictoriè: habuerunt tamen analogiam & connectionem cum Petrus voluit Christum negare, quia mori pro ejus confessione nolebat. Ecce Petrus liber in negatione fuit qui ita Christum negavit ut non negare potuerit, imò & non negasset si mori pro Christo voluisset. Producam verba mei Bernardi, ex quibus non solùm hæc doctrina, sed & fundamentales ejus Theses confirmabuntur. *Veniat in medium*, ait, *Petrus Apostolus*: veniat igitur, per nos stat. Sed cur ille advocatur? *Ipse quippe visus est negare veritatem contra propriam voluntatem: siquidem aut negare aut mori necesse erat.* Considera, quæso, hoc dilemma. Errat ergò Chemnitius, errant ejus discipuli, qui cacologiam & vocum abusum huic eruditissimo Doctori imponunt. *Necesse erat*, ait Bernardus; an standum castigationi Chemnitianæ & legendum, *coactus erat*? minimè, ni fortè iterum voces confundas & *coactionis* nominè intelligas *necessitatem*. Necesse erat Petro aut mori aut negare Magistrum, quia impossibile ipsi erat illo tempore evadere quin faceret alterutrum. Ecce ideò illud necessarium dicitur, cujus oppositum impossibile. Et quia utrumque omittere erat impossibile, & alterutrum facere erat necessarium, ideò Petrus liber fuisse non dicitur ut utrumque omitteret, sed ut alterutrum; poterat enim liberè & cum indifferentiâ eligere aut mori, ne negaret Christum; aut hunc negare, ne à Prætorianis militibus occideretur.

Hæretici corrumpûto libros, cùm se corrigere asseverant.

Hæc est communissima arbitrij indifferentia, & ab Augustino sæpè exposita, & à recentioribus pulchris commentariis illustrata. Hanc debere admitti, aut negari liberum arbitrium docuit Melanchton *in locis Theologicis Wittenbergæ editis*; *De viribus hominis & libero arbitrio*: ubi sic exponit libertatem. *Est autem libertas, posse agere & non agere; posse sic aut aliter agere.* Cùmque talem indifferentiam dedignaretur admittere, negavit arbitrij libertatem. Sanè *agere & non agere* in actibus imperatis, libertatem contradictionis objectivæ constituunt; *velle* autem *agere*, & *velle aliter agere* actus sunt eliciti cum indifferentiâ objectivâ analogâ; quia *agere sic*, & *agere aliter*, nec opponuntur contrariè neque contradictoriè.

Plurimi Hæretici liberum arbitrium benè exponunt; malè requirunt.

Ex hâc anologiæ indifferentiâ Augustinus *lib. de grat. & lib. arbit. cap 2.* cùm ait, *Nempe ubi dicitur, Noli hoc, Noli illud, ... satis liberum demonstratur arbitrium.*

T E X T U S.

De brutorum indifferentiâ.

MCCCCXC. (41) UBi autem non est libertas, nec meritum. Propterea quæ sunt carentia ratione animalia nihil merentur; quia sicut deliberatione, ita & libertate carent. (42) Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu, neque enim judicium habent quo se dijudicent sive regant, sed ne instrumentum quidem judicii, id est, Rationem: inde est quod non judicantur, quia non judicant. Quanam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt? (43) Hanc vim à natura solus homo non patitur, & ideò solus inter animantia liber.

Animalia irrationalia non sunt libera.

Potentia animæ sunt instrumenta & operantur ut quo.

An bruta habeant indifferentiam materialem?

An Deus & Angeli sint liberi?

Materialem indifferentiam brutis attribuunt Scriptores non pauci; præcipui sunt Petrus Arrubal in Codicibus manuscriptis, *Molina* in Concordia, *Victoria, & alij; quos exponit & sequitur Ioann. Eusob. Nierembergius* de Historiarum natur. libro 5. cap. 26. *Negarunt indifferentiam Homini & Angelo Lutherus & Calvinus, ipsi Deo Abaylardus: sed inter duas extremas sententias mediam eligimus, ut Bernardum sequamur: quòd si declinare contingat, generosiùs est naturem materialem extollere, quam deprimere spiritualem. Faciliùs me habebis comitem, qui indifferentiam in brutis, pueris, & phreneticis aliqualem intendis, (nempe circa objecta purè materialia; non enim moralia, spiritualia, aut supernaturalia possunt ab iis cognosci) quàm qui divinitùs concessam homini, aliquo sensu verò & reali remittas.*

ECTHESIS XXIV.

Bruta omnia indifferentia carent.

ANimantes objecta purè materialia cognoscere, non tamen apprebensione determinari, sed non minùs ipsas quàm hominem pollere indifferentiâ; electurasque fuisse etiam inter moralia & spiritualia objecta, si illa cognoscerent, docet opinio, quam Bernardus proscribit; cui subscribentes judicamus bruta carere indifferentiâ, non tamen contingentiâ;

Resolutio. ambiguitas enim, quæ suboritur ex contingentiâ non determinatur intrinsecùs ab ipso appetitu, sed extrinsecùs ab apprehensione objecti.

An denique actus morales boni sine gratiâ? Bruta non elicere actus moraliter bonos universi cum Bernardo affirmamus; Non tamen universi causam veram exponunt. Alii qui ad gratiæ negationem recurrunt; & perperam: Nam sine gratiâ fieri possunt actus morales boni intra limites ordinis naturalis. Alij ad deliberationem; & ineptiùs: qui enim brutis indifferentiam concedunt, nec electionem nec deliberationem erga objecta purè materialia negabunt. Sed nostra Schola duas rationes adsumit ex Bernardo, ut hanc Thesin confirmet. Primam à Ratione, alteram ab Arbitrio. *Cur bruta non habeant mores bonos nec malos?* Bruta enim tametsi essent indifferentiâ prædita, moraliter operari non possent, non enim cognoscerent regulas morum, quas tenerentur observare, & hoc Rationis defectu: nam cùm bonitas & malitia moralis sensu percipi nequeant, a brutis cognosci non possunt. Undè Mellifluus Doctor num. 41. *Neque enim* (bruta) *judicium habent, quo se dijudicent sive regant; sed nec instrumentum quidem judicij, id est, Rationem. Inde est quod non judicantur, quia non judicant.* Item eadem tametsi intellectu prædita fingerentur, moraliter operari non possent defectu indifferentiæ; quia ut num. 40. noster Doctor asserit, *Inde homo ad promerendum potis*, & ut num. 41. resumit, *Propterea* (bruta) *nihil merentur, quia sicut deliberatione ita & libertate carent. Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu.*

TEXTUS.

Liberum arbitrium non cogi.

MCCCCXCI. (44) HAnc vim à natura solus homo non patitur, & ideò solus inter animantia Liber: & tamen interveniente peccato patitur quandam vim & ipse, sed à voluntate, non à natura, ut ne sic quidem ingenita libertate privetur: quod enim voluntarium, & liberum. (45) Et quidem peccato factum est, ut corpus, quod corrumpitur, aggravet animam (*Sapient.* 9.) sed amore, non mole. (46) Nam quod surgere anima per se jam non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causâ est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens & jacens, amorem pariter justitiæ non admittit. (47) Ita nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas peccato quidem in deteriùs mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem, nec voluntas cum sit illecta excludere necessitatem: est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria. (48) Est favorabilis vis quædam premendo blandiens, & blandiendo premens, undè sese rea voluntas, ubi semel peccato consenserit, nec excutere jam per se, nec excusare tamen ullatenus de ratione queat. (49) Indè querula illa vox veluti gementis sub onere necessitatis hujus: *Domine*, inquit, *vim patior, responde pro me.* Sed rursus sciens quod non justè causaretur adversus dominum, cùm voluntas sua ipsius potiùs in causa foret, attende quid secutus intulerit: *Quid dicam, aut quid respondebit mihi, cùm ipse fecerim?* (50) Premebatur jugo, non alio tamen quam voluntariæ cujusdam servitutis: & erat pro servitute quidem miserabilis, sed pro voluntate inexcusabilis. (51) Voluntas enim est, quæ se cum esset libera servam fecit peccati peccato assentiendo: voluntas nihilominùs est, quæ se sub peccato tenet voluntariè serviendo. (52) Vide quid dicas, ait aliquis mihi, tunè voluntarium dicis, quod jam necessarium constat esse? verum quidem est, quod voluntas seipsam addixerit, sed non ipsa se retinet, magis retinetur & nolens. (53) Benè hoc saltem das, quia retinetur, sed vigilanter retine voluntatem esse quam retineri fateris. Itaque voluntatem nolentem dicis? non utique voluntas retinetur non volens. Voluntas enim volentis est, non nolentis; quod si volens retinetur, ipsa se retinet.

Omne voluntarium est liberũ: non tamen omnis actus voluntatis est voluntarius.

An detur coactio liberi?

Homo in peccatum lapsus sine gratiâ resurgere non potest.

An detur voluntaria necessitas?

Esaias 38. 15.

Voluntas retenta in peccato ipsa se retinet.

Variæ lectiones. Num. 44. *Exemplar, quo utebatur Calvinus, habebat* inter animalia liber, *constat ex eodem institutione lib. 2. sed quia omnia nostra* inter animantia, *legunt, vulgatam lectionem retinemus.*

Num. 48. *Exemplaria impressa.* Voluntas ubi semel peccato consenserit, *Manuscripta*, ubi semel peccato consenserit. *Est certo certius hanc ultimam lectionem retinendam esse. hunc enim dicendi modum sæpissimè resumit S. Doctor.*

Num. 52. *Malè legitur assertivè*, Tunc voluntarium dicis, *cùm interrogativè deberet*, Tunè voluntarium &c.

Obtruncat periodos Bernardi Calvinus.

Calvinus Institutionum libr. II. cap. II. citat hæc verba; *Solus homo inter animalia liber: & tamen interveniente peccato patitur quandam vim & ipse, sed à voluntate non à naturâ, ut ne sic quidem ingenitâ libertate privetur.* desumpsit ex hujus Sermonis num. 44. vitiat tamen obtruncando, & nihilominùs intentum convincere non potest. Solum hominem inter animalia liberum docet Bernardus, sed undè id colligit? ex eo, quod illa careant indifferentiâ, quâ homo præditus est. De illis dixerat, num. 42. *Sensu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu*, ideòque illa carere libertate concludit. Ergò Bernardo teste, siquidem solus homo est inter animalia liber, ipse non agitur sensu, non fertur impetu, appetitu non rapitur, ut delirat Calvinus; sed cùm sensus adlicit, turbat passionum impetus, adtrahit appetitus, potest deliberare, & sensuum lenociniis, passionum motibus, necnon violentiis appetitûs resistere. Præterea verba, quæ in citato Bernardi testimonio sequuntur, coactionem & violentiam probant, non necessitatem; violentiam quidem quam voluntas non ab agente extrinseco, non ab ipsâ animæ naturâ, sed à seipsâ, ut ipsemet Doctor exponit, aliquando patitur: Igitur cùm Bernardus nullam necessitatem voluntati attribuat, & Calvinus voluntatem necessitari à divinis auxiliis contendat, conciliari non possunt.

Dissentit Calvinus à Bernardo.

Libera necessitas non tollit Animæ libertatem.

Citat posteà numer. 47. *Ita, nescio quo pravo & miro modo ipsa sibi voluntas, peccato quidem in deterius mutata, necessitatem facit, ut nec necessitas, cùm voluntaria sit, excusare valeat voluntatem: nec voluntas cùm sit illecta, excludere necessitatem. Est enim necessitas hæc quodammodo voluntaria.* Ideò doceri velim, quid in his verbis repererit Calvinus, quod arbitrij indifferentiæ repugnaret. Necessitatem quidem voluntas patitur, sed quam ipsa liberè facit, ita nimirùm ut non facere posset. Nemo autem negavit arbitrio voluntarias & liberas necessitates, quia liberè se potest determinare uno actu ad alium eliciendum; quorum actuum secundus necessariò ex priore, qui supponitur liber esse, nascatur. Vide Ecthesin XXVIII.

Necessitatem à se creata excusat.

Addit *nos premi jugo, non alio tamen quàm voluntariæ cujusdam servitutis, ideò pro servitute esse miserabiles, & pro voluntate inexcusabiles: quia voluntas, cùm libera esset, servam se peccati fecit.* Verba quidem Bernardi sunt, desumpta ex numero 50. verba autem sunt satis clara ex contextu: voluntas enim peccando servam se *fecit*, imò & ut num. 55. Bernardus noster loquitur, peccatum non detestando *facit*. liberè in statum servitutis incidit, liberè remanet, liberè gratiâ caret; sed ex hypothesi quod careat gratia, necessarium est quod violet præcepta amoris supernaturalis: estque misera propter servitutem & peccandi necessitatem, inexcusabilis tamen, quia ipsamet fecit, & facit istam necessitatem: fecit quando deliquit: facit, quamdiu non resipiscit; semper enim resipiscere potest.

Subjungit etiam verba præmissis symbola ex numero 60. discerpta, quæ eodem modo quo præcedentia exponi debent.

Augustinus etiam Calvino teste omnibus Patribus consentaneus.

Hinc constat ineptissimè concludere Calvinum his verbis: *Hinc certè cognoscant Lectores nihil me novum asserere (nisi) quod olim ex piorum omnium consensu prodidit Augustinus, & mille ferè annis posteà in claustris Monachorum retentum fuit.* Omnia enim quæ docet, in nostrâ Religione sunt nova, & cùm ea ab Augustino affirmat esse prodita, prodit S. Doctorem, prodit Bernardum, prodit etiam illos pientissimos & doctissimos Monachos, quos annis ferè mille asserit veram doctrinam propugnasse. Et Ego ex Assertione Calvini hanc verissimam rationem infero: [Augustinus didicit à Majoribus suis veram doctrinam; hanc eamdem Monachi in claustris suis ab annis mille vel ferè retinuerunt: At verò nec Augustinus olim, nec post eum Monachi doctrinam Calvini tenuerunt, sed contrariam: Ergo Calvini doctrina toti Ecclesiæ opponitur, & non est bona.]

ECTHESIS XXV.

Coactio alia formalis, alia objectiva: utram patiamur?

Quid sit coactio?

Coactio seu violentia motus est ab extrinseco passo non conferente vim, ac proptereà vitales actus, qui intrinsecè ab intrinseco sunt, violentiam adæquatam formalem nequeunt pati, quia nequeunt ab extrinseco agente produci: possunt objectivam, quia ipsis non-volentibus, imò & renitentibus potest homo in corpore, potest in animo, potest in potentiis, imò & in ipsâmet voluntate damna & jacturam pati. Hujus objectivæ violentiæ causa est sensuum & potentiarum deordinatio; auditus enim tuus verbi gratiâ non audit, quæ illi audienda voluntas tua indicit; sed præter, imò non rarò contra voluntatem, quidquid clarè dicatur audies tametsi nolens. Auditio igitur illa, quæ contra voluntatis desiderium elicitur, vim voluntati infert; vim inquam objectivam non formalem; est enim, vel invitâ ipsâmet voluntate. Hæc vis evidentiùs percipitur in brutis; ipsa enim sæpè sentiunt contra appetitum, & sæpissimè præter appetitum. Auditio præter appetitum, est mutatio extrinseca voluntati, hac non conferente vim; dolor verò & quæcumque sensatio contra appetitum fiat, erit mutatio similiter voluntati extrinseca, ipsâ non solùm non conferente vim, sed & repugnante. Et utraque mutatio est contra exigentiam appetitûs; cujus ingenium postulat, ut nihil fiat in animali præter ejus decretum, nihil contra. Exorbitantiæ enim & inordinationes sensuum oriuntur ex ejusdem appetitûs inordinatione, & hæc in homine est morbus ex peccato relictus.

Violentia objectiva.

Sensatio est triplex secundum, præter, & contra voluntatem.

Has

Coactio activa & passiva.

Has duas liberæ coactionis species pulchrè dilucidat & expendit Bernardus in libello de gratiâ & arbitrio. *Est sanè*, ioquit, *gemina compulsio* (id est *coactio*) *secundum quàm aut pati aliquid, aut agere contra propriam cogimur voluntatem. Quarum passiva quidem (sic enim prior illa rectè nominatur) potest nonnunquam fieri absque consensu voluntario patientis* (imò & contra consensum, àdeòque dici potest *Adæquata coactio: sed activa nunquam.*) (Ratio est, quia cùm volumus inviti, volumus volente & consentiente alterâ voluntate, ut Ecthesi sequenti videbitur.) *Proinde malum quod fit in nobis, sive de nobis, non est imputandum nobis, si tamen* (adæquatè) *invitis. Cæterùm, quod fit a nobis* (tametsi invitis) *jam non sine culpâ est voluntatis: velle quippe convincimur, quod non fieret si nollemus.* [Nam negatio illa Petri tametsi inviti, utpote Christum diligentis, non fuit sine culpâ voluntatis: voluisse enim liberè negare Dominum Petrus convincitur, quem non negasset, si noluisset.] *Est ergò* (præter passivam) *compulsio quæ iam etiam activa, sed non habet excusationem cum sit & voluntaria* (hoc est, à voluntate liberè elicita.)

ECTHESIS XXVI.

Libera voluntatis coactio in operando.

MCCCCXCII. *Explicatur.*

IN operando etiam violentiam ipsa voluntas potest pati; sed à seipsâ: potest enim Homo aliquid contra decretum velle, & sic voluntati & resolutioni priori vim inferre, non tamen sine voluntate. Undè benè hic Bernardus: *Interveniente peccato patitur quandam vim & ipse* (Homo) *sed à voluntate, non à naturâ: ut ne sic quidem ingenitâ libertate privetur.* Hoc experimur, quotiescumque dantur in voluntate duo decreta de objectis ob accidens aliquod incomponibilibus. Mercator naufragans, & vult vitam conservare, & vult opes; sed quia utrumque non potest, constituitur in bivio, ut alteri voluntati subscribens, vim inferat alteri voluntati. Nam cùm opes in Pelagus procellosum profundit, decreto de vitâ conservandâ obtemperat, & decreto de retinendis opibus resistit, ac propterea volens, & lubens in causâ est, ut voluntas violentiam & coactionem patiatur.

Exemplum primum.

Hanc doctrinam noster Doctor pulchrè & solidè in libello de Gratiâ expendit, introducens Petrum Christi confessionem & propriam vitam diligentem. Cùm Prætorianis interesset, aut erat vita perdenda, aut Magister negandus. Si Christum Dominum fuisset professus, inferret generosè violentiam vivendi desiderio; sed quia negavit pusillanimis, dum vitæ amori acquiescit, Christi amori vim intulit; liberè tamen.

Exemplum alterum.

Hac igitur doctrinâ præmissâ formalia verba subjungamus. *Quid ergò? fortè dissoluta est tota superior Assertio de libertate voluntatis* (nempe illa quæ docet voluntatem nec cogi posse, nec necessitari) *quia nimirum inventa est cogi potuisse voluntas.* Et respondet: Est planè (dissoluta illa Assertio) sed si cogi ab alio potuit quàm à seipsâ. *Quod si seipsam coëgit, compulsa & compellens, ubi amittere, ibi recipere visa est libertatem; vim quippe, quam ipsa sibi intulit, à se pertulit. Porrò quod à se voluntas pertulit, ex voluntate fuit: quod ex voluntate fuit non jam ex necessitate sed voluntarium. Si autem voluntarium, & liberum.* Ergò ad mentem D. Bernardi *Non necessarium* & *voluntarium* convertuntur: & Petri Deum negantis voluntas debet dici coacta, sed à seipsâ: nam illud Petri decretum de conservandâ vitâ, ut medium proportionatum negationem liberè adhibuit, vel invito alio decreto de Christi amicitiâ & fide conservandâ.

Voluntas compelli potest à se ipsâ.

ECTHESIS XXVII.

Libera voluntatis coactio in recipiendo.

SOlet etiam voluntas in patiendo vim pati; nimirùm cùm patitur nolens. Liberum Animæ est peccare aut non peccare actualiter: ubi enim non est libertas, ibi nec peccatum nec meritum. Sed quæ volens & potens non labi, in abyssum mortiferi peccati incidit, sibi vim intulit, seseque reduxit ad tam arctam ignobilemque servitutem, ut non solùm debeat (si sibi relinquatur) ibi æternùm manere, sed ut debeat vel nolens. Unde noster Magister, num. 44. *Interveniente peccato*, ait, *patitur quandam vim & ipse* (nempè, quod vel nolens debitum pœnæ æternæ incurrat, & sine auxilio indebito non possit egredi vel volens) *sed à voluntate non à natura* (non enim naturaliter, sed liberè in statum servitutis incidit) *ut ne sic quidem ingenita libertate privetur.* Subjungit paulò inferiùs (*num.* 60.) agens de libertate à peccato, *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas; Ita Anima* (mortalis peccati labe infecta) *miro* (nam extraordinario) *quodam & malo modo sub hac voluntaria quadam & malè libera necessitate & ancilla tenetur & libera: ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem.* Et statim, *miser, sed liber. Liber, quia homo, miser, quia servus. Liber, quia similis Deo* (propter indifferentiam voluntatis) *miser, quia contrarius Deo* (propter peccati maculam, nec non vitæ & regulæ inæqualitatem, seu vitæ iniquitatem.) ergò S. Doctor simul necessitatem & libertatem in sensu composito contradictorio admittit, sed non respectu ejusdem. Voluntas in peccato languens, respectu novorum criminum libera est, potest enim ob eorumdem perpetrationem sibi-ipsi placere aut displicere. Sed quia remanere in illâ servitute, quousque liberetur divinitùs, necessarium est: voluntas enim non necessitatur, sed homo cogitur. Non necessitatur illa, quia statum servitutis necessariæ, quam subit, necess-

Statum peccati, nisi Deus hominem clementer eripiat, fidò viribus naturæ potest peteri necessarium & æternum est.

Quando Deus dat sua auxilia, si adhuc in peccato ille maneat, hæc ipsa in peccato manendi necessitas libera est.

neceſſariò non diligit, ſed liberè: cogitur ille careoriam gratiæ in viâ, & æteroas pœnas in inferno perpeti vel invitus, quamdiu impœnitens maneat.

ECTHESIS XXVIII.

Coactionis & Neceſſitatis collatio.

Quid ſit actio libera?

ACtum liberum diffinimus *vitalem operationem qua nec involuntaria ſit, nec coacta, nec violenta, nec neceſſaria, nec neceſſitata.* Haoc definitiooem adæquatam eſſe exiſtimamus, & has quinque immunitates ita eſſe oeceſſarias, ut ſi vel una deſit, libertatem arbitrij deficere oeceſſarium ſit.

Quid involuntaria?

Actus involuntarius eſt, motus indeliberatus, qui elicitur præter voluntatem, qualis ille qui ex conſuetudine inculpabili naſcitur, & omnem advertentiam prævenit.

Coactus non jam præter, ſed contra voluntatem elicitur; tales erant motus illi concupiſceotiæ, quos patiebatur etiam invitus D. Paulus, cùm dicebat, *Non enim quod volo bonum, hoc facio; ſed quod nolo malum, hoc ago;* adeòque invitus, & coactus, quia & nolens. Coactiooem verò probat dicens: *Si autem, quod nolo, illud facio; jam non ego operor illud, ſed quod habitat in me peccatum* (hoc eſt, *concupiſcentia.*) Videtur Ens-linguæ diſcurſus D. Pauli. Eſt hic: *Operor nolens; ergo non operor.* conſequentia tamen legitima eſt, quia in ordine morali, non-operationes cenſentur, omoes operationes coactæ, quia non-liberæ.

Quidquid potentia externa faciunt homine invito, non ſit ab homine moraliter.

Quid ſit violentia?

Violentia eſt motus ab extrinſeco, & accidit actibus tam involuntariis, quàm coactis. Si voluntas non conferat vim (hoc eſt, nullum poſitivum aſſenſum, aut diſſenſum) erit violeotia involuntaria; violentia autem coacta, ſeu coactio violenta, ſi voluntas diſſenſum poſitivè conferat. Homo autem ex vi violentiæ nunquam agit, ſed patitur.

Quid actio neceſſaria?

Actus neceſſarius ille dicitur, qui ab intrinſeco eſt determinatus ad unum; onde cauſa neceſſaria definietur, quæ poſitis omnibus ad operandum prærequiſitis, ab intrinſeco habet, quod ad unom ſit determinata. Inter cauſas neceſſarias ignem, calorem, lucem, & alias id genus enumera.

Et quid neceſſitata?

Actus neceſſitatus ille, qui ab extrinſeco eſt determinatus ad unum. Tales eſſent humani, ſi crearet Deus animam qualem Lutherus & Calvinus deſcribunt: tales de facto ſunt univerſæ animantes, quæ aſſerente Bernardo nu. 42. *Senſu aguntur, feruntur impetu, rapiuntur appetitu*, adeòque ab objectis ipſis extrinſecùs determinantur.

Hæ quinque voluntatis Humanæ infectiones, libertati opponuntur, oec in actu libero poterunt reperiri, niſi liberè ab ipsâ volantate admittantur; dantur enim liberæ coactiones, & liberæ oeceſſitates.

An neceſſarium ſit,

PRIMÒ, *Propoſito objecto voluntas neceſſariò eſt operatura alterutrum actum: nempe, aut actum amoris, aut hujus actûs omiſſionem, ſi dantur omiſſiones puræ: aut, ſi hæ non dantur, actum amoris, aut deteſtationis.* Sanè doctrinâ de omiſſione purâ graves difficultates involvit, à quibus libet ſuperſedere, & libertatem poſitivam ob oculos ponimus; & voluntariam operationem in volitionem & nolitionem, ut genus in ſpecies dividentes dicimus voluntatem Humanam ab objecti propoſitione neceſſitari quoad genua; at quoad ſpeciem (nimirùm ot potiùs amet quàm deteſtatur) omnimodam libertatem & indifferentiam habère. Bernardus de Gratiâ & libero arbitrio: *Si poterit homo aliquando, ait, aut nihil omninò velle, aut velle aliquid & non voluntate, poterit carere libertate voluntas.* Impoſſibile igitur eſt Hominem aliquid cognoſcere & nihil velle.

quod voluntas ſemper operetur liberè?

Nota benè.

Neceſſitas libera.

SECUNDÒ, *Actu libero poteſt voluntas ſe liberè neceſſitare.* Patet, quia intentio efficax finis liberè neceſſitat voluntatem, ut eligat aliquod medium conveniens; quod ſi non reperiat niſi unum, neceſſitat ut & illud eligat. Et tunc talis electio eſſet liberè-neceſſitata.

Neceſſitas in ſenſu compoſito.

TERTIÒ. *Voluntas quando operatur, neceſſitatur in ſenſu compoſito, ne ſimul actum & omiſſionem actûs, aut actum hunc & contrarium componat.* Præter hanc ſenſûs compoſiti contradictorij neceſſitatem voluntas aliam nullam in ſenſu diviſo aut compoſito patitur. Cootra Fauſtum lib. 2. cap. 5. Auguſtinus: *Et nos ſub fato Stellarum nullius Hominis geneſin ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo benè & malè vivitur propter juſtum judicium Dei, ab omni* [oota benè] *neceſſitatis vinculo liberemus.*

Neceſſitas quidditativa.

QUARTÒ. *Omnes actus liberi imbibunt neceſſitatem quiditativam, ſeu eſſentialem.* Quia ſicut eſt neceſſarium Hominem eſſe animal rationale, Leonem eſſe animal rugibile: ſic etiam, Neceſſarium eſt actum liberum eſſe liberum; hoc eſt, ita eſſe, ut poſſit non eſſe, ita elici ut poſſit non elici; ſic etiam Neceſſariom eſt actum oeceſſarium ita eſſe, ut nequeat non eſſe. Hæc neceſſitatis acceptio proderit Patres & Scholaſticos lecturo.

An potentia omnes coactionis paſſivæ ſint capaces?

QUINTÒ. *Nulla eſt potentia humana, quæ non poſſit pati violentiam tam involuntariâ, quàm invitâ ipſimet voluntate.* Patet, quia poteſt Deus in corporeis imò & in ſpiritualibus aliquid producere præter conſenſum, imò contra diſſenſum hominis. Puta, ſi ignem concupiſcentiæ Deus ad majus meritum excitaret, ut ſæpè feciſſe io Hiſtoriis Sanctorum legitur: aut, ſi cootradicente homine aliquam formalitatem produceret in ejus voluntate.

An & alia?

SEXTÒ. *Nulla eſt potentia, quæ non poſſit operari voluntate coactâ invitâ & renitente.* Oſtenditur, quia & ipſamet voluntas poteſt velle invita & nolens, ut vidimus Ecthesi XXVI. cùm de D. Petro Chriſtum Dominum amante & negante, & de Mercatore divitias amante & profundente agere-mus.

ECTHE-

ECTHESIS XXIX.

Arbitrij indifferentiam fide tenendam, necessitatem necessariò negandam.

MCCCC XCIII. Cōsiderent adversarij hæc verba.

DOctor ille, cui corporis puritas & ingenij sublimitas ANGELICI nomen dederunt in disputatis quæstione de malo, sub quæst. VI. de elect. art. unic. *Quidam posuerunt,* ait, *quòd voluntas hominis ex necessitate movetur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quòd voluntas cogeretur. Non enim omne necessarium est violentum...... Hæc autem opinio est hæretica. Tollit enim rationem meriti & demeriti..... Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate movemur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & punitio, & laus, & vituperium.*

Notent illam ista.

CALVINUS de arbitrio contra Pighium libr. 2. *Si coactioni opponatur libertas, liberum arbitrium esse & fateor, & constanter assevero, ut pro hæretico habeo, quisquis secus senserat.* Hanc fuisse Lutheri sententiam constat ex toto libro *de servo arbitrio*, ubi semper proscribit coactionem, & necessitatem admittit. Subscribunt Lutherani & Calviniani universi, tametsi plures etiam indifferentiam in rebus naturalibus, & purè moralibus admittant. Legatur Chemnitius in examine Tridentini Concilij Sess. VI. ERGO isti Novatores ei subscribunt sententiæ, quam Doctor Angelicus notâ Hæreseos inurit.

Delirant qui necessitatem cum libertate componūt.

Venerabilis Pater JOANNES BARNEWALLUS in Collegio Patrum Minorum Hibernorum strictæ Observantiæ ann. 1627. in Thesibus Reverendissimo D. D. BERNARDO CAMPMANS Dunensium Abbati dicatis, & jam sæpè recusis, hanc Calvini sententiam, non nisi *Delirium* appellat. *Manet ergo*, ait, *Liberum arbitrium in statu naturæ lapsæ: ad ejus tamen libertatem constituendam non sufficit libertas à coactione (ut delirat Calvinus) sed omninò requiritur libertas à necessitate*: & probat ex D. Augustino

JOANNES WIGGERS 1. 2. quæst 6. artic. 1. & 2. num. 6. *Hæretici hujus temporis, ut Calvinus, Lutherus, & alij, non agnoscunt in nobis libertatem ullam, quæ opponatur necessitati in operando; sed tantummodò quæ opponatur coactioni. Sed contra hos certâ fide tenendum est, in homine, etiam post lapsum, superesse naturalem facultatem liberam.... quæ requirit in Potentiâ quandam indifferentiam ad agendum, & non agendum positis jam omnibus ad actionem prærequisitis. Unde hi Articuli à duobus Pontificibus sunt reprobati. Quod voluntariè fit etiamsi necessitate fiat, liberè tamen fit. Item Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.*

Resolutio.

NOS igitur singulorum testimonia perpendentes, tenemus SS. Augustini, Bernardi, Thomæ, imò omnium Patrum & Scholasticorum sententiam, quæ arbitrij indifferentiam propugnat, fide tenendam esse, & Luthero-Calvinianam, quæ impugnat, non solùm hæresin esse contra fidem, ut sensit Wiggers; sed & contra rationem naturalem delirium, ut Barnevvallus observavit.

ECTHESIS XXX.

Arbitrij indifferentiam ab Heterodoxis damnari; & necessitatem defendi.

De libro Gibieufij.

ANdreas Rivetus Theologus Calvinianus Hagæ-Comitis Nonis Febr. 1624. librum Gulielmi Gibbieuf, qui inscribitur DE LIBERTATE, commendavit in Epistolâ Beverovicio inscriptâ. *Hîc lubet*, inquit, *priusquàm finiam, Sorbonici illius Doctoris Gulielmi Gibbieuf, cujus liber Lutetia prodijt ante triennium Pontifici Romano dicatus, & novem Patrorum Authorum & Ordinum approbationibus munitus (à quâcumque enim manu deferatur fax, lumen non rejiciendum censeo) expostulationem subjungere, adversus eos qui Deum* [hoc est D. tantùm; nemo enim ita insanus unquam fuit, ut ipsam Dei substantiam Angelicæ aut Humanæ supponeret] *humanæ imbecillitati subjacientes contendunt oportere eum si quid vires ei à homines decernat, corda humani recessus explorare.* Addit quasi integrum folium desumptum ex Gibbieufij lib. 1. cap. 23. & subjungit, *Hæc ille, liberè quidem & acriter; sed meo judicio verè, & ad rem appositissimè. Sic voluit Deus etiam inter adversarios* [Sic Catholicos nominat] *reperiri, qui causam suam tuerentur, & nos* [nimirum Calvinianos] *juvarent in asserendâ veritate.* [tali donat nomine hæresin illam quam Sess. VI. Synodus Tridentina condemnat.] Vide Joann. Beverovicij Quæstionem epistolicam de vitæ termino fatali an mobili, editione secund. ann. 1636. pag. 220.

Et quali eum dedicanasset.

Supponit *primò* Andreas Rivetus singularem & inauditam apud Catholico-Romanos esse sententiam Gibbieufæam; *secundò* miratur talem potuisse Pontifici Romano inscribi; insinuat *tertiò* præter illos novem Authores reliquos Romanos tenere Dei auxilia libero arbitrio subesse, aut quoad esse, aut quoad usum; ideòque hominem posse dissentire, resistere, omittere, peccare, in eodem ipso instanti in quo habet auxilium à Deo; censet *quartò* hujus sententiæ professionem acrem libertatem in assertore arguere, fortè quia putaret similia apud nos liberè effutiri non posse; & tandem *quintò* expressè affirmat, Gibieufij sententiam juvare Calvinianos, ut tueantur voluntatem, qualem secundo institutionum Hæresiarcha statuit, qualem Sessione VI. Synodus Tridentina condemnat.

Omnes hæ quinque Ecthesés, quas infert Rivetus, sunt veræ, falsam tamen, Calvini & Gibieufij sententiam, quam veram esse delirat, Tridentinæ Synodi definitionibus anteferendam.

ECTHE-

ECTHESIS XXXI.

De Mutabilitate & Contingentiâ.

An indifferentia abesse possit? An contingentia & mutabilitas?

IN differentia essentialis est libertati; mutabilitas accidentalis, & solùm voluntati competit, quæ habet persistentiam & durationem successivam. Contingentia dicuntur, quæ non habent necessariam causam intrinsecam; sed quia ab extrinsecâ dependent, contingit ita ea esse, ut & non esse possint.

Contingentia & mutabilitas humani arbitrij est inter duos actus liberos (puta inter amorem liberum & odium liberum) contingit enim aliàs quòd amemus ita ut possimus detestari, & aliàs quòd detestemur ita ut possimus amare. Examina sequentes speculationes.

Ubi non est successio ibi non potest esse mutatio.

PRIMA. *Origo & radix omnis vicissitudinis, successio durationis est.* Si enim duratio careret successione, quæ esset secundùm priùs & posteriùs, vicissitudini subjacere non posset. Ponamus majoris claritatis gratiâ, Deum omnes effectus reales, quos creavit in diversis temporibus, simul in instanti A. produxisse, & in instanti B. annihilasse (Hypothesin admittent libenter Hebræi Theologi, qui delirant ante hujus mundi conditionem plurimos alios fuisse à Deo conditos & mox annihilatos, ita *in suo Thalmudis Ordine* 1. *tract. dist.* 3. quam & debebunt admittere omnes veræ sapientiæ professores; non enim implicat, quòd Deus in instanti A. creet, quæ annihilet sequenti instanti, maximè si tempus, ut placet Augustino & Bernardo, coalescat ex atomis indivisibilibus. Hinc sic, Si mundus tantùm durasset uno instanti, nulla fuisset rerum successio, nullæ vicissitudines, nulla futura contingentia, nulla necessariò præterita; quia in uno instanti omnia quæ sunt, sunt simul.

Commutabilitas non opponitur contingentiæ:

... libertati.

In illo instanti A. agens liberum posset operari, imò si vellet operaretur ita ut posset non operari, aut operaretur ita ut posset aliter operari. Cæterùm agens esset immutabile, non enim posset aut cessare, aut desistere ab illa operatione, sicut nec mutare nec retractare priorem voluntatem; quia in mutatione debet dari prius & posterius, quæ non reperiuntur in uno indivisibili instanti, aut aliàs darentur duæ contradictoriæ simul veræ; quia si instanti A. amas, & in eodem non amas retractato priori actu, simul amas & non amas, quod admitti non potest.

Liber & immutabilis est Deus.

Hinc constat, quomodo Deus summè liber cum sit, sit summè immutabilis. Liber est, quia habet indifferentiam, ita enim Mundum conservat ut possit non conservare: est autem summè immutabilis propter æternitatem; quæ licet sit infinita duratio, est successionis expers, non habet priùs & posteriùs, sed tota est unum *Nunc* indivisibile: unde si per impossibile contingeret, quòd Deus mutaret decretum quod habuit ab æterno, sequeretur quòd essent simul duo termini contradictorij, quia de eodem indivisibili *nunc* æternitatis esset verum dicere *Nunc Deus vult*, & *Nunc Deus non vult*, qui cùm supponantur esse de eodem objecto, non possunt non asseri contradictorij.

Angeli & Dæmones sunt liberi: an & immutabiles?

Si duratio Angelorum & Dæmonum esset tota simul, nulla esset in illo simplici *Nunc* æviternitatis vicissitudo volitionum, sed vel semper esset hæc, vel nunquam. Quia Angelus posset amare Deum; & si semel amaret, semper amaret; vel si semel non amaret, nunquam amaret. Cùm enim duratio ipsius, supponeretur esse unum instans indivisibile, cui repugnat successio, non esset capax vicissitudinis operationum.

Hinc constat Deum esse liberum, & tamen mutari non posse; constat Angelos si ævum simultanea duratio sit, habere volitiones immutabiles. Anselmus *libr.* 2 *Cur Deus homo? cap.* 10. aptè immutabilitatem cum æternitate conjunxit, *Quapropter*, inquit *quoniam Deus perfectè habet à se quidquid habet, ille maximè laudandus est de bonis quæ habet & servat, nonullâ necessitate, sed propriâ & æterna immutabilitate.*

Mutabilitas est extra essentiam libertatis.

SECUNDA. *Mutabilitas non est pars liberi arbitrij, sed libertatis imperfectio.* Ideò in Deo non reperitur, ipse enim imperfectionum non est capax. Illam non habet Angelus, si caret duratione successivâ; actum enim A. & elicere & omittere potuit, non verò elicitum mutare. Tota actuum varietas, & vicissitudo, accidit operationibus agentium præditorum duratione & persistentiâ successivâ.

Liberi arbitrij penitior explicatio.

A libero arbitrio habet homo quòd quando amat possit detestari, & amare quando detestatur; sed quòd potiùs amet ita ut possit detestari, quàm quod detestetur ita ut possit amare, non habet ab arbitrio suo, sed à physicâ prædeterminatione, quæ illi conceditur divinitùs non ut indifferentiam diminuat, sed ut tollat & eliminet ambiguitatem illam, quæ ab ipsâ contingentiâ suboritur: unde dicimus auxilium efficax, aut prædeterminationem physicam, arbitrium liberum à contingentiæ ambiguitate liberare. Prædeterminationem ad bonum, positivam; ad malum, non nisi negativam, quæ dici solet permissio, propugnamus. Nomine *physicæ prædeterminationis* intelligimus in supernaturalibus gratiam, in naturalibus motionem, talem tamen, quæ cum omissione componi possit. Si hanc nolueris *physicam prædeterminationem* dicere de nomine non disputabimus. (Totam hanc doctrinam dilucidabunt Positiones sequentes, in quibus de Prædeterminationibus infallibilitantibus.)

TEXTVS.

De Peccatis.

DCCCCLXXXX. IV *Peccare est servitutem incurrere.*

(54) QVid ergo dicet, aut quid respondebit ei, cùm ipsa fecerit? quid fecit? servam se fecit: unde dicitur *Qui facit peccatum, servus est peccati* (55) Propptereà cum peccauit (peccauit autem cum peccato obedire decreuit) servam se fecit, Sed sit libera, si non adhuc facit. Facit autem in eâdem seruitute se retinens. Neque enim non volens voluntas tenetur, voluntas enim est. (56.) Ergò quia volens, seruam seipsam fecit; non modò fecit, sed facit: meritò proinde (quod sæpe memoratum est) quis respondebit illi cum ipsa fecerit, ipsa & faciat, (57) Sed non me, inquis, decredere facies necessitatem quam patior, quam in memetipso experior, contra quam & assiduè luctot. (58) Vbinam quæso hanc necessitatem sentis? Nonne in voluntate? Non ergo parum firmiter vis, quod & necessariò vis. multum vis quod nolle nequeas, nec multum obluctans. (59.) Porrò ubi voluntas, & libertas. quod tamen dico de naturali, non de spirituali, quâ libertate, ut dicit Apostolus, *Christus nos liberavit.* Nam de illâ idem ipse dicit: *Vbi Spiritus Domini, ibi Libertas*, (60.) Ita Anima mito quodam & malo modo sub hac voluntariâ quâdam, ac malè liberâ necessitate, & ancilla tenetur & libera: ancilla propter necessitatem, libera propter voluntatem. (61.) Et quod magis mirum, magisque miserum est, eò rea, quò libera eoque ancilla quò rea, ac per hoc eò ancilla quo libera. (62.) Miser ego homo, quis me liberabit à calumniâ hujus pudendæ servitutis? miser, sed liber. Liber, quia homo; miser, quia servus, Liber quia similis Deo; miser, quia contrarius Deo.

Ioann. 1.

Exponitur illa necessitas, quam patiuntur, qui sunt in peccato mortali.

Ad Gal. 4. 31.
2. Corinth. 3. 17.

Num. 59. *Cōsultò S. Doctor libertatem consilij ab arbitrij libertate distinguit, quia si confundantur sibi ipsis contradicentia evadent testimonia millena Sacræ paginæ, quæ ab Hæreticis citari solent.*

An debeat addi Dialectica Reduplicativa?

Num. 61. *Integrum syllogismum efformat noster author.* Voluntas est rea quò libera; Est ancilla quò rea: voluntas igitur est ancilla quo libera. *Redolet formam primæ figuræ Aristotelicæ, concludit directè, non tamen ad modos in scholis expressos spectat; unde colligo præter expositorios syllogismos debere etiam reduplicativos admitti. Hujus efficacia non pendet ab illo principio,* Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, *id enim falsum est in omni sensu doctrinali; non ab illo* Dici de omni, *quia hic agitur de voluntate singulari, non enim omnis voluntas est peccatrix; sed pendet ab illo,* Causa causæ, est etiam causa causati in eodem genere causarum; *quod optimè expendit Scotus* in 4. dist. 49. quæst. 2.

Fundamentum Dialectica.

Calvinus abutitur verbis D. Bernardi.

Verba illa, quæ Mellifluus noster Magister n. 60. ponit, resumit ineptè Calvinus, ut indifferentiam neget & necessitatem operandi protrudat; sed hoc incautè fieri vel cæci viderint; quia eisdem verbis contraria sententia stabilitur. Nam S. Doctor agit de peccatoris Animâ, & ait: *Sub hac voluntaria quadam & male liberâ necessitate, & ancilla tenetur, & libera: ancilla propter necessitatem,* (quæ actu libero fit,) *libera propter voluntatem* (quæ liberè necessitatem illam facit, & liberè illam servitutem incurrit:) Legitor Ecthesis XXVI. XXVII. & XXVIII. &c.

ECTHESIS XXXII.

Si qua circunstantia in peccato ipso non est libera, ipsa non est peccaminosa.

QUidquid in peccato liberum non est; tametsi à voluntate sit, peccatum non est. Nam ut sapientissimè num. 40. noster Doctor affirmat, *Peccat tam is, qui potuit non facere mala, & fecit; quam qui potuit facere bona* (nempe præcepta) *& non fecit.* Vnde tenendum est omnes peccatorum effectus, qui peccata necessariò sequuntur, solùm in eo sensu esse mala, in quo potuerunt evitari. quia nemo aut omittendo impossibilia, aut faciendo necessaria, peccat: nullum enim meritum aut demeritum, ubi non est libertas. Hæc formaliter consistit in arbitrij decreto elicito cum indifferentiâ, ac propterea Bernardus num. 55. *Peccavit*, inquit, non cum occidit verb. gr. *sed cum peccato obedire decrevit.* Unde qui missâ epistolâ veneno armatâ proximum interêmit, potuit ante homicidium resipiscere: tunc ipsamet occisio non esset imputabilis, non enim esset voluntaria & libera: esset tamen imputabile illud prius occidendi decretum, quod liberè habitum fuit, quoniam non haberi etiam potuit.

Deus impossibilia non iubet.

An effectus peccatorū sint peccata?

TEX-

TEXTVS.

De prædeterminatione ad actus virtutis & ad materiale peccati.

Deus indixit in peccata negativè: hoc est permissivè.

(63) O Custos hominum (*Iob. 7. 20.*) quare posuisti me contrarium tibi? posuisti enim cũ non prohibuisti. Alioquin ipseme posui, & factus sum mihimetipsi gravis. [64.] Iustissimè quidẽ ut hostis tuus hostis sit & meus, & qui tibi repugnat, repugnet & mihi. [65.] Ego verò qui tibi, ego qui mihimet cõtrarius factus sũ atque in membris meis invenio quòd contradicat & menti meæ, & legi tuæ. [66.] Quis me liberabit de manibus meis? Non enim quod volo, hoc ago, sed me non alio prohibente. Et quod odi, illud facio, sed me non alio compellente. [67.] Atque utinam prohibitio hæc, & hæc compulsio ita esset violenta, ut non esset voluntaria: forsitan enim sic possem excusari; aut certè ita esset voluntaria, ut non violenta, profectò enim sic possem corrigi. Nunc verò nusquam exitus misero patet, quem & voluntas, ut dixi, inexcusabilem, & incorrigibilem necessitas facit. [68.] Quis me eripiet de manu peccatoris, & de manu contra legem agentis & iniqui? quærit quis, de quo querar? de me.

Est necessitas libera & pernitiosissima.

ECTHESIS XXXIII.

De scientia conditionalium.

TRes in Deo scientiæ; prima simplicis intelligentiæ, secunda futurorum conditionalium, tertia absolutorum: sed hæ tres una intrinsecè sunt, & solùm distinguuntur extrinsecè penes diversa connotata. Scientia simplicis intelligentiæ ante omne decretum concipitur, post decretum scientia visionis, seu absolutorum. Restat media, scientia conditionalium; Vnde *Media* vocari solet. Cùm quæritur, utrùm admitti debeat scientia media? quæstio est de mero nomine. Cùm inquiritur, An sit prior decreto? ventilatur controversia injuria ipsimet Deo, & indigna Catholico; in Deo enim nihil prius aut posteriùs, nihil majus aut minus reperitur; sed omnes divinæ personæ & omnes earumdem formalitates coæternæ sunt & coæquales. Sola ergo inter Catholicos quæstio, An possit scientia conditionatorum intelligi antequam intelligatur Dei decretum? & respondemus distinguendo hypotheses, quæ dicuntur cognosci à Deo; Aliæ enim sunt quidditativæ, aut necessariæ, quales illæ quas exprimit D. Bernardus num. 67. nimirum, *Si compulsio ita esset violenta ut non esset voluntaria & libera, excusari sic possem.* Item *Si ita esset voluntaria ut nihil violentiæ & necessitatis imbiberet, sic per me possem corrigi.* Aliæ sunt contingentes, quales illæ quæ serm. 83. ponuntur; nempè, *Ad Verbum redibit Anima, si mota fuerit.* Ubi ex motione reditus nascitur, sed liberè non necessariò. Dico igitur primò, quod omnes connexiones propositionum, causarum & conditionum necessariæ, & inter alias etiam hæc, *Si Petro dedisset gratiam efficacem, assensum præbuisset*, intelligantur cognosci à Deo, antequam aliquod divinum decretum esse intelligatur; sed hujus propositionis, *Si David mansisset Seila, fuisset traditus*, & aliarum similium veritas intelligitur cognosci à Deo in suo decreto, quo dixit, *Statuo quòd tradatur David si Seila maneat*, quia cùm antecedens & consequens non habeant infallibilem connexionem intrinsecam in semetipsis, debent dici habere talem connexionem extrinsecùs, & non alibi quam in ipso decreto.

Datur in Deo scientia conditionata.

Non datur scientia media in Deo: sed conditionata decreto.

ECTHESIS XXXIV.

A Iusto Deo nemo positivè prædeterminatur ad materiale peccati.

LApis gravitate suâ prædeterminatur ut necessariò cadat, ni impulsu sursùm impellatur; Anima hominis lapsi peccati fomite est physicè prædeterminata ut in abyssum errorum ruat, ni gratiæ auxiliis elevetur. Vnde Bernardus hic numer. 46. *Nam quòd surgere Anima per se* (hoc est sine gratiâ) *non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens, &c.* & optimè, quæ enim a fomite peccati mota sine auxilio particulari Dei infallibiliter casura fuit, [nam docemur à sapientiæ nono, *Corpus quod corrumpitur aggravare animam*, & hoc amore potiùs quam mole, ut noster Doctor numero 121 hujus sermonis exponit] gratiæ Divinæ influxu adtollitur & elevatur. Deus enim ad virtutem nos prædeterminat positivè adjuvando & gratiam concedendo; at verò ad materiale peccati, tantùm negativè, permittendo sive non prohibendo. Vndè numer. 63. exclamat cum Iobo (7.) Bernardus, *O custos hominum, quarè posuisti me contrarium tibi? Posuisti, cùm non prohibuisti; alioquin ipse me posui & factus sum mihimetipsi gravis.*

Homo ut peccet prædeterminatione non indiget.

Permittit Deus peccata, cùm non impedit.

TEXTVS.

De dißidio Rationis & Concupiscentiæ.

(69) EGo ille peccator, ille exlex, ille iniquus. Peccator, quia peccavi. Exlex, quia voluntate persisto agere contra legem. Nam mea voluntas ipsa est lex in membris meis, legi divinæ recalcitrans. (70.) Et quoniam lex Domini lex mentis meæ, sicut scriptum est *lex Dei ejus in corde ipsius*: per hoc & mihiipsi mea ipsius voluntas contraria invenitur, quæ est iniquitas maxima. Cui enim non iniquus, qui mihi sum? *qui sibi nequam*, ait, *cui bonus?* (71.) Fateor non sum bonus, quia in me non est bonum. Consolabor me tamen, quia & sanctorum vox ista est; *scio quia non est in me bonum*, inquit (*Paul.*) discernit tamen quod dicit, in se, in carne suâ interpretans, propter contradictoriam legem quæ in eâ est, (72.) Nam habet legem & in mente, eaque melior. (73.) An non lex Dei bona? quodsi malus propter legem malam, quomodo non propter bonam bonus? (74.) An mala sua est quæ in carne suâ & ideò de malâ malus, & minimè bonus de bonâ? Non est ita. Lex Dei ejus in mente ipsius, atque ita in mente, ut sit & mentis. (75.) Testis est ipse, qui ait, (*ibid.*) *Invenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ.* Numquid suum quod carnis suæ est, & non suum quod mentis suæ est? (76.) Ego dico, & plus, quid ni dicam, quod idem ipse magister dicit? nam mente quidem serviens legi Dei, carne autem legi peccati, quid magis suum fateatur evidenter ostendit, cùm malum quod in carne est, ita à se alienum censet, ut dicat. *Itaque iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* (77. Et ideò fortassis signanter aliam dixerit legem inventam in membris suis, quod alienam hanc & quasi adventitiam reputaret. (78.) Vnde & adhuc ego audeo aliquid amplius, haud temerè quidem, Paulum videlicet non jam malum propter malum quod in carne habet, magis autem bonum propter bonum quod in mente habet. (79.) An non bonus qui consentit legi Dei, quoniam bona est? nam & si se itidem fateatur servire legi peccati, carne hoc facit, non mente. (80.) Cùm autem mente quidem serviat legi Dei, carne autem legi peccati, quidnam potissimum horum Paulo imputandum putes, tu videris; nam mihi fateor facilè persuasum quod mentis, quàm quod carnis est, pluris esse non solùm mihi, sed ipsi Paulo, ut jam dictum est, qui ait, (*ibid.*) *si autem quod nolo illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.*

Psalm. 36. *Eccles. 14. 5.* *Rom. 7. 18.* *Rom. 7. 23.* *Vers. 20.*

Multa sunt in nobis, quæ non sunt à nobis, *& hæc ipsa non imputantur nobis.*

ECTHESIS XXXV.

De concupiscentiâ.

Homo integer. Homo lapsus.

IN prima conditione hominis omnes passiones & sensus suberant voluntati, quia ista Rationi. Cùm ipse noluit Deo subesse, ejus potentiæ & sensus, immò & omnia sensibilia & elementa in ipsum rebellarunt. Agitatur hominum animus duabus legibus inter se repugnantibus, quarum altera Rationis est, altera Concupiscentiæ. Lex Dei est imperium Divinæ voluntatis scriptum Dei digito in cordibus universorum, ac propterea diligens ut Deo serviamus, unde Augustinus lib. 2. de serm. Dom. in monte, *Nullam Animam esse*, ait, *quæ ratiocinari possit, in cuius conscientia non loquatur Deus. Quis enim legem naturalem in cordibus hominum scribit, nisi Deus?* Lex concupiscentiæ est materialis appetitus, quatenus deordinatus & corporearum rerum amore ita gravis, ut rapiatur in malum. Vnde benè Bernardus, *Mea voluntas* (seu, *appetitus sensualis*) *ipsa est lex in membris meis, legi Divinæ recalcitrans.*

Lex mentis. Lex carnis.

Præcepto *Non concupisces*, non interdicuntur, motus sensuum indeliberati & purè materiales; sed rationalis voluntatis assensus. Nam concupiscentia *peccatum* ab Apostolo dicitur, non quòd illud necessariò inferat, sed quod ob illud sit illata. Peccati pœna est, & frequenter dicimus peccata nos luere cùm pœnam. Ut docemur à Tridentinâ Synodo sess. 5. numer. 5. *Concupiscentia cùm ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Iesu-Christi gratiam repugnantibus non valet. quin immò, qui legitimè certaverit coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus* (nimirùm Roman. 6. 7. 8 & Coloss. 3.) *peccatum appellat, sancta Synodus declarat Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod verè & propriè in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. siquis autem contrarium senserit, anathema sit.*

Indeliberati concupiscentiæ motus non sunt peccata.

TEX-

TEXTVS.

Peroratio.

MCCCC. XCVII. (81.) SEd de libertate ista sufficiant. In libello quem de gratiâ & libero arbitrio scripsi, diversa fortassis de Imagine & Similitudine disputata leguntur, sed (ut arbitror) non adversa. (82.) Legistis illa, ista audistis: quænam magis probatis, vestro judicio derelinquo, vel si quid melius utriusque sapitis, in hoc gaudeo & gaudebo. (83.) At quomodo illa se habeant, tria quidem impræsentiarùm præcipua commendata tenetis, Simplicitatem, Immortalitatem, Libertatem. Et hoc vobis liquidò apparere arbitror, Animam proingenita, atque ingenua similitudine, quæ in his tam eximiè claret, non parvam cum Verbo habere affinitatem, Sponso Ecclesiæ Iesu Christo Domino nostro, qui est super omnia Deus Benedictus in sæcula, Amen.

Doctrina hæc de libero arbitrio fuit recognita & iterum asserta à Bernardo.

Num. 81. *Hinc constat hunc sermonem esse habitum post editionem libelli de gratiâ & libero arbitrio, ac propterea in eo hanc difficultatem secundis curis fuisse examinatam. Vbi obiter notandum est imprasentiarum non retractavisse priorem sententiam sed clariùs illam explicasse: priùs enim diversa non tamen adversa de Imagine & Similitudine dixerat, ut ipsemet fatetur: de Libertate autem non solùm non adversa sed ne quidem diversa.*

Numer. 82. *Sermones suos Bernardum voce vivâ declamasse ex hoc & aliis testimoniis evidenter colligitur.*

Numer. 83. *Simplicitatem, Immortalitatem, & Libertatem esse ingenitas asserit, ut doceat æquè posse Animam Libertate carere, ac Immortalitate aut Simplicitate. aut ut alibi dixit, æquè ac seipsâ; & corrigat Heterodoxos affirmantes arbitrii libertatem post Adami prævaricationem amissam.*

ECTHESIS XXXVI.

Hunc Sermonem Libello de libero arbitrio concordare.

PRobaturi Humani libertatem arbitrii immunem à coactione, & implicitam vinculis necessitatis, hæc verba allegarunt nonnulli: I. *Si horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset iam voluntas non esset* II. *ubi quippe necessitas, iam non voluntas*; & aliquantò inferiùs; III. *Est verò quàm magis ei congruere arbitror libertatem quam dicere possumus à necessitate*; IV. *Eò quòd necessarium voluntario contrarium esse videatur*; V. *Siquidem quod ex necessitate fit, non iam ex voluntate, & è converso similiter*. Et adhuc inferiùs, VI. *Vtrobique voluntas & ubique libertas; cedit quippe voluntati necessitas.*

Testimonia citata à Iansenio & aliis contra indifferentiam libertatem.

Cùm videmus ex his præmissis inferri prætensam consequentiam, asserimus esse entia linguæ, quæ mente formari non possunt; nemo enim vel analphabetos diceret; I. Si horum quodlibet prohibente ratione voluntas non posset, voluntas jam non esset; ergo voluntas est agens necessarium, & determinatum ad unum, nec potest horum quodlibet sed unum, tantùm: II. Vbi necessitas, non jam voluntas: ergo ubi necessitas, ibi voluntas libera est. III. Voluntati congruit libertas à necessitate; ergo non habet libertatem à necessitate. IV. Necessarium & voluntarium contrariantur; ergo non se excludunt mutuò ab eodem subjecto, sed compatiuntur: V. Quod ex necessitate fit, non jam ex voluntate; ergo sola violentia repugnat voluntati Hominis naturali: VI. Cedit voluntati necessitas; ergo quod à voluntate fit, tametsi necessariò fiat, liberè fit.

Omnia expressè militant pro indifferentiâ.

Has sex chimæricas, & alias similes, debent necessariò admittere Lutherus, Calvinus, & quotquot existimant solam coactionem repugnare Humanæ libertati, vel pro se libellum Mellifluum de Gratiâ & libero arbitrio non citare.

ECTHESIS XXXVII.

Cistercienses non intenderunt nec remiserunt Bernardi opinionem, sed illibatam servarunt.

Aelredi laus.

S. Aëlredus Rhievallensis Antistes Ordinis Cistertiensis, styli melliflui fuit hæres. Tantâ felicitate mentem Bernardi ebibit, ut Angelus Bernardus diceretur. Poëta nescio quis;

Mox dico; Bernardus ab hoc, vel hic hausit ab illo;
Vel simul ex uno flumina fonte trahunt.
Fovit utrumque, reor, mellita Maria clientem,
Mel de virgineo suxit uterque sinu.

Egit de libero arbitrio *in Charitatis Speculo lib.* I. Et duo ad humanam libertatem requirit, non-coactionem & non-necessitatem. Dabo unam vel alteram periodum, ut constet armonia sententiarum. *Voluntatem*, ait cap. 12. *ad iustitiam sola gratia erigit, in iniustitiam ipsa se deiicit*; Infero; non ergo ad materiale peccati divinitùs prædeterminantur. Subjungit; *Habet ergo innatam sibi quodammodo voluntas libertatem, quia nullam potest pati necessitatem*. Noto illud, *nullam*.

Non datur prædeterminatio ad materiale peccati.

Voluntas non necessitatur.

Bene igitur omnem necessitatem etiam sensûs compositi negamus, ex quâ non aboriatur contradictio. Dicimus enim voluntatem non posse componere operationem cum omissione, seu non-operatione; addimus quòd hac repugnantium extremorum compositione exclusâ, reliquæ omnes admittendæ sint compositiones.

Rmus. D: Petrus Lorca in Complutensi Academiâ primariæ lectionis, quæ est ad mentem Scoti, Moderator, ratione officii tenebatur subscribere Scoticis sententiis, Thomisticis ratione voti operibus impressis præfixi, & nihilominùs semper docuit indifferentiam libertatis; cujus tam acer propugnator fuit, ut cùm disp. 72. 73. 74. &c. in 3. part. D. Thomæ de Christi meritis & libertate disputaret, semper exigeret indifferentiam: & quia indispensabile præceptum videbatur non posse cum indifferentiâ componi, maluit in passione Christi & morte negare fuisse Christo impositum præceptum, quàm eum caruisse indifferentiâ. *Sicut Christus*, ait disp. 73. numer. 4. *non habuit libertatem ad peccandum, ita neque tam habuit ut omitteret præceptum, & ex consequenti neque tam habuit implendo præcepta: atque adeò mereri non potuit illis actibus quibus præimplevit.* Et subjungit, *Quæ sanè difficultas magna est; quoniam & difficile est negare præceptum: & difficilius cum præcepto conservare libertatem & meritum.* Sed cui difficilius? Esset sanè facillimum si indifferentia negaretur: sed erat difficillimum, quia hæc catholicè negari non potest.

An Christus habuerit moriendi præceptum

Rmus. D. Angelus Manrique apud Salmanticenses Professor primarius moralia plurima dictavit, plurima edidit: semper tamen supposuit esse fide tenendam arbitrii indifferentiam, semper hanc doctrinam in suggestu, semper in cathedrâ declamavit, dictavit.

Igitur Schola Cisterciensis fundata à Bernardo, aucta ab Aelredo, à Lorcâ & Manrique promota, ingeniorum felicium multitudine dives, Augustino intelligendo, exponendo, illustrando dicata, jam ab annis quingentis contra Abaylardi audaciam necessitatem protrudentis docet humanæ libertatis arbitrium esse immune à coactione & etiam à necessitate.

ECTHESIS XXXVIII.

Inquisitio punit eos qui negant indifferentiam voluntatis.

SAnctum Inquisitionis tribunal contra Hæreticos à Cisterciensibus erectum est; & tametsi hodie exemptum non obliviscitur doctrinæ avitæ, nec opinionum, quas didicit à D. Bernardo. Sed qui Bernardi oblivisci sine errore illud posset; cùm Bernardi doctrina sit Pauli ad mentem communem expositi? Sed inter alias opiniones certissimas tuetur indifferentiam voluntatis, nec permittit, quod impunè ab aliquo novatore negetur. Considera sententiam subsequentem.

Primo Inquisitionis institutio ab Abbatibus fuit Cisterciensibus.

Odio Titius persequebatur Albericum, nec ei volebat parcere, tametsi amicè requisitus, fraternè correptus, juridicè appellatus: *Illi parcerem*, inquit, *Si Deus id vellet; non facio, quia non vult: faciam quandò volet.* Interrogatus, Unde nam sciret id displicere Deo suadenti & præcipienti inimicos diligendos esse; respondet, *Quoniam si id vellet Deus cor meum tetigisset* (hoc est,) *largitus fuisset mihi auxilium efficax.*)

An qui negat se non posse facere sine auxilio efficaci, neget liberum arbitrium?

Doctor Alfonsus Bezerra Holguin Alcantarensis Militiæ, Ordinis Cisterciensis Eques; Apostolicus per Regnum Navarræ Inquisitor intulit negari à Titio humanam libertatem, & igni eum condemnaturus, ni resipisceret, juris sententiam remittendo statuit ut in publico theatro abjuraret hæresim, & decem annis à ditionibus illis exularet. Subscripserunt sententiæ Licentiatus Ioannes del Valle y Alvarado, & Licentiatus Alfonsus de Salazar ejus Collegæ. Exsequutioni mandata fuit sententia Logroni 8. Novembr. 16. 10. quam inter alias collegit Magister Ludovicus de Fonseca, & typis mandavit Burgis apud Ioannem Baptistam Varesium ann. 1611.

*Nos igitur ut authoritati S. Inquisitionis consuleremus verba Titii diligenter examinavimus, judicamus opponi COLONIENSI Concilio in cujus part. VI. Cap. XXXII. (ann. 1536) legitur, *Quanquam nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per patrem, attamen nemo hic excusationem prætexat, quod non trahatur; quòd ille semper stet ante ostium pulsans, minirum per internum verbum commonens ut convertamur à viâ pessima.* Ideòque resolvimus *Primò* Titium asseruisse sibi esse impossibile Alberico parcere, necessarium non parcere: sibi inquam; non enim Titius affirmavit hoc esse impossibile Deo, quin potiùs expressè asseruit se concessurum fore veniam, si cor suum esset à divinâ inspiratione tactum. *Secundò*, Nemini mortalium esse liberum, facere id quod est ipsi impossibile vel necessarium: nam transvolare Caucasum, (exemplum frequens est apud Ioannem Calvinum nec non Philippum Melanthonem) nunc tibi est impossibile, ac propterea non liberum: nec antè tibi erit liberum, quàm habeas omnia prærequisita ad volandum. *Tertiò*, Concludimus Titium negasse liberum arbitrium, legitimèque fuisse à Cisterciensi Iudice liberi arbitrii hostem declaratum, adjudicandum igni, ni resipisceret.

An auxilia sufficientia semper det Deus?

IM-

IMPERTINENS. I.

[illegible] qui assensum dissensumque [illegible] distinguunt.

V*olitio & Nolitio non sunt duo actus specie distincti, sed unus & simplex de obiectis oppositis.* Idem enim est positivè-nolle audire, missam, quàm positivè-velle non audire. COROLLARIUM. *Ergo libertas contrarietatis formalis & contradictionis obiectiva differunt uno & solo vocabulo* (Sed quia à multis maior distinctio admittitur, nos utramque posuimus; ut illi iuxta suam intrinsecam, nos iuxta nostram distinctionem extrinsecam (hoc est, purè vocalem) pariformiter philosophemur.)

IMPERTINENS II.

De mente Augustini & Bernardi.

O*Ccurrit iste Syllogismus* (Bernardus *serm. LXXXI. in Cant.* Subscribit sententiæ Augustini libertatis essentiam & definitionem explicantis. Atquì Bernardus non solùm admittit libertatem à coactione sed etiam à necessitate: ergo & Augustinus) *Cùm igitur maior sit expressa Calvini Institut. libr. II. cap. II. Minor hîc clarè demonstrata, non scio, an possint Calviniani illatam consequentiam negare?*

IMPERTINENS III.

An Augustinus à Patribus universis dissentiat?

I*N Calvini capite citato legimus;* Certè quas retulimus (*nempe Patrum*) sententias esse falsissimas paulò-pòst constabit. Porrò tametsi Græci præ aliis, atque inter eos singulariter Chrysostomus in extollendâ humanæ voluntatis facultate modum excesserunt: veteres tamen omnes excepto Augustino sic in hac re, aut variant, aut vacillant, aut perplexè loquuntur, ut certi ferè nihil ex eorum scriptis referre liceat. Itaque enumerandis singulorum sententiis exactiùs non insistemus. *Ergo Calvinus sensit,* PRIMÒ *omnes veteres Patres proscripsisse necessitatem ab arbitrio;* SECUNDÒ *Augustinum necessitatem cum libertate composuisse;* TERTIÒ *Augustinum necessitatem cum libertate componendo à reliquis Patribus defecisse & sententiam specialem (adeòque schismaticam) propugnasse.* *Sic discurrit Calvinus, sed quia Hæreticorum proprium est sibi contrarios esse, eodem ille loco vento contrario pulsus ait;* Hinc certè cognoscunt Lectores, nihil me novum afferre (nisi) quod olim ex piorum omnium consensu prodidit Augustinus, & mille ferè annis posteà in claustris Monachorum retentum fuit. *Qui possit, hæc verba cum præcedentibus conciliet.*

Colligimus ex dictis I. *omnes Patres tam clarè indifferentiam admittere, tam clarè omnem proscribere necessitatem, ut Calvinus tametsi cæcus, non sit ausus negare tam evidentem veritatem.* Colligimus II. *temerè & crudeliter Calvinum hæresin suam Augustino affinxisse; non enim sine temeritatis nota dici potest Augustinum resumpsisse & docuisse Sententiam quàm ne uno quidem dempto, omnes Patres damnabant.* Colligimus III. *incautè & improvidè Calvinum unum & solum Augustinum toti Ecclesiæ velle victum opponere: ex illa enim oppositione, si vero esset, non sequeretur Ecclesiam Romanam errare & reformatione indigere, sed Augustinum esse schismaticum.* Colligimus IV. *eum, qui Augustini testimoniis oppugnat Conclusiones indubitatas, fide aut ratione clarè stabilitas, non officere talibus Conclusionibus, sed iniuriam facere Augustino, eius honorem prostituendo. Augustinus enim magnus est, non quia hic homo sed quia Sanctissimam vitam, & purissimam doctrinam tradidit. Non esset homicidium licitum, tametsi Augustino imponeres, eum sine conscientiæ formidine grassatum fuisse: non erit non condemnata à Conciliis arbitrii necessitas, quamvis Augustino, etiam contrarium profitenti, docenti, declamanti, imponatur, sed fiet iniuria maxima Augustino.*

Contra Calvinum solidè defenditur persona & doctrina Augustini.

POSITIONES
De speciebus intentionalibus, & Potentiarum Habitibus.

An dentur Species intentionales, & quid sint?

DOctrina de habitibus & speciebus Physico-Theologica est; habet enim locum in Philosophiâ Naturali, & Supernaturali. Et in hac materiâ sic discurrimus.

Species duplex: impressa & expressa.

I. Probabilis est Realium sententia asserentium Species esse quasdam qualitates intentionales repræsentativas objectorum: & dividi in impressas & expressas. Ex quibus illæ sint imagines quædam virtuales, vel productæ ab obiectis, vel ab illis abstractæ, vel tandem infusæ divinitùs, quæ prædeterminant aut etiam adjuvant Intellectum, ad eliciendam Speciem expressam, quæ est formalis representatio objecti.

An habitus à speciebus distinguantur?

II. Admissis speciebus intentionalibus posset probabiliter dici, dari quidem Habitus intellectuales, sed illos à speciebus non distingui: facilitatemque & perfectionem, quam experimur, & nominamus habitum à specierum multitudine pendere: ita ut ille, qui plures habeat Species faciliùs & perfectiùs operetur: & ille qui pauciores, imperfectiùs & difficiliùs.

An sint quidam modi?

III. Modalium opinio asserens Species & Habitus esse quosdam intentionales modos, difficilis est; sed tamen probabiliter defendi potest.

An merè formalitates?

IV. Formalistæ Species universas & Habitus ad formalitates reducunt: & plausibiliter solent suæ Scholæ positiones tueri.

An expressiones?

V. Sententia illa, quæ ad connotata externa confugit, Expressivæ est Scholæ, & non à quocumque defendi potest: implicatur enim aliquibus subtilitatibus, quæ ingenio indigent; est tamen ingeniosa & probabilis: & licet non careat objectionibus, possunt universa dissolvi.

Censura de sententijs propositis.

VI. Cæterùm probabilitate harum opinionum non obstante, dicimus primam esse faciliorem: ultimam veriorem: omnes probabiles: & tamen nos novam ingressi viam, sic philosophamur. TENEMUS PRIMÒ, *non dari Species ullas intentionales; & sine ipsis omnes externorum & internorum sensuum operationes, & omnes mentis cogitationes & meditationes accuratè salvari: nam obiecta ipsa uniuntur immediatè potentiis, & distantia locorum & temporum non impediunt actus intentionales, qui in unione aut potiùs identificatione potentia & obiecti consistunt: cùm enim homo intelligit, obiectum, intellectus, & Anima identificantur intentionaliter.*

Non dantur ullæ Species. Quid sit intelligere: An detur operatio in distans?

TENEMUS SECUNDÒ, *Intellectum realiter distingui ab Anima: quod cum Realibus Thomistæ hodie, & multi Viri magni tuentur.* TENEMUS TERTIÒ, *eumdem intellectum aliàs perfectiùs & faciliùs, aliàs imperfectiùs & difficiliùs operari: & hanc ipsam varietatem provenire ab Habitu, quem dicimus in maiori aut minori intellectûs intentione consistere, ita ut ille operetur faciliùs & perfectiùs qui habeat intentiorem intellectum, & ille difficiliùs & imperfectiùs, qui remissiorem: si enim cæteræ qualitates remissionis & intensionis sunt capaces, cur non erit etiam intellectus, voluntas, &c.?*

An potentiæ distinguantur ab anima? An intellectus & voluntas intensionis & remissionis capaces sint? Quid sit habitus? Dubium duplex.

VII. Propositio dubia negativè, est quæ omni fundamento & objectione caret: illa nimirùm, quæ nec pro nec contra ullam habet rationem. Et dubia positivè illa est, quæ pro & contra habet rationes leves: Propositio probabilis quæ pro se, & contra se, habet rationes graves. Per-se nota, quæ ex terminorum connexione probatur: & hæc est, quæ dicitur probari per se. Scientifica; quæ deducitur à præmissis quæ non possunt negari. Et est duplex: scientifica absolutè illa est, quæ nascitur ex præmissis absolutè veris, quæ à nemine negari possunt: & scientifica relativè illa, quæ ex præmissis, quæ licèt negari ab alio fortè possint, ab eo, qui respondet non possunt. & iste modus argumentandi dicitur *esse ad hominem.* Evidentis Propositionis nomine iam per se notam, & iam scientificam solent Authores intelligere. Assertio temeraria illa est, quæ ex funda-

Quid sit propositio dubia? quid probabilis? quid per se nota? Quid scientifica sit propositio? Quid ad hominem? Quid temeraria? Quid fundata?

mentis nullis aut leuibus deducitur tanquam probabilis; aut ex nullis, levibus, aut probabilibus tanquam certa. Fides pendet ab authoritate dicentis, & tamen supponit personam cui creditur esse veracem, & illud dixisse; quod creditur. Fides supernaturalis est qualitas realiter ab intellectu distincta, ad systema supernaturale pertinens, quæ ideò infunditur homini, ut credat Deo. *Et his positis* TENEMUS PRIMÒ, *non posse intellectum simul elicere multos actus disparatos & inter se distinctos: putamus enim actum secundum à primò tantummodò expressivè aut fortè relativè distingui.* TENEMUS SECUNDÒ, *unum & eumdem actum posse esse dubium, probabilem, scientificum, fide humanâ credendum: quia idem potest fundari unâ ratione levi, aliâ gravi, aliâ certâ, & aliâ certâ, & alia ab authoritate desumptâ.* TENEMUS TERTIÒ, *actum fidei supernaturalis non aliter quàm divino & eo non putatitio, sed vero Testimonio fundari posse* TENEMUS QUARTÒ, *unum & eumdem oculum, inspicillo elevatum, non posse simul duos actus elicere; alterum elevatum, & alterum non elevatum; & inferimus unum & eumdem intellectum, fide supernaturali elevatum, non posse simul elicere duos actus; alterum naturalem, hoc est, non elevatum; & alterum supernaturalem, hoc est, elevatum.* Quid, si posset? *In tali casu supernaturalis actus fidei, cum naturali actu scientiæ componi posset.* An etiam cum probabilitate & dubio? *Absolutè non posset, sed relativè posset. Non enim posset homo absolutè dicere, esse dubium aut probabile, quod divinitùs assertum est; at posset dicere, illud ipsum præscindendo à fide & demonstratione, & stando his vel illis rationibus (levibus nimirùm, aut gravibus) esse dubium aut purè probabile.*

An intellectus possit simul elicere duos actus? — *Distinctio actûs primi & secundi.* — *An fidei possit subesse falsum?* — *An de eodem obiecto esse simul possint duo actus, alter naturalis, & alter supernaturalis?* — *An possit cum cubio componi?*

VIII. Habitus Speculativus est, qui contemplatur: merè Speculativus, qui tantummodò contemplatur. Practicus qui contemplatur ut operetur: Practicans, qui contemplatur & operatur. Speculativus per accidens est omnis habitus docens, quamdiu non utitur legibus à se præscriptis. *His ergo positis.* TENEMUS PRIMÒ, *practicum & speculativum, ut inclusum & includens distingui: omnis enim practicus contemplatur: clauditur ergo contemplatio in praxi: & non contrà.* TENEMUS SECUNDÒ *inter habitus merè speculativos, qui suum obiectum non operantur; & practicos, qui obiectum suum extra hominem operantur, dari alios, qui operantur suum obiectum intra corpus humanum, alios qui in voluntate, alij qui in ipsa mente: & hos omnes volumus etiam vocari* Practicos.

De habitu practico & speculativo. — *Quo modo distinguãtur?*

Multa in unum collegimus; & quæ à multis negantur; & hanc ob rem singula resumemus uberiùs, & Authorum placita & opiniones explicabimus.

De Habitibus intellectualibus.

MD. *Manifestum est dari habitus.*

HOminem in actionibus suis adquirere facilitatem, nemo dubitat; nos enim quotidie experimur facilitatem usu adquiri, & usio perdi. Videmus etiam aliquos operari perfectiùs, imperfectiùs alios, & causam formalem, quæ agens perficit, & efficit ut operetur faciliùs & perfectiùs, *Habitum* appellamus. Dari igitur habitus, qui potentias, aut intellectum saltem perficiant & faciliteni est manifestum: ergo de hoc disputare non volumus; sed inquirere tantùm, quid isti habitus sint? & utrùm omnibus potentijs conveniant?

An sint in intellectu? — *Quid ipsi sint?*

Vt ad secundum primo loco respondeam, assero habitum dicere tria, aliquid videlicèt in intellectu, aliquid in voluntate, & aliquid in exsequutivâ potentiâ, quæcumque illa sit. Dicit in exsecutivâ potentiâ impedimentorum amotionem: quoniam impedita potentia perfectionem & facilitatem non habet. Dicit in voluntate efficaciam promptitudinemque: quæ enim operamur inviti & cum tædio, difficulter & imperfectè facimus. Et quid in intellectu dicit habitus? sunt hic multæ Authorum sententiæ; duas notitiâ digniores exponam.

Tria dicit habitus.

Dicunt aliqui Habitum esse collectionem specierum. Sic Hurtadus *disp.* 17. *de Animâ* dicens hanc esse sententiam D. Thomæ 3. *p. quæst.* 11. *art.* 6. & *prima* 2. *quæst.* 50. *art.* 5. & *quæst.* 51. *art.* 1. & *quæst.* 53. *art. etiam* 1. & sæpe alibi. Sed apertè fallitur, quia in nullo ex citatis locis id usquam asseruit D. Thomas, imò in allegatis ex 1. 2. contrarium adeò expressè docet, ut nesciam quâ possit viâ ab Adversarijs in oppositam sententiam trahi.

Prima sententia docet habitum à speciebus non distingui.

Alij autem dicunt habitum esse qualitatem quandam realem, realiter ab animâ & à speciebus distinctam. Ita Lorca 1. 2. *sect.* 3. *disp.* 10. Suarius *disp.* 44. *sect.* 4. *Met* ubi citat Capreolum, Cajetanum & D. Thomam.

Secunda docet distingui.

Probatur ergo ista sententia authoritate D. Thomæ 1. 2. *quæst.* 50. *à* 5. qui, ut suadeat habitum esse in voluntate, arguit à paritate desumptâ ab intellectu: sed voluntas non est capax Specierum, quia circa objectum propositum ab intellectu operatur, ergo S. Thomas non sensit habitus intellectûs esse Species; in hoc enim nulla esset paritas inter intellectum & voluntatem.

An in voluntate sint habitus?

Confirmatur Habitus ut sic realiter distinguitur à speciebus: ergo & quilibet habitus particularis. Patet consequentia; quia, quæ à genere distinguuntur realiter, distingui ab omnibus his debent, quæ sub illo potestativè continentur. Antece-

Antecedens probatur, quia, si habitus ut sic non distingueretur realiter à speciebus, nullus Habitus in particulari posset ab illis realiter distingui: atqui Habitus voluntatis realiter à speciebus distinguuntur: ergo Habitus ut sic realiter distinguitur à speciebus. Tunc sic. Habitus ut sic & in communi realiter distinguitur à speciebus; ergo habitus intellectualis ab illis realiter distinguitur. Patet consequentia, quia ab ijs omnibus à quibus genus realiter distinguitur, opus est ut realitrr etiam omnes Species distinguantur.

An habitus sint dispositiones? Probatur secundò ejusdem D. Thomæ testimonio: præcedenti enim articulo probat Habitum non esse dispositionem objecti ad potentiam, sed potentiæ ad objectum; atqui Species non sunt dispositiones potentiæ ad objectum, sed potius è contrario: ergo D. Thomas in eâ fuit sententiâ, quæ Habitus à speciebus realiter distinguit.

An habitus generentur ab actibus? Probatur tertiò ex eodem Angelico Doctore, quia cùm Articulo secundo & sæpè alibi doceat Habitus per actus generari, non potest negare Habitus Actibus esse posteriores: ergo realiter distinguuntur à speciebus. Patet consequentia, quia hæ sunt priores actibus, & habitus sunt illis posteriores.

Quo modo corrumpatur habitus? An habeant contrarium Species? Probatur quartò hanc sententiam esse D. Thomæ, quia q. 53. a. 1. ad 2. asserit habitum à contrario corrumpi: atqui ibidem affirmat intelligibiles Species non habere contrarium: ergo has realiter distinguit ab habitibus, haberent enim contrarium illæ quod ipsi habent, si ab illis realiter non distinguerentur.

Ratione etiam probatur; quia eædem Species non sunt habitus. Patet consequentia; quia si essent habitus, non possent eædem habitus diversos constituere: quia, si id contingeret, habitus ab habitu non distingueretur, quòd est absurdum. Antecedens probatur, quia eædem Species objecti ad fidem, Scientiam & Opinionem deservire possunt, ut est perspicuum: ergo Species realiter distinguuntur ab Habitibus.

Cur admissi sint habitus? Confirmatur; quia ratio propter quam Philosophi Habitus in omnibus vel quibusdam potentijs designarunt, est propter facilitatem, quam ex actuum multiplicatione sunt experti; sed hæc facilitas non provenit à speciebus: ergo Habitus ab illis distinguuntur. Antecedens probatur: quia in voluntate propter hanc experientiam Facilitatis majoris vel minoris Habitus ingenuè conceduntur; atqui in voluntate non sunt Species, ut modò dicebamus; ergo Habitus distinguendus est realiter à speciebus.

Iudicium fertur de his sententijs & propria stabilitur mens.

Video utriusque probabilitatem opinionis, neutram esse sine D. Thomâ: verùm prior omninò falsa est, tum quia supponit dari Species intelligibiles, quæ videntur fictitiæ, tum etiam quia si darentur tales Species, non sufficerent ad facilitandam potentiam, & perficiendam illam, quia eisdem speciebus, quibus operatur facilè, posset & operari difficulter; quibus operatur perfectè, posset etiam imperfectè operari; quibus scientificè assentitur, posset etiam opinari, eisdem credere, & his similes operationes elicere. Quam ob rem nostra Conclusio sit, *Habitum non esse idem ac Species intelligibiles.* *Resolutio.*

PRIMA PROBATIO.

Omnes Species tam spirituales, quàm materiales auferens.

Probatur primò ista conclusio. Species sunt à Peripateticis fictæ: ergo cum illis Habitus unici identificarique non possunt. Patet consequentia, & de antecedenti tantummodò potest haberi dubitatio. *Non dantur Species*

Antecedens quoad visum attinet, defendit Bononiæ Thomas Garbius in aulâ publicâ, & Doctorum concessu celeberrimo. Videatur ipse *Summa l. 1. tract. 5. q. 63.* Idem saltem quoad sensus externos admittit Ocham. *in 2. q. 17. &* 18. Greg. *in 1. q. 1. distinctionis 3. & in 2. dist. 7. q. 3.* qui asserunt ad sensationes externas satis esse, quod objecta intra debitam distantiam constituta sint. Alijrem acutiùs contemplantes eas etiam sensibus materialibus internis denegarunt. Ita Porphytius *de sensu.* Galenus *l. 7. de decretis Hipocr. c. 6.* Plotinus *Enneade 4. l. 5.* (Lege Alexand. *in l. de sensu & sens. contra Democritum*) Doctores aliqui non solùm sensibus corporeis, verùm etiam ipsimet intellectui. Ita Themistius, Theophrastus, Aven-Pace: ex nostris etiam nunquam satis laudatus Durandus *in 2. dist. 3. q. 6.* Bachonus *quæst. 2. prolog.* Gotfredus *quodl. 9. quæst. 19. & quodl. 13. q. 3.* Gabriel *in 2. dist. 3. quæst. 2.* Henricus *quodl. 4. q. 7. & 8 & 21. & quodl. 5. q. 14.* Horum igitur Authorum dignitate fretus antequam probem non dari Species necesse est ut modum percipiendi objecta breviter expliceem, ut ex ijs quæ dixerim, robur & probationum vis & efficacia cognoscatur. *in oculis; nec in sensu alio externo, aut interno; secundò nec in intellectu.* *Quo modo percipiantur objecta?*

Primò igitur debes advertere nomine Speciei non solum me intelligere Speciem impressam potentiæ, sed etiam eam quam vocant expressam & à potentiâ elicitam, & dum assero Speeles non esse necessarias ad hoc ut objecta à proprijs potentijs percipiantur, tam de speciebus impressis quam expressis intelligendus venio, quia omnes potentiæ tam corporeæ quàm incorporeæ sine utrisq; sua objecta percipiunt, & in illa sine Specierū auxilio deferuntur.

Secundò notandus modus est, quo negatis Speciebus Potentiæ in suamet objecta deferuntur: quia hoc cognito, facili negotio & hæ negari poterunt. Est igitur Potentiam percipere aliquod objectum, esse illud intentionaliter; hoc est, identificari cum illo identificatione intentionali. Unde videre nihil aliud est, quàm potentiam visivam uniri & identificari suo ipsius objecto Intent- *Quid sit percipere? quid videre? quid intelligere?*

intensionaliter; Intelligere, quàm Intellectum identificari modo intentionali cum ipsâ re intellectâ; & idem puta de alijs potentijs tam spiritualibus, quam materialibus.

Quid sit identificatio intentionalis? Hæc quidem vnio intentionalis non est denominatio extrinseca, ut quidam falsò sibi persuadent: sed est quædam relatio realis, quæ fundatur in potentiâ & terminatur ad objectum. Hinc patet identificationem adæquatè dividi in Physicam & intentionalem: quarum hæc est eò nobilior, quò esse intellectivum præstantius est alogo & irrationali.

De causâ & Conditionibus hujus Identificationis intētionalis non licet ubetiùs disputare: solùm igitur supponendum est duas esse vias quas inire poterimus, ut actus intentionales exponamus. *Possumus enim primò dicere*, sensum exteriorem in genere effectricis Causæ unire se *Primus negandi species modus.* objecto modo intentionali intra debitā distantiā constituto, & hoc per actionē immanētē, & posteà per actionem transeuntem unire sensum cōmunē ipsi objecto, & postea sensum cōmunē vnire etiā actione transeunte intellectū objecto ut simpliciter apprehēdat: ita ut posteà intellectus stantibus illis apprehensionibus liberè judicet, & vniat etiam ipsummet objectū voluntati quæ cùm sit potentia libera, in se præhabet indifferentiam ut possit ferri & nō ferri ab ipso objecto. Iste intentionaliū operationū modos atq; perceptionum processio est probabilis & plausibiliter potest defendi. *Et possumus secundò dicere* objectō habere vim activā vniendi & identificandi se sensui externo: & positâ hâc identificatione ut cōditione posse interno priùs, deinde intellectui, & demùm voluntati, tanquā per gradus adscendēdo. Et iste etiā modus est probabilis: *possem addere alios*, sed his duob. utar hodie, ut alterutro notitias vniversas exponam. *Secundus modus.*

His prælibatis ratione persuadetur non dari Species in Potentijs: & primùm ratione Durandi, qui hoc potissimùm argumento ductus est ut intentionales Species denegaret, videlicet [Species ad id à suis Autoribus ponuntur, ut sint rationes cognoscēdi: ergo oportet eas priùs cognosci & objici etiā Potētiæ, quia alias incognitæ nō possent in aliùs notitiā manuducere: at illę nō cognoscūtur priùs: nō ergo dātur. Cōfirmatur, quia tales species essent objectorū naturalia signa, ut ipsi admittūt; signū autē teste Augustino illud est, quod prętet notitiā, quā ingerit sensibus, nos facit in alterius rei cognitionē devenire. Vbi admittit S. Pater signū prius debere cognosci, quàm illud, cujus est signū, cognoscatur; vnde cùm Species signa quædam sint, opus est priùs potētijs has objici, quàm ipsa objecta percipiantur. Tunc sic. Non potest cognosci objectum, quin cognoscatur priùs species; at, ut experientia manifestat, nullus est qui species præcognoverit; ergo hujuscemodi species debent denegari. Quod si quis vi oppressus argumenti se prius cognoscere speciē affirmet, facilè impugnabitur, quia species visibilis v. g. non potest videri; ergo nō priùs percipitur species quàm ipsius objectū. Antecedens probatur quia nihil potest videri, quod nō sit coloratum; atqui colorē nō habent visibiles species: ergo à potētiâ visivâ percipi nō possunt. Si quis autem

An species debeant priùs cognosci?

Quod signum sit?

An species [illegible]

dicere maluerit eas scilicet coloratas esse (nō enim mirabor semel admissas fieri coloratas) instabo tamē hâc vnâ consequētiâ. Per vos Species coloratæ sunt, & ideò prævidetur ante objecta: sed videntur sine speciebus: ergo aliquod coloratū videtur sine specie: ergo species nō requiritur ut coloratū videatur. Patet cōsequētia; quia si requireretur, nullū coloratū percipi posset sine illis. Et hoc argumētum quod in potētiâ visivâ factū est, de quâlibet potētiâ tā intrinsecâ quàm extrinsecâ, tam materiali, quàm spirituali fieri potest.

Probatur secundò Quia vel objectum communicat speciem immediatè potentiæ, & non medio, vel non: Si communicat immediatè speciem sui potentiæ; jam ergo admittendum est contra Aristotelē agens in distans operari, quin operetur in proximum [Vide quomodo cum hâc responsione doctrina Aristotelis consistere possit.] Si autē dixeris oppositum, videlicet objectum communicare speciem subjecto immediato, & hoc sequenti, & ita in posterum usque ad potētiā, rursus interrogo, vtrum hæc successio per subjecta sit ejusdem numero speciei, ita ut una & eadē numero, quæ genita est ab objecto, successivè per subjecta transiens ad potentiam venerit: vel sit successio diversarum specierum, ita ut objectum producat vnam speciē in subjecto immediato, & hoc aliam in subsequēti, & ita usque ad ultimum, quod ultimam speciē producat in potētiā? si primū dixeris, multa admittis absurda in Peripateticam doctrinam. *An detur actio indistans?* *De motu successivo specierum.*

Primum est, quia admittis dispositiones ad aliquam formam in subjecto, cui repugnat talis forma: hoc autem te admittere, quis non videat? hoc autem esse absurdum, patet: quia ideò Aristoteles in *Metaph.* & *lib. de Cælo*, cælis peregrinas impressiones & accidentia denegat, quia credit illos esse incorruptibiles & non posse habere peregrinam formam substantialem, quam cùm non possint obtinere, peregrinas qualitates: quæ dispositiones sunt ad peregrinas formas, non recipiunt; quia si eas cæli reciperent, essent corruptibiles & formis possent actuari peregrinis. Quod autem tales dispositiones à te admittantur, probo: quia in aëre proximo, cui repugnat videndi actus [ut patet, quia hic actus est actus animalis, & aër est apud Peripateticos omni animâ & sensu destitutus] admittūtur species intentionales, q̄ sunt ultimæ, dispositiones & determinationes ad videndum: ergo jam admittis dispositiones in subjecto ad formam aliquam, quæ illi subjecto repugnet. *An cælum corruptibile sit?* *An aër sit sensibilis?*

Secundum est, quia non potest stare cum Peripateticâ doctrina, quod aliquod accidens individuum & singulare per plura subjecta transeat, quia hoc vel fit per successivam inhæsionem, ita ut priùs inhæreat subjecto proximo deinde sequenti, deinde alteri, & ita in posterùm usque ad potentiam, vel per motum localem, ita ut nulli subjecto inhæreat & per subjecta tanquam per medium spacium moveatur. Primum dici non potest, quia accidens solùm potest inhærere (naturaliter loquor, quia Aristoteles ordinem supernaturalem non cognovit, neque etiam, si cognovisset, hîc est necessarius) illi subjecto, cui semel unitum *An una forma possit transire de subjecto in subjectum?*

est

est, velut Peripatetici loquuntur, illi subiecto de cuius potentiâ eductum est: atqui non est eductum de potentiâ plurium, sed vnius: ergo in uno solùm potest esse subiecto, à quo non deficit ut sit in alio, sed ut in nullo alio sit, & consequenter corrumpatur. Secundum autem si dicatur, videlicet nulli subiecto inhærere illam Speciem, sed per subiecta tanquam per medium trajici usq; ad proprium subjectũ quod est Potentia, in plura absurda inciditur. Primò quia illa Species educta est de potentiâ subjecti; quia aliàs esset facta per creationem,

An accidens aliquod sit extra subjectum?

& objectum haberet potentiam creatricem, & esset æqualis perfectionis cum Deo: quia ad creationem non potentia quæque sufficit, sed omnipotentia, ut pleriq; Catholici admittunt. Tunc sic. Educta est de materiâ, ergo est in subjecto, & si conservatur, in illo debet conservari, ergo extra subjectum esse nequit. Confirmatur. Quia illa Species non conservaretur conseruatione creatrice, ut Sacramenti Eucharistiæ accidentia, quia hoc naturaliter fieri non potest; ergo conservaretur conservatione generatrice, ergo in subjecto: patet, quia in hoc distinguitur conservatio alia ab aliâ quòd creatrix subjectum nequit habere, & illud generatrix excludere non potest.

Deinde, quia etiamsi admitteretur gratis Speciem illam non esse in subjecto inhæsivè, sed assistere illi aut adhærere, non posset motu locali usque ad potentiam devenire; ratio

An indivisibile moveri possit?

est, quia esset in indivisibili spacio, cùm non haberet quantitatem ad cuius extensionem extenderetur; atqui indivisibile, stando doctrinæ Aristotelis, moveri nequit ut per se patet, & latè probant Peripatetici in Physicâ, igitur etiam admisso priori absurdo Species hæc moveri non poterit.

Præterea: etiamsi hæc & alia innumera absurda supponantur, & Species illa sine objecto

An motus possit fieri in instanti?

moveri possit, adhuc hæc sententia falsitatis apertè convincetur; quia motus Localis fit in tempore, & in instanti aliqua res per plura loca trajicere non potest. Ergo positâ stellâ in firmamento & ad illam conversis oculis tempus transiret per quod illam videre non possemus, & quidem temporis spatium proportionatum stellæ distantiæ, quæ juxta omnium Astrologorum ratas observationes est ferè infinita: sed ridiculum esset hoc asserere, quia in eodem instanti quo oculos convertimus ad stellam, illam videmus: ergo illa Species per motum localem ad oculos devenire non solet.

Communis responsio impugnatur.

Si dixeris secundum, scilicet processum & successionem in eo esse, quod objectum generet Speciem in aere proximo, & hæc Species aliam in subsequenti usque ad visum, probabo processum hunc esse impossibilem: quia nusquam hæ generationes possent usque ad potentiam devenire: ratio est, quia Species genita est indivisibilis, & consequenter petit subjectum indivisibile, & hæc Species, si produceret aliam Speciem deberet esse in subjecto immediato etiam indivisibili, & sic deinceps, atqui indivisibile indivisibili additum nihil addit, ut docet Aristoteles *in 6. libro Physica* contra Zenonem: ergo nunquam posset gigni Species quæ distaret ab objecto; nunquam, quæ posset suam efficientiam ad potentiam visivam terminare. Omnia hæc evidentia sunt & satis consequenter ex sententiâ admittente Species, inferuntur, si antecedens illud verum sit; videlicet Species esse indivisibiles;

An species sint indivisibiles?

verùm, ne supponi videatur, illud probo ex perspectivâ, in quâ docetur in quolibet puncto medij pyramidem terminari totamque rem videri: ergo Species, quæ est in illo puncto repræsentat rem totam, & aliàs est indivisibilis: quia si divisibilis esset, in puncto esse non posset; quia sicut ex extensione subjecti extensionem cujusdam formæ *lib. 3. de Anim. cap. 12. tex. 122.* probavit Aristoteles, eo quòd forma debeat subjecto commensurari, sic similiter ex eâdem mutuâ commensuratione dato subjecto indivisibili, quod est quodlibet punctum medij, Species quæ in illo est, erit indivisibilis:

An Species sensibiles sint spirituales?

& ob hanc rationem D. Augustinus *lib. 12. super Gen. ad litter. cap. 16.* Species sensuum *spiritales* nominat, hoc est, indivisibiles.

Deinde: quia etiam admissâ (sententia enim, quæ Species propugnat adeò est falsa ut etiam innumeris absurdis & impossibilibus admissis, consistere non possit) admissâ inquam, in Speciebus successivâ generatione: & admisso eas extendi ad extensionem subjecti, ut illa successiva generationum processio fieri possit, adhuc hæc ipsa sententia falsa est: quia inde sequeretur non videri objectum, quod est absurdum. Sequela probatur: quia Species illud

An videatur objectum?

repræsentat, cuius est species: atqui illa Species, quæ oculis imprimitur, non est Species objecti: ergo per illam non videmus objectum. Minorem probo quia ad id quod immediatè imprimit visui Speciem impressam, immediatè Species expressa terminatur; atqui objectum non est quod immediatè imprimit Speciem visui, sed Species immediatè antecedens: ergo ad hanc, & non ad objectum Species terminabitur: ergo hæc videbitur, & objectum erit invisibile, quod quidem non Aristoteli modò, sed etiam rationi opponitur & experientiæ. Quod si jam probato non videri objectum addiderim Speciem illam quæ genuit, & impressit Speciam ultimam in visu non esse coloratam & per consequens non esse visibilem, consequenter inferetur ex sententiâ oppositâ nos esse cæcos & nihil omninò cõspicere sive videre posse.

Tertium argumentum desumitur ab illo receptissimo & verissimo Axiomate nimirùm, *Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate*, quia frustrà & sine aliquâ necessitate Species à Peripateticis ponuntur: quia juxta illos intelligere est phantasmata contemplari, atqui potest intellectus sine Speciebus naturas, quæ in phantasmatibus relucent, contemplari: ergo non sunt hæ Species ad intelligendum necessariæ.

[illegible]

Confirmatur: quia plura percipimus, quorum Species non habemus; nam Materiæ, Formæ, Corporis, spiritus Dei & aliorum plurium, quæ cognoscimus, nullas habemus: ergo aliqua sine speciebus noscimus: ergo quomodo hæc quæ perfectiora sunt sine aliquibus speciebus noscimus, possemus etiã ea, quæ imperfectiora sunt cognoscere sine Speciebus.

[illegible]

Confirmatur secundò, quia Angelis non sunt necessariæ Species, sine, illis enim cognoscunt suam substantiam, imò & aliorum Angelorum naturas & essentias ut Theologi nobilissimi asserunt.

An Angeli habeant Species?

Ergo nec nobis sunt illæ necessariæ, nunquam enim dabitur congrua disparitas.

An mens semper intelligat

Quartum argumentum sit. Virtus speciei impressæ est determinare intellectum ad intelligendum: atqui hæc semper est eadem; Ergo vel semper intellectus debet intelligere vel debet impressa species denegari: atqui non semper intelligit, ut per se patet; ergo non datur species. Quod autem species impressa semel posita in intellectu semper sit eadem, certum est; cùm semper illi inhæreat & informet & nusquam corrumpatur: quia cùm sit contrario destituta causam non habet à quâ corrumpi possit.

An species senescant

Nec valet dicere species senescere & ideò corrumpi, quia fortè hoc in spiritualibus locum non habet; imò etiamsi haberet, nullo prorsus modo positæ difficultati satisfaceret: ratio est, quia ad minus, dum in intellectu permanent; antequam senescant (omnes enim admittunt inibi plures annos perseverare posse) eædem permanent, intellectum actuant; & determinant, ac per consequens per illud temporis spatium deberet intellectus semper esse in actu, semper intelligere, quod experientiæ contradicit. Et siquis dicat; semper mentem operari, non ideò se expediet ab hâc instantiâ. Esto enim noctu diùque irrequieto motu semper aliquid intelligat mens; quod valdè verosimile est; at non semper omnia simul intelligit, quorum dicitur habere species: at deberet omnia simul intelligere, si illas haberet; ergo illas non habet.

An mens omnia simul intelligat

An negatione causæ ad negationem effectus arguitur.

Confirmatur: quia virtus objecti non sufficit ad producendam speciem ergo non datur talis species juxta illud *Entia quoque nega, quorum Causam esse negasti*, quod in creatis sine exceptione locum habet. Antecedens probatur. Nullus effectus potest propriam causam in nobilitate & perfectione superare; at, si species hæ darentur, objecta perfectione vincerent: ergo dicendum est non oriri ab objectis, & consequenter fictitias & commentitias illas esse. Assumptionem probo. Quia hæ species, si darentur, essent intentionales: atque ordo intentionalis perfectior est ordine physico, ut patet in appetitu intentionali & naturali aut physico: ergo hæ species nobiliores essent, quàm objecta, & consequenter non possent ab illis generari.

An species vitales sint? An possint à causa non vitali produci?

Quintum argumentum. Id quod vitale est, à causâ, quæ vitalis non sit, oriri nequit: atqui species sunt vitales, siquidem vitalem potentiam vitaliter determinant, juxta illud satis commune pronuntiatum, *Quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur*: unde, si species recipiantur à potentiâ vitali, vitaliter etiam debent recipi: ergo species à causâ, quæ vitalis non sit, non possunt provenire. Atqui objecta, ut plurimum non sunt vitalia: ergo ab illis non possunt provenire.

De causa productiva speciei.

Sextum argumentum. Intellectualem speciem vel producit phantasia, aut siquis interint est atque proximior materialis sensus, aut ipse intellectus. Primum dici non potest; quia id quod materiale est; spiritualem effectum producere non potest; sed neque secundum potest dici: jam enim asseritur intellectum à nullâ causâ determinari, sed tantùm à se ipso, quomodo ergo se determinat ad producendum speciem impressam; posset sine hâc specie se determinare ad intelligendum. Dices, Intellectum (quem agentem dicunt) in genere causæ principalis, & phantasma per modum instrumenti causare speciem impressam in intellectu possibili. Benè. Sed adhuc assignandum est per quid intellectus determinetur ad operandum nunc, & non anteà: quo igitur modo ab adversariis determinatur ad assumendum nunc phantasma & non anteà, aut deinceps, & producere speciem impressam; ita poterit determinari sine specie ad producendum cognitionem.

An species intentionales sint ad placitum

Septimum argumentum: quia videntur hæ species à suis authoribus poni ad placitum, quod est absurdum. Et probatur: quia certum est nos cognoscere Vniversalia: rogo igitur, utrùm dentur impressæ species Vniversalium vel non. Si dantur, cur intellectus agens ab eodem phantasmate prædeterminatus hanc potius elicitur; quàm speciem singularis? Sanè non succurrit causa determinativa istius differentiæ; nisi dicas phantasma esse liberum: & tametsi idem est, nunc inclinare intellectum ut intelligat Vniversale, nunc autem ut Singulare. Vel ponenda est libertas in intellectu agenti; ita ut is eodem determinativo possit vel speciem Vniversalis, vel speciem Singularis producere, quæ quis non videat levia esse & absurda & ex oppositâ sententia nata.

An intellectus sit liber

Si negentur Species Vniversalis, quomodo Vniversale nunc, & posteà Singulare cognoscitur, nisi quod intellectus patiens informatus specie impressa singulari adhuc manet indifferens, ut prorumpat in Singularis aut in Vniversalis cognitionem. Posita igitur hâc indifferentia & sublata determinante causa, necesse est ut à se ad alterutrum determinetur intellectus, & consequenter liberè, quia nihil aliud est liberè determinari, quàm non determinari ab aliqua causa extrinseca, sed à seipso.

Omnis est confusio vitanda.

Octavum argumentum. Quia magnus esset, & penè infinitus specierum numerus: qui in opposita sententia admittitur, & ab asseclis nostris negatur: sed omnis multitudo habet connexam confusionem; ergo non dantur species: patet consequentia, quia in operationibus sensuum & intellectûs nulla est confusio.

An species essent incorruptibiles?

Nonum argumentum. Quia species aliquando deficiunt, ut fatentur Avicenn. *lib. sext. Natur. part. c. 6.* & alij plures: atqui non datur causa cur corrumpantur; ergò nunquam fuêre in intellectu: patet consequentia; quia nunc est verum dicere, *Non est talis Species*, & etiam est verum dicere, *non fuit*, siquidem; si fuisset & esse in præsentiarùm deberet, quandoquidem à nullo agente esset corrupta.

An species substantia esset substantiæ?

Decimum & ultimum argumentum fit. Quia si darentur Species, deberent esse qualitates; ergo non possent esse substantiæ imagines perfectissimæ: at illæ substantiæ esse deberent ut substantiæ perfectissimè cognoscerentur. Ergo. Patet consequentia; quia quod imperfectius est, non potest nobilius, excellentiusque adæquatè perfectèque repræsentare. ALIA PLVRA argumenta fieri possent, quæ consultò omitto, cùm sufficiat his rationibus nostram sententiam comprobasse.

An species speculo-vincat reflexio?

Dices: In speculo fit reflexio specierum: ergo dantur species. Patet consequentia; quia ni darentur, non posset esse illa reflexio. Respondent aliqui; Omne Ens corporeum esse generativum, hoc est, communicativum sui in passo capaci ad recipiendam suam formam; sicut enim ignis ignem producit in subjecto apto, sic color in superficie apta (hæc est tersa aquæ, speculi &c.) producit colorem, & imago imaginem; unde in speculo non sunt reflexiones specierum, sed perfectissima corporis objecti delineatio atque depictio, atque sic sine aliquâ reflectione specierum videmus in speculo non corpora ipsa, sed perfectissimas illorum imagines atque expressiones.

An color colorem producat?

Sed hæc responsio gravissimas patitur difficultates: & ideò ad radios visuales recurrendum, qui similes radiorum lucis sint, & per medium dirigantur & refringantur.

Radii visuales.

SECVNDA PROBATIO.

Habitus ab Intellectu non distinguens.

MDIII. *An & quo modo habitus à suis potentiis distinguantur?*

EXplicavimus quid non sint Habitus; restat nunc explicandum & probandum quid ipsi sunt. Nihil aliud sunt Habitus quàm ipsæ potentiæ: nam Habitus naturalis intellectualis non distinguitur ab intellectu; Habitus voluntarij à voluntate; sicut nec Habitus supernaturalis credendi ab intellectu supernaturali, qui est Fides, & Habitus supernaturalis amandi à voluntate supernaturali, quæ est Charitas;

Intellectus supernaturalis.

Intellectum supernaturalem voco Fidem; quia ipsâ constituitur Anima proximè potens ad intelligendum supernaturalia, ad quorum cognitionem ita concurrit Fides, sicut intellectus ad cognitionem naturalium, ita ut in cognitione supernaturalium Fides sit tota ratio agendi: idemque dicendum est de Charitate & Spe, quæ veræ sunt potentiæ, cùm non dent faciliùs posse, sed simpliciter posse.

An sit tota ratio agendi? An sit potentia, an habitus?

Quid sit potentia?

Quod, si dicas, sæpè à Patribus Fidem, Spem & Charitatem vocari Habitus, & consequenter non posse esse potentias; admitto antecedens: quia reverà Habitus sunt; nego autem consequentiam: quia id quod est Habitus debet esse etiam potentia, quod in Habitibus istis supernaturalibus clarè conspicitur; quia illud est potentia quod dat simpliciter posse; ideò enim dicimus intellectum esse potentiam Animæ, quia dat simpliciter & proximè posse intelligere, quia sine illo non poterat intelligere simpliciter, proximè & absolutè, sed solùm radicaliter & secundum quid. Atqui Habitus supernaturalis dat simpliciter posse; quia sine Fide; v. g. non possemus veritates supernaturales supernaturaliter cognoscere, nisi ut plurimum remotè & radicaliter, eo sensu, quo posset anima cognoscere naturalia sine intellectu: ergo Habitus supernaturalis est etiam potentia proxima ad actiones supernaturales.

Quomodo distinguatur ab habitu?

In hoc autem distinguitur Habitus à Potentiâ, quia eadem entitas (intellectus exempli gratiâ) dupliciter potest considerari, vel in quantum informat Animam, vel in quantum magis & minus in illâ potest irradicari. Priori modo dat Animæ simpliciter & proximè posse intelligere & consequenter est potentia. Posteriori modo dat Animæ posse perfectiùs, & faciliùs, aut imperfectiùs & difficiliùs intelligere, prout magis sit vel minus irradicata in ipsâ Animâ, & hoc modo cognominatur Habitus.

An omnis qualitas possit intendi & remitti?

Vides igitur superfluas esse qualitates habituales ab intellectu Hominis distinctas: quia omnia, ad quæ deserviunt, causat sine ipsis intellectus, qui faciliùs atque præstantiùs operatur, si intensior sit, si verò remissior, despicatiùs. Nec tibi debet videri leviter dictum, Intellectum intensionis & remissionis capacem esse: quia cùm is sit qualitas, debet legibus qualitatum subjacere, quarum una est, quod remissionis & intensionis sint participes teste Aristotele in Prædic.: cap. de Qualit.

De habituum distinctione inter se.

Dices in hâc sententiâ asserendum esse Habitum Medicinæ ab Habitu Theologiæ non distingui, quod experientiæ contrariatur: potest enim quis habere Habitum Medicinæ & non Theologiæ, aut è converso, atque unum esse intensum atque remissum alium; ita ut perfectiùs operetur in unâ scientiâ, imperfectiùs autem in alterâ. Respondeo, admittendo Habitum unius scientiæ ab Habitu alterius realiter non distingui; quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: atqui ex eo quod ego simpliciter non cognoscam unum objectum & cognoscam aliud, non sequitur potentiâ quâ cognosco unum distingui à potentiâ quâ cognosco aliud; ita similiter ex eo quòd perfectiùs cognoscam unum & imperfectiùs aliud, non sequetur Habitû quo per-

fectè

fectè cognosco unum, distingui ab Habitu quo imperfectè cognosco aliud: quia hæc diversitas non se tenet ex parte intrinseci; sed ex parte propositionis objectivæ. Confirmatur hæc veritas: quia sententia est D. Thomæ & totius suæ Scholæ Theologiam esse (& idem puta de Logicâ, Physicâ atque de aliis scientiis) unum & eundem Habitum; & ut ipsi loquuntur, eandem simplicem qualitatem; atqui potest, (ut est evidens) quis perfectè cognoscere quæstiones de scientiâ Dei, & ignorare Mysteria Trinitatis, quin hoc tollat esse unum & eundem habitum, qui circa utrumque versetur; ergo sic similiter, ex eo quod quis sit doctus Medicinæ, & imperitus Theologiæ, non sequetur Habitus Theologiæ & Medicinæ esse inter se realiter distinctos.

An scientia sint simplices qualitates?

Addo meliùs in meâ sententiâ posse explicari diversitatem, quæ inter casus positos experimur: quomodo scilicet, cùm idem & ipse Habitus Theologiæ sit circa scientiam Dei atque Mysterium Trinitatis, possit quis perfectiùs cognoscere priorem; & ignorare posteriùs aut è converso? quia Intellectus non solùm dicit relationem ad scibile ut sic & in communi, sed etiam ad omne scibile in particulari; cùmque ego admittam relationes posse perfectiùs tenaciùsque fundari unas quàm alias, atque magis intrinsecè uniri proprio termino; unde etiamsi intellectus æquè intensus sit respectu omnis scibilis, non æquè ad quodlibet refertur, & ideò non æquè à quolibet participatur; & ideò liquidiùs cognoscitur & perfectiùs unum objectum quàm aliud. Explico hoc exemplo satis communi & materiali: quia etiamsi major ignis majoris calefactionis causa sit; non valebit dicere, *Petrus magis calefit quàm Paulus; ergo ignis quo Petrus calefit ab eo igne distinguitur à quo calefit Paulus*: posset enim diversitas in aliquâ conditione constituta esse, puta si Petrus propinquior igni esset quàm Paulus; tunc enim licèt ipsissimus ignis esset, haberet majorem efficientiam respectu unius; quàm respectu alterius. Sic similiter, licèt intensior Habitus absolutè sit causa perfectioris actûs; non ex eo quod videamus cognitionem alicuius veritatis de scientiâ Dei esse perfectam, & aliam alterius veritatis de Trinitate esse imperfectam; licet inferre hos Habitus distingui realiter: quia stante eâdem perfectione Habitûs potest distinctio esse in applicatione & ita perfectiùs operabitur idem Habitus respectu objecti magis appropriati, quàm respectu aliûs magis remoti; hancque loquendi modum; hancque differentiam ex parte objecti admittit communiter Hispania tota: quia cùm vult significare aliquis se aliquam veritatem percallere, dicit, *que esta muy en la difficultad*, & cùm vult significare se illius esse ignarum, dicit *que esta remoto della*. Relatio enim illa ab intellectu ad hanc difficultatem in particulari tenaciùs, aut minùs tenaciter fundatur. Et eæ relationes sunt conditiones sine quibus non, quia sunt determinationes intellectûs ad hæc vel illa objecta in particulari.

MDIV An intensione sit magis & minùs?

Possem hîc satis longè & prolixè disputare de specificatione & subalternatione Habituum: & licèt ab hâc difficultate non facilè se expediant authores: in meâ sententiâ satis facilis responsio est; dicendum enim est *Specificationem & subalternationem scientiarum aut Habituum ab objectis desumendam esse*. Ratio hujus est; quia eo modo quo Habitus distinguuntur inter se, eo modo debent subalternari; sed distinguuntur præcisè per relationes ad objecta ergo iisdem debent subalternari.

De subalternatione scientiarum.

Inquiunt aliqui; *Utrùm scientia aut Habitus, qui ad plures conclusiones respicit sit una simplex qualitas; an sit composita ex tot qualitatibus partialibus; quot fuerunt conclusiones?* Aliquid insinuavimus superiùs: sed quia plurimos malè torquet hæc satis acerba disputatio, illam examinare aut etiam exhaurire debemus. Cùm igitur semel dixerimus Habitus ab Intellectu non distingui, consequenter pronunciare debebimus, *Quemlibet Habitum, licèt ad plura theoremata seu conclusiones extendatur esse simplicem & individuam Qualitatem*. quod demonstratur ex prædictis. Habitus enim non distinguitur ab Intellectu, hic est simplex qualitas: ergo Habitus est simplex qualitas.

Dubium incidens. *Resolutio.*

Interrogant alij, *Utrùm detur Habitus principiorum?* Respondeant alij, ut maluerint; & folia quàm plurima consumant in hâc disputatione, ego verbo respondeo affirmativè. Ratio est, quia idem est Habitus ex parte intrinseci omnium veritatum; ergo datur Habitus etiam Principiorum: addo hunc intendi & remitti, non solùm secundum qualitatem, quæ est intellectus, sed etiam secundum appropriationem, quæ est relatio intellectus ad hujuscemodi Principia.

Dubium aliud. *An relationes intendantur?*

Rogant alij quomodo differant Habitus isti naturales, Fides, Scientia & Opinio? Huic etiam interrogationi satisfaciam.

Quomodo inter se differant Habitus intelligibiles?

Habitus Intellectûs est Habitus quo alicui veritati assentimur. Assensus autem potest fieri aut ex connexione terminorum, aut ab aliâ causâ extrinsecâ. Hic autem pendet vel ab authoritate dicentis, vel à præmissâ aliâ propositione. Assensus, qui fit ob authoritatem docentis, dicitur *actus fidei*; qui infertur ex præmissa aliquâ propositione, dicitur *Conclusio*. Et hæc vel est Erronea, vel Dubia, vel Opinativa, vel Scien-

MDV. *Fides.* *Conclusio.*

tifica: quæ omnes in præsenti veniunt explicandæ.

Quis sit Assensus ex connexione terminorum?

Quid sit talis assensus?

PErfectissimus assentiendi modus est, qui provenit ex cognitione Causarum essentialium, videlicet ex cognitione essentiæ Nominis & Verbi (vel, ut Peripatetici loquuntur, Subjecti & Prædicati) quia cognoscens intrinsecè essentiam hominis & animalis cognoscit connexionem intrinsecam, & ex sola terminorum cognitione, sine aliqua discursu assentitur Propositioni. Hic cognoscendi & judicandi modus communiter admittitur in Angelis, & etiam in Anima separata, quibus ob vivacitatem mentis omnis discursus denegatur, siquidem ad cognitionem unius propositionis non indiget aliquo extrinseco, sed sufficit illis præcognita connexio terminorum. Hic etiam cognoscendi modus interdum reperitur in homine: cùm enim cognoscit triangulum, sine discursu aut testimonio cognoscit habere tres lineas, & quatuor habare non posse.

An conveniat Angelis? An hominibus?

Quis sit Assensus ex fide?

ASsensus Fidei ille est, qui versatur circa aliquam propositionem assertivè, cujus veritatem non cognoscit, sed credit illam esse veram ob authoritatem dicentis. Sic assentimur huic propositioni, *Constantinopolis est praclara civitas in fine Europa.* cujus extrema non cognoscimus, nec ratione ducimur ad eam credendam, sed solùm authoritate Cosmographorum eam delineantium, & aliorum nō minoris dignitatis hominum eam asserentium: quia stante prudentia nemo eam poterit negare: nemo enim Constantinopolim negare poterit., quin asserat tot hominū millia, excepto nemine, aut decipi aut decipere, quod moraliter est impossibile.

De fide humana.

Differt Fides ab intuitione vel assensu, qui fit ex connexione terminorum, in eo quod illa assentiitur ob causam extrinsecam, vel ut dici solet, per locum extrinsecum, quin assentientem moveat intrinseca connexio Subjecti & Prædicati: Assensus autem qui fit ex intuitione, ille est, qui fit independenter à quacumque causa extrinseca, sed solùm ex contemplatione & apprehensione terminorum.

Fidei & evidentiæ differentia.

Quis sit Assensus ex Errore.

ERroneus Assensus ille est, qui provenit ex præmissis falsis in necessaria & legitima forma, ut patet in conclusione hujus syllogismi: *Omnis homo est arbor: Marmor est homo: ergo Marmor est arbor:* ubi de hac Propositione *Marmor est arbos* habetur error; quia illata est ex præmissis, quæ non habent aliquod fundamentum veritatis. Et hic assensus, licèt formaliter sit erroneus, terminativè potest esse duplex, quia vel est circa Propositionem veram, vel circa Propositionem falsam.

Quid sit error, & quotuplex?

Assensus erroneus circa Propositionem veram ille est, quo alicui propositioni, quæ aliàs est vera, assentimur propter præmissas improbabiles & falsas, ut si huic propositioni, *Petrus est homo*, quæ vera est, aliquis assentiatur, quia infertur ex isto syllogismo, *Omnis piscis est homo, Petrus est piscis; ergo Petrus est homo*, Quia tunc iste assensus Conclusionis, licèt terminativè & materialiter esset verus, formaliter esset falsus, quia formalem specificationem desumit à Præmissis, quæ sunt erroneæ.

Assensus erroneus circa Propositionem falsam ille est, quo quis acquiescit propositioni falsę ob præmissas etiam falsas & erroneas: ut si quis assentiatur Conclusioni hujus syllogismi *Omnis spiritus est niger, Papyrus est spiritus: ergo papyrus est nigra:* ubi non solùm Conclusio, sed etiam & præmissæ sunt erroneæ.

Nec debet cuipiam videri impossibile, Errorem posse circa propositionem veram versari, cùm possit actus infidelitatis vitij oppositi virtuti supernaturali Fidei terminari assentivè ad propositionem de fide, ita ut possit aliquando contingere assensum hujus propositionis *Deus est trinus & unus*, esse actum infidelitatis, ut si quis assentiretur huic Propositioni propter hæc Principia: videlicet. *Quòd Lutherus universalis Ecclesia Pater diffinivit contra Concilia est Fide tenendum: Atqui contra Concilia diffinivit Lutherus hanc propositionem* Deus est trinus & unus*: ergo hac propositio*, Deus est trinus & unus, *est Fide tenenda.* Tunc etenim qui assentiretur huic propositioni ex illo motivo, esset materialiter quidem Catholicus, formaliter tamen hæreticus. Ratio hujus est; quia sicut non est actus meritorius assentiri alicui propositioni de Fide ex motivo probabili, si nesciam esse diffinitam, imò negare Propositionem de Fide quam nescio esse diffinitam, nec scire teneor, non est peccatum; quia nec ibi assentior, neque hic dissentior ex motivo Fidei, videlicet quia Deus dixit; sic similiter esset peccatum negare propositionem hæreticam, si existimassem esse ab aliquo Concilio diffinitam: aut assentiri alicui propositioni de Fide, si crederem eam esse ab aliquo Concilio reprobatam. Et sic in casu posito, licèt hæc propositio, *Deus est trinus & unus*, sit de fide, si aliquis existimaret esse Lutheranum dogma contra aliquod Concilium, & ut tali ei assentiretur, esset formaliter hæreticus, quia jam ejus intentum esset ire contra Concilium, & sequi Martinum Lutherum.

An articulus fidei possit admitti perfidè?

De Assensu dubio.

ASsensus dubius ille est, qui infertur ex præmissis, de quarum veritate aut falsitate dubito, nec habeo rationem sufficientem ut eas asseram veras vel falsas, ut pa-

ut patet in hoc syllogismo : *Quando Turca dormit , jacet in conopæo : at modo dormit, ergo modo jacet in conopæo.* Cujus major & minor dubia incertam & dubiam conclusionem inferunt.

Differt autem Dubium ab Errore ; quod illud versetur circa propositionem veram vel falsam sine sufficienti fundamento prolatam, quando quis nescit an alterutri parti assentiatur. Error autem versatur circa Propositionem veram aut falsam in falso & erroneo fundamento subnixam: vel ut verbo dicam , Error versatur circa propositionem fundatam in ratione falsa per ignorantiam crassam existimata vera , vel probabili. Ignorantia crassa in hoc distinguitur ab invincibili , quod illa sit ex incuria , ex negligentia ioterrogandi , aut præmeditandi rem aliquam : ut siquis in Sacramento Pœnitentiæ oblitus alicuius peccati , non confiteatur illud : dicetur ignorare illud se commisisse ; si tamen hæc oblivio ex eo sit , quod non erat dispositus prævio examine , & præmeditatione necessaria , dicetur illa ignorantia crassa atque culpabilis. Quod si prævio examine & præparatione sufficienti alicujus peccati oblivio accidat, illa oblivio erit ignorantia , sed naturalis , invincibilis , & non demeritoria, quia non fuit in pœnitente se ab illius tenebris caligineque liberare.

De Opinione.

MDVI. Quid sit?

*O*Pinio est Habitus inclinans ad assensum unius Propositionis cum formidine alterius. Ad intelligentiam istius Definitionis notandum est syllogismi præmissas esse vel nullas, vel leves ; vel graves , vel evidentes. nullæ pariunt consequentiam dubiam negativè :

Dubium. Opinio. Scientia.

leves dubiam positivè : graves probabilem & opinativam : assentientem cum formidine alterius : certæ & evidentes scientificam & carentem formidine sed quid quæso est formido ? Aliqui dicunt eam esse actum reflexum , quo opinans judicat suum assensum posse esse falsum (& consequenter loquuntur de certitudine eam nimirum esse actum reflexum quo demonstrans judicat suum assensum non posse esse falsum) unde assensus opinativus ante actum reflexum non habebit formidinem formalem, sed solummodò virtualem, sive radicalem, habiturus formalem, cùm actum reflexum habuerit.

Quid formido & certitudo sint.

Sed hæc explicatio formidinis non placet, quia actus ille reflexus , vel haberet formidinem formaliter , vel objectivè : Si hoc dixerint , intentum teneo ; quia jam esset in objecto quod est formido formaliter, siquidem, si non esset inibi , non posset obiici reflexo. Si dixerint esse formaliter in actu reflexo, falsitatis convincuntur, quia actus ille reflexus est certus & demonstrativus, evidens enim est & demonstrabile opinionem generare formidinem, ergo actus ille reflexus non potest habere formidinem formaliter, quia actui scientifico & evidenti omnis formido contrariatur.

Nec valet instantia ex scientiæ certitudine desumpta, quia hæc etiam intrinseca est in actu scientiæ , quia actus scientiæ per seipsum est cognitio rei evidentis quæ non potest aliter se habere , ut patet ex definitione scientiæ : ergo ipse actus scientiæ formaliter est certus , non ergo est actus reflexus necessarius. Confirmatur : quia conclusio scientię ex eo quoad proveniat ex præmissis per se notis & necessariis , habet quod sit cognitio rei ita se habentis ac cognoscitur , & hic ante reflexum actum : ergo ante reflexum actum datur certitudo.

Est igitur habere formidinem , assensum provenire ex causis defectibilibus & non necessariis : quod iin se habet assensus opinativus ante omnem actum reflexum , quia cùm causa non sit necessaria , non necessitat intellectum ad assensum. Et hæc incertitudo qua intellectus assentitur conclusioni topicæ sive syllogismi probabilis , ea est, quam formidinem communiùs nominamus.

Ex hac formidinis explicatione cognoscitur scientiæ nobilitas ; quia licet Error, Dubium , Opinio , & Scientia positis præmissis conclusionem inferant deducantque ; in hoc differunt , quod Error positis præmissis erroneis & fallacibus infert ex illis conclusionem cujus oppositæ non potest solùm ; sed etiam tenetur. acquiescere. Error.

Dubium oritur ex dubiis fundamentis , vel positivis ; vel negativis : positivis quidem , quando præmissæ dubiæ sunt , negativis , quando nulla præmissa reperitur ex qua inferatur conclusio : tunc enim homo hæret , & neutri parti assentitur , neutram condemnat. Dubium.

Opinio ita uni parti assentitur , ut illam negaret , & alteri assentiretur , si opus esset , sufficienti fundamento fretus quo alterutrum defenderet, & objectis alterutrius obviaret. Opinio.

Scientia autem ita uni propositioni acquiescit , ut sciat & evidenter cognoscat illam esse veram ; ex quo assensu oppositam consequenter condemnat ; nec poterit illi acquiescere , & priorem conclusionem quam acquisivit scientificè abnegare ; quod clariùs cognoscetur, cùm de essentia scientifica Propositionis disputavero. Scientia.

De Scientia.

MDVII. Quid sit scientia?

*V*Enimus ad perfectissimum naturalium Habitum , qui scientia est, & ita solet diffiniri. *Scientia est Habitus per demonstrationem acquisitus.* Sed demonstratio diffinitur sic. *Demonstratio est oratio in qua ex præmissis necessariis , evidentibus & per se notis conclusio infertur necessaria.* Sic solent Peripatetici demonstrationem definire : & quidem bene si Aristotelicam definiant ; nos facilius & clarius ,

Quid demonstratio?

nobis

nobis enim *Demonstratio est syllogismus legitimus cujus præmissæ sunt certæ.*

Inquites, *An distinguantur realiter istæ intellectus facultates?* Et respondeo jam iterum iterumque meam sententiam insinuasse aut posuisse: puto enim illas esse realiter identificatas; & distingui tantummodo penes diversas relationes, quas fundant: quia Habitus ponit præmissas, & ipse & hæ causant conclusionem: unde ex actione terminata ad præmissas dubias dicitur *Dubius*: si terminetur ad præmissas probabiles dicitur *opinativus*, si autem ad per se notas, *certus*.

De coexistentia habituum habitu. Ex hâc resolutione respondeo alteri difficultati inquirenti nimirùm, *Vtrùm Habitus possint esse simul?* & respondeo, affirmativè, imò repugnare dico illos non esse simul in intellectu, quandoquidem sint identificati & indistincti realiter. Non loquor hic de Habitibus supernaturalibus; quia de his statim disputabo.

De actibus Erroris, Fidei, Dubij & opinionis & scientiæ major posset esse dubitatio, utrùm scilicet ex præmissis probabilibus & evidentibus simul operantibus possit resultare actus scientiæ & Opinionis simul existens in eodem intellectu? Hæc autem ex his theorematibus sine difficultate declarabitur.

Quid sit distinctio entitativa juxta nostram distinctionem. I. Theorema *Actus & Habitus entitativè distinguuntur.* Patet; quia in Scholâ reali dicuntur distingui realiter, in modali modaliter, in formali formaliter, & in expressivâ expressivè. Cæterùm realem distinctionem non requiri, potest contra reales probari: quia actus intellectus nihil aliud est, quàm intellectus actualiter identificatus objecto identificatione intentionali, cùmque Habitus sit ipse intellectus unitus objecto tanquam potentiæ suæ termino intelligibili; quæ unio non est identificatio intentionalis, sed identificabilitas (ut sic loquar) vel appropriatio (sicut in igne calefactio actualis & appropinquatio distinguuntur, ratione proportionis habitâ) ita actus & habitus in fundamento conveniunt & solùm distinguentur per relationes: quamobrem qui dicat relationes esse modos; formalitates aut expressiones; consequenter dicturus est, actum habitumque distingui modaliter, formaliter aut expressivè. Sed quia hodie expressivam Scholam majori ex parte profitemur, dicemus actum habitumque tantummodò expressivè distingui.

II. Theorema. *Actus ab actu, & Habitus ab Habitu etiam distinguuntur expressivè.* Probatur hæc conclusio: quia conceptus formalis Hominis est intellectus identificatus intentionaliter cum Homine: & conceptus formalis Equi est ipsissimus intellectus intentionaliter identificatus cum Equo. Atqui intellectus identificatus cum Homine & intellectus identificatus cum Equo, in re conveniunt, & solùm penes diversas identificationes distinguuntur; quæ quædam tantùm sunt expressiones; ergo non distinguitur Actus ab Actu realiter ut Petrus à Paulo; sed expressivè penes diversas relationes & connotata. De Habitu eadem est ratio; & ideò non est sine necessitate repetenda.

III. Theorema. *Æqualis distinctio est quæ versatur inter Actum & Actum, & illa quæ versatur inter Habitum & Habitum.* Demonstratur autem hæc conclusio: quia distinctio, quæ versatur inter actum & actum est inter entitates ejusdem ordinis, nempè formales & tantùm distinctas terminativè; quia neque ex parte fundamenti, neque ex parte sui distinguuntur, quia fundamentum utriusque identificationis intentionalis ipse intellectus est, & utraque identificatio ejusdem speciei & solùm distinguuntur terminativè ex terminorum & objectorum distinctione: Atqui etiam Habitus inter se eodem modo distinguuntur: siquidem unio unius Habitus & unio alterius sunt ejusdem speciei; & fundamentum est idem, videlicet ipse intellectus: & solummodò termini sunt diversi, ut etiam in actibus, ergo eodem modo Habitus ab Habitu ac Actus ab Actu distinguitur.

IV. Theorema. *Major est distinctio, quæ versatur inter Actum & Habitum, quam illa quæ versatur inter Actum & Actum aut Habitum & Habitum.* Probatur facilè: quia licèt ex parte fundamenti æqualiter conveniant, & ex parte termini æqualiter differant, ex parte autem unionis seu relationis intellectus & objecti differunt: quia Habitus dicit appropriationem, quæ est quasi dispositio aut determinatio ad intelligendum, Actus verò actualem identificationem, quæ est intelligendi ratio sicut hominis unio. Appropriatio enim & Identificatio intentionales in omnium sententia distinguuntur.

V. Theorema. *Habitus unus potest elicere unum Actum, quin operetur alium Actum.* Patet hæc conclusio experimento quotidiano, quia concipimus sæpè unam rem, quin concipiamus aliam. Confirmatur ratione. Quia facere Actum nihil aliud est, quàm unire intellectum objecto in genere efficientis causæ: atqui potest Habitus unire intellectum uni objecto, quin uniat alij: ergo potest elicere unum actum, quin eliciat alium.

VI. Theorema. *Potest unus Habitus operari, quin operetur alius Habitus*: quia sicut in pomo albo & dulci album potest videri quin sentiatur dulce, & e contrariò; & in igne, qui cùm sit calidus & siccus, potest calefacere quin siccet, siccareque quin calefaciat. Sic similiter potest Fides assensum elicere, quin operetur scientia, aut Opinio aut alius Habitus ex reliquis, aut è converso: maximè cùm intellectus habeat connexam libertatem, & possit assensum præbere ponens has vel illas præmissas.

Dices: Habitus non distinguuntur realiter ab intellectu, atqui intellectus non

potest

potest operari quin operetur intellectus: ergo neque unus habitus quin operetur alius habitus. *Respondetur* distinguendo majorem: Habitum & Intellectum non distingui realiter aut modaliter concedo, non distingui expressivè nego: non posse operari intellectum, quin operetur intellectus, etiam distinguo: potest enim operari sub una expressione, quin operetur secundum aliam: In Deo enim Amor & Odium tantùm distinguuntur expressivè, & nihilominus actum reprobationis non elicit per attributum charitatis.

Quomodo distinguantur attributa in divinis.

VII. THEOREMA. *Non potest intellectus per eundem Habitum neque per distinctum assentiri simul duabus propositionibus adæquatè distinctis, ut Petrus est homo, Ioannes non est equus.* Ratio hujus est, quia jam esset cognoscere plura ut plura quod adversatur experientiæ.

Resolutio.

De concursu habituum.

NOn possunt in eodem intellectu esse duo actus distincti, alter fidei & alter scientiæ, &c. Unde infertur, non posse operari Fidem actum A, quando actum B operatur opinio, aut scientia, aut alius Habitus diversus. Ratio est, quia inde sequeretur intellectum posse simul elicere plures actus: aut etiam cognoscere plura adæquatè distincta, quod est falsum, & septimo theoremati apertè opponitur. Sequela comprobatur, quia essent simul in intellectu præmissæ probabiles & præmissæ scientificæ quæ sunt adæquatè diversæ, ut per se patet.

An fides & scientia sint simul.

Hanc conclusionem extendit D. Thomas ad Fidem supernaturalem 2.2.*q.*1.*art.* 4. *&* 5. asserens Fidem supernaturalem non posse operari operante scientia aut opinione: eum sequuntur communiter sui discipuli; eam tenet Magister Lorea super citatum locum S. Thomæ, & pro ea allegat Authores plurimos; & existimat esse magis conformem S. Paginæ, quàm sententiam oppositam: quia Fidem non posse esse cum scientia docuit D. Paulus cùm dixit *illam esse argumentum non apparentium*; unde & Augustin. *tract.* 68. *in Ioannem* dicit *Fides quod non videt* (aut non scit scientificè) *credit: quia, si vides, non est Fides.* Et ideò Fidem definivit dicens; *Fides est habitus credendi quod quis non videt.*

Obiectiones.

NOn deficiunt, qui contrarium asserant & dicant posse in eodem intellectu simul esse Actum scientiæ & opinionis, Scientiæ & Fidei, & sic de reliquis. Pro hac sententia citari solent ex antiquis Alex. Alensis 3. *p. q.* 6. Durandus & Bonaventura *in* 3. *dist.* 24. *art.* 2. *q.* 1. *&* 2. ex recentioribus autem pauci isti sententiæ suffragantur, eos citat Caberus *tract.* 7. *in lib. de post. resol. disp.* 4. *dub.* 6.

Probatur primò; quia Philosophus Christianus credens Deum esse unum, potest simul cognoscere causam quâ id demonstratur, & cognoscere hanc veritatem esse diffinitam à Conciliis; ergo poterit simul præbere assensum ex motivo fidei, & ex illuminatione per se notarum præmissarum, & consequenter simul Fidem & Scientiam actualem habere.

Probatur secundò, quia licèt actus Fidei sit obscurus, & actus Scientiæ sit evidens & clarus, non opponuntur; quia licet sint de eodem objecto; non sunt de eodem motivo. Respondeo intellectum non posse elicere duos actus simul, ita ut actus A sit fidei & non scientiæ, & actus B sit scientiæ & non fidei: benè tamen posse elicere unum actum ex diversis motivis. Rem explico: Non potest homo non repleatus duos cursus habere simul: non enim est intelligibile; quod ex P. ad Q simul moveatur mobile duplici motu. At possibile est, Petrum unico quidem motu, sed ex duplici motivo (partiali aut etiam totali) moveri: nam si domi suæ esset pestis, esset hostis, esset incendium, egrederetur procul dubio, & ille egressus procederet ab his tribus causis totalibus. Et hinc patet quo debeat modo argumentis in forma satisfieri.

An unus & idem actus esse possit fidei & scientiæ.

De Fide Supernaturali.

TErigimus plura de Fide supernaturali, quæ postulant brevem ejus explicationem. *Est ergo Fides supernaturalis qualitas infusa in Animæ medio intellectu, per quam supernaturaliter intelligit & credit.* Versatur circa veritatem ut revelatam a Deo, cui, cùm sit perfectissima, nullo modo potest subesse falsum; quia si quis putet propositionem, quæ reverà est falsa, esse diffinitam ab aliquo Concilio, & ut tali illi assentiatur, hic assensus non erit supernaturalis sed naturalis & ab Habitu naturali emanans. [Nota hoc ultimum bene, & dabit tibi lucem in maximis difficultatibus.]

Quid sit.

An illi possit subesse falsum.

Fides per modum Potentiæ, & Fides per modum Habitûs, & Fides per modum Actus distinguuntur ut Intellectum, Habitum & Actum distingui docueramus: quia eadem fides præscindit ab intensione aut remissione & dicit suam nudam entitatem est virtus Fidei; prout dicit majorem sive minorem intensionem est Habitus Fidei: atque prout dicit identificationem actualem intentionalem cum objecto est Actus Fidei: Res; quas credit, sunt supernaturales, saltem ex motivo, quia si quando ad aliquam naturalem veritatem terminatur, ad illam non terminatur naturaliter sed supernaturaliter; hoc est, non ex motivo naturali, sed supernaturali, ut patet in hac propositione, *In principio creavit Deus cœlum & terram*; cui licèt naturalis ipsa sit, Fides assensum præbet ex motivo supernaturali:

Fides potentia. Fides habitus. Fides actus.

Objectum fidei.

Dices: ex dictis sequi posse Actum Fidei supernaturalis compati cum Actu Scientiæ; quia tota repugnantia posita est in eo, quod intellectus non possit cognoscere plura ut plura, sed dantur duo intellectus realiter distincti, alter naturalis, alter supernaturalis qui est Fides, ergo possunt simul operari. Pro-

Objectio prima. An actus scientiæ naturalis & fidei supernaturalis compati possint.

batur consequentia; quia si darentur in Anima duo intellectus naturales, simul posset uterque illorum operari; ergo etiam poterunt simul naturalis intellectus & Virtus Fidei suas proprias actiones exercere. Confirmatur: quia operantibus sensibus externis operatur sensus internus materialis, & operante hoc etiam simul potest (imò sæpiùs solet) operari intellectus: ergo operante intellectu poterit etiam Fides operari.

Responsio est satis facilis: quia vel est eadem propositio quam format Fides cum ea quam format scientia, vel diversa: si primum dicas, adserendum est non posse simul cognosci à fide & scientia, quia ab illa cognoscitur obscurè, ab ista clarè, idemque objectum nequit in eodem tempore clarè atque obscurè cognosci. Si illæ propositiones sint diversæ, dico quod repugnat (& suppositum est & explicatum ultimo theoremate) non jam dari duas apprehensiones simul in intellectu, sed duos assensus disparatos ut tales: ita ut Anima simul non possit duabus propositionibus disparatis atque diversis assentiri: unde licèt darentur duæ virtutes (sive ut hoc nomine utar, duo intellectus) alter naturalis & alter supernaturalis, non poterunt ambæ operari, quia jam Anima conciperet plura ut plura: Instantia quæ sumitur de duobus intellectibus naturalibus; nullius est roboris, quia etiam si darentur; non possent ambo operari propter operationem positam. Instantia alia de potentiis materialibus non urget: quia non negamus Animam simul posse plura apprehendere, sed posse plura judicare, sensus autem materiales non sunt judicativi, sed apprehensivi, ut de se patet.

Objectio se[?] fundat[?] Dices: etiam in quolibet assensu scientifico elicere Animam simul plures assensus, & plures propositiones efformare; Majorem scilicet, Minorem, Conclusionemque: ergo si hoc potest unus & idem Habitus, meliùs duo diversi Habitus poterunt: maximè si realiter distinguantur, ut Scientia & Fides supernaturalis.

Respondeo cognoscere simul duas præmissas & conclusionem, non esse cognoscere plura ut plura, sed per modum unius syllogismi, & cōsequēter nō assentiri illis intellectus ut enuntiationibus disparatis, sed ut propositionibus essentialiter inter se connexis.

Objectio tertia[?] Addis posse aliquem efformare syllogismum ex una propositione de Fide, & alterâ scientificâ, ut patet in hoc, *omnis homo est animal rationale, Christus est homo: ergo Christus est animal rationale: Atqui ad Majorem concurrit scientia, ad Minorem Fides: ergo Fides & scientia possunt simul operari.*

MDIX. Dico syllogismum non posse constare ex altera propositione de fide supernaturali, & alterâ naturali, quia licet præmissa esse possit aliqua propositio diffinita, prout est præmissa non potest esse supernaturalis sed erit propositio naturalis. Quia licet huic propositioni *Christus est homo* seorsim sumptæ possim assentiri assensu supernaturali, si fuerit pars syllogismi, non erit assensus supernaturalis, sed naturalis: quia sicut positæ in conclusione alicujus syllogismi, qualis est, *Omne risibile est homo, Christus est risibilis: ergo Christus est homo:* non possum assentiri illi supernaturaliter; primò quia Fides non est discursiva, secundò quia actus Fidei non potest elici à præmissis naturalibus, tum quia imperfectiores ipsæ sunt, tum quia sunt alterius ordinis: Sic eidem propositioni positæ in antecedenti non possum assentiri assensu supernaturali, sed assensu naturali. Primò, quia Fides, ut mox dicebamus non est discursiva; secundò, quia non potest causare assensum alterius ordinis: quia ut in illo syllogismo superiori, *Omnis homo est risibilis, Christus est homo, ergo Christus est risibilis.* Præmissæ vel ambæ sunt supernaturales, vel ambæ naturales, vel alterutra naturalis & alterutra supernaturalis. Primum dici non potest, quia Majorem certum est non esse supernaturalem. Quod neque tertium dici possit alteram scilicet esse naturalē & alteram supernaturalē probo: quia cōclusio vel est naturalis vel supernaturalis; si naturalis, quæ modo elicita est à Minore, supernaturali; si supernaturalis, quomodo oritur à Majori enuntiatione naturali, siquidem neque naturalis res supernaturalem, neque hæc illam (quandoquidem ordinis diversi sint) producere sufficiat: ergo solùm restat dicendum assensum illum minoris esse naturalem, ita ut utraque præmissa naturalis, conclusionem sui generis etiam naturalem elicere sufficiant. Sed hoc sufficiat in præsenti.

De Practico & Speculativo.

Intellectus (quem Hebræi *Seckel* cum sex punctis dicunt) communi divisione distribuitur in *Amasi*, & in *Ajoni*, quod est [illegible] (Latinè *Operativum*) & in [illegible] (Latinè *Contemplativum.*) Est quide hæc divisio, & intellectus distributio ab omnibus Peripateticis admissa, sumitur ex Aristotele *3. de Anima cap. 10. text.* 50. qui constituit differentiam ex fine, quia Practicus alicujus gratiâ ratiocinatur, & alicujus operationis est principium: Contemplativus, seu ut alii loquuntur speculativus, sistit in contemplatione veritatis, unde alteruter solet à Doctoribus variis diffinitionibus explicari, & primò Practicus intellectus: sic *Intellectus Practicus ille est, qui cognoscit aliquid ad operandum,* unde objectum Practici à Græcis nominatur [illegible], *& est objectum operabile ut operabile est ab ipso cognoscente,* consultò vocem illam *ab ipso cognoscente,* adjiciunt, quia ad hoc ut habitus sit Practicus, non sufficit versari circa objectum operabile ut operabile est, nisi versetur modo operativo: aliàs enim Metaphysica, quæ ab omnibus [illegible] & contemplatrix sine exceptione asseritur, esset Practica, & demonstratur: quia Metaphysica contemplatur rerum operabilium ut operabilium sunt essentias, quia ut tales sunt entia, & consequenter pertinent ad objectum Metaphysices, cùm igitur Metaphysica versetur etiam circa objectum Practicum, & non sit Pra-

Margin notes, right column: **MDX.** (beside "Intellectus (quem Hebræi Seckel…"); **Practici & Speculativi differentia.** (beside "distribuitur in Amasi…"); **Quid sit praxis.** (beside "& est objectum operabile…"); **An Metaphysica sit practica?** (beside "quæ ab omnibus…").

ctica, dicendum est distinctionem Practici & speculativi non ex obiecto, sed ex modo tendendi desumi. hoc est, si tendat modo speculativo erit Theoretica; si autem modo operativo, erit Practica, quod quidem rectè cognovit ille qui diffinitionem Practici præcedentem posuit, qui cognoscens non sufficere operabilitatem (ut sic loquar) ex parte objecti posuit illam ex parte intellectus Practici, & talem affirmavit esse, qui contemplatur aliquid ut operetur.

Quid sit speculatio? Cùm igitur Contrariorum eadem sit ratio disciplinæ ex diffinitione Practici, facile erit aliam ei contrariam diffinitionem dicere, quæ intellectui Theoretico conveniat, quæ hæc esse potest. *Intellectus Theoreticus est ille, qui cognoscit rem ad cognoscendum* vel ut alii malunt, *Intellectus contemplativus est, qui considerat rem, non quidem ut illam faciat; sed tantummodo ut illam cognoscat.*

Qualis sit Divisio Intellectus in Practicum & Contemplativum.

MCXL. Dubitant communiter Philosophi, an hæc Intellectus distributio, quâ in Practicum Speculativumque dividitur sit essentialis, seu accidentalis. (*Quid sit essentialis divisio? quid accidentalis?* Divisionem essentialem dicimus, qua res in inferiores species subdividitur, de quibus prædicatur apud Porphyrium prædicatione primi aut secundi Prædicabilis, accidentalem verò quæ contrahit aliquod comune predicatum per differentias extrinsecas, & ad alterum prædicamentum pertinentes, ut quando dividitur Animal in Hominem & Brutum, tunc divisio hæc est essentialis qoia contrahit animal per differentias proprias intriosecas & unius prædicamenti cum ipso animali, videlicet prædicamenti substantiæ: tunc enim Animal prædicatur de quolibet membro dividente prædicatione essentiali & genericâ in primo Porphyrii prædicabili, ut si diceres *Homo est animal: Equus est animal.* Si verò divideretur animal in album & nigrum, tunc quidem divideretur accidentaliter, & prædicaretur de membris dividentibus prædicatione quinti Prædicabilis Potphyriani, ut si diceres *Animal est album*, vel potiùs è cõverso *Album est animal)* Divisi sunt Authores. Aliqui in eam sententiam incidêre, ut crederent divisionem intellectus in practicum & speculativum, esse generis in species, & consequenter essentialem. Alii è contrario affirmant eam esse Subjecti in accidentia, hoc est accideutalem: nec desant utrisque satisfirma atque euriosa fundamenta.

An ratio practici & speculativi ex parte objecti se teneant. Ratione igitur probatur prima sententia, quia, si Practicum aut Speculativum essent accidentia extrinseca intellectui, & non differentiæ essentiales, maximè quia se tenerent ex parte objecti, ut plures putant apud Conimb. *l. 3. de Anima. c. 8. q. 2. a. 2. ad 2.* atqui jam probatum est supra Practicum aut Speculativum non se habere ex parte objecti tantùm, sed ex parte Intellectus, ergo Practicum & Speculativum non sunt differentiæ extrinsecæ, sed intrinsecæ divideotes intellectum divisione generica & essentiali.

Accidentia possunt ab esse. Secundò, quia accidentia quælibet, saltem de potentia absoluta possunt deficere subjecto, ut patet; quia Deus potest à Petro tollere albedinem, & relinquere eum sine colore: ergo, si Practicum & Speculativum sunt accidentia Intellectus, & non differentiæ essentiales, poterit similiter Deus denudare intellectum ab omoi ratione Practici & Speculativi: atqui repugnat dati intellectum, qui noo sit Practicus aut Speculativus: ergo Practicum & Speculativum sunt differeotiæ essentiales.

Speculativum extensione fit practicum. Secundã sententiã tuetur Conimbricenses jam citati & probatur primò authoritate D. Thomæ diceotis *Speculativum extensione fieri practicum:* ergo sentit Angelicus Magister Practicum & Speculativum solùm penes magis vel minus extensum distingui inter sese, ergo accidentaliter, ut per se patet.

Probatur Secundò, quia in ipsa diffinitione admititur Practicũ & Speculativũm distingui solùm in modo quo versantur circa suũ objectum: ergo in re conveniunt; & tantùm distinguuntur expressivè, modaliter aut accidentaliter.

An idẽ habitus possit procedere practicè & speculativè. Coofirmatur, quia idem habitus, qui procedit nunc practicè, poterit posteà procedere speculativè; quod non cootingeret, si distinguerentur specie: ergò solùm distinguuntur accidentaliter. Probatur antecedens quia idem Habitus, qui versatur circa rem factibilem, & est Practicus, potest versari circa rem jam factam, & tunc erit speculativus, siquidem non est res facta objectum operabile, & consequenter neque praxis: Ergo idem Habitus potest esse Practicus, & Speculativus. Antecedens (videtur Habitum eundem circa rem factam atque faciendam operari) probo. quia idem Habitus Architecturæ, qui versatur circa ædificia facienda, & regulandas fabricas, contemplabitur etiam factam ædem, ut per se patet, & tunc non operabitur practicè, cùm inveniat objectum jam productum, cùm de ratione practici sit objectum suum efficere, sed contemplabitur factam domum speculativè.

Resolutio. Iudicium ferre inter has sententias non est facilè: verùm sententia defendenda sub istis terminis claudatur. *Practicum & Speculativum contradictoriè distinguuntur*, quia si contempletur tantùm rem, erit intellectus Theoreticus, seu contemplativus; si contempletur & inclinet ad operationem erit practicus. Addo etiam istas definitiones.

Intellectus speculativus per se. Prima. *Habitus speculativus per se est qui non potest transire in praxin.* Talis est Physicæ cœlestis habitus, qui contemplatur cœlos at cœlos non potest conficere,

& speculativus per accidens. Secunda. *Habitus speculativus per accidens ille est, qui per accidens non transit in praxin.* Talis est considerans domum factam, qui ex se esset practicus, & illam eandem domum posset ædificare, nisi jam esset facta. Tales sunt omnes scientiæ, quæ vocantur docentes, &

ab

ab utentibus: dicuntur distingui : contemplantur enim objecta quæ possunt ad praxin reducere, quæ tamen ad praxin non reducunt per accidens.

Tertia. *Habitus practicus est idem qui operativus: & practicans idem qui operans.*

An habituum accidentia omnia se teneant ex parte objecti?

Argumentis occurritur. Ad primum nego omne quod accidit Habitui, se tenere ex parte objecti, cùm possit se habere ex parte Habitus, ut patet in remissione & intensione, quæ ut certum est, ex parte Habitus & non ex parte objecti se tenent.

An Deus possit omnia accidentia tollere?

Ad secundum condono quælibet accidentia positiva posse à Deo tolli, quia inter se sunt contraria; in accidentibus autem contradictoriis, quorum unum est positivum & alterum negativum, utrumque à subjecto neque de potentia Dei absoluta posse auferri, licet alterutrum divisivè sæpius auferatur. Exempli gratiâ. Album & nigrum sunt accidentia contraria, & consequenter à Deo utrumque potest auferri, saltem de potentia absoluta, at verò Album & non Album, sunt accidentia contradictoria; & ideò licet alterutrum Deus auferre possit, utrumque simul non potest: quia si à subjecto aufert albedinem necessariò erit illud non album; & si aufert à subjecto non esse album, necessariò illud faciet album: quia non potest idem subjectum nec esse album, nec esse non album, ut per se patet. Cùm igitur ratio practici & speculativi non opponantur contrariè, nec sint duæ formæ positivæ, sed altera negativa & altera positiva (quia positâ inclinatione ad opus Habitus fit Practicus, hâc ablata fit Speculativus) hinc fit quod neque de potentia Dei absoluta utraque possit ab intellectu humano abesse. Ergo necessarium est, ut intellectus vel sit practicus vel speculativus.

Quoties sit practicus & speculativus oppositio?

PHYSICÆ PRÆDETERMINATIONES INFALLIBILITANTES ET NON NECESSITANTES.

Inventæ & defensæ sunt ab Authore Salmanticæ annò 1630.

THESIS.

MDXII. P*ositâ Physicâ Prædeterminatione Homo potest componere cum illa omissionem actûs, ad quem prædeterminatur, non tamen de facto componet, sed infallibiliter operabitur: quam obrem, Prædeterminationes physicæ, quas admittimus, siquidem non solùm in sensu diviso, sed etiam in composito, relinquunt libertatem illæsam, & tantùm inferunt certitudinem actûs, novo illæ nomine dicantur* infallibilitantes.

THESEOS EXPLICATIO.

MDXIII. *Quàm sit certum homines habere libertatem?*

QVibus se videat, caret oculis, qui non percipit se arbitrii indifferentiâ præditum. Sibi inhumanus, qui immunitatis contemnit privilegium, à quo habet quod possit in militia orthodoxa merere; Donati sumus cœlitùs indifferentiâ arbitrii immunitate, non solùm ab aliqua necessitate, sed ab omni. 2. contra Faustum S. Augustinus, *Nos sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum Arbitrium voluntatis, quo benè & malè vivitur, propter justum judicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Nota illud *ab omni*: & infer impingere in prima Augustini principia Lutherum, Calvinum & consectaneos universos, quoties cum libertate, merito aut demerito præsumunt componere necessitatē. Si aliqua necessitas potest humanā voluntatē afficere, illa est, quæ dicitur *Quiditativa*; illa, quæ in Melliflui Doctoris schola propugnatur & comprehenditur hâc positione, *Necessarium est ut voluntas careat omni necessitate*; est enim similis his, *Necessarium est rem contingentem non esse necessariam, & hominem esse animal rationale.* Bernardus de gratia & lib. Arbitr. *Is ergo talis consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis quod semper secum portat & ubique, indeclinabile judicium, non incongruè dicitur, ut arbitror, liberum arbitrium.*

Quantam habeant

Necessitas quiditativa

Libertas est inamissibilis.

Unde dicatur Liberū arbitrium.

Sanè omnes creaturæ possunt operari & non operari, quia & esse, & non esse, imò sic & aliter operari, quia & sic & aliter esse: non tamen ideò indifferentiæ compotes aut impotes censendæ. Transcendit contingentia omne

Omnes creaturæ sunt contingentes, non tamen omnes liberæ.

In libertas & contingentia valdè similes.

omnes formalitates, ut nihil sit, quod aliud sit à Deo, & connaturalem contingentiam amittere possit. Sunt contingentia & indifferentia, imperfectio, perfectio: sed simillimæ: imò una & eadem formalitas. Voluntas in suis operationibus libera est, flamma contingens. Vtraque potest operari & non operari: nam voluntas in instanti in quo amat potest non amare, & flamma in instanti in quo incendit, potest non incendere, puta si combustibile defuerit. Neutra igitur necessariò operatur: differunt quod flamma necessariò operaretur, ni determinaretur ab extrinseco, voluntas verò debet ab intrinseco determinari. Vtramque igitur definiam sic.

Contingentia & libertatis denominatio sumitur ab eadem forma.

Contingentia est indifferentia, quæ ab extrinseco, Indifferētia est contingētia, quæ ab intrinseco. Vtraque est inamissibilis. Non potest Deus creare realitatem aliquam expertem contingentiæ, nec expertem indifferentiæ voluntatem. Omnis creatura, quæ à Deo producitur, ita producitur, ut & non produci etiam possit; Deus enim illam liberè producit, & potest etiam non producere: unde libertas illa, quæ divinæ voluntati intrinseca, eamdem divinam voluntatem indifferentem; & quia creaturæ est extrinseca, istam contingentem denominat. Indifferentia igitur libertas est, & contingentia servitus. Illa perfectio, hæc imperfectio. Considera sequentes Conclusiones.

PRIMA *Eadem formalitas est indifferentia & contingentia: si afficiat intrinsecè, indifferentia & libertas dicitur: si extrinsecè, contingentia & servitus.* Verbi gratiâ. Ostium illud & claudi & non claudi à me potest, quia & possum claudere & non-claudere. Occlusio aut non-occlusio mihi libera est, ostio contingens; ego enim ab intrinseco determinor ad alterutram contradictionis partem, ostium verò ab extrinseco. Quamobrem eadem non-necessitas quę me intrinsecè afficit, afficit ostium extrinsecè, ideòque me indifferentem, illud contingens? me liberum & actionis dominum, illud non liberum sed passionis servum denominat.

Libertas contingens

SECUNDA. *Voluntas humana simul indifferens & contingens est.* Indifferens, quia libera; contingens, quia serva. Posse esse & non esse indicium servitutis est; oritur enim à libertate extrinseca, ideò enim potest esse & non esse voluntas; quia illam Deus potest conservare & non conservare. At verò operari, & non operari ex hypothesi quòd à Deo conservetur, illi liberum est, quia est operationis domina, & pro arbitrio agere potest & non agere.

Hinc intelligendi sunt Augustinus & alii Patres, qui ut commēdent Authoris infinitum dominium, omnipotentiæ Dei ancillari creaturas, servire arbitrium asseruerunt: nam earundem ancillatur existentia, possunt enim pro Dei voluntate adnihilari, ac propterea earumdem Deo subsunt operationes, nulla enim potest elici, si aut annihiletur causa, aut non annihilatæ concursus necessarius negetur.

Quotuplex sit contingentia?

TERTIA. *Contingentia est duplex, mutabilis & immutabilis.* Rerum mortalium contingentiam mutabilitatem involvere omnia entia caduca manifestant; non solùm successiva, sed etiam ipsamet permanentia. Homo ens permanens, asserente Iobo nascitur de muliere; brevi vivit tempore; repletur multis miseriis; quasi flos egreditur & conteritur, fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet. Posse contingentiam intelligi sine mutabilitate ostendam; Creet Deus lapidem in instanti B adnihilet in C. Erit verum dicere in instanti A. lapis non erat, in instanti B. est, in C. non erit. In illo instanti B. continget illi quòd sit albus aut non sit albus, quòd sit calidus aut non sit calidus: cæterùm nec ex albo in non album, nec ex calido in nō calidū, nec contrà, mutari aut converti poterit; quia ad mutationem requiritur *antè & post*, quæ in simplici instanti non dantur. Hinc patet. *Primò* omnia instantanea immutabilia esse. *Secundò* omnia entia quæ crearentur *nunquam*, hoc est, sine successu durationis, mutari non posse: unde qui Angelos tales esse realitates putaverit, eos mereri aut peccare potuisse asseret, post peccatum verò aut meritum mutari posse non tenebit; quia ubi non est durationis successio, *antè & post* non dantur. Debetet tamen, sed contra veritatem, subjungere, Dæmones nunquam habuisse fidem, nunquam charitatem & gratiam: quia nunc illis carent, & tota illorum duratio est unum *nunc*, in quo contradictorii termini componi non possunt. Hinc patet tertiò Deum immutabilem esse, duratio enim ejus tametsi infinita, non nisi simultanea est.

Notetur hoc exemplum benè.

Immutabilitas Angelorum, Dæmonum & Dei.

Indeterminatio & determinatio.

QUARTA. *Ex indifferentia & contingentia oritur indeterminatio: prima* intrinseca *dicitur, secunda* extrinseca: *istis opponitur* intrinseca *&* extrinseca *determinatio.* Patent omnia ex ipsa terminorum connexione. Determinatio; quæ indeterminationi, ortæ ab indifferentia, hoc est, intrinsecæ opponitur, *Decretum voluntatis operatura* dicitur; illa autem quæ indeterminationi ab ipsamet contingentia subortæ, hoc est, extrinsecæ *Physica prædeterminatio*.

Obiectio.

Hinc patet futile omninò esse illud ratiocinium, quod contra prædeterminationes frequentissimè assumitur, nimirùm, *prædeterminatio physica realiter prædeterminat, ergo realiter tollit indeterminationē: Ergo & indifferētiā; quia indifferētia sine indeterminatione intelligi nō potest.* Illi enim sum̃a cum facilitate respōdemus distinguendo singulas propositiones. Physicam prædeterminationem prædeterminare voluntatem realiter extrinsecè, concedimus; prædeterminare realiter intrinsecè, negamus. Ad probationem dicimus indifferentiam posse intelligi omninò sine indeterminatione; quia indeterminatione extrinseca sicut & contingentiâ, à qua illa oritur, carere potest, ut videre est in Deo; in quo infinita Arbitrii indifferentia; sicut omnem contingentiam sic etiam omnem indeterminationem

Solutio.

Determinatio opponitur indifferentiæ.

nem à contingentia fuborientem profcribit: imò & poteft intrinfeca, fed ab intrinfeco; quia dum fe volnntas vitaliter determinat, indeterminationem amittit, non verò indifferentiam, hæc enim foli opponitur neceffitati. Vnde & Deus infinitè indifferentem voluntatem viraliter & liberè determinat ad unam contradictionis partem; unde qui non poteft fimul intelligi determinatus & indeterminatus, intelligi poteft determinatus & indifferens. Hoc eoim ætetnitatis *nunc* quo mnodum creat, poteft eum non creare. Deus igitur eft *determinatus*, quia creat; *indifferens*, quia creat cum indiffereotia, nune enim quando illum creat, poteft non creare.

Neceffitas, contingentia, libertas. QUINTA. *Indifferentia & contingentia opponitur neceffitas. Contingentia quidem, neceffitas effendi, indifferentia autem, neceffitas operandi.* (Vtraqoe neceffitas fimul nulli enti creato aut increato competere poteft.) Deus enim eft Ens neceffarium in effendo, ooo neceffarium in operaodo: & omnes creatnræ caretut effendi neceffitate; multæ tamen ex hypothefi quod fint, debent neceffariò operari. Vtraqne neceffitas fimul abeffe poteft.) Et probatur; quia creaturæ liberæ nec habent neceffitatem effendi, nec oeceffitatem operandi. (Operandi neceffitas cum effendi contingentia benè componitur,) ut patet in brutis, qui effe & oon effe poffunt; fed fi fint, & omnia prærequifita fint pofita, nequeunt non operari:

MODVS OPERANDI.

Quid fit libero arbitrio intrinfecum. A Libertate homo habet, quòd ita amet, ut poffit deteftari; ita deteftetur, ut & amare poffit. A mutabilitatis contingentia, quod poffit habere varios actus liberos, & vario ordine inter fe conoexos. Propofitum objectum poteft homo diligere & non diligere in eodem inftanti. Si ad amandum in inftanti A. ita fortiter prædeterminaretur, nt non poffet deteftari in eodem; fanè illa prædeterminatio tolleret indifferentiam libertatis; five effet ab intrinfeco, five ab extrinfeco: talia enim operandi necefsitas, fi effet ab intrinfeco, eùm intrinfecâ indifferentiâ componi non poffet, quia ficut quidditativè non poffet homo effe rationalis, & non effe ratiooalis, fic nec poteft effe quidditativè indifferens, & ooo effe quidditativè indifferens. Præterea rei, cui effentialiter & ab intrinfeco competit quòd fit fpiritualis, qualis eft Deus, Angelns, ooo poteft competere non effe fpiritualem; nequidem accideotaliter & ab extrinfeco. Ergò voluntati, cui effentialiter & quidditativè competit fine neceffitate operari, ooo poteft aut ab intrinfeco, aut ab extrinfeco necefsitas operandi competere.

Et quid extrinfecum. Homo igitur ab indifferentia habet, quòd quafi innumeros actus liberos pofsit elicere; à finitate, quòd ooo pofsit fimul oniverfos; à mutabilitatis contingentia, quòd debeant actus liberi liberis actibns fuccedere: fupereft fcire, qui & quo ordine debeant fuccedere isti actus. Ordinem ipfa indifferentia non tribuit, quia ejufdem fpeciei eft in omnibus hominibus, & tameo experimur Actus liberos diverfimodè intermifceri apud diverfas voluntates. Ergo ordo horum actuum contingens eft, & pendet ab extrinfeco. Ergo ageus extrinfecum poterit actus liberos, quos poteft hæc voluntas elicere, eligere, difponere, ordinare, hoc eft, determinare. Ergo in humana voluntate dantur phyficæ prædeterminationes, five actuum coordinationes.

Deus, cùm inftantaneam æternitatem habeat, actuum fuccedentium eft incapax, ideòque non indiget extrinfeca prædeterminatiooe; fi fucceffivè duraret, indigeret.

PHYSICÆ PRÆDETERMINATIONIS QVIDITAS.

UT phyficas prædeterminationes defenderent, duos modos iovenerunt Theologi non improbabiles. *Primus* eft afferentium, illam ad geous liberi arbitrii pertinere. *Secundus* exiftimantium illam ad genus naturæ fpectare. Cæterùm tametfi uterq; modus plaufibiliter defendi foleat, oberrat, fi à fequeotibus conclufionibus declinet. MDXLV.

PRIMA. *Datur phyfica prædeterminatio naturalis, quæ eft libertatis negatio, & vocatur neceffitas.* Hæc coovenit omni agenti materiali; fpirituali non poteft prius competere, quàm competat libertatis negatio: cumque tefte D. Bernardo libr. de grat. & libero arbitr. *inamiffibilis fit humana libertas*, fequitur hanc naturalem phyficam prædeterminationem nequidem divinitùs homini competere poffe. *Prædeterminationes naturales.*

COROLARIUM. *Nulla actio voluntatis humanæ aut angelicæ eft neceffaria, tametfi multæ fint, quæ non fint meritoria aut demeritoria.* Probatur; quia infantes, puelli, phrenetici, infipientes, objecta, quæ apprebendunt, eum indifferentia nuoc diligunt, nunc deteftantur: eorumdem tamen actus ipfis nec merito funt, nec demerito, quia non habent rationis lumen fufficiens ut cognofcant hooeftatem moralem. *An infantes & delirj fint liberi.*

Quæ confirmant mellifui mei Doctoris verba, animalia non poffe peccare hoc eodem Sermone LXXXI. probantis; *Inde eft, quod non judicantur* (animalia intelligit, homines qui non utuntur ratione addo) *quia non judicant: quânam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt?* *An peccent.*

SECUNDA. *Datur & phyfica prædeterminatio five actuum liberorum fucceffivè eliciendorum coordinatio, ex vi cujus actus, quos elicere poteft voluntas, non habent quod liberi fint; fed quòd hoc ordine infallibiliter fint.* Hanc alii prædeftinationem appellant; ac, fi fit ad gloriam, definiri folet effe coordinatio beneficiorum feu auxiliorum Dei, quibus falvantur, qui falvantur; & analogicè, fi fit ad legendũ, verbi gratiâ, poffet definiri effe coordinatio auxiliorũ feu præmotionum Dei, quibus, omnes qui legunt, ad legendum prædeterminantur. *Operationum ordo.*

TERTIA. *Prædeterminatio feu prædeftinatio eft duplex,*

Quotuplex sit prædeterminatio?

duplex, activa & formalis: Hæc est, illa formalitas sine quâ voluntas humana aut angelica est indeterminata ad multos actus liberos ; illa est hujus formalis prædeterminationis productio, quæ est actus divinæ voluntatis.

Effectus formalis prædeterminationis

QUARTA. *Prædeterminatio formalis, nec est naturalis, nec libera, sed infallibilis.* Hoc est, non tribuit voluntati, quòd necessariò operetur, hoc enim impossibile est: nec tribuit, quod liberè operetur, hoc enim necessarium est ; voluntas enim debet liberè, & nequit necessariò operari: sed tribuit, quod hos actus liberos potius quàm illos infallibiliter operetur. Verbi gratiâ. Erat Petrus timore perculsus inter armorũ strepitum, & manus militũ, dum interrogaretur an esset Christi discipulus. Duos poterat actus elicere: nimirùm: aut ita negare Christũ ut posset confiteri; aut ita confiteri ut negare etiã posset. Habebat à libertate quod utrumque elicere posset. Quod Priùs unum quã alium eliceret, aut unum tantùm, aut nullum eliceret; non quidem liberum sed contingens erat. Ex hac contingentiâ oriebatur indeterminatio, quàm tolleret efficax gratiæ auxilium, sustulit auxilij efficacis carentia. Negavit quidem gratiâ efficaci desistente : confessus fuisset, si hæc divinitùs fuisset concessa.

In quo consistat efficatia.

QUINTA. *Physica hæc prædeterminatio est motio, cordis duritie major & potentior*, Declaratur. Eadem numero motio, si sit duritie cordis operaturi major, erit efficax ; inefficax verò si minor. Hinc constat, homini esse liberum uti quocũque auxilio sufficienté; nam si præmovetur ut quatuor, & ipse habeat cordis duritiẽ ut sex, infallibile est quod non consentiet illi auxilio; cæterùm si cordis illa durities diminueretur, & evaderet ut tria, infallibile esset quod esset ille consensurus.

Quid sit Cor indurare?

Hinc patet, qui debeant aliquot testimonia intelligi. Nam cùm in Exodo frequenter dicitur Deus indurasse cor Pharaonis, non est intelligendus negasse illi auxilia sufficientia ad benè operandum, sed non diminuisse cordis illius duritiem naturalem. Et cùm cor novum à Deo petimus, diminui concupiscentiæ & fomitis peccaminosi vires postulamus. Has usu mortificatione etiam purè materiali remittimus; non extinguemus tamen, quousque donemur æternâ beatitudine.

An oratio sit utilis?

Patet secundò orationem esse omninò utilem, & salubriter præceptam esse: nam qui laborat duritie ut quinque & prævenitur auxilio Dei ut quatuor, poterit quidem eodem uti, sed non faciet, quia à fomite prædeterminatur ut infallibiliter dissentiat. Orando tamẽ poterit impetrare, aut quod Deus potẽter auxilium concessum intendat, aut duritiem à fomite suborientem remittat: nam si illud intenderetur ut sex, aut hæc remitteretur ut duo, evaderet voluntas infallibiliter operatura.

EFFECTUS PHYSICÆ PRÆDEterminationis. |

MDXV. *Examinatur doctrina Thomistarum.*

SEvera aliquorum Thomistarum opinio tuetur prædeterminationem physicã collere libertatem ex parte consequentis, & in sensu composito ; non verò ex parte antecedentis, & in sensu diviso. Apud ipsos hæ assertiones sunt veræ.

Prima. *Homo non potest componere actum amandi cum carentia ejusdem actus.*

Secunda. *Nec potest componere carentiam amoris cum auxilio efficaci quod ad amandum prædeterminat.*

Tertia. *Nec potest componere carentiam amoris cum instanti in quo habet auxilium efficax ad amandum.*

Contra dicitoria non possunt esse simul vera

Si agamus de sensu composito, quem exprimit prima positio, esto partium concordia. nemo enim prudens concessit humanæ , imò nec divinæ voluntati potentiam componendi duos terminos contradictorios, quales sunt *amor & amoris carentia*: tota igitur difficultas est de sensu composito juxta secundam & tertiam acceptiones. Sit igitur.

PRIMA CONCLUSIO. *Positio illa secunda, cui Thomistæ innituntur, est falsa.*

Probatur. Physica prædeterminatio sic exposita tollit libertatem humanam: ergo illa expositio non est vera. Assumptum persuadetur. Non est liberum Petro habere physicam prædeterminationem, aut non habere ; atqui illâ positâ nequit non operari, sepositâ nequit operari: ergo illa prædeterminatio tollit indifferentiam , & consequenter libertatem.

An sit liberum homini habere physicam prædeterminationem?

Sentiunt rationis vires aliqui : & negant majorem, asserendo esse liberum Petro habere physicam prædeterminationem ad orandũ Deum: potest enim orare, & orando illam adipisci. Sed materiam disputationis mutant, nõ dilucidant: Nam in eorum sententiâ nec orare potest sine prædeterminatione ad orandũ : unde: esto orando possit Petrus prædeterminationẽ, quæ ad Deũ amandum sit, obtinere, & possit illã nõ obtinere nõ orãdo: at ipsi nõ est liberum habere prædeterminationem illam physicam, quæ ad orandum prærequiritur : vel dicatur an detur orationis oratio ; si enim hæc conceditur, aut dandus est progressus infinitus, vel est dicendum dari aliquam prædeterminationem primam, quam habere aut non habere homini liberum non sit. Discurro igitur sic: Petro non est liberum habere physicam prædeterminationem ad orandum: eà habitâ, nequit non orare: oratione necessariò posita, adquirit physicam prædeterminationem ad amandum: hac posita, nequit non amare: ergo quomodocumque exponatur hæc prædeterminatio, tollit omnem Arbitrij indifferentiam, & inducit determinatissimam necessitatem.

Alij cautiùs ejusdem syllogismi præmissas aliter elidere conantur. Admissa illa majori, subsumptã minorẽ distinguunt. Positâ Physicâ prædeterminatione Petrum non posse non operari in sensu cõposito admittunt, negant in diviso. Igitur intelligendi sunt. Dicunt Petrũ præventum efficaci gratiâ posse non operari in sensu diviso. Non dicunt posse nõ operari, si careret operatione: quia hoc est indubitatũ apud omnes, quia sicut dicimus duos terminos cõtradictorios nõ posse esse in sensu composito, hoc est simul: sic etiã dicimus nõ posse nõ esse in diviso, quia quando est amor, debet

Impugnatur sensus compositi & divisi distinctio. deesse amoris carẽtia, & e cõtra: sed dicunt eũ posse omittere actionem, si careret Physicâ prædeterminatione: hoc est, Petrum, qui quidem habet Physicam prædeterminationẽ, cõceptum ab illâ præcisum, concipi potentem omittere actionem, ad quã intelligebatur prædeterminari: quia tametsi à prædeterminatione ad unũ prædeterminetur, tamen à se prout concipitur divisus ab illâ, est indifferens ad utrumque contradictionis extremũ. Sensus autem divisus sic expositus patitur hanc gravissimam difficultatẽ. Si Physica prædeterminatio, quæ est ad materiale peccati (positiva illa sit aut negativa, modò talis ingenij sit ut cum illâ cõponi non possit carentia illius peccati) hominem non excusat, nec carcer excusabit ab audiendæ missæ obligatione, nec morbus ab onere legendi officij. Hoc est falsum in omnium opinione: ergo & illud ex quo sequitur, Falsum enim ex veris præmissis non infertur.

An sit vinculis similis prædeterminatio Sequelam probo. Ideò physicâ prædeterminatio, quæ est ad materiale peccati, dicitur nõ excusare à culpâ, quia licet in sensu composito tollat libertatem, hoc est, potentiam ad oppositum, in sensu tamen diviso non tollit; considerata enim voluntas quà abstracta & divisa ab eâdem prædeterminatione, potest materiam peccati non amare; sed hoc ideò contingit in morbo & carcere: ergo.

Minorem probo. Esto captivus in sensu cõposito impeditus ne missam audiat; ipse tamẽ consideratus ex parte antecedentis, prout divisus & abstractus à vinculis & carcere, non intelligitur impeditus, ergo intelligitur habẽs potentiam, ac proinde obligationem audiendi missam. Eodem prorsus modo de morbo & reliquis naturalibus impedimentis philosophator.

Confirmo. Magis connexa est illa physica prædeterminatio cum opere malo, quam carcer cum omissione missæ, aut morbus cum omissione officij. Atqui carcer & morbus tollunt potentiam ad oppositum: ergo & physica prædeterminatio.

Confirmo iterùm. Si Petrus in instanti in quo habet physicam prædeterminationem ad amandum Deum, posset omittere in sensu diviso illum amorem, sequeretur Petrum posse componere amoris omissionem cum illâ prædeterminatione physicâ, ac propterea etiam posse omittere illum actum in sensu composito; & hoc contra illorum sententiam.

Sequelam probo; si Petrus quando habet physicam prædeterminationem omitteret de facto actum in sensu diviso, etiam omitteret in sensu composito; de facto enim haberet physicam prædeterminationem, & de facto etiam illum actum omitteret: atqui quando habet physicam prædeterminationem potest omittere actum in sensu diviso: ergo etiam in sensu composito. Forma syllogistica est optima, similis huic: *Petrus, si de facto curreret, de facto moveretur: potest currere, ergo & moveri.* Vel si dubites singulos terminos examina.

Hanc confirmationem optimis ingeniis objecimus, & inter interpellationes plurimas, hoc unum respondent, nos supponere impossibile cum dicimus: *Si Petrus, quando habet physicam prædeterminationem, omitteret de facto actum illum in sensu diviso, &c.* Omittere enim de facto in sensu diviso impossibile est. Infero tamen. Ergo siquidem impossibile est, falsum est dicere Petrum quando habet physicam prædeterminationem, posse actum omittere in sensu diviso: Petrus enim id quod impossibile est, non potest facere.

Sanè juxta hos Authores non quidem *homo præventus physica prædeterminatione potest omittere in sensu diviso*, hoc enim impugnatum est, sed dici deberet, *homo posset*, quod à nemine Heterodoxo negaretur. *Aliud est potest, aliud possit.* Quid enim aliud est dicere, *Ego habeo quidem physicam prædeterminationẽ, sed possum in sensu diviso dissentire.* Quã, *Habeo quidẽ compedes sed possum in sensu diviso effugere*, hoc est, *habeo sanè prædeterminationẽ, & ideo omittere actum, ad quẽ prædeterminor, de facto non possum. possem si illa carerem*, &: *Habeo compedes, & ideo non possum effugere, possem si essem iis liberatus.* Qui sensus, si semel admittatur, Lutheranæ theses de servo Arbitrio necessariò tenendæ sunt.

Arguo igitur secundo sic. Si homo in sensu cõsequenti & composito liber non est, non dantur vota, juramenta, præcepta, aut leges aliquæ obligatoriæ: hoc nemo sanæ mentis admittet: ergo.

An voti valorem tollat prædeterminatio Sequelam probo; quia, qui vovet se lecturũ esse Psalterium, verbi gratiâ, vel vovet se id lecturũ esse cum habuerit physicã prædeterminationẽ, in sensu composito; vel cum caruerit physica prædeterminatione, & hoc in sensu diviso. Si vota fiunt primo modo, accident duo; unum, quod voto emisso nemo non satisfaciet; nemo enim est, qui operetur contra physicã prædeterminationẽ: alterũ, quod nullius voti adimpletio erit libera, ac per consequens nec meritoria; quia nec meritũ est sine libertate, neque hæc in cõposito sensu, juxta hos Authores, reperitur. Si fiant secundo modo, nemo unquam voto satisfecit; quia nemo sine prædeterminationẽ operatur. Ergo ne in similes angustias veniant, aliàs procedant necessarium est.

Quomodo vota fiant *Dices.* Te vovere illam lectionẽ abstrahẽdo à physicæ prędeterminationis carentiâ aut existentiâ, sed hoc impossibile est; quia voves opus faciendum in sensu composito, & hoc in sensu composito, in quo vovetur, sine physica prædeterminatione fieri non potest.

Confirmatur. Quando voves psalterij lectionẽ, promittis te habiturum esse physicã prædeterminationẽ; atqui hoc in tua libertate nõ est: ergo illud voves quod non est in tua potestate. De minori non dubitas, majorem probo. Promittis aliquid quod non potest esse quin habeas physicã prædeterminationẽ, ergo promittis te habiturũ physicã prędeterminationẽ.

Antecedens probatur. Promittis te in sensu composito & ex parte consequentis lecturum esse illud Psalterium; atqui iuxta tua principia illa lectio in sensu composito & ex parte consequentis esse non potest sine physicâ prædeterminatione: ergo promittis Deo *primò* lectionem non liberam, *secundo* te habiturum esse

esse physicam prædeterminationem, quod etiam non est in tuâ potestate.

Probatur major, quia non promittis te lecturum in sensu diviso, aut actu primo; sed promittis te in actu secundo lecturum esse, te compositurum esse legendi actum secundum cum tua libertate, te ex parte consequentis positurum esse illâ operationem; quod clarè demonstratur. Cùm promittis te crastinâ die lecturũ esse, promittis quod crastinâ die eris legens: ergo promittis illa omnia quę sunt necessaria, ut crastinâ die sit vera hæc propositio, *Nunc legis*. Atqui si non sit verum dicere. *Nunc habes physicam prædeterminationem*, non poterit esse verum dicere, *Nunc legis*; Ergo polliceris te illam prædeterminationem habiturum.

RESOLVTIO. Hæ duæ rationes à multis annis nobis tam efficaces visæ sunt, ut censeamus horum Authorum doctrinam contra Augustinum, Bernardum & Thomam, militare. *Libera Arbitrium voluntatis*, dicebat 2. contr. Faust. Augustinus, *ab omni necessitatis vinculo vindicemus. Si ab omni*, non solùm à necessitate sensus compositi, sed etiam à sensus divisi: *si vinculo*, magno huic Doctori subscribebam, cùm necessitatem sensûs compositi compedũ vinculis æquiparabam. Ponam igitur nostræ sententiæ Conclusiones, & ut illas radicitùs intelligas, adnotato, quando datur physica prædeterminatio verbi gratia ad agendum, me posse considerare duos terminos (operationem videlicet, & omissionem) & hos simpliciter & modaliter. Pono exemplum. Prædeterminat Franciscum Deus ut loquatur: & tunc possum considerare & comparare *loquelam & silentium* simpliciter, hoc est, à libertate præscindendo: & possum modaliter, hoc est, hos terminos modò libertatis vestiendo. Et quidem primo modo indeterminatio, quam tollit physica prædeterminatio, esset inter hos actus, *Loquitur, Tacet*: at verò secundo modo inter istos, *Loquitur; ita tamen, ut possit tacere: Tacet; ita tamen, ut possit loqui*. His positis sequentes Conclusiones subjungamus.

PRIMA. *Homo præventus physica prædeterminatione non potest omittere actum in sensu composito contradictorio.* Sic voco illum, qui si daretur, operationem & operationis carentiam componeret.

Mens Ecclesiæ.

SECVNDA. *Homo præventus physica prædeterminatione, in instanti quo illam habet, potest componere cum illa operis omissionem, ac propterea potest omittere actum in sensu composito.* Et videtur non posse non esse fide, nec eâ negarâ posse admitti has periodos: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem ...... inspirationem recipiens illam* (nimirùm quam habet, & quando habet; non verò quando non habet] *abiicere potest*. Et: *Si quis dixerit liberum hominis Arbitrium à Deo motum & excitatum ..... Deo excitanti atque vocanti non posse dissentire, si velit ..... Anathema sit.* Nemo autem potest dissentire, quando non est actu & in sensu composito id cui dissentiat. Sunt desumptæ ex Tridentini sessione VI. prior ex capite VI. & Canone IV. posterior. Adsonat Concilium S. Thomæ il-

Confutati Ecclesia & Thomas.

lustrium antiquorum discipulo & Angelico Magistro recentiorum, 1. p. quæst. 62 art. 3. ad 2. dicenti. *Quod omnis forma inclinat suum subjectum secundum modum naturæ eius; modus autem naturalis intellectualis naturæ, ut liberè feratur in ea, quæ vult: & ideò inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti & peccare.* Cùmque non uti gratiâ, quam quis habet, sit componere non usum cum gratiâ, dicendum omnino est ad mentem D. Thomæ, positâ gratiâ hominem posse non operari non solùm in sensu diviso, sed etiam in composito: nec exponi potest de habituali & justificante gratiâ; loquitur enim Doctor Angelicus de gratiâ, quâ uti & non uti possumus, ut patet clarissimè ex littera, ergo de auxiliatrice gratiâ quæ est agendi instrumentum & ratio, non verò de habituali: hâc enim non utimur, non enim est habitus formaliter operativus.

An prædeterminatio cum omissione operis componi queat.

TERTIA. *Physica prædeterminatio potest carere effectu simpliciter considerato, non carebit tamen.* Huc pertinent verba Augustini; *Quantum ad ipsos attinet*, ait, *quod Deus noluit fecerunt* (nempè peccantes) *quantum verò ad omnipotentiam Dei* [hæc est, voluntas Dei gubernans; esse & operari creaturis prædestinans & prædeterminans) *nullo modo id facere voluerunt, hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei* [nempè præcipientem] *fecerunt, de ipsis est facta voluntas eius.* [nimirùm prædeterminans negativè, hoc est, permittens, ut ita sequerentur peccatum, ut id non sequi possent: quod si necessariò sequerentur, non satisfacerent voluntati Dei permittentis, ut liberè peccatum sequerentur.] Nota obiter illa verba, *nullo modo id facere voluerunt*; fortius enim argueret Augustinus, si diceret, *nullo modo id facere potuerunt*, abstinuit tamen, quia videretur voluntatem humanam alicui necessitati subiicere, quam constanter *ab omni vinculo necessitatis vindicavit.* Vide 2. contr. Faust. 5.

MDXVI. An possit homo promotioni resistere.

QVARTA. *Physica prædeterminatio non potest carere effectu modaliter considerato.* Vt hanc demonstrem, iterum tertiam Conclusionem dilucido. Det Deus Francisco physicam prædeterminationem ad loquendum: ergo si loquelam simpliciter consideremus; poterit carere effectu hæc ipsa prædeterminatio; quia poterit Franciscus non loqui. Cæterùm, si loquela modaliter consideretur; hoc est, si consideretur ut libera [& hoc modo debet considerari; quando benè consideratur] non poterit carere effectu hæc physica prædeterminatio; nam si eius virtute *Franciscus loquitur; ita tamen ut possit tacere, hoc est, non loqui*: Franciscus, cùm loquitur facit quod prædeterminatio illa postulat: & cùm potest non loqui, etiam satisfaciat physicæ prædeterminationi, quæ inter hos duos actus, *Loqui, ita tamen ut possit tacere, & Tacere, ita tamen ut possit loqui* infallibiliter determinat voluntatem ad primum.

De promotionis efficacia.

Sed unde habet Physica Prædetermi-

O 2 natio

An Species essent incorruptibiles?

Nonum argumentum. Quia species aliquando deficiunt, ut fatentur Avicenn. *lib. sext. Natur. part. c. 6.* & alij plures: atqui non datur causa cur corrumpantur; ergo nusquam fuêre in intellectu: patet consequentia; quia nunc est verum dicere, *Non est talis Species*, & etiam est verum dicere, *non fuit*, siquidem; si fuisset & esse in præsentiarum deberet, quandoquidem à nullo agente esset corrupta.

An species substantia esset substantia?

Decimum & ultimum argumentum sit. Quia si darentur Species, deberent esse qualitates; ergo non possent esse substantiæ imagines perfectissimæ: at illæ substantiæ esse deberent ut substantiæ perfectissimè cognoscerentur. Ergo. Patet consequentia; quia quod imperfectius est, non potest nobilius, excellentiusque adæquatè perfectèque repræsentare. ALIA PLURA argumenta fieri possent, quæ consultò omitto, cùm sufficiat his rationibus nostram sententiam comprobasse.

An species speculo conveniat reflexio?

Dices: In speculo fit reflexio specierum: ergo dantur species. Patet consequentia; quia ni darentur, non posset esse illa reflexio. Respondent aliqui; Omne Ens corporeum esse generativum, hoc est, communicativum sui in passo capaci ad recipiendam suam formam; sicut enim ignis ignem producit in subjecto apto, sic color in superficie apta (hæc est tersa aquæ; speculi &c.) producit colorem, & imago imaginem; unde in speculo non sunt reflexiones specierum, sed perfectissima corporis objecti delineatio atque depictio, atque sic sine aliquâ reflectione specierum videmus in speculo non corpora ipsa, sed perfectissimas illorum imagines atque expressiones. Sed hæc responsio gravissimas patitur difficultates: & ideò ad radios visuales recurrendum, qui similes radiorum lucis sint, & per medium dirigantur & refringantur.

An color colorem producat?

Radii visuales.

SECVNDA PROBATIO.

Habitus ab Intellectu non distinguens.

MDIII. *An & quomodo habitus à suis potentiis distinguantur?*

EXplicavimus quid non sint Habitus; restat nunc explicandum & probandum quid ipsi sunt. Nihil aliud sunt Habitus quàm ipsæ potentiæ: nam Habitus naturalis intellectualis non distinguitur ab intellectu; Habitus voluntarij à voluntate; sicut nec Habitus supernaturalis credendi ab intellectu supernaturali, qui est Fides, & Habitus supernaturalis amandi à voluntate supernaturali, quæ est Charitas.

Intellectus supernaturalis.

Intellectum supernaturalem voco Fidem; quia ipsâ constituitur Anima proximè potens ad intelligendum supernaturalia, ad quorum cognitionem ita concurrit Fides, sicut intellectus ad cognitionem naturalium, ita ut in cognitione supernaturalium Fides sit tota ratio agendi: idemque dicendum est de Charitate & Spe, quæ veræ sunt potentiæ, cùm non dent faciliùs posse, sed simpliciter posse.

An sit tota ratio agendi? An sit potentia, an habitus?

Quid sit potentia?

Quod, si dicas, sæpè à Patribus Fidem, Spem & Charitatem vocari Habitus, & consequenter non posse esse potentias; admitto antecedens: quia reverà Habitus sunt, nego autem consequentiam: quia id quod est Habitus debet esse etiam potentia, quod in Habitibus istis supernaturalibus clarè conspicitur; quia illud est potentia quod dat simpliciter posse, ideò enim dicimus intellectum esse potentiam Animæ, quia dat simpliciter & proximè posse intelligere, quia sine illo non poterat intelligere simpliciter, proximè & absolutè, sed solùm radicaliter & secundum quid. Atqui Habitus supernaturalis dat simpliciter posse; quia sine Fide; v. g. non possemus veritates supernaturales supernaturaliter cognoscere, nisi ut plurimum remotè & radicaliter, eo sensu, quo posset anima cognoscere naturalia sine intellectu: ergo Habitus supernaturalis est etiam potentia proxima ad actiones supernaturales.

Quomodo distinguatur ab habitu?

In hoc autem distinguitur Habitus à Potentiâ; quia eadem entitas (intellectus exempli gratiâ) dupliciter potest considerari, vel in quantum informat Animam, vel in quantum magis & minus in illâ potest irradicari. Priori modo dat Animæ simpliciter & proximè posse intelligere & consequenter est potentia. Posteriori modo dat Animæ posse perfectiùs, & faciliùs, aut imperfectiùs & difficiliùs intelligere, prout magis sit vel minus irradicata in ipsâ Animâ, & hoc modo cognominatur Habitus.

An omnis qualitas possit intendi & remitti?

Vides igitur superfluas esse qualitates habituales ab intellectu Hominis distinctas: quia omnia, ad quæ deserviunt, causat sine ipsis intellectus, qui faciliùs atque præstantiùs operatur, si intensior sit, si verò remissior, despicatiùs. Nec tibi debet videri leviter dictum, Intellectum intensionis & remissionis capacem esse: quia cùm is sit qualitas, debet legibus qualitatum subjacere, quarum una est, quod remissionis & intensionis sint participes teste Aristotele in Prædic. cap. de Qualit.

De habituum distinctione inter se.

Dices in hâc sententiâ adserendum esse Habitum Medicinæ ab Habitu Theologiæ non distingui, quod experientiæ contrariatur: potest enim quis habere Habitum Medicinæ & non Theologiæ, aut è converso. atque unum esse intensum atque remissum alium; ita ut perfectiùs operetur in unâ scientiâ, imperfectiùs autem in alterâ. Respondeo admittendo Habitum unius scientiæ ab Habitu alterius realiter non distingui; quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis: atqui ex eo quod ego simpliciter non cognoscam unum objectum & cognoscam aliud, non sequitur potentiâ quâ cognosco unum distingui à potentiâ quâ cognosco aliud; ita similiter ex eo quòd perfectiùs cognoscam unum & imperfectiùs aliud, non sequetur Habitû quo perfectè

fectè cognoſco unum , diſtingui ab Habitu quo imperfectè cognoſco aliud : quia hæc diverſitas nun ſe tenet ex parte intrinſeci ; ſed ex parte propoſitionis objectivæ. Confirmatur hæc veritas : quia ſententia eſt D. Thomæ & totius ſuæ Scholæ Theologiam eſſe (& idem puta de Logicâ , Phyſicâ atque de aliis ſcientiis) unum & eundem Habitum , & ut ipſi loquuntur , eandem ſimplicem qualitatem ; atqui poteſt , (ut eſt evidens) quis perfectè cognoſcere quæſtiones de ſcientiâ Dei , & ignorare Myſteria Trinitatis , quin hoc tollat eſſe unum & eundem habitum , qui circa utrumque verſetur ; ergo ſic ſimiliter, ex eo quod quis ſit doctus Medicinæ , & imperitus Theologiæ , non ſequetur Habitus Theologiæ & Medicinæ eſſe inter ſe realiter diſtinctos.

An ſcientiæ ſint ſimplices qualitates

Addo meliùs in meâ ſententiâ poſſe explicari diverſitatem , quæ inter caſus poſitos experimur : quomodo ſcilicet, cùm idem & ipſe Habitus Theologiæ ſit circa ſcientiam Dei atque Myſterium Trinitatis , poſſit quis perfectiùs cognoſcere priorem, & ignorare poſteriùs aut è converſo ? quia Intellectus non ſolùm dicit relationem ad ſcibile ut ſic & in communi , ſed etiam ad omne ſcibile in particulari ; cùmque ego admittam relationes poſſe perfectiùs tenaciùſque fundari unas quàm alias, atque magis intrinſecè uniri proprio termino ; unde etiamſi intellectus æquè intenſus ſit reſpectu omnis ſcibilis , non æquè ad quodlibet refertur , & ideò non æquè à quolibet participatur ; & ideò liquidiùs cognoſcitur & perfectiùs unum objectum quàm aliud. Explico hoc exemplo ſatis communi & materiali : quia etiamſi major ignis majoris calefactionis cauſa ſit , non valebit dicere , *Petrus magis calefit quàm Paulus; ergo ignis quo Petrus calefit ab eo igne diſtinguitur à quo calefit Paulus* : poſſet enim diverſitas in aliquâ conditione conſtituta eſſe , puta ſi Petrus propinquior igni eſſet quàm Paulus ; tunc enim licèt ipſiſſimus ignis eſſet , haberet majorem efficientiam reſpectu unius ; quàm reſpectu alterius. Sic ſimiliter , licèt intenſior Habitus abſolutè ſit cauſa perfectioris actûs ; non ex eo quod videamus cognitionem alicuius veritatis de ſcientiâ Dei eſſe perfectam , & aliam alterius veritatis de Trinitate eſſe imperfectam ; licet inferre hos Habitus diſtingui realiter : quia ſtante eâdem perfectione Habitûs poteſt diſtinctio eſſe in applicatione & ita perfectiùs operabitur idem Habitus reſpectu objecti magis appropriati , quàm reſpectu aliûs magis remoti; hancque loquendi modum , hancque differentiam ex parte objecti admittit communiter Hiſpania tota : quia cùm vult ſignificare aliquis ſe aliquam veritatem percallere , dicit , *que eſta muy en la difficultad* , & cùm vult ſignificare ſe illius eſſe ignarum , dicit *que eſta remoto della*. Relatio enim illa ab intellectu ad hanc difficultatem in particulari tenaciùs, aut minus tenaciter fundatur. Et eæ relationes ſunt conditiones ſine quibus non, quia ſunt determinationes intellectûs ad hæc vel illa objecta in particulari.

MDIV An intenſione ſit magis diminuit,

De ſubalternatione ſcientiarum.

Poſſem hîc ſatis longè & prolixè diſputare de ſpecificatione & ſubalternatione Habituum : & licèt ab hâc difficultate non facilè ſe expediant authores : in meâ ſententiâ ſatis facilis reſponſio eſt ; dicendum enim eſt *Specificationem & ſubalternationem ſcientiarum aut Habituum ab objectis deſumendam eſſe*. Ratio hujus eſt ; quia eo modo quo Habitus diſtinguuntur inter ſe , eo modo debent ſubalternari ; ſed diſtinguuntur præciſè per relationes ad objecta ergo iiſdem debent ſubalternari.

Dubium incidens.

Inquirunt aliqui , *Utrùm ſcientia aut Habitus , qui ad plures concluſiones reſpicit ſit una ſimplex qualitas ; an ſit compoſita ex tot qualitatibus partialibus , quot fuerunt concluſiones ?* Aliquid inſinuavimus ſuperiùs : ſed quia plurimos malè torquet hæc ſatis aceta diſputatio , illam examinare aut etiam exhaurire debemus. Cùm igitur ſemel dixerimus Habitus ab Intellectu non diſtingui , conſequenter pronunciare debebimus , *Quemlibet Habitum , licèt ad plura theoremata ſeu concluſiones extendatur eſſe ſimplicem & individuam Qualitatem*. quod demonſtratur ex prædictis. Habitus enim non diſtinguitur ab Intellectu , hic eſt ſimplex qualitas : ergo Habitus eſt ſimplex qualitas.

Reſolutio.

Dubium aliud.

Interrogant alij , *Utrùm detur Habitus principiorum* ? Reſpondeant alij , ut maluerint , & folia quàm plurima conſumant in hâc diſputatione , ego verbo reſpondeo affirmativè. Ratio eſt , quia idem eſt Habitus ex parte intrinſeci omnium veritatum ; ergo datur Habitus etiam Principiorum : addo hunc intendi & remitti , non ſolùm ſecundum qualitatem , quæ eſt intellectus , ſed etiam ſecundum appropriationem , quæ eſt relatio intellectus ad hujuſcemodi Principia.

An relationes intendantur?

Rogant alij quomodo differant Habitus iſti naturales , Fides, Scientia & Opinio? Huic etiam interrogationi ſatisfaciam.

Quomodo inter ſe differant Habitus intelligibiles?

MDV.

HAbitus Intellectûs eſt Habitus quo alicui veritati aſſentimur. Aſſenſus autem poteſt fieri aut ex connexione terminorum , aut ab aliâ cauſâ extrinſecâ. Hic autem pendet vel ab authoritate dicentis, vel à præmiſſâ aliâ propoſitione. Aſſenſus , qui fit ob authoritatem docentis , dicitur *actus fidei*; qui infertur ex præmiſſa aliquâ propoſitione, dicitur *Concluſio*. Et hæc vel eſt Erronea, vel Dubia, vel Opinativa, vel Scien-

Fides

Concluſio.

tifica: quæ omnes in præsenti veniunt explicandæ.

Quis sit Assensus ex connexione terminorum?

Quid sit talis assensus? PErfectissimus assentiendi modus est, qui provenit ex cognitione Causarum essentialium; videlicet ex cognitione essentiæ Nominis & Verbi (ut Peripatetici loquuntur, Subjecti & Prædicati) quia cognoscens intrinsecè essentiam hominis & animalis cognoscit connexionem intrinsecam, & ex sola terminorum cognitione, sine aliqua discursu assentitur Propositioni. Hic cognoscendi & judicandi modus communiter admittitur in Angelis, & etiam in Anima separata, quibus ob vivacitatem mentis omnis discursus denegatur, siquidem ad cognitionem vnius propositionis non indiget aliquo extrinseco, sed sufficit illis præcognita connexio terminorum. Hic etiam cognoscendi modus interdum reperitur in homine: cùm enim cognoscit triangulum, sine discursu aut testimonio cognoscit habere tres lineas, & quatuor habere non posse. *An conveniat Angelis? An hominibus?*

Quis sit Assensus ex fide?

De fide humana. ASsensus Fidei ille est, qui versatur circa aliquam propositionem assertivè, cujus veritatem non cognoscit, sed credit illam esse veram ob authoritatem dicentis. Sic assentimur huic propositioni, *Constantinopolis est præclara civitas in fine Europæ.* cujus extrema non cognoscimus, nec ratione ducimur ad eam credendam, sed solùm authoritate Cosmographorum eam delineantium, & aliorum nō minoris dignitatis hominum eam asserentium: quia stante prudentia nemo eam poterit negare: nemo enim Constantinopolim negare poterit, quin asserat tot hominū millia, excepto nemine, aut decipi aut decipere, quod moraliter est impossibile.

Fidei & evidentiæ differentia. Differt Fides ab intuitione vel assensu, qui fit ex connexione terminorum, in eo quod illa assentitur ob causam extrinsecam, vel ut dici solet, per locum extrinsecum, quin assentientem moveat intrinseca connexio Subjecti & Prædicati: Assensus autem qui fit ex intuitione, ille est, qui fit independenter à quacumque causa extrinseca, sed solùm ex contemplatione & apprehensione terminorum.

Quis sit Assensus ex Errore.

Quid sit error, & quotuplex? ERroneus Assensus ille est, qui provenit ex præmissis falsis in necessaria & legitima forma, ut patet in conclusione hujus syllogismi: *Omnis homo est arbor: Marmor est homo: ergo Marmor est arbor:* ubi de hac Propositione *Marmor est arbor* habetur error, quia illata est ex præmissis, quæ non habent aliquod fundamentum veritatis. Et hic assensus, licèt formaliter sit erroneus, terminativè potest esse duplex, quia vel est circa Propositionem veram, vel circa Propositionem falsam.

Assensus erroneus circa Propositionem veram ille est, quo alicui propositioni, quæ aliàs est vera, assentimur propter præmissas improbabiles & falsas, ut si huic propositioni, *Petrus est homo,* quæ vera est, aliquis assentiatur, quia infertur ex isto syllogismo, *Omnis piscis est homo, Petrus est piscis; ergo Petrus est homo.* Qui a tunc iste assensus Conclusionis, licèt terminativè & materialiter esset verus, formaliter esset falsus, quia formalem specificationem desumit à Præmissis, quæ sunt erroneæ.

Assensus erroneus circa Propositionem falsam ille est, quo quis acquiescit propositioni falsæ ob præmissas etiam falsas & erroneas: ut si quis assentiatur Conclusioni hujus syllogismi *Omnis spiritus est niger, Papyrus est spiritus: ergo papyrus est nigra:* ubi non solùm Conclusio, sed etiam præmissæ sunt erroneæ.

Nec debet cuipiam videri impossibile, Errorem posse circa propositionem veram versari, cùm possit actus infidelitatis vitij oppositi virtuti supernaturali Fidei terminari assentivè ad propositionem de fide, ita ut possit aliquando contingere assensum hujus propositionis *Deus est trinus & unus,* esse actum infidelitatis, ut si quis assentiretur huic Propositioni propter hæc Principia: videlicet. *Quòd Lutherus universalis Ecclesiæ Pater diffinivit contra Concilia est Fide tenendum: Atqui contra Concilia diffinivit Lutherus hanc propositionem* Deus est trinus & unus: *ergo hac propositio,* Deus est trinus & unus, *est Fide tenenda.* Tunc etenim qui assentiretur huic propositioni ex illo motivo, esset materialiter quidem Catholicus, formaliter tamen hæreticus. Ratio hujus est; quia sicut non est actus meritorius assentiri alicui propositioni de Fide ex motivo probabili, si nesciam esse diffinitam, imò negare Propositionem de Fide quam nescio esse diffinitam, nec scire teneor, non est peccatum; quia nec ibi assentior, neque hic dissentior ex motivo Fidei, videlicet quia Deus dixit; sic similiter esset peccatum negare propositionem hæreticam, si existimassem esse ab aliquo Concilio diffinitam: aut assentiri alicui propositioni de Fide, si crederem eam esse ab aliquo Concilio reprobatam. Et sic in casu posito, licèt hæc propositio, *Deus est trinus & unus,* sit de fide, si aliquis existimaret esse Lutheranum dogma contra aliquod Concilium, & ut tali ei assentiretur, esset formaliter hæreticus, quia jam ejus intentum esset ire contra Concilium, & sequi Martinum Lutherum. *An articulus fidei possit admitti per fidem?*

De Assensu dubio.

ASsensus dubius ille est, qui infertur ex præmissis, de quarum veritate aut falsitate dubito, nec habeo rationem sufficientem ut eas asseram veras vel falsas, ut pa-

ut patet in hoc syllugismo : *Quando Turca dormit , jacet in conopæo : at modo dormit, ergo modo jacet in conopæo.* Cujus major & minor dubia incertam & dubiam conclusionem inferunt.

Differt autem Dubium ab Errore ; quod illud versetur circa propositionem veram vel falsam sine sufficienti fundamento prolatam, quando quis nescit an alterutri parti assentiatur. Error autem versatur circa Propositionem veram aut falsam in falso & erroneo fundamento subnixam: vel ut verbo dicam , Error versatur circa propositionem fundatam in ratione falsa per ignorantiam crassam existimata vera , vel probabili: Ignorantia crassa in hoc distinguitur ab invincibili , quod illa sit ex incuria , ex negligentia interrogandi , aut præmeditandi rem aliquam : ut si quis in Sacramento Pœnitentiæ oblitus alicujus peccati , non confiteatur illud : dicetur ignorare illud se commisisse ; si tamen hæc oblivio ex eo fit , quod non erat dispositus prævio examine , & præmeditatione necessaria , dicetur illa ignorantia crassa atque culpabilis. Quod si prævio examine & præparatione sufficienti alicujus peccati oblivio accidat, illa oblivio erit ignorantia , sed naturalis ; invincibilis , & non demeritoria, quia non fuit in pœnitente se ab illius tenebris caligineque liberare.

De Opinione.

MDVI. Quid sit

OPinio est Habitus inclinans ad assensum unius Propositionis cum formidine alterius. Ad intelligentiam istius Definitionis notandum est syllogismi præmissas esse vel nullas, vel leves ; vel graves , vel evidentes. nullæ pariunt consequentiam dubiam negativè : leves dubiam positivè : graves probabilem & opinativam : assentientem cum formidine alterius : certæ & evidentes scientificam & carentem formidine sed quid quæso est formido ? Aliqui dicunt eam esse actum reflexum , quo opinans judicat suum assensum posse esse falsum (& consequenter loquuntur de certitudine eam nimirum esse actum reflexum quo demonstrans judicat suum assensum non posse esse falsum) unde assensus opinativus ante actum reflexum non habebit formidinem formalem, sed solummodò virtualem, sive radicalem, habiturus formalem, cùm actum reflexum habuerit.

Dubium. Opinio. Scientia.

Quid formido & certitudo sint.

Sed hæc explicatio formidinis non placet, quia actus ille reflexus , vel haberet formidinem formaliter , vel objectivè : Si hoc dixerint , intentum teneo ; quia jam esset in objecto quod est formido formaliter; siquidem, si non esset inibi , non posset obiici reflexo. Si dixerint esse formaliter in actu reflexo, falsitatis convincuntur, quia actus ille reflexus est certus & demonstrativus, evidens enim est & demonstrabile opinionem generare formidinem, ergo actus ille reflexus non potest habere formidinem formaliter, quia actui scientifico & evidenti omnis formido contrariatur.

Nec valet instantia ex scientiæ certitudine desumpta, quia hæc etiam intrinseca est in actu scientiæ , quia actus scientiæ per seipsum est cognitio rei evidentis quæ non potest aliter se habere , ut patet ex definitione scientiæ : ergo ipse actus scientiæ formaliter est certus , non ergo est actus reflexus necessarius. Confirmatur : quia conclusio scientiæ ex eo quoad proveniat ex præmissis per se notis & necessariis , habet quod sit cognitio rei ita se habentis ac cognoscitur , & hic ante reflexum actum : ergo ante reflexum actum datur certitudo.

Est igitur habere formidinem , assensum provenire ex causis defectibilibus & non necessariis : quod in se habet assensus opinativus ante omnem actum reflexum , quia cùm causa non sit necessaria , non necessitat intellectum ad assensum. Et hæc incertitudo qua intellectus assentitur conclusioni topicæ sive syllogismi probabilis , ea est, quam formidinem communiùs nominamus.

Ex hac formidinis explicatione cognoscitur scientiæ nobilitas ; quia licet Error, Dubium ; Opinio , & scientia positis præmissis conclusionem inferant deducantque ; in hoc differunt , quod Error positis præmissis erroneis & fallacibus infert ex illis conclusionem cujus oppositæ non potest solùm ; sed etiam tenetur acquiescere. Error. Dubium oritur ex dubiis fundamentis , vel positivis ; vel negativis : positivis quidem , quando præmissæ dubiæ sunt , negativis , quando nulla præmissa reperitur ex qua inferatur conclusio : tunc enim homo hæret , & neutri parti assentitur , neutram condemnat. Dubium. Opinio ita uni parti assentitur , ut illam negaret, & alteri assentiretur , si opus esset , sufficienti fundamento fretus quo alterutrum defenderet, & objectis alterutrius obviaret. Opinio. Scientia autem ita uni propositioni acquiescit , ut sciat & evidenter cognoscat illam esse veram ; ex quo assensu oppositam consequenter condemnat ; nec poterit illi acquiescere , & priorem conclusionem quam acquisivit scientificè abnegare ; quod clariùs cognoscetur, cùm de essentia scientifica Propositionis disputavero. Scientia.

De Scientia.

VEnimus ad perfectissimum naturalium Habitum , qui scientia est, & ita solet diffiniri. *Scientia est Habitus per demonstrationem acquisitus.* Sed demonstratio diffinitur sic. *Demonstratio est oratio in qua ex præmissis necessariis , evidentibus & per se notis conclusio infertur necessaria.* Sic solent Peripatetici demonstrationem definire : & quidem bene si Aristotelicam definiant ; nos facilius & clarius ,

MDVII. Quid sit scientia.

Quid demonstratio.

nobis enim *Demonstratio est syllogismus legitimus cujus præmissæ sunt certæ.*

Inquites, *An distinguantur realiter istæ intellectus facultates?* Et respondeo iam iterum iterumque meam sententiam insinuasse aut posuisse: puto enim illas esse realiter identificatas; & distingui tantummodo penes diversas relationes, quas fundant: quia Habitus ponit præmissas, & ipse & hæ causant conclusionem: unde ex actione terminata ad præmissas dubias dicitur *Dubius*: si terminetur ad præmissas probabiles dicitur *opinativus*, si autem ad per se notas, *certus*.

De coexistentia horum habituum.

Ex hac resolutione respondeo alteri difficultati inquirenti nimirùm, *Vtrùm Habitus hi possint esse simul?* & respondeo, affirmativè, imò repugnare dico illos non esse simul in intellectu, quandoquidem sint identificati & indistincti realiter. Non loquor hic de Habitibus supernaturalibus; quia de his statim disputabo.

De actibus Erroris, Fidei, Dubij & opinionis & scientiæ major posset esse dubitatio, utrùm scilicet ex præmissis probabilibus & evidentibus simul operantibus possit resultare actus scientiæ & Opinionis simul existens in eodem intellectu? Hæc autem ex his theorematibus sine difficultate declarabitur.

Quid sit distinctio entitativa juxta nostram dialecticam.

I. Theorema *Actus & Habitus entitativè distinguuntur.* Patet; quia in Scholâ reali dicuntur distingui realiter, in modali modaliter, in formali formaliter, & in expressivâ expressivè. Cæterùm realem distinctionem non requiri; potest contra realea probari: quia actus intellectus nihil aliud est, quàm intellectus actualiter identificatus objecto identificatione intentionali, cumque Habitus sit ipse intellectus unitus objecto tanquam potentiæ suæ termino intelligibili, quæ unio non est identificatio intentionalis, sed identificabilitas (ut sic loquar) vel appropriatio (sicut in igne calefactio actualis & appropinquatio distinguuntur, ratione proportionis habitâ) ita actus & habitus in fundamento conveniunt & solùm distinguentur per relationes: quamobrem qui dicat relationes esse modos; formalitates aut expressiones; consequenter dicturus est, actum habitumque distingui modaliter, formaliter aut expressivè. Sed quia hodie expressivam Scholam majori ex parte profitemur, dicemus actum habitumque tantummodò expressivè distingui.

II. Theorema. *Actus ab actu, & Habitus ab Habitu etiam distinguuntur expressivè.* Probatur hæc conclusio: quia conceptus formalis Hominis est intellectus identificatus intentionaliter cum Homine: & conceptus formalis Equi est ipsissimus intellectus intentionaliter identificatus cum Equo. Atqui intellectus identificatus cum Homine & intellectus identificatus cum Equo, in re conveniunt, & solùm penes diversas identificationes distinguuntur, quæ quædam tantùm sunt expressiones; ergo non distinguitur Actus ab Actu realiter ut Petrus à Paulo; sed expressivè penes diversas relationes & connotata. De Habitu eadem est ratio; & ideò non est sine necessitate repetenda.

III. Theorema. *Æqualis distinctio est quæ versatur inter Actum & Actum, & illa quæ versatur inter Habitum & Habitum.* Demonstratur autem hæc conclusio: quia distinctio, quæ versatur inter actum & actum est inter entitates ejusdem ordinis; nempè formales & tantùm distinctas terminativè; quia neque ex parte fundamenti, neque ex parte sui distinguuntur, quia fundamentum utriusque identificationis intentionalis ipse intellectus est, & utraque identificatio ejusdem speciei & solùm distinguuntur terminativè ex terminorum & objectorum distinctione: Atqui etiam Habitus inter se eodem modo distinguuntur: siquidem unio unius Habitus & unio alterius sunt ejusdem speciei; & fundamentum est idem, videlicet ipse intellectus: & solummodò termini sunt diversi, ut etiam in actibus, ergo eodem modo Habitus ab Habitu ac Actus ab Actu distinguitur.

IV. Theorema. *Major est distinctio, quæ versatur inter Actum & Habitum, quam illa quæ versatur inter Actum & Actum aut Habitum & Habitum.* Probatur facilè: quia licèt ex parte fundamenti æqualiter conveniant, & ex parte termini æqualiter differant, ex parte autem unionis seu relationis intellectus & objecti differunt; quia Habitus dicit appropriationem, quæ est quasi dispositio aut determinatio ad intelligendum, Actus verò actualem identificationem, quæ est intelligendi ratio sicut hominis unio. Appropriatio enim & Identificatio intentionales in omnium sententia distinguuntur.

V. Theorema. *Habitus unus potest elicere unum Actum, quin operetur alium Actum.* Patet hæc conclusio experimento quotidiano, quia concipimus sæpè unam rem, quin concipiamus aliam. Confirmatur ratione. Quia facere Actum nihil aliud est, quàm unire intellectum objecto in genere efficientis causæ: atqui potest Habitus unire intellectum uni objecto, quin uniat alij: ergo potest elicere unum actum, quin eliciat alium.

VI. Theorema. *Potest unus Habitus operari, quin operetur alius Habitus*: quia sicut in pomo albo & dulci album potest videri quin sentiatur dulce, & è contrario; & in igne, qui cùm sit calidus & siccus, potest calefacere quin siccet, siccareque quin calefaciat. Sic similiter potest Fides assensum elicere, quin operetur scientia, aut Opinio aut alius Habitus ex reliquis, aut è converso: maximè cùm intellectus habeat connexam libertatem, & possit assensum præbere ponens has vel illas præmissas.

Dices: Habitus non distinguuntur realiter ab intellectu, atqui intellectus non

potest

poteſt operari quin operetur Intellectus: ergo neque unus habitus quin operetur alius habitus. *Reſpondetur* diſtinguendo majorem: Habitum & Intellectum non diſtingui realiter aut modaliter concedo, non diſtingui expreſſivè nego: non poſſe operari intellectum, quin operetur intellectus, etiam diſtinguo: poteſt enim operari ſub una expreſſione, quin operetur ſecundum aliam: in Deo enim Amor & Odium tantùm diſtinguuntur expreſſivè, & nihilominùs actum reprobationis non elicit per attributum charitatis.

Quomodo distinguantur attributa in divinis.

VII. THEOREMA. *Non poteſt intellectus per eundem Habitum neque per diſtinctum aſſentiri ſimul duabus propoſitionibus adæquatè diſtinctis, ut Petrus eſt homo, Ioannes non eſt equus.* Ratio hujus eſt, quia jam eſſet cognoſcere plura ut plura quod adverſatur experientiæ.

Reſolutio.

De concursu habituum.

NOn poſſunt in eodem intellectu eſſe duo actus diſtincti, alter fidei & alter ſcientiæ, &c. Vnde infertur, non poſſe operari Fidem actum A, quando actum B operatur opinio, aut ſcientia, aut alius Habitus diverſus. Ratio eſt, quia inde ſequeretur intellectum poſſe ſimul elicere plures actus: aut etiam cognoſcere plura adæquatè diſtincta, quod eſt falſum, & ſeptimo theoremati apertè opponitur. Sequela comprobatur, quia eſſent ſimul in intellectu præmiſſæ probabiles & præmiſſæ ſcientificæ quæ ſunt adæquatè diverſæ, ut per ſe patet.

An fides & scientia sint simul.

Hanc concluſionem extendit D. Thomas ad Fidem ſupernaturalem 2.2.*q.*1.*art.* 4. *&* 5. aſſerens Fidem ſupernaturalem non poſſe operari operante ſcientia aut opinione: eum ſequuntur communiter ſui diſcipuli; eam tenet Magiſter Lorca ſuper citatum locum S. Thomæ, & pro ea allegat Authores plurimos; & exiſtimat eſſe magis conformem S. Paginæ, quàm ſententiam oppoſitam: quia Fidem non poſſe eſſe cum ſcientia docuit D. Paulus cùm dixit *illam eſſe argumentum non apparentium*; unde & Auguſt. *tract.* 68. *in Ioannem* dicit *Fides quod non videt* (aut non ſcit ſcientificè) *credit: quam, ſi vides, non eſt Fides.* Et ideò Fidem definivit dicens; *Fides eſt habitus credendi quod quis non videt.*

Obiectiones.

NOn deficiunt, qui contrarium aſſerant & dicant poſſe in eodem intellectu ſimul eſſe Actum ſcientiæ & opinionis, Scientiæ & Fidei, & ſic de reliquis. Pro hac ſententia citari ſolent ex antiquis Alex. Alenſis 3. *p.q.*6: Durandus & Bonaventura *in* 3. *diſt.*24. *art.* 2: *q.*1. *&* 2. ex recentioribus autem pauci iſti ſententiæ ſuffragantur, eos citat Caberus *tract.* 7: *in lib. de poſt. reſol. diſp.* 4. *dub.* 6.

Probatur primò; quia Philoſophus Chriſtianus credens Deum eſſe unum, poteſt ſimul cognoſcere cauſam quâ id demonſtratur, & cognoſcere hanc veritatem eſſe diffinitam à Conciliis; ergo poterit ſimul præbere aſſenſum ex motivo fidei, & ex illuminatione per ſe notarum præmiſſarum, & conſequenter ſimul Fidem & Scientiam actualem habere.

Probatur ſecundò, quia licèt actus Fidei ſit obſcurus, & actus Scientiæ ſit evidens & clarus, non opponuntur; quia licet ſint de eodem objecto; non ſunt de eodem motivo. Reſpondeo intellectum non poſſe elicere duos actus ſimul, ita ut actus A ſit fidei & non ſcientiæ; & actus B ſit ſcientiæ & non fidei: benè tamen poſſe elicere unum actum ex diverſis motivis. Rem explico. Non poteſt homo non replicatus duos curſus habere ſimul: non enim eſt intelligibile, quod ex P. ad Q ſimul moveatur mobile duplici motu. At poſſibile eſt; Petrum unico quidem motu, ſed ex duplici motivo (partiali aut etiam totali) moveri: nam ſi domi ſuæ eſſet peſtis, eſſet hoſtis, eſſet incendium, egrederetur procul dubio, & ille egreſſus procederet ab his tribus cauſis totalibus. Et hinc patet quo debeat modo argumentis in forma ſatisfieri.

An unus & idem actus eſſe poſſit fidei & ſcientiæ.

De Fide Supernaturali.

TEtigimus plura de Fide ſupernaturali, quæ poſtulant brevem ejus explicationem. *Eſt ergo Fides ſupernaturalis qualitas inſitans Animæ medio intellectu, per quam ſupernaturaliter intelligit & credit.* Verſatur circa veritatem ut revelatam a Deo, cui, cùm ſit perfectiſſima, nullo modo poteſt ſubeſſe falſum; quia ſi quis putet propoſitionem, quæ revera eſt falſa, eſſe diffinitam ab aliquo Concilio, & ut tali illi aſſentiatur, hic aſſenſus non erit ſupernaturalis ſed naturalis & ab Habitu naturali emanans. [Nota hoc ultimum benè & dabit tibi lucem in maximis difficultatibus.]

Fides ... *Quid ſit.* *An illi poſſit ſubeſſe falſum.*

Fides per modum Potentiæ, & Fides per modum Habitûs, & Fides per modum Actus diſtinguuntur ut Intellectum; Habitum & Actum diſtingui docueramus: quia eadem fides præſcindit ab intenſione aut remiſſione & dicit ſuam nudam entitatem eſt virtus Fidei; prout dicit majorem ſive minorem intenſionem eſt Habitus Fidei: atque prout dicit identificationem actualem intentionalem cum objecto eſt Actus Fidei: Res, quas credit, ſunt ſupernaturales, ſaltem ex motivo, quia ſi quando ad aliquam naturalem veritatem terminatur, ad illam non terminatur naturaliter ſed ſupernaturaliter; hoc eſt, non ex motivo naturali, ſed ſupernaturali, ut patet in hac propoſitione, *In principio creavit Deus cœlum & terram*; cui licèt naturalis ipſa ſit, Fides aſſenſum præbet ex motivo ſupernaturali.

Fides potentia. *Fides habitus.* *Fides actus.* *Objectum fidei.*

Dices: ex dictis ſequi poſſe Actum Fidei ſupernaturalis compati cum Actu Scientiæ; quia tota repugnantia poſita eſt in eo, quod intellectus non poſſit cognoſcere plura ut plura, ſed dantur duo intellectus realiter diſtincti, alter naturalis, alter ſupernaturalis qui eſt Fides, ergo poſſunt ſimul operari. Probatur

Objectio prima. *An actus ſcientiæ naturalis & fidei ſupernaturalis componi poſſint.*

batur consequentia; quia si darentur in Anima duo intellectus naturales, simul posset uterque illorum operari; ergo etiam poterunt simul naturalis intellectus & Virtus Fidei suas proprias actiones exercere. Confirmatur: quia operantibus sensibus externis operatur sensus internus materialis, & operante hoc etiam simul potest (imò sæpiùs solet) operari intellectus: ergo operante intellectu poterit etiam Fides operari.

Responsio est satis facilis: quia vel est eadem propositio quam formet Fides cum ea quam format scientia, vel diversa: si primum dicas, adserendum est non posse simul cognosci à fide & scientia, quia ab illa cognoscitur obscurè, ab ista clarè, idemque objectum nequit in eodem tempore clarè atque obscurè cognosci. Si illæ propositiones sint diversæ, dico quod repugnat (& suppositum est & explicatum ultimo theoremate) non jam dari duas apprehensiones simul in intellectu, sed duos assensus disparatos ut tales: ita ut Anima simul non possit duabus propositionibus disparatis atque diversis assentiri: unde licèt darentur duæ virtutes (sive ut hoc nomine utar, duo intellectus) alter naturalis & alter supernaturalis, non poterunt ambæ operari, quia jam Anima conciperet plura ut plura. Instantia quæ sumitur de duobus intellectibus naturalibus; nullius est roboris, quia etiam si darentur; non possent ambo operari propter operationem positam. Instantia alia de potentiis materialibus non urget: quia non negamus Animam simul posse plura apprehendere, sed posse plura judicare, sensus autem materiales non sunt judicativi, sed apprehensivi, ut de se patet.

Objectio secunda? Dices: etiam in quolibet assensu scientifico elicere Animam simul plures assensus, & plures propositiones efformare; Majorem scilicet, Minorem, Conclusionemque: ergo si hoc potest unus & idem Habitus, meliùs duo diversi Habitus poterunt: maximè si realiter distinguantur, ut Scientia & Fides supernaturalis.

Respondeo cognoscere simul duas præmissas & conclusionem, non esse cognoscere plura ut plura, sed per modum unius syllogismi, & cõsequẽter nõ assentiri illis intellectus ut enuntiationibus disparatis, sed ut propositionibus essentialiter inter se connexis.

Objectio tertia. Addis posse aliquem efformare syllogismum ex una propositione de Fide, & alterâ scientificâ, ut patet in hoc, *omnis homo est animal rationale; Christus est homo: ergo Christus est animal rationale. Atqui ad Majorem concurrit scientia, ad Minorem Fides: ergo Fides & scientia possunt simul operari.*

MDIX. Dico syllogismum non posse constare ex altera propositione de fide supernaturali, & alterâ naturali, quia licet præmissa esse possit aliqua propositio diffinita, prout est præmissa non potest esse supernaturalis sed erit propositio naturalis. Quia licet huic propositioni *Christus est homo* seorsim sumptæ possim assentiri assensu supernaturali, si fuerit pars syllogismi, non erit assensus supernaturalis, sed naturalis: quia sicut positæ in conclusione alicujus syllogismi, qualis est, *Omne risibile est homo, Christus est risibilis: ergo Christus est homo*: non possum assentiri illi supernaturaliter: primò quia Fides non est discursiva, secundò quia actus Fidei non potest elici à præmissis naturalibus, tum quia imperfectiores ipsæ sunt, tum quia sunt alterius ordinis: Sic eidem propositioni positæ in antecedenti non possum assentiri assensu supernaturali, sed assensu naturali. Primò, quia Fides, ut mox dicebamus non est discursiva; secundò, quia non potest causare assensum alterius ordinis: quia in illo syllogismo superiori, *Omnis homo est risibilis, Christus est homo; ergo Christus est risibilis.* Præmissæ vel ambæ sunt supernaturales, vel ambæ naturales, vel alterutra naturalis & alterutra supernaturalis. Primum dici non potest, quia Majorem certum est non esse supernaturalem. Quod neque tertium dici posset alteram scilicet esse naturalẽ & alteram supernaturalẽ probo: quia cõclusio vel est naturalis vel supernaturalis: si naturalis, quæ modo elicita est à Minore, supernaturali; si supernaturalis, quomodo orietur à Majori enuntiatione naturali, siquidem neque naturalis res supernaturalem, neque hæc illam (quandoquidem ordinis diversi sint) producere sufficiat: ergo solùm restat dicendum assensum illum minoris esse naturalem, ita ut utraque præmissa naturalis, conclusionem sui generis etiam naturalem elicere sufficiant. Sed hoc sufficiat in præsenti.

De Practico & Speculativo.

INtellectus (quem Hebræi *Seckel* cum sex punctis dicunt) communi divisione distribuitur in *Amasi*, & in *Ajons*, quod est *πρακτικὸν* (Latinè *Operativum*) & in *θεωρητικὸν* (Latinè *Contemplativum.*) Est quide hæc divisio, & intellectus distributio ab omnibus Peripateticis admissa, sumitur ex Aristotele *3. de Anima cap. 10. text.* 50. qui constituit differentiam ex fine, quia Practicus alicujus gratiâ ratiocinatur, & alicujus operationis est principium: Contemplativus, seu ut alii loquuntur speculativus, sistit in contemplatione veritatis, unde alteruter solet à Doctoribus variis diffinitionibus explicari, & primò Practicus intellectus: sic *Intellectus Practicus ille est, qui cognoscit aliquid ad operandum,* undè objectum Practicia Græcis nominatur *πρᾶξις*, *& est objectum operabile ut operabile est ab ipso cognoscente*, consultò vocem illam *ab ipso cognoscente*, adjiciunt, quia ad hoc ut habitus sit Practicus, non sufficit versari circa objectum operabile ut operabile est, nisi versetur modo operativo: aliàs enim Metaphysica, quæ ab omnibus *θεωρητικὴ* & contemplatrix sine exceptione asseritur, esset Practica, & demonstratur: quia Metaphysica contemplatur rerum operabilium ut operabilium sunt essentias, quia ut tales sunt entia, & consequenter pertinent ad objectum Metaphysices, cùm igitur Metaphysica versetur etiam circa objectum Practicum, & non sit Pra-

MDX. *Practici & speculativi differentia.* *Quid sit praxis.* *An Metaphysica sit practica.*

ctica,

ctica, dicendum est distinctionem Practici & speculativi non ex objecto, sed ex modo tendendi desumi. hoc est, si tendat modo speculativo erit Theoretica; si autem modo operativo, erit Practica, quod quidem rectè cognovit ille qui diffinitionem Practici præcedentem posuit, qui cognoscens non sufficere operabilitatem (ut sic loquar) ex parte objecti posuit illam ex parte intellectus Practici, & talem affirmavit esse, qui contemplatur aliquid ut operetur.

Quid sit Speculatio? Cùm igitur Contrariorum eadem sit ratio disciplinæ ex diffinitione Practici, facile erit aliam ei contrariam diffinitionem dicere, quæ intellectui Theoretico conveniat, quæ hæc esse potest. *Intellectus Theoreticus est ille, qui cognoscit rem ad cognoscendum* vel ut alii malunt, *Intellectus contemplativus est, qui considerat rem, non quidem ut illam faciat; sed tantummodo ut illam cognoscat.*

Qualis sit Divisio Intellectus in Practicum & Contemplativum.

MCXI. DVbitant communiter Philosophi, an hæc Intellectus distributio, quâ in Practicum Speculativumque dividitur sit essentialis, seu accidentalis. (*Quid sit essentialis divisio? quid accidentalis?* Divisionem essentialem dicimus, qua res in inferiores species subdividitur, de quibus prædicatur apud Porphyrium prædicatione primi aut secundi Prædicabilis, accidentalem verò quæ contrahit aliquod comune prędicatum per differentias extrinsecas, & ad alterum prædicamentum pertinentes, ut quando dividitur Animal in Hominem & Brutum, tunc divisio hæc est essentialis quia contrahit animal per differentias proprias intrinsecas & unius prædicamenti cum ipso animali, videlicet prædicamenti substantiæ: tunc enim Animal prædicatur de quolibet membro dividente prædicatione essentiali & generica in primo Porphyrii prædicabili, ut si diceres *Homo est animal: Equus est animal.* Si verò divideretur animal in album & nigrum, tunc quidem divideretur accidentaliter, & prædicaretur de membris dividentibus prædicatione quinti Prædicabilis Porphyriani, ut si diceres *Animal est album*, vel potiùs è cõverso *Album est animal*) Divisi sunt Authores. Aliqui in eam sententiam incidêre, ut crederent divisionem intellectus in practicum & speculativum, esse generis in species, & consequenter essentialem. Alii è contrario affirmant eam esse Subjecti in accidentia, hoc est accidentalem: nec desunt utrisque satisfirma atque curiosa fundamenta.

Ratione igitur probatur prima sententia, quia, si Practicum aut Speculativum essent accidentia extrinseca intellectui, & non differentiæ essentiales, maximè quia se tenetent ex parte objecti, ut plures putant apud Conimb. *l. 3. de Anima. c. 8. q. 2. a. 2. ad 2.* atqui jam probatum est supra Practicum aut Speculativum non se habere ex parte objecti tantùm, sed ex parte Intellectus, ergo Practicum & Speculativum non sunt differentiæ extrinsecæ, sed intrinsecæ dividentes intellectum divisione generica & essentiali. *(An ratio practici & speculativi ex parte objecti se teneant?)*

Secundò, quia accidentia quælibet, saltem de potentia absoluta possunt deficere subjecto, ut patet; quia Deus potest à Petro tollere albedinem, & relinquere eum sine colore: ergo, si Practicum & Speculativum sunt accidentia Intellectus, & non differentiæ essentiales, poterit similiter Deus denudare intellectum ab omni ratione Practici & Speculativi: atqui repugnat dari intellectum, qui non sit Practicus aut Speculativus: ergo Practicum & Speculativum sunt differentiæ essentiales. *(Accidentia possunt abesse.)*

Secundã sententiã tuẽtur Conimbricenses jam citati & probatur primò authoritate D. Thomæ dicentis *Speculativum extensione fieri practicum*: ergo sentit Angelicus Magister Practicum & Speculativum solùm penes magis vel minus extensum distingui inter sese, ergo accidentaliter ut per se patet. *(Speculativum extensione fit practicum.)*

Probatur Secundò, quia in ipsa diffinitione admittitur Practicũ & Speculativũm distingui solùm in modo quo versantur circa suũ objectum: ergo in re conveniunt; & tantùm distinguuntur expressivè, modaliter aut accidentaliter.

Confirmatur, quia idem habitus, qui procedit nunc practicè, poterit posteà procedere speculativè; quod non contingeret, si distinguerentur specie: ergò solùm distinguuntur accidentaliter. Probatur antecedens quia idem Habitus, qui versatur circa rem factibilem, & est Practicus, potest versari circa rem jam factam, & tunc erit speculativus, siquidem non est res facta objectum operabile, & consequenter neque praxis: Ergo idem Habitus potest esse Practicus, & Speculativus. Antecedens (videtur Habitum eundem circa rem factam atque faciendam operari) probo. quia idem Habitus Architecturæ, qui versatur circa ædificia facienda, & regulandas fabricas, contemplabitur etiam factam ædem, ut per se patet, & tunc non operabitur practicè, cùm inveniat objectum jam productum, cùm de ratione practici sit objectum suum efficere, sed contemplabitur factam domum speculativè. *(An idẽ habitus possit procedere practicè & speculativè?)*

Resolutio. Iudicium ferre inter has sententias non est facilè: verùm sententia defendenda sub istis terminis claudatur. *Practicum & Speculativum contradictoriè distinguuntur*, quia si contempletur tantùm rem, erit intellectus Theoreticus, seu contemplativus; si contempletur & inclinet ad operationem erit practicus. Addo etiam istas definitiones.

Prima. *Habitus speculativus per se est qui non potest transire in praxim.* Talis est Physicæ cœlestis habitus, qui contemplatur cœlos at cœlos non potest conficere. *(Intellectus speculativus per se.)*

Secunda. *Habitus speculativus per accidens ille est, qui per accidens non transit in praxim.* Talis est considerans domum factam, qui ex se esset practicus, & illam eandem domum posset ædificare, nisi jam esset facta. Tales sunt omnes scientiæ, quæ vocantur docentes, & ab *(& speculativus per accidens.)*

ab utentibus: dicuntur distingui : contemplantur enim objecta quæ possunt ad praxin reducere, quæ tamen ad praxin non reducunt per accidens.

Tertia. *Habitus practicus est idem qui operativus: & practicans idem qui operans.*

An habituum accidentia omnia se teneant ex parte objecti?

Argumentis occurritur. Ad primum nego omne quod accidit Habitui, se tenere ex parte objecti, cùm possit se habere ex parte Habitus, ut patet in remissione & intensione, quæ ut certum est, ex parte Habitus & non ex parte objecti se tenent.

An Deus possit omnia accidentia tollere?

Ad secundum condono quælibet accidentia positiva posse à Deo tolli, quia inter se sunt contraria; in accidentibus autem contradictoriis, quorum unum est positivum & alterum negativum, utrumque à subjecto neque de potentia Dei absoluta posse auauferri, licet alterutrum divisivè sæpiùs auferatur. Exempli gratiâ. Album ac nigrum sunt accidentia contraria, & consequenter à Deo utrumque potest auferri, saltem de potentia absoluta; at verò Album & non Album, sunt accidentia contradictoria, & ideò licet alterutrum Deus auferre possit, utrumque simul non potest: quia si à subjecto auferri albedinem necessariò erit illud non album; & si aufert à subjecto non esse album, necessariò illud faciet album: quia non potest idem subjectum nec esse album, nec esse non album, ut per se patet. Cùm igitur ratio practici & speculativi non opponantur contrariè, nec sint duæ formæ positivæ, sed altera negativa & altera positiva (quia positâ inclinatione ad opus Habitus fit Practicus, hâc ablata fit Speculativus) hinc fit quod neque de potentia Dei absoluta utraque possit ab intellectu humano abesse. Ergo necessarium est, ut intellectus vel sit practicus vel speculativus. *Qualis sit practici & speculativi oppositio?*

PHYSICÆ PRÆDETERMINATIONES INFALLIBILITANTES ET NON NECESSITANTES.

Inventæ & defensæ sunt ab Authore Salmanticæ anno 1630.

THESIS.

MDXII. *Positâ Physicâ Prædeterminatione Homo potest componere cum illa omissionem actûs, ad quem prædeterminatur, non tamen de facto componet, sed infallibiliter operabitur: quam ob rem, Prædeterminationes physicæ, quas admittimus, siquidem non solùm in sensu diviso, sed etiam in composito, relinquunt libertatem illæsam, & tantùm inferunt certitudinem actûs, novo illa nomine dicantur* infallibilitantes.

THESEOS EXPLICATIO.

MDXIII. *Quâm sit certum homines habere libertatem?*

Quibus se videat, caret oculis, qui non percipit se arbitrii indifferentiâ præditum. Sibi inhumanus, qui immunitatis contemnit privilegium, à quo habet quod possit in militia orthodoxa merere; Donati sumus cœlitùs indifferentiâ arbitrii immunitate, non solùm ab aliqua necessitate, sed ab omni. 2. contra Faustum S. Augustinus, *Nos sub fato stellarum nullius hominis genesim ponimus, ut liberum Arbitrium voluntatis, quo benè & malè vivitur, propter justum judicium Dei, ab omni necessitatis vinculo vindicemus.* Nota illud *ab omni*: & infer impingere in prima Augustini principia Lutherum, Calvinum & consectaneos universos, quoties cum libertate, merito aut demerito præsumunt componere necessitatē. *Quantam habeant* Si aliqua necessitas potest humanā voluntatē afficere, illa est, quæ dicitur *Quidditativa*; illa, quæ in Melliflui Doctoris schola propugnatur & comprehenditur hâc positione, *Necessarium est ut voluntas careat omni necessitate*; est enim similis his, *Necessarium est rem contingentem non esse necessariam, & hominem esse animal rationale.* Bernardus de gratia & lib. Arbitr. *Is ergo talis consensus ob voluntatis inamissibilem libertatem, & rationis quod semper secum portat & ubique, indeclinabile judicium, non incongruè dicitur, ut arbitror, liberum arbitrium.* *Necessitas quidditativa.* *Libertas est inamissibilis. Unde dicatur Liberum arbitrium.*

Sanè omnes creaturæ possunt operari & non operari, quia & esse, & non esse, imò sic & aliter operari, quia & sic & aliter esse: non tamen ideò indifferentiæ compotes aut impotes censendæ. Transcendit contingenti- *Omnes creaturæ sunt contingentes, non tamen omnes liberæ.*

omne

Qu... liber-tas & con-tingentia ... simi-les.

omnes formalitates, ut nihil sit, quod aliud sit à Deo, & conaturalem contingentiam amittere possit. Sunt contingentia & indifferentia, imperfectio, perfectio: sed simillimæ: imò una & eadem formalitas. Voluntas in suis operationibus libera est, flamma contingens. Vtraque potest operari & non operari; nam voluntas in instanti in quo amat potest non amare, & flamma in instanti in quo incendit, potest non incendere, puta si combustibile defuerit. Neutra igitur necessariò operatur: differunt quod flamma necessariò operaretur, si determinaretur ab extrinseco, voluntas verò debet ab intrinseco determinari. Vtramque igitur definiam sic.

Contingentia & libertas denominatio sumitur ab eadem forma.

Contingentia est indifferentia, quæ ab extrinseco, Indifferẽtia est contingẽtia; quæ ab intrinseco. Vtraque est inamissibilis. Non potest Deus creare realitatem aliquam expertem contingentiæ, nec expertem indifferentiæ voluntatem. Omnis creatura, quæ à Deo producitur, ita producitur, ut & non produci etiam possit; Deus enim illam liberè producit, & potest etiam non producere: unde libertas illa, quæ divinæ voluntati intrinseca, eamdem divinam voluntatem indifferentem; & quia creatura est extrinseca, istam contingentem denominat. Indifferentia igitur libertas est, & contingentia servitus. Illa perfectio, hæc imperfectio. Considera sequentes Conclusiones.

PRIMA *Eadem formalitas est indifferentia & contingentia: si afficiat intrinsecè, indifferentia & libertas dicitur, si extrinsecè, contingentia & servitus.* Verbi gratiâ. Ostium illud & claudi & non claudi à me potest, quia & possum claudere & non-claudere. Occlusio aut non-occlusio mihi libera est, ostio contingens; ego enim ab intrinseco determinor ad alterutram contradictionis partem, ostium verò ab extrinseco. Quamobrem eadem non-necessitas quę me intrinsecè afficit, afficit ostium extrinsecè, ideòque me indifferentem, illud contingens: me liberum & actionis dominam, illud non liberum sed passionis servum denominat.

Libertas contingens

SECUNDA. *Voluntas humana simul indifferens & contingens est.* Indifferens, quia libera; contingens, quia serva. Posse esse & non esse indicium servitutis est; oritur enim à libertate extrinseca, ideò enim potest esse & non esse voluntas; quia illam Deus potest conservare & non conservare. At verò operari, & non operari ex hypothesi quòd à Deo conservetur, illi liberum est, quia est operationis domina, & prò arbitrio agere potest & non agere.

Hinc intelligendi sunt Augustinus & alii Patres, qui ut commẽdent Authoris infinitum dominium, omnipotentiæ Dei ancillari creaturas, servire arbitrium asseruerunt: nam earumdem ancillatur existentia, possunt enim pro Dei voluntate adnihilari, ac propterea earumdem Deo subsunt operationes, nulla enim potest elici, si aut annihiletur causa, aut non annihilatæ concursus necessarius negetur.

Quotuplex sit contingentia?

TERTIA. *Contingentia est duplex, mutabilis & immutabilis.* Rerum mortalium contingentiam mutabilitatem involvere omnia entia caduca manifestant; non solùm successiva, sed etiam ipsamet permanentia. Homo ens permanens, asserente Iobo nascitur de muliere; brevi vivit tempore; repletur multis miseriis; quasi flos egreditur & conteritur, fugit velut umbra; & nunquàm in eodem statu permanet. Posse contingentiam intelligi sine mutabilitate ostendam; Creet Deus lapidem in instanti B. adnihilet in C. Erit verum dicere in instanti A. lapis non erat, in instanti B. est, in C. non erit. In illo instanti B. continget illi quòd sit albus aut non sit albus; quòd sit calidus aut non sit calidus: cæterùm nec ex albo in nonalbum, nec ex calido in nõ calidũ, nec contrà, mutari aut converti poterit; quia ad mutationem requiritur *antè & post*, quæ in simplici instanti non dantur. Hinc patet. *Primò* omnia instantanea immutabilia esse. *Secundò* omnia entia quæ crearentur *nunquam*, hoc est, sine successu durationis, mutari non posse: unde qui Angelos tales esse realitates putaverit, eos mereri aut peccare potuisse asseret, post peccatum verò aut meritum mutari posse non tenebit; quia ubi non est durationis successio, *antè & post* non dantur. Deberet tamen, sed contra veritatem, subjungere, Dæmones nunquam habuisse fidem, nunquam charitatem & gratiam: quia nunc illis carent, & tota illorum duratio est unum *nunc*; in quo contradictorii termini componi non possunt. Hinc patet tertiò Deum immutabilem esse, duratio enim ejus tametsi infinita, non nisi simultanea est.

Notetur hoc exemplum benè.

Immutabilitas Angelorum, Dæmonum & Dei.

QUARTA. *Ex indifferentia & contingentia oritur indeterminatio: prima intrinseca dicitur, secunda extrinseca: istis opponitur intrinseca & extrinseca determinatio.* Patent omnia ex ipsa terminorum connexione. Determinatio; quæ indeterminationi, ortæ ab indifferentia, hoc est, intrinsecæ opponitur, *Decretum voluntatis operaturæ* dicitur; illa autem quæ indeterminationi ab ipsamet contingentia subortæ, hoc est, extrinsecæ *Physica prædeterminatio.*

Indeterminatio & determinatio.

Hinc patet futile omninò esse illud ratiocinium, quod contra prædeterminationes frequentissimè assumitur, nimirùm, *prædeterminatio physica realiter prædeterminat, ergo realiter tollit indeterminationẽ: Ergo & indifferẽtiã; quia indifferẽtia sine indeterminatione intelligi nõ potest.* Illi enim summa cum facilitate respõdemus distinguendo singulas propositiones. Physicam prædeterminationem prædeterminare voluntatem realiter extrinsecè, concedimus; prædeterminare realiter intrinsecè; negamus. Ad probationem dicimus indifferentiam posse intelligi omninò sine indeterminatione; quia indeterminatione extrinseca sicut & contingentia, à qua illa oritur, carere potest; ut videre est in Deo; in quo infinita Arbitrii indifferentia; sicut omnem contingentiam sic etiam omnem indeterminatio-

Obiectio.

Solutio.

Determinatio opponitur indifferentiæ.

tiem

nem à contingentia suborientem proscribit: imò & potest intrinseca, sed ab intrinseco; quia dum se voluntas vitaliter determinat, indeterminationem amittit, non verò indifferentiam, hæc enim soli opponitur necessitati. Vnde & Deus infinitè indifferentem voluntatem vitaliter & liberè determinat ad unam contradictionis partem; unde qui non potest simul intelligi determinatus & indeterminatus, intelligi potest determinatus & indifferens. Hoc enim æternitatis *nunc* quo mundum creat, potest eum non creare. Deus igitur est *determinatus*, quia creat; *indifferens*, quia creat cum indifferentia, nunc enim quando illum creat, potest non creare.

Necessitas, contingentia, libertas.

QUINTA. *Indifferentia & contingentia opponitur necessitas. Contingentiæ quidem, necessitas essendi, indifferentiæ autem, necessitas operandi.* (Vtraque necessitas simul nulli enti creato aut increato competere potest.) Deus enim est Ens necessarium in essendo, non necessarium in operando: & omnes creaturæ carent essendi necessitate; multæ tamen ex hypothesi quod fiat, debent necessariò operari. Vtraque necessitas simul abesse potest.) Et probatur; quia creaturæ liberæ nec habent necessitatem essendi, nec necessitatem operandi. (Operandi necessitas cum essendi contingentia benè componitur,) ut patet in brutis, qui esse & non esse possunt; sed si sint, & omnia prærequisita sint posita, nequeunt non operari:

MODVS OPERANDI.

Quid sit libero arbitrio intrinsecum:

A Libertate homo habet, quòd ita amet, ut possit detestari; ita detestetur, ut & amare possit. A mutabilitatis contingentia, quod possit habere varios actus liberos, & vario ordine inter se connexos. Propositum objectum potest homo diligere & non diligere in eodem instanti. Si ad amandum in instanti A. ita fortiter prædeterminaretur, ut non posset detestari in eodem; sanè illa prædeterminatio tolleret indifferentiam libertatis; sive esset ab intrinseco, sive ab extrinseco: talis enim operandi necessitas, si esset ab intrinseco, cùm intrinsecâ indifferentiâ componi non posset, quia sicut quidditativè non posset homo esse rationalis, & non esse rationalis, sic nec potest esse quidditativè indifferens, & non esse quidditativè indifferens. Præterea rei; cui essentialiter & ab intrinseco competit quòd sit spiritualis, qualis est Deus, Angelus, non potest competere non esse spiritualem; nequidem accidentaliter & ab extrinseco. Ergò voluntati, cui essentialiter & quidditativè competit sine necessitate operari, non potest aut ab intrinseco, aut ab extrinseco necessitas operandi competere.

Et quid extrinsecum:

Homo igitur ab indifferentia habet, quòd quasi innumeros actus liberos possit elicere; à finitate, quòd non possit simul universos; à mutabilitatis contingentiâ, quòd debeant actus liberi liberis actibus succedere; superest scire, qui & quo ordine debeant succedere isti actus. Ordinem ipsa indifferentia non tribuit, quia ejusdem speciei est in omnibus hominibus, & tamen experimur Actus liberos diversimodè intermisceri apud diversas voluntates. Ergo ordo horum actuum contingens est, & pendet ab extrinseco. Ergo agens extrinsecum poterit actus liberos, quos potest hæc voluntas elicere, eligere, disponere, ordinare, hoc est, determinare. Ergo in humana voluntate dantur physicæ prædeterminationes, sive actuum coordinationes.

Deus, cùm instantaneam æternitatem habeat, actuum succedentium est incapax, ideòque non indiget extrinseca prædeterminatione; si successivè duraret, indigeret.

PHYSICÆ PRÆDETERMINATIONIS QVIDITAS.

UT physicas prædeterminationes defenderent, duos modos invenerunt Theologi non improbabiles. *Primus* est asserentium, illam ad genus liberi arbitrii pertinere. *Secundus* existimantium illam ad genus naturæ spectare. Cæterùm tametsi uterq; modus plausibiliter defendi soleat, oberrat, si à sequentibus conclusionibus declinet. MDXIV.

Prædeterminationes naturales.

PRIMA. *Datur physica prædeterminatio naturalis, quæ est libertatis negatio, & vocatur necessitas.* Hæc convenit omni agenti materiali; spirituali non potest prius competere, quàm competat libertatis negatio: cumque teste D. Bernardo libr. de grat. & libero arbitr. *inamissibilis sit humana libertas*, sequitur hanc naturalem physicam prædeterminationem nequidem divinitùs homini competere posse.

An infantes & deliri sint liberi.

COROLARIUM. *Nulla actio voluntatis humanæ aut angelicæ est necessaria, tametsi multæ sint, quæ non sint meritoriæ aut demeritoriæ.* Probatur; quia infantes, puelli, phrenetici, insipientes, objecta, quæ apprehendunt, cum indifferentia nunc diligunt, nunc detestantur: eorumdem tamen actus ipsis nec merito sunt, nec demerito, quia non habent rationis lumen sufficiens ut cognoscant honestatem moralem.

An peccent.

Quæ confirmant mellifui mei Doctoris verba, animalia non posse peccare hoc eodem Sermone LXXXI. probantis; *Inde est, quod non judicantur* (animalia intelligit; homines qui non utuntur ratione addo) *quia non judicant: quânam quippe ratione ab his exigatur ratio, quam non acceperunt?*

Operationum ordo.

SECUNDA. *Datur & physica prædeterminatio sive actuum liberorum successivè eliciendorum coordinatio, ex vi cujus actus, quos elicere potest voluntas, non habent quod liberi sint, sed quòd hoc ordine infallibiliter sint.* Hanc alii prædestinationem appellant; ac, si sit ad gloriam, definiri solet esse coordinatio beneficiorum seu auxiliorum Dei, quibus salvantur, qui salvantur; & analogicè, si sit ad legendũ, verbi gratiâ, posset definiri esse coordinatio auxiliorũ seu præmotionum Dei, quibus, omnes qui legunt, ad legendum prædeterminantur.

TERTIA. *Prædeterminatio seu prædestinatio est duplex,*

Quotuplex sit prædeterminatio?

duplex, activa & formalis: Hæc est, illa formalitas sine quâ voluntas humana aut angelica est indeterminata ad multos actus liberos; illa est hujus formalis prædeterminationis productio, quæ est actus divinæ voluntatis.

Effectus formalis prædeterminationis

QUARTA. *Prædeterminatio formalis, nec est naturalis, nec libera, sed infallibilis.* Hoc est, non tribuit voluntati, quòd necessariò operetur, hoc enim impossibile est: nec tribuit, quod liberè operetur, hoc enim necessarium est; voluntas enim debet liberè, & nequit necessariò operari: sed tribuit, quod hos actus liberos potius quàm illos infallibiliter operetur. Verbi gratiâ. Erat Petrus timore perculsus inter armorũ strepitum, & manus militũ, dum interrogaretur an esset Christi discipulus. Duos poterat actus elicere: nimirùm: aut ita negare Christũ ut posset confiteri; aut ita confiteri ut negare etiã posset. Habebat à libertate quod utrumque elicere posset. Quod Priùs unum quã alium eliceret, aut unum tantùm, aut nullum eliceret; non quidem liberum sed contingens erat. Ex hac contingentiâ oriebatur indeterminatio, quàm tolleret efficax gratiæ auxilium, sustulit auxilij efficacis carentia. Negavit quidem gratiâ efficaci desistente: confessus fuisset, si hæc divinitùs fuisset concessa.

In quo consistat efficacia.

QUINTA. *Physica hæc prædeterminatio est motio, cordis duritie major & potentior*, Declaratur. Eadem numero motio, si sit duritie cordis operaturi major, erit efficax; inefficax verò si minor. Hinc constat, homini esse liberum uti quocũque auxilio sufficienté; nam si præmovetur ut quatuor, & ipse habeat cordis duritié ut sex, infallibile est quod non consentiet illi auxilio; cæterùm si cordis illa durities diminueretur, & evaderet ut tria, infallibile esset quod esset ille consensurus.

Quid sit Cor indurare?

Hinc patet, qui debeant aliquot testimonia intelligi. Nam cùm in Exodo frequenter dicitur Deus indurasse cor Pharaonis, non est intelligendus negasse illi auxilia sufficientia ad benè operandum, sed non diminuisse cordis illius duritiem naturalem. Et cùm cor novum à Deo petimus, diminui concupiscentiæ & fomitis peccaminosi vires postulamus. Has usu mortificatione etiam purè materiali remittimus; non extinguemus tamen, quousque donemur æternâ beatitudine.

An oratio sit utilis?

Patet secundò orationem esse omninò utilem, & salubriter præceptam esse: nam qui laborat duritie ut quinque & prævenitur auxilio Dei ut quatuor; poterit quidem eodem uti, sed non faciet, quia à fomite prædeterminatur ut infallibiliter dissentiat. Orando tamé poterit impetrare, aut quod Deus potéter auxilium concessum intendat, aut duritiem à fomite suborientem remittat: nam si illud intenderetur ut sex, aut hæc remitteretur ut duo, evaderet voluntas infallibiliter operatura.

EFFECTUS PHYSICÆ PRÆDETERMINATIONIS.

MDXV. *Examinatur doctrina Thomistarum.*

SEvera aliquorum Thomistarum opinio tuetur prædeterminationem physicã tollere libertatem ex parte consequentis, & in sensu composito; non verò ex parte antecedentis, & in sensu diviso. Apud ipsos hæ assertiones sunt veræ.

Prima. *Homo non potest componere actum amandi cum carentia ejusdem actus.*

Secunda. *Nec potest componere carentiam amoris cum auxilio efficaci quod ad amandum prædeterminat.*

Tertia. *Nec potest componere carentiam amoris cum instanti in quo habet auxilium efficax ad amandum.*

Contra dictoria non possunt esse simul vera

Si agamus de sensu composito, quem exprimit prima positio, esto partium concordia. nemo enim prudens concessit humanæ, imò nec divinæ voluntati potentiam componendi duos terminos contradictorios, quales sunt *amor & amoris carentia*: tota igitur difficultas est de sensu composito juxta secundam & tertiam acceptiones. Sit igitur.

PRIMA CONCLUSIO. *Positio illa secunda, cui Thomistæ innituntur, est falsa.*

Probatur. Physica prædeterminatio sic exposita tollit libertatem humanam: ergo illa expositio non est vera. Assumptum persuadetur. Non est liberum Petro habere physicam prædeterminationem, aut non habere; atqui illâ positâ nequit non operari, sepositâ nequit operari: ergo illa prædeterminatio tollit indifferentiam, & consequenter libertatem.

An sit liberum homini habere physicam prædeterminationem?

Sentiunt rationis vires aliqui: & negant majorem, assérendo esse liberum Petro habere physicam prædeterminationem ad orandũ Deum: potest enim orare, & orando illam adipisci. Sed materiam disputationis mutant, nõ dilucidant: Nam in eorum sententiâ nec orare potest sine prædeterminatione ad orandũ: onde: esto orando possit Petrus prædeterminationé, quæ ad Deũ amandum sit, obtinere; & possit illã nõ obtinere nõ orãdo: at ipsi nõ est liberum habere prædeterminationem illam physicam, quæ ad orandum prærequiritur: vel dicatur an detur orationis oratio; si enim hæc conceditur, àut dandus est progressus infinitus, vel est dicendum dari aliquam prædeterminationem primam, quam habere aut non habere homini liberum non sit. Discurro igitur sic: Petro non est liberum habere physicam prædeterminationem ad orandum: eâ habitâ, nequit non orare: oratione necessariò posita, adquirit physicam prædeterminationem ad amandum: hac posita, nequit non amare: ergo quomodocumque exponatur hęc prædeterminatio, tollit omnem Arbitrij indifferentiam, & inducit determinatissimam necessitatem.

Alij cautiùs ejusdem syllogismi præmissas aliter elidere conantur. Admissa illa majori, subsumptã minoré distinguunt. Positâ Physicâ prædeterminatione Petrum non posse non operari in sensu cõposito admittunt, negant in diviso. Igitur intelligendi sunt. Dicunt Petrũ præventum efficaci gratiâ posse non operari in sensu diviso. Non dicunt posse nõ operari, si caret operatione: quia hoc est indubitatũ apud omnes, quia sicut dicimus duos terminos cõtradictorios nõ posse esse in sensu composito, hoc est simul: sic etiã dicimus nõ posse nõ esse in diviso, quia quando est amor, debet

dees-

esse physicam prædeterminationem, quod etiam non est in tuâ potestate.

Probatur major, quia non promittis te lecturum in sensu diviso, aut actu primo; sed promittis te in actu secundo lecturum esse, te cõpositurum esse legendi actum secundum cum tua libertate, te ex parte consequentis positurum esse illã operationem; quod clarè demõstratur. Cùm promittis te crastinâ die lecturũ esse, promittis quod crastinâ die eris legens: ergo promittis illa omnia quę sunt necessaria, ut crastinâ die sit vera hæc propositio, *Nunc legis*. Atqui si non sit verum dicere. *Nunc habes physicam prædeterminationem*, non poterit esse verum dicere, *Nunc legis*; Ergo polliceris te illam prædeterminationem habiturum.

RESOLUTIO. Hæ duæ rationes à multis annis nobis tam efficaces visæ sunt, ut cẽseamus horum Authorum doctrinam contra Augustinum, Bernardum & Thomam, militare. *Liberum Arbitrium voluntatis*, dicebat 2. contr. Faust. Augustinus, *ab omni necessitatis vinculo vindicemus. Si ab omni*, non solùm à necessitate sensus compositi, sed etiam à sensus divisi: *si vinculo*, magno huic Doctori subscribebam, cùm necessitatem sensûs compositi compedũ vinculis æquiparabam. Ponam igitur nostræ sententiæ Conclusiones, & ut illas radicitùs intelligas, adnotato, quando datur physica prædeterminatio verbi gratia ad agendum, me posse considerare duos terminos (operationem videlicet, & omissionem) & hos simpliciter & modaliter. Pono exemplum. Prædeterminat Franciscum Deus ut loquatur: & tunc possum considerare & comparare *loquelam & silentium* simpliciter, hoc est, à libertate præscindendo: & possum modaliter, hoc est, hos terminos modo libertatis vestiendo. Et quidem primo modo indeterminatio, quam tollit physica prædeterminatio, esset inter hos actus, *Loquitur*, *Tacet*: at verò secundo modo inter istos, *Loquitur; ita tamen, ut possit tacere*: *Tacet; ita tamen, ut possit loqui*. His positis sequentes Conclusiones subjungamus:

PRIMA. *Homo præventus physica prædeterminatione non potest omittere actum in sensu composito contradictorio.* Sic voco illum, qui si daretur, operationem & operationis carentiam componeret.

Men. Ecclesia.

SECUNDA. *Homo præventus physica prædeterminatione, in instanti quo illam habet, potest componere cum illa operis omissionem, ac propterea potest omittere actum in sensu composito.* Et videtur non posse non esse fide, nec eâ negatâ posse admitti has periodos: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem ..... inspirationem recipiens illam* (nimirùm quam habet, & quando habet; non verò quando non habet) *abiicere potest*. Et: *Si quis dixerit liberum hominis Arbitrium à Deo motum & excitatum ..... Deo excitanti atque vocanti non posse dissentire, si velit ..... Anathema sit.* Nemo autem potest dissentire, quando non est actu & in sensu composito id cui dissentiat. Sunt desumptæ ex Tridentini sessione VI. prior ex capite VI. & Canone IV. posterior. Adsonat Concilium S. Thomæ illi

Consonat Ecclesia S. Thomas.

stri Patrum antiquorum discipulo & Angelico Magistro recentiorum, 1. p. quæst. 62 art. 3. ad 2. dicenti. *Quod omnis forma inclinat suum subjectum secundum modum naturæ eius; modus autem naturalis intellectualis naturæ, ut liberè feratur in ea, quæ vult: & ideò inclinatio gratiæ non imponit necessitatem, sed habens gratiam potest ea non uti & peccare.* Cùmque non uti gratiâ, quam quis habet, sit componere non usum cum gratiâ, dicendum omnino est ad mentem D. Thomæ, positâ gratiâ hominem posse non operari non solùm in sensu diviso, sed etiam in composito: nec exponi potest de habituali & justificante gratiâ; loquitur enim Doctor Angelicus de gratiâ, quâ uti & non uti possumus, ut patet clarissimè ex littera, ergo de auxiliatrice gratiâ quæ est agendi instrumentum & ratio, non verò de habituali: hâc enim non utimur; non enim est habitus formaliter operativus.

An prædeterminatio cum omissione operis componi queat.

TERTIA. *Physica prædeterminatio potest carere effectu simpliciter considerato, non carebit tamen.* Huc pertinent verba Augustini; *Quantum ad ipsos attinet*, ait, *quod Deus noluit fecerunt* (nempè peccantes) *quantum verò ad omnipotentiam Dei* [hæc est, voluntas Dei gubernans; esse & operari creaturis prædestinans & prædeterminans) *nullo modo id facere voluerunt, hoc quippe ipso quod contra voluntatem Dei* [nempè præcipientem] *fecerunt, de ipsis est facta voluntas eius.* [nimirùm prædeterminans negativè, hoc est, permittens, ut ita sequerentur peccatum, ut id non sequi possent: quod si necessariò sequerentur, non satisfacerent voluntati Dei permittentis, ut liberè peccatum sequerentur.] Nota obiter illa verba, *nullo modo id facere voluerunt*, fortius enim argueret Augustinus, si diceret, *nullo modo id facere potuerunt*, abstinuit tamen, quia videretur voluntatem humanam alicui necessitati subiicere, quam constanter *ab omni vinculo necessitatis vindicavit*. Vide 2. contr. Faust. 5.

MDXVI. An possit homo præmotioni resistere.

QUARTA. *Physica prædeterminatio non potest carere effectu modaliter considerato.* Ut hanc demonstrem; iterum tertiam Conclusionem dilucido. Det Deus Francisco physicam prædeterminatioem ad loquendum: ergo si loquelam simpliciter consideremus, poterit carere effectu hæc ipsa prædeterminatio; quia poterit Franciscus non loqui. Cæterùm; si loquela modaliter consideretur; hoc est, si consideretur ut libera [& hoc modo debet considerari; quando benè consideratur] non poterit carere effectu hæc physica prædeterminatio; nam si eius virtute *Franciscus loquitur; ita tamen ut possit tacere, hoc est, non loqui*: Franciscus, cùm loquitur facit quod prædeterminatio illa postulat: & cùm potest non loqui, etiam satisfaciat physicæ prædeterminationi, quæ inter hos duos actus, *Loqui, ita tamen ut possit tacere*, & *Tacere, ita tamen ut possit loqui* infallibiliter determinat voluntatem ad primum.

De præmotionis efficacia.

Sed unde habet Physica Prædetermi-

ratio efficaciam? Vel ab essentiâ suâ, vel à quantitate. Sit igitur Conclusio.

QVINTA. *Prædeterminationes infallibilitantes, etiamsi ab essentia sua habeant, quod efficaces sint, non tollunt nec lædunt libertatem.* Patet, quia tantummodò tollunt indeterminationem, & indifferentiam non tangunt: tam enim liber erit in operatione suâ Franciscus, *si loquatur, ita ut possit tacere*, quàm erit, *si taceat, ita ut possit loqui.* Vnde ad miraculum benè Bernardus lib. de gratia & libero arbitr. cap. 11. num. 36. *Hoc quippe intendit (Deus) cùm terret, aut percutit, ut faciat voluntarios, non salvet invitos: quatenus dum de malo mutat voluntatem in bonum, transferat, non auferat, libertatem.* Nota attentè illud *transferat*, & illud *non auferat.*

Quo gratia sufficiens modo à efficaci distinguatur?

Qui hanc viam ingressus fuerit (nota id benè) non debet dicere gratiam efficacem & sufficientem distingui specie (& hoc benè considera & intellige: nam plurimi in hoc errarunt) sed unam & eamdem numero prædeterminationem quæ est efficax ad loquendum, esse sufficientem ad tacendum: efficaciam ad loquendum ostendo, quia positâ hac prædeterminatione *loquetur Homo infallibiliter*: sufficientiam ad tacendum demonstro, quia positâ hac eâdem numero prædeterminatione *tacere poterit.*

Alius modus explicandi efficaciam.

Si autem nolis asserere gratiam ex essentiâ suâ esse efficacem, probabiliter philosophari poteris, si utaris Conclusionibus istis. Sit ergo

SEXTA. *Gratia efficax seu prædeterminans, non distinguitur à sufficienti & inefficaci, specie, sed quantitate.* Et ratio est: nam si gratia cordis duritie major sit, efficax & prædeterminans erit: inefficax & sufficiens, si minor. Vnde gratia ut quatuor, si detur Petro habenti duritiem ut duo, erit efficax: si Paulo habenti duritiem ut sex, inefficax.

An una & eadem gratia ex efficaci fieri inefficax possit: aut contra?

SEPTIMA. *Contingit (nimirùm, stando sextæ Conclusioni) unam & eamdem præmotionem transire de inefficaci in efficacem, & contrà.* Et ostenditur. Nam si Antonio habenti cordis duritiem ut septem, detur gratia ut quinque, erit inefficax, sufficiens tamen. Et cur inefficax? quia est duritie minor. Et cur sufficiens? Exponam.

Potest homo illam naturalem duritiem, & habituum pravorum vim viribus naturæ remittere, & sic facere ut præmotio illa (naturalis aut supernaturalis ipsa sit) evadat duritie & inclinatione pravâ major: poterit & ipsammet præmotionem remittere aut intendere. Pono exemplum clarissimum. Explorata Petri fragilitas ne à præsenti pulchritudine abripiatur requirat gratiam ut sex, ne ab absenti ut quatuor: Deus eum prævenit gratia ut quatuor, exempli causa, ergo ex vi hujus præventionis cadet præsente objecto, & stabit absente. Ergo cum ei occurrit sui periculi causa, gratiam ipse sufficientem habet ut resistat; gratiam quidem quam ipse faciet efficacem, periculum illud fugiendo. Moveri autem loco, cum actio naturalis sit, fieri poterit naturæ viribus. Quod enim Petrus sit in minori periculo non solum facit fuga, quæ fiat propter Deum; sed etiam fuga purè indifferens & merè naturalis.

OCTAVA. *Si efficacia reducitur ad essentiam gratiæ, aut ad quantitatem aliquam determinatam* [puta si diceretur gratia usque ad quartum intensionis gradum esse inefficax: ultra efficax] *non indiget Deus scientia media: cæterùm, si efficacia ad quantitatem proportionalem reducitur, indiget Deus scientia media.* Patet primum: quia cuicumque detur gratia illa aut præmotio operabitur. Patet secundum: quia non cuicumque detur hæc præmotio operabitur: ergo ut sciat Deus, an Petrus operaturus sit cùm habet gratiam duritie sua minorem indiget scientia mediâ. Sed quia præter scientiam mediam, quam fortè supponunt Conclusiones sexta & septima, speciales difficultates patiuntur, nos quintam ut certiorem & securiorem propugnabimus.

DE OBIECTO LIBERTATIS

AMor & odium ab intellectu pendet; nemo enim rem incognitam amat aut detestatur. Sicut oculus non sapores sed colores percipit; & gustus sapores non colores: sic amor non in malum sed in bonum tendit, in malum & non in bonum detestatio. Voluntas est amandi potentia, noluntas detestandi? Sed quid est detestari? amare objecti negationem. Arbitrium, libera animi rationalis potestas, quæ uti aut voluntate aut noluntate cum summâ indifferentiâ potest. Si objectum ita proponatur, ut nec in eo bonitas nec malitia reluceat [fortè est talis propositio impossibilis] hærebit rationalis appetitus, & solus intellectus operabitur. Si proponatur ut purè bonum, nullâ malitiâ cognitâ, erit objectum voluntatis; & circa id hæc feretur, non quidem coacta sed impulsu & determinatione necessariâ, illud enim odisse non poterit; bonum enim, quâ tale, odio haberi non potest. Si proponitur ut purè malum, debebit odio haberi; malum enim quà malum nec amari, imò nec diligi potest. Tam enim homo potest malum diligere, quam videre sapores. Cæterùm, si proponatur, ut bonum & malum simul, erit arbitrij objectum; poterit enim & amari & odio haberi: sanè amari, quia bonum; odio haberi, quia malum. MDCXVI.

An voluntas tendat in incognitum?

An in malum?

De libertate Dei.

Hinc patet Deum non esse liberum cum se amat, nec cùm detestatur peccatum. Ipse enim omninò bonus est, & hoc quà tale omninò malum. Patet Deum liberè amare creaturas, quia cùm finitæ perfectionis sint, partim bonæ & partim malæ esse debent, ideòque à Deo liberè amari; non enim Deus cognoscit res aliter, quàm sunt in se.

Beatorum.

Homo beatus Deum clarè cognoscit, ideòque errare non potest aliquam malitiam in summâ illâ bonitate intelligendo: clarè cognoscit culpam, ideòque errare non potest aliquam in eâ bo-

eâ bonitatem intelligendo: quamobrem nec culpam diligere, nec detestari divinam voluntatem poterit. Retinet tamen libertatem circa res caducas & indifferentes.

In damnatorum.

Condemnati in inferno (Animi aut Angeli illi sint) pertinaciæ & impœnitentiæ vi cæcutientes, oppositionem peccati & Dei perpetuò contemplantur, & cum illius inimici sint, hanc judicant omninò bonam; ideòque peccatum necessariò amant tanquam id sine quo hæc oppositio, quæ omninò esse bona apprehenditur, stare non possit. Deum detestantur necessariò tanquam sibi malum, se enim diligunt; & sciunt salutem, quam ambiunt, ni Deus deleatur, adquiri non posse; ideòque quem delere nō possunt, desiderant delere posse; & statuunt se deleturos esse Deum, si possent. Circa objecta tamen, quæ indifferentia aut mixta judicant, usum libertatis conservant.

Mens humana est mutabilis.

Viator non habet illam mentis immutabilitatem, quam feliciter in Beato Dei visio, in condemnato cæcitas infeliciter peperit; habet mutabile judicium, potest enim in judicando errare & non errare; quæ quidem potentia aliquando est libera, aliquando contingens. Libera quidem, cùm vincibiliter erratur, aut cum errandi vincibili periculo scopus veritatis attingitur: contingens cum vel erratur invincibiliter, aut casu & fortuitò non erratur: Deum viator amare & detestari potest: quia, tametsi Deus sit omninò bonus, viator illum humanitus cognoscit, ejusque ideam ab imperfectione finitudinis abstrahere negativè nō potest: à reliquis, quibus nos inficimur, vix potest. Similiter ipsum peccatum: quia, tametsi illud omninò malum sit, illud utilitate adulterina vestit, & quà utile amat. Res caducas, utpote partim bonas & partim malas, liberè à viatore diligi aut odio haberi, negari non poterit.

Dubium incidens.

QVÆRIS. *An possit contingere, ut viator in caducum objectum necessariò feratur?*

Respondeo negativè.

Sed contrà objicis: Sit Petro Paulus inimicus, poterit illum amare quà proximum, odisse quà inimicum, legem divinam implendo aut temerando: præcidat mente Petrus omnes imperfectiones Pauli, & solùm retineat conceptum perfectionum: illum amabit necessariò.

Respondeo, Paulum posse bifariam abstrahi ab imperfectionibus, negativè, & precisivè: addo eum utriusque abstractionis virtute exuere seipsum, & non remanere creaturam. Si negativè abstrahatur, transibit in creatorem, si præcisivè, erit Metaphysica idea à creatoris & creaturæ differentiis abstracta, de Deo & creatura prædicabilis. Vnde firmiter tenendum est Paulum non posse remanere qui est, & ab omni imperfectione præcidi.

An actus per se primi sint mali.

Objicies. Ex hac doctrina sequi actus per se primos, quos universi excusant, esse peccaminosos: dicimus eorum nullum esse actum viatoris, qui careat libertate.

Respondemus, nec infantem ad ubera, nec puellum usu rationis carentem, nec hominem actum per se primum elicientem; imò nec phreneticum carere libertate; Addimus hos omnes non peccare defectu rationis; non enim sufficit ad peccatum, actionem contra legem liberè elicere, sed requiritur ut esse contra legem ab operante cognoscatur. In actu per se primo summa est operandi libertas, peccatum nullum; quia elicitur actio, quæ nō cognoscitur peccaminosa; unde succedente advertentiâ incipiet peccare, qui ab opere per inadvertentiam incœpto prudenter desistat. Et eodem omninò modo de infante, puello, imò & phrenetico philosophabimur: nam hi omnes non peccant, non quod libertate, sed quod usu rationis careant.

THESES THEOLOGICÆ

De Gratiâ & libero Arbitrio ad Mentem Melliflui Doctoris Decretis Tridentini Concilij confirmatam.

Fuerunt propugnatæ Lovanii sub Authoris præsidio anno 1641.

Licebat Lovanii Theses uno aut altero folio edere, sed libros non licebat edere. Sed & Vbi gerrsimi contradictione de gratia & libero arbitrio librum edidit.

DVm alii libros integros de Gratia & Auxiliis scriptitant, nos malumus humiles videri quàm docti, & Sanctissimi Domini nostri Vrbani Papæ VIII, Voluntati insistentes, quæ possent ad multa folia extendi, contrahimus ad paucas lineas, & more Academico mentem nostram (hoc est, communem & Catholicam) folio unico repræsentamus.

THESIS I.

Peccatori semper conceditur gratia sufficiens, ut ad Deum convertatur.

MDXVII. HOmini gratia Dei carenti, si gratiæ auxiliis destituatur, peccati status æternus & necessarius est; unde Bernardus (num. 48.) verissimè affirmat, quòd voluntas, *Ubi semel peccato consenserit, nec iam excutere per* (illud jugum) *nec excusare tamen ullatenùs de ratione queat.* Sed inquitis, Verùm ille, qui nunquam deserit, nisi priùs deseratur, etiam desertus deserat? Utrùm neget auxilia sufficientia ad sanctè & meritoriè operandum? An ad peccatum cavendum? Si proxima aliquando auxilia negat Deus, remota, quæ ad orandum sunt, non negat. Ideòque Bernardus qui voluntatem non sufficere per se (hoc est, ex propriis naturæ viribus) ad culpæ jugum excutiendum asseruerat, num. 53. Dei clementiam contéplatus subjunxit, *Non utique voluntas* (in peccati servitute) *retinetur non volens. Voluntas enim volentis est, non nolentis. Quod si volens retinetur, ipsa se retinet,* & num. 55. *Facit autem,* [hoc est, peccato obedit] *in eadem serviente se retinens; neque enim non volens voluntas tenetur, voluntas enim est. Ergò quia volens, servam seipsam fecit; non modò fecit, sed facit &c.* Ergo siquidem ex propriis viribus peccati jugum excutere non potest, & nihilominùs semper id excutere potest, dicenda est humana voluntas, quamdiu ratione utatur, semper habere virtutem supernaturalem gratis concessam, quâ sufficiat proximè aut remotè egredi ex peccato si velit. Adsonat hæc Melliflui Doctoris Resolutio Concilio Valentiniano III. sub Lothario an. 855. celebrato, in quo legitur. *Nec ipsos malos ideò perire quia boni esse non potuerunt, sed quia boni esse noluerunt, suoque vitio in massa damnationis vel merito originali vel etiam actuali permanserunt:* & Senonensi (can. 15.) docenti, *Tãtam gratiæ necessitatem libero arbitrio non præjudicare, cùm illa semper in promptu sit, & neque momentum quidem* (nota benè) *prætereat, in quo Deus non stet ad ostium & pulset; cui si quis aperuerit, intrabit ad illum & cœnabit cum illo.* Igitur ne momentum quidem est, quo quis ratione utatur, & careat auxiliis sufficientibus.

THESIS II.

Auxilia remota quæ? qualia? ad quid?

POtest proximè à peccato voluntas egredi, cùm elevatur auxilio charitatis, quod est ad eliciendum actum amoris supernaturalis. Potest remotè cùm caret hoc auxilio & habet gratiam ad orandum & illud petendum ac propterea obtinendum. Gratia enim orandi nemini negatur, quia ut asserit Cõcilium Tridenti num, quando *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos,* dicit, Deus *Impossibilia non jubet, sed jubendo admonet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut* (saltem orare) *possis.* Posita humili oratione gratiam sufficientem adsequimur ad cavendum Peccatum amoris actum eliciendo, non enim decipimur ab eo qui dixit Ioannis 14. 13. *Quodcumque petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Iam ergò verbis Melliflui mei Doctoris lux. Nam num. 57. *Non me, inquis, decredere facias necessitatem quam patior, quam in memetipso experior, contra quam & assiduè luctor.* Et respondet; *Ubinam quæso hanc necessitatem sentis? Nonne in voluntate? non ergo parũ firmiter vis, quod & necessariò vis. Multum vis quod nolle nequeas nec multùm obluctans. Porrò ubi voluntas, & libertas; quod tamen dico de naturali, nõ de spirituali.* Hic Heterodoxi. Ergò teste Bernardo, inquiunt, summa compatitur cũ necessitate libertas. Respondeo, duas meũ Doctorem cognoscere necessitates, alteram liberam, alteram non-liberam. Hujus ultimi generis est posse intelligere; ex hypothesi enim quòd habeas intellectũ, necessarium est ut possis intelligere; cæterùm illa ipsa hypothesis est tibi necessaria; ac propterea posse intelligere tibi quidẽ omninò necessarium, & nullo modo liberum est. At ex hypothesi, quod careas gratiâ, necessarium est quod in peccatum inclines & ejus speciē altereris; at non est necessarium carere gratiâ peccati destructivâ: tibi liberum est orare aut non orare, & illam orando adsequi: aut non orãdo demereri. Necessitas igitur, quæ ex peccato nascitur, est necessitas libera, hoc est, inclinatio necessariò nata ex principio quod pro arbitrio & conservare & reiicere potes. Hæc omnia verbis nostri Doctoris fulciamus. *Anima,* ait num. 60. *miro quodam & malo modo sub hac voluntaria quadam & malè libera necessitate ancilla tenetur & libera.* Sed cur? *Ancilla propter necessitatem,* nempè inclinandi in peccatũ, quæ nascitur ex carentiâ gratiæ, quamdiu abyssus abyssum invocat; *libera propter voluntatem,* quæ pro arbitrio potest reiicere illã carentiam gratiæ, cujus vim patitur, cujus necessitatem sentit; illam enim reiicere potest, quia & orare potest, & dicere (num. 62.) *Miser homo quis me liberabit à calumnia hujus pudenda servitutis? Domine vim patior, responde pro me. Sed quid dicam aut quid respondebit mihi, cũ ipse fecerim, imò & faciam?* Dicam, facio quidẽ *sed* (66) *quis me liberabit de manibus meis.* Nota benè sequentia. Se necessitati & cogi affirmãs ait: *Non quod volo hoc ago: sed quod odi illud facio.* Sed si consolaturus Bernardum eum à culpâ volueris excusare: non adquiescet: *se,* inquiet, *necessariò operari, sed à semetipso liberrimè necessitari: cogi quidem ut agat contra voluntatem, sed non ab alio cogi quàm à sua libertate;* sive quod idem omninò est, *se* (sunt formalia S. Doctoris verba) *non quod vult, hoc agere: sed se nõ alio prohibente: & quod odit illud faceret, sed se, non alio compellente.* ac propterea Deum orat, ut à semetipso liberetur, certò sciens, gratiã quæ ad orandum est, benè utentibus, gratiam, quæ est ad Deum amandum, non negari. Accinit sibi S. Doctor Serm. 82. sequenti ubi ait: *Quem amabas times, & libertatis speciem forma servilis extinxit. Sed & voluntaria illa necessitas.*

THE-

THESIS III.

De necessitate in sensu composito.

MDXIX CVm dicimus hominem gratiâ præventum posse dissentire & peccare, si velit; Concilio Tridentino subscribimus, Sed Heterodoxi variis limitationibus decireinant significationis amplitudinem. ALII admittunt hanc positionem esse veram, *Voluntas gratiâ efficaci prædita potest dissentire si voluerit*, sed addunt, id ipsissimum illam non posse velle. Sed si hoc sufficeret ad veritatem Positionis, etiam hæc esset admittenda, *Deus potest annihilare si voluerit*, ipse enim velle non esse, nequit: & tamen hanc nemo prudens admittet. Præterea tametsi admitteretur, deciperemur potiùs quàm instruemur à Concilio; Ecclesiæ enim filii subdubitantes, an tolerari aliquo modo posset Ioannis Calvini dogma asserens Animam à gratia dissentire non posse, consuluerunt Ecclesiam, quæ ita debuit loqui, ut responderet, ut satisfaceret: cùmque textu sic intellecto, nec Ecclesia satisfaciat quæsito, imò nec respondeat, tenendum est hæc verba aliter esse explicanda.

Frequentiùs Recentiores eadem admittunt fuisse dicta ab Ecclesia in sensu diviso, non autem in composito. At quia sunt multæ compositiones, multifariam sensus compositus & divisus accipitur. Præcipuæ acceptiones comprehenduntur assertis subsequentibus. I. *Voluntas prædita gratiâ quando benè operatur, potest non operari; id est, potest componere operationem & omissionem simul.* II. *Voluntas gratiâ prædita, quando benè operatur, potest non operari: non quidem componendo omissionem cum operatione, sed cum gratia*, quia tametsi non possit componere in instanti eodem operationem & omissionem simul, potest tamen in eodem instāti, in quo liberè elicit operationē, illam non elicere, & ita non-operationem cum gratia ipsa componere. III. *Voluntas gratia auxilio præventa, quando operatur, in sensu diviso potest non operari, actionem à non-actione dividendo*: Quod quidem assertum cum secundo coincidit. IV. *Voluntas gratia auxilio præventa in sensu diviso (id est, si omissionem à gratia dividamus) potest non operari*, quia licet non possit componere operationem cum omissione, neque omissionem cum gratia; potest tamen in instanti, in quo elicit actum amoris supernaturalis præceptum, hunc non elicere, & non eliciendo peccare, & peccando gratiâ privari. V. *Voluntas habens gratiam potest in diviso omittere: hoc est, posset, si gratia careret: & poterit, cùm caruerit.*

SUBINNOO de sensu diviso & composito judicium & censuram Bernardi. PRIMA acceptio ipsi displicet, nam hujus Sermonis nu. 46. sic ait. *Quod surgere Anima per se jam non potest, quæ per se cadere potuit, voluntas in causa est, quæ corrupti corporis vitiato ac vitioso amore languescens & jacens, amorem pariter justitiæ non admittit.* Ecce pariter Bernardus dixit, ubi dicerent *in sensu composito* Thomistæ. Et in libello de Gratia & libero Arbitrio. *Velle quippe, & nolle idem eodem tempore non poterat.* Ecce iterum negat hominem posse velle & nolle (& à fortiori, velle & non-velle, nolle & non-nolle) in sensu composito, hoc est actus contrarios componendo.

Omissa igitur compositione contradictoriarum positionum, quas prima acceptio involveret, si admitteretur, dicendum est voluntatem humanam in nullo sensu aut diviso aut composito necessitari. Secundi contra Faustum quinto D. Augustinus: *Et nos sub fato stellarum nullius hominis genesin ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo benè & malè vivitur propter justum judicium Dei, ab omni* (nota benè) *necessitatis vinculo liberemus.* Ergo, si nostra voluntas ab omni necessitate est libera, in omni sensu, qui contradictionem non involvat, compositus aut divisus sit, poterit operari contrarium.

SECUNDA & TERTIA acceptio similes sunt; quia nec totaliter omnia componunt, nec omnia dividunt. Agendo de habituali, utraque placuit nostro Lorcæ, sed nobis displicet; quia si peccatum & gratia in uno & eodem instanti coëxistunt, non poterit defendi Virginem Matrem incurrisse debitum & peccato originali caruisse N.B.

QUINTA acceptio Hæreticorum est, & omnino inutilis ut difficultati satisfiat. Eodem enim diviso sensu possumus dicere, cœcum posse videre, videret enim si haberet oculos & videbit si aliquando habuerit. Posset cœco præcipi visio, quia tametsi videre non possit in sensu composito, visionem aut cum non-visione, aut cum cœcitate componendo, potest tamen in sensu diviso, hoc est, ab ipsa cœcitate secretus, divisus & abstractus. Sed si homo non haberet majorem potentiam ad oppositum, verè actualiter impotens esset: non enim liberum est cœco habere visum, sicut liberum homini est habere gratiam efficacem, nam semper habet auxilium sufficiens ad orandum, & oratio gratiam efficacem impetrat ad operandum.

QUARTA igitur acceptio omninò placet, sive de gratia justificante, sive de auxiliante disputemus; sed ex majoris claritatis gratiâ Bernardi mētem Assertis Istis perstringemus.

THESIS IV.

Protheoremata, doctrinam de Auxiliis substruentia.

PRIMUM. *Homini est liberum habere auxilia proxima & Physicam prædeterminationem* MDXX
cùm voluerit. Ratio est, quia semper habet auxilia sufficientia saltem remota. TRIDENTINUM sess. 6. cap. 11. *Nemo temerariâ illâ, & à Patribus sub anathemate prohibita voce* (debet) *uti, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia; nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis, cujus mandata gravia* (Ioann. 5.) *non sunt, cujus jugum* (Matt. 11.) *suave est & onus leve.* Sunt desumpta ex Augustino cap. 43. lib. de natura &

gratia.& olim etiam confirmata à Conciliis Arausicano II.cap.25. & Africano cap. 81. 82. 83. Milevitano cap 7. 8. & 9. Homo igitur semper habet auxilium, ut saltem Deum orare possit: Quod si oret, auxilia proximiora impetrabit; juxta ea quæ diximus Ecthesi XXIX. COROLLARIUM. *Inter opiniones verè-probabiles benignior, aut, ut alii loquuntur, laxior, est facilior, securior, & sacra pagina nec non Conciliis legi Divina suavitatem prædicantibus conformior.* PATET ex testimoniis allegatis.

SECUNDUM. *Auxilia supernaturalia, cùm divinitùs conceduntur, homo admittere, & si velit, etiam non admittere potest.* SENONENSE Canon. XV. *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præjudicat arbitrio, cùm illa* (nempe *gratia*) *semper in promptu sit, & neque momentum quidem prætereat, in quo Deus non stet ad ostium & pulset; ut si quis aperuerit* (hoc est; *admiserit*) *intrabit ad illum.* Consonat per omnia COLONIENSE anno 1536. part. VII. cap. XXXIII citandum infra Thesi VI. Noto illud *semper*, illud *neque momentum quidem*, & subscribo Augustino & Bernardo, non solùm sæpè, sed & semper auxilia sufficientia concedi propugnantibus. Arnobius libr. 2. advers. Gent. *Vis sumere quod offertur* (nempe *gratiam*) *atque in tuos usus convertere? consulueris tu tibi: aspernaris, contemnis, despicis? te muneris commoditate privaveris: nulli Deus necessitatem affert.*

TERTIUM. *Auxilia Dei supernaturalia homo & intendere, & remittere potest.* Exponitur. Tenemus gratiam illam, quam liberè admisimus debere esse determinatæ intensionis, talis tamen quæ crescere & diminui possit. Sed qui gratia hæc possit remitti, inquiris: respondeo, dari duplicem Arrogantiam levem, alteram subrepentem & ex semipleno consensu subortientem, alteram ex consensu pleno; sed utramque circa materiam parvam. Arrogantia subrepens gratiæ auxilia remittit, timor subcontrarius intendit. Bernardus Serm. LIV. in Cant. post med. [*Volo vos non parcere vobis sed accusare vosmetipsos quoties fortè in vobis vel ad modicum tepere* (hoc est, *remitti*) *gratiam, virtutem languere deprehenditis, sicut & ego pro hujusmodi memetipsum accuso. Hoc facere hominis est, qui curiosius circumspector est sui, & scrutator est viarum suarū ac studiorum, atque in omnibus semper suspectum habet arrogantiæ vitium ne subrepat.*] Ergo si incusare debet arrogantiæ actus subrepentes cùm gratia tepet, languet, remittitur; certum est eos in causa esse ut remitteretur. Sed & hoc clariùs videbitur inferiùs.

QUARTUM. *Auxilia Dei supernaturalia, etiam admissa, homo & retinere & abjicere potest.* Trid. sess. 6. c. 5. *Tangente Deo cor hominis . . . inspirationem illam* (hoc est, *illum contactum illud auxilium, illum favorem*) *recipiens abjicere potest.* Abjiciet consensus plenus tametsi levis arrogantiæ. Constat ex verbis citatis nostri Authoris, item ex sequentibus; *Gratia, vel adesse dignatur, vel offensa recedere, ... sentitur.* Ergo offendendo vel leviter contra timorem, si levis illa culpa non sit subrepens, sed ex consensu pleno nata, gratiam auxiliantem rejicimus. Subjungit paulo post; *Latet fovea his, quam nolo vos lateat, de qua ipse superbiæ spiritus tantò perniciosiùs quantò occultiùs* (ì sic habetis in psalmo nono) *insidiatur quasi Leo in spelunca sua.* Postmodum duos modos perdendi auxilia enumerat, alterum ante operationem, alterum pòst. Prius requiritur, ut incipiamus; & ut perficiamus posterius. Priùs illud abjicit præcox arrogantia; posterius subsequens: Sunt enim, qui glorientur de operibus faciendis, sunt qui de factis: illos vana gloria reddit indignos gratià incipiendi, istos perseverandi. Audi nostrum Authorem: *Si* (superbiæ spiritus) *impedire non prævalet actionem, tentat intentionem, suggerens & suadens quatenus effectum gratiæ arroges tibi; quod quidem superbiæ genus longè illo priore intolerabilius esse non ambigas. Quid enim odiosius illa voce qua quidam dixerunt: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.*

Ex dictis infert: *ergò timendum manente gratia.* Ex illatione illatio. *Ergo* Deut. 32. *gratia quæ manet, etiam quando manet amitti potest:* Sed progreditur, *quid si recesserit? Num multò magis tunc timendum? planè multo magis: quia ubi deficit tibi gratia, deficis en. Audis etenim quod dator gratiæ dicat. Sine me,* (Ioan. 5.) *nihil potestis facere. Time ergo substracta gratia tanquam mox casurus. Time & contremisce, Deo tibi ut sentis irato;* (nota illud *irato*, & infer gratiam sine culpa non subtrahi subtractione, que non sit novus favor) *Time quia reliquit te custodia tua. Nec dubites in causa esse superbiam etiamsi non appareat, etiamsi nihil tibi conscius sis. Quod enim tu nescis, scit Deus, & qui te judicat ipse est. Se enim is qui seipsum commendat ille probatus est, sed quem Deus commendat. Nunquid commendat te Deus, qui te gratia privat? at nunquid qui humilibus dat gratiam, humilibus auferet datam? ergo argumentum superbiæ privatio est gratiæ.*

QUINTUM. *Auxilia supernaturalis subtractio, nonunquam etiam auxilium est.* Bernardus in eodem sermone 44. *Interdum subtrahitur gratia, sive retardatur* (hoc est, *auferetur aut remittitur*) *non pro superbia quæ jam est, sed quæ futura est, ni subtrahatur. Habes hujus rei evidens documentum de Apostolo, qui stimulos carnis suæ sustinebat invitus, non quia extolleretur, sed ne extolleretur.* Et statim assertum præcedens cum præsenti conjungens claudit discursum hisce verbis, *Sive jam existens, sive nondum, superbia tamen semper causa erit subtractæ gratiæ.* Consonat S. Ioanni Chrysostomo, qui explicans epistolam D. Pauli ad Hebræos ait: *Aliquando plerique & vitam habentes mundam, non accipiunt gratiam. Quare? Ne in superbiam eleventur, ne suflentur ventositate jactantiæ, ne altitudo muneris negligentiores efficiat.*

SEXTUM. *Auxilia supernaturalia, etiam liberè rejecta, homo liberè recuperare potest.* Hoc & alterum præcedentia paucis verbis, pulchris tamen, noster Author Sanctissimus complexus est eodem Serm. LIV. in Cant. post medium. [*In veritate didici nil æquè efficax esse ad gratiam promerendam* (ecce theorema primum) *retinendam* (ecce quartum) *recuperan-*

dam

tiam (ecce sextum) *quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere. Beatus homo* (Prov. 28.) *qui semper est pavidus. Time ergo cùm arriserit gratia, time cùm abierit* (hoc est, abjecta fuerit; gratia enim neminem deserit, nisi deserta) *time cùm denuò revertetur: & hoc est semper pavidum esse. Succedant vicissim sibi in amore tres isti timores: secundùm quod gratia vel adesse dignatur, vel offensa recedere* (juxta Theor. IV.) seu *iterum placata redire sentietur.* (juxta sextum) Qui quidem timor, nìm à Paulo (1. *Cor.* 10) & à Philippo (2.) commendatus, impræsentiarum à nostro Doctore indicitur; cui & consonat Tridentina Synodus Sess. VI. Cap. XIII. ubi lego: *Qui se existimant stare, videant ne cadant: & cum timore ac tremore salutem suam operentur .... formidare enim debent scientes, quod in spem gloriæ & nondum in gloriam renati sunt.*

SEPTIMUM. *Auxilio supernaturali, qui illud receperit & non abjecerit, uti, imò & si voluerit, etiam non uti potest; actum oppositum cum auxilio componendo.* Qui actum oppositum cum auxilio componit dicitur gratiæ *dissentire, deesse, resistere, non adquiescere.* TRIDENTINUM Sess. VI. Can. IV. *Si quis dixerit liberum Hominis arbitrium à Deo motum & excitatum non posse dissentire si velit, anathema sit,* nec tamen dari dissensus potest, quando non est cui dissentiamus. EADEM Synodus Cap. XIII. Sess. VI. *Deus, nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle & perficere.* Sanè rei non coëxistenti deesse non possumus. Et SENONENSE ann. 1528. decreto Fidei XV. *Non est tale trahentis gratiæ auxilium, cui resisti non possit:* neque resistere dicimur rei non existenti. Gratia Hominem posse uti & non uti etiam statuit, imò & pulchrè explicavit COLONIENSIS Synodi Enchiridion, ubi cùm de Pœnitentiæ Sacramento agitur hæc occurrunt *Sole lucente libera est intuentia, hominique liberum est oculos claudere ne Solis lumen admittat, aut aperire ut recipiat; haud secus* (nota benè oculi & gratiæ analogiã) *impio liberum est prævenienti se Divinæ illuminationis gratia à peccato resurgendi, eam accipere, vel non accipere* (& hoc juxta assertum II.) *Deo prævenienti & per bonum cogitatum ad pœnitentiam excitanti dare vel negare consensum* (dare quidem, gratiâ concessâ utendo: negare verò, non utendo) *velle vel nolle pœnitere,* Augustinus. libr. de spirit. & liter. cap. 34. *Misericordia Dei præveniens nos: consentire autem vocationi Dei vel ab ea dissentire, nostra voluntatis est.* Et Serm. LIV. in Cantica Bernardus *Cùm adest,* inquit, *time non-indignè operari ex ea.* Nota illud, *cùm adest.* Ergò teste Bernardo homo potest non dignè operari etiam in sensu composito, cùm adest gratiâ. Sed quid illud *ex ea* an peccatum ex ea suboritur? sanè sæpè suboritur, nõ quidẽ tanquã à principio, sed tanquã à prærequisita conditione. Nã contra primũ Decalogi articulũ nemo peccat, qui gratiam non habet; aliàs enim impossibile præciperetur. Sed Bernardus progreditur: *Hoc monet Apostolus, Videte, inquit* (1. Cor. 6.) *ne in vacuum* (hoc est, *non-cooperaturi*) *gratiam Dei recipiatis. Et ad Discipulum* (8. Tim. 4.) *Noli, inquit, negligere gratiam, quæ in te est. Et de se ipso dicebat* (1. Cor. 15.) *quia gratia Dei in me vacua non fuit.* Ergo & Timotheus poterat negligere gratiam quæ in se erat; nempe quãdo in se erat, & Paulus gratiæ receptæ non cooperari.

OCTAVUM. *Auxilium supernaturale, Fidei verbi gratia accepiamus, cùm credere volumus; rejicimus cùm credere nolumus, utimur, cùm credimus; resistimus, cùm habemus quidem, & tamen decredimus.* Quæ omnia esse diversa ex Conciliis citatis innotescit.

THESIS. V.

De suggestionibus & tentationibus.

Sicut donamur auxiliis Divinis ad bene operandum, ita & impetimur suggestionibus ad male operandum: sed de his analogicè philosophabitur. Potest enim Homo illas mereri, & non mereri, potest admittere & non admittere, semel admissas abjicere & non abjicere; non abjectis uti & non uti; resistere, consentire & non consentire; ut constat ex nostro mellifluo Doctore qui serm. V. Quadrages. *In nobis est, ait, si vinci nolumus; & nemo vestrum in hoc certamine dejicitur invitus: sub te ô Homo appetitus tuus est; & tu dominaberis illius. Potest inimicus excitare tentationis motum; sed in te est, si volueris dare vel negare consensum, in tua facultate est, si volueris inimicum tuum facere servum tuum ut omnia tibi* [etiam mala & quæ in peccatum inclinant] *cooperentur in bonum.*

NOTA I.

HUjusmodi energiæ sunt in singulis actibus supernaturalibus & meritoriis in quibus homo utitur sibi cœlitùs concessa libertate, illas septem Assertis Ecthesi IV. ad mentem Tridentini expendimus: Iam Calvinianì concedunt Homini etiam libertatem à necessitate, sed in operibus naturalibus & moralibus infra ordinem supernaturalem: quales sunt comedere, sedere, deambulare, dare eleemosynam, docere, punire; & similibus: & in hoc Romano-Catholicis subscribunt, convicti rationibus & experientiâ indifferentiam arbitrii demonstrantibus: De statu naturali disputantes hæresin remiserũt: jam docent gratiam non destruere arbitrium naturale, sed illud perficere sese voluntati attemperando. Putamus igitur recentiores Hæreticos nobis dedisse manus, & nomina; credimus eos verbis obludere: & quoad substantiã tenere sententiã nostrorũ Scholasticorũ, non enim gratia se attemperaret naturæ, si hominem necessitaret, nec ipsi possent evadere notam delirii; si veterum severitatem in necessitate protrudenda observarent.

NOTA II.

POtest Deus condere gratiam alterius ordinis, quæ non jam in omnibus energiis, sed solùm in aliqua aut aliquibus componatur cum indifferentia, puta gratiam, quæ non admit-

admitti possit, semel tamen admissa nequeat abjici: aut gratiam quæ necessariò admitti debeat, sed postea abjici possit, ut multi philosophantur de actibus primò primis: qui sine indifferentia suboriri dicũtur, & ad voluntatis nutum perseverare: aut gratiam aliam. Si vel una energia remaneat, in qua voluntas habeat indifferentiam, usus arbitrii non destruitur: gratia autem (potest illam Deus animo infundere) quæ in omnibus energiis necessitaret voluntatem, arbitrii libertatem proscriberet, talis autem gratia deberet definiri *auxilium independenter à nostris liberis actibus concessum, talis ingenii ut voluntas nec illud non admittere aut abjicere, nec illo non uti posset*. Cæterùm à Tridentina Synodo instructi sentimus gratiam proximam quam Deus nobis indulget componi cum indifferentia arbitrii in omnibus energiis, & in nulla necessitare voluntatem.

Occasio rescribendi has Theses, & alio modo confirmandi.

MDXXI. Eadem Theses possunt ornari aut etiam probari variis modis.

HAbebam, dum docerem Lovanii multos discipulos fœlicissimi ingenii, & ut prodessem omnibus, doctrinam de Gratia & libero arbitrio, quam dictaveram, ad Theses & palæstram reduxi. Volui, ut doctrina in singulis disputationibus esset eadem; & nectædium pareret, ut esset ornatus diversus. Semel illas Sacræ Scripturæ Conciliorum, Augustini & Bernardi testimoniis firmavimus: iterum easdem testimoniis Hieronymi: & quia sub idem tempus oppositæ doctrinæ defensores pro se advocabant Alvarez (quantum Virum! Ordinis Prædicatorii decus, Hispaniæ gloriam, & nostri sæculi ornamentum, & quia nostri inconsideratè ejusdem doctrinam rejiciebant, volui publicè ostendere totum P. Alvarez Opus esse Steganographicum & à clavi pendere, sine qua ejus sentẽtiæ sunt obscuræ, duræ, clausæ, nec multùm à Iansenianis, aut aliis, qui Arbitrii indifferentiam negant aut diminuunt, diversæ. Clavem subministravit ipse Alvarez, & ubi aperuimus sententiarum sigilla; observavimus eum esse à Cõticio Tridentino, à quatuor Pontificum Resolutionibus: damnare Positiones, quas condemnat Ecclesia; & quas illa defendit, propugnare: & hoc tam suavi genio, ut Thomisticæ Scholæ dogmata ita P. Molinæ placitis attemperarit, ut Patres Dominicani habeant multa, quæ laudent, & Patres Iesuitæ nihil in ejus Libro reperturi sunt, quod vituperent. Hoc est meum de Viri hujus doctissimi ingenio & doctrinâ Iudicium, & ut ejus ingenuitatem & sinceritatem contra æmulos & adversarios propugnem, has Theses scripsi, & iterùm iterùmque in nostro Gymnasio propugnavi.

Qualis fuerit Alvarez.

Qualis eius doctrina.

THESES THEOLOGICÆ

De gratia & libero arbitrio:

In quibus demonstramus doctrinam illustrissimi P. Didaci Alvarez Archiepiscopi Tranensis & Salpensis, ex doctissimo Ordine PP. Dominicanorum assumpti, esse eamdem, quam hodie solent in scholis suis defendere Patres Iesuitæ.

Propugnatæ sunt Lovanii sub Authoris præsidio anno 1641.

Ex hac difficultate libertas nõ præfficaciter probari poterit.

NVlla est in toto Theologiæ Moralis Oceano difficultas, quæ prolixioribus implicetur salebris illâ, quæ divinæ scientiæ certitudinẽ, omnipotentis volũtatis irresistibilitatẽ, & Divini auxilii summam efficaciã cum humana libertate componit. Ita cũm Augustino Universi Doctores, qui errarent procul dubio si necessitaretur libertas: ut enim agentia necessaria cum Divinis Decretis componat quicumque analphabetos satis sapiens. Sanè quæstionem aliàs difficilem, difficiliorem aliqui Commentatores reddiderunt, aut diversis terminis, in eadem acceptione, aut eisdem utentes in diversa. Logomachiæ, cùm Ideomachiæ deberent esse, in Glottomachias vergunt, & eò statum Theologiæ controversiæ protrudunt, ut consulendum potiùs veniat Lexicon, quàm Augustinus. Hunc sequi ducem universi putamus: ejus mentem assecutos prospetè Bernardum, Thomam & alios Scholiarchas, asserimus, ideòque eos, quoad rem inter se differre, non libenter audimus. Theses ad mentem D. Pauli proponimus: hunc explicamus, non spiritu privato, sed communi; nempe consulto D. Thomâ, ut expositio sit Angelica: ut mellíflua Bernardo: Augustino ut Divina; ne Augustinum obtorquere videremur, fidelissimos ejus interpretes Bernardum & Thomam adjungimus. Illum jam olim dedimus, hunc damus. Et ne in Angelici Præceptoris Lectione dicamur cæcutire, usi sumus Thomistarum Illustrissimorum Commentariis, & præcipuè Didaci Alvarez Archiepiscopi Tranensis & Salpensis ex Prædicatorum

Augustinus.
Bernardus Thomas.
Paulus.
De spiritu communi & privato
Alvarez.

Religione: parente grandium mentium, assumpti: ex quo demonstraturi sumus Thomistarum doctrinam, si loqui velint & sentire cum Alvarez, non distingui à Patrum Societatis doctrina; & ut clariùs procedamus in singulis, Theses à schola societatis sumemus & easdem ipsas in terminis ab Alvarez admitti probabimus

THESIS I.

De Gratia sufficienti, & necessitate Peccati.

MDXXII.

Homini iniusto, si gratia auxilia negarentur, peccati (actualis aut originalis) status aeternus esset: non enim posset natura Viribus egredi à peccato, etsi vellet. Eidem Homini iniusto cùm Divina conceduntur auxilia, exitus à peccato necessarius non est, potest enim in Culpa luto remanere, si velit.

Pelagius diversis temporibus habuit differentes sententias.

Probatur prima Theseos pars: nam aliàs esset vera doctrina Pelagii, qui severior omnem gratiam negabat, & mitior illam tantùm concedebat ad melius. Sed inquiris? Vtrùm ille [nempe Deus] qui nunquam deserit, nisi priùs deseratur, etiam desertus deserat? utrùm concedat gratias ad sanctè & meritoriè operandum, quę habere effectum possint, & tamen habituræ sint? utrùm & gratias ad exuendum peccatum? & iterùm an ipsa debeant *auxilia sufficientia* vocari? Sanè auxilii sufficientis nomine, nil aliud intelligimus, quàm gratiam, quâ quis possit operari, tametsi operaturus non sit: & asserimus *Deũ, quamvis proxima aliquando auxilia neget, remota quæ saltem ad orandum sunt, non negare.* Vnde Alvarez disp.113.num.12. *Homo*, ait *priùs deserit Deum, quàm deseratur à Deo*, non ergo prædeterminatur ad materiale peccati: nam aliàs priùs Deus contra hominẽ, quàm homo contra Deũ operaretur: priùs homo desereretur & posteriùs desereret, & disputat.112. nu. 7. ut probet Deum, ne quidem desertum desetere, citat hæc verba D. Thomæ, *si quis in sylvis nutritus ductum rationis naturalis sequatur, in appetitu boni & fugâ mali, certissimè tenendũm est, quod si Deus, vel per internam inspirationem, revelaret ea, quæ ad credendum sunt necessaria; vel aliquos Prædicatores dirigeret ad eum.* & alibi. *Ad fidem habendam aliquis se præparare potest per id quod in ratione naturali est. Vnde dicitur, quod si quis in Barbaris natus nationibus faciat, quod in se est, Deus illi revelabit quod est necessarium ad salutem, vel inspirando vel Prædicatorem mittendo.*

An dentur auxilia sufficientia? Quid illa sint? Conclusio.

An per actus merè naturales se possit homo ad gratiam supernaturalem disponere. Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiã.

Primum locum desumpsit ex quæstione 19. de Verit. artic.11. ad 1. secundum ex. 2. sententia distinct 28. quæst.1. art.4. ad 4. Noto illud *ductum rationis naturalis*. Noto illud *præparare*: & ut Theseos partem posteriorem clarissimè ostendam subsumo. [Actus naturales non præparant ad salutem; atqui quicunque rationis capax, se potest præparare ad salutem: habet igitur auxiliã sufficientia & supernaturalia, quibus si benè utendo, faciat quod in se est, certissimè impetrabit gratiam.] Vnde citatus Alvarez. *Ad credendum mediatè vel immediatè omnes recipiunt, pro loco & tempore auxilium sufficiens si perveniant ad usum rationis*, atqui non omnes credunt, ergo certum est, dari sufficientes gratias, quæ propter hominũ ignaviam, malitiãve careant effectu.

Homo nunquam caret auxiliis supernaturalibus;

THESIS II.

De auxiliis remotis & proximis.

MDXXIII

Potest proximè à peccato voluntas egredi, cùm elevatur Charitatis auxilio; quod est ad eliciendum actum contritionis, & amoris supernaturalis. Potest remotè, cùm caret hoc auxilio proximo, habet tamen aliud quo dirigatur & disponatur ad auxilium proximum impetrandum.

Auxilium quotuplex.

Auxilium remotum in morale & physicum, sive quod idem est intrinsecum & extrinsecum dividi solet. *Remotum intrinsecum* est auxilium Physicum & reale; ad aliquam operationem faciendam, quam infallibiliter (ex pacto aut merito) sequatur, proximum. *Remotum extrinsecum* est aliqua realitas existens in alio supposito; qualis est Prædestinatio, & absolvendi potestas: utraque enim est favor, at illa non existit formaliter in prædestinatis, sed in Deo; hæc non in pœnitentibus sed in confessario. Ita Alvarez in proœmio lib. . & dispur.112. nu. 4. & 5. ubi ait, *Si loquamur de auxiliis extrinsecis, Deus omnibus tribuit auxilia sufficientia ... nam pro omnibus mortuus est Christus, pro omnibus instituit Sacramenta, & omni creaturæ præcepit Apostolis ut prædicarent Evangelium Marci ult.* Nemo igitur teste Alvarez auxilis sufficientibus extrinsecis caret, nemo est pro quo Christus mortuus non sit, nemo pro quo non sint sacramenta instituta: nemo cujus instructio nõ sit præcepta. Et nu. 8. rem dilucidat pulchro exemplo desumpto ex quæst. de Veritate art. 3. ad 7. ubi ait, D. Thomas, *Aliquis potest dici posse dupliciter: uno modo considerando potentiam quæ in ipso est, sicut dicimus, quod lapis possit moveri deorsum: alio modo considerando id quod ex parte*

Potentia duplex.

Intrinseca. *Extrinseca.* *parte alterius est, ut si diceres lapidem posse movere sursum, non per potentiã quæ in ipso est, sed per potentiam projicientis.* Et subjungit Alvarez, *Proportionaliter nos dicimus in præsenti, cùm asseritur quemlibet peccatorem quamdiu est in via posse pro quolibet tempore & momento ad Deum converti & salvari.* His omnibus positis & cõsideratis tenemus hominẽ à conceptione ad obitum habere auxilia sufficientia, ut ad Deũ convertatur, & omnia nova peccata devitet; auxilia quidem sibi prop[...]onata, nimirum Infantes dormientes, & p[...]ræneticos, extrinsecâ, alios intrinseca, quia ut optimè docet sub initium citatæ disp. idem Alvarez. *Quilibet peccator, quamdiu est in vita, potest ad Deum converti: alias enim daretur aliquis status peccatoris, de cujus salute esset desperandum, & aliquod peccatũ existentis in via, quod per verã pœnitentiam deleri nõ potest, quod tamen est erroneum, ut docet S. Thomas 3. part. quæstione 86. artic. 1.* *De nullo peccatore est desperandum.*

THESIS III.

De necessitate in sensu composito & diviso.

MDXXIV. C*Vm dicimus, [Hominem Gratiâ supernaturali præventum posse dissentire & peccare, imò & resistere auxilio divino, si velit:] si diversimodè sensus compositus & divisus exponantur possumus intelligi in utroque, & in utroque non intelligi.*

Variæ acceptiones sensus compositi & divisi. ET ut Thesin intelligas, adnotato multos esse sensus compositos, multos divisos.

Sensus compositus contradictorius. PRIMÒ enim falsum est hominẽ posse gratiæ resistere, in sensu cõposito cõtradictorio, nõ enim potest voluntas cõponere actũ & nõ-actũ, quamobrem omnes positiones de possibili debẽt hoc sensu composito negari. In hoc enim sensu, nec vivus posset mori, nec habens gratiam peccare; ille enim non potest vitam & non-vitam componere, nec iste gratiam & non gratiam.

Compositio voluntatis & decreti. SECUNDÒ agẽdo specialiter de auxiliis negãtur à Thomistis, positiones omnes de possibili in sensu cõposito & in diviso concedũtur. Cõpositus is sensus, nõ jã voluntatẽ cũ gratia, neceũ tempore in quo illã habet, sed voluntatẽ gratiæ physicâ entitate præditã, cũ decreto Divino componit. Cùm dicitur voluntas in sensu diviso posse omittere actũ ad quẽ prædeterminatur, non dicitur, quod omitteret, si careret gratiâ & omittet cum carebit, sed dicitur, quod voluntas potest cõponere resistentiã, cũ physica gratiæ efficacis entitate, quæ ad opus faciendũ, non per modũ necessitatis, nec per modũ libertatis, sed per modũ Infallibilitatis inclinat; non tamen cõponere eũ Decreto efficaci Divino, hoc enim nõ inclinat in opus faciendum necessariò, sed in faciendũ infallibiliter & liberè. Ratio est: quia decreto efficaci Dei, volenti, quod liberè operêris, nõ potes resistere tametsi possis non operari; qui enim vult, ut liberè opereris, vult ut ita opereris, ut possis nõ operari; ergo cùm potes nõ operari, nõ jã decreto resistis, sed ei satisfacis; cui procul dubio decernenti ut liberè opereris, si operareris necessariò, resisteres. Bene igitur Doctiores Thomistæ gratiam in sensu cõposito & diviso considerant. Gratia in sensu diviso, est Physica ipsiusmet Gratiæ efficacis entitas; in composito est aggregatũ ea physica entitate gratiæ & decreto Divino. In sensu diviso gratiæ resistere possumus, in composito non possumus: in diviso impetum illius non sequi possumus: quia Petrum ad Divini amoris actum efficaciter prædeterminatum, posse non amare Deum, est posse resistere entitati physicæ auxilii voluntatem infallibiliter præmoventi; non tamen est resistere Decreto volentis, quod humana voluntas amet, sed ita, ut possit hunc amorẽ omittere. Alvarez disp. 87. ad quint. *Si consilium efficax consideretur,* inquit, *secundum Physicam entitatem auxilii præscindendo à decreto efficaci Divinæ voluntatis, cujus virtutem continet intentionaliter, potest voluntas ei resistere, propriè de resistentia loquendo.* Potest igitur humana volũtas resistere auxilio efficaci præciso à Divino Decreto, non verò cum eodem composito: ratio est, quia voluntas Dei infinitè potẽs nõ esset, si talis esset, cui posset humana resistere, ideò homo nõ potest resistere auxilio efficaci. Nota hãc causalẽ; si enim posito auxilio efficaci cum Divina voluntate composito homo non posset omittere aut contrarium facere, resisteret illi auxilio formaliter, ac propterea ipsi Voluntati Divinæ volenti ut homo liberè operetur, hoc est, quod ita operetur, ut cùm operetur, tunc possit oppositum facere.

Decreto Dei nemo potest resistere: & tamen hoc nec lædit, nec minuit libertatem humanam.

Notetur & intelligatur benè objectum decreti divini.

His præmissis, subjiciamus aliqua protheoremata de auxilio à Divina volũtate præciso & diviso, & secundũ suã physicã & realẽ entitatẽ considerato, nã de irresibilitate intentionali, quæ est in ipso auxilio, in sensu cõposito cõsiderato, nulla potest esse difficultas: illã enim tam Thomistæ, quàm Scotici & Molinistæ admittunt, docti ab Apostolo, qui voluntatem Divinam irresistibilem fatetur. quam veritatem pulchris Augustini periodis roborat Alvarez disp. 87. num. 2. & [...] ibi.

PROTHEOREMATA doctrinam de auxiliis substruentia.

MDXXV. PRIMUM *Homini est liberum habere auxilia proxima & physicã prædeterminationẽ cũ voluerit.* Primò, quia homini est liberũ uti gratiâ, quæ ad orandũ universis cõceditur, & orãdo: auxilia efficacia impetrare. Secundò etiã homini liberum est uti auxiliis sufficientibus, quæ essent verè efficacia, si illis ipse uteretur. Alvarez disp. 113. de auxiliis nu. 12. *Nunquam Deus* (agit de homine existente in gratia) *illum*

Mirabile videbitur Thomistis hæc assertio legatur tamẽ.

illum deserit auferendo ab eo gratiam justificantem, nisi priùs natura deserat Deum, se convertendo ad bonum commutabile per peccatum mortale, quod cum gratia habituali est incompossibile: nec etiam Deus hominem justum deserit, subtrahendo ab eo ipso auxilium sufficiens, quo possit operari bonum, & perseverare usque ad finem, quod si interdum non dat ei auxilium efficax, quo actu bonum operetur, nec est Deo, sed homini imputandum, nam per auxilium sufficiens poterat perseverare, & suâ culpa perseverare noluit; unde in exercitio ipse prius, in genere causæ demeritoriæ, deserit Deum peccando, quam Deus eum privaret auxilio efficaci.

Notentur bene hæc verba.

SECUNDUM. *Auxilia supernaturalia, cùm divinitùs conceduntur, homo admittere, etsi velit, etiam non admittere potest.* Bannez 1. part. quæstion. 23. dubitat. 3. præsertim conclus. 8. & 9. docet, quod verbum *dare* sumitur dupliciter; primò, ut est correlativum ad *recipere actu*, secundò, ut est correlativum ad *posse recipere*. Et addit in hoc secundo sensu dari à Deo omnibus, quamdiu sunt in hac vitâ, auxilium, quo possint converti, & convertantur si velint. Noto illud *possint*, noto illud *convertantur*. Dat igitur Deus auxilia sufficientia & efficacia secundo modo acceptantibus: at primo modo illa offert & præparat non acceptantibus, potentibus tamen acceptare, si velint. Hanc Bannez doctrinam sequitur etiam Alvarez disputat. 112. num. 4. & 7. & disputat. 87. num. 2. citat verba Augustini dicentis lib. de præstinat. Sanctor. cap. 8: *Gratia quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde recipitur.* Ubi notat variam esse Lectionem hujus loci; sunt enim, qui legant *respuitur*. Sed Alvarez hanc ultimam, quam Calviniani præponunt, lectionem rejicit in marginem, & priorem ut fidei & veritati consonam retinet in contextu.

Verbum dare habet duplicem significationem.

Quod gratia recipiatur vel non, non pendet à natura gratiæ, sed à cordis bonitate aut malitia.

TERTIUM. *Auxilia Dei supernaturalia, homo & intendere & remittere potest.* Intenduntur auxilia, cum redduntur potentiora & fortiora; fortiora sunt cæteris paribus, quæ habent minorem resistentiam. *Gratia enim efficax*, verba sunt Alvarez, nuper citati, *emollit liberum hominis arbitrium, duritiem ejus aufert, & superat resistentiam:* Unde quæ resistentiam non superet, non erit efficax. Cùmque experientiâ teste majori gratiâ indigeamus in majori periculo, qui indiget gratiâ ut sex, ne alliceatur ab objecto præsente, & gratiâ ut quatuor, ne ab absente, potest fugiendo occasionem facere quod gratia sit potentior: Quod si occasionem fugere non possit, potest velle & orare, & orando gratiam majorem assequi, hoc est, habitam intendere. Vide iterùm Protheorema I.

De intensione auxiliorum.

QUARTUM. *Auxilia Dei supernaturalia etiam admissa homo & retinere & abjicere potest.* Alvarez disput. 87. num. 2. *Præmittere oportet omnes Catholicos in hoc convenire contra Lutherum & Calvinum, quod homo concurrit liberè cum auxilio efficaci cooperando, & consentiendo Deo excitanti & moventi, & per consequens potest absolutè loquendo operari & dissentire si velit. Id quod in Tridentino Concilio sess. 6. canon 4. sub anathemate diffinitur, ut cap. 5. ejusdem sessionis docet sancta Synodus hominem per liberum arbitrium abjicere posse inspirationem, quam à Deo recipit.*

De auxiliorum rejectione.

QUINTUM. *Auxilij supernaturalis substractio nonnunquam etiam auxilium est.* Alvarez disput. 28. num. 10. *In prædestinatis (Deus) permittit peccata ad majorem ostensionem suæ misericordiæ, ut humilientur, & magis cauti deinceps efficiantur.* Adsonat Augustino libro de natura & gratiâ contra Pelagianos cap. 78. dicenti: *Deserit aliquando Deus (id) unde superbis, ut scias, non tuum, sed ejus esse, & discas superbus non esse.* Ergone magnitudo favorum & revelationum extollant aliquem, humiliat illum Deus, non solùm privando prærogativâ illâ propter quam superbiebat, sed & aliquando permittendo, ut ita cadat, ut corripi & corrigi possit.

De auxilii substractione.

SEXTUM. *Auxilia supernaturalia, etiam liberè rejecta, homo liberè recuperare potest.* Hæc veritas nascitur ex aliâ, quam Protheoremate primo statuimus. *Qualibet momento*, ait, Alvarez disput. 112. num. 9. *potest quilibet peccator, quamdiu est in viâ, habere speciale auxilium per quod salvari possit.* Ergo tametsi olim non acceptaverit, aut acceptatum rejecerit, adhuc potest habere auxilium speciale. Accedit, quod præcepta sibi ipsis succedant, ut qui peccavit rejiciendo auxilium, iterum peccaturus est si non obediat; ergo iterum est habiturus auxilium, aliàs enim non peccaret, quia ut ibidem docet idem Author, *illi qui carent auxilio sufficienti, non peccant, non enim impossibilia præcipiuntur à Deo.*

De auxiliorum recuperatione.

Qui non habet auxilia sufficientia non peccat.

Deus non præcipit impossibilia.

SEPTIMUM. *Auxilio supernaturali, qui illud receperit & non abjecerit, uti, imò & si voluerit etiam non uti potest.* Subscribimus etiam Didaco Alvarez disputat. 87. dicenti: *Si nomine usus auxilii, intelligatur, cooperatio arbitrij cum illo seu terminus ad quem idem auxilium movet, liberum arbitrium si liceat operatio, absque dubio talis usus, subjacet nostri arbitrij potestati, ut nota à Deo, propter rationem tactam ex Tridentino; nam liberum arbitrium, etiam quando movetur auxilio efficaci, ad pie operandum, reverà potest absolutè loquendo, ut in sensu diviso inspirationem illam abjicere & dissentire si velit; quamvis non stet simul cum auxilio efficace, quod de facto illud abjiciat, aut dissentiat.*

De auxilio. um usu & abusu.

Nota singula verba, & ut illa intelligas, divisi & compositi sensus distinctionem ex Thesi III. sumes. Sed & idem Author num. 4. distinguit in auxilio duos effectus, *primus est*, dari à Deo ut nos prædeterminet: hunc statuit non subjacere nostro arbitrio, auxilia enim Deus dat, quæ vult, quando vult, quanta vult, & quibus vult, tametsi omnibus saltem det sufficientia. Unde Apostolus, *Spiritus ubi vult spirat*, & iterùm, *Non est volentis neque currentis, sed Dei miserentis.* De altero verò effectu sic inquit. *Secundus* auxilii effectus *est producere cum voluntate, quam movet, liberum consensum; & secundùm hoc subditur potestati nostri arbitrij, ex parte termini scilicet, ex parte actûs liberi, ad quem datur.* Hæc ille de entitate physicâ auxilii, seu de physicâ prædeterminatione; nam de auxilio in sensu composito, hoc est non diviso & præciso à Divino decreto, aliter & optimè philosophatur. Unde cùm interrogasset, an stent, aut stare possint hæc duo simul, quod auxilium illud consideratum secundum omnem suam rea-

Auxilii effectus duplex.

lem virtutem quam habet à Deo, sit in homine & homo non operetur.

Nota hoc bene, quia semper involvitur intentio Dei volentis ut operetur & possit non operari.

Respondet, *dicendum est .... hæc duo esse incompossibilia, quod auxilium efficax consideratum secundum virtutem realem virtutem, quam habet ut venit à Deo* (hoc est consideratum secundum virtutem realem & intentionalem) *& homo non cooperetur cum illo, quamvis possit, si velit, non cooperari.* Ratio est, quia ipsum posse non cooperari physicæ realitati auxilii, est cooperari auxilii intentionalitati, seu voluntati Dei; per illud enim auxilium intendit Deus, ut homo liberè operetur. Sanè decreto Divino satisfacis, cùm ita operaris, ut non operari etiam possis, non tamen cooperaris auxilio composito, cum decreto Dei volentis, ut liberè opereris, si operaris necessariò. Itaque tamen distinguendum est *posse & facere*, id enim pendet ab arbitrio & auxilio, illud in purè operantibus artibus ab arbitrio humano non dependet. Hinc constat optimè Augustinum epist. CVII. ad Vitald. & post eum Alvarez disput. 87. num. 2. condemnare eos, qui, dicunt, *Vocationi Dei consentire & non consentire, ita nostrum esse, ut si velimus fiat, si autem nolimus, nihil in nobis operationem Dei valere faciamus.* Ratio est, quia tametsi consentire & non consentire, ita nostrum sit, posita entitate auxilii physicâ, ut si velimus fiat, si nolimus, non fiat, non est nostrum facere quod vel voluntas non possit uti auxilio Dei; aut id non possit nos adjuvare & cooperari voluntati; possumus enim facere, quod gratia nihil physicè faciat, nó vero quod nihil valeat facere.

Vult Deus ut suæ vocationi consentiat & possit non consentire: ergo posse non consentire, non est posse divinam voluntatem frustrare, sed illam de facto adimplere.

EX DICTIS PATET, *quid respondendum sit requirentibus, An gratia, quam aliqui ex Augustino & antiqui eis Patribus*, Omnipotentem *dicunt, subdita sit libero arbitrio, an id gratia?* Semipelagianorum enim error est affirmare, quod gratia pendeat, quoad dari à naturali Voluntatis arbitrio, ita ut naturæ viribus, quis ejus oblationem, præparationem & infusioné obtinere aut promereri valeat: unde Prosper in Epist. ad Augustinum post medium referens Massiliensium sententiam, ait, *eos sensisse, quod voluntas hominis* (puta omni gratiâ destituta) *divinæ gratiæ sibi pariat opem* (hoc est, quod vel physicè efficiat, aut mereatur moraliter) *non tamen gratiæ sibi humanam subjiciat voluntatem.* Ecce collatio gratiæ humanæ voluntati non subditur, nulli enim debetur; humana voluntas illi subditur, obtinere enim magna & efficacia auxilia, non à currentis seu volentis, sed à Dei miserentis voluntate dependet. Cæterùm tametsi non subsit humanæ voluntati gratiæ Divinæ præparatio & oblatio, subest acceptatio, subest retentio, subest usus: intentionalis tamen virtus, gratiæ, (hoc est ut loquitur Alvarez, auxilium in sensu composito, nimirùm compositum cum decreto efficaci Dei cujus vices gerit, Dei inquam volentis, ut homo liberè operetur) quia formaliter divinam voluntaté complectitur, ut multi loquuntur Viri docti, Domina est, omnipotens est, nulli creaturæ subdita, tam quoad esse, quam quoad cooperari, *Verum enim gratia* quæ exponente Alvarez, millenis locis, est intentionalis divinæ voluntatis *sibi* (si libr. de Vocatione gentium audimus Prosperum) *quos voluit subdidit, & eos, qui inconvertibiles permanserunt* (non solùm reddere convertibiles) *sed ut convertere potuit*: [imò creaturam sibi non subdere non potuit: impossibile enim est quod aliquis eximatur ab obedientia Dei; impossibile quod vis intentionalis gratiæ effectu aut careat, aut carere possit.] Nota illud *quos voluit*, nam in auxilio efficaci in sensu composito sumpto, si Didaco Alvarez credimus, datur formalitas faciens & formalitas volens; illa est entitas physica auxilij, hæc Divinum decretum; illa ex se non est efficax, quia auxilium quà efficax ex physica entitate creata, & intentionali voluntatis increatâ virtute, teste eodem Authore, componitur.

Gratia omnipotens.

Non sunt digna actiones naturales supernaturali gratiâ aut gloriâ.

An gratia humano arbitrio subsit?

Notetur hic sensus compositus.

S. Prosper.

Nemo eximitur ab obedientia Dei.

Hic tamen notari volo, voluntatem Divinam tantam libertati nostræ imponere necessitatem in sententia Alvarez sic expositæ, quantam in sententia Molinæ; infallibilitatemque adhuc aliunde esse quærendam; quia, si ideò Dei voluntas est irresistibilis, tametsi auxilij physica entitas carere effectu possit, quia voluntas divina hoc ipsum vult; etiam humana est irresistibilis in multis casibus; vel dicito, quo Petrus modo poterit resistere meæ voluntati, si dixero, *Fac, quod velis*? Quo Deus modo, si dixero, *Realis & physica voluntas tua fiat in cœlo & in terra*? Ergo, nisi Alvarez aliam aut majorem irresistibilitatem in Divinâ voluntate reperiat, nihil Deo attribuit quod Hominis perfectionem excedit, & tantam aut minorem efficaciam intrinsecam physicæ auxiliorum entitati concedet, quàm Molina, Suarez, Vazquez, & reliqui Patres Jesuitæ.

IMPERTINENTIA.

De Doctrina Augustini.

MCCCCXXVI.

Placet & hæc Prothe... ornata ponere; nil ut video, in Augustini cultu, sæpe defectu, sæpe excessu peccatur.

AMor Regis judicium diligit, & ita amare Regem Theologorum Augustinum debemus, ut non cæcam devotionem, sed prudentem rationem ducem habere videamur & dicamur. Non indiget Divinus Doctor laude fictâ, aut Chimæricâ; nec ei devotus, qui illum subrigit, ut etiam Deo præponat. Hanc ob rem impertinentes has subjicimus, si impertinentes dici possunt, quæ hac rerum tempestate maximè sunt in nostra scholâ pertinentes.

I.

Quomodo Concilia maneant doctrinâ Augustini.

Qui Concilia ab Augustino, in definitionibus suis, hoc est in Articulorum Fidei discretione & constitutione regi asserit, ea à Spiritu sancto, qui nec falli nec fallere potest, dirigi ignorat, & definitionum infallibilitatem auferens, certitudinem merè humanam in articulis Fidei relinquit.

II.

An Patrum veterum authoritas rationibus evidentibus præponi debeat?

Qui Augustini doctrinam majoris se facere asserit, quàm demonstrationes, contemnit doctrinam Augustini. Ipse enim in retractationum libris sæpè probabilem propter probabiliorem rejicit, sæpè Lectores admonet, ne sibi subscribant, nisi ubi se non errasse cognoverint.

III.

An omnibus Patribus dissentiat Augustinus.

Qui Augustinum omnibus Patribus præponit, injurius est ipsi Augustino; videtur enim admittere, aliquid eum in materiâ Religionis docuisse contra Catholicam omnium Patrum sententiam, adeòque eum non fuisse Catholicum, & simul imitari Calvinum, qui universos Patres erroris insimulat, & solius Augustini testimoniis suas hæreses fundare gloriatur, non enim est alia communis omnium Patrum doctrina, & alia quam docet Augustinus.

IV.

An D. Thomas legerit Augustin.?

Thomas Doctor Angelicus.

Qui dicet inlectum à Thoma Augustinum, Thomam non legit; vix enim articulus in toto opere, qui Augustini authoritate careat. Qui lectum quidem, non tamen intellectum asserit; Thomam Angelicâ mente præditum negat, & ab universæ Ecclesiæ pietate deficit, Thomam *Angelici Doctoris* nomine condecorantis. Qui Thomam ait legisse & intellexisse Doctoris Divini volumina, voluisse tamen illum in partea suas vel invitum trahere, in Angelici Doctoris personam & doctrinam est impius.

V.

Sensus Thomistarum compositus.

Qui, cùm audit aut legit apud Thomistas hominem non posse resistere gratiæ in sensu composito putat asseri hominem non posse illum actum ad quem prædeterminatur, omittere, non vult bonos Thomistas intelligere.

VI.

Veracitatis gradus. Deus & Fides. Demonstratio. Patrum consensus.

Patres à Conciliis citati.

Sensus divisus & compositus.

Quis posset Deo resistere.

Dicimus igitur Conciliis eandem nos concedere veracitatem, quam Deo: post Dei revelationes Mathematicas, Metaphysicas, Morales admittere demonstrationes. Nihil non demonstratum Patrum assertis præponimus, ubi universi in aliquâ opinione conveniunt: ubi autem aliquis, quicunque ille, à communi omnium Patrum & Doctorum sententiâ discesserit, nos nec Comites, nec asseclas est habiturus. Si Tridentina synodus alicujus Patris verba Canonica fecerit, ipsa de fide sunt; nempe in sensu ab Ecclesiâ intento. Sanè in eodem Patrem locutum, piè putamus, hoc tamen non esse de fide tenemus. Thomam fidelissimum Augustini interpretem, & Thomæ Didacum Alvarez existimamus, quod contra Thomam est, Aug. non est: sicut nec Thomæ, quod contra Alv. si totus & attentè legatur; omnes tres posse hominem cum physicâ entitate gratiæ omissionem operis componere tenent, & hic est ipsorum sensus divisus: posse hominem decreto, vel gratiæ cum ipso decreto compositæ resistere negant, & negamus. Qui potest omittere actionem quam Deus liberè faciendam decrevit, potest physicæ gratiæ entitati resistere; non tamen ideò dicendus est posse resistere decreto divino, aut gratiæ cum decreto compositæ; nam & hæc omittendi potestas est, etiam divinitùs decreta est. Ille enim unicus dicendus esset, posse divino decreto resistere, qui posset facere necessariò, quod Deus faciendum liberè, hoc est, faciendum non necessariò, decrevit.

VII.

An Adamus extra Paradisum sit conditum?

An sit possibilis pura natura?

An conditio fuerit de facto?

Quod sentiendum de Patrum singularibus sententiis.

Testimonia simul juncta se juvant & exponunt.

Diva concepta immaculata.

Adamum extra Paradisum fuisse conditum sacra Scriptura expressè docet. Ergo sic asserente Augustino non habuit gratiam antequam ad Paradisum transferretur, procul dubio conditus est in pura naturâ; caput perlege, quia omnia huic conceptui cohærent, cujus si Censor denominarer. Mellifluì mei Doctoris verbis ex lib. de præc. & disp. sumptis, uterer, diceremque. *Ad hæc nihil ad præsens certum breviusque respondendum occurrit, nisi quod ita S. Antistes sapuit, rectè-nè, ipse viderit. Nam ego in sensibus actibusque illustrium Patrum cætum profectò sum omninò non aliud æstimare, quam quod B. Apostolo 1. Corinth. 4. 2. teste, quæritur jam inter dispensatores ut videlicet fidelis quis inveniatur. Certus sum enim, sive in suo abundaverit sensu, sive in Dei Spiritu sicut & in cæteris, ita & in his fuisse fidelem, aut in dispensando, quod præ manibus erat, aut in scribendo quod senserat.* Ergo siquidem dantur Augustini testimonia, quæ videantur suadere Adamum fuisse de facto conditum in pura naturâ; & dantur etiam, quæ videantur suadere non posse Deum de absoluta potentia Hominem purum condere nos testimonia testimoniis temperantes, dicemus in ea sententia Augustinum fuisse, quæ docet Adamum quidem de facto fuisse in gratia, & potuisse condi in pura naturâ, si Deo id placuisset. Cæteros homines Adami filios, stante peccato originali, & justitiæ Divinæ decreto, non posse nimirum (in sensu composito) condi in pura natura; Angelorum Reginam mirabiliter & misericorditer ab hac Regula generali exceptam, non fuisse conditam in statu peccati originalis, sed neque in statu puræ naturæ, sed in statu gratiæ.

NOTA.

Ratio addendi istas Theses.

Ratio fortissima contra physicas prædeterminationes.

Rationis paritas.

Hæ Theses Lovanij defensæ, quoniam placuerunt multis & Claves Thomisticæ Lexicis complectuntur, ne omninò perirent, sunt additæ. Thomistarum erit nobis ostendere. Primò *An non omnia, quæ adduximus, sint Didaci Alvarez?* Secundò *An non ipse fuerit bonus Thomista?* Tertiò *An intellectu terminus, prout jubet & exponit ipse, dicat aliquid, quod militet contra P. Molinam?* Quartò, *An non P. Lemos (fuit Dominicanus, & Thomista severissimus & sapientissimus) olim Romæ physicas prædeterminationes esse contra D. Thomam docuerit?* Quintò, *An non hodie multi etiam alii tam suaves ponant, ut illas negare videatur.* Sextò *petimus huic argumento responderi.* [Non est in mea potestate non habere physicam prædeterminationem. Illâ positâ non est in meâ potestate omittere opus, ad quod inducit: ergo nihil est in mea potestate.] Septimò *assignari differentiam inter illud argumentum & subsequens.* [Cœco nato non fuit in sua potestate habere positivam illam nubem, quæ visum impedit: Positâ hac nube positivâ, non est in ejus potestate videre: ergo videre non est in ejus potestate.] *Si enim prædeterminatus ad claudendos oculos non habet majorem potestatem ad videndum, quam cœcus à nativitate, severus Thomista esse non volo.*

San dices, *hæc omnia esse facilia, & centies soluta à Thomistis, nec novâ solutione indigere. Et ego justo hæc, etiam mihi interdum dicta; sed ab hominibus, qui sibi erant conscij, quod hæc ipsa ratiocinia nescirent exactè dissolvere.* Mea ego dubia & scrupulos summâ urbanitate proposui, doctiorum erit me doctè & urbanè juvare.

EGOITAS

exposita, illustrata, defensa.

MCCCCCXXVII. *Simel. cap. 41.* *Cor molendino simile:* *Et cur?*

COr *nostrum simile est molendino semper molenti*, inquit Anselmus, *quod Dominus cuidam servo suo custodiendum dedit*: Et pulchrè progreditur, & similitudinem illustrat. Et ejus Ego verba & metaphoram in sensum mihi commodum trahens, ajo Liberum hominis Arbitrium (idenim nomine *Cordis* intelligo) esse hodie in Orbe literario molam, quæ Scholam non solùm torquet, sed & atterit; & in partes minutissimas dividit; ita, ut multæ refulrent opiniones, aut etiam schismata, circa genuino ingeniumque humanæ naturæ non integræ. Hæreticorum opiniones in fumum abire permittimus: & quia fumi est proprietas non redire, etiam fumo accensemus eas Catholicorum opinationes; quæ, ut in Bullâ sua inquit Urbanus, cum Ecclesiæ contemptu defenduntur. Cæteras consideramus & examinamus: & ex omnibus, quam veriorem & probabiliorem judicamus, ad has hoeas reducimus. *Opinionum varietas.* *Nonnulla Sententia rejecta.*

THESIS I.

MCCCCCXXVIII. *Causa prima in faciendo: & causa prima in deficiendo.*

CAusa prima in genere faciendi, vocetur Ἐγὼ aut etiam ὤν: & Causa prima in genere deficiendi tam est superba & arrogans, ut Ἐγὼ velit dici, at dicitur, impropriè Ἐγὼ; propriè Ἐγὼο: & quia interdum impropria nomina sunt convenientissima, à nobis utroque modo vocitabitur.

INcipio à vocibus, quia me juvant interdum, & sine illarum notitiâ hodie progredi ulteriùs non posse.

I.

Ego quid sit?

Ἐγὼ grammaticè sumptum, pronomen relativum est: at theologicè sumptum nomen est proprium Dei: qui rogatus, ut nomen suum manifestaret, ait *Sum Ego*

Exodi 3.

Notissimus est ille locus Exodi, ubi Moyses studiosè & religiosè scire vult nomen Dei nostri, & audit; *Sum Ego*. Verba sacra subjicio. *Ecce Ego*, inquit Moyses, *vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus Patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen ejus? quid dicam eis? Dixit Dominus ad Moysen*: Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. Quæ Divina verba Interpretes vertetunt, *Ego sum, qui sum*: & benè: non enim aliter patitur lingua latina, nec pronominis vulgata acceptio. Nos ad dialectum scholasticam convertimus oculos, & juxta illius Institutiones Verba Dei ad istam paraphrasin transferimus. [Moyses: scire desideras, Quis sim? quod nomen habeam? & qualis sim? Respondeo breviter. *Sum Ego: Vocor Ego: Sum Ens.* &, si hæc vis verba altiùs & meliùs intelligere, *Sym Ego: meum nomen Sys Ego: Sum Syns.* dices igitur filiis Israël, *Syns misit me ad vos.*]

Vulgata Editio semper & ubique bona est. *Scholasticam Grammaticam habes superiùs à numer. 1090.*

II.

An eodem voces legat ordine Grammaticus, quo Dialecticus?

Dices non bene à nobis poni Ἐγὼ ex parte prædicati; cùm in Græco sit ex parte subjecti: & respondeo Πεντηκόνταρχον (hoc est, quinquaginta militum Ductorem) D. Laurentij Ramirez de Prado producendo: nam Capite XXX. sic inquit: [In principio Capitis I. Joannis καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος, *Et Deus erat Verbum*, hoc est ordine commutato, *Et illud Verbum erat Deus*. Nam dictio, quæ habet articulum apud Græcos, est, ut ajunt Dialectici, in oratione subjectum, seu prima pars.] Hæc veritas relucet in idiomate Hispano, quod utitur etiam articulis; sublucet aliquando in Latino, sed obscuriùs articulorum defectu. Sanctus Joannes Chrysostomus Sermone de Pentecoste assumpserat sibi probandum terram tot Syderibus nobilitatam cœlum esse, & præmissis nonnullis rationibus concludit, *Ergo cœlum sit terra: & hoc sæpiùs dicens non cessabo*. Es quidem in hac propositione *Cœlum sit terra*: subjectum est *terra*, & prædicatum *cœlum*, quod innueret græcè articulus, latinè præmissarum vis, & non posset Hispanus exprimere his verbis; *El cielo es tierra*, sed his, *Cielo es la tierra*, in quibus cœlum de terrâ prædicatur. Ergo stando huic doctrinæ in hac propositione Ἐγώ εἰμι ὁ ὤν. subjectum erit ὁ ὤν: & prædicatum erit Ἐγώ. Ergo hæc observatio postulat, ut illa verba Græca transeant in hæc Latina *Qui sum (Syns) sum, aut nominor* EGO. Igitur illud *Ego* non est pronomen, sed nomen proprium Dei; quod erat demonstrandum.

De Græcorum articulo.

Primi hominis nomen. *An unum & idem nomen proprium & appellativum esse possit?* *An eadem vox sit simul nomen & pronomen?*

Hanc eamdem assertionem confirmo. Primus homo, antequam essent plures, dictus fuit *Homo*; & quia erat solus, non indiguit nomine alio, ut à cæteris distingueretur: fuit igitur illi nomen proprium, quod nobis appellativum. Ergo Deus, qui inter omnes possibiles est prima Persona; *Ego* debebat dici: & quia ab æterno nulla erat alia persona, cui diceretur *Tu*; nulla,

nulla, de quâ diceretur *Illa*; non indiguit alio nomine proprio, ut à cæteris distingueretur. Peccavit Angelus, & voluit *Ego* dici: peccavit Homo, & voluit *Ego* dici; & tunc, ne esset æquivocationi alicui locus apud homines, qui sicut aurum colore mentimur, & adulterinũ interdum usurpamus pro vero, sic etiam *Egoitatem* veram adulterinamque confundebamus, addidit secundum nomen Deus, ut non solùm Ἐγὼ, sed etiam diceretur Ὤν: quo secundo vocabulo se esse primam personam non qualemcunque, sed verè & essentialiter primam assereret.

Angeli & hominis peccatum.

Cur duobus nominibus utatur Deus?

III.

Persona Comica. *Egon quis?* *Causa prima deficiens.* *Egoitas adulterina.*

Apud Poëtas Personæ, ut in Comœdiis videre est, sunt fictæ: & apud ipsos ut ait Scapula, prima est Ἐγών: unde Homerus Iliade I. dixit, τοὶ γὰρ ἐγὼν ἐρέω. Ergo peccator, dum se subrigit, vult esse prima Persona adeòq; prima Causa; & quia in genere faciendi non potest, in genere deficiendi suum intentum sortitur: dum vult (inquam) peccator (Angelus, Homo) esse prima Persona, & *Ego* dici, ut latriam ab idololatriâ, hoc est, veritatem à falsitate distinguamus, jubeamus, ut qui in Comœdiâ hac Deum agit, & Deus non est, dicatur Ἐγών; hoc est, Persona habens *Egoitatem* poëticam, comicam & chimœricam.

IV.

Quo modo variari debeat Ἐγών?

De vocibus est hæc Thesis prima: & ideò interrogas, quomodo declinetur Ἐγών, quod esse diximus peccatoris, hoc est, Idoli, aut Numinis adulterini nomen?

Alfonsi Regis patientia. *Homines qui sint?* *Regones, Prælatones.* *Egones.*

Ut respondeamus bene, Antonium Panormitam priùs audiemus. Ipse enim *in Parallelis Alfonsinis, libr. 1. cap. 54.* sic inquit: [Admisit (Rex Alfonsus) ad colloquium & patienter audivit ipsos etiam socordi ac obtuso ingenio homines. Audiens verò illos subinde oculos ad eos conjicere solitus erat, quos proba nota ingenia ac sensa hominum percallere, Ennianum illud levi voce submurmurans, *Vulturis in Sylvis miserum mandebat hominem*. Bellissimè enim nó *Homines* Ennium appellasse eos dicebat, quos vidisset ex homine nihil præter effigiem possidere.] Incidit in hanc historiam æneas Sylvius, qui posteà fuit summus Pontifex, & Julius II. nominatus, subscripsitque [Ennius, si plerosque nostri sæculi Reges contemplatus esset, credo non *Reges*, sed *Regones* appellasset: Ecclesiæ quoque Prælatos, *Prælatones* vocitasset, qui præter coronas & infulas dignitati quod respondeat, nihil ostendunt.] Nos ergo Ennij, Regis Alfonsi, & Æneæ Sylvij directioni insistendo, volumus ut solus Deus vocetur Ἐγὼ, & peccatores, qui Dij quidam adulterini & falsi sunt, nominentur Ἐγῶνες.

THESIS II.

MDXXIX

Deus est causa prima in genere faciendi: est causa principalis: est causa totalis ut quod. Homo (Angelus) in genere operandi supernaturaliter est instrumentum liberum Dei. Actus supernaturales efficit in nobis Deus *ut quod*; homo *ut quo*; uterque tamen liberè.

An homo sit instrumentum Dei?

Deum esse causam principalem, & hominem instrumentalem, præcipuè cùm actio supernaturalis elicitur, sacra Scriptura, Patres, & Doctores confirmant. Multa testimonia succurrunt, unicum scribo ex octavo Epistolæ ad Romanos. *Quicumq; Spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Ergo supernaturale hominum agere est agi. In hoc veri instrumenti consistere rationem Scholastici affirmant. Scotus *in 4. dist. 13. quæst. 1. num. 37.* subordinationem & dependentiam admittit, sed dari semper physicam aliquam entitatem, quæ creaturam (hoc est, instrumentum Dei) elevet non admittit. Ejus verba sunt hæc. [Non credo semper causam secundam, quæ vocatur quandoq; *instrumentum* recipere motionem specialem à causâ primâ, sed tantùm habere subordinationem aliquam formæ suæ activæ ad formam activam alterius (nempe, Dei) per quam subordinationem causâ prima exeunte in actum in suo ordine causandi, secunda nata est exire in actum in suo ordine causandi: & sic secunda dicitur *Movens motum*, non quia recipiat motionem à prima per quam moveat, sed quia in motione suâ dependet ab aliâ priùs naturaliter actu movente.]

An causa prima secundam prædeterminet?

Instrumentum quando elevatur intrinsecè.

Ejusdem sententiæ est Divus Thomas, sed quia explicat quando instrumentum elevatur intrinsecè & quando non, volo ex eo pauculas has lineas subscribere: ipse enim 1. 2. *quæst. 68. art. 3.* S. c arguit. [Dona Spiritûs sancti perficiunt hominem secundum quod agitur à Spiritu Dei, sicut dictum est (art. 1. & 2.) sed in quantum homo agitur à Spiritu Dei, se habet quodammodo ut instrumentum respectu ejus: non autem convenit, ut instrumentum perficiatur per habitum, sed principale agens. Ergo dona Spiritus sancti non sunt habitus.] Et respondet, non quidem dicendo hominem non esse instrumentum Dei; sed ostendendo, cur licet instrumentum sit, habitu indigeat. Ejus verba sunt hæc: [Dicendum, quod ratio illa procedit de instrumento, cujus non est agere, sed solùm agi: tale autem instrumentum non est homo, sed sic agitur à Spiritu sancto, quod etiam agit in quantum est liberi arbitrij; unde indiget habitu.] Ergo teste Angelico Doctore homo est instrumentum liberum Dei: & ornatur donis & gratiis supernaturalibus, ut instrumentum tale sit: quia Fides Spes & Charitas, &c. non dant homini ut meliùs & facilius sit causa instrumentalis in ordine supernaturali, sed ut simpliciter sit.

Nota singula verba.

Homo est instrumentum.

Habitus supernaturales dant simpliciter posse.

THESIS III.

MDXXX. Liberum est Creaturæ intellectuali viatrici agi à Deo: illâ enim ut instrumento Omnipotentiæ suæ utitur Deus, sed voluntariâ, non invitâ. Ergo creatura libera est, quæ positis omnibus elevationibus & circumstantiis prærequisitis ad operandum, quando operatur, tunc potest non operari: & quando non operatur, tunc potest operari. *Homo instrumentum liberum. Quid sit causa libera?*

Hinc patet, quid sit converti & quid perverti? Convertitur Homo ad Deum, cùm exuit se *Egoitate*, hoc est, se ipso: videlicet, cùm exuit se causæ principalis causalitate, & se permittit gratiæ & Deo, qui causa principalis est, & ille utitur, tanquam suæ clementiæ instrumento: & hoc est, *exuere veterem hominem cum actibus suis, & inducere novum homenem cum actibus suis*: quod lege divinâ jubemur. *Quid sit cordis conversio?*

Pervertitur, cùm recedit à Deo: recedit cùm induit *Egoitatem*: cùm usurpat causæ principalis causalitatem: cum resistit gratiæ, hoc est, non concurrit instrumentaliter ad actionem, ob quam gratia conceditur. *Quid perversio?*

TRia Thesis asserit: nimitùm, causas secundas esse realiter operativas: aliquas ex his esse liberas: & has in operationibus suis supernaturalibus, quidquid de naturalibus sit, esse instrumenta.

I.

An causæ secundæ realiter operentur?

Primò causas secundas solùm operari moraliter, pauci dixerunt: at quia de liberis specialiter agendum est, has esse morales tantùm causas & nullam physicam efficientiam habere, nemo potest orthodoxus asserere: quoniam in Concilio Tridentino contra Martinum Lutherum & Joannem Calvinum definitur, eas realiter operari. Sessione VI. inter Canones de justificatione quartus est; *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum nihil operari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omninò agere, mereque passivè se habere: anathema sit.* *Arbitrium non est iners, non est inanime.*

II.

Causa duplex: principalis & instrumentalis. Varia de instrumento sententia. Quid sit causa principalis: & quid instrumentalis?

Prætereà causas principales ab instrumentalibus distingui supponi volumus: & quia sunt variæ instrumenti acceptiones, operæ-pretium erit exponere, quo sensu debeat hæc vox à Philosophis & Theologis accipi. Oviedus magni ingenii & eruditionis vir, *in Physica controversiâ IX. punct. V.* quinque causæ instrumentalis acceptiones ponit & exponit, & nescio, quo illo fato communem & veram omittit. Sit Conclusio: *Quando duæ causæ unum & eundem effectum producunt, altera* ut quod, *& altera* ut quo, *illa* principalis, *& hæc* instrumentalis *vocatur.*

Incidentes quæstiones.

Hac notitiâ præventus rogas tria: I. An causæ necessariæ sint instrumenta Dei? II. An agentia naturalia libera sint causæ principales, an tantummodò instrumentales? III. An saltem, cùm actus supernaturales illa eliciunt, ità agantur & moveantur à Deo, ut ille sit causa principalis & agens *ut quod*, hæc autem sint causæ instrumentales, & agant *ut quo*?

Resolutio.

Et respondeo me malle primam secundamque quæstionem omittere, quàm resolvere: & ad tertiam respondeo assertivè.

III.

Hinc ad liberum arbitrium veniens, ajo hominem supernaturaliter excitatum & præventum à Deo, habere qualitatem supernaturalem, quâ elevatur ad actus supernaturales, & hoc modo operari. [Deus *ut quod*, & ut causa principalis, utitur homine prædito fide, spe & charitate tanquam instrumento vivo & libero, & medio hoc instrumento producit in ipsomet homine fidei, spei & charitatis actus. Et tunc homo virtute causæ principalis elevatus concurrit ut instrumentum, nempe *ut quo*, vitaliter, immanenter, & liberè: ita nimitùm, ut positis omnibus prærequisitis ad concurrendū *ut quo*, possit non concurrere *ut quo*.] Ergo quotiescunque operatur homo supernaturaliter operatur *ut quo*. Ergo, si rigurosè velit loqui, non potest dicere Ego operor, sed Deus hoc operatur in *me*, mecum, & per me. In *me*; quia actus illi supernaturales fiunt & recipiuntur in homine. *Mecum*; quia fiunt homine cooperante & concurrente. *Per me*: quia fiunt à Deo per hominem, tanquam per instrumentum liberum & vitale. *Quo modo homo operetur? Deus operatur ut quod, homo ut quo. Deus operatur in homine, cum homine, & per hominem.*

Hinc intelligere facili negotio poterimus illa Ecclesiæ verba, quibus utitur in missâ dicens: *Per ipsum* (Christum) *& cum ipso, & in ipso, est Tibi Deo Patri omnipotenti in unitate Spiritus sancti omnis honor & gloria per omnia sæcula sæculorum: Amen.* hoc est: [Domine Deus, actus illi heroici & supernaturales, quos elicuit Christus ad æternam tui Nominis & Nominis gloriam, à te sunt facti tanquam à causâ principali, à Christo tanquam à causâ instrumentali: tu enim illos omnes fecisti *ut quod*, & illos eosdem Christus fecit *ut quo*: Illos fecisti in ipso, quoniam sunt actus immanentes: cum ipso, quia sunt vitales, nec possunt aliter fieri, quam causa vitali concurrente: per ipsum, quia operabaris *ut quod*, & utebaris humanitate Christi *ut quo*, nempe illam, tanquam per instrumentum vivum liberum, virtutum prodigia operateris.] *Christi humanitas Divinitatis instrumentum fuit.*

IV.

Quo operetur modo homo sanctus & justus, vidimus: quo peccator legem Dei violet, videa- *Quo modo homines peccent?*

Causa prima deficiens.

videamus. Est prææditus gratiâ divinâ, & habet omnia præ requisita ad operandum vitaliter liberè instrumentaliter, & tamen non operatur. Hujus non operationis homo non est instrumentum, sed causa principalis: quod clarè ostendo. Deus non dat suas homini gratias, nec illum elevat favoribus supernaturalibus, ut non operetur, sed ut operetur: ergo quando homo non operatur, tunc Deo non cooperatur: non ergo Deus ad hanc omissionem concurrit. Ergo homo in genere deficiendi est causa principalis, imò prima: ergò cùm operatur, meritò potest dicere, *Ego operor*. Ergo, qui malè operatur, habet *Egoitatem*: & qui benè non habet. Ergo qui justè & meritoriè operatur, potest dicere, *Vivo ego naturaliter, sed supernaturaliter & meritoriè non vivo Ego, quia sum Non-Ego: quia in me, mecum, & per me vivit Christus.* Ergo, qui peccat potest & debet dicere. *Vivo ego; & quia vita mortalis non est vita sed mors, & quia peccatum mortalitatem intulit morior ego. Et quia mea vita est illegitima (hoc est, contra leges) & hanc ago ut causa prima & principalis, vivo Ego ut quod & non ut quo, quia nec in me, nec mecum, nec per me vivit Christus.*

Deus ad omissionem actuum supernaturalium non concurrit.

Peccator egoitatem habet: justus non habet.

Per peccatum mors.

Peccator operatur ut quod.

Stat igitur ad actus bonos supernaturales Deum concurrere ut causam principalem, *qua*: hominem ut instrumentalem, *quâ*. Stat etiam ad peccatum Deum nullo modo concurrere, & hominem concurrere ut causam primam & principalem, *qua*. Ac per consequens stat hominem cùm operatur supernaturaliter & meritoriè, *Egoitate* carere: cum peccat, habere *Egoitatem*.

Conclusio.

THESIS IV.

MDXXXI. Nostra merita sunt dona Dei, liberè à nobis suscepta: coronat ergo Deus sua dona, cùm nostra merita. Beatitudo meritis quâ talibus ex justitiâ debetur: sed quia merita nascuntur à duplici gratiâ, hoc sensu etiam Gloria donum & gratia est.

Gloria duplex gratia.

Quid in coelo coronet Deus?

An actus naturales gloriâ æternâ sint digni? Rom. 8.

Considerat Paulus operationes & passiones humanas secundum suum esse naturale, easque conferens cum gloriâ Cœlitum exclamat, *Non sunt condigna passiones hujus mundi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Convertit oculos ad supernaturales, & promissionem auxiliumque (hoc est duplicem gratiam) supponens, ait: *Bonum certamen certavi, cursum consumavi, fidem servavi. Quod superest: reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex: non solùm autem mihi, sed & his qui diligunt adventum ejus.* Sed undenam fertur ista obligatio? Jam dixi. Ex gratia duplici: nam & Deus promisit gloriam meritis, & dedit merita. Promissionem nos docuit idem Paulus his verbis: *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis Spiritum servitutis iterùm in timorem, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater. Idem Spiritus testimonium reddidit* (promisit) *Spiritui nostro, quod sumus filij Dei. Si autem filij, igitur & hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.*

2. Timot. 4.

Rom. 8. Deus promisit beatitudinem meritis. Consideretur hæc illatio.

Omnia hæc aureis periodis dilucidat exponitque Melleus Bernardus *cap. 13. de gratia & libero arbitrio. nu. 42.* illa alibi uberiùs explico, nunc exscribo [Nec salus, nec damnatio ullâ ratione sine præcedenti consensu voluntario (hoc est, libero) possunt haberi: ne quâ fortè ex parte præscribi videatur libertati arbitrij. Quamobrem, id quod in creaturâ dicitur *Liberum Arbitrium*, aut justè profectò damnatur, dum ei ad peccatum nullâ vi præjudicatur extrinsecâ: aut misericorditer salvatur, cui ad justitiam nulla virtus sufficit sua. Sanè in his omnibus cogitet Lector originalis peccari probalis excipi rationem. De cætero, libero arbitrio, nec extra ipsum quæratur damnationis causa, quòd jam non damnat nisi propria culpa: nec ab ipso salutis merita, quod sola salvat misericordia. Cujus quippè conatus ad bonum & cassi sunt, si à gratia non adjuventur: & nulli, si non excitentur. Cæterum *in malum sunt prona*, dicente Scripturâ, *sensus & cogitationes hominum.* Proinde non ex se (ut dictum est) sed de sursum potiùs à Patre luminum descendere merita putentur: si tamen inter data optima, & dona perfecta, ipsa meritò per quæ salus æterna conquiritur, merita deputentur. Deus autem Rex noster ante sæcula, cùm operatus est salutem in medio terræ, dona sua quæ dedit hominibus, in merita divisit & præmia, ut & præsentia per liberam possessionem nostra interim fierent merita; & futura per gratuitam sponsionem expectaremus, unde expeteremus ut debita. Quæ utraque Paulus commemorans, *habetis*, inquit, *fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Item, *& nos ipsi*, ait, *primitias spiritûs habentes, ingemiscimus adoptionem exspectantes filiorum Dei*: primitias spiritûs vocans sanctificationem: id est virtutes quibus in præsentiarum sanctificamur à spiritu, ut meritò consequamur adoptionem. Rursum in Evangelio, eadem sæculo abrenuncianti promittuntur, ubi dicitur: *Centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Itaque non liberi arbitrij, sed Domini est salus; imò ipse salus: ipse & via est ad salutem, qui ait: Salus populi ego sum. Qui item perhibet; *Ego sum via.* Se fecit viam, qui & Salus erat & vita, ut non glorietur omnis caro. Si ergo bona via sunt merita, sicut & patriæ salus & vita; & verum est quod ait David:

Meritum, demeritumque à libero arbitrio dependent.

Homo meretur virtute Dei: peccat viribus propriis.

Genes. 8. d.

Merita descendunt è cœlo.

Donum Dei duplex: meritum, gloria.

Debitum nascitur ex promissione divinâ.

Rom. 6. d. Rom. 8. d.

Sanctificatio quid?

Matt. 19. d.

Psalm. 14. Ioann. 14. Christus via.

Psal. 13 b. *Non est qui faciat bonum, non est usque ad unum:* illum videlicet unum de quo item dicitur: *Matt. 10. l.* *Nemo bonus nisi solus Deus*: Dei sunt procul dubio munera tam nostra opera, quàm ejus præmia: & qui fecit se debitorem in illis, fecit & nos promeritores ex his. Ad quæ tamen condenda merita dignatur sibi adhibere creaturarum ministeria, non quibus egeat, sed quibus per hoc, vel de quibus prosit.

Tam merita, quàm præmia sunt dona Dei.

THESIS V.

An datur pura omissio.

MDXXXII Non datur pura omissio. Quid ergo? Est ne semper aliquis actus in voluntate positivus, qui omissionis sit causa? Sic opinantur multi, sed nos aliter: non enim dicimus semper actum voluntatis positivum esse omissionis causam, sed actûs supernaturalis omissionem esse causam actus mali positivi, qui illam concomitatur.

An actus positivus ab omissione? an potius omissio ab actu positivo subsequatur?

Multæ sunt in hac controversiæ sententiæ: & in ipsis Authores aliquid dicunt, quod est certum; aliquid, quod subjacet disputationi. Dari omissiones concomitantes (quas *non-puras* vocant) certum est: nam quando ista scribo, Eclogas Virgilij non lego, & hæc ipsa omissio non est pura, sed est effectus hujus actûs positivi, qui est scriptio: eo enim ipso quod scribo, habeo innumerabiles omissiones actuum, qui cum scriptione hac componi non possunt. Hac veritate præmissâ has Conclusiones defendendas subjicio. Sit

Omissio concomitans, & non pura.

Prima. *Non datur pura omissio*: semper enim est apud illam aliquis actus concomitans realis & positivus.

De naturâ lapsa.

Secunda. *Si homo careret concupiscentiâ actus supernaturales posset purè omittere.*

De integra.

Tertia. *Quando homo prævenitur à Deo, & nihilominùs aliquem actum supernaturalem omittit, liberè omittit.*

Omissio libera.

Quarta. *Omissionem actûs supernaturalis liberè positam, sequitur necessariò actus concupiscentiæ.*

Necessitas concupiscentia.

Quinta. *Posito actu concupiscentiæ, debent poni omissiones omnium illorum omnium actuum, qui cum illo actu concupiscentiæ non possunt componi.*

Omissiones concomitantes.

Corollarium. *Ergo, cùm aliquis peccat, liberè omittit actum supernaturalem, ad quem divinitùs excitabatur; & quia Spiritusancto adsentiendo cœpit impedire poterat actum concupiscentiæ, quos voluntas morbida elicit, istos liberè elicit, peccatque, graviter aut leviter juxta materiæ quantitatem.*

Quomodo homo peccet?

THESIS VI.

Abusus & non usus gratiæ.

MD XXXIII. Concupiscentia rapit voluntatem: illi, nisi adsit gratia, resistere voluntas non potest. Homo igitur, ut tentationi non succumbat, debet uti gratiâ; qua, si uti nolit, succumbet. Peccatum igitur physicè consideratum, gratiæ est abusus; hoc est non usus. Et hæc omissio moraliter considerata actus est positivus; ita enim se habet, ac si actus positivus esset; & ad multiplicitatem actuum, quorum est causa, multiplicatur & specificatur. Actus externi (Occidere, Fornicari, Furari, Mentiri: ad hos enim universos reducimus) ab objectis speciem sumunt, malitiam ab actibus internis: interni (videlicet, voluntas occidendi, fornicandi, furandi, mentiendi) ex hypothesi, quod non utaris gratiâ, sunt necessarij: at gratiæ non-usus liber est, & ideò omnes sunt liberi in causâ, quia prævisi, permissi, & cum potentia non eliciendi eliciti.

Concupiscentia, & Gratiæ vires.

Realis omissio est actus positivus moraliter & interpretativè.

Actuum multiplicatio & specificatio.

Quomodo concupiscentiæ actus siquidem sunt necessarij, sunt liberi?

Concupiscentiæ vires sentiebat Paulus, qui Epistolæ ad Romanos septimo ait: *Scio enim, quod non habitat in me, hoc est in carne meâ, bonum. Nam velle adjacet mihi: perficere autem bonum non invenio. Non enim quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo, malum, hoc ago. Si autem quod nolo illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Invenio legem volenti mihi facere bonum, quoniam mihi malum adjacet. Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem, video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Ecce patitur Animus motus aut impulsus contrarios, quos Paulus appellat *leges duas.* Concupiscentia est Animæ rationalis gravitas, quæ sensualitate armatur ut corpus corrumpat, & mentem supprimat; unde illud, *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animum.* Gratia est supernaturalis elevatio, quæ Animam exaltat & subrigit. Æstuat concupiscentia & motus indecentes excitat: sed hos ait Paulus, quia se invito & nolente procellescunt, à se non fieri, sed à peccato, quod in se habitat. Vocat *peccatum* ipsam concupiscentiam, non quòd peccati ream constituat animam, sed quòd ex peccato originali orta sit, & ad peccatum actuale Animam alliciat aut impellat.

Sunt actus externi, aut etiam aliquando interni, quos operamur inviti: & ipsi imputari non possunt.

Lex duplex interna, externa.

Concupiscentia est pondus.

Gratia est elevatio.

Cur concupiscentia nominetur peccatum?

Tridentini Sess. V.

Hoc

Omnes Deo adiuvat, neminem tentat.

Hoc clarè nos docet S. Jacobus capite primo suæ Epistolæ. *Nemo, cùm tentatur,* ait, *dicat, quod à Deo tentatur.* Et cur id debet non dicere? *Deus enim intentator malorum non est: ipse autem neminem tentat.* Quis ergo tentat homines, si Deus non tentat? *Unusquisque tentatur à concupiscentiâ suâ abstractus & illectus.* An sufficit hominem à concupiscentia tentari vel vexari, ut reus sit? minimè. Si enim homo impedit, ne illa consensum extorqueat, reus non est. *At verò concupiscentia cùm* (adnuente & consentiente Animâ) *conceperit, parit peccatum. Peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat mortem.* Et quid est peccatum consummatum? Cùm subrepit & consenso semipleno admittitur, peccatum quidem est, sed inchoatum, & mortem non inferens: at verò, cùm admittitur consenso pleno, jam est peccatum consumatum, & mortem inferens, unde & *mortiferum* vocari solet.

Motus concupiscentiæ involuntarij non sunt peccata.

Peccatum duplex: consumatum, & non consumatum.

Consensus duplex: plenus & semiplenus.

Hanc consensûs semipleni & pleni distinctionem dilucidè exponit Hieronymus *libr. 1. cap. 14. super Matth.* dicens: [Inter passionem & propassionem hoc interest, quod passio reputatur in vitium; propassio, licet initij culpam habeat, tamen non tenetur in crimine. Ergo, qui viderit mulierem & animæ ejus fuerit titillata (*nimirùm, consensu semi-pleno*) hic propassione percossus est. Si verò consenserit (*nimirùm, plenè*) & de cogitatione effectum fecerit, sicut scriptum est in David, *Transierunt in affectum cordis*: de propassione transivit ad passionem: huic voluntas peccati non deest, sed occasio. &c.]

Culpa duplex: gravis & levis.

Affectus voluntatis duplex: passio & propassio.

Explicatur indifferentia voluntatis.

I.

MCCCCCXXXXV. Concupiscentia sagitta est.

OZiam Chrysostomus illostrat aruditissimo sermone, & in eo concupiscentiam comparat sagittæ, & me monet, ut stando similitudini, sic hominis libertatem exponerem.

Anima etiam est sagitta.

Considero sagittam in cœlos brachij potentis vi propulsam: & ajo. Gravis est: ergo deberet cadere potiùs, quàm adscendere. Cur ergo terras deserit, nubes superat, & ad regionem superiorem contendit? Habet impulsum, quo promovetur sursùm non obstante pondere gravitatis. Si non haberet hunc impulsum, caderet: & cum primùm non habeat illum, cadet.

Cur non cadat?

Hinc ad animam converto oculos, & observo esse huic sagittæ simillimam: nam sicut sagitta pondere, sic Anima concupiscentiæ gravitate deprimitur: at non obstante immenso hoc concupiscentiæ pondere Pauli Anima (in corpore an extra corpus nescio, Deus autem scit) adscendit de virtute in virtutem & ad cœlum tertium, hoc est, summum pervenit. Cur ergo, quæ gravis & ponderosa est Anima in cœlos advolat. Habet impulsum, quo promovetur sursum: gratiam, quâ elevatur superiùs. Si non haberet illam, caderet: & quia nunquam illa carebit, nunquam cadet: nam Petri Anima, cùm primùm illâ caruit, cecidit: nam sicut sagitta ad adscendendum impulsu indiget, & ad descendendum non indiget, sic homo ad adscendendum eget gratiâ, ad cadendum vero sibi sufficit: suæ enim concupiscentiæ pondere, cum primùm defecerit gratia, supprimitur.

Gratia elevat sursùm.

Dedi paritatem inter Animam sagittamque, disparitatem subjungo: nam sagittæ non, ast liberum retinere impulsum, quo sursum pellitur: at Animæ liberum est retinere gratiam, quâ elevatur & in cœlum dirigitur: vel quia causæ materiali non repugnat libertas, hoc enim jam hodie multi dicunt: [Vide Arriagam *disput. 5. de Animâ. num. 18. pag. 714.*] vel saltem, quia anima est instrumentum liberum, quod potest cessare aut non operari cùm velit.

Disparitas.

Causa materialis libera.

Causa instrumentalis libera.

II.

Idem Sanctus Chrysostomus homiliâ 37. exponit caput XXI. Matthæi & gratiæ libertatisque concordiam his verbis eruditis dilucidat. [Sicut navis fracto gobernaculo illuc ducitur, quò tempestas voluerit; sic & homo Divinæ gratiæ auxilio perdito, per peccatum agit quod non vult, sed quod Diabolus vult.] Hac instituor periodo, & sic discurro.

Considero Euripum (fretum est rapidissimum inter Aulidem Bœotiæ portum & Eubœam insolam, de quo agit Mela) & in eo navem repugnantibus fluctibus adscendentem. Undæ rapidæ sunt & ad minorem altitudinem poli præcipites, descendere igitur deberet navis: cur ergo contra vortices & undas illa ad majorem altitudinem poli se festinat? Sed jam video. Habet secundum & fortissimum ventum, potentiorem hoc undarum rapidissimo impetu. Sed nondum rationem adæquatam exposuit, nam eodem vento spirante navis altera rapitur & in præceps ruit. Unde oritur hæc motuum & cursuum differentia? Non à vento, quia utrique illa communis est. Unde ergo? ab usu: altera enim navis expansis velis vento hoc secundo utitur, & ideò fluctus superans adscendit sursum: altera vela negligit, malum frangi permittit, non curat gubernaculum, & ideò à vorticibus rapitur, & undarum impetu in naufragium festinat.

Euripus, ubi: qualis.

Cur navis contra fluctus adscendat?

An eodem vento flante altera navis possit promoveri, altera verò repelli.

Hinc ad Animam converto oculos, & ejus libertatem & gratiæ potentiam intelligo. Concupiscentia Euripus est, qui multos rapuit; impetuosa est & præceps; acta vorticibus; & omnia quà licet absorbens. Duas naves video (Petrum, Joannem) hunc Euripum invitis & repugnantibus fluctibus superantes: & cur illæ adscendant contra fluctus, inquiro. Spiritus, qui ubi vult inspirat, impulsu secundo & divino eas propellit:

Gratia alius utitur, alius non utitur.

grana

gratia undis procellosis potentior eas promovet. At, ut video, dum promovetur altera, altera deorsum rapitur & præceps ruit. Unde hoc discrimen? Spiritus est idem: gratia eadem: cur igitur motus non est idem? Non sufficit secundus ventus, ut navis Euripi impetum superet; sed requiritur ut Navarchus expandat vela, & vento utatur: ergo non sufficiet gratia Dei, ut homo concupiscentiæ impetum superet, sed requiritur, ut homo gratiâ utatur, se liberè ferri permittens; si enim à gratiâ promoveri non vult, non promovebitur; & cessante gratiæ Divino impetu, rapietur à concupiscentiâ, ut tandem pereat volens nolens.

Non sufficit gratia, sed usus.

Sed cur hic homo gratiâ utitur, & ille abutitur? Do rationem proximam. Quia iste uti vult, ille non vult: in iis enim, quæ pendent à libero arbitrio, *stat pro ratione voluntas.* Et cur Deus non efficit, quod uterque velit? cur non utrique gratiam efficacem indulget? Augustinus *libr. de baptism. parvul.* [Dei gratia, cur ad istum veniat, & ad illum non veniat, occulta causa esse potest, at injusta non potest.] Agit de efficaci; nam sufficientem omnibus semper & ubique dat Deus.

Cur gratiâ utamur?

Cur efficax non datur omnibus?

III.

Diximus, actus concupiscentiæ esse liberos, diximus esse necessarios, & quia libertas opponitur necessitati, putas in eodem concupiscentiæ actu non posse libertatem cum necessitate componi.

An necessitas & libertas componi possint?

Respondeo me jam sæpè exposuisse sensum, quo actus concupiscentiæ liberi sunt, & quo necessarij sunt. Et quia Bernardus sæpè, & alij Patres, ut Liberum Arbitrium dilucident, ad considerationem oculi veniunt, ideò illum ego ob oculos ponam, & sic discurram.

Voluntas oculus.

Mihi videre hanc chartam liberum est: quia possum aperire oculos, aut non aperire; at ex suppositione, quod oculos aperiam, visio erit necessaria: at hæc ipsa necessitas, non tollet, quominus visio illa absolutè loquendo sit libera.

An & quomodo visio sit liberat?

Eodem prorsus modo philosophor de voluntate. Cum peccat, liberè peccat: nam liberum est ipsi, gratiæ Dei in contrarium urgenti assentiri aut non assentiri: &, si assentiretur, non peccaret: Et, quia liberè non assentitur gratiæ, nec vult ab illâ trahi ad Deum, rapitur à concupiscentiâ necessariò: & tamen hæc ipsa necessitas (est enim necessitas admissa liberè) non tollit quominùs absolutè loquendo liberè rapiatur in malum.

Peccantis voluntatis libertas.

Necessitas libera.

* * *

THESIS VII.

MCCCCXXXV. Concupiscentia secundum se considerata est appetitus naturalis ad bonum delectabile inclinans. Hac ipsâ consideratione non semper est mala, sed tunc, quando ejus objectum interdicitur. At in statu naturæ lapsæ infecta est quodam morbo, cujus objectum est quod interdictum; unde illud *Privatio est causa appetitûs:* adeòque concupiscentia ægrota & læsa semper ad malum & peccatum inclinat.

Quid sit concupiscentia non sit?

Concupiscentia duplex: sana, ægrota.

Non vellem quæstiones graves & difficiles reducere ad æquivocationes: qui enim interrogant, *An Adamus ante lapsum habuerit concupiscentiam?* videntur disputare de nomine: si enim *Concupiscentia* vocabulo appetitum sensitivum intelligunt, illam habuit; & si morbum aut corruptionem intelligant, illam non habuit. Sanè actus appetitûs naturalis, nisi sint alias contra legem aliquam, mali non sunt: at illi, qui ex infectione appetitûs nascuntur, semper sunt mali. Considera sequentes Conclusiones.

Quid vox significet?

De Adamo.

An appetitiones malæ sint?

Prima. *Omnis actus supernaturalis est bonus: &, si eliciatur ab homine in gratiâ constituto est meritorius.* Patet: quia actus virtutum boni sunt: & supernaturales sunt virtutes eximiæ.

Bonitas.

Meritum.

Secunda. *Omissio actûs supernaturalis non præcepti non est peccatum.* Patet: quia peccatum est factum dictum aut concupitum contra legem divinam.

Non omnis omissio boni est mala.

Hinc nascitur Solutio ad quæstionem, quæ inquirit, *An non respondere inspirationibus divinis sit peccatum?* Putamus enim ejusmodi omissiones esse quasdam morales imperfectiones, quæ tamen peccata venialia non sint, ubi non agitur de re præceptâ.

Dubium incidens.

Tertia. *Omissionem omnium actuum supernaturalium regulariter comitatur aliquod peccatum.* Ratio est: quia lapis, si impulsu non pellitur sursum, gravitate suâ deorsum labitur: & Anima, nisi gratiæ vi per actum aliquem supernaturalem exaltetur, à concupiscentiâ supprimitur: & ex suppositione, quòd liberè non consentiat gratiæ, necessariò rapitur à concupiscentiâ. Ergo Anima, quando nullum actum supernaturalem elicit, sensualem elicit; qui tametsi in se sit necessarius, in causâ est liber. Hic actus sensualis, utpoteâ sensualitate morbidâ ortus, non solum in bonum delectabile tendit, sed in delectationem ipsam quà malam: &, si materia gravis sit, erit mortalis culpa: &, si levis, venialis.

Voluntas cum nihil supernaturale operatur, regulariter loquendo, peccat.

Actus sensualis.

Actus mortifer: venialis: indifferens.

Cæte-

Cæterùm, quin nihil volitum, quia præcognitum, si circumstantiæ, quas delectatio hominis in statu naturæ lapsæ induit, non prævideantur ab operante, per accidens erit actus indifferens; malitia enim non cognita non imputatur.

Delectatio habet multas deformitates: nobis ex magna parte incognitas. Cur dicatur peccatum?

Sed quas deformitates aut malitias delectatio complectitur, ut mala dicatur? Respondeo illam ab Apostolo dici *peccatum*: non quod formaliter peccatum sit, sed quod ex peccato sit & ad peccatum inclinet: sic enim Apostolum exponit Synodus Tridentina Sess. V. Sanè inclinationem sequitur periculum: & considerata hominis fragilitate & concupiscentiæ vehementiâ, sæpè delectatio sensualis, etsi non sit lasciva, erit mortifera ratione manifesti periculi: (multi enim in cibis, in balneis, in comœdiis, in colloquiis esse in periculo manifesto dicuntur, licet hæc directè visum, auditum & alios sensus mundos recreent) sæpè erit venialis, si periculum sit leve; formaliter, aut objectivè: objectivè, si sit periculum rei levis; formaliter, si sit periculum leve rei gravis: quia leve levis rei periculum fortè non datur.

An periculum peccatum sit?

Periculum triplex: grave, leve formaliter, & leve objectivè.

THESIS VIII.

MCCCCXXXVI. Q Vamdiu Homo se Deo permittit, hoc est, quamdiu non resistit motioni Divinæ, sed est voluntatis Divinæ instrumentum, tamdiu benè operatur. Cùm vult esse causa principalis & prima deficit & delinquit. Tunc vult esse *Ego*: at fit *Egon*: peccatum enim nihil est aliud quàm quædam *Egoitas*, vi cujus creatura, prima Persona esse vult, adeòque anteponi Divinis.

Quando fiat actio bona: & quando mala.

Quid peccatum sit?

Egoitas.

TOtam hanc Thesim fundant illa Christi Domini verba; *Ego sum vitis vera; & Pater meus Agricola est. Omnem palmitem in me ferentem fructum, tollet eum: & omnem, qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat. Iam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite; sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, & vos palmites: qui manet in me, & ego in eo hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Siquis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes & arescet, & colligent eum & in ignem mittent, & ardet.* &c. Et hîc observant Patres non dixisse Christum, *sine me parum potestis facere*, sed *nihil potestis facere*, ut summam creaturæ à creatore dependentiam & subordinationem demonstraret.

Christus vitis.

Ioan. 15. v. 1.

Nota id bene.

Hoc testimonio modus operandi, quem habent creaturæ, illustratur: sicut enim vitis per palmites tanquam per instrumenta fructus elicit: sic etiam Deus ut causa principalis per sanctos suos tanquam per instrumenta libera operatur fructus honoris & honestatis. Et sicut palmes, qui non fert fructum, reus est, & ipso facto arescit, tollitur, mittitur foras, inicitur in ignem, & ardet: sic etiam homo, per quem Deus non operatur, reus est, & ipso facto supernaturaliter moritur, exciditur à Christo, deletur de libro viventium, condemnatur ad orcum, & secundum præsentem justitiam, etiamnùm ardet.

Modus operandi.

Doctus à Christo Paulus sæpè summam Hominis à Deo dependentiam inculcat: & Epistolæ ad Romanos nono, dilucidè: sic enim: *Non est volentis* (scilicet, velle) *neque currentis* (scilicet, currere) *sed miserentis Dei* (qui nimirùm in nobis operatur, velle & perficere.) Et Augustinus lib. de correct. & gratiâ, asserit, *quod sine gratiâ nullum prorsus, sive cogitando sive volendo & amando, sive agendo, faciunt homines bonum*. Unde Angelicus Doctor, 1. 2. *quæst.* 109. *art.* 2. *ad* 2. [Dicendum quod peccare nihil aliud est quàm deficere à bono, quod convenit alicui secundùm suam naturam: unaquæque autem res creata, sicut esse non habet nisi ab alio, & in se considerata nihil est, ita indiget conservari in bono suæ naturæ convenienti, ab alio: potest enim per se ipsam deficere à bono, sicut per se ipsam potest deficere in non esse, nisi divinitùs conservaretur.]

Gratia Dei.

Peccare non est facere sed deficere.

THESIS IX.

MCCCXXXVII. H Omo justus, quia nihil operatur ut causa principalis, nihil *ut quod*, sed omnia *ut quo*: (nam Spiritus-Sanctus omnes in ipso virtutum supernaturalium actus operatur *ut quod*) caret ratione causæ principalis, caret *Egoitate*, & est & dicitur *Non-ego*.

Quis sit Non-Ego?

Hanc

Paulus Non-Ego. *Rom. 7.* *1. Cor. 15.*

HAnc doctrinam & modum etiam loquendi didici à D. Paulo. *Infœlix Ego homo quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Iesum-Christum Dominum nostrum.* Ecce homo! quamdiu est *Ego*, est infœlix; & quamdiu est infœlix, est *Ego*: & nisi misericorditer ab hac *Egoitate* per Christi gratiam liberetur, in corpore mortis hujus peribit. Ecce iterùm homo! Ecce liber & liberatus ab infœlicitate peccati. *Gratia Dei, ait, sum id quod sum*. & *gratia ejus in me vacua non fuit: sed abundantiùs omnibus illis laboravi Non-ego, sed gratia Dei mecum.* Et iterum: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego Mundo.* Et iterùm. *Vivo Ego: jam non Ego: sed vivit in me Christus.* Quæ Pauli dogmata recognosco, & paraphrasi brevi dilucido.

Ego. Non-Ego. Egoitas. *An miseria possibilis sit miseria actualis?* *Quid sit materia prima?* *ejus existentia, subsistentia, bonitas, veritas, unitas.*

Sensa Apostoli ad hæc verba reduco. [Patior temporum vicissitudines. Sum fœlix; fui infœlix. Infœlix, quamdiu ego fui *Ego*: fœlix, quamdiu *Egoitate* rejectâ fui *Non-Ego*. Sed nondum omninò fœlix sum, quia adhuc periclitor in corpore; & posse miserum fieri, miseria est. Sum ergo infœlix homo etiamnum. Et quis me quæso liberabit? Gratia Christi. Docent Peripatetici Materiam primam secundum se consideratam esse proximam nihilo: nam, ut putant, existit existentiâ formæ; est bona bonitate formæ; est vera veritate formæ: est una unitate formæ; imò & est in aliquâ determinatâ specie, essentiâ formæ: & me judice Anima secundum se considerata & posteà ad gloriam æternam collata, si gratia desit nihil est. Quod me attinet, gratiâ Dei sum id quod sum. Si bonus, bonitate gratiæ: si justus, justitiâ gratiæ: si dignus, dignitate gratiæ: si verax, veracitate gratiæ: si unus, unitate gratiæ: si aliquid, quiditate gratiæ: nam *si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem* (gratiam) *autem non habeam, factus sum tanquam æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & noverim mysteria omnia, & omnem scientiam; & si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem* (gratiam) *autem non habuero, nihil sum*: nam gratiâ & charitate Dei (sunt una qualitas, aut individuæ comites) sum quidquid sum. Et quidem gratia Dei in me vacua non fuit, non enim effectu suo caruit. Adlaborarunt alij; & illis ego multo plus. An-ne ego? præcurrit lingua idiomati adsueta communi: nam si rigorosè loquendum sit laboravi *Non-Ego*, careo enim *Egoitate*, & ideò non sum *Ego*, sed *Non-Ego*: omnia enim quæ videntur fuisse facta à me, præstitit Divina gratia mecum: omnium enim supernaturalium actuum Deus & causa principalis & concurrens *ut quod*: ego autem instrumentalis, & concurrens *ut quo*. Hinc est quod absit mihi omnis vanæ gloriæ suspicio: gloria enim nostra est Crucifixus, qui gratiam tribuit virtutes in nobis operantem. Jam tandem vivo ego: & cur vivo ego: quia ego jam tandem sum *Non-Ego*: quia dum ego etiam *Ego*, moriebar; & ab eo tempore, quo me exui, & Christum indui, sum *Non-Ego*: & vivo, quia vivit in me Christus.]

Anima sine gratiâ nihil est. *An charitas & gratia distinguantur?*

Sic placuit ad mentem D. Pauli discurrere.

PURA OMISSIO

Ab Authore in excellentissimis Universitatibus prout tempora tulerunt, sæpiùs defensa & oppugnata: nunc reposita, ut meliùs cognoscatur EGOITAS.

THESIS UNICA.

QUatuor modis potest considerari omissio: *primò*, si dicatur esse solitaria & sine ullo actu positivo, qui ejus sit effectus vel causa: *secundò*, si dicatur comitari actum aliquem realem & positivum, cujus ipsa sit causa: *tertiò*, si ad hunc actum positivum concomitantem ipsa comparetur ut effectus: *quartò*, si se habeant disparatè.

Omissio

Omissio primo modo *Pura* meritò dicitur: fortè fuit possibilis Adamo ante lapsum, modò nobis est impossibilis: quando enim omittimus actum ad quem nos gratia excitat, rapimur à concupiscentiâ, & actum concupiscentiæ elicimus realem & positivum, cujus illa omissio fuit causa. *Omissio pura.*

Hinc patet omissionem secundo modo esse possibilem, imò frequentem, malam tamen: non enim ideò actum bonum & supernaturalem elicimus, quia malum omittimus: sed ideò malum elicimus, quia omittimus bonum & supernaturalem. *Omissio causa actûs positivi.*

Ex actu bono elicito oritur omissio mali tertio modo: imò etiam aliquorum bonorum, qui non possunt cum elicito compati: si enim propter Deum maneo domi, non potero ire ad ecclesiam propter Deum. *Omissio qua actûs positivi effectus fit.*

Quartus modus est valde communis: sicut enim multi actus sunt, qui junguntur per accidens, sic eorumdem omissiones poterunt conjungi per accidens; sic horum positio & illorum omissio: quia nulla reperitur connexio. *Omissio disparata.*

Duplex quæstio proponitur. QUando quæritur, *An detur pura Omissio?* duo possunt quæri; alterum, *An detur omissio libera sine omni actu positivo voluntatis?* alterum, *An detur sine actu, necessario ut sit libera?*

Pura Omissio. Et ad primum respondeo ex quatuor acceptionibus superiùs positis, in solâ primâ Puram Omissionem reperiri: quoniam in tribus posterioribus semper adest aliquis actus positivus.

Omissio non-pura. Ad secundum verò, in solâ tertiâ acceptione Omissionem reperiri non puram: hæc enim Omissio, cùm sit effectus actûs liberi positivi, est libera in causâ, & ideò ut sit libera, illum actum realem & positivum necessariò requirit. Addo in cæteris acceptionibus esse puram: in primâ, quia nullum concomitantem actum habet: in secundâ, quia nullum sibi necessarium; si enim per impossibile actus ille positivus concupiscentiæ, qui est liberæ hujus Omissionis effectus, non sequeretur (puta, si Deus illum miraculosè impediret) adhuc illa Omissio (hoc est, ille non usus gratiæ) esset libera. Unde infero in ultima etiam acceptione Omissionem esse puram: quoniam ille actus positivus, qui illam comitatur per accidens, ad libertatem non requiritur.

Hinc patet, quale sit exercitium voluntatis liberæ in actibus supernaturalibus: quando enim Deus (qui in genere gratiæ est non solùm causa prima, sed causa unica *quod* principalis & totalis) utitur homine ut instrumento libero suæ Providentiæ; tunc homini est liberum, aut operari *ut quo* & instrumentaliter se gratiæ potentiæ permittendo: aut operari *ut quod* & principaliter, hærendo, non sequendo gratiæ impetum, & actum liberè omittendo. Dicimus igitur hominem omittere ut causam principalem, & *ut quod*; quia Deus, qui ad positionem actûs amoris supernaturalis v. g. ut causa principalis concurreret, & homine ut libero instrumento uteretur, ad omissionem actûs amoris nullo modo concurrit, & ideò manet homo in genere deficiendi non solùm causa principalis aut totalis, sed etiam prima: & hic operandi modus est, qui EGOÏTAS à nobis vocatur; & duplex ista ponitur: altera faciens & operans, quæ soli Deo competit: altera deficiens & omittens, quæ competit creaturæ Divino favore abutenti, hoc est, liberè non utenti. *Deus causa prima, principalis, totalis.* *Homo causa instrumentalis libera.* *An, & quando sit etiam principalis?* *Egoïtas.*

Doctrinæ propositæ ratio.

QUomodocumque exponatur pura omissio debet esse libera; talisque, ut de illâ exactè verificetur definitio recepta libertatis. MDXXXIX. *Qualis esse debeat Omissio?*
Anno 1638. (tunc hæc primò scribebam) & ann. 1644. (tunc primùm hæc edidi Duaci typis Joannis Serturier) posui hanc lineam, *Neminem vidi, qui fuerit ausus puram Omissionem concedere sine vitalitate & libertate: plurimos, qui utramque diversimodè exponerent.* An-ne hodie idem dicturus sum: Ratio dubitandi est, quia hoc anno 1653. Pragæ fuit in disputatione solemni propugnatum, *dari quidem Omissionem puram liberam, at illam non esse vitalem.* Et tamen hac disputatione non obstante ajo neminem negare vitalitatem Omissioni liberæ, quod enim probabiliter non dicitur, non dicitur: & quod illâ die dicebatur, probabile visum non est.

Agam igitur de Purâ Omissione, & Puræ nomine eam intelligam, quæ est formaliter libera: eam nimirùm, quæ aut nullum actum realem & positivum concomitantem habet, aut nullum saltem ita sibi necessariò connexum, ut illo per impossibile sublato aut non esset, aut non esset libera. *Quid dicatur* *Quid dicendum sit?*

ARTICULUS I.

Prima Sententia.

ANtequam veram, & quam modò defendimus, contrariam pono: & puram Omissionem impugno: & quia sunt plurimi modi eam edisserendi & defendendi, omnes aut plerosque dilucido. Ergo contra asserentes Puras Omissiones liberas MDXL.

Actus primus secundusque debet necessariò distingui.

Arguo sic. In exercitio libertatis aliquid necessariò debet addere actus secundus, in quo distinguatur à primo: Atqui pura omissio nihil addit supra voluntatem sumptam per modum actûs primi; ergo pura omissio non est exercitium libertatis.

Consequentia est legitima; major est certa: quia intellectus per modum actus secundi includit actum primum intelligendi & ipsum verbum mentis seu intellectionem, unde si nihil adderetur actui primo intelligendi, non daretur intellectus in actu secundo.

Minorem probo Voluntas ante puram omissionem carebat omni actu, atqui secundum Antagonistas cum purè omittit, caret omni; ergo pura omissio nihil addit supra voluntatem sumptam per modum actûs primi.

Præcluditur effugium primum.

Actus interpretativus.

NEgatâ Minori prioris syllogismi distinguunt nonnulli præmissas posterioris. Voluntatem in actu primo carere omni actu tam interpretativo quàm vero & reali concedunt: carere solum omni interpretativo, vel solum omni reali, negant: voluntatem purè omittentem carere omni actu, si agatur de reali & physico, concedunt: si agatur de interpretativo, negant: & ideò negant similiter illatam consequentiam; quia pura omissio, licet non addat supra voluntatem per modum actûs primi aliquid physicum & reale, addit aliquid interpretativum.

Ut hanc solutionem penitiùs intelligas, in voluntate purè omittente actum primum ab actu secundo sic distinguunt. Voluntas ante puram omissionem, cùm est in actu primo indifferens ad liberè omittendum vel non omittendum, intelligitur esse sine actu physico aut interpretativo, indifferens tamen ad utrumque, nimirùm, vel ad eliciendum actum interpretativum omittendo liberè omnem actum physicum, vel ad eliciendum actum physicum & realem, non omnem actum physicum omittendo.

An actus interpretativus à purâ omissione distinguatur?

Cùm attentione audivi, sed nihil reperio præter voces. Voluntas cùm purè omittit dicitur elicere actum liberum interpretativum: velim doceri, utrùm iste actus interpretativus sit aliud à purâ omissione; quoniam si nihil aliud est, colluditur verbis solummodò; nam si pura omissio nihil addit super actum primum, nihil addet etiam actus interpretativus: si verò esse aliud à purâ omissione asseratur, debet exponi, quid & qualis ipse sit, & debet hæc eadem expositio probari.

Hærent hic adversarij & dicunt, actum interpretativum illum esse, quem libertas eliceret si operaretur: & exponunt exemplo communissimo, quia sicut distinguitur licentia expressâ à tacitâ vel interpretativâ, sic & ipsi volunt distingui actum physicum seu realem à tacito seu interpretativo. Voluntas expressa Prælati illa est, quæ verbo aut scripto significatur; interpretativa, quæ prudenter præsumitur cum dicimus. *Si Prælatus consuleretur responderet hoc modo.*

Abusus scientiæ conditionatæ.

Sed hæc expositio est in peccato originali nata. Abortta fuit à libro Periarchon Origenis, qui multa in illo, seu semine gravidus similia monstra parturivit. Consulebatur iste theologus, Utrùm pueri, qui ante baptismum moriebantur, condemnarentur; respondebat assertivè.

An puniatur homo propter peccata, quæ committerent.

Instabatur, esse indignum judice Deo illos sine actualibus culpis condemnare; respondebat, Deum quidem neminem sine culpa damnare, illos verò licet carerent peccatis actualibus realiter & physicè commissis, non carere criminibus commissis interpretativè; nam Deus infinitâ suâ sapientiâ cognoscendo eosdem in gravissima peccata lapsuros esse, si supervixerent; in pœnam criminum, quæ commissuri erant, vitâ & cœlo privavit.

Origenizant igitur authores isti, cum stolidè affirmant puram omissionem non esse actum realiter elicitum, sed elicitum interpretativè, hoc est, qui eliceretur, si voluntas operaretur physicè. Ergo si propter puras omissiones homines damnantur, puniuntur sanè non solum propter peccata commissa, sed propter ea quæ committerentur.

Prætereà admittamus Deum non solum punire peccata, quæ committuntur, sed etiam quę committerentur; Addamus Enoch æternùm puniri propter peccata, quæ commissurus erat, si in hoc mundo mansisset; Supponamus errasse eum, qui dixit *Translatus est ne malitia mutaret intellectum illius, aut ne fictio deciperet animam illius*; quia licet hujusmodi exorbitantiæ admittantur, præmissa puræ omissionis expositio sustineri non poterit.

Ratio est clarissima; quia si actus interpretativus ille est, quem eliceret voluntas si operaretur, actus interpretativus neque volitio neq; nolitio determinatè est, quia voluntas si operaretur posset velle vel nolle. Cui igitur ponis cum purè omittis audire sacrum, debes dici nolle sacrum audire quàm velle audire; cum enim indifferens sis, si deberes operari, posses velle vel nolle.

Dices te habere fundamentum interpretādi nolitionem, non verò interpretandi volitionē; quia qui nolunt audire missam, illam non audiunt; unde qui illam non audiverit per puram omissionem, posset dici noluisse, hoc est, stante non auditione missę non inferri quod voluntas, si operata fuisset, voluisset: sed potiùs quod noluisset, quia si de facto voluisset, de facto audivisset missam. Sed hæc instantia, quò subtilior, fragilior est, quia inde sequeretur purè omittentem missam peccavisse mortaliter non propter actum, quem elicuit, sed propter illum quem elicuisset, si fuisset operatus; quæ omnia cum ab errore Origenis explicari non possint, potiùs puram omissionem impugnant; quæ aut debet non defendi, aut defendi intra limites Christianæ veritatis.

Præcluditur effugium secundum.

Operatio moralis.

BEnigniùs alij puram omissionem cum morali operatione confundunt. Voluntatem purè omittentem carere omni actu physico &

reali

reali concedunt, carere omni morali negant. Voluntatem in actu primo dicunt esse indifferentem ad eliciendum actum physicum vel ad eliciendum moralē, eandemque, cum physicè operatur, elicere volitionem physicam; cum purè omittit, elicere volitionem moralem.

Quid sit actus moralis?

Sed redit statim instantia illa, quam contra volitionem interpretativam formabamus: quoniam si nomine *volitionis moralis*, nihil aliud intelligunt, quam puram omissionem, facilius est ut cedant argumento quàm ut æquivocationibus difficultatem invertuntur; si quid aliud intelligant ideas proprias exponant. Sed intelligere dicunt actum moralem; sed ego se non intelligere: quid enim est actus moralis? si idem ac interpretativus, jam est superiùs impugnatus; si idem ac realis, destruit hypothesin, quæ nullū realem actum esse in purâ omissione supponebat; si idem dicatur ac regulabilis norma rationis, sic impugno. Moralitas sic exposita est accidens aut proprietas libertatis: ergo priùs debet intelligi, quod actus sit liber, quam quod sit moralis. Ergo in purâ omissione, si sit libera, priùs debet intelligi libertas in actu secundo, quàm moralitas: hæc enim in illa fundatur.

Prior est libertas quàm moralitas.

Ergo qui purè omittit non debet dici elicere actum moralem: sed elicere actum, cui accidit ipsa moralitas. Sed quem actum: quo plus explicant, majoribus difficultatibus irretiunt.

Præcluditur effugium tertium.

Operatio virtualis.

NOmine, *moralitatis*, nonnulli intelligunt virtualitatem, & virtuales transsubstantiationes admittunt. Deum esse dicunt mutabilem virtualiter; quia immutabilis cùm sit, ita se habet cùm liberè vult, ac si realiter mutari posset. Addunt Paternitatem & Deitatem esse distingui virtualiter; quia indistinctæ cum sint, ita se habent ac si realiter distinguerentur. Studentes consequentiæ doctrinæ subjungunt, voluntatem dum pure omittit, operari virtualiter: hoc est, non operari quidem, sed ita se habere, ac si realiter operaretur.

Et suadent exemplo: quia qui non vult audire missam ex. gr. illam non audit: qui purè omittit velle audire missam, tametsi nullum eliciat actum positivum, ita de facto se habet ac si nollet missam audire, quoniam de facto illam non audit.

Sed hoc non sufficit: quia neque illam audiebat, dum voluntas erat in actu primo, ac propterea puræ omissionis actus primus & secundus distingui non possunt.

Præcluditur effugium quartum.

Carentia & privatio.

CAutiùs alij cùm volūtas ex actu primo purè omittendi ad secundum reducitur, mutari negativè affirmant, nempè ex purâ carentia in privationem. Voluntas, inquiunt, cùm intelligitur indifferens ad omittendum vel non omittendum, afficitur carentia actûs: cùm intelligitur omittere actum, afficitur actûs privatione. Sed cur? annon etiam in actu primo habebat privationem? vel dicito, quid sit privatio? Privatio definitur carentia formæ in subjecto capaci atqui voluntas semper est capax actûs, imò nunquam magis capax quàm cum intelligitur esse in actu primo; ergo tunc habet privationem actûs. Male igitur distinguunt actum primum à secundo, ut carentiam à privatione; quia ut vidimus, carentia illa, quæ est in actu primo, etiam privatio est.

Præcluditur effugium quintum.

Privatio & negatio.

SUnt qui existiment voluntatē liberè omittentem transire ex privatione in negationē, & id curiosè exponūnt; quia voluntas in omissione non purâ transit ex privatione in negationem: ergo & in purâ.

Suadent assumptum; quia voluntas, prout intelligitur habere indifferentiam ad duos actus contrarios, nimirùm ad volendum & nolendū, intelligitur habere privationem volitionis, est enim subjectum capax volitionis quâ caret; cùm verò nolitionem eliciat, redditur incapax habendi volitionem (non enim potest utrāmque habere simul) ergo illa privatio transivit in negationem, & negatio erit quamdiu nolitio illa permaneat. Sic similiter accidere dicūt in purè contradictionis libertate: nam cùm voluntas intelligitur in actu primo indifferens ad omittendum & non omittendum, intelligitur habere privationem actûs; cùm autem asseritur actū omittere, tunc habet actûs negationem; non enim stare potest, ut voluntas dum actualiter actum omittit, illum possit habere.

An materia prima habeat negationem formæ?

Sed hæc expositio non placet; quia ex illā sequeretur, nullas esse privationes in rebus, quoniam sicut voluntas affecta purâ omissione actûs intelligitur affecta incapacitate ad recipiendum talem actum; sic similiter materia prima nunquam haberet privationem formæ; quia si concipitur affecta formâ contraria, concipitur affecta incapacitate positiva, ut dicebatur; si carentiā formæ, concipitur affecta incapacitate negativa; quoniam corpus quamdiu habet vel formam ignis, vel carentiā frigoris, intelligitur incapax ad recipiendum frigus, quod nec cum igne, nec cum sui privatione componi potest. Propterea voluntas in actu primo, dum consideratur affecta carentia actûs, deberet concipi affecta negatione; quia carentia actûs ipsi actui contradictoriè opponitur, & reddit subjectum ita incapax ad illum recipiendum; ut sit opus illam excludi, ut ille recipiatur. Ergo, cùm dicimus privationem esse carentiam formæ in subjecto capaci, intelligendi sumus non de subjecto quod possit simul componere carentiam & formam; hoc enim impossibile est; sed de subjecto, quod possit successivis temporibus & infici carentiā, & perfici formâ.

Præcluditur effugium sextum.

Hoc modo moraliter operantur fortasse.

CUm purè omittit, possent alij dicere: Transit voluntas ex abstractione ad privationem volitionis. Verbi gratia. Proponitur Petro sacri auditio; quoniam contradictionis libertate præditus est, intelligitur indifferens ad operandum & non operandum; hoc est, ad volendum audire missam, & ad non volendum: sive, quod idem est, ad habendum volitionem, & ad habendum privationem talis volitionis.

Ergo non intelligitur voluntas affecta privatione, quia jam non intelligeretur indifferens: ergo cùm intelligitur in actu primo, debet intelligi abstracta ab operatione & privatione operationis.

De Actu libero Dei.

Confirmatur: Divina voluntas intelligitur ut actus primus indifferens ad volendum & ad non volendum: atqui non intelligitur affecta privatione, (quia, cùm immutabilis ipsa sit, de privatione in actum transire non potest) ergo conceptus actûs primi non includit operationis carentiam.

Esse potentiam & esse in potentiâ.

Ut hanc doctrinam altiùs ebibas, revocanda est in memoriam distinctio illa philosophica, quâ exponitur discrimen, quod est inter esse potentiam, & esse in potentia. *Esse potentiam*, est esse virtutem respectu alicujus effectûs: *esse* autem *in potentiâ*, est habere privationem illius formalitatis respectu cujus est in potentia. Ille prior conceptus simpliciter simplicem perfectionem importat, & potest adscribi ipsi Deo: hic posterior dicit summam imperfectionem. Dicitur igitur hunc secundum conceptum non esse de essentia actûs primi, sed illi accidere in creatis ob essentiarum contingentiam; unde in æternis & instantaneis reperiri non posset, quia ab instantaneis rebus (imò & ab æternis; quia æternitas, cum careat successione, instantanea etiã est) exulat mutabilitas, non libertas. Igitur transitus ab actu primo in secundum intelligi potest, sine mutatione formæ in carentiam, aut carentiæ in formam. Stat igitur voluntatem consideratam per modum actûs primi, esse conceptum abstractum à volitione & volitionis carentiâ.

Verus conceptus actus primi.

Equidem hunc propugnandæ puræ omissionis modum contemnere non debeo, debet enim meo ingenio & industriæ adolevisse, & immisisse altas radices in aliquorum animis. In conceptu actûs-primi non intelligi carentiam actûs-secundi, tenentur consiteri illi omnes, qui Deo intellectum & voluntatem per modum actûs-primi adtribuunt, quia in divinis operationibus non datur transitus ex privatione ad actum: illos autem qui Deo actum primum intelligendi aut volendi abnegant, ne moreris; quia sublato conceptu actûs-primi nunquam poterunt exponere indifferentiam divinæ voluntatis.

Putarit aliqui voluntatem esse in actu primo cum dormimus, & cum sumus distracti, & tunc nos habere privationem volitionis dicunt, & inferunt hanc sententiam non posse propugnari, quia ex privatione volitionis in privationem ejusdem volitionis non datur transitus.

Quid voluntas in actu primo & in actu remoto?

Sed, si imperitæ sententiæ patrocinarer, responderem hominem dormientem non habere voluntatem per modum actûs-primi; sed per modum actûs remoti: causa in actu primo illa dicitur quæ est ultimo disposita ad operandum; illa, inquam, quæ habet omnia requisita. Arbos dum fructificat, potest incendi; & si incenderetur, calefaceret; non tamen cùm fructificat, dicitur esse in actu primo ad calefaciendum. Non aliter voluntas, dum dormimus, aut cùm intellectus distrahitur, non est in actu primo ad operandum, caret enim dispositionibus & prære[quisitis], quorum carentiam concomitatur vel negatio volitionis: hæc enim pro i[l]lo statu est impossibilis, vel saltem privatio remota, quia voluntas potest illuminari & mediâ hac illuminatione elicere suos actus. Cùm primùm intellectus objectum debitè proponit, voluntas intelligitur transivisse ex carentiâ vo[li]t[io]nis (illam, *negationem*, aut si malis *remotam privationem* sic nomino) ad abstractionem volitionis, sed hæc mutatio facta fuit ab extrinseco, hoc est, ab intellectu, atque ideò in se non est l[ibera]; sed extrinsecùs dicetur libera esse in causâ, si fuerit libera illa cognitio & propositio. In eodem instanti, in quo intellectus objectum proponit, voluntas habet indifferentiam ad amandum & non amandum; & per consequens intelligitur abstracta ab amore & amoris carentiâ. Si liberè amet, tra[n]si[t] ex actu primo in secundum, hoc est, ex [statu] præcisionis ad statum possessionis: si li[berè] omittat, hoc est, si liberè non amet, transivit ex statu præcisionis ad statum omissionis, seu privationis formæ. Quæ omnia, quia in divinis ob immutabilitatem Dei frequentiùs admittuntur, in humanis vix possunt impunè negari.

Huic objectioni satisfecit Arteaga a subjicit.

Dico igitur hos Authores bene ostendere discrimen actûs primi & secundi, quod in Divinis asseritur; in humanis verò totam eorum doctrinam claudicare. Sit voluntas in instantibus A B C: in instanti A. obligationem non cognoscat, in B. cognoscat, in C. iterùm non cognoscat: & semper omittat velle audire missam. Hæc omissio semper erit privatio (proxima vel remota) volitionis, sed nunquam erit libera. Non enim erit libera in A. neque in C. quia non est de re cognitâ; non erit libera in B. quia non est voluntati liberum quod sit cognita, & ibi sola mutatur cognitio. Et arguo sic.

Voluntas in instanti A. carebat volitione, sive habebat privationem volitionis, non tamen liberè, atqui in instanti B. eodem prorsus modo caret: ergo non caret liberè.

Negas minorem. Quia in instanti A. carebat non illuminata, & in B caret illuminata: ergo non eodem modo. Sed contra est; quia hæc differentia nec est intrinseca, nec ab intrinseco: sanè non est intrinseca, quia illuminatio nihil reale ponit in voluntate: & si aliquid poneret, non esset ab intrinseco: est enim ab intellectu, qui extrinsecus est voluntati. Si ab extrinseco sit, vitalis esse nequit; quia vita est motus ab intrinseco.

Præcluditur effugium quartum.

Negatio & privatio actus.

Malunt alij voluntatem purè omittentem, cum ex actu primo in secundum transire dicitur, transire ex negatione in privationem. Voluntatem in actu primo dici asserunt ante illuminationem intellectûs, in actu secundo dici eandem quâ illuminatam i voluntatis intellectualem propositionem objecti non

tenere

tenere se ex parte actûs primi, sed ex parte secundi: unde benè concludunt voluntatem in actu primo habere negationem actûs, quia quamdiu intelligitur non illuminata, tamdiu intelligetur non capax.

Sed hic dicendi modus multa complectitur, quorum singula displicent omninò. Displicet enim potentiâ in actu primo affecta negatione actûs. Si enim potentialis est, non repugnat illi ut actum eliciat; & si non repugnat, negationem non habet. Displicent alia, quæ quia communia sunt aliis modis, statim impugnabuntur.

Præcluditur effugium octavum.

Privatio proxima & remota. INstantiam illam, quam contra modum præcedentem efformavimus considerantes aliqui, sententiam remiserunt. Voluntatem, inquiunt, cùm ex actu primo omissionis in actum secundum transit, mutari ex privatione remota in proximam, & sic satisfaciunt instantiæ. Privationem *Proximam* vocant, quæ reperitur in subjecto proximè capaci, talis reperitur in intellectu cum actu caret; *Remotam* verò illam, quæ reperitur in subjecto, quod licet actualiter incapax sit, potest reddi capax. Remota hæc dicitur, quia est in subjecto habendi capacitatem ad formam contrariam. Creet Deus animam sine intellectu, hæc ipsa habebit carentiam intellectionis, quæ quidem non erit pura negatio, quia animæ non repugnat habere intellectionem; non erit privatio proxima, cùm anima intellectu carens non sit proximè capax intellectionis: erit tamen privatio remota, quia est carentia intellectionis in animâ, quæ est proximè capax intellectûs, & hoc mediante etiam intellectionis.

Hac doctrinâ præmissâ docent voluntatem in actu primo ante omnem propositionem intellectûs habere carentiam volitionis quæ non sit negatio sed privatio remota: pro illo enim statu licet voluntas non possit elicere aliquem actum, potest tamen illuminari, & mediâ illuminatione, reddi proximè potens.

Cognitio se tenet ex parte actûs primi. Hæc remissio illi instantiæ positæ contra septimum modum, satisfecit; laborat tamen eisdem inconvenientibus, ac propterea eisdem rationibus potest impugnari. Addam instantiam alteram, ut utrunque simul modum impugnem. Displicet enim quod intellectûs illuminatio non ponatur ex parte actûs primi. Ratio est, quia adhuc positâ illuminatione voluntas intelligitur indifferens ad volendum & nolendum (incognita enim nec volumus nec detestamur) ergo illuminatio se debet tenere ex parte actûs primi. Si semel hoc admittatur, discrimen inter actum primum & secundum assignari non poterit; quia voluntas per modum actûs primi asseretur habere volitionis privationem proximam, cùmque omissio per modum actûs secundi solùm dicat volitionis privationem proximam, nihil addit supra actum primum.

Displicet etiam, quia licet admittatur illuminationem se tenere ex parte actûs secundi, & condonetur purè omittentem transire ex privatione remotâ in proximam, demonstrabitur hunc transitum non esse liberum.

Actus liber debet esse vitalis. Arguo sic: Hic transitus non est mutatio alicujus formalitatis intrinsecæ; ergo non est motus vitalis, ergo nec liber.

Patet consequentia; quia vita est motus, qui intrinsecus & ab intrinseco. Quod ille motus non sit intrinsecus volūtati ostenditur; quia est transitus de non-intellectione ad intellectionem; & hic transitus in intellectu, & non in volontate est. Posito hoc motu, vel sequitur in voluntate aliqua mutatio, vel non; si non sequitur, nihil intrinsecum acquirit voluntas purè omittens, ex cujus vi actus secundus à primo distinguatur. Si sequitur, vel liberè vel necessario: si necessariò, pura omissio libera non est; non enim libertas compatitur cum necessitate. Si asseratur liberè sequi, hæc libertas vel est in causâ, vel in consequentiâ, vel est in consequenti. Si est in causâ, hoc est in cognitione intellectûs, jam non est pura-omissio; quia cognitio libera est cognitio à voluntatis actu positivo & libero imperata: omissio autem volitionis, quam concomitatur volitio, pura omissio non est. Si consequentia illa nempe, quâ ex illuminatione mentis infertur in voluntate purè omittente mutatio aliqua intrinseca, asseretur libera, duo sequerentur absurda: Primū, illuminationem se tenere ex parte actûs primi, quod isti Authores absurdum putant: quia ex parte actus primi debet esse, quidquid est ante exercitium libertatis: Secundum, intellectum formaliter esse liberum non voluntatem: illa enim consequentia, in qua dicitur consistere actualiter libertas, infertur ex intellectione. Si tota libertas sit in consequenti, nempè in illa formalitate (positiva aut negativa) quæ liberè accrescit voluntati positâ illuminatione, hanc illuminatione se tenere ex parte actus secundi defendi non potest.

Deinde deberet explicari quid esset illa formalitas, quæ liberè voluntati accrescit; quia si est positiva, est positivus actus voluntatis; si negativa, cùm nec carentia, nec privatio, nec negatio sit, ens linguæ potiùs est quàm realis formalitas aut realis conceptus.

Præcluditur effugium nonum.

An omissio pura omissio sit peccatum. REcentiores nonnulli nolunt admittere puram omissionem, quæ non sit peccatum, ac propterea dicunt. Voluntatem purè omittentem transire ex carentia in privationem. Ut hoc exponant, dicunt voluntatem non habentem volitionem audiendi missam, si dies sit feriata, habere carentiam volitionis; privationem verò, si sit dominica; quia voluntati ille actus non debetur die feriatâ, debetur tamen die Dominicâ.

Hoc debitum aliqui ad præcepta solùm extendunt; nonnulli illud concedunt respectu consiliorum, quæ cùm sint morum regulæ, inducere videntur latam aliquam obligationem, quam solent nominare, *ad melius esse*. Quidam etiam cognoscunt debitum incumbentiæ sive decentiæ, quale videtur habere, qui vel habet

consuerudinem faciendi aliquid, vel proposuit aliquid facere, vel interrogatur utrum velit; in his animomnibus casibus intelligi aliquale debitum affirmant sumentes nomen, *debitum*, in significatione liberiore.

Privatio physica & moralis.

Sed antequam eorumdem Authorum mentem corrigam, linguam corrigere necessarium est: meliùs dicerent hunc transitum puræ omissionis fieri à privatione physica in privationem moralem; quia illa quæ ab his authoribus dicitur carentia, vera privatio est: vel si dubitas, revoca privationis definitionem, & vide, num aliqua ejus particula illi carentiæ non conveniat: Privatio definitur esse, *carentia formæ in subjecto capaci*, & carentia volitionis audiendi missam, quæ asseritur esse in voluntate die sabbathi in subjecto capaci est. Intentum igitur horum Authorum est asserere, quod voluntas, cùm actualiter liberè omittit, transit ex carentia actûs indebiti ad actûs debiti carentiam: primam, vocarunt carentiam: secundam, privationem, sed abusivè ut vidimus. Nos clariores terminos restituentes carentiam actûs indebiti, possibilis tamen, vocamus *privationem physicam*: carentiam actûs debiti *privationem moralem* vel aliter (nam eadem variis modis possumus significare) illam vocamus *privationē*, & hanc *defectum*. Quibuscumque igitur terminis utamur, siquidem illorum mentem intelligimus, sententiam impugnemus. Sit casus: Proponatur Petro missæ auditio die sabbathi, permaneat in hac actuali cognitione usque ad diem lunæ nullum actum voluntatis eliciendo; toto die sabbathi habebit carentiam volitionis audiendi missam, actûs inquam possibilis, indebiti tamen: Die dominico incipiet habere carentiam volitionis debitæ, & ut isti Authores affirmant, incipiet liberè omittere volitionem audiendi missam.

Posito hoc casu fortissimè argumentor sic: Illa mutatio carentiæ actûs indebiti in carentiam actûs debiti, est mutatio solùm extrinseca (nempè temporis & legis) atqui actûs liber debet esse intrinsecus; ergo ille transitus ex carentiâ actus indebiti ad carentiam actus debiti non est liber.

Probatur minor. Quia actus liber vitalis est, & vita est motus intrinsecus & ab intrinseco.

Duratio voluntatis & animæ.

Hæc ratio malè torquet hujus sententiæ defensores. Nonnulli dicunt temporis mutationem esse voluntati intrinsecam, quod per se falsum est, cùm voluntas duret duratione animæ, & anima fortassis duratione corporis vel subsistentiæ, hoc est duratione subsistentiæ quæ duret duratione corporis; quod si anima separata & cadaver subsistant una & eadem subsistentia, qualiter contigit in Christo, possibile est. Prætereà esto mutatio temporanea sit voluntati intrinseca, non est voluntati libera, quia impediri non potest. Lex secundum se in legislatore est, & legis cognitio intrinseca est intellectui, extrinseca verò voluntati. Prætereà lex ipsa non mutatur: quia stante lege præcipiente ut audias missam die dominica, sine aliqua legis variatione erit verum, quod die sabbathi habueris carentiam actûs indebiti, die dominica debiti. Igitur tota hæc variatio accidit voluntati extrinsecè & ab extrinseco: ergo non est dicenda mutatio vitalis, ac per consequens nec mutatio libera.

Ut aliquid intrinsecum in ista mutatione asserent, dixerunt aliqui voluntatem in actu primo dicere relationem ad tempus, in quo lex præcipit auditionem missæ: voluntatem verò actualiter omittentem dicere relationem ad aliud tempus in quo lex præcipit audire missam. Sed si bene examines, hæc solutio propositam opinionem destruit: quia transitus ex actu primo in secundum jam formaliter non esset transitus ex carentia in privationem, aut ex privatione physicâ in moralem, sed ex relatione in relationem: sed ex dictis etiam

Præcluditur effugium decimum.

Quia transitus ex relatione in relationem nec est sufficiens nec probabilis.

An ad relationem detur motus.

Primò enim si Aristoteli credis, non datur per se motùs ad relationem, cùmque vita motus per se sit, non poterit dari motus vitalis ex relatione in relationem.

Secundò. Relationis essentia est, *esse ad aliud*, teste eodem Philosopho, ac propterea si hoc verum sit, illæ relationes nihil intrinsecum ponunt in voluntate.

An una relatio possit varios terminos respicere.

Tertiò. Si D. Thomæ creditur in relatione datur *esse in*, & *esse ad*, *esse* autem *in*, non multiplicatur, cùm termini multiplicantur puro numero; ergo sicut pater unâ & eadem relatione respicit successivè varios filios, sic voluntas unâ & eadem relatione potest successivè respicere diversa tempora (hæc enim à multis dicuntur distingui puro numero (ac per consequens illa mutatio non esset ex relatione in aliam relationem, sed ex uno, *esse ad*, in aliud, *esse ad*, ac proinde esset mutatio merè extrinseca.

Dices te non velle concedere, quod *esse ad*, mutetur invariato *esse in*. Sed esto, jam habemus quod *esse in*, varietur in aliud *esse in*, quando voluntas transit ex actu primo in actum secundum puræ omissionis, cùmque *esse in*, sit intrinsecum fundamento, habebimus etiam hanc mutationem esse intrinsecam: sed unde habebimus eam esse ab intrinseco? sanè illam non esse liberam constat, quia non est vitalis: non esse vitalem liquet, quia non est ab extrinseco; & non esse ab extrinseco ostenditur, quia resultat ex temporis pura successione, quæ absoluè est extrinseca.

Confirmatur robustiùs. Illius puræ omissionis non sum dominus; ergo non est omissio libera.

Antecedens probatur: Illa omissio est in potestate legislatoris, ergo non est in meâ potestate. Antecedens suadetur, quia legislator potest tollere præceptum ac per consequens obligationem; ergo quod illa carentia transeat ex carentia actûs non-debiti ad carentiam actûs debiti, non pendet à libertate subditi, sed à libertate superioris. Ille igitur transitus superiori liber & voluntarius est, non verò subdito.

Sed

Sed dices: Hanc instantiam etiam urgere contra peccatum commissionis, quod ut expendas, alteras eundem casum. Incipiat die sabbathi Petrus habere nolitionem audiendi missam, in quâ permaneat usque ad diem Lunæ; illa nolitio transibit ex non peccaminosa in peccaminosam, & tamen liberè transibit, tametsi non in voluntate subditi, sed in voluntate Superioris sit quod illa sit peccaminosa; quia si præceptum cessaretur, peccaminosa non esset.

Admitto omnia prout contra me objiciuntur: addo tamen inde fortissimè impugnari adversariorum opinionem. Quod nolitio sit potiùs quam volitio, liberum Petro est; sed quod ista nolitio ex non peccato transeat in peccatum, non est in ejus potestate; pendet enim à potestate solius legislatoris; ergo similiter, quod carentia transeat à non peccaminosa in peccaminosam, non erit liberum subdito, sed superiori; ergo solum posset esse liberum subdito habere vel non habere carentiam abstractam à differentiis peccati aut non peccati: atqui talis carentia reperitur etiam in voluntate considerata per modum actûs primi; illa igitur, quæ adversarii inculcant, cum libertate consistere non possunt.

ARTICULUS II.

Vera Sententia.

MDXLI.

NOn proponam hic novam doctrinam, cùm verum modum puræ Omissionis defendendæ: sed ad effugium sextum convertam oculos, & videbo, An præclusum id sit? &, si impedimentum aliquod ibi reperiam, ingenio rumpam, & vi huic opinioni viam aperiam. Ajo igitur præter sextum, quem frustra paulò antè impugnavi, eum Articulo I. causam Adversariorum promovebam, nullum modum placere, & juxta illum nunc veram opinionem adstruo.

Resolutio.

Dico igitur primò. *In eodem instanti reali voluntas est in actu primo & in actu secundo.* Patet: quia, si nondum sunt posita omnia ad operandum requisita, nondum voluntas est in actu primo; &, si sunt posita, jam est in actu secundo.

An actus primus & secundus coëxistant?

Hinc patet actum primum non dicere, nec posse dicere carentiam actûs secundi: nam actus primus dicit virtutem & potentiam operandi, non verò virtutem in potentiâ operandi. [Quid sit esse potentiam, & quid esse in potentia, jam expusui superiùs.]

Aliud est, esse potentiam, aliud esse in potentiâ.

Dico secundò. *Voluntas in actu primo est voluntas ab operatione & non operatione præcisa.* Patet: quia sub istâ consideratione est indifferens, ut ponat actum vel non actum. Et hæc est libertas quæ dicitur contradictionis.

Quid sit actus primus?

Hinc patet voluntatem duobus modis transire posse ad actum secundum: nimirùm, aut positivè, hoc est, ponendo actum; aut privativè, hoc est, ponendo non actum; vel clariùs, omittendo actum.

Libertas bimembris.

Dico tertiò. *Voluntas, cùm elicit aliquem actum supernaturalem, operatur positivè, sed instrumentaliter & ut quo: nimirùm acta à Deo, qui operatur ut quod, & ut causa totalis principalis.* Patet ex omnibus, quæ superiùs sunt posita.

Voluntas operans.

Dico quartò. *Voluntas, cùm omittit aliquem actum supernaturalem, operatur privativè:* (non enim efficit, sed deficit) *cæterùm in hoc genere operatur principaliter & ut quod: non enim tunc agitur à Deo; nec Deus est causa* quod *defectionis, ad quam nullo modo concurrit.* Patet etiam ex dictis.

Voluntas omittens.

Dico quintò. *Instrumentum non agit pro priâ virtute aut nomine, sed virtute & nomine causæ principalis: & hanc ob rem non potest verè dicere*, Ego operor: *sed debet dicere*, Per me causa principalis operatur. *hoc enim sola potest dicere*, Ego per instrumentum operor. *Et hoc est discrimen Causæ principalis & instrumentalis, quod specialiter proponimus, & propugnamus.* Omnia pendent à causæ principalis & instrumentalis conceptu.

Instrumenti & causæ principalis differentia.

Dico sextò. *Quando homo elicit actum amoris supernaturalis, si verè & rigorosè loqui velit, non potest dicere.* Ego elicio actum charitatis, *sed debet potiùs dicere*, Deus mecum, per me, & in me elicit actum charitatis, *Deus enim est, qui operatur in ipso.* Patet: quia ad ejusmodi actum supernaturalem, Deus concurrit ut quod, homo ut quo.

Homo instrumentaliter concurrens.

Corollarium. *Ergo in supernaturalibus operationibus homo non habet Egoitatem.*

Homo Egoitate carens.

Dico septimò. *Quando homo, auxilio divino præventus, omittit actum amoris supernaturalis, si verè & rigorosè loqui velit, non poterit dicere*, Deus mecum, per me, & in me omittit actum charitatis: *nec etiam poterit dicere*, Ego cum Deo, per Deum, aut in Deo omitto actum charitatis. *Sed debet dicere*, Ego, quia non volo agi à Deo, quia non volo esse instrumentum Dei, quia non volo Deo parato operari in me ut causa principali & *ut quod*, non volo cooperari ut causa instrumentalis & *ut quo*, ideò excluso Deo & sine ullo principali aut instrumentali suæ Divinæ Majestatis concursu, ut causa principalis & totalis, ut causa *quod*, omitto actum istum supernaturalem, *Sic potest & debet homo loqui, & non aliter.* Omnia cum antecedentibus connexa sunt: & ideò majori luce & explicatione, aut etiam probatione non egent.

Homo principaliter operans: hoc est, deficiens.

Corollarium. *Ergo in liberis actuum supernaturalium omissionibus Deus non habet culpam, non enim est causa principalis aut instrumentalis illarum. Ergo solus homo in omissionibus ejusmodi habet Egoitatem.*

Homo Egoitate præditus.

HÆc sufficiant, ut naturam & ingenium voluntatis purè omittentis cognoscamus. Superest, ut respondeamus objectioni, quæ Art. I. §. *Dico igitur.* proponebatur.

Quidam objectioni satisfacit.

Erat illa. Sit voluntas in instantibus A. B. C. in instanti A. obligationem non cognoscat, in B. cognoscat, in C. iterum non cognoscat, & semper omittat velle audire missam. Hæc omissio semper erit privatio (proxima vel remota) volitionis, sed nunquam erit libera. Non enim erit libera in A. neque in C. quia non est de re cognitâ: & non erit libera in B. quia non est voluntati liberum quod sit cognita, & ibi sola mutatur cognitio.

Nihil volitum, quin præcognitum.

Respondeo, hîc duo objecta confundi; nempe, missam, & obligationem: & hanc ob rem, pronuncio hanc omissionem in omnibus tribus instantibus esse liberam (pono enim in omnibus tribus cognosci missam, & in solo secundo obligationem) at in solo secundo peccaminosam, quia in illo solo omittitur missa cognita ut obligatoria: nihil enim volitum, quin præcognitum.

Casus alio modo proponitur.

Negas voluntatem peccaturam in instanti secundo, quia tantùm mutatur cognitio. Et ego ut satisfaciam, proponam casum alio modo; loco illius omissionis actum positivum, quo voluntas dicat, *Volo non audire missam*, ponendo. Iste actus in primo instanti non erit peccatum, & in secundo erit peccatum, & tamen est actus positivus, & nihil nisi mens mutatur.

Hunc ego casum addidi, ut videat Lector, hanc objectionem non militare specialiter contra omissionem puram, sed etiam exserere suas vires contra reales & positivos actus. Modò ad utrumque respondebo. *Dico ad primum*, hominem omittentem actum volendi audire missam, in secundo illo instanti peccare; non quia cognoscit obligationem, quam in instanti A. non cognoscebat (cognoscere enim obligationes suas non est peccatum) sed quia cognoscens obligationem operandi, liberè omittit actum obligatorium, quem poneret si operaretur. *Dico ad secundum*, illum actum positivum volendi non audire missam, in instanti A. non fuisse peccatum, & in instanti B. esse malum & peccaminosum, & malitiam suam non sumere à superveniente cognitione, quæ non est mala; sed ab objecto (videlicet, non-missa) quod est interdictum, quando oppositum (hoc est, missa) est præceptum. Peccat igitur ille dicens, *Volo non audire missam*; & peccat, quia positâ obligationis cognitione tenetur sub mortifero elicere hunc actum, *Volo audire missam.*

THESES THEOLOGICÆ,

De Omniscientia & Omnipotentia.

Ethica hæc fit.

PRimum moralis Theologiæ Fundamentum Liberum est Arbitrium, non scientia, non Potentia divina: tolle enim illud, relinque has, & mores universos sustuleris: tolle has (quod Athei, Ethnici, & Blasphemi) & liberum arbitrium relinque, & adhuc mores (civiles saltem & humanos) reliqueris. Ergo postquam de libero disseruimus Arbitrio, de Omniscientia & Omnipotentia disputemus; Et has Conclusiones olim propugnatas ponamus.

Mores alij sunt Theologici, & alij Politici.

THESIS I.

De scientia Dei in communi.

MDXLII. *Objectum sapientiæ divinæ.*

OBjectum divinæ cognitionis complectitur cognoscibilia omnia, quidquid enim cognoscibile est, à Deo cognoscitur, & si quid à Deo non cognoscitur, id non est cognoscibile. Quam ob rem non est Deus ignorans, quod non cognoscat, quæ cognoscibilia non sunt: sicut nec est impotens, quod non producat, quæ producibilia non sunt. Quatuor in Deo scientiæ solent poni: Chimæricorum; Possibilium, Futurorum conditionatorum, & Futurorum absolutorum. Primam & Deo, & Angelo, & Homini absolutè negamus, quoniam quæ non sunt, non sciuntur: ternas alias (nimirùm scientiam simplicis Intelligentiæ: Scientiam conditionatam, & scientiam Visionis: (sic eas vocamus) dicimus versari circa idem indivisibile objectum, & omnes Deo primariò & per essentiam: secundariò autem & per participationem convenire Angelis & Hominibus.

Enumerantur quatuor diversa objecta.

Chimæra aut entia rationis nō dantur: & ideò à nemine cognosci possunt.

Scientia divina qualis?

OMnis cognitio divina cognoscit suum objectum ut est in se; & quæ aliter illud quam est in se, non est divina. Ad Scholas venimus, ut doceamur cognoscere Deum ut est in se, non

ut

Cur Theologus inceptus? Noster modus concipiendi an corrigendus? in eumdem cognoscere aliter, quàm est in se, hoc enim sine magistro faciebamus. Unde audiendi non sunt, qui dicunt, *Deus quidem nostro modo concipiendi aut fingendi est talis aut talis; &c. Sed corrigendus est noster intellectus: &c.* Non inquam audiendi sunt, quia non benè docetur ludere citharâ, qui docetur errare, & errorem cognoscere; sed qui docetur non errare: & *Nota bene hoc.* idem de Theologia dico, quia est scientia, quæ aperit studiosis errorem non patentes vias, ut *Quid sit Theologia?* simus etiam in hac via quodammodo Deo similes, quia intellectualibus & abstractivis oculis videmus Deum sicuti est: nimirum Deum, qui omnia & singula videt sicuti sunt. Nec contra hanc cognitionem Theologicam, quàm participari à Deo dicimus, militat Dei infinitas, non enim est bona consequentia, *Quo modo cognoscatur infinitum? Quo modo Deus?* *Deus est infinitus, debet ergo à creatura finita cognosci aliter, quàm est in se*: multa enim sunt in Deo, quæ à nobis cognoscuntur confuse, multa quæ per negationes nobis notas, multa quæ in externis effectibus, multa quæ ignorantur omninò; at nihil quod postulet cognosci aliter, quàm in se est: erraret enim, qui aut intelle- *Nota bene hoc.* ctum divinum per modum voluntatis, aut voluntatem per modum intellectûs cognosceret.

Homo habet etiam tres scientias. Participamus à Deo scientiam, sed quàm? Tres omnes: nam & multa possibilia cognoscimus, multas hypotheses conditionatas, multa etiam absolutè futura: omnia humaniùs & incertè, quia homines sumus docti ab hominibus, & omnis homo mendax, nimirùm decipere potens & decipi: nam & ego scientia simplicis intelligentiæ humanæ cognosco hos esse characteres possibiles: scientiâ conditionatâ percipio, quod si calamum tali vel tali modo moveam, talem aut talem characterem formabo: & scientiâ visionis cognosco meum decretum & infero futuros esse illos eosdem characteres, quos scribere intendo.

Quæ tamen ex his scientiis latiùs patet? Existimarunt aliqui primam latissimam & ultimam strictissimam esse; plures enim sunt creaturæ *De harum scientiarum amplitudine.* possibiles, & multò pauciores futuræ. Sed hi videntur supernatare tantùm, nec profundiùs ingredi in purissimum Theologiæ scholasticæ Oceanum. Rem igitur breviter expedio. Pono majoris claritatis gratia creaturas possibiles esse *a, e, i, o, u*, pono existentiam esse accentum acutum, non existentiam accentum gravem (quò exempla clariora, meliùs instruunt) ergo aperiat simplicis intelligentiæ oculos Deus & cognoscet quinque mundos possibiles; nimirùm, *a, e, i, o, u*, suo divino decreto eligit mundum *é*, & illum creat, ergo scientia visionis reflexâ super decretum videbit, *à, é, ì, ò, ù*, nimirum mundum *é* futurum: cæteros *à, ì, ò, ù*; non futuros: quia sicut hic mundus habet à decreto divino, quod futurus aut existens sit, ita cæteri habent ab eodem decreto quod non futuri sint. Ergo easdem creaturas, nullâ demptâ, attingit scientia simplicis intelligentiæ & scientia visionis; & tota differentia in eo est, quòd illa omnes cognoscat ut possibiles; hæc, aliquas ut existentiam habentes in aliqua differentia temporum, & cæteras ut carentes existentiâ in omni differentia temporum. Scientia conditionata interest, & singulas creaturas cum omnibus aliis componit, & ideas miro modo multiplicat.

THESIS II.

An & quomodo Deus intelligat Entia rationis? An & faciat?

MDXLIII. *Haec oritur primò, Quæstionem illam, quæ interrogat, An Deus cognoscit Entia rationis? non esse Theologicam, sed Metaphysicam. Omnes enim Catholici supponimus à Deo cognosci ut est in se, quidquid cognoscibile est: Entia rationis, si possint cognosci, ut sunt in se, etiam cognosci à Deo: & si illa cognoscere, sit illa facere, etiam fieri illa à Deo. Quod si essentia eius modi Entium in hoc sit sita, ut cognoscantur aliter quàm sint in se: non posse à Deo cognosci. Si verò possint duobus modis cognosci, nimirùm ut sunt in se, & aliter quàm sunt in se: & tantummodò dicantur fieri, quando secundo modo cognoscuntur, dicendum erit illa à Deo quidem cognosci sed non fieri. Hæc Theologica sunt; & illa omnes Philosophi Christiani admittunt. In quo ergo differunt? Tantùm in Metaphysica, & in purificatione conditionum. Aliqui enim nobiscum negant Entia rationis, & introducunt Entia vocis, qualia nos dedimus. Alij docent illa non posse cognosci ut sunt in se: & isti differunt quoad rem: Alij in eisdem Entibus fieri & cognosci distinguunt, & isti differunt quoad nomen. Et interim ubi Theologicè differre videntur, conveniunt maximè: nam conclusionem è maiori Theologica, & minori Philosophica eliciunt: nempe variam, tamen etsi enim maior semper sit eadem, variatâ minori non potest non variari Conclusio.*

Quid apud omnes sit hac controversia certum. *Non dantur Entia rationis, sed quæ talia vocantur, sunt Entia vocis.* *Sensus controversiæ.*

Veritatis potentia. Multa est veritatis vis. Omnia ingenia conspirant, cum illa adlucet. Longo tempore postquam thesin istam scripseram, incidi in Controversiam de Ente rationis, quâ Oviedus cursum Philosophicum claudit: & quia mihi placuerunt, quæ dicit punct. 7. num. 1. pág. 442. inquiens; An cognoscat & faciat Ens rationis? Volo illa adjungere: sic enim ait. {Diversitas *Oviedus Carmhan mentis* opinandi in hac quæstione, meâ quidem sententiâ, tota oritur ex diversitate constituendi entia

Sint diverse scriptorum sententia? entia rationis, seu assignat di cognitiones, per quas cognoscuntur, & fiant entia rationis. In multorum opinione circa essentiam entis rationis, & naturam cognitionis, per quam debet fieri ens rationis, est fide certum Deum non posse facere entia rationis, quod nullus ex doctoribus Catholicis, qui affirmat Deum facere entia rationis, negat; loquuntur enim omnes in alio sensu longè distincto, dum asserunt Deum facere entia rationis, neque duos Doctores invenies requirentes cognitiones humanas ejusdem rationis ad Entia rationis facienda, quorum unus affirmet, & neget alter Deum facere Entia rationis; tota enim diversitas opinandi in hac materia oritur ex diversitate assignandi cognitiones factivas Entium rationis; qua ablatâ nulla divisioni hujus difficultatis superesset difficultas; & si omnibus eadem mens esset de cognitione factiva Entis rationis, vix ullus dabetur in hac re disputandi Locus. Rem clarè ostendo. *An Entia rationis in falso judicio consistant?* Affirmat Pater Hetice *disputat. 8. de scientia cap. 1. in fine*, cognitionem factivam Entis rationis debere esse judicium falsum de existentia objecti, quod non sit, vel saltem apprehensionem, quæ inclinet ad hoc judicium; certum de hoc esse apud hunc Authorem, Deum non facere Entia rationis, si enim asseteret cognitionem factivam Entis rationis importare judicium falsum de objecto non existente, & simul assereret Deum facere Entia rationis, aperte diceret Deum habere judicium falsum de objecto non existente, quod est hæreticum. *An illa non possit fieri à Deo de fide sit?* Hac ratione optime dixit Hurtadus, qui judicium falsum requirit ad Entia rationis facienda, fide sanctum esse, Deum non facere Entia rationis, quod verissimum est. *An potius illa à Deo fieri de fide sit?* Authores isti, qui Catholicè defendunt Deum non facere Entia rationis, & ad sanctum Inquisitionis tribunal essent deferendi, si oppositum dicerent, fatentur Deum cognoscere eadem Entia rationis per verum judicium, ex vi cujus cognoscit illorum existentiam repugnare, & cognitionem humanam terminari ad *Conciliantur Authores.* ea Ieni Entia rationis. En quomodo in re conveniant Doctores, qui affirmant, & qui negant Deum facere Entia rationis; in quibus tantum est dissensio in assignanda cognitione, quæ vocanda sit factiva Entis rationis: omnes enim eisdem eo [illegible] cognitiones ci [illegible] idem objectum *Quæstio de nomine?* [illegible] dum non [illegible] modo te dentes e [illegible] Quia illi, qui affirmant, Deum [illegible] re Entia rationis, dicunt cogni [illegible] nem quam [illegible] minatam ad objectum repugnans, etiamsi sit judicium de non existentia talis objecti, vel quo tantum affirmetur, cognitionem aliam ad illud terminari, esse factivam Entis rationis; quam cognitionem Deo tribuunt Doctores negantes Deum facere Entia rationis, quin ex [illegible] principiis inconsequentiæ aliquid notetur; hi vero, qui asserunt quamcunque cognitionem terminatam ad objectum repugnans modo e [illegible] esse factivam Entis rationis, non possunt non consequenter dicere Deum cognoscentem Ens rationis ut factum ab homine, vel per actum, quo judicat esse objectum repugnans, facere Ens rationis, quod omnes concederent, si admitterent quamcumque cognitionem quomodocunque terminatam ad objectum repugnans, etiam dissentiendo ab illo, esse factivam Entis rationis. His prænotatis facile à nobis tota decidetur difficultas pro hoc capite præfixa, quæ placuit etiam prænotare, ne quis religionis specie carpere præsumat doctores asserentes Deum facere Entia rationis, qui nihil Deo tribuunt, quod non concedant, qui asserunt Deum hujusmodi Entia non facere, ut supra notavi; neque hujusmodi religionis specie suam sententiam commendandam, aut præferendam esse præsumat sententiæ illorum, qui asserunt Deum facere Entia rationis per actum, quo ab illorum existentia dissentitur, & dicat illa ab intellectu humano ut verè existentia cognosci, etsi enim Catholica sit laudanda sententia negantium Deum facere Entia rationis, ne cogantur asserere Deum habere *Utraque sententia laudabilis, & plausibilis.* judicium falsum, quo decipiatur & judicet existere objectum, quod in se repugnat; hac laude carere non debent, qui asserunt Deum facere Entia rationis, tantum per actum, quo judicat ea ipsa repugnare, & esse objectum intellectionis creatæ, & nullo modo per judicium assertivæ de illorum existentia, aut per apprehensionem, quæ inclinet ad hoc judicium, quia longè abest à Deo omnis cognitio, quæ aliquam falsitatis umbram redoleat.

THESIS III.

Quomodo scientia simplicis Intelligentiæ versetur circa res possibiles?

MDXLIV. *Hinc etiam oritur controversia illa, quæ inquirit: An Deus cognoscat infinitas creaturas possibiles? non esse Theologicam: habemus enim ex Theologia Deum universas cognoscere, nullamque esse, quæ ejus oculos lateat: quamobrem, cum Deus illas cognoscat prout sunt in se, consulendus erit Philosophus, ut an dubitet, ut definiat: An sint finitæ aut infinitæ? numerabiles aut innumerabiles? & si infinitæ: An categorematicè, an syncategorematicè? & si finitæ, An in aliquo numero determinato, an potius in aliqua terminabili? Nam si in continuo datur ultima pars, quod voluit Zeno, non est dicendus Deus infinita cognoscere: & si illud in infinitum divisibile sit, quod voluit Aristoteles, debebis dici, in continuo non cognosci à Deo ultimam partem, quoniam non datur*

An creaturæ possibiles sint infinitæ? *An numerum infinitum deus sciat?*

datur ultima. Creatura ergo possibiles cognoscuntur à Deo ut sunt in se, & quia in se non sunt in aliquo numero determinato, non cognoscentur à Deo tanquam numerus determinatus. Et quia in se non sunt infinita categorematicè, non erunt infinita categorematicè in cognitione divina, alias enim cognoscerentur aliter quàm sunt in se. Ergo, siquidem infinita syncategorematicè ipsa sunt, & ut clariùs loquar, indefinita, & indeterminata, infinitissima definitissima & determinatissima cognitione illas esse indefinitas & indeterminatas cognoscet Deus.

Nota hoc nomen indefinitum quod aptissimum est.

An creatum infinitum repugnet?

DE infinito nolo hîc multa scribere, puto enim illud tam clarè repugnare, ut non possit seriò propugnari in scholis: nam, ut video, qui istud dicunt esse possibile, novas sibi definitiones formant; & quia novas, cùm maximè admittere infinitum videntur, illud negant; illud enim, quod nos definimus, & esse impossibile dicimus, non admittunt. At hæc difficultas, quæ numerum creaturarum possibilium concernit, specialis est apud docentes non posse à Deo creari infinitas; multi enim existimant easdem prout sunt objectum omnipotentiæ esse infinitas syncategorematicè, & prout sunt objectum scientiæ divinæ esse infinitas categorematicè; & hac ratione seducuntur; quod tametsi non possint omnes simul creari, omnes tamen cognoscuntur simul; quam ob rem easdem creaturas respectu Omnipotentiæ dicunt esse infinitas potentia, hoc est, syncategorematicè, & respectu cognitionis divinæ esse infinitas actu, hoc est categorematicè. Sed ut video carent verò conceptu infiniti syncategorematici, illud enim est idem ac indefinitum; nam multitudo, vel est finita, vel infinita, & hujus ultimi generis dicimus esse multitudinem partium, quæ sunt in continuò Aristotelis, & creaturarum possibilium, quæ sunt in Omnipotentiæ flavissis.

An creatura possibiles sint infinitæ?

Quid sit infinitum syncategorematicè? Multitudo quotuplex.

THESIS IV.

Quomodo scientia visionis versetur circa res præsentes?

MDXLV. INtuitiva est & infinita omnia comprehendit, vel supercomprehendit potiùs, ut cum Patribus Ecclesiæ loquamur. Cognoscit res existentes prout sunt in se: certas, certissimè cognoscit esse certas: dubias certissimè cognoscit esse dubias, & probabiles certissimè cognoscit esse probabiles: erraret enim Deus, si vel certa cognosceret ut dubia, vel dubia ut certa. Hinc est duas posse moveri quæstiones de Visione divinâ, priorem: An sit incerta? posteriorem, An certissima sit, & tamen circa incerta versetur? prior est Theologica, Philosophica altera, qui enim diceret scientiam Dei esse incertam, atrocem blasphemiam committeret: at qui certissimam esse concederet, & tamen adderet objectum illam incertum aliquando respicere, non Deum, sed creaturas, de incertitudine & imperfectione accusaret: ergo hæc secunda quæstio non Theologos propriè, sed Philosophos tantum concernit.

Quo Deus modo cognoscat certa, probabilia, & dubia?

Scientia Dei est certissima: An dentur creatura incerta.

SEd quia posses inquirere, An existant de facto in rebus Entia incerta? proponam aliqua physica, aliqua Logica, aliqua Mathematica.

Multitudo partium continui incerta.

PRIMÒ enim IN PHYSICIS succurrit Quantitas Peripatetica in infinitum divisibilis, habens de facto omnes suas partes: sed quot? non finitas, non infinitas categorematicè, sed infinitas syncategorematicè, hoc indefinitas & indeterminatas: ergo certissimâ & definitissimâ cognitione Deus intelligit indeterminatissimas continui partes, quas si esse determinatas cognosceret, aliter cognosceret, quàm sunt in se.

Opinio probabilis incerta. Opinio dubia quotuplex?

SECUNDÒ IN LOGICIS, succurrit Opinio probabilis, item Opinio dubia positivè aut etiam negativè. [Eam dico *negativè dubiam*, pro quâ nullam rationem habeo ne quidem levem; *dubiam positivè*, pro quâ habeo aliquam rationem congruam, quam motivum rationabile vocant, quod tametsi leve sit, affectu vel urbanitate cooperante, possit impetrare consensum. Voco *probabilem*, quam gravi & forti ratione fulcio, homini docto dignam, quæ tametsi demonstrativa non sit, non potest demonstrativè elidi. Quibus addo *sententiam evidentem*, demonstratione physicâ aut morali fulcitam.] Pono igitur, quatuor viros rogari; Utrùm materia existat existentiâ formæ? Pono Petrum nullam rationem habere pro nec contrà: Paulum habere aliquas leves seu congruas. Joannem fortes condignas viro gravi, non tamen evidentes & certas: & Philippum demonstratas & indubitatas: & Deum interrogo, qualis sit humanitùs Thomistarum sententia? Respondebit, illam respectu Petri esse dubiam negativè, respectu Pauli dubiam positivè, respectu Joannis esse probabilem, respectu Philippi demonstratam. Ecce Deus certissimâ cognitione divinâ, cognoscit incertitudinem cognitionis humanæ: illa enim quæ dubia aut probabilis, incerta est: & quæ demonstrata humanitùs, fortè evidentiâ negativâ subsistit: illam enim rationem demonstrativam dixero, contra cujus efficaciam & securitatem nihil occurrit.

Et probabilis qua? Evidens qua?

Humanarum demonstrationum securitas.

TERTIÒ

Continuum. *Linea.* *Nota id bene.* *Superficies.*

Tertiò in Mathematicis succurrunt aliqua multò subtiliora, quàm in physicis; nam si ponamus continuum componi ex indivisibilibus, quod tenuit Zeno, & multi viri docti cum ipso, adhuc lineam potero considerare quà longam, præscindendo à crassitudine, etiam indivisibili; & tunc lineam quam physicè nequeo ducere, mathematicè potero, & asserere, superficiem Mathematicam non componi ex lineis Mathematicis, etiam si physica componatur ex physicis; nam si Zeno negat Aristoteli hanc propositionem, *Indivisibile additum indivisibili nihil addit*, putat enim duo indivisibilia, esse plus quàm unum indivisibile, non poterit negare Euclidi, hanc; *Nihil additum nihilo nihil addit*, non enim plus sunt duo nihila, quàm unum nihilum; & Euclidis omniumque Mathematicorum linea subtilior indivisibili est quoad latitudinem, hâc enim consideratione nihil habet. Idem dixero de superficie, quoad profunditatem, mathematicè enim considerata non habet altitudinem indivisibilem, sed nullam prorsus. His positis duco unum circulum & juxta trigonometriæ communes leges dimitto unam tangentem, & à centro in illam produco nonnullas secantes; Incipio à gradu primo, & interrogo; An Deus cognoscat ultimam, quæ possit duci, & sit gradui nonagesimo proxima? & si Deus ultimam non cognoscat, cùm non sit defectus ex parte scientiæ, erit ex parte objecti, quod non habeat lineam ultimam, quæ possit cognosci. Idem dicam de triangulis, æquibasibus inter duas parallelas descriptis; idem de lineis, quæ in infinitum accedunt, & nunquam coincidunt, qualea in Mathesi meâ audace & in aliis Libris reperiuntur innumeræ. Stat ergo in rebus Logicis, Physicis & Mathematicis, quæ in mundo repeririuntur de facto, esse aliquas dubias, incertas, & indeterminatas, quæ imperfectè cognoscerentur, si aliter quam sunt in se; adeòque non posse aliter à Deo, quàm ut dubias, incertas & indeterminatas cognosci.

Linea tangens, secans. *Deus ultimam secantem non cognoscat.* *Res dubia incerta & indeterminata.*

THESIS V.

Quomodo Deus cognoscat futura contingentia absoluta.

MDXLVI. *Consto eidem doctrinæ, & ex iisdem fundamentis deduco quæstionem illam, quæ interrogat, An Deus cognoscat futura contingentia? non esse Theologicam, sed Metaphysicam: nam si ista cognoscibilia sunt, cognoscuntur à Deo, aliàs non. Nec quæri debet, An Deus cæcutiat & aliqua visibilia non videat? Sed supposito, quòd omnia cognoscibilia videat, inquirendum solummodò est, An futuri contingentis veritas sit cognoscibilis? Quod est quærere, An illa habeant determinatam veritatem aut falsitatem? Eorum cognitionem negavit Aristoteles Deo: & eamdem concedimus nos: nec tamen differimus in Theologia, sed in Philosophia solummodò: si enim Aristoteles in Philosophicis tenuisset contingentia futura habere determinatam veritatem aut falsitatem, in Theologicis consequenter docuisset illa cognosci à Deo: at quia philosophicè erraverat, debuit theologicè consequenter errare. Unde non sine admiratione legi cujusdam Theses, qui futuris contingentibus absolutis, non solùm negabat determinatam veritatem aut falsitatem, sed etiam contendebat hanc esse doctrinam D. Thomæ, & tamen ex alio capite concedebat, Deum determinatè cognoscere, utrùm positiones de futuro sint veræ? quem quia alibi evidenter impugno, non volo in præsenti producere, nec ampliùs in re clara immorari.*

Theologizamus cũ Aristotele, ubi diversimodè philosophamur. *Aristotelis error.* *Inconsequentia Philosophi Salisburgensis.*

An scientia visionis ab omni potentia dependeat. *Æternitas male cognoscitur.* *Quid illa sit?* *Differunt perpetuum & æternũ.*

Cognoscit Deus scientiâ visionis intuitivâ omnia futura; eademque cognosceret etsi per impossibile esset impotens, nec illa creaaret aut creare valeret: eadem etiam, etsi illa essent producta ab alio Deo, quem possumus fingere, ut meliùs scientiam visionis cognoscamus. Video conceptum æternitatis pessimè formari, etiam à Viris doctis; & ex hoc æternitatis monstro, quod Deo adfingunt, plurimas prodire consequentias intolerabiles. Ait Boëtius, *Æternitas est interminabilis vitæ tota simul ac perfecta possessio.* clariùs & breviùs. *Æternitas est interminabilis vita tota simul.* Sanè si daretur homo productus ab æterno & in æternum duraturus, haberet vitam utrinque interminabilem, nec tamen ipse æternus esset, quia non haberet totam simul. Ergo si Deus habet totam durationem suam simul, omnibus temporibus (præteritis, præsentibus, & futuris) est simul præsens: ergo omnia videt, quæ in illis temporibus fiunt: omniaque etiam videret etsi non concurreret ipse: nam ego præter ea quæ facio, etiam video præsentia quæ non facio; non enim ideò video quia facio, sed quia habeo oculos quibus illa præsentia sunt: & de Deo eodem modo debebimus philosophari. Deo igitur nihil est præteritum, nihil est futurum, sed omnia sunt præsentia, tametsi sibi succedant, non enim valet illud axioma adulterinum, *Quæ sunt eadem uni tertio sunt eadem inter se.* Unde posses deducere, *Quæ sunt præsentia & coexistentia uni tertio, sunt præsentia & coexistentia inter se.*

Deo omnia tempora sunt præsentia. *Axioma communiter rejicitur.*

THE-

THESIS VI.

De scientia media & futuris conditionatis.

MCCCCCCLVI. *Futurum conditionatum quale, & quotuplex?*

FVtura conditionata dicuntur, quæ conditioni innixa: qualia sunt I. Si Petrus esset Leo, esset animal rugibile. II. Si esset canis, persequeretur leporem. III. Si esset Romæ, loqueretur Philippo. *Ex quibus exemplis colligitur aliàs conditionem esse impossibilem, aliàs possibilem, & consequens aliàs esse necessarium, aliàs esse contingens.* CIRCA PRIMAM PROPOSITIONEM, *nemo dubitat, est enim essentialis &*

Rugibile quid? — *Conditionata essentialia.*

vera, & non Deo solùm, sed etiam nobis per se nota: nomine enim Rugibilis, *intelligimus differentiam illam prædicabilem, quâ contrahitur animal ad esse Leonis.* CIRCA SECUNDAM, *amens sim, si dubitare velim. Definio sine formidine non cognosci à Deo, utrùm falsa vel vera sit, caret enim determinatâ veritate, vel falsitate: & quia Deus illam debet cognoscere prout est in se, cognoscet antecedens esse impossibile, nullamque connexionem habere cum veritate aut falsitate consequentis.*

Conditionata impossibilia.

Objectio. — *Contradictoriæ quæ?*

Et, si obiicias, dari hic duas contradictorias simul veras aut simul falsas, utrumque negaturus sum: primò, quia dicere potero, has duas propositiones, [Si Petrus esset canis modò persequeretur leporem, si Petrus esset canis modò non persequeretur leporem,] *non esse contradictorias, contradictionis vocabulum strictius accipiendo. Secundò, quia, tametsi contradictoria dicantur, non erunt simul vera, nec simul falsa, sed potiùs nec vera nec falsa: nam inter determinatè falsum & determinatè verum datur neutrum, quod est nec determinatè verum, nec determinatè falsum: sicut inter finitum & infinitum datur neutrum, quod est indefinitum, seu indeterminatum, & vulgò dicitur, infinitum syncategorematicum.* CIRCA TERTIAM *sunt gravissima Theologorum certamina, quæ in una philosophica positione fundantur, quæ si diceretur esse falsa, universa cessarent.*

Conditio contingens & libera.

Porrò, si tertia propositio determinatam habet veritatem vel falsitatem, Deus determinatè scit, an sit vera vel falsa, quòd si eadem propositio secundum se indeterminata sit, simulque veritate & falsitate careat, falleretur Deus, si illam cognosceret ut determinatè veram, aut ut determinatè falsam.

Nota idbene.

Ergo Thomistarum & Molinistarum pace, antequam concertemus Theologicè Philosophos audire debemus. Dico igitur primò, si hæc propositio, [Si Petrus esset Romæ, loqueretur Philippo,] *ex se determinatam habet veritatem vel falsitatem, cognoscetur à Deo ante omne decretum liberum, & illa notitia Divina meritò dicetur scientia media, quod scientia simplicis intelligentia, & scientia visionis intersit, stabitque doctrina Molinæ, quam hodie Patres Iesuitæ, & alii Doctores defendunt: & per consequens superflua erunt & inutilia conditionata decreta omnia, quæ à Thomistis ponuntur.*

Scientia media quæ? unde dicta?

Decreta conditionata Thomistarum. — *An dentur physicæ prædeterminationes?*

Dico secundò, si illa propositio ex se & ab intrinseco non habet determinatam veritatem vel falsitatem, si tamen determinari possit ab extrinseco, hoc est, à Deo, doctè ad conditionata decreta Discipuli Angelici Doctoris recurrunt, ut eamdem propositionem determinent. Sed quia hæ physicas prædeterminationes supponunt, non poterunt admitti ab illis, qui has dicunt libertati nocere.

Omnia cognoscit Deus ut sunt. — *Quæ sunt indeterminata in se, possunt esse determinata in alio.*

Quomodo ergo cognoscet Deus illam propositionem, si ex una parte physicæ prædeterminationes negentur, & ex altera propositio illa secundum se esse indeterminata dicatur: Cognoscet illam proculdubio Deus ut est in se: &, si ipsa habeat determinationem aliquam in Petro, cognoscet illam ut determinatam [*& quidem illam in Petro posse habere determinationem certum est; nam si Petrus habeat hanc firmam resolutionem, videlicet,* Si essem hodie Romæ, loqueret Philippo, *Deus, qui huius resolutionis existentiam & efficaciam cognoscit, potest dicere,* Si Petrus esset Romæ loqueretur Philippo. *Idem omninò accideret, si Resolutio Petri fortis & ex se efficax esset hæc,* Si scirem aliquem me posse juvare, illi loquerer. *& esset verum posse iuvari à Philippo: & esset verum, quod Petrus, si esset Romæ, cognosceret (liberè aut necessariò) sibi Philippum favere posse.*]

Quo Deus cognoscat modo propositiones indeterminatas?

Quid, si illa conditionalis propositio determinationem (intrinsecam, extrinsecam-ve) nullam habeat? In tali casu determinatissima scientia cognoscet Deus propositionem illam esse indeterminatam: & cognitione verissima cognoscet eamdem illam veritatis & falsitatis esse expertem; nam cognoscet illam, ut ipsa est. An-non hic reperitur absurdum? Minime: nihil enim Divinæ cognitioni detrahitur, à qua omnia cognoscibilia intelliguntur: sola enim incognoscibilia ei negantur: sicut enim non est minùs omnipotens Deus quod impossibilia non creet; ita etiam non erit minùs sapiens, quòd incognoscibilia non sciat.

An aliquid ignoret Deus? Quid sit ignorantia?

INferet aliquis: Ergo ignorantiam habet Deus. Et ego nego consequentiam: quia ignorantia est nescientia rerum, quæ possunt sciri; & incognoscibilia non ignorantur, quoniam sciri non possunt.

Quid nescientia?

Subinferet: Ergo saltem nescientiam habet Deus. Dico me nolle disputare de vocibus: si autem hoc nomine intelligat *non-scientiam incognoscibilium*, concedam Deo nescientiam: si autem *non-cognitionem cognoscibilium*, non concedam.

Dubium incidens.

Quæ sunt & Deo nota sunt.

An ne admitti debent propositiones incognoscibiles? An olim ab aliquo admissæ? Respondeo non debere admitti propositiones quæ habeant quidem veritatem aut falsitatem, sed incognoscibilem: bene tamen propositiones, quæ nec veritatem habeant, nec falsitatem: & quia quod non est, non cognoscitur; hoc nomine non habeant cognoscibilem veritatem aut falsitatem. Quod alios attinet, aio, esse multas propositiones, quibus utramque (veritatem videlicet, & falsitatem) Authores illustres negarunt.

I.

An se falsificantes habeant veritatem aut falsitatem?

ET quidem propositionibus se falsificantibus, de quibus egimus superiùs, & veritatem & falsitatem negat Stengelius *in Responsione ad insolubiles* §. 18. *pag.* 85. & quia optimo videri potest nova & difficilis pro illâ citat Angelicum Doctorem 1. *part. q.* 30. *art.* 2. *ad* 5. ut magno nomine protectus assensum Lectorum extorqueat. Sic Stengelius ait [Deduces secundò, ipsum quoque S. Thomam pro nobis stare, ideò ut velut junctis quadrigis adversarios nostros prosternamus, cùm dicimus hanc vocem (*Hæc enunciatio est falsa*) quando ponitur se supra seipsam reflectere, non esse orationem aut veram, aut falsam, cùm se ipsam significare non possit. Ità etiam Angelicus Doctor in simili docet, cùm inquit, *Numerus determinatus (si accipiatur numerus simplex, qui est tantùm in acceptione intellectûs) per unum mensuratur. Si verò accipiatur numerus rerum in divinis personis, sic ibi non competit ratio mensurati: quia eadem est magnitudo trium personarum. Idem autem non mensuratur per idem.* Ut proindè non valeat illa objectio, qua probare conabatur tres divinas personas non contineri sub numero ternario, eò quod omne sub determinato numero contentũ, sit mensuratum, (quia numerus mensura quædã est) tres autem divinæ personæ sint immensæ, adeòque non mensurari queant. Itaque ex mente & fundamento D. Thomæ. *Idem non mensuratur per idem.* Quomodo ergò talis enunciatio, de quâ nos loquimur, à seipsâ mensurabitur? Certè, si falsæ aut veræ essent, deberent priùs naturâ esse veræ aut falsæ, quàm sint veræ aut falsæ, quod *ἀδύνατον* est. Nàm speculativa veritas aut falsitas naturâ priùs supponit obiectum tanquam mensuram, ut clarè docet Aristoteles: objectum autem talium propositionum est ipsa earum veritas; ergo priùs deberent esse veræ aut falsæ, ut adversarii affirmant, qui huic proinde satis periculosæ macheræ se objiciunt.

Propositio reflectens nec vera nec falsa.

An & qualis sit numerus in divinis.

An numerus mensura sit?

II.

Pacta falsificantia, nec veritatem dicunt nec falsitatem.

CUm agunt de falsificantibus propositionibus, quæ pacta involvunt, volunt aliqui ipsamet excludere à pactis: quod est dicere easdem, si non excludantur, nec veras esse nec falsas. Comptonus *in Introductione ad Logicam disp* 6. *sect.* 9. *num.* 6. [Propositiones autem de pactis non debent ingredi ipsa pacta, sed ex naturâ rei intelliguntur excipi: alioquin essent pacta & non pacta: & voce essent, re non essent. Unde huc reducendum est pactum illud Protagoræ Rhetoris & Evathli eius discipuli, *ut pro primâ causâ quam vinceret, solveret Præceptori centum nummos.* Idem etiã est de hac; Siquis dicat Petro: *Deus tibi dabit librum si prima propositio, quam proferes fuerit vera*: & Petrus statim hanc primò proferat, *Deus non dabit mihi librum.* nisi intelligatur ex pacto excepta illa propositio, pactum est nullum, & sponsio irrita & impossibilis, cùm nec à Deo impleri possit.]

An detur pactũ, quod Deus implere nequeat?

III.

Quæstio; qua divinis sol-vi non possit?

Utrùm conditionales disparata sint vera aut falsa?

An conditionalis & copulativa sint æquipollentes?

QUærunt alij, An conditionales disparatæ sint veræ aut falsæ; aut careant omni veritate & falsitate. Arriaga *tract. de scientiâ Dei. disp* 21. *sect.* 7. *num.* 41. & 42. illas ad copulativas reducit, ut veras aut falsas esse asserat: quod est dicere, easdem nisi reducantur, nec habere veritatem nec falsitatem. Et quidem Conditionalem & Copulativam non esse æquipollentes, certum est: ergò certum hanc reductionem impossibilem esse. Has propositiones;

Si Turca dormiet, saltabo.
Et Turca dormiet, & saltabo.
Non dormiet Turca, nisi saltavero.
Non existet somnus Turcæ sinè meo saltu.

Coincidere jubet Arriaga: at illæ coincidere nequeunt; hæ enim sunt similes,

Si Leo erit homo, erit animal.
Et Leo erit homo, & erit animal.
Non erit Leo homo, nisi fuerit animal.
Non existet humanitas Leonis, sine Leonis animalitate.

Et tamen æquivalentes non sunt: quia nec omnes veræ sunt; & vera non æquipollet falsæ.

IV.

An conditionales impossibiles sint vera aut falsa?

VEnitur ad Conditionales impossibiles, & Arriaga loco citato *numer.* 44. *ait. Censeo, &c. non posse mihi verum apparere in Deo esse scientiam harum*: undè infero, illas non esse scibiles in opinione Arriagæ. [Quidquid enim scibile est: scitur à Deo: hæ non sciuntur à Deo: Ergò non sunt scibiles.]

V.

Quid in hac subtili materiâ possit dici & non dici?

HInc patet, eum qui diceret aliquam veritatem esse ignotam Deo; aliquam esse solutionem, cuius ille non habeat notitiam; esse omninò blasphemum, & infinitæ scientiæ injurium. Hinc etiam patet, eum qui supponens omnia scibilia sciri à Deo, & omnia solubilia solvi, tamen dicat pactum Protagoræ & Evathli a Deo non posse solvi, quæstionem Cro-

co fili

codili à Deo non posse dirimi (& hoc expressè affirmat Comptonus ut paulò antè vidimus) Conditionales disparatas, aut impossibiles non posse à Deo cognosci (& hoc tenet Arriaga:) non quòd Deus omnia scibilia non sciat, sed quòd hæc non scibilia & non cognoscibilia sint, & si erret, non esse injuriam Deo; sed naturæ. Undè puto non esse temerè negandum Deo alicujus objecti cognitionem : nec temerè damnandum, qui ob rationes graves illam negat, non quòd Deus cognoscitivus non sit; sed quòd illud non sit cognoscibile.

VI.

Futura incerta.

ERgo stando his fundamentis, & à sacrâ Scripturâ præscindendo (de hac enim agemus statim) ego non video, cur non possit dici, *Conditionata futura libera, quæ non oriuntur infallibiliter aut necessariò ab actu existente aut futuro absoluto, esse indeterminata, hoc est, non habere determinatam veritatem nec determinatam falsitatem*: quæ doctrina, si semel admitteretur, summas tolleret difficultates, unoque ictu scientiam mediam conditionata decreta, & physicas prædeterminationes, ab encyclopedia Theologicâ decircinaret, & aperiret viam juventuti Scholasticæ, ut subtilius & expeditiùs posset ad sublimia contendere : sed quia aliqui putant hanc ipsam objectivam indeterminationem repugnare scripturæ divinæ operæ pretium erit breviter explorare, An loci qui circumferuntur, non possint explicari probabiliter illæsâ doctrinâ, quam ponimus. Consultò *probabiliter* dico non enim negaturus sum contrariam sententiam esse probabilissimam, seu scientia media, seu decreta conditionata defendantur: sufficiet enim nobis ostendere indeterminationem, quam ponimus, & si conferatur cum sacris literis, permansuram probabilem. [Fortè cum probabiles solutiones promittimus, dabimus probabiliores; fortè manifestas & certas: sed hoc non urgeo; non enim ad me judicium, sed ad candidum Lectorem spectat.] Ergo ad Biblia & Literas divinas veniamus.

An possint defendi salva fide?

VII.

Quid particula fortè significet in sacra pagina.

Sunt multa loca in sacra Pagina, in quibus utitur Deus hac particula *fortè*: Dabo unum vel alterum, quia reliqua similia sunt. Ezechielis 3. *Hæc dicit Dominus Deus, si fortè audiant & quiescant* (quid si *adquiescant?*) & Psalm. 54. 13. *Si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo*, quæ verba de Christo Domino solent intelligi. [Isidorus Clarius Brixianus Monachus Cassinas & Episcopus Fulginatensis delet illud *forsitan*, quasi errore exscriptorum irrepserit.] Et Psalm. 90. 12. *Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis: in manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*. Quæ verba de Christo intellexit diabolus Matth. 4. & Luc. 4. alii de justo universaliter intelligunt, & de quocunque intelligantur, verba Dei sunt. Sed quo sunt modo intelligenda hæc testimonia? PRIMA SENTENTIA sequitur Isidorum Clarium & particulam dubitantis expungit, sed hoc temerè fieri non debet, sunt enim multa Scripturæ loca, in quibus debet retineri hæc particula ex Manuscriptorum consensu. SECUNDA docet sic locutum Deum fuisse, ut se nobis accomodaret, sic enim nos loqui solemus. Hanc tuetur Arriaga *tract. de scientia Dei disput. 21. sec. 2. num. 7.* illamque Hieronymo & Augustino adscribit. At mihi placet TERTIA, quæ est Hieronymi Laureti Monserratensis Monachi, & apud S. Felicem Abbatis, qui in Sylvâ allegoriarum sic inquit, FORTÈ *adverbium dubitantis, præcipuè de futuro: quod, cùm dicitur de Deo, non dicitur, quia ipse dubitet, sed quia per hoc liberum Hominis arbitrium indicatur*, ubi doctissimè Lauretus revelationem ipsam ab objecto revelationis distinguit, illamque esse certissimam & infallibilem asserit, istud incertum & indeterminatum, adeòque præcipit, ut illud *fortè* non Deum, sed creaturam afficiat, nec de cognitione divinâ sed de objecto illius intelligatur. Hoc sufficerat, ut objectionibus omnibus expeditissimè responderemus, sed ut meus Lector videat, quam longè absunt à me fulmina, quæ ex sacra pagina diduci possunt, eruditionis gratiâ, theoremata nonnulla subjicio, contra quæ libenter videbo quid ex sacris Literis objici possit.

In sacra pagina nihil temerè mutari debet.

Deus se nobis attemperat.

Particula illa significat libertatem humanam.

Incertum certissima cognitione objecti.

Scientia media.

PRIMUM sit. *Non datur scientia media.* Nempe illa, quam PP. Jesuitæ tuentur, scientiam enim conditionatorum, quæ ab absolutis necessariò inferuntur, non negamus.

Physica præmotiones.

SECUNDUM. *Non dantur physicæ prædeterminationes*; nam necessitantes tollere libertatem videntur: & infallibilitantes, aut sunt impossibiles, aut superfluæ.

Decreta conditionata.

TERTIUM. *Non dantur decreta in Deo conditionalia, quæ actus hominum liberos prædefiniunt, qualia ponuntur à Thomistis.*

Futura conditionata incerta.

QUARTUM. *Futura libera conditionata, nempe illa, quæ ab alio futuro absolute non inferuntur infallibiliter aut necessariò, nec habent determinatam veritatem, nec falsitatem.*

Futura conditionata certa.

QUINTUM. *Futura conditionata impetrata, quæ ab alio futuro absoluto necessariò aut infallibiliter oriuntur, habent determinatam veritatem; nimirùm in futuro absoluta, ita ut istud cognoscens, illa non possit ignorare.*

Futura conditionata revelata.

SEXTUM. *Ad hanc ultimam classim pertinent futura omnia conditionata, quæ in scriptura sacra revelantur, adeòque divinæ illæ revelationes tam formaliter quàm objectivè sumptæ, habent certitudinem & infallibilitatem veram realem, in omni rigori metaphysica.* Et quidem hæc Theoremata nullo alio meliore modo propugnare poterimus, quàm dissolvendo singulas objectiones, quæ possunt contra nostram doctrinam adduci.

Objectio prima.

PRIMA OBIECTIO ex 1. Reg. 23. desumitur; ibi enim anxius & perturbatus David Deum consulit, inquiritque, An si maneat Ceilæ, superventurus sit Saul, ut capiat eum? An si ille superveniat, sit à Ceilitis prodendus & tradendus? & utrique consultationi Deus assertivè respondet. Igitur hæ duæ propositiones: *Si David maneat Ceila, veniet Saul: si superveniat Saul, tradetur à Ceilitis David*, fuerunt determinatæ veræ; aliàs enim erravisset Deus qui esse veras asseruit. Corruit ergo doctrina, quæ illis determinationem negat, & esse indeterminatas af-

De Ceilitis.

An in Deo detur scientia conjecturalis?

firmat. Voluerunt aliqui Thomistæ hoc testimonium intelligere de scientia cõjecturali; ita, ut Deus non certò & infallibiliter, sed solummodò conjecturaliter illas propositiones cognoverit & prædixerit: Sed hæc expositio duplicem sensum adhuc potest habere; nam vel dicitur scientia Dei formaliter esse incerta & conjecturalis, vel formaliter esse infallibilis, cognoscens tamen objectum conjecturale prout in se est. Qui primum diceret, Deo esset injurius, & contra lumen naturale peccaret in Theologia, sed deberet exponere, An revera illa prædictio divina, si mansisset David Ceilæ, potuisset consistere cum non descensu Saulis, vel eũ non traditione Ceilitarum? Dico igitur scientiam Dei in illa prędicatione fuisse infallibilem, de objecto infallibili, nec tamen contra nostrã doctrinam militare. Sciebat Deus Saulem habere istã voluntatẽ de facto, quod si David veniret Ceilã, aut ad aliã similem civitatem, esset iturus illùc & intercepturus illum; & videbat Deus Saulem multis diebus sequentibus continuaturum istũ actum, & hoc scientiâ visionis, sciebat etiã Ceilitas decrevisse de facto, tradere Davidem Sauli, si illum in potestate haberent, & hic eum peteret; & stantibus istis duobus decretis actualibus, (altero Saulis, altero Ceilitarum) quæ Deus scientiâ visionis cognoscebat, evidenter & infallibiliter videbat Deus, Saulem descensurum in Ceilam, si ibi mansisset David; & Ceilitas tradituros illum, si Saul descenderet. Hæc doctrina mihi videtur valdè clara; illamque dilucidabo notissimo & clarissimo exemplo. Interdicit Cæsar verbi gratia sub pœnâ capitis ingressũ in urbẽ Pragensem; & revelat mihi Deus hoc decretum non esse revocandum mense integro, nulli ignoscendum esse, adeòque quemcumq;, qui ausus fuerit ingredi, statim trucidatum iri; quæ omnia sunt futura absoluta, nec ab ulla cõditione pendentia. Quid ergo vetat, quod ego hac notitia præventus subinferam, *Ergo si Petrus cras ingrediatur Pragam, trucidabitur?* Sanè ista propositio erit conditionata contingens & libera; & tamen infallibilis & certa, & ex futuris absolutis per necessariam consequentiã illata: Potuit ergo infallibiliter Deus cognoscere illas duas conditionales infallibiles, quin uteretur scientiâ mediâ, aut conditionalibus decretis, sufficiebat enim decreta humana absoluta sufficienti tempore esse mansura, & à Deo scientia visionis ea cognosci.

Hæc doctrina adhuc exponitur & dilucidatur.

Objectio secunda.

Obiiciunt Alii ex 3. Reg. 11. verba dicentis Dei, *Non ingrediemini ad mulieres alienigenas, certissimè enim avertent corda vestra*, ubi notari volunt illud *certissimè*, ne aliquis antiquus Thomista, velit intelligere *forsitan*. Sed hæc instantia contra nos non militat, qui non ad conjecturas, sed ad infallibilitatem divinas prædictiones reducimus: hîc tamen re bene consideratâ non putaremus malè expositurũ hæc verba, qui reponeret; *Ne ingrediamini ad mulieres ethnicas & idololatras est enim res plena periculo (&, si vis moraliter infallibile) quod decipient vos*, quâ semel expositione positâ, prædictio divina esset formaliter & objectivè infallibilis, hac tamen differentiâ, quòd infallibilitas formalis, quæ se tenet ex parte Dei, esset realis; & infallibilitas, quæ se tenet ex parte objecti & creaturarum, esset moralis, & ipsi objecto proportionata: Et quidem ego existimarem hanc expositionem sufficere; Quòd si aliquis majorem adhuc postulet securitatem in objecto, non Dei iste, sed creaturarum causam aget; quia si ista propositio *Omnis, qui ingrediatur ad alienigenas, avertetur*, est moraliter certa, erraret procul dubio Deus, si vel cognosceret eam infallibilitatem habere, quam non habet, & eam non habere infallibilitatem, quam habet. Cæterùm, si velimus asserere illam propositionem objectivè sumptam esse metaphysicè certã, fortè excedemus limites humanæ conditionis; hodiè enim non est metaphysicè certum, *Omnem hominem, qui ducit hæreticam, avertendum à Catholica Fide*; nihilominùs, ut videant adversarii nos objectionibus istis nõ urgeri, adhuc ostendemus ex futuris absolutis humanis posse infallibiliter oriri istam realem & metaphysicam certitudinem conditionatã; nam, si ponatur ex parte Hebræorum voluntas absoluta concedendi uxoribus, quod primum petant, & ex parte Ethnicarum voluntas absoluta petendi idololatriæ propagationem, per consequentiam realiter infallibilem inferetur Hebræorum corda avertenda, si ad idololatras viri ingrediantur. Ergo clarissimè vides, quàm inutilis sit scientia media divina! quàm inutilia decreta divina conditionata! quàm inutiles physicæ prædeterminationes!

Infallibilitas duplex, realis, & moralis.

Objectio tertia.

Obiiciunt alii ex Reg. 2. illa verba: *Rem difficilem postulasti attamen si videris me quando tollar à te, erit tibi quod postulasti: si autem non videris, non erit.* Huc testimonio utitur Rodericus Arriaga *tract. de scientia Dei, disput. 21. sect. 2. n. 8.* Sed nõ video quid eo possit probare; quoniã hîc non agit de libertate humanâ, sed divinâ, cujus decreta intuitivè cognoscit Deus cum cognoscit seipsum.

Objectio quarta. De Babylone, Corozaima, & Batsayda.

Fortiùs alii objiciunt Ezechielis 3. *Si ad illos mittereris, illi audirent*, & ex Luc. 10. & Matth. 11. *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bathsayda; quia, si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent.* Sed his testimoniis non urgeor; Babylonea enim (ipsi sunt populus profundi sermonis & ignotæ linguæ, de quo agit Ezechiel) habebant piam affectionem erga miracula & prophetias, qualẽ etiam habuerunt Tyrus & Sido: & stante illorum decreto, quod vellent habere religionem, quæ confirmaretur prophetiis aut miraculis, necessariò seqoebatur per consequentiã realiter infallibilem illos, si prophetiam audivissent; istos si vidissent prodigia, fuisse ad Deũ cõvertẽdos. Et quidẽ pios eorumdẽ affectus, & desideriũ inquirendi veritatẽ per prophetias & miracula cognoscebat visionis scientiâ Deus, nec indigebat scientiâ mediâ.

Objectio quinta.

Tandem obiiciunt alii illud Sapientiæ 4 *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum ipsius:* quod etiam neminem movere poterit, nam & hodie scimus humanitùs stante Petri & Pauli aliquo decreto multa eventura esse, si tales aut tales circumstantiæ ponantur; possumus ergo dicere, sive ille locus intelligatur de Enoch, sive de quocumq; alio justo, sæpè contingere quod scientiâ suâ visionis Deus cognoscat aliquod decretum humanæ libertatis perseveraturum. v. g. per duos dies & respecturũ objecte secun-

dùm

dùm se indifferentia, quæ prima die fiot bona extrinsecùs propter adjacentes aliquas circũstantias, postridie mala propter aliquas sobstãtias supervenientes: poterit ergo Deus totã ctō hominis libero arbitrio illas secundas circumstantias impedire aut etiã hominẽ eripere è loco, in quem illæ concurrent, neq; ad hoc egebit sciẽtiâ mediâ. Et ut clariùs hoc ipsũ innotescat, sit crastina dies jejunio colenda Madriti, non Compluti: sit Madriti Albericus, & nihil de jejunio cogitans statuat apud se voluntate efficaci, se cœnaturum totâ hebdomade; maneat hoc Decretum etiã totâ: ergo hodie cœnando Petrus non peccabit, & cras si cœnet Madriti peccabit. Quid vetat ergo. quod vel Deus faciat quod in mente eius non veniat diem crastinam esse jejunij, aut etiam ad aliquius amici instantiã: aut etiam tactus divinitùs (& si velis, nõ solùm prædeterminatus, sed & necessitatus) transferatur Complutũ, antequã legẽ cognoscat, quã violaturus erat infallibiliter, si mansisset Madriti? Sanè in hoc casu essent veræ illæ duæ propositiones. Prima, *Si mansisset Madriti, cœnasset & consequenter peccasset*. Secunda. *Raptus est*, (motu omnirùm libero, vel necessario; nam quoad hoc alterutrum perinde est) *& translatus est Madrilò Complutum, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius*.

Historia illustrans exempla.

THESIS VII.

De Omnipotentiâ.

MDXLVI.

Quæstio illa, *quæ interrogat, An Deus possit infinitum producere; nimirùm in genere substantiæ, quantitatis, qualitatis, &c. An possit summum angelum? An possit infimum? An quantitatem in omnes suas partes dissolvere & sexcenta alia, quæ videntur agere de potestate divinâ, non sunt Theologica, sed meræ philosophicæ, & quæ solas creaturas concernant. Conveniunt enim, qui asserunt, & qui negant, ut re Theologicâ, concedunt posse producere divinitùs posse, quidquid contradictionem non implicat; & solùm quærunt, An hoc vel illa creatura contradictionem implicet vel non implicet?*

Quid sit omnipotentia!

Ut omnipotentiæ objectum cognoscatur, semper recurritur ad nonrepognantiam: & ut prudentia Scholastica innotescat, semper recurritur ad paritatẽ, & videntur sibi opponi hæc principia, Alterum, *Concedendum est posse à Deo, fieri, quidquid contradictionem non involvit*: alterũ, *Non sunt concedenda novæ entia sine necessitate*. Nam, si agamus de repugnantia probabili in primo principio, agemus de necessitate etiam probabili in secundo: & tamẽ evidens est quòd repugnat dari necessitatẽ probabilem: nam nihil probabile necessitat, & ideò necessitas probabilis nihil esset aliud quàm *necessitas non necessitans*, quam nemo admittet. Quod, si utrobiq; agatur in sensu evidẽti (nimirũ de necessitate & repugnantiâ manifestis) esset dicendus Deus infinita producere posse, & non posse. Posse, quia nõ datur repugnantia evidens: non posse, quia ubi non datur repugnantia evidens, ood statim datur necessitas evidens: non enim est bona consequentia, *Non repugnat evidenter, ergo est necessarium evidenter*. Restat ergo sic efferendum hoc principium, *Concedendum est, à Deo posse omnia fieri, quæ dicunt non repugnantiam evidentem, hoc est, illa omnia, contra quæ ne quidem probabilis occurrit repugnantia*. Et si hoc admitteretur, multum contraheretur Sphæra Divinæ activitatis. Ergo libenter audirem viros alti objectum omnipotentiæ designantes, exponentesque; An illa *non repugnantia*, quam imbibit, sit tutò sit evidens, aut tantùm probabilis?

Axiomata, quæ videntur opponi.

Probabilis necessitas.

THESIS VIII.

De concursu Divino.

Duplicem cognoscunt Thomistæ, prævium, & simultaneum, illũ rejiciunt Scotistæ, illum Molinistæ, illum alij. Simultaneum omnes Theologorũ scholæ, quæ hodie florent, mirabili consensu admittunt: & cur debeant, non capio. Certum est enim non esse multiplicandas entitates sine necessitate, nec necessitatem hic experior, quoniam sine illo concursu multa expediuntur facillimè quæ cum illo vix intelligi possunt. Vnde potiùs dicerem dari necessitatem negandi illũ concursum, quàm adstruendi: Concursus enim ad materiale peccati, quomodocumque exponatur est difficilis: nec videtur, cur non sit causa peccati Deus, si est causa totius materiæ quæ dicitur esse peccatũ. Vt igitur experiamur quid contrà magna ingenia possint, has conclusiones specialiter defendendas proponimus.

An detur concursus simultaneus? An Deus sit auctor peccati?

Concursus duplex; prævius & simultaneus.

Prima, *De actibus necessarijs (sive hominũ illi sint sive brutorũ, aut quarũcumq; aliarũ substãtiarũ) nõ sumus solliciti, nec verò fert abnuer, si illis aliquis cõcursũ simultaneũ affingat.*

Concursus ad actus necessarios.

Secunda, *De actionibus habituum supernaturalium non sumus solliciti, etiamsi ad illas dicatur Deus concursu simultaneo concurrere, possumus enim dicere esse actiones semper atas à voluntate, ac propterea non in se, sed in suâ causâ liberas.*

Ad supernaturales.

Tertia, *De concursu morali non sumus solliciti, nam ad multa concurrere solemus moraliter, ad quæ physicè non possemus, aut non vellemus.*

Concursus moralis & Mediatus.

Quarta, *De cõcursu mediato nõ sumus solliciti. Nã si eo sẽsu, quo dicitur motus projectorũ esse generãtis, quia qui dat formã, cẽsetur dare cõsequẽtia ad formã, dicatur Deus ad actiones liberas voluntatis cõcurrere, hoc est, dedisse voluntatẽ, quæ cõcurrit immediatè concursũ simultaneũ nõ negamus. Quẽ mediatũ concursũ, si pravũ dixeris, de nomine non disputabo.*

De motu projectorum.

Immediatus ad actus liberos, pravi naturales.

Quinta, *Tota difficultatum machina ad actiones purè naturales quæ sunt libertatis humanæ aut angelicæ imperantis potentijs seu habitibus naturalibus vel supernaturalibus, devoluta, videtur sic debere expediri. Si voluntatis liberæ actio est realitas aut modalitas ab ipsa-*

ipsâmet voluntate distincta, nõ statim debebit à Deo pendere ut quod, *si enim actio est ens* ut quo, *cur non etiã dependebit* ut quo. *Si debeat depẽdere* ut quod, *cur dependentia aut cõcursu à seipsâ distincto? & si distincto, cur distincto à dependentiâ voluntatis & ponderis: nam, si materia apud Thomistas existit existentia formæ, & subsistit subsistentia formæ, cur nõ poterit hæc actio libera existere existẽtia subiecti, & dependere dependentia subiecti? sed hæc necessariò dicenda non sunt, quia fortè actio illa voluntatis libera est formalitas pura aut expressio: & tunc, si nihil sit ab extremis distinctum, non egebit concursu Dei ab extremis distincto. Et quidem hunc philosophandi modum videtur approbare Theologia, quæ concursum positivum Dei ad peccatum non patitur: expedit igitur negare hunc omnem concursum simultaneum: quod ipsum iterum iterumq; hoc brevi ratiocinio persuadeo. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate; nulla urget, ut simultaneũ concursum admittamus: poterit ergo nõ admitti. Probatur minor. Non enim datur ratio naturalis, quæ eiusmodi concursum postulet: nõ datur revelatio divina, quæ illum credi præcipiat (vel qui aliter sentias, produc vel textum Sacræ Paginæ, vel Concilij Canonem, qui hunc concursum definiat) dantur rationes positivæ, quæ hunc concursũ excludant; datur authoritas magnorum hominũ, qui sufficiunt ut faciant opinionẽ probabilẽ: non ergo tenebimur eiusmodi concursum admittere, sed poterimus mirabili compendio & suavitate dicere, Deum ad actus bonos supernaturales cooperatione simultanea concurrere, ad malos & peccaminosos nullo modo concurrere: & hoc, quinque istis conclusionibus, quæ Durandi doctrinam attemperant & remittunt, stando.*

An cõcursus simultaneus negari possit salvâ fide?

SEmel, iterumq; vidi hîc Pragæ concursum simultaneũ defendi; & eũ cũ oppugnarẽ, Præses testatus est multa posse expeditius & faciliùs salvari, negato nimirùm hoc cõcursu, si posset salvâ fide negari: quã ob rẽ conclusit, non se ratione aliquâ, sed religione metâ induci, ut illũ admitteret. Postulavi, ut è Bibliorũ textu, aut Conciliorũ Canonibus periodum produceret, quæ in specie diceret, *Deum concurrere, non moraliter, sed physicè; & hoc concursu immediato & simultaneo (hoc est, non solùm dando prævium adiutorium, sed etiam cooperando) non solùm ad terminos actionum, aut etiam ad actiones supernaturalium habituum, sed etiam ad ipsas actiones liberas voluntatis aliis potentiis imperantis.* Et quidem multa postulavi, & quæ reperiri nõ poterunt; videlicet in textu evidenti; nã doctrina, quæ de fide evidenter non est, probabiliter ut minimũ nõ est de fide. Produxerũt illud, *Omnia opera nostra operatus est in nobis.* Sed ubi quæso dicit *operatus est physicè?* Annõ posset aliquis dicere actiones necessarias causarũ secundarũ Deũ operari physicè, & liberas solùm moraliter. Sed cõcedamus textũ intelligi in sensu physico: sed ubi dicit *operationes?* Quid enim vetat, ut *Operũ* nomine intelligamus operationum ipsos terminos, quos à Deo conservari non negamus? & si condonemus *Operũ* nomine non opera ipsa, sed operationes intelligi, ubi obsecro, dicit *operationes naturales?* posset enim aliquis adhuc textũ intelligere de operationibus supernaturalibus Et ut liberaliores simus, cõcedamus adhuc & condonemus hoc, Dixerit Propheta, *omnes operationes nostras naturales liberas, omnes volutiones nostras operatus est in nobis, non solùm moraliter, sed etiã physicè*: adhuc non urgebor; quia adhuc posset intelligi de concursu prævio & mediato juxta conclusionem quartam.

Nota singula bene.

An omnia in nobis faciat Deus; & quid id sonet.

Quid opus propriè?

Intererat P. Eduardus Tirellus S. Theologiæ Professor, & magni ingenij Vir, vociferabaturq; nescio cujus Concilij verba esse clara, quæ tamen non fuerunt producta. Post paucas hebdomades defendebantur ab alio eædem Theses, & debebat præsidere Tirellus, & contigit quod etiã eadem doctrina impugnaretur; & cũ argumentator rationem peteret vel authoritatẽ; se cogi ut asserat hunc concursum, inquit Tirellus, non testimonio aliquo S. Scripturæ, sed ratione naturali [illegible] modò; & ad essentialem dependentiã, quæ clauditur in cõceptu creaturæ recurrit. Ex quibus Ego formo hoc argumentũ, ut me juvem & dirigam. [Fuit Tirellus magni studij & ingenij Vir, & ipse præsens, quando cõcursus ille ex sacræ Scripturæ testimonijs defẽdebatur: ipse tunc clarissima pollicebatur testimonia, quæ nõ dedit: & tamen cũ res sua agebatur, non est ausus hanc viã ingredi, sed testatus se nõ moveri testimoniis, ad rationes confugit: ergo observaverat hanc propositionẽ, *Concursus simultaneus est de fide*, probabiliter non posse defendi: At Ego nõ habeo motivũ, quo caruerit ille; Ergo debebo eandẽ opinionẽ tenere.]

Qualis fuerit Tirellus.

Posito, quod de fide non sit ille concursus, rationes omnes diffiabo: nam In ipsis lepidissimus committitur circulus. Si dicitis, *Ideò Deus debet cõcurrere, quia creatura non potest operari sine divino concursu*: idem per idẽ dicitis aut probatis. Si dicitis, *Creatura est essentialiter dependens tã in essendo, quàm in operando*, assumitis idẽ quod quæritur. Et semper eamdem orbitã teritis, circulũ agitis, & *chordã pulsatis eamdem*. Ergo unicè examinandũ, *An de fide doctrina illa sit, quã hæ Theses oppugnant*: si enim Fidei articulus sit [quod tamẽ nõ dicit Durandus, Dola, Lalemandetius, Parisienses hodie, Salmãticenses illi, qui Cathedrã Durandi instituerunt, & cũ illis omnes aut fere docti, qui volunt sincerè discurrere:] triumphare debet, & cõtraria arceri, nec amplius in libris aut scholis permitti. Quod si in hac materiâ nihil sit revelatum divinitùs, stabitur rationi humanæ: at hæc dictat tam multa absurda ex illo cõcursu simultaneo deduci, ut nequeat prudenter admitti. *Obijciunt* Durandistæ Deũ concurrere ad formale peccati, Hominẽ libertate carere. *respondent* alij, ita tamẽ ut sibi satisfacere nequeant, saltem mihi non possint. Doceri enim volo, *An in Durãdi doctrinã sit aliquid evidẽter hæreticũ?* Multi enim negãt hodie, quæ alij putant probabiliter esse de fide: non enim humanus intellectus probabilitate ligatur Quod si semel mihi concedatur, posse hanc doctrinã salvâ fide defendi, in rationũ conflictu sine formidine aggrediar qualescumq; Gigantes.

Circulus & petitio principij.

Quid faciendum sit opinionibus oppositis Fidei?

Durandistarum objectiones.

Argumentabor primò sic. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: at nulla urget nos, ut simultaneum concursum concedamus: igitur non [illegible] est

Ratio generalis.

est concedendus. Probabo non aliter minorem, quàm illam rationem urgentem postulando: jã enim multis annis Theologiam docui, nec unquã inveni aut legi rationẽ, quam gravem judicarem.

Secundò sic. E duabus opinionibus, quæ secundum se consideratæ judicentur probabiles, illa præeligi debet, quę aperit viam ut clariùs & expeditiùs controversias alias intelligamus. Sed ex istis duabus opinionibus, quarũ prior docet *Dari concursum simultaneũ*, & *Non dari* posterior, modò nihil habeat cõtra fidẽ hęc posterior, stãdo rationi nudæ non solũ est probabilis, aut probabilior, sed Durãdi & aliorũ testimonio certa: & tamẽ dilucidat implicatissimas & obscurissimas difficultates, quas vix aut ne vix quidẽ aliûs sententiæ Authores possunt intelligere aut defẽdere. Ergo eligenda sententia posterior. Vltima minoris pars ostenditur. Quia ratio formalis virtutis, peccati, libertatis, malè intelligitur posito simultaneo concursu: quæ tamen est clarissima illo sublato.

Quæ opinio inter probabiles eligi debeat?

Tertiò sic. De Deo dicendum illud est quod est grandius & excellentius: nam sapientiâ summâ mundum condidit, & immensâ gubernat: At cõcursus simultaneus magnã sapientiam nõ requirit; & summam infert ejusdem concursûs carentia: nõ ergo datur simultaneus concursus. Minor hoc exemplo illustratur. [Sum Urbis Prætor, & desidero duas turres optimis automatis exornari: & duos Artifices (Franciscum & Joannẽ) accerso, & oro ut Automata formem excellentissima, & præter millenos aureos (tanti ponimus fuisse facta conventio) adhuc alios mille polliceor illi, qui ingeniosiorem & nobiliorem machinam elimârit. Franciscus magno rotarũ apparatu turrim priorem onerat, & statis temporibus noctis & diei vicissitudines, Lunæ motus, & omnia Luminarium deliquia accuratè exprimit; indice & campanâ horas distinguit, & Musicam multiplicem addit, & supposito pondere totam hanc machinam absens & distans à pondere moveri permittit. Ioannes nullam rotam elimat, nullis ponderibus utitur, sed concursu simultaneo horologium dirigit & gubernat: turrim, enim scandit, retrò tabulam sedet, & manu movet indices, & tempore quo vult campanã manu quatit, & horas distinguit. Te eligo in Judicem; te in Arbitrũ: & interrogo, Uter alterum ingenio vicerit? Uter horologium dignius & melius efformaverit? Aut summopere fallor, aut pretiũ præmiumq; deberi Francisco arbitraberis: discesq; Joannem nõ jam minus ingenium ostendisse sed nullum; nec pretium cõventionis mereri. Hoc est Judicium tuũ, & me judice bonum: quo tamen instructus poteris theologizare convenientiùs & digniùs. Mundus est magnum Horologium; Deus est artifex, & si Durando credimus, Francisco similis, adeòque humanarum potentiarum rotas appetituumq́ ponderibus promovet nullo simultaneo concursu: sed, si cæteris credimus, Deus Joanni similis, Mundo non jam quà immensus, sed quà rector adest, & concursu suo simultaneo omnes causas commovet, & omnia cooperatur in singulis. Ergo quantã laudẽ Joanni, tantã Deo cõcederes, si in Deo non majorẽ scientiæ manifestationẽ fuisse, quã in Joañe sentires. Ergo ut de Deo dignè loquamur & sentiamus, debemus ejus omnipotentiã & providentiã cõcipere qualẽ in Francisco cõcepimus: nimirũ servatâ analogiâ q esse debet inter definitũ finitumq; de quo nõ agimus, sed tantũ de necessitate illius simultanei cõcursûs.

Quomodo loquendum sit de Deo?

Exemplũ aptissimũ.

Applicatur exemplũ.

Quartò sic. Sunt multi, qui actiones & passiones distinctas ab extremis negant; quorum doctrina plurimis summè placet, & hodie in excellentissimis scholis defenditur. Si igitur inter voluntatem & ejusdem actum nulla actio mediat, nulla erit quæ respondeat à Deo.

An actio, passio, & fieri à suo fundamento distinguantur?

THESIS IX.

De Conservatione.

MDXLVI. 31.

Omne Ens desiderat conservare suum esse, inquiunt Philosophi: sed non probant: & nos contrà id non posse probari propugnabimus, parati respondere cuicumq́. Sed quid de conservatione sentimus? Omne ens creatum appetitu innato tendere in suũ non esse. Hinc est qualitates omnes & omnes illas realitates, quæ gradus habent, paulatim senescere & remitti, nullo urgente adversario: illas accidentarias essentias, quæ consistunt in motu, in quietem, hoc est, in non esse, procurrere. Rarefacta ad condensationem festinare; ut vel sic constet, omnia aut ferè accidentia merâ senectute deficere, appetitu & vi intrinsecâ ex esse ad non esse impellente. Hinc argumentum ad substantiam deducitur: nam si forma substantialis gradus habet eodem modo, quo accidentia (analogiâ nempe servatâ) demoritur, Si autem gradus non habet, consistet in indivisibili, & tunc tandem peribit, cùm productiva dispositiones ad suam conservationẽ necessaria. Sed quid dicemus de Materia prima: quo nomine intelligi volo primũ subiectum, quodcumq; illud sit? An appetitu illo innato in mortem tendit? Et si tendit, Cur non perit in singulis instantibus, siquidem consistit in indivisibili? Posset q[illegible] dicere suis Materiam primã moriturõ non-nisi unico instanti duraturam, at quia singulis instantibus à Deo producitur (conservatio enim est continua creatio) posse pluribus existere & perseverare.

An omnia entia naturaliter esse desiderent?

Senescunt omnia.

An substantialis forma gradus habeat?

An materia prima instantibus singulis reproducatur?

EX dictis lucem habere potest Rabbinorum veterum opinio, quã faciliùs falsam dixeris, quàm probaveris. Dicunt enim creaturas unico instanti durare, & quæ videntur durare pluribus, pluries reproduci. Accidẽtia esse singulis instantibus nova; & à prioribus diversa. Quæ omnia nos cum aliquã limitatione admittimus, ut constat ex Theteos contextu.

Hebræorũ antiquorũ doctrina.

Volui aliquando in hoc substantiam ab accidẽte distingui, quòd illa appetat *esse*, hoc *non-esse*: quia doctrinã præmissã meliùs videbantur intelligi Definitiones, quæ à Philosophis circumferuntur: videlicet, SUBSTANTIA *est ens per se: est existens per se.* ACCIDENS *est entis; est ens non existens per se.* Sed, si ideò accidens in *nõ esse* tendit, quia est forma, omnes etiã formę substantiales tendent in nihilum: & si ideò ad *non esse* festinat, quia est creatura & finitã perfectione præditum, etiam tendent in nihilum non solum formæ substantiales, sed ipsamet materia prima.

Discrimen substantiæ & accidentis.

Lovanij in Disputationibus pro Doctorali Laureâ sic substantiã volui ab Accidentibus distingui: nempe quod Essentia divina & Accidẽs opponantur ex diametro: illa infinitè petat existere quia est infinita; & hoc petat non existere, finitè tamen, quia est finitum. Et inter hæc duo opposita extrema substantiã creatã collocavi, quę nec petit *esse*, nec *non esse*. Unde concludebã, Accidẽtia senescere, remitti, & tandẽ deperire, nullo corrumpente cõtrario: at substantias nisi

cium aptiusne in Conceptione suâ immaculata semper Deipara solitariè pingatur, quam cum Infante Iesu?

III.

Pluribus-ne odijs quam rationibus opponeretur opinio, asserens virum honoratũ inculpabiliter depauperatum, posse ex bonis Opulentorum indeterminatè secundum suum statum vivere sine onere restitutionis donec instituatur secunda Dominiorum divisio?

IV.

An volenti & scienti contingat fieri injuriam?

V.

Valida-ne sit Absolutio directa ad absentem post Clementis Octavi declarationem?

VI.

An item ad Moribundum, qui signum determinatum non dedit?

VII.

Qui gravitatem & levitatem à corporibus non distinguit, nisi Sacramenti reverentia obstaret, cogendus esset sacrarum specierum dolium trahere, aut palinodiam cantare?

Solutiones.

Has Interrogationes & Dubia proposuit toti Pragæ, aut etiam Europæ, Connæus: quarum solutiones jam videt (sic spero) in verbo; vixit enim pientissimè, & sanctissimè obijt. Cæterùm, ut Lector sciat, quid Ego ad illas responderem, istas lineas subscribo.

Ad Primam.

MDXLIX. *An futura libera sint nota Deo? An respectu Dei sint futura?*

HÆc propositio, *Deus non cognoscit ab æterno futura libera*, duos sensus habet: vel enim agit de futuris respectu Dei, vel de futuris respectu nostri. Primo sensu est de termino non supponente, non enim respectu Dei dantur futura: nam æternitas omni tempori (præsenti, præterito, & futuro) est (syt) præsens. Secundo sensu est falsa, est improbabilis, est impia: & ex Schola Aristotelis ad Ciceronem, Wiclefum & alios traducta.

Ad Secundam.

MDL. *De significatione picturarum.*

AN picturas, sicut & voces significare ad placitum: & quia jam convenerunt homines, ut Virgo stellis coronata pede draconem atterens, lunam premens, infante carens; conceptam sine culpâ significet; qui aliter illam pingeret, hanc prærogativam non exprimeret. Nec in hoc aut hærendi aut disputandi locum video; nam.

———Pictoribus atque Poëtis.
Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas.

Cæterùm, quia ingeniosa Ludovici devotio, quia scit ideò Virginem sine culpâ conceptam, quia futura erat Mater Iesu, judicat debere illam potiùs cum infante depingi; ut eã promoveam, & Pictores admoneam, producam Virginem uni, qui se solitariam pingebat, edicentem.

Cur sine Prole mea pingis me? pingere Appelles
Me sine Me potiùs, quàm sine prole velis.

Ad Tertiam.

MDLI. *gravi necessitate constitutum potest bona aliorum subripere. Omnes hodie in Germaniâ sunt pauperes. An legitimè puniri poterit, qui fuit furatus propter necessitatẽ gravem?*

PRonuncio opinionem quam tueri vult Connæus, etsi esset probabilis, esse perniciosam: & præcipuè in Bohemiâ, aut etiam in totâ Germaniâ. Quis enim est in his exulceratis provincijs, qui inculpabiliter non sit depauperatus: summã sunt egestatẽ redacti; nec est qui habeat, quæ sui statûs qualitas videretur requirere.

Progredior. Si eiusmodi furta sunt licita: quinam bellorum injuria nulli pepercit: & tam rustici, quàm nobiles; imò etiam Principes, ad de illis convicti, non poterunt puniri à Republicâ, & præcipuè capitali sententiâ. Patibula igitur totius Germaniæ onerant innocentum cadavera, & locum occupant, quem Judices, ipsi deberent: nemo enim fur non posset verè dicere se inculpabiliter depauperatum, & indiguisse pecuniis aut rebus, quas subripuit, ut posset se secundum suum statum & conditionem tolerare.

An aliter de inculpabiliter depauperato, & aliter de culpabiliter depauperato philosophandum sit?

Prætereà illa limitatio, quam præsefert illa vox *inculpabiliter depauperatus*, non arridet; quoniam si gravis necessitas omnia facit communia, tam poterit uti aliorum bonis depauperatus inculpabiliter, quàm depauperatus cûlpabiliter: quod sic ostendo. Qui est in extrema necessitate, licèt suâ culpâ, & si vis, peccando mortaliter illam incurrerit, potest nihilominùs sumere necessaria ubicumque repererit: ergo, si hoc privilegium non solùm extremæ, sed etiã gravi necessitati cõceditur, frustra inter depauperatum culpabiliter & depauperatum inculpabiliter Ludovicus distinguit.

De divisione bonorũ.

Prætereà altera limitatio, videlicet, *Donec instituatur alia dominiorum divisio*, non est ad rem. Extrema enim necessitas non habet privilegia usque ad aliam bonorum divisionem, sed perpetua. Et quæ erit hęc quęso secunda dominiorum divisio? Altera, ut opinor, similis huic; eisdem subjecta inconvenientibus, de quâ debeamus pariformiter philosophari.

Scio hanc opinionem, quam impugno, à Theologis nonnullis defendi: scio non carere rationibus: scio nuper P. Hermannum Busenbaum *in Medullâ Theologiæ Moralis libr. 3. Præcept. 7. cap. 1. dub. 1. num. 2.* hæc habere [Qui pro se vel alio in extremâ necessitate constituto alienum accipit, quantum necessarium est; nec furatur, nec tenetur restituere posteà sic absumptum, siquidem re & spe indigens fuit. Idem docent Lessius *libr. 2. c. 12.* Malderus, Diana; &c. de necessitate gravi. Verum id probabilius alii negant cum Layman *lib. 3. tract. 3. p. 2. c. 1. num. 7.* ex S. Thomâ 2. 2. q. 66. *art. 7.* Vide Dianam *to. 1. p. 2. misc. res.* 20. C. Lugo *d. 16. sect. 7.*] & hanc ob rem sententiam illam, nec probabilitatis gloriâ honoro, nec improbabilitatis notâ inuro, sed nolens definire, an probabilis sit, esse omninò perniciosam pronuntio. *Resolutio.*

Ad Quartam.

INjuria non fit scienti, volenti, & suo jure cedere potenti: unde illi, qui jure non potest cedere etsi velit; qualis est maritus v. g. injuria fit. At posset fortè aliquis dicere in tali casu injuriã minùs graviter peccare, quàm qui noceret nescienti aut invito? sic puto: at hæc circumstantia non tolleret culpam, sed minueret.

Ad Quintam.

An possit replicari Vir Doctus contra declarationē Pontificum?

NEscio, quid Lovanienses Jansenianí, aut etiam Parisienses, qui dicuntur illis hodie adhærere, dicerent, aut non dicerent: saltem videoens Generalia Concilia venerari, & non multum curare privatas Pontificum Resolutiones, siquidem multas Propositiones à duobus Pontificibus in Bayo, & ab aliis duobus in Jansenio damnatas, intrepidè etiam hodie defendunt. At nos, quibus placet potiùs esse humilibus, quàm eruditis, claudimus oculos & ingenium nostrum captivamus.

Aliud est sententiam interdici, aliud damnari.

Dicimus igitur aliud esse opinionem interdici, aliud damnari. Addimus, non esse idem jubere nequis illam ut probabilem aut tolerabilem defendat; ac definite, nec esse probabilem, nec tolerabilem. Quamobrem, si illa opinio est solum à Clemente interdicta, erit probabilis ut anteà; at verò, qui illâ utatur erit Ecclesiæ Romanæ inobediens, sicut ille qui Virginem esse cum labe conceptam propugnaret, qui nihil tueretur improbabile, at peccaret propter inobedientiam & censuras incurreret, si ita esset inobediens, ut etiam leges censuris munitas temeraret. Cæterùm, si Clemens non solùm iussit, ne hæc opinio defendatur tanquam probabilis sed declaravit eam non esse probabilem, Pontifici summo consentio; &, si ratinnem quæras, Ἀυτὸς ἔφα, aio; & ad solam authoritatem definientis recurro.

Quanti facienda sit authoritas summi Pontificis?

Ad Sextam.

MDLIV. *De absolutione moribundi.*

UNiversitatis Viennensis Facultatē Theologicam definivisse esse probabilem opinionem, quæ docet, ***Posse moribundum absolvi, etsi nullo signo confessionem petierit***, testis sum. Et quia authoritas unius Universitatis sufficiens est, ut faciat opinionem probabilem, pronuntio hanc opinionem, si aliàs probabilis non esset, ob solum Viennensium Doctorum testimonium debere censeri probabilem. Si plura de hac materiâ desideres, vide Theologiam meam Fundamentalem *num.* 1305.

Quantum valeat unius Catholicæ Universitatis authoritas?

Ad Septimam.

MDLV. *An gravitas distinguatur à corpore.*

NOn video sententiæ ferendæ ratinnem quia ad occultandum miraculum suppleret Deus omnia, quæ acciderent, si panis & vinum consecrata non essent. quam ob rem, qui dicunt accidentia panis & vini ante consecrationem existere existentiâ subjecti, tenentur dicere post consecrationē existere miraculosè, sed existere. Ergo, qui dicerēt illa ante cōsecrationē esse gravia gravitate subjecti, tenebuntur consequenter asserere esse post consecrationem gravia miraculosè; hoc est eumdem effectum præstare, ac si essent verè & realiter gravia: ergo non est, cur jubeaotur dolium speciebus Eucharistieis refertum trahere: quoniam eodem jure posset juberi Ludovicus dolium integrum plenum consecratis speciebus comedere, nam ipse cum communi sententiâ asserit hominem non nutriri accidentibus, sed alimentorum substantiâ.

An accidentia nutriant?

Et quia in hanc quæstionem nos paritas rationis invexit; postulas, ***An, qui species Eucharisticas comedat, ieiunium violet?*** Et ratio dubitandi est, quia cibum non sumpsit; accidentia enim sine substantiâ non est cibus.

Quæstio suboriens.

Respondeo panem consecratum, si Deus nullum novum miraculum faceret, non esse nutriturum hominem: at, quia Deus vult ut ita ille nutriat ac non consecratus, ita se habet ac si cibus esset realis, & moraliter loquendo cibus est. Qui ergo illum die jejunii comederit, cibum comedet; non realem, sed moralem & virtualem: ergo & legem jejunii temerabit; quia leges entia moralia quædam sunt, habent morales vires, & moraliter sunt explicandæ.

An panis consecratus sit cibus?

Hæc sunt,

Quæ P. Ludovico Connæo, dū viveret, aliquando respondisse me memini: hæc quæ succurrunt modò; alii poterunt subjūgere solutiones & resolutiones aptiores & probabiliores.

PARS III.

Regulas præmissas ad praxim reducit; & præcipuas totius Philosophiæ aut etiam Theologiæ Positiones impugnat, Dialecticum rigorem observans.

LECTORI.

Quanti sit faciendum exercitiū.

VIdi sæpè Auditorum ingenia multis legibus & regulis obrui, & nunquam ad arenam & & disputationem induci: & quidem omnes regulæ, si desit exercitatio, nullæ sunt. Quam ob rem monendi sunt Magistri, ne longas disputationes dictent, ne breves habeant, plus enim unâ horâ aut alterâ, quâ disputatio habetur, discitur; quàm multis diebus, quibus scriptæ disputationes legereotur. Seriò etiam sunt monendi Discipuli, ut si ad alicuius scientiæ solidam perfectamque velint perveoire notitiam, eiusdem scientiæ præceptionibus ut cumque cognitis ad praxim veniant, & in arenâ cum aliis decertent: & hoc non unâ horâ, aut uno tantum die, sed totâ vitâ. Durus est, & saxo similis, humanus intellectus

lectus post lapsum, at saxa consuetudini cedunt. Apud Hunæum Tibullus;

Longa dies homini docuit parere leones,
Longa dies molli saxa perêdit aquâ.

Ovidius libro 1. Artis;

Quid magis est durum Saxo? quid mollius undâ?
Dura tamen molli Saxa cavantur aquâ.

Et iterum 4. de Pont. 10.

Frustra Professores Theologiæ aut Philosophiæ ita dictant. Codex dictādus esse brevis: exercitatio autem quotidiana & longa.

Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu;
Et teritur pressâ vomer aduncus humo.

Et Lucanus libro 1. de nat. rer.

Stillicidii casus lapidem cavat: unius aratri
Ferreus occultè decrescit vomer in arvis.

Et rursus aliis verbis;

Non ne vides etiam guttas in Saxa cadentes,
Humoris longo in spatio pertundere Saxa?

Et Propert. 2. 25.

Sed tamen obscurâ atteritur rubigine mucro
Ferreus, & parvo sæpe liquore silex.

Omnes aquæ exemplo usi, nos instruunt assiduo labore & exercitatione omnia vinci. Illud ego assumo, & sic accino,

Gutta cavat lapidem non bis sed sæpe cadendo:
Sic fieri doctus sæpe legendo libros
Vir, sæpe audendo, sæpe docendo alios,
Sæpe requirendo, vel repetendo potest.
At disceptando, certius & citiùs
Doctrina summum culmen inire soles.

Vnde cùm impallueris chartis, & noctu diuque studueris, ne in cassum laborare dicaris, monitus ab Ovidio 2. de Art.

Adde quod est illis operum prudentia maior;
Solus & artifices, qui facit; Vsus adest.

THESIS GENERALIS.

MDLVI. Quæcunque assertio affirmativa poterit ex dicendis oppugnari.

T*Alis, aut talis res existit in rerum naturâ.* Voco Thesin generalem, quæ aliquam realitatem proponit; & eiusmodi sunt omnes aut ferè Conclusiones Logicæ, Physicæ, Metaphysicæ, Ethicæ, Politicæ, &c. quæ solent in Scholis defendi. Propono aliquos.

I. Inter Philosophicas facultates & scientias, si necessitatem considerem, primum locum occupat Logica: & est duplex; naturalis, & artificialis &c.

II. Logica est duplex, Docens, & Vtens. Illa pronunciat leges, hæc exsequitur.

III. Tres sunt operationes intellectûs: Apprehensio, Iudicium, & Discursus.

IV. Prædicamenta decem sunt: & omnia existentia & possibilia ad ea possunt reduci.

V. Quantitas distinguitur realiter à substantiâ corporeâ.

VI. Qualitas est verum & reale accidens: cuius Species quatuor sunt: Habitus & dispositio: Potentia & impotentia: Passio seu sensibilis qualitas: Forma & figura.

VII. Relatio distinguitur realiter à fundamento & termino. Existentia etiam, Duratio, Actio, Passio, Vbicatio, Situs, & Habere sunt formæ realiter distinctæ à suo subiecto.

His Thesibus Logicis addo istas Physicas, quæ solent in Realium Scholis propugnari.

VIII. *Materia prima est pura potentia: habet existentiam, subsistentiam, & potentiam receptivam à se distinctas realiter.*

IX. *Forma est actus & perfectio Materiæ: & est duplex; alia materialis & alia spiritualis.*

X. *Inter Materiam Formamque intercedit Vnio realiter ab extremis distincta.*

XI. *Causæ sunt quatuor: Materialis, Formalis, Efficiens, Finalis, quibus addere poteris Exemplarem. Actualis & simultaneus Dei concursus cum causis secundis efficientibus a nemine negari potest.*

XII. *Elementa sunt quatuor: Terra, Aqua, Aër: & Ignis: quæ non solùm accidentibus, sed substantialibus formis distinguuntur.*

XIII. *Anima seu vita est principium motûs ab intrinseco: est quintuplex: Physica, Vegetativa, Loco-motiva, Sensitiva, & Intellectiva.*

XIV. *Anima habet potentias à se realiter distinctas, nimirùm, Vegetativa Attractivam, Retentivam, Concoctivam, Expulsivam. Sensitiva Visivam, Auditivam, Odorativam, Gustativam, Tactivam: Rationalis Memorativam, Intellectivam, Volitivam.*

XV. *Intellectus est duplex: Agens & Passibilis.*

XVI. *Dantur rerum Species intentionales; quarum aliæ sunt impressæ aliæ expressæ: omnes tamen obiectum virtualiter repræsentantes.*

XVII. *Dantur etiam Habitus intentionales à potentiis, & à speciebus distincti realiter. &c.*

IMPUGNATIO GENERALIS.

Quam appellitant Equum Ochami.

MDLVII. An possibilis sit aliqua argumentatio generalis? Equus Ochami.

COntra omnes has & similes omnes positiones adsumitur *Equus Ochami*, hoc est, ratio illa fortissima, cui innititur tota Philosophia Nominalium, quibus hodie Locales magnâ ex parte subscribunt. Hac olim Ochamus armatus torsit sui temporis Peripateticos: hac, si utaris, poteris magna ingenia torquere. Et quidem, ut argumenteris, hæc Principia in omni Scholâ recepta & præscripta suppone.

Principia Ochami.

I. Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate. II. Frustra fiunt per plura; quæ possunt fieri per pauciora. III. Ergo frustra adsignamus formam aliquam substantialem, quando ille ipsissimus effectus formalis potest ab aliquâ formâ accidentali provenire. IV. Ergo frustra ponitur Realitas, ubi sufficit aliqui

liquis Modus. V. Ergo frustra etiam admittitur Realitas aut Modalitas, cùm sufficit mera Formalitas. VI. Ergo frustra ponitur forma intrinseca, quando extrinseca. VII. Ergo frustra ponitur forma positiva, quando sufficit privativa. Ex his Ergo fundamentis illæ omnes positivæ Theses, & millenæ illis similes poterunt ab ingenioso Argumentatore impugnari. Et licèt hunc modum argumentandi insinuasse sufficeret, quia fortè aliqui erunt, qui hoc Equo Ochamico uti non scient, has objectiones subscribo, quibus bene perpensis Lector poterit in aliis materiis analogiâ servatâ argumentari.

Contra Logicam Artificialem.

An necessaria sit Logica Artificialis?

NOn sunt multiplicanda Entia sine necessitate: At nulla urget, ut Logicam Artificialem à Naturali distinguamus: Ergo non datur Logica Artificialis.

Probatur minor. Quidquid Logica Artificialis præstare potest, id potest etiam Naturalis; non ergo datur ratio, quæ nos urgeat, ut Artificialem à Naturali distinguamus.

An magis & minus mutent speciem?

Distinguitur antecedens: nam Logica Naturalis potest illa omnia præstare, quæ Artificialis, sed non æquè bene; quæ enim Naturalis efficit imperfectiùs & difficiliùs, id Artificialis præstat faciliùs & perfectiùs.

Sed contrà. Magis & minus non mutant speciem (multiplicaret enim Entia sine causâ, qui hominem magnum à parvo Specie substantiali distingueret:) Ergo, si Logica Naturalis idem potest facere minùs perfectè, quod Artificialis magis perfectè, non poterunt Specie distingui. At vos non dicitis has Logicas distingui puro numero: Ergo siquidem non distinguuntur puro numero, quod vos admittitis: nec distinguuntur Specie, quod nos probavimus; Ergo nullo illæ modo distinguuntur,

Contra Logicam utentem.

An detur Logica utens à docente distincta?

FRustrà fiunt per plura, quæ possunt per pauciora: sed ad formandum Syllogismum, sufficit intellectus, qui concurrat activè, & Logica docens, quæ concurrat directivè: Ergo non est necessaria Logica Utens à Docente distincta. [Ergo, nisi nominibus abuti velimus, eadem Logica prout potest dirigere, seu prout est directiva, debebit nominari *Docens*: & prout actu dirigit, *Utens*.]

Probatur minor. Ad plicandum per modum trianguli istam chartam, sufficit manus, quæ concurrat activè, & idea intellectûs, quæ concurrat directivè: Ergo ad formandum Syllogismum sufficiet intellectus, qui concurrat activè, & idea Syllogistica, quæ concurrat directivè. Vel detur ratio disparitatis.

Contra numerum operationum Intellectûs. Suadetur Iudicium non distingui à Discursu.

MUltiplicate sine ratione realitates, fingere est: At, qui Discursum à Judicio distinguunt, multiplicant sine ratione realitates: fingunt igitur hanc distinctionem.

Quot sint operationes mentis? An discursus præter iudicium dicat aliquid?

Probatur minor. Si esset aliqua ratio, ob quam deberemus Discursum à Judicio distinguere, hæc esset: nimirùm, quod in Discursu præmissæ inferunt conclusionem, & hæc oritur à præmissis: sed hæc ratio non sufficit: Ergo sine ratione Discursum à Judicio distinguitis.

Propositionum aliæ sunt virgines, aliæ parturientes ...

Probatur minor. Virgo non distinguitur Specie à gravidâ, & tamen virgo est una fœmina solitariè sumpta, quæ neminem parit, &, si per creationem produceretur, esset ejusdem Speciei, cujus est hodie, & tamen à nulla aliâ fœminâ nasceretur: Ergo non sufficit Enunciationem non nasci ab aliquâ propositione, nec aliam parere, & in discursu præmissas parere conclusionem, & conclusionem nasci à præmissis, ad hoc ut distinguantur Specie. Ergo hæc nomina *Iudicium*, *Præmissa*, *Conclusio* ita se habent ac ista, *Fæmina*, *Mater*, *Filia*: at hæc tria nomina posteriora nullam important distinctionem substantiæ: Ergo nec tria priora. Ergo eadem propositio, si solitariè sumatur, vocabitur *Iudicium*: si inferat aliam, vocabitur *Præmissa* aut *Antecedens*: si inferatur ab alterâ, vocabitur *Conclusio* vel *Consequens*.

Contra numerum prædicamentorum. Suadetur unicum sufficere Prædicamentum.

An prædicamenta sint decem?

UNitas multiplicitate melior est: & quæ possunt ad unitatem, non debent ad multiplicitatem reduci, aliàs enim Entia multiplicarentur sine causâ. At nulla subest, quæ persuadeat dari decem Prædicamenta: imò nec subest, quæ suadeat dari duo: Ergo tantùm est unicum Prædicamentum Entis.

Respondetur, Ens non esse univocum, & ideò numerari decem prædicamenta, quia reperiuntur decem suprema genera, quæ non possunt ad genus aliquod superiùs reduci.

An omnia in ratione Entis conveniant univocè?

Sed contrà. Non est necessarium multiplicate distinctionem dicendo distinctionem seu divisionem superioris in inferiora esse duplicem; aliam univocam, & aliam analogam: ergo sicut suprema illa genera dividuntur in suas Species, ita & Ens in decem illa genera: Ergo, si summa illa capita prædicamentorum sunt genera respectu suorum inferiorum, etiam Ens erit genus respectu illorum eorumdem capitum. Ergo omnia pertinent ad idem genus: Ergo omnia ad unicum prædicamentum, &c.

Ergo Argumentatoris erit petere Species, in quas dividitur immediatè *Relatio* verbi gratiâ, & videre, An non illa eodem modo in illas dividatur, ac Ens in Substantiam & Accidens? Considerentur in utrâque divisione differentiæ & conceptûs divisi transcendentia: & urgeatur paritas, & petatur disparitas.

Contra

Contra distinctionem materiæ & quantitatis.

MDLXI. Frustra protruditur Quantitas à materia distincta: Ergo idem sunt Materia & Quãtitas.

An quantitas distinguatur realiter à sua subjecto Quod præstet quantitas

Probatur antecedens. Quidquid materia dicitur habere à quantitate, id omne habet præcisè ab omni forma realiter distincta: Idem igitur sunt materia & quantitas.

Probatur antecedens. Quid habet à quantitate realiter distincta materia? Divisibilitatem? mensurabilitatem? At hoc omne habet à sua realitate. Ergo quidquid materia dicitur habere: &c. Materia igitur & quantitas sunt idem.

An materia ex se sit divisibilis

Probatur minor. Materiæ entitas secundum sua prædicata essentialia est divisibilis: Ergo non habet divisibilitatem à forma realiter distincta.

Probatur antecedens. Si materia secundum sua prædicata essentialia esset indivisibilis, non posset vi alicujus accidentis reddi divisibilis (homo enim, qui secundum sua prædicata essentialia est animal rationale, non potest adquirere aliquod accidens vi cujus sit insensibilis & irrationalis) Atqui de facto materia est divisibilis: Ergo à sua natura, & non ab aliquo accidenti habet quod sit divisibilis. At divisibilitas vocatur *quantitas*: ergo materia non distinguitur realiter à quãtitate.

Respondebitur hominem secundum sua prædicata essentialia nec esse nudum neque vestitum, sed præscindere ab utroque: erit enim vestitus, si induat vestes; & aliàs erit nudus: & hanc ob rem materiam primam secundum suam essentiam nec dicere divisibilitatem nec indivisibilitatem, sed ab utraque præscindi; habebit enim divisibilitatem, si induat quantitatem; & habebit indivisibilitatem, si quantitatem non habeat.

Sed hic argumentator convertet ad Eucharistiæ Sacramentum venerabundos oculos, & inquirat, An quantitas ibi divisibilis sit, & an per divisibilitatem distinctam. Nec adquiescat si dicatur quantitas in Sacramento dividi *ut quo*, verè enim dividitur & *ut quod*, qua dividitur sicut cæteræ res. [Sed de terminis *quo* & *quod* inferiùs disputaturus sum.]

Contra Assertionem sextam. Suadetur Qualitates non esse Accidentia, sed Modos.

MDLXII. *An qualitates sint reale accidens?* Frustra fiunt per plura, quæ per pauciora possunt: ergo frustra, ut salvemus denominationes ad accidentia recurrimus, cùm sufficit recurrere ad modos. At omnes denominationes, quas subjectis dare dicuntur qualitates, à modis provenire possunt: omnes igitur qualitates negandæ sunt, & modi solummodò introducendi.

An Aristoteles neg. *Probatur minor.* (Attende.) Id vocat Aristoteles *Accidens*, quod Catholici dicimus *Caramuelis Metalog. Lib. X.*

Modum, formã nimirùm inhærentem, de cujus essentiã sit actualis inhærentia. Ergo stando nostrorum Theologorum Lexico, Accidens est forma accidentaria separabilis, & Modus est forma non separabilis. *Tunc sic.* Si non esset Sacramentum Eucharistiæ, nulla esset ratio, quæ dari Accidentia suaderet; & qui diceret Ens distinguiin substantiam & Modum, benè diceret. At Sacramentum Eucharistiæ demonstrat quantitatem à materiâ separari, adeòque quantitatem esse materiæ accidens: at non demonstrat corporeas qualitates posse separari à quantitate: Ergo qualitates corporeæ (de his enim agitur) à quantitate, cui inhærent, separari non possunt. Ergò actualis inhærentia est de essentia qualitatum. Ergo qualitates sunt modi.

An Peripateticè accidentia sint modi

Hic hærere poterit Argumentator, & videre, an afferatur ratio, quæ probet qualitates separabiles esse, & illam infringere insistendo illi fundamento, videlicet. *Frustra per plura fiunt, quæ possunt per pauciora fieri.*

An qualitates sint separabiles aut existere possint sine subjecto

Contra figuram.

MDLXIII. *An figura sit qualitas* Possemus ex eisdem fundamentis cæteras species qualitatis oppetere: at malumus brevitati studere, & loco omnium tela dirigere contra unam, ut per analogiam possit Lector cæteras impugnare. Sic argumentor.

Figura non est qualitas: Ergo non est species qualitatis. [Patet consequentia, quia genus prædicatur de suis speciebus: non enim potest esse species Animalis, exempli gratiâ, quod non est animal.]

Probatur antecedens. Est talis quantitas: Ergo non est qualitas. [Patet consequentia: quia quantitas distinguitur à qualitate.]

Probatur antecedens. Non sunt multiplicanda Entia sine necessitate: at omnia prædicata essentialia, quæ in figurâ reperiuntur, salvantur sine ullâ qualitate, positâ solâ quantitate: ergo figura est quantitas taliter disposita: ergo est talis quantitas.

Probatur minor. Ab isto globo relictâ quantitate cum suis extensionibus & dimensionibus auferat realiter Deus omnia alia accidentia, aut nos auferamus formaliter: At in tali casu manebit sphæricus: Ergo ad figuram sufficit quantitas. Ergo frustra & sine causâ superadditur qualitas.

Contra Relationem.

MDLXIV. *An relatio à suo fundamento vel subjecto realiter distinguatur* Non est necessarium ponere relationem ab extremis distinctam: ergo relatio identificatur suo subjecto.

Probatur antecedens. Ab istis duobus circulis [Oo] auferat Deus realiter, aut homo formaliter omnem relationem realiter distinctam: Atqui etiam tunc manebunt inæquales: Ergo inæqualitas (adeòque quæcumque relatio) non distinguitur realiter à suo subjecto.

Respondebitur illos circulos mansuros inæquales fundamentaliter, sed non formaliter.

Tunc sic. Manebunt inæqualia fundamentaliter: Hanc ergo relationem, quam fundamentalem esse asseritis, vocetis formalem, & cessabit dissidium. Ergo, si hoc facitis, frustra addetur alia relatio formalis.

Probatur consequentia. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate: sed nulla suadet, ut admittamus relationes formales distinctas ab his, quas fundamentales appellatis: ergo frustra adderentur relationes formales.

Probatur minor. Quidquid præstare posset relatio formalis, id præstat relatio illa fundamentalis: non ergo datur ratio, quæ suadeat addere relationem formalem.

Probatur antecedens. Si Deus hac nocte adnihilaret omnes relationes, quas vos appellatis formales, & relinqueret fundamentales, nemo cras mutationem rerum naturalium perciperet; montes judicarentur esse majores hominibus, & undæ terra inundatâ superiores. Ergo & nunc nulla datur in mundo relatio formalis.

Probatur consequentia. In illo casu à nobis posito non daretur: at omnes rationes, quas hodie habemus, essent tunc: ergo nulla est hodie ratio, quæ probet dari relationes formales: ergo dantur illæ, quas vocatis fundamentales, & cæteræ, quas adfingitis, superfluæ sunt.

NOTA. Hoc argumentum paucis mutatis posset contra *Existentias, Subsistentias, Durationes, Actiones, Passiones, Vbicationes, Situationes, Vniones*, &c. distinctas militare. Nam contra singulas posset aliquis argumentari sic.

An existentia & essentia realiter distinguantur?

EXistentia in opinione Realium & Thomistarum est aliqua realitas: & tamen existit sine aliâ existentiâ superadditâ: Ergo sicut existentia existit sine additâ existentiâ, ita & essentia posset existere sine additâ existentiâ. Superflua igitur est existentia distincta & superaddita; & qui illam protrudunt entia sine causâ multiplicant.

An ævum ab Angelis, tempus à corporibus, &c. realiter distinguantur?

DVratio est etiam quædam realitas in eorumdem sententia, & nihilominùs durat sine aliâ duratione superadditâ. Ergo sicut duratio durat sine additâ duratione, ita & essentia durare poterit sine additâ duratione. Igitur superflua est duratio ab essentiâ distincta; & qui illam adfingit est prodigus in Philosophiâ.

An actio ab extremis distinguatur?

ACtio est similiter aliqua realitas, & tamen ipsa egreditur immediatè ex agente, quin intermediet alia actio per quam fiat. Ergo sicut intelligimus actionem, quæ antea non erat, nunc egredi immediatè ab agente sine actione intermediâ, ita etiam poterimus intelligere ipsum esse [illegible] quin antea non erat, nunc egredi immediatè ab agente sine actione intermediâ. Est ergo superflua actio ab extremis distincta. Ergo est neganda ne Entia sine causa multiplicentur. Passio, & Fieri ab actione dependent, & debebunt vel poni vel negari, actione positâ vel negata.

An ubicatio à re ubicata distinguatur?

ETiam Vbicatio [illegible] quod res in Realiũ scholâ: & ipsa ubicatio & est in loco inri in eo, & in spacio aliquo determinato, sine aliâ ubicatione superadditâ: Ergo sicut Vbicatio ubicatur sine ubicatione à se realiter distinctâ, ita etiam posset ipsamet essentia ubicari. Non igitur est necessaria ubicatio distincta: Ergo qui illam adfingit, multiplicat formas sine causâ.

An unio (integralis aut physica) à suis extremis distinguatur?

TAndem Vnio est aliquid verum & reale (sic dicitis) & unitur extremis sine unione nova superadditâ. Ergo sicut illa unitur, poterit uniri forma materiæ sine unione intermediâ realiter ab extremis distinctâ. Est igitur superflua unio distincta: & qui illam adstruit, prodigalitatis condemnandus. [Nimis similia hæc argumenta sunt, & tædium parerent si multiplicarentur. omitto igitur relationem, quantitatem, &c. nam sicut ipsa relatio refertur sine relatione distinctâ, & ipsa quantitas est divisibilis, sine divisibilitate distincta, sic etiam substantia & dividi & referri poterit sine quantitate & relatione condistinctis.]

Quid sit quod, & quo?

AD has omnes instantias unica solutione expediunt, distinguendo denominationem *quod* & *quo*; aiunt enim existentiâ existere *ut quo* & non *ut quod*: subsistentiam subsistere *ut quo* & non *ut quod*: durationẽ persistere *ut quo* & non *ut quod*: &c.

An hæc distinctio satisfaciat?

Sed hæc solutio impugnanda est, quia multiplicat denominationes sine necessitate, & circulum committit manifestum. Prodigalitatem ostendo: Nam si dicamus existentiam, verbi gratia, non distingui ab essentia, non erit necessarium distinguere inter existere *ut quod* & *ut quo*. Circulum ob oculos pono: Quia ideò est necessarium recurrere ad ejusmodi distinctionem *quod* & *quo*, quia admittitur existentia ab essentia distincta: qui enim illas non distingui asseverant, hac distinctione *quod* & *quo* non indigent. Et ideò potest & solet defendi realis existentiæ & essentiæ distinctio, quia supponitur duplex denominatio, altera *quod*, & altera *quo*: Igitur committitur circulus.

MDLXV. *An admittenda sit materia prima?*

Contra Materiam-primam.

N.B. Admitti debet in homine præter animam etiam corpus: at præter hæc duo etiam materia prima admitti necessariò non debet.

QVod nec fides docet, nec ratio probat, nec experimentum suadet, frustra ponitur: At non licet Entia ponere frustra. Ergo nõ licet admittere realitatem, quam nec fides docet, nec ratio probat, nec experimentũ persuadet. At talis est illa realitas, quam dicitis materiam primam. Non ergo licet admittere materiam primam.

Respondens non ibit ad fidem ut puto: ergo rationem tenebitur dare, aut experimentum, quod materiæ primæ necessitatem persuadeat. Et illam cautè Argumentator consideret, videbitque in illâ aut supponi quod quæritur, aut iterum multiplicari entia sine necessitate.

MDLXVI. *An materia potentia ab illa distinguatur?*

Contra potentiam Materiæ primæ.

HÆc potentia, quam asseritis realiter à materia distingui, est aliquid reale: ergo illud quid-

quidquid fit materia poterit recipere. Ergo ut illud recipiat habebit potētiā superadditā, vel non. Si superadditam, vel dabitur processus in infinitum, vel tandem veniendum est ad potentiam, quæ licèt vera realitas sit, immediatè à materiâ recipiatur. Tunc sic. Hæc realitas, quam vocatis potentiam receptivam, recipitur immediatè à materiâ sine potentia receptiva intermedia: Ergo sicut hæc, ita etiam forma poterit recipi immediatè. Ergo superflua est hæc potentia receptiva à materia distincta. Ergo Reales, quando illam adstruunt, Entia multiplicant sine necessitate.

Respondens ad recipere *ut quod* & *ut quò* necessariò recurret: sed & tunc & circulum manifestum committet, & receptiones multiplicabit sine causâ juxta ea, quæ paulò ante dicebamus.

Contra Formas substantiales materiales.

MDLXVII. An dentur in rerum naturâ formæ substantiales materiales?

FRustra salvantur per plura, quæ possunt per pauciora salvari. At omnia experimenta, quæ pepererunt Philosophiam, possunt salvari sine formis substantialibus materialibus: Igitur non sunt admittendæ,

Respondetur negando minorem, quia generationes substantiales sine formis substantialibus non possunt defendi.

Sed contrà. Atqui non est necessarium, ut generationes substantiales defendantur: Ergo hæc ratio non sufficit ad asserendas formas substantiales materiales.

An admittendæ sint generationes substantiales?

Probatur subsumptum: Etiam multiplicat entia sine necessitate, qui generationes materiales substantiales admittit: At non licèt Entia multiplicare sine necessitate: Ergo non licèt asserere generationes substantiales materiales.

An omnes mutationes, quas sensu non percipimus, sint accidentales?

Probatur maior. Frustra assignatur aliquid substantiale, quando sufficit accidentale juxta Principium III. Frustra ergo recurritur ad formas & generationes substantiales, ut salvemus effectus, qui omnes possunt per formas & generationes accidentales salvari: At omnes, quos sensu percipimus, per accidentales salvari possunt: non ergo dantur formæ aut generationes corporeæ substantiales.

Et quidem huc usque promoveri poterit argumentum, & tenebitur Respondens aliquem effectum sensibilem adsignare, qui generationem substantialem materialem necessariò requirat, quam ego libenter videtem.

Contra Causarum numerum.

MDLXVIII. An causæ sint quatuor? An materialis & formalis coincidant?

OPpugno primò distinctionem causæ materialis & Formalis: & aio. Non esse multiplicandus causarum numerus sine necessitate: at nulla urget, ut materialem à formali distinguamus: ergo non sunt duæ causæ diversæ.

Probatur minor. Sicut Anima v.gr. unitur corpori, ita & corpus unitur animæ. Ergo uniuntur in eodem genere causæ. Ergo vel utraque est vocanda *materialis*, vel utraque *formalis*, aut, si æquivocationem fugere placeat, utraque poterit vocari *causa intrinseca physica*, ut ipsæ cum efficiente & aliis extrinsecis non confundantur.

Probatur antecedens. In toto integrali etiam sunt causæ & partes intrinsecæ, sicut in toto physico: at in toto integrali non dantur duo genera causarum & partium; ita, ut aliæ sint materiales, & aliæ formales: Ergo nec in toto physico.

Respondens debebit dare disparitatem, quam non facilè sit reperturus. Sed dum disparitas quæritur, paritas probatur hoc modo.

An omnes continui partes uniantur eodem modo?

Sicut se unit pars A continui parti B, ita pars B parti A: & ideò neutra est materialis, neutra formalis. At idem contingit in toto physico: Ergo in illo neutra pars est materialis, neutra formalis.

An sicut anima corpori, ita etiam uniatur corpus animæ?

Probatur minor. In homine Corpus & Anima uniuntur: Corpus nimirùm, quod non dependet ab Anima, manet enim illud post Animæ separationem: Anima nimirùm quæ nō dependet à Corpore, manet enim illa separata. Ergo uniuntur eodem modo.

Negatur consequentia; quia uniuntur ut actus & potentia; sed responsio supponit id quod quæritur, & ideò impugnari debebit.

An causa finalis ab efficiente distinguatur?

OPpugno secundò causæ efficientis & finalis distinctionem: quia non constituūt duo genera causarum potentia receptiva materialis, & potentia receptiva spiritualis: nec etiā cōstituūt duo genera causarū forma corporea (puta, anima equi) & forma spiritualis (puta, anima rationalis.) Ergo unum & idem causæ genus constituent causā extrinseca realis (hæc est, Efficiens) & causa extrinseca intentionalis (hæc est, Finalis) multiplicat igitur entia sine causa, qui istas causas distinguit.

An saltem ab exemplari?

OPpugno tertiò causæ Finalis & Exemplaris distinctionem; quia Exemplaris est talis finalis: & ostendo. Quia Pictor intendē imaginare Cæsarem, assumit ut medium conspectum ipsius Cæsaris, ut illum respiciando formet ideam, qua dirigatur, ut imaginem intentam conformet. Frustra igitur multiplicatur causarum numerus, siquidem pauciores sufficiunt.

Contra concursûs Dei necessitatem.

MDLXIX. An admittendus sit concursus prævius aut simultaneus?

QVod sine necessitate asseritur, à nemine debet concedi; at divinus concursus, sive prævius, sive simultaneus, necessarius non est ergo à nemine debet concedi. Falsum est ergo dicere quod à nemine negari possit.

Probatur minor. Quoniam, si necessarius esset, maximè propter dependentiam & subordinationem creaturarum à Deo: at hæc ratio non obstat: Ergo concursus non est necessarius.

Respondens teneretur adsignare rationē, quæ ostenderet dependentiam subordinationéque sine cōcursu nō posse intelligi, & dū

ille illam quærit & proponit, & Durandum, Dolam, Lalemandetium & alios impugnare conatur, ego produco Scotum, qui *in 4. dist. 13. quæst. 1. num. 37.* hæc habet. [Non credo semper causam secundam, quæ vocatur quandoque *Instrumentum*, recipere motionem specialem à causâ primâ; sed tantùm habere subordinationem aliquam formæ suæ activæ ad formam activam alterius (nempè, Dei) per quam subordinationem causâ primâ exeunte in actum in suo ordine causandi, secunda nata est exire in actum in suo ordine causandi: & sic secunda dicitur *Movens motum*, non quia recipiat motionem à primâ per quam moveat; sed quia in motione suâ dependet ab aliâ priùs naturaliter actu movente.] Ecce subtilis Doctor, ne Entia sine causâ multiplicet, omnem motionem quæ sit à causâ primâ in secundam negat, & sufficere judicat dependentiam, subordinationem, obedientiam (aut, si sic loqui placeat, Sympathiam) causæ secundæ respectu primæ. Stat igitur concursum ejusmodi non esse necessarium.

Potest salvari dependentia sine concursu.

Quomodo causa secunda dependeat à prima in operari.

Contra Elementum ignis.

MDLXX. *An admittenda sit Sphæra ignis inter cœlum & aerem?*

Nihil debet admitti sine fundamento sufficienti: At verò, ut admittatis sphœram ignis supra aërem, nullum habetis: Ergo illam non debetis asserere: vel aliàs Entia sine causâ multiplicatis.

Probatur minor. Illam ignis sphæram nec fides docet, nec sensus percipit, nec experimenta postulant, nec ratio probat: Ergo nullum habetis fundamentum, ut illam admittatis.

Et quidem illam nec à Fide doceri nec à sensu percipi est manifestum: vellem tamen videre experimenta, si qua habetis, quæ sine ejusmodi sphærâ salvari non possint; aut saltem audire ullam rationem, quæ ejusmodi sphæram esse in rerum natura persuaderet.

Contra substantialem Elementorum distinctionem.

MDLXXI. *An elementa constituantur & distinguantur accidentibus characteristicis? An etiam formis substantialibus?*

Frustra fiunt per plura, quæ possunt fieri per pauciora: Ergo, ubi sufficit distinctio accidentalis, non debet substantialis admitti. At inter elementa accidentalis sufficit: Ergo non debet admitti substantialis.

Probatur minor. Inter aquam & ignem est distinctio in meris qualitatibus: eadem est ratio de cæteris: ergo Elementa solis accidentibus (nimirùm, qualitatibus) distinguuntur.

Probatur major. Aqua est corpus frigidum & humidum, ignis est corpus calidum & siccum: conveniunt igitur in ratione corporis, & solis qualitatibus differunt.

Negant consequentiam: quia aqua est corpus præditum quâdam formâ substantiali, quæ postulat habere frigus & humectatem, tanquam proprietates præcipuas: & similiter, quia ignis est corpus præditum quâdam forma substantiali, quæ postulat habere calorem siccitatemque.

Sed contra. Illa forma substantialis inter materiam & qualitates posita, superflua est: Ergo frustrà conceditur.

Probatur antecedens. Quidquid illâ admissâ salvatur, poterit salvari eâ negatâ: Ergo superflua est.

Responderet aquam calidam ad teporem priùs, & postea ad frigiditatem reduci, & hac ipsissimâ reductione suaderi, manere in aquâ calida aliquam substantialem formam, quæ postulet frigiditatem.

Cur aqua calida ad frigiditatem redeat?

Sed contra. Hoc ipsissimum experimentum salvari poterit per formas accidentarias intrinsecas, aut extrinsecas: Ergo non est necessarium ad formam substantialem recurrere.

Probatur antecedens. Quia possemus ad aërem ambientem recurrere, & asserere aquam ab illo frigefieri.

Probatur iterùm. Quia possemus inter habitum & dispositionem distinguere (N.B.), & asserere Elementa constitui qualitatibus habitualibus, non dispositivis: has intro duci interdum, sed cessante agentis violentiâ ab habitualibus ejici. Et veniendo ad aquam possemus dicere illam constitui frigore habituali: hoc non remitti nisi à calore habituali, & deberemus addere in aquâ calida, quamdiu aqua est & nondum transivit in ignem, manere qualitates habituales frigidas (hoc est, manere frigus per modum habitûs) & calorem per modum dispositionis ab ignis violentia introduci. Et ideò amoto igne habitum frigoris caloris expellere dispositionem.

Qualitas duplex: habitus & dispositio: quomodo introducantur, & expellantur?

Contra Animarum numerum.

MDLXXII. *An dentur multæ Animæ?*

NE Entia sine causâ multiplicent, omnes aut ferè negant aut non agnoscunt vitam physicam.

An vita physica? An loco-motiva?

Vegetativam esse Solem speciali libello persuasi, & in Philosophia Locali ostendo.

Loco-motivam reperimus in automatis artificiosè ingenitam, & tamen in eis accidentalis est, à pondere, temperamento calybis, rotarum ordine & conformatione dependens. Vitam loco-motivam etiam Ioannes Eusebius Nierembergius Syderibus universis accensuit; &, si Peripateticus est, debebit dicere Intelligentias, seu Angelos motores, singulorum Astrorum loco-motivas vitas esse: & tamen Angelos non esse cœlorum formas substantiales intrinsecas est manifestum.

An sydera vivant?

Animam sensitivam Cartesius, Regius, & alii ad localia accidentia reducunt; sed non sine labore se expediunt. Ego in quadam disputatione Lovanii volui experiri quid posset contra sequentem doctrinam obiici, ut doctior redditus possem illam temperare aut corrigere. Sic discurrebam. [Frustrà recurrimus ad formas substantiales, cùm sufficit ponere accidentales; & ideò in Theologia non dicimus Gratiam, Fidem, Spem, & Charitatem esse quasdã supernaturales Animas & substantiales formas, quia ne nostra Anima operetur supra naturam suam, sufficit

An dentur Animæ sensitivæ?

An sit accidens?

sufficit ut habeat potentias (hoc est, qualitates) supernaturales. Ergo eadem Anima, ut operetur infra naturam suam; sufficit ut habeat potentias (hoc est, qualitates) infra naturales. Homo igitur Sanctus & piua tres vitas habet; connaturalem, supernaturalem, & infranaturalem. Connaturalis vita est ipsamet Anima rationalis, quæ est forma quædam substantialis corpus vivificans & tegens. Supernaturalis in qualitatibus & potentiis supernaturalibus (gratiâ, fide, spe, & charitate) sita est: & est forma quædam (non simplex, sed composita) accidentalis & supernaturalis. [Et de harum qualitatum connexione, & quæ ex illis possint aut non possint ab aliis separari, alio loco dicemus.] Et tandem vita infranaturalis in sensibus corporeis consistit, qui sunt quædam intentionales qualitates, quarum vi homo, sicut per qualitates supernaturales operatur supernaturaliter, sic per istas operatur infranaturaliter.] Vexatio solet dare intellectum, at illâ die nihil repositum, quod urgeret, & ideò ajo, præter Animam rationalem, posse omnes alias non solùm substantiales Animas, sed etiam substantiales formas lib ?? & securè negari.

Quæstio tristis: est naturalis, infranaturalis, & supernaturalis. An omnes ad operationem concurrant?

Contra distinctionem potentiarum ab Animâ.

MD LXXIII. *An intellectus & voluntas identificentur Animæ rationali? An sensus animæ serviant? An potentia producantur ab Animal.*

Anima sola potest actus suos elicere; frustra igitur tot potentiis & qualitatibus oneratur. Igitur, ne Entia sine causâ multiplicari arguamur, non distingui ab Animâ potentias vitales & animales pronunciemus.

Probatur antecedens. Anima nuda potentiis est activa & agens: ergo potest actus suos elicere sine potentiis superadditis.

Probatur antecedens. Anima in vestrâ sententiâ producit intellectum & voluntatem: Ergo est activa & agens. Ergo sicut intelligitis illam intellectum & voluntatem immediatè & sine potentiâ intermediâ producere, eamdem actus intelligendi & volendi immediatè & sine potentiâ intermediâ producere potiùs intelligatis.

Hic debebunt disparitatem assignare, quam facilè oppugnare ex eodem fundamento poteris, & quam illi difficillimè poterunt propugnare.

Contra distinctionem Intellectus agentis & passibilis.

MD LXXIV. *An una & eadem qualitas agens & passibilis sit?*

Intellectus agens & passibilis, duo sunt nomina, & una res: non ergo distinguuntur realiter.

Probatur antecedens. Quidquid potest passibilis, id potest agens; & è contrà: ergo superfluus est unus aut alter. Ergo ut in singulari & determinatè loquamur, passibilis superfluus est.

Probatur antecedens. Ex his duobus intellectibus alter ponitur ad recipiendas species, alius ad eliciendas; sed eadem realitas potest producere & recipere: ergo frustrà intellectus agens à patiente intellectu distinguitur.

Contra species intentionales.

MD LXXV. *An necessariæ sint ad intentionem ejusmodi species?*

Quando potentia attingere objectum verè potest, species necessariæ non sunt: at omnes potentiæ internæ & externæ immediatè attingunt sua objecta: ergo specie bus non indigent.

Probatur minor. Non esse necessarias intentionales has species constat clarissimè in quatuor externis sensibus (auditu, gustu, odoratu, tactu) subobscuriùs in visu: quia vel visus videt colorem, quem objectum in oculo log gerit, & tunc non erit necessaria coloris species: vel percipit tactum lineæ visualis, quod Cartesius affirmat. Utrumque dicatur, erit sufficiens, ut species intentionales oculis negare possimus: at alterutrum à magnis discursibus pendet, & faciliùs defendi poterit, quàm probari: præcipuè, si respondens harum subtilitatum rudis sit, & Scholas à nobis erectas non noscat. In intellectu negantur species difficiliùs, sed à multis negantur.

An sensus speciebus indigeant? An mens indigeat?

Contra habitus intentionales.

MD LXXVI. *An sint necessarii?*

Habitus introducti sunt ad explicandam intellectualium operationum perfectionem & facilitatem: [uam experimur, nos usu & labore proficere, & tandem successu temporis faciliùs & meliùs operari.] Sed sine qualitatibus istis, quas *habitus* vocant, & à potentiis & speciebus realiter distingui supponitis, possunt adquiri & haberi operationum facilitas perfectioque: ergo ejusmodi habitus non sunt necessarij. At Entia, quæ necessaria non sunt, admitti nequeunt: Ergo ejusmodi habitus non sunt admittendi.

Prima minor potest probari duobus modis. Primò, quia multiplicatis speciebus adquiritur facilitas & perfectio: ergo sine habitu realiter distincto facilitas & perfectio adquiritur. *Suadetur minor.* Nam specierum thesaurum, quem *memoriam* dicimus, intelligimus per modum thesauri domestici. Habes in thecâ mille argenteos, & aureum unicum; miscentur; quæris aureum, difficulter occurret: at, si essent aurei centum, faciliùs & citiùs occurreret aliquis aureus. An-ne hæc occurrendi facilitas erit aliqua qualitas ab ipsismet aureis distincta? nullo modo. Ergo anologicè de thesauro specierum intentionabium philosophamur. Habes caput plenum millenis rerum diversarum imaginibus, & legis quoddam Martialis epigramma, & speciem adquiris. Repete illud: non potes. Et cur: quia unicam speciem & fortè malè impressam, unicâ lectione adquisivisti; & unica species immixta millenis & millenis aliarum rerum speciebus obruitur, nec facili negotio emergit. Legis illud pluries, & plures species adquiris, & quia plures habes statim una occurrit aut altera, ut sæ-

Primus modus suadendi habitus intellectuales.

Specierum thesaurus.

ut faciliùs & citiùs illud repetas ; & quia occurrunt plures simul, (&, scilicet sic loqui, penetratæ) quod in alterâ deletum est, altera supplet , & ideò potest illud ipsum Epigramma recitare perfectiùs. Ergo, ne Entia multiplicemus sine causâ, non dari habitus , quia speciebus sint distincti , dicamus ; & tameo habitus, hoc est operandi facilitates , & perfectiones oon negemus, quoniam multiplicatis speciebus, ut dicebamus, operandi adquiritur facilitas & perfectio.

An habitus à speciebus distinguantur?

SECUNDÒ, etiam negatis speciebus habitus realiter à potentiis distracti oon sunt necessarij: ergo frustra ponuntur.

Secundus modus negandi habitus intellectuales.

Probatur antecedens. Habitus ejusmodi introducuntur ad operandum faciliùs & perfectiùs: Sed sine ipsis utrumque poterunt præstare potentiæ etiam nudæ: Ergo illi habitus non sunt necessarij.

Probatur minor. Et, ut clariùs probetur, ponamus aliquam potentiam determinatam; & quia nulla aptior est intellectivâ, de illâ agamus.

An intellectus intensionis & remissionis capax sit

An habitus ab hac intensione distinguantur

Sic inquam. Intellectus sine habitu , qui sit qualitas à se distincta , adquirit operandi perfectionem & facilitatem: Ergo, ut has adquirat, oon indiget ejusmodi habitu.

Probatur minor. Si intellectus intenderetur, operaretur faciliùs & perfectiùs: Atqui, ut intendatur, non indiget habitu realiter à se distincto; Ergo operari poterit faciliùs & perfectiùs, sine habitu realiter à se distincto.

Respondetur intellectum non recipere magis & minus; & hanc ob rem oon posse intendi.

Sed contrà. Est qualitas : Atqui omnis qualitas intendi potest: Ergo & intellectus intendi potest.

Probatur minor. Aliqua qualitas intendi potest: Ergo omnis qualitas intendi potest. [Videbitur illatio mirabilis , sed non esse mala suadetur] Omnes qualitatea sunt ejusdem rationis in ratione qualitatis; adeòque omnes sunt congeneres. Ergo, si aliquæ intendi possunt, omnes possunt. Vel detur disparitatis ratio; illa nimirùm, quæ persuadeat istas intendi posse, illas non posse.

An ab uno ad omnia legitimè adscendatur?

Sufficiant hæc

ut meus Lector percipiat vires potentiamque Equi Ochamici : est enim Trojano potentior , nam si ille triginta militibus gravidus subjugavit urbem provinciamque : iste argumenta millena solet parere ; quæ non solùm assertas Conclusiones expugnent, sed etiam integras Scholas subvertant. Vix alio in totâ Philosophiâ Locali sum usurus ; & ut videatur clarè vix esse in veterum Scholis quidpiam , quod ab hoc Pegaso oon pessumdetur , volui paucas has lineas, quas hucusque legistis, scribere , quæ Philosophoæquè ac Theologo sunt profuturæ, ut feliciter argumentetur: quoniam, si occasio & tempus argumentandi instat, & alia argumenta non succurrant, imiteris Ochamum, & sicut olim Bellerophon , insidens Pegaso , debellavit Chimæram, sic etiam nunc possis Chimæricas Veterum suppositiones debellare.

Equus Ochami cum Trojano collatus.

Sed monendus est Lector , Pegasum OEstrumque Equos esse simillimos ; & Bellerophontem Pegasi auxilio obtinuisse victoriam, & OEstri proterviâ & malitiâ fuisse excusum & miserrimè præcipitatum. Monendus inquā est , Parcitatem & Avaritiam esse simillimas; illam in Philosophiâ esse utilem, hanc perniciosam; cavendumque, ne dum parcus videri vult , avarus fiat; sicut enim pulcherrima Philosophia censetur , quæ nuda est, & caret ornamentis superfluis; sic etiam deformis & mutila, quæ membris necessariis orbatur.

OEstro Pegasus similis: & avaritia parcitati.

Philosophia parca esse debet: esse avara non debet.

THESIS

PRæside P. Casparo Odersvvolff S. I. anno M.DC.XLVII. habita est Viennæ disputatio ex universa Philosophiâ : & in ipsâ defensæ subtilissimæ Theses , quarum fuit Tertia; *Analoga , media inter univoca & æquivoca , non dantur. Poterant plura vel pauciora, quàm decem prædicamenta statui ; imo & unicum.* Septima : *Materia prima Aristotelica datur : id tamen evideni non est evidentiâ naturali.* Quartadecima : *Cœlum sidereum liquidum est, & ab intrinseco corruptibile.* Undevicesima : *Ens rationis , quod habeat tantùm esse objectivè in intellectu, non datur.*

MDLXXVII.

Contra has theses argumentaturus advertat multas quæstiones, aliàs graves, à Vocum acceptione pendere : & posse analoga definiri, ita ut cum æquivocis coincidant ; & ita ut ad univoca spectent : & ita, ut classem specialem constituant. Cæterùm , si communis definitio admittatur, & ipsa necessariò admittentur: quoniam ex eorum vulgari definitione non sequentur duæ contradictoriæ simul adversæ.

Multa sunt controversia de nomine.

Contra numerum prædicamentorum multa possent adduci, & præcipuè, si omnia ad unum generale reducere tandem vellemus.

Prædicamentorum numerus.

Materiam-primam non demonstrari argumento evidenti, certum est: & frustra quidē argumenta quæruntur in re probabiliter tantùm assertâ. Siquis dixerit esse improbabilia, quæ ab Aristotele de principiis & causis internis & externis dicuntur, non poterit suam sententiam tueri : at, qui dixerit contraria omnia aut ferè esse probabiliter vera, evidenter impugnari non poterit.

An detur materia prima?

Liquidos esse cœlos tenuerunt ante annos mille Patres omnes, negarunt ab annis quingentis Scholastici : jam omnes dicimus idem quod Patres : at id ipsum, quod dicimus , nec aperto Sacræ scripturæ testimonio, nec ratione evidenti probamus.

An cœli sint solidi?

Qui Elementa esse corruptibilia supponūt, non scio cur non idem dicant de regione cœlesti. At multa experimenta sunt, quæ Terræ, Aquæ, Aëris, &c. videntur incorruptibilitatem demonstrare. De Aquæ incorruptibilitate scripsit P. Valerianus Magnus, Vir doctissimus

An cœli sint incorruptibiles? An etiam elementa?

mus & subtilissimus: de aliis alij elemētis. Ergo singula à magnâ consideratione pendent.

An dentur Entia rationis.

Tandem Entia rationis dari tuentur plurimi: at in responsionibus suis cum Entibus linguæ confundunt. Hanc ob rem notare debebit argumentator, antequam à nobis inventa fuissent Entia linguæ, Entia rationis probabiliter negari non potuisse, est enim aliquid concedendum, quod reale non est: quod Veteres putarunt fingi à mente, cùm solummodò fingatur à lingua. At quia Odersvvolfius Entia rationis negabat, & Entia linguæ non videbatur adstruere, faciliùs poterat impugnari.

THESES PARTICULARES.

MD LXXVIII. *HÆc impugnatio generalis Theseos generalis videretur sufficere, ut Lector meus esset sufficienter armatus: at quia varietas delectat, volui has particulares etiam Theses adiungere; & positivis rationibus singulas oppugnare. Erunt omnes Theologicæ; hæc enim generalis argumentatio videtur omnes philosophicas difficultates percurrisse, & coëgisse nos, ut non repeteremus jam dicta, movere alias difficultates,*

THESIS.

MD LXXIX. *THeologia & Fides certiores sunt omni scientia naturali; Metaphysicâ, vel Mathematicâ.*

A veritate præmissarum & connexione objectiva sine ullo medio sufficienter determinatur Intellectus Theologi ad eliciendam illationem seu assensum formalem Theologicæ veritatis.

FIdem Theologiamque unico argumento oppeto, sed fortiùs Theologiam, Fidem infirmiùs. Sic discurro.

De præmissarum & conclusionis veritate.

Conclusio non est certior præmissis. At veritates Theologicæ sunt Conclusiones; Ergo non erunt certiores suis præmissis [Debent omnia concedi. Non enim dico, præmissas conclusionibus esse certiores quod plerique asserunt, & pauci negant: Sed dico conclusiones non esse certiores præmissis, quod ab universis admittitur.]

Subsumo. Sed conclusiones Theologicæ (etiam illæ, quæ à duobus articulis Fidei deducuntur) supponunt præmissas naturales. Ergo non sunt certiores Assertis naturalibus.

Probo antecedent. Supponunt Conclusiones Dialecticas: Ergo supponunt præmissas naturales.

Probo antecedens. Si Dialecticæ conclusiones essent falsæ, nulla conclusio Theologica esset vera. Ergo veritates Theologicæ supponunt veritates Dialecticas; nimirùm, ut principia quibus possunt probari.

An conclusio ex præmissis de fide, sit de fide?

Probo illud conditionatum antecedens. Nam, si daretur syllogismus Theologicus, in quo utraque præmissa esset de Fide, nondum tenerer consequentiam admittere; possem enim excipere contra asserendo esse malum. Ergo, ut teneat Theologicam consequentiam admittere, debebo scire illum syllogismum esse bonum. Ergo conclusio Theologica (quæcumque illa) non erit certior istâ propositione, *iste syllogismus, quo illa probatur, est bonus.* Atqui ista propositio est Dialectica: Ergo Assertio Theologica non est certior Assertione Dialecticâ.

THESIS.

THeologia nostra est certior omni scientiâ naturali creatâ. Inter genuina sua certitudinis principia, primum numerat Scripturas divinitùs inspiratas in sensu maximè literali. MDLXXX.

MVltis modis solet oppugnari hæc conclusio: nunc hoc procedimus. Scientiæ Mathematicæ sunt certiores Theologiâ Non ergo Theologia est certior omni scientiâ naturali creatâ.

De certitudine Mathesews.

Probatur antecedens. Certiùs possum asserere Triangulum habere tres lineas, quod docet Geometria; quàm Deum habere tres personas, quod docet Fides & Theologia: ergo Geometria, quam nemò dubitat Mathematicam esse, est certior Theologiâ.

Probatur antecedens Certior est notitia, quæ adquiritur mente, quàm quæ adquiritur sensu. Sed veritates Geometricæ (& inter ipsas illa; *Triangulus habet tres lineas*) adquiruntur mente: & Theologicæ (& inter ipsas illa, *Deus est trinus & unus*) adquiruntur sensu. Ergo certiùs possum asserere veritatem Geometricam, quàm Theologicam.

An fides adquiratur sensu?

Probatur minor. Etsi omni sensu externo carerem, lumine naturali duce possem scire Triangulum habiturum tres lineas, & alias veritates Mathematicas, & Metaphysicas: at si carerem omni sensu, non possem venire in notitiam sanctæ & individuæ Trinitatis. Ergo notitia veritatum Mathematicarum aut etiam Metaphysicarum adquiritur mente, & notitia Theologicarum sensu.

An ex auditu sit?

Probatur minor. Quia fides ex auditu est. Ergo tam certum mihi est Deum esse Trinum, quàm me audivisse. Ergo Fidei & Theologiæ certitudo est sensibilis, & multò minor intellectuali.

Probatur. Si ego nunquam audivissem aut legissem Deum esse trinum, non tenerer credere; possem negare omnes consequentias Theologicas inde subortas. Ergo tota Fides & Theologia tam est certa quàm sensus. Ergo multò minùs certa quàm mens.

Urgeo Si nunquam audivissem aut legissem Deum esse trinum, non haberem certitudinem hujus propositionis, *Deus est trinus.* At haberem certitudinem hujus, *Triangulus habet tres lineas*, etsi illam nunquam legissem, aut audivissem: Ergo notitiæ Mathematicæ aut etiam Metaphysicæ abstractiores sunt à materia sensibili, atque ideò sunt certiores securioresque.

THESIS.

MD LXXXI. *DEus est in omni genere Entis infinitus. Purus actus, Ens per essentiam, æternum, immutabile, immensum, &c. etiam secundum Philosophiam.*

Deus est Trinus & unus. Trinus nimirùm in personis, & unus in substantia & essentia.

Cur nō sint in Deo infinitæ personæ? HÆ duæ conclusiones viderentur non posse consistere, & sic posse impugnari: primò assumendo priorem & oppetendo posteriorem: secundò, assumendo hanc, & oppetendo illam.

Sic argumentor. *An Deus in omni genere sit infinitus?* Deus est infinitus in omni genere Entis. Ergo in genere substantiæ. Ergo in genere magnitudinis. Ergo in genere multitudinis. Ergo in genere durationis. Sed Deus, quia est infinitus in genere substantiæ, est Ens à se: quia est infinitum in genere durationis, est Ens æternum: quia est infinitum in genere magnitudinis, est Ens immensum: Ergo, quia est infinitus in genere multitudinis, habet innumerabiles personas.

Probo hanc ultimam consequentiam. Si personæ essent tantùm tres, Deus esset finitus in genere multitudinis: Ergo non esset infinitus in omni genere Entis. Atqui est infinitus in omni genere Entis. Ergo personæ divinæ non sunt tres, sed potiùs sunt innumerabiles. [In doctissimorum Theologorum consessu mihi fuit aliquando responsum Deum in genere multitudinis finitum esse.]

Notetur hæc responsio. *Instas.* Deus est finitus in genere multitudinis; Ergo hæc Propositio, *Deus est finitus in aliquo genere Entis*, est vera. Atqui paulò antè etiam erat vera hæc, *Deus est infinitus in omni genere Entis*. Sumus igitur hodie ditissimi, habemus enim duas Contradictorias simul veras. [Responderunt, non esse contradictorias, quia semper ab illa universali tacitè excipitur genus multitudinis: & apud nos Catholicos præcipuè, qui Fide tenendum sciunt, tres esse personas Trinitatis: & exemplo illustrarunt, quia hæ duæ hodie propositiones, *Omnis filius Adæ conceptus fuit in originali peccato*: *Christus* (imò etiam ejus Mater sanctissima) *conceptus non fuit in peccato originali*, non sunt contradictoriæ, non enim universalis illa omninò universaliter accipitur, sed ferè universaliter: hoc est, excepto Christo Domino & ejus beatissimâ Matre, universaliter. Et hinc intulerunt illam positionem, Deus est infinitus in omni genere Entis, non esse omninò universalem, sed quasi universalem, hoc est, excepto multitudinis genere omninò, & absolutè universalem.]

Sed contra sic. Hæc vestra solutio tollit Deum: Non igitur est admittenda.

An tollat Deum? *Probo antecedens.* Idem est Deum imperfectum ponere, quod Deum tollere: At vestra solutio Deum imperfectum ponit: Ergo Deum tollit.

Probo minorem. Si Deus esset finitus in omni genere Entis, in omni esset imperfectus: At tenetis, quòd sit finitus in uno (nimirùm in genere multitudinis,) Ergo etiam in illo est imperfectus. [Distinxerunt Majorem sic. Si Deus esset finitus, carentiâ negante, esset imperfectus, negarunt: si esset carentia privante? concesserunt. Ad minorem dixerunt in genere multitudinis Deum habere tres personas, & plurium personarum carentiam, non qualemcunque, sed negantem; adeòque nullam imperfectionem involvere. *Carentia duplex: privans, negans.* Supponebant notum discrimen Negationis, Privationisque, nam illa est carentiâ perfectionis in subjecto incapaci (qualis est in Triangulo carentia quarti lateris, repugnat enim, ut & Triangulus sit, & quatuor lateribus compactus sit.) & ista est carentia in subjecto capaci (qualis est carentia albedinis in Triangulo, qui cujuscumque coloris capax est.) adjunxerunt & alia multò difficiliora.

Sed contra distinctionem. *An negatio sit imperfectio?* Non solùm privatio, sed etiam negatio dicit imperfectionem: Sed Deus habet negationem: Ergo & imperfectionem.

Probo majorem. Angelus Michael v.g. dicit determinatam perfectionem: ponamus quatuor gradus: Habet negationem gradûs quinti, non privationem: & tamen imperfectus est. Ergo negatio dicit imperfectionem.

Probo Angelum dicere quinti gradûs negationem & non privationem. Species consistunt in indivisibili: Ergo cujusque gradûs ulterioris habent negationem & non privationem.

Species ut numeri. *Probo antecedens.* Species sunt sicut numeri. consistunt in indivisibili. Ergo species consistunt in indivisibili.

Probo minorem. Quia; si unitas addatur aut dematur, Ternarius omninò corrumpitur (transibit enim in Quaternarium, aut Binarium) Ergo numeri consistunt in indivisibili.

NOTA. Exemplum sumpsimus ab Angelis; & à specie quacumque possemus; quoniam Equus exempli gratiâ habet rationalitatis negationem, non enim rationalis esse potest, & tamen quia hanc negationem habet, habet imperfectionem.

THESIS.

MD LXXXII. *VErum Deum esse, & unum esse, & in omni genere entis perfectum scimus, & credimus, Deo debetur conceptus perfectissimus natus haberi in intellectu nostro, nempe conceptus Entis nobilissimi, quo majus nec melius esse vel cogitari possit, & hic est conceptus Entis infiniti.*

VIdeantur, qui Thesim hanc propugnant, asserere aut supponere hos duos terminos, *Ens nobilissimum, quo majus nec esse, nec concipi potest*, & *Ens infinitum*, esse æquipollentes: cum tamen toto cœlo differant, si sunt efficaces objectiones sequentes.

Prima.

An terminorum numerus sit DAtur ens nobilissimum, quo majus nec esse, nec concipi potest, & tamen infinitum

perfectissimus? tum non est: Malè ergo dicitur Ens infinitum illud esse, quo majus nec esse nec concipi possit.

Probatur antecedens. Numerus ternarius nullibi est infinitus: Ergo nec ad divina translatus erit infinitus: At ipse Personalitates afficit, ut nec plures esse nec cogitari verè possint. Ergo datur Ens nobilissimum, quo majus nec esse, nec concipi potest, & tamen infinitum non est.

Probatur minor. Quia quarta, aut quinta personalitas in divinis ens chimæricum est: Ergo ultra tres nulla alia esse aut cogitari verè potest.

Secunda.

An repugnet infinitas. Repugnat Ens infinitum: Sed si Deus esset, esset infinitus: Ergo repugnat Deus.

Probatur major. Si daretur infinitum, darentur duæ contradictoriæ simul veræ. Hæ repugnant: Ergo & infinitum.

Probatur major. Esset verum, quod nihil esse majus posset infinito: & tamen etiam esset verum, quod aliquid esse posset majus infinito: Ergo darentur duæ contradictoriæ simul veræ.

Probatur minor. Quia si in duas æquales partes infinitum subdividas, alterutra erit infinita, & tamen minor toto. Ergo unâ multitudine infinitâ datur alia major etiam infinita. [Est opus hîc bona responsione: qui enim dicunt unum infinitum non esse majus alio, ridere potiùs videntur quàm loqui: nam in multitudine hominum finitâ aut infinitâ plures esse capillos quàm oculos manifestum est. Qui affirmant alterum non esse majus altero formaliter, sed materialiter, videntur posse consequenter asserere omnes numeros finitos esse æquales formaliter, & inæquales materialiter: cùm certum sit sufficere inæqualitatem materialem, quidquid sit de formali, ut Infiniti conceptus positus superiùs elidatur.]

THESIS.

MDLXXXIII. *Theologus, gravissima declinaturus incommoda, diligenter observabit, & reperiet nonnulla Deo repugnare simpliciter, quasi Divinam Omnipotentiam aut Iustitiam solitariès pectes, minimè implicant, ejusmodi sunt per se, vel per alium generare errorem, æternaliter cruciare innocentem,* &c. Ita P. Ludovicus Connæus in Thesibus Pragæ defensis apud S. Mariam ad nives, anno 1650. mense Decembri.

An affligere innocentem possit Deus? Considero ultima verba, & reperio P. Ludovicum iniisse viam mediam inter veteres & Recentiores. Fuit enim Veterum opinio, quæ docuit non potuisse Deum innocentem affligere, nec aliqua pœnalitate gravare, etiam de potentia absolutâ, quam habuisse videtur Augustinus, qui sic culpam originalem contra Pelagianos probabat. *An probetur ratione originalis culpa?* [Luget, dolet, ignorat, &c. iste puer: At sub Deo justo nemo affligitur innocens: Ergo reus est. Non peccati actualis, caret enim rationis usu. Ergo originalis.] Est multorum juniorum contraria: quæ non reperiunt, cur non possit Deus animam innocentem affligere: & sic argumentantur. [B. Virgo hujus vitæ miserias sustinuit: doluit: & multas afflictiones fuit passa. Atqui omni peccato caruit: nempè originali & actuali. Ergo Deus potest pro beneplacito animam innocentem affligere.] *An illam incurrerit Deipara?* Ludovicus Connæus init viam mediam, & posse Deum affligere innocentem ad tempus concedit, at in æternum negat.

Contra sic argumentor. Quæ potest Deus hodie facere, poterit cras, poterit perindiè: Ergo in æternum poterit facere. *Deo omnia & semper sunt integra.*

Probo consequentiam Illud in æternum poterit fieri, respectu cujus non potest assignari dies post quem non possit fieri. At nullus assignari poterit dies, ultra quem non possit adhuc Deus animam innocentem affligere, Ergo in æternum poterit. [Si aliquis adhuc dubitet, rogetur, An Deus possit hanc ipsam chartam, quam legis in æternum conservare? & unde hoc ipsum colligat: & videbitur clarè hanc eamdem rationem posse ad nostrum intentum retorqueri.]

THESIS.

MDLXXXIV. *Ponere dependentiam creaturæ immediatam ad Deum, saltem aptitudinalem, maximè quoad esse, produci, vel conservari* [nota verba singula] *videtur necessarium.*

Sententia Durandi de dependentia mediata, meritò à nemine ampliùs censuratur tanquam erronea. Pater Ludovicus Connæus S. Th. Professor Pragæ ann. 1650. Mense Decembr: Thesi IX.

An Deus concurrat ad operationes causarum secundarum? Iam incipit obtinere in scholà Durandi illa doctrina, quæ hucusque fuit *dura* vocata. *Interim illam sic impugno.* Omnes creaturæ actualiter dependent à Deo: Ergo aptitudinalis dependentia non sufficit.

Probo antecedens. Actualiter sunt creaturæ: Ergo actualiter dependentes.

Probo consequentiam. esse creaturam est esse Ens dependens: Atqui sumus actualiter creaturæ: Ergo actualiter dependentes.

Probo majorem. In hoc differt Deus à creatura, quod ille sit à se, & hæc sit à Deo. Atqui semper illa est à Deo: Ergo semper dependet à Deo.

Probo minorem. Nunquam creatura est à se, Ergo semper est à Deo.

Ulteriùs. Si in aliquo instanti illa non penderet à Deo; in illo instanti esset à se: & in illo esset Deus. At repugnat creaturam esse Deum. Ergo repugnat, quod in aliquo instanti illa sit à se, & non pendeat à Deo.

Probo quod esset Deus. Quia esset Ens independ-

dependens, Ens supremum, & absolutum. Ergo esset Deus.

THESIS.

MD LXXXV. **B**Eatorum *Angelorum & Animorum gloria æterna est. Perpetua aut æterna dicitur, non eo sensu, quo sæculum vocatur æternitas, sed sensu rigoroso & stricto. Idem dico de Dæmonum & Damnatorum pœna.*

Quomodo debeat exponi Sacra Pagina?

CONTRA. Sacra Pagina debet exponi ad mentem sanctorum Doctorum & Patrum, At præcipui nomine æternæ gloriæ intellexerunt mille annos; nomine æternæ pœnæ mille annos. Ergo æternitas, quæ bonos & malos manet, aut fœlix aut infœlix sit, clauditur mille annis.

Probatur Minor. Origenes sic textum exposuit, S. Gregorius Nyssenus & alii subscripserunt eidem. Ergo præcipui æternitatis nomine intellexerunt mille annos.

An damnati & dæmones sint liberandi?

FATEOR Originem sensisse omnes Dæmones & Damnatorum Animos tandem aliquando ex inferno ex misericordia liberandos; fateor aliquos terminum præscripsisse, & putasse esse crudelitatem Deo indignam creaturas suas punire ultra mille annos: fateor tandem fuisse aliquos, qui hunc errorem D. Nysseno adfinxerint: at contra illos omnes sufficit S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, qui teste Photio Nyssenum vindicat. *Contendit Gregorium Nyssæ Episcopum ejusque scripta ab Origenis errore esse immunia. Etenim quibus delirium illud placet, Dæmonibus & Hominibus in æternam pœnam conjectis liberationem inde exspectandam, illum quod Virum doctrina singularem & eloquentia insignem cum agnoscerent, clarami que sanctitatis existimationem per omnium ora decantatum viderent, aggressi sunt claris & salutaribus ejus scriptis obscura & perniciosa Origeniani somni venena admiscere. Quare partim additamentis falsis, partim rectis argumentis violenter detortis, multa ex irreprehensibilibus ejus monumentis calumniari conati sunt. Contra quos Germanus pietatis Patronus acutum veritatis gladium strinxit.* Hæc Photius.

THESIS.

MD LXXXVI. **V**Isio Beatorum *(* quâ videlicet vident in cœlo Deum*) invariata, aut solo respectu nova tendentia mutata, nequit creaturas aliquas noviter repræsentare.*

Libertatem Dei non benè explicant, qui ejus immutabilitatem tollunt, adeòque nec, qui eam provenire imaginantur à forma reali intrinsecè superadditâ: consistit enim in ipsius necessaria volitione, quatenus ab ea egreditur aliqua denominatio quæ posset non egredi.

Sic aliqui Professores Scotistæ Pragæ ann. 1653.

De nova repræsentatione.

ET quidem contra doctrinam de visione sic possumus argumentari. Visionis entitas sublatâ omni tendentiâ nihil repræsentabit. Visionis entitas positâ aliquâ tendentiâ aliquid repræsentabit: Ergo positâ novâ tendentiâ aliquid noviter repræsentabit.

Probatur consequentia: Quia tendentia est ratio formalis repræsentandi: ergo positâ novâ ratione formali, erit nova repræsentatio.

Quod tendentia sit formalis ratio repræsentandi, probatur: quia positâ tendentiâ ponitur, & sublatâ tollitur repræsentatio.

De corporis ubicatione.

CONFIRMATVR à pari. Corpus secundum se consideratum & præcisum ab omni ordine ad locum, in nullo est loco: sed per ordinem ad locum A, constituitur in loco A: & per ordinem ad locum B. constituitur in loco B. Ergo visio secundum se considerata, & præcisa ab omni tendentia ad creaturas, nullam repræsentabit creaturam. Ergo eadem visio determinata per tendentiam & ordinem ad creaturam A, repræsentabit creaturam A: & determinata per tendentiam & ordinem ad creaturam B, repræsentabit creaturam B. At idem corpus secundum sua prædicata essentialia & intrinseca invariatum, solo respectu novæ tendentiæ & ordinis ad novum locum mutato, incipit esse noviter in alio loco: Ergo eadem visio secundum sua prædicata essentialia & intrinseca invariata, solo respectu novæ tendentiæ & ordinis ad novam creaturam mutato incipiet noviter repræsentare aliam creaturam.

De actu libero Dei.

IMpugnô thesim alteram, & præcipuè illam particularem *adeoque*: & sic argue.

Etiamsi volitio oriretur à forma reali intrinsecè superadditâ, maneret Deus immutabilis: Ergo, qui libertatem per formam realiter distinctam salvaret: non tolleret immutabilitatem

Repugnat æterno mutabilitas.

Adhuc maneret Deus æternus: Ergo immutabilis. Patet: quia non esset mutabilis, si æternaliter (ab æterno & in æternum) haberet accidentia realia Deus: sed, si posset transire de uno in oppositum: & tamen iste transitus cum æternitate, quæ tota unico instanti indivisibili durat, componi non potest.

Harum thesium collatio.

PRæterea hæ duæ Theses videntur non posse componi; quod hoc modo persuadeo. Visio beata invariata quoad suam essentiam permanens novo ordine ad aliquam creaturam posito, non poterit videre illam creaturam. Ergo volitio divina, si permaneat quoad suam essentiam invariata, licet ordinem ad aliam creaturam dicat, non ideò amabit illam creaturam. Vel detur disparitas.

Argumentationis conversio.

Hoc idem argumentum potuit contrario modo poni: possemus enim à libertate divina ad visionem beatificam procedere: & quidem sic. Tota ratio amandi novas creaturas consistit in tendentia actûs, quo amatur Deus, & in ordine ad novas creaturas: ergo tota ratio videndi novas creaturas consistet

in tendentiâ actus quo videtur Deus, & in ordine ad novas creaturas. Atqui eâdem visione invariatâ, positâ novâ tendentiâ ama-tur nova creatura: ergo eadem visione invariatâ, & positâ novâ tendentiâ videbitur nova creatura. Vel detur manifesta disparitas.

THESIS.

MD LXXXIX. *De specie impressa & expressa Dei.*

B*Eati lumine glorioso donati indigent specie expressa ut Deum videant, possunt tamen habere aut non habere Dei speciem impressam.* Expressæ necessitatem arguit humana imperfectio; ille enim qui cognoscit & antea non cognoscebat, debet mutari & formalitas, qua mutatur, dicitur *species expressa.* Deus autem, cùm infinitus sit in *esse* intelligibili, non indiget specie impressâ, ut reddatur actu intelligibilis, potest tamen illam habere, non ex necessitate, sed ex voluntate; quia est tam infinitus in *esse* operativo, quàm in *esse* intelligibili, cùmque in esse operativo possit producere entitates sine concursu efficienti causarum secundarum, illis enim non indiget: & possit etiam eum concursu ipsarum, illas benignè ad cooperationem admittendo: poterit similiter intelligi sine concursu speciei impressæ & poterit cum illius concursu.

Sed Contra. Ratio, quæ probat beatos non indigere specie impressâ, æquè probat non indigere expressâ: ergo vel utraque debet admitti, vel utraque negari.

Pr. Antecedens. Ideò non datur species impressa, quia Deus est infinitè intelligibilis per modum actûs primi & non indiget specie expressâ, ut in genere intelligibilis compleatur aut constituatur; atqui etiam est infinitè intelligibilis per modum actûs secundi ergo non indiget specie expressa ut de facto intelligatur.

Necessitas speciei impressæ.

Pr. consequentia. Esse infinitè intelligibilem per modum actûs primi infert posse videri quin detur species impressa media inter intellectum & Deum visibilem: ergo esse infinitè intelligibilem per modum actûs secundi inferret Deum de facto videri quin detur species inter intellectum & Deum actualiter visum.

Pr. consequentia. Eadem requiruntur ad actum. Primum per modum potentiæ, quæ ad actum secundum per modum exercitii, differunt enim solo statu; atqui ad actum primum non requiritur species impressa, quæ sit imago potentialis seu virtualis Dei: ergo ad actum secundum non requiritur species expressa, quæ sit actualis imago Dei.

Pr. consequentia. Si ad hoc quod est posse intelligere non requireretur potentia intellectiva virtualiter, hoc est potentia habens virtutem intelligendi, ad intelligendum actualiter non requireretur intellectio actualis: ergo si ad hoc quod est posse intelligere non requiritur species impressa, seu virtualis, ergo ad intelligendum actualiter non requiritur species expressa seu actualis. [Respondebitur esse rationem disparem, quia species impressa se tenet ex parte objecti, expressa ex parte cognoscentis; cùmque in visione beatifica objectum sit infinitum, finita potentia intellectiva, sequitur quod illud non egeat complemento, hæc indigeat.

Sed Contra. Utraque species se tenet ex parte unius extremi: ergo mala est solutio, quæ asserit alterutram se tenere ex parte objecti, alteram ex parte potentiæ intellectivæ.

Pr. antecedens. Utraque species, si Physicè consideretur, se tenet ex parte intelligentis, utraque enim informat intellectum; atqui si intentionaliter consideratur, utraque se tenet ex parte objecti: ergo utraque est ex parte objecti unius extremi.

THESIS.

MD LXXXVIII. *An actus primus dicat imperfectionem?*

I*Ntellectus Divinus habet rationem actûs primi respectu sua infinita scientia ab ipso & essentia formaliter distincta.*

Contra. Omnes perfectiones humanas debemus attribuere Deo sublatis omnibus imperfectionibus, atqui rationes actus primi & secundi sunt perfectiones humanæ: ergò attribuendæ sunt Deo sublatis imperfectionibus. [Conceditur totum.]

Subsumo. Sed ipsa distinctio est imperfectio: ergo perfectiones actus primi & secundi debent attribui Deo sublatâ distinctione, [Distinguitur minor; distinctionem realem esse imperfectionem, conceditur, distinctionem formalem esse imperfectionem negatur: adeòque distinguitur consequens eodem prorsus modo. Conceditur debere illas perfectiones attribui sublatâ distinctione reali, negatur debere sublatâ distinctione formali.]

An distinctio sit imperfectio?

Probatur minor. Distinctio realis est imperfectio realis, ergo distinctio formalis erit imperfectio formalis. Atqui actus primus & secundus intelligendi in Deo, habent distinctionem formalem, ergò & imperfectionem formalè. Ergò & formaliter sunt imperfecti.

Probatur primum antecedens. Ideò distinctio actûs primi & secundi in humanis arguit realem imperfectionem; quia ex vi hujus distinctionis actus primus remanet realiter incompletus. Atqui similiter ex vi distinctionis formalis actus primus in Divino intellectu remanet formaliter incompletus: ergò remanet formaliter imperfectus.

Probatur minor. Completur formaliter actûs secundi: ergo actus primus remanet formaliter incompletus. [Distinguitur utraque positio, secundum nostrum modum concipiendi conceditur, secundum rem ipsam negatur.

Contrà. Secundum nostrum modum concipiendi intellectus per modum actûs primi est

Imperfectio concipiendi.

est incompletus : ergò secundùm nostrum modum concipiendi est imperfectus. Ergo secundum nostrum modum concipiendi est intellectus Dei.

Probatur ultima consequentia. Si ille intellectus de facto haberet aliquam realem imperfectionem, non esset intellectus Dei; atqui ille concipitur habere aliquam imperfectionem: ergo concipitur non esse Dei.

Probatur consequentia. Syllogismus est legitimus; major & minor concessa : ergò negari consequentia non potest.

Notetur hæc instantia.

Probatur major. Ille syllogismus est similis huic; *Si corvus de facto haberet candorem, esset candidus ; atqui concipitur habere candorem: ergo concipitur esse candidus.* Atqui hic est legitimus, ejus enim consequentia concessis præmissis negari non potest: ergò & ille prior [videlicet, *Si ille intellectus de facto haberet, &c.*] etiam est legitimus. Sed admisistis præmissas : ergo admittere debetis consequentiam.

THESIS.

MDLXXXIX. *Latiùs patet scientia simplicis intelligentiæ quam visionis : illa enim ad omnes possibiles extenditur; hæc ad præteritas, præsentes, & futuras.* Hæc mihi videtur evidenter falsa: erat veterum, sed jam à junioribus rejicitur.

Consideretur singula, nam intentum evincunt.

Scientia simplicis intelligentiæ est ante omne decretum sed post decretum, quæ visionis vocatur.

Contra, Æquè patet utraq; scientia: ergò non benè asseritur alteram latiùs patere, quàm alteram.

Probatur antecedens. Nulla est creatura, quæ cognoscatur scientiâ simplicis intelligentiæ, quæ non cognoscatur etiam scientiâ visionis: ergo æquè patet scientia simplicis intelligentiæ, ac scientia visionis.

Probatur antecedens, Omni creaturæ quam scientiâ simplicis intelligẽtiæ cognoscit Deus, de facto competit existentia in aliqua differentia temporis, vel de facto non competit, si de facto competit, cognoscitur scientia visionis; cognoscitur etiam scientia visionis, si non competit: ergo nulla est creatura, quæ cognoscatus scientiâ simplicis intelligentiæ, quæ non cognoscatur etiam scientiâ visionis.

Probatur minor quoad posteriorem partem. Creaturæ nunquam exstituræ quà tales cognoscuntur à Deo; non scientiâ simplicis intelligentiæ: ergò visionis.

Probatur minor. Non dantur creaturæ non exstituræ ante omne decretũ, sed post decretũ: atqui scientia, quæ sequitur decretũ, non est simplicis intelligentiæ, sed visionis: ergo creaturæ nõ-exstituræ, quà tales, cognoscũtur scientiâ visionis, non simplicis intelligentiæ.

Probatur major. Sicut creaturæ existẽtes in aliqua differentia temporis habent à decreto libero quod exstituræ sint, ita & nõ-exstituræ habẽt à decreto, quod exstituræ nõ sint: ergò.

Probatur paritas. Creaturarum non-existentia non est necessaria, aliàs non essent possibiles sed impossibiles: ergo ex creaturis possibilibus Deus istis liberè concedit, & illis liberè negat existentiam. Ergo ipsa Non-futuritio creaturarum, Non-futurarum oritur à libero decreto Dei, & cognoscitur scientiâ visionis.

THESIS.

MDXC. *Cognoscit Deus ... sub conditione ponenda solùs infallibiliter ante decretum omne suum.*

Desumitur medio & futuris liberis conditionatis. [illegible]

Omnipotentia aliud ratione attributum est à voluntate.

Contra *conditionalium illam scientiam,* probabo hujus positionis. *Si gratia ut quatuor daretur Petro & Paulo, Petrus operaretur, Paulus non,* nec futuritionem conditionatam, neque operationum discretionem posse intelligi ante omne decretum.

Arguo *sic.* Futura conditionata cognoscuntur ut dependentia à Decreto Dei: Ergo non ante omne decretum.

1. *Probatur antecedens.* Futura conditionata cognoscuntur ut sunt; Atqui dependent à decreto, ab illo enim habent quod sint futura: Ergo cognoscuntur ut pendentia à decreto.

2. *Probatur minor.* Futura absoluta à decreto habent suam futuritionem absolutam. Ergo dependent à decreto. Ergo etiam conditionata in sua futuritione continuata ; aut detur disparitatis ratio. [quod alia sint absoluta, alia conditionalia.

Origo futuritionis.

3. *Contra.* Futura absoluta pendent à decreto absoluto; Ergo & cõditionata à conditionato;

4. *Probatur consequentia.* Futurum absolutum habet duas formalitates, nempè formalitatem futuri, & formalitatem absoluti: quà futurum ut sic dependet à decreto ut sic; quà futurum absolutum, à decreto absoluto: Ergò quà conditionatum à futuro conditionato. [hæc sunt vera, aut detur disparitas.]

5. *Pr. consequentia.* Hæc conditionata futura si exponuntur ante omne decretum, exponuntur ut non dependentia à Deo. Atqui ipsa dependent à Deo; Ergo malè exponuntur. Ergo solutio est nulla.

6. *Probatur major.* Sic exposita non dependent à decreto absoluto Dei: non à conditionato: Atqui nec ab Omnipotentia Dei; Ergò non dependent à Deo. [Responderunt concedendo majorem, & minorem distinguendo, Futurum conditionatum non dependere à futuro posito asseruerunt; non dependere à ponendo, negarunt.

7. *Probatur minor.* Futurum conditionatum aliquid addit supra purè possibile: Atqui hoc quod addit supra possibile non dependet ab omnipotentia [ex conceptu enim omnipotentiæ solùm inferuntur creaturæ quà possibiles.] Ergo dependet à decreto posito. [Responderunt distinguendo majorem, affirmarunt conditionatum futurum addere supra possibile aliquid, non quidem positum, sed ponendum sub conditione, ideòque sufficere quòd dependeat à decreto sub conditione ponendo. Ideòque concessâ minore negarunt consequentiam.]

Discrimen futuri & possibilis.

8. *Pr. consequentia.* Futurum absolutum addit supra conceptum rei purè possibilis conceptum futuritionis absolutæ, & tamen non dependet à decreto ponendo sed posito: Ergo

tametsi

tametsi futurum conditionatum aliquid futurum addat supra conceptum rei purè possibilis debebit pendere à decreto posito. Videtur disparitas. [Quod alterum sit absolutum & alterum conditionatum.]

Futuri & decreti divini collatio

9. Sicut se habet futurum absolutum ad decretum absolutum, ità & conditionatum: Atqui futurum absolutum pendet non quidem à decreto absolutè ponendo, sed ab absolutè posito: Ergò futurum conditionatum non dependebit à decreto conditionatè ponendo, sed conditionatè posito. [negatur major; quia futura absoluta habent existentiam in aliquâ differentiâ temporis, conditionata autem non habent, haberent tamen tumque magis dependeant à Deo, quæ sunt, quàm quæ non sunt sed essent, hinc est quod futurum absolutum debeat pendere à decreto absolutè posito, & conditionatum non à posito, sed ab eo quod poneretur.]

10. *Contrà.* Ideò futurum conditionatum non dependet à decreto posito, sed si poneretur dependeret, quia non est, sed esset: Atqui futurum absolutum non est sed erit; Ergò non dependet à decreto quod est sed ab eo quod erit. Vel si res, quæ erit, non pendet à decreto quod erit, sed ab eo quod est; res etiam quæ esset, non dependebit à decreto quod esset, sed à decreto quod est. Respondetur concedendo majorem tam respectu Dei quam nostri; & distinguendo minorem, concedendoque respectu nostri, negando respectu Dei. Ipsi enim nulla sunt futura.]

11. *Contra.* Respectu Dei nulla sunt futura: ergò futurum conditionatum non dependet à decreto sub conditione futuro,

An Deus habeat decreta futura & quo fundet

12. *Probatur conseq.* Si in Deo essent decreta futura, jam respectu Dei essent futura: Atqui secundùm vos respectu Dei nihil est futurum; Ergò nec habet decreta futura. [Conceditur major re vel ratione; nimirùm, si in Deo essent decreta re vel ratione futura, jà respectu Dei futura essent re vel ratione futura. Distinguitur minor. Re conceditur, ratione negatur; quia tametsi nihil sit verè futurum nos fingimus esse futurum.

13. *Contra.* Vos fingitis decreta futura ut asseritis: ergò & futurum conditionatum pēdere à decreto ficto affirmatis. Ergò verè non depēdet à decreto futuro. Ergò vel dependet à posito, aut non dependet à Deo. [Distinguitur antecedens; frustra illa fingi cum fundamento in re, conceditur, fingi sine fundamento negatur. Et eodem modo consequens distinguitur. Futurum dependere à decreto ficto cum fundamento in re, conceditur; dependere à ficto sine fundamento, seu à chimærico, negatur.]

14. *Probatur antecedens.* Atqui nullum est fundamentum ad concipiendum illud decretum futurum. Ergò illud fingitis sine fundamento in re.

15. *Probatur minor.* Est repugnantia in ipsis rebus. Ergò nullum est fundamentum.

16. *Probatur antecedens.* Conceptus deitatis & conceptus decreti ponendi sunt incomponibiles; Ergo est repugnantia in rebus.

17. *Probatur antecedens.* Res ipsæ sunt incomponibiles. Ergò & conceptus.

N. B.

18. *Probatur conseq.* Iste est bonus discursus, *si paries realiter haberet albedinem, esset realiter albus; concipitur habere albedinem, ergo concipitur esse albus*: Ergò etiam iste, *si Deus realiter haberet decreta realiter futura, esset imperfectus, ideòque non Deus; Atqui concipitur habere decreta futura: Ergò concipitur esse imperfectus, ideòque intelligitur non esse Deus.* [Concessa majori, quæ negari non potest, distinguebatur illa minor, atqui concipitur Deus habere decreta futura præcisivè, non verò negativè. Non enim est verum dicere in Deo. *Nunc non habet decretum, sed postea habebit*; nec est verum dicere. *Nunc concipitur carere decreto quod postea habebit*; sed *Nunc non concipitur habere decretum & posteà reconcipietur.*]

19. *Contra.* Atqui hæc solutio militat contra alias solutiones: Ergo.

20. *Probatur minor.* Sæpissimè à vobis est assertum futurum conditionatum dependere à decreto sub conditione futuro; modò asseritur mentem abstrahere ab illo futuro: Atqui repugnat quod res quæ intelligitur dependere ab alterâ, intelligitur abstracta ab alterâ, hoc est, non intellectâ alterâ; hæc igitur solutio & præcedentes componi nō possunt. [Quomodocumque hæc contradictio componatur, eò debet respondens venire, ut affirmet futura conditionata vel nullomodò dependere à Deo, vel saltem non dependere à Deo quà libero, hoc est, à decreto posito Dei. Ideoque si tempus suppetat adhuc possent impeti adversarij argumento sequenti.]

Contra eandem Thesin.

MDXCI. An à Deo pendeat prædestinatio

CONditionata futuritio non dependet voluntate Dei; Ergò nec nostra prædestinatio, justificatio & discretio,

1. *Probatur.* Nostra justificatio & justificationis discretio non esset præsens si non fuisset futura conditionatè; Atqui futuritionem cōditionatam non habet à decreto Dei: Ergò neque existentiam. [Negatur consequentia; quià tametsi non foret ni futuritio illa conditionata præcessisset, nihilominus non sufficit quod illa futuritio conditionata præcesserit ad hoc ut sit; opus est enim secundâ gratiâ, dante gratiam opportunè nempè cum videtur Petrus operaturus.

2. *Probatur consequentia.* Si nostræ justificationis discretio penderet à Deo, aut penderet per gratiam datam Petro & Paulo, aut per aliam datam Petro & negatam Paulo. Atqui non potest dici prius, quia illa gratia est æqualis; non posterius, quia esset physica prædeterminatio: Ergo nostræ justificationis discretio non dependet à Deo. [hic possent bifariam respondere, nimirùm,

Vel gratiam illam æqualem discernere:

3. *Contrà.* Est eadem in utroque: Ergo non potest discernere unum ab altero.

4. *Probo consequentiam.* Gratia com-

munis bono & malo non potest discernere bonum à malo; Atqui æqualis illa est in bono & malo: Ergò non potest discernere bonum à malo.

5. *Probatur major.* Negas majorem? ergò verba expressa Augustini.

Gratia duplex communis & specialis.

Ipse enim libri de prædestinatione Sanctorum cap. 5. explicans verba Pauli *ad Corinthios* 3. nimirùm, *Qui gloriatur in Domino glorietur*, sic inquit, *Nihil autem huic sensus tam contrarium est, quam de suis meritis quemquam gloriari, tanquam ipse sibi ea fecerit, non gratia Dei; sed gratia quæ discernit bonos à malis, non quæ communis est bonis & malis.*

Quomodo pendeant

Vel possent respondere dari gratiam datam uni & negatam alteri.

6. *Contrà.* Si datur tertia gratia, concessa uni & negata alteri, hæc erit gratia physica prædeterminans: Atqui negatis physicam prædeterminationem: Ergò non datur tertia gratia concessa uni & negata alteri. [Negatur major, quia illa tertia gratia est moralis non physica: gratia enim & favor divinus est, quòd detur gratia quando prævidetur Petrus operaturus.]

7. *Probatur major.* Illa tertia gratia datur quidem: sed efficienter producit merita. Ergo est physica moralis.

8. *Probatur minor.* Ex Augustino, jam citato. Vbi vides quòd S. Doctor discretionē neget gratiæ cōmuni bono & malo, & tertiæ alteri gratiæ attribuit: Ergò illa à vobis asserta propositio, nimirum, *Gratia communis bono & malo discernit bonum à malo*, negatur à D. Augustino hanc discretionem tertiæ gratiæ attribuenti.

Si dicant se non negare hanc tertiam gratiam, confugient ad secundam solutionem instantiæ secundæ, cui occurritur in secundâ columnâ, unde petenda est oppugnatio.

Item clarissimè Aug. docet hanc gratiam tertiam producere merita efficienter [Si dicatur illud *facit* intelligi debere moraliter, nimirùm non de actione physica, sed de morali.

9. *Contrà sic.* Inter hominem justum & impium est discretio physica & realis. Atqui Deus non causat hanc discretionem physicè per gratiam communem bono & malo: non per tertiam illam gratiam datam bono & negatam malo. Ergò Deus non discernit physicè justum ab impio: Atqui ipse est discretus physicè; Ergo ipse se discernit physicè. Ergo in ordine rerum realium, ipse est prima causa suæ discretionis.

NOTA.

Hic obiter occurrit Augustinum admittere gratiam sufficientem, admittit enim *communem bonis & malis*, hæc autem efficax non est, quia efficax non est communis malis. Sed hæc veritas alibi uberiùs illustrabitur.

THESIS.

Essentiæ creatæ, non à se, sed esse suum possibile, imò & impossibilia esse suum impossibile, ab hac illimitata perfectione participant. Statuenda insuper in Deo scientia conditionatum, quâ conditionatè futura omnia, ante decretum absolutum pervadit.

Potentiam exsecutivam ne ratione quidem ab intellectu practico & voluntate efficaci distinguimus.

CONTRA. Scientia media non est ante scientiam simplicis intelligentiæ; scientia simplicis intelligentiæ non est ante decretum absolutum: ergo scientia media non est ante decretum absolutum.

Ex modo negativo benè concluditur.

Probatur minor. Scientia simplicis intelligētiæ non est ante suum objectum; hoc non est ante decretum absolutum: ergo scientia simplicis intelligentiæ non est ante decretum absolutum.

Probatur maior. Creaturæ possibiles sunt objectum scientiæ simplicis intelligentiæ; hæc non sunt ante decretum absolutum: ergo objectum scientiæ simplicis intelligentiæ non est ante decretum absolutum.

Probatur minor. Creaturæ possibiles non sunt ante omnipotentiam [utpote quæ juxta thesin 3. ab eâ suum esse possibile participant.] Atqui omnipotentia est decretum absolutū: ergo creaturæ possibiles non sunt ante decretum absolutum.

Probatur minor. Omnipotentia est Dei potentia executiva; hæc est decretum absolutū: ergo omnipotentia est decretum absolutum.

An possit respondens thesin corrigere.

Probatur minor. Potentia executiva est voluntas efficax; voluntas efficax est decretum absolutum: ergo potentia executiva est decretum absolutum. [Consequentia est legitima; maior expressa in Thesi: minor ab omnibus admissa: ergo intentum videtur convinci.] Respondebatur distinguendo majorem: admittebant potentiam executivam in actu primo distingui à decreto efficaci, secus potentiam in actu secundo.

Displicet primò ille ipsissimus loquēdi modus; nam aut fallor, aut Theseos potiùs correctio, quam expositio est. Quis enim unquam dixit intellectivum nominari illum, qui actualiter intelligit; hic enim intelligens est, non verò purè intellectivus: sed nihilominùs arguo sic.

Hæc propositio, *Potentia executiva est voluntas efficax*, distingui non potest: ergò non sufficit data solutio.

Probatur antecedens. Si distingui propositio illa posset, admittendæ essent duæ contradictoriæ simul veræ; atqui hoc est absurdum: ergo distingui illa non potest.

Probatur illatio maioris. Si illa propositio distinctionis esset capax, essent veræ istæ duæ positiones. *Potentia executiva & voluntas efficax aliquo sensu distinguuntur, Potentia executiva & voluntas efficax in nullo sensu distinguuntur*; hæ sunt contradictoriæ: ergo admittendæ essent duæ contradictoriæ. [Primam con-

Quid sit potentia exsecutiva in Deo?

contradictoriarum debere admitti constat, quia aliàs, si hæc positio, *Potentia executiva & voluntas efficax in aliquo sensu distinguuntur*, vera non est; hæc, *Potentia executiva & voluntas efficax, distingui non potest*, vera est; quia si distinguitur, in aliquo sensu distinguitur. Contradictoriarum altera expressa in Thesi est: quia, si potentia executiva & voluntas efficax ne ratione quidem distinguuntur, in nullo sensu distinguuntur.] Respondebatur Thesin non agere de potentiâ executivâ & voluntate actu efficaci; sed vel de potentiâ executivâ & voluntate potentia efficaci, vel de potentiâ exequenti & voluntate actu efficaci: addebatur, nec potentiam executivam à voluntatis potentiâ quâ potente velle efficaciter, nec potentiam exequentem à voluntate volente actualiter efficaciter distingui posse, vel aliquo rationis sensu.

Contrà. Sic hæc positio vera, *Si Petro det Deus gratiam A operabitur liberè*, Ergo si per impossibile ipse eamdem haberet gratiam ab alio quàm à Deo, modò haberet, liberè operaretur. Ergo si intelligeretur Deus carere scientiâ mediâ & tamen dare gratiam A, intelligeretur Deus facere ut Petrus haberet gratiam A. Atqui si ipse illam haberet, undecumque & qualitercumque haberet, liberè operaretur: ergò Deus tametsi careret scientiâ mediâ, modò daret Petro gratiam A. Cæco modo faceret ut Petrus liberè operaretur: Negatâ igitur scientiâ mediâ nihil potest prædefinire Deus certò & infallibiliter futurum: illa autem quæ fallibiliter prædefiniret; acciderent vel non acciderent illesâ liberâ hominum voluntate. Igitur talis definitio scientiæ Divinæ certitudini & infallibilitati opponitur, non verò humanæ libertati.

THESIS.

MDCCXIII An sint prædestinati ex meritis?

COmmunis Scholasticorum nostro tempore florentium Resolutio est, *Prædestinasse Deum omnes sanctos ad gloriam ante prævisionem meritorum.*

CONTRA. Deo attribuendæ sunt perfectiones humanæ sublatis imperfectionibus [Paulus, *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*] Atqui esset imperfectio humana prædestinare & eligere aliquem ad aliquam illustrem dignitatem (puta Pontificiam, Cæsaream) ante prævisa merita: ergo hæc imperfectio debet attribui Deo.

Si minor negatur, facili negotio Respondens oppugnabitur.

Quibus debeant dignitates conferri?

Probo sic. Omnia jura, omnia Rerumpublicarum leges interdicunt ne dignitates conferantur indignis; multæ constitutiones non permittunt dignos dignioribus præponi. Atqui his legibus & obligationibus homo non potest satisfacere, quin prævideat & examinet merita: ergo non potest prudens homo aliquem eligere & prædestinare ad aliquam supremam dignitatem ante prævisa & benè examinata merita.

Debet igitur absolutè concedi major, & minor di in qui; concedi; quod talis prædestinatio esset imperfecta per accidens, negandum quod esset imperfecta per se. Ratio responsionis hoc exemplo illustrabitur. Vis algentem Petrum calefacere & eligis ligna; & ipsissimam electionem dijudico. Si illa potes incendere prudens es, si non potes, imprudens. Ergo similiter; vacat tale officium, & eligis Petrum, cujus vitam & merita explorata non habes; & pariformiter electionem censuro. Si vis & potes illum reddere dignum antequam illam dignitatem adeat, prudens es; aliàs imprudens, Ergo illa humana electio non est imprudens ex eo præcisè quod elegerit Petrum ante prævisa & explorata merita, sed ex eo quod cùm merita dare non possit, & ipsa omninò necessaria sint, an præhaberentur à Petro non examinaverit.

Nota hìc obiter Regê posse efficaciter velle vendere Petro talem arcem ex. gr. antequam sciat, utrùm habeat Petrus pecunias: potest enim Rex dicere, *Si non habeat, dabo.* & hæc meditatio non est mala, ut prædestinatio intelligatur.

Contrà. Hæc solutio contradictoria implicat: ergo non est bona.

Probatur antecedens. Primo supponit non prævideri merita, secundo ait illa prævideri; atqui prævideri & non-prævideri sunt contradictoria: ergo implicat contradictoria.

Probatur maior quoad secundam partem. Ideò Deus sine imprudentiæ notâ potest eligere Petrum ad gloriam ante prævisa merita, quia est omnipotens & illi potest dare merita. Atqui non potest Deus cognoscere se posse Petro dare merita, quin cognoscat merita: ergo non prædestinat Petrum ante prævisa merita. [Distinguitur major, conceditur Deum prævidere merita ut possibilia, non ut futura.]

An Deus possit præscindere?

Subsumo. Atqui præcognoscit Deus illa merita Petri ut futura: ergo non prædestinat Petrum ante quam cognoscat merita futura.)

Probatur antecedens. Non cognoscit illa merita esse non futura: ergo cognoscit esse futura: Deus enim non potest ab utroque præscindere.

Probatur consequentia. Cognoscit illa ut sunt in se; in se sunt vel futura, vel non futura: ergo necessariò cognoscit illa esse futura aut non esse futura. Atqui non cognoscit illa non esse futura: ergo cognoscit illa esse futura. Respondetur ad majorem sub distinctione. Conceditur Deum cognoscere merita ut sunt in se præcisivè, hoc est, abstrahendo à futuritione & non futuritione: negatur Deum cognoscere illa affecta futuritione aut non futuritione.]

An scientia Dei sit abstractiva?

Contrà. Deus non cognoscit illa merita ut affecta non-futuritione; atqui neque illa cognoscit, ut præcisa: ergo superest ut illa cognoscat affecta futuritione.

Probatur minor. Scientia Dei non est abstractiva sed intuitiva; ergo debebit intueri

illa merita. Ergò non poterit illa abstractim & præcisè cognoscere,

PRÆTEREA. Deus cognoscit illa merita ut media; atqui quà purè possibilia non sunt media, sed quà futura: ergo Deus cognoscit illa quà futura.

Probatur minor. Non acquiretur cælum meritis purè possibilibus, sed existentibus: ergò merita quà purè futura non sunt media ad vitam æternam consequendam.

THESIS.

MDXCIV. *DEus prædestinat hominem ante prævisa merita.*

Contrà. Deus non prædestinat hominem antequam ipse Deus sit: atqui si prædestinaret ante prævisa merita, prædestinaret antequam esset; ergo non prædestinat hominem ante prævisa merita.

An in Deo detur prius & posterius. *Probatur minor.* Deus non est antequam prævideat merita: atqui si prædestinaret ante prævisa merita, esset Deus antequam prævideret merita: ergò Deus prædestinaret antequam esset, si prædestinaret ante prævisa merita.

· *Probatur maior.* Deus prævidit merita ab æterno: atqui ante æternum nihil est; ergò Deus non est antequam prævideat merita. [Responderi posset distinguendo majorem secundi syllogismi; Deus non est antequam prævideat merita, realiter non est, concedo: secundum nostrum modum concipiendi, nego.]

Ruitur has illatio. *Contrà.* Ergò realiter loquendo falsum est, quod Deus prædestinet hominem ante prævisa merita, & illa prioritas rationis est chimerica [prioritas namque rationis ratiocinatæ debet habere fundamentum in re, & illa habet in re (nempe Deo) contradictorium fundamentum, quod est æternitas, quæ infinitè simultanea est, & essentialiter omnem successionem excludit. Nec valebit dicere, quòd fundamentum in re illius prioritatis sit tempus creatum; etenim si hoc sufficeret, possemus etiam dicere, quod Deus nos prædestinaverit in tempore, quandoquidem nos omnes simus in tempore. Poteris prætereà prioritatem illam rationis ratiocinatæ impugnare hoc modo.

Si Deus realiter prius elegisset homines quàm prævidisset merita, realiter Deus esset imperfectus: atqui concipitur elegisse priùs, quàm prævideret merita; ergò concipitur imperfectus; ergò concipitur non esse Deus; Consequentia est legitima] & similis huic; si paries habet albedinem est albus; ergò si cōcipitur habere albedinem, concipitur esse albus. Nunquam ergò dicendum est, Deus intelligitur priùs elicere unum actum quàm eliciat alium: sed dicendum, tametsi Deus omnes simul actus eliciat priùs intelligit homo Deum elicere unum actum, quam intelligat homo Deum elicere alium.

THESIS.

MDXCV. *INtellectus & Voluntas Divina, ab essentia, inter se, & à suis actibus formaliter distinguuntur.*

Persona Divina non se totis, sed proprietatibus relativis realiter distinguuntur & constituuntur: Pater nempè Paternitate, Filiatione Filius, & Spiratione passiva Spiritus sanctus.

HÆ duæ Theses videntur sibi contradicere: quod sic ostendo.

An prima persona sit prior paternitate. Prima persona antequam intelligatur habere paternitatem, intelligitur esse persona perfecta & completa. Ergo non constituitur paternitate.

Probatur antecedens. Secunda persona (imò etiam prima) antequam spiret & producat Spiritum sanctum, intelligitur completa & integra in esse personæ, adeòque per spirationem activam non constituitur: Ergo prima, antequam generet Verbum, debet intelligi completa & integra in ratione personæ: ergo non potest constitui in ratione personæ per generationem activam.

Dabitur disparitas, & ipsa debet benè considerari; sæpè enim ubi volunt propugnatores invenire disparitatem, firmant objectam paritatem.

An idem sit constitutivum & distinctivum. *Sic arguò.* Ratio, quâ constituitur prima Persona, est prima illa formalitas, quâ distinguitur à secundâ: sed ante paternitatem per intellectionem & generationem Persona prima distinguitur à secundâ. Ergo ante paternitatem per intellectionem & generationem prima persona constituitur.

Respondetur Paternitatem esse ipsammet intellectionem & generationem.

An actu primo à secundo distinguatur. *Sed adhuc contrà.* Adhuc ante generationem activam prima Persona distinguitur à secundâ: Ergo.

Probatur antecedens. Ante generationem est potentia generativa: sed omnis potentia est prior suâ actione: ergo potentia generativa est prior generatione ipsâ. Sed per hanc prima Persona sufficienter distinguitur à secundâ: ergo ante generationem activam distinguitur prima à secundâ.

Respondetur in Deo idem esse posse generare & actu generare, quia æternus & infinitus est, & in æternis & infinitis non distinguitur *posse* & *agere*.

Sed contrà. Etiam in divinis distinguitur *posse* & *agere*: Ergo ruit solutio.

Probatur antecedens. Intellectus divinus & Voluntas Divina sunt potentiæ, attamen distinguuntur à suis actibus: ergo in divinis *facere* & *posse* distinguuntur.

Probat minorem prima Thesis. Quid ergo?

An in potentiis essentialibus detur actus primus, & in notionalibus non detur. Respondent distinguendo inter potentias essentiales & notionales: illæ enim à suis actibus distinctæ sunt, & istæ suis actibus identificantur.

Sed cur? Sic argumentor. Eodem modo debemus philosophari de potentiis notionalibus quo de essentialibus: at istæ distinguuntur à suis operationibus: ergo etiam illæ. Vel detur disparitas.

THE-

THESIS.

SPiritus Sanctus, si à solo Patre æterno procederet, adhuc à Filio realiter distingueretur. Ita contra Thomistas Scotistæ.

MDXCVI. Quomodo debeant argumenta contra hanc assertionem procedere?

SOlet hæc Positio impugnari illo recepto & præscripto Theologorum Axiomate, *In Divinis omnia sunt idem, ubi non obviat relationis oppositio.* quod ipsum, quia Scotistæ negare nolunt, tot limitationibus recipiunt, ut fortè satius esset negare.

Quomodo illa debeant explicari & intelligi.

Interim hîc monere volo Argumentatores, hanc thesim sæpè malè defendi, sæpè malè oppugnari. Dixerunt aliqui in tali hypothesi, non fore eumdem Spiritum sanctum, qui nunc est, sed alium aut numero aut specie (& hoc ultimum veriùs) distinctum. Sed hi tollunt hypothesim; quia, si in tali casu esset alius Spiritus sanctus, etiam esset alius Filius, & alius Pater: ergo alius Deus. Et, si alius Deus, fortè non trinus: quia ex hypothesi, quod noster Deus, non esset Deus, nullus alius trinus & unus esset Deus. Accedit, quod hæc controversia nascitur ex aliâ inter Latinos, Græcosque ventilata: Græci enim dicebant Spiritum sanctum non procedere ab utroque; sed à Patre solummodò; & contra eos Doctor Angelicus sic argumentabatur.

Spiritus sanctus distinguitur à Verbo æterno; At, si non procederet ab illo, non distingueretur ab illo: Ergo ab eo procedit.

Hic syllogismus non agit de alio Spiritu sancto, sed de hoc, qui modò est: nam de hoc quæritur, An à Verbo procedat? Ergo quando recurritur ad alium Spiritum sanctum qui esset, tollitur tota hypothesis.

An hæc controversia sit potius Logica quàm Theologica?

Verbo dicam. Inter Thomistas & Scotistas hæc quæstio potiùs est Logica, quàm Theologica: dicunt enim Patres Dominicani hanc esse bonam consequentiam; nimirùm.

Spiritus sanctus non procedit à Verbo:
Ergo non distinguitur ab illo.

& ajunt Patres Franciscani hanc eamdem consequentiam esse malam: &, si Argumentator & Propugnator hinc declinant, exorbitant, & à difficultate recedunt.

THESIS.

MDXCVII. Quomodo constituantur & distinguantur personæ divinæ?

P*Ersona Divina constituuntur relationibus Paternitatis, Filiationis, Spirationis.*

1. CONTRA. Pater priùs est persona, quàm sit Pater: ergò non constituitur Paternitate in esse personæ.

2. *Probatur antecedens.* Priùs est innascibilis quàm sit Pater: sed cum intelligitur innascibilis intelligitur esse persona: ergò priùs quam sit Pater, est persona.

3. *Probatur maior.* Si non esset innascibilis non esset Pater: ergò priùs est esse innascibilem quàm esse Patrem.

4. *Probatur consequentia.* Priùs intelligitur Patrem non-nasci quàm Filium nasci; atqui primam personam esse Patrem, & generare Filium simul intelligitur ac Filium generari & nasci à Patre; ergò priùs intelligitur Patrem non nasci, quàm generare.

5. *Probatur minor.* Correlativa sunt simul naturâ, tempore & cognitione; sed generare & generari sunt correlativa: ergò sunt simul. Distinguitur; tempore conceditur consequentia; origine negatur. Ratio est, quia origine posterior est paternitate filiatio.

6. *Contrà.* Secundùm vos generare & generari in sensu à vobis adsignato sunt simul; atqui in eodem sensu prius est Patrem non nasci, quàm Filium nasci: ergò & eodem sensu priùs est Patrem non nasci quàm Patrem generare: Multis modis illa antecedentia distinguuntur, sed nihilominùs

An detur actus primus?

7. *Probatur consequentia.* Prius est Patrem esse generativum, quàm generantem; sed non est priùs esse generativum, quàm esse innascibilem: ergò prius est in Patre non nasci, quàm generare.

8. *Probatur maior.* Prius est Patrem esse spirativum quàm spirantem: ergò priùs est esse generativum quàm generantem. Respondetur vel concedendo antecedens & negando consequentiam.

Spiratio cum generatione comparatur.

9. *Probatur consequentia.* Est paritas omnimoda: ergo siquidem prius est principium spirativum quàm ipsa spiratio, etiam principium generativum erit priùs quàm ipsa generatio. *Probatur antecedens:* Eodem modo producit spirationem principium spirativum, quo generativum generationem: atqui spirativum est priùs spiratione: ergo generativum generatione. Datur disparitas, quod spiratio activa intelligitur advenire personæ jam constitutæ, ideòque potenti spirare; sed generatio activa non advenit personæ sed naturæ divinæ, & propterea non advenit & principio generativo.

An divinitas generet?

10. *Sed contrà.* Ex hâc solutione sequeretur non Patrem, sed naturam divinam generare: ergo solutio non est bona. *Probatur antecedens.* Illud operari dicitur *ut quod* ex quo emanat actio: atqui juxta nostram doctrinam generatio activa emanaret ab essentiâ: ergò juxta vestram sententiam essentia generat *ut quod* activè. Hic est opus vel non satisfacere, vel aliquid ponere inter naturam & generationem actualem. Ponere aliquid absolutum non expedit, novam relationem transcendentalem non juvat: ponatur ergò ipsam Paternitatis relationem bifariam posse considerari secundum *esse in* & secundum *esse ad.* Secundum *esse in* considerata constituit personam Patris proximè potentem generare, secundum *esse ad* actu generat.

Esse in. & esse ad.

Contra eamdem Thesin.

MDXCVIII. An actum potentia præcedat?

INstantia octava erat hæc; Prius est Patrem esse spirativum quàm spirantem: Ergo priùs est esse generativum quam generantem. Supposito antecedenti esse bonam consequentiam paulò ante probavimus: nunc ipsum 9. *Probetur antecedens.* Non est simul, non est posterius: ergò priùs. 10. *Probatur minor.* Pater est prior Filio; atqui pro illo priori, pro

An Pater sit prior Filio?

quo intelligitur ante filium, intelligitur spirativum & intelligitur spirans: ergò priùs intelligitur spirativus quàm spirans. 11. *Probatur antecedens.* Pro illo priori nondum intelligitur spirare (quia Pater & Filius simul spirant Spiritum sanctum) atqui intelligitur spirativus: ergo antequam intelligatur spirans intelligitur spirativus. [Hic vidi bifariam responderi. Vel negando majorem, vel concedendo majorem & negando minorem: tenent enim atqui Scotici verbis expressis Doctoris subtilis muniti, priùs à Patre spirari Spiritum sanctum, quàm à Filio.] 12. *Probatur major.* Si pro illo priori pro quo intelligitur Pater ante filium intelligeretur actu spirare, Spiritus sanctus non procederet à Verbo: atqui de fide est quod procedat: ergo Pater non intelligitur activè spirare antequam intelligatur Verbum. 13. *Probatur major.* Cùm Verbum intelligeretur posse Spiritum sanctum producere, ipse esset jam productus: ergo non procederet à Verbo. [Antecedens omninò patet, quia si simul Pater generat & spirat, simul erunt harum operationum termini, nimirùm, generatum & spiratum, cùmque in Filio priùs sit nasci quàm spirare, Spiritus sanctus jam esset spiratus à Patre antequam spiraretur à Filio.] 14. *Probatur consequentia.* Ideò Spiritus sanctus non generat Verbum, quia reperit illud generatum: atqui similiter ex vestris principiis reperiret Filius Spiritum sanctum spiratum: ergo non spiraret illum 15. *Probatur major.* Nulla alia ratio suppetit: ergo dicendum est hanc unicam esse. 16. *Probatur antecedens.* Si simul intelligeretur Filius nasci & Spiritus sanctus spirari à Patre, non esset ratio cur potiùs deberet dici, quòd Filius spiraturus esset Spiritum sanctum priùs à Patre spiratum, quàm quòd Spiritus sanctus geniturus esset Filium jam genitum à Patre. Ergo dicendum est, vel Verbum & Spiritum sanctum à solo Patre procedere, vel non solum Spiritum sanctum sed etiam Verbum procedere ab utroque, vel tandem, quod priùs intelligatur Filius nasci, quàm Spiritus sanctus spirari. Atqui illa duo dici non possunt: ergo hoc ultimum dicendum est. [Dignetur Lector benè legere has ultimas consequentias, quia me indice hæc Scoti sententia, quâ dicitur Spiritum sanctum priùs à Patre quàm à Filio procedere difficilis omninò est]

An Spiritus sanctus procedat à Verbo?

An, & cur Spiritus sanctus nō generet Verbum?

An Spiritus sanctus priùs à Patre, quā à Filio procedat?

Contra eamdem Thesin.

MDXCIX.

Quod Filio Pater communicaverit

Undecimo loco posuimus syllogismum cujus majorem probavimus huc usque: & quid si aliquis non jam majorem negaret, sed minorem illam hoc modo probaremus. 12. Omnia Filio communicavit Pater exceptâ Paternitate: ergò communicavit Filio rationem principij spirativi: ergo Pater ante generationem Verbi intelligebatur habere rationem principij spirativi. [Patet consequentia, quia nihil est in Filio, quod non est à Patre, nihil in Filio præter formalitatem Filiationis, quod non fuerit priùs in Patre. Cùmque esse principium spirandi sit aliquid distinctum à filiatione, debuit in Patre reperiri.] Si dicatur ipsammet Filiationem esse principium spirativum; 13. *Contrà.* Hæc solutio probat meam consequentiam, quam negastis: ergo non sufficit. 14 *Probatur antecedens.* Consequentia negata erat, *Ergo Pater ante generationem Verbi intelligebatur habere rationem principij spirativi*; hæc nascitur ex vestrâ solutione: ergò hæc solutio probat consequentiam, quam negastis. 15. *Probatur minor.* Vestra solutio consistit in hoc, quòd Filiatio sit principium spirativum, hancque nō fuisse in Patre: ergò vel Pater non spirat, aut Paternitas est principium etiam spirativum Atqui prior est Filiatione Paternitas: ergo ratio principij spirativi priùs intelligitur in Patre quàm in Filio. [Cæterùm hæc solutio non solùm non est sufficiens, sed neque vera, quia si Paternitas in Patre & Filiatio in Filio essent spirandi principia, sequeretur Patrem & Filium non esse unum principium Spiritûs sancti, sed duo principia, quod admitti non debet.]

An Paternitas & Filiatio sint principium partiale, & Filiatio alterum principium partiale producendi Spiritum sanctum?

THESIS.

MDC.

Sententia asserens Personas Divinas constitui per se primò proprietatibus absolutis, nec hæretica, aut in fide erronea, vel temeraria censenda est, ut subtiliter ostendit noster Subtilis Doctor in 1. dist. 26. qu. unic. Spiritum Sanctum, etiamsi à solo Patre procederet, à Filio distinctum iri censeo.

Contra. De fide est Personas Divinas per se primò constitui relationibus; atqui relationes non sunt proprietates absolutæ: ergò de fide est non constitui per se primò proprietatibus absolutis. Ergo hæresis est constitui proprietatibus absolutis.

Probatur antecedens. De fide est distingui relationibus: ergò de fide est constitui relationibus. [Constat antecedens ex Concilio Toletano XI. quod citat & sequitur vester Smisingus, ubi in Confessionis fidei capite 1. habetur hæc periodus; *In relativis Personarum nominibus Pater ad Filium & Filius ad Patrem & Spiritus Sanctus ad utrosque refertur.* Et mox, *In relatione personarum numerus cernitur.* Et post pauca. *Hoc solo* (Nota benè) *numerum insinuant, quod ad invicem sunt: & in hoc numero carent quod ad se sunt.*] Nota tamen id Cōcilium non fuisse expressè approbatum ab ecclesiâ asserente Ruyzio de Trinit. disp. 87. sect. 2. & referentibus non tamen impugnantibus Salmanticensibus tractat. 6. in 1. part. disp. 18. dub. 2. num. 19. Sed an benè aliàs examinabitur.

Probatur consequentia. Idem est principium constitutivum & distinctivum; atqui de fide est principium distinctivū esse relationē: ergò & de fide est esse relationem etiā principium personarum constitutivum. [Distinguitur major, & conceditur esse probabilem,

bilem, negatur esse de fide; & concessâ minori, negatur consequentia: quia ex majore probabili & minore de fide, non sequitur conclusio de fide sed probabilis juxta illud commune Dialecticorum principium *Conclusio sequitur debiliorem partem.*] Sanè concedi debuit majoris probabilitas, aliàs enim Spiritus Sanctus non distingueretur à Verbo, si non procederet ab illo, & hoc contra Thesin XXX.

Pr. consequentia. Si major esset evidens, cõsequentia esset tenenda de fide; atqui apud vos est propositio evidens: ergo apud vos consequentia est fide tenenda.

Pr. minor. Est principium vestrę Scholæ (aliàs enim defendi non posset distinctio Spiritus Sancti & Verbi, si non procederet ille ab isto) ergò apud vos est propositio evidens. [Respondetur, se dicere quidem hanc positionem, *Idem est principium constitutivum & distinctivum*, esse veram; non tamen esse evidenter, sed esse probabiliter veram.]

Contra. Si hæc assertio esset evidenter vera, consequentia, quæ ex ipsa & altera de fide inferretur, esset absolutè & evidenter de fide: ergò si sit illa major merè probabilis, consequentia erit probabiliter vera. Ergo probabile est esse de fide personas constitui relationibus & non proprietatibus absolutis. [Videntur omnia debere concedi.]

Propositio probabiliter hæretica, an sit periculosa?

Subsumitur. Secundùm vos hęc propositio, *Personæ constituuntur proprietatibus absolutis*, est probabiliter hæretica: ergò evidenter est periculosa & temeraria.

Probatur consequentia. Qui teneret hanc thesin se exponeret periculo defendendi hæresin, ergò esset temerarius. Ergò hujusmodi assertio est periculosa & temeraria.

Probatur antecedens. Hæc assertio: *Personæ constituuntur proprietatibus absolutis*, forsitan est hæretica. Ergò qui illam teneret se exponeret periculo defendendi thesin hæreticam. [Conceditur utraque propositio in sensu materiali, negatur in sensu formali.]

Contra. Qui hanc assertionem defenderet, ut dicitis, se exponeret periculo incidendi in materialem hæresin: ergò esset formaliter temerarius. (Negatur, quia temeritas est præsumptio, quando quis sine ratione gravi se exponit periculo, cæterùm cùm urgent graves & fortes rationes nulla datur temeritas.)

Contrà. Atqui rationes contrariæ non sunt graves: ergò qui hanc sententiam teneret, leviter illam teneret.

Probatur minor. Si quam gravitatem habebant illę rationes, nullam habent post Concilium Florentinum. Ergo jam sunt leves & non graves. Ergo esset temerarius aut fortè severiore notâ inurendus ille, qui in materia fidei mutaret dictamen propter rationes leves, aut nullas.

Probatur antecedens. Concilium Florentinum in litteris unionis edidit definitionem, quæ cum probabilitate oppositarum rationum consistere nõ potest: ergò oppositæ rationes post Florentinum Concilium non sunt graves.

Probatur antecedens. Edidit hanc definitionem, *Omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem*; hæc veritas cum rationũ oppositarum probabilitate consistere non potest: Ergo Florentinum Concilium edidit definitionem, quæ cum contrariæ partis probabilitate consistere non potest.

Notetur hæc ratio.

Probatur minor. De fide est omnia quæ sunt Patris esse communicata Filio, præter Paternitatem: atqui de fide est personalitatem Patris non esse communicatam Filio: ergo de fide est quod Pater non habeat aliam personalitatem quam Paternitatem. Sed Paternitas est relativa: ergò de fide est, quod Pater non constituitur personalitate absolutâ sed relativâ.

THESIS.

MDCI.

DEfendebatur Primò. *Hanc assertionem*, Personæ Divinæ constituuntur per se primo proprietatibus absolutis, *necesse hæreticam, nec erroneam in fide, nec temerariam.*

Secundò. *Eamdem assertionem esse contra Scholasticos & falsam.*

SAnè hujusmodi positionum connexio, non est semper tam defensabilis ut vulgò creditur, quia sæpè strophis subtilibus circumvenitur Responsalis, à quibus explicari non possit. Sed negotio facili se expediet, si consideret progressum hujus argumenti.

Quomodo personæ divinæ constituantur & distinguantur.

Contra. De fide est Personas constitui relationibus; ergò est hæresis constitui proprietatibus absolutis. [Distinguitur antecedens. Conceditur esse fide tenendum personas constitui relationibus primò, vel secundò; non tamen esse de fide quod solis relationibus distinguantur; quia sine hæreseos periculo potest dici personas per se primò constitui formalitatibus absolutis, & per se secundò relativis.]

Pr. antecedens. Non solùm est de fide Personas constitui relationibus, sed & constitui solis relationibus: ergò fide tenendum est, quod nullo modo constituantur formalitatibus absolutis.

Pr. antecedens quoad posteriorem partem. Concilium Toletanum XI. asserit quòd solis relationibus constituantur Personæ: ergò est fide tenendum.

Pr. antecedens. Concilium Toletanum affirmat, quòd personæ divinæ solis relationibus distinguantur; atqui idem est principium constitutivum & distinctivum: Ergo Concilium Toletanum affirmat, quòd solis relationibus constituantur.

Pr. major. Concilium in confessione fidei cap. 1. sic inquit; *In relatione Personarum numerus cernitur ... Hoc solo* (nota illud *solo*) *numerum insinuant quod ad invicem sunt, & in hoc numero carent, quod ad se sunt.* Ex his verbis arguo sic. Si persona Patris constitueretur proprietate absolutâ; adhuc præcisâ & mente abstractâ relatione intelligeretur ad se esse, sed non ad Filium; atqui non intelligeretur distingui à Filio: ergò.

Pr.minor. Personæ Divinæ, hoc solo numerum habent quod ad invicem sunt, & hoc solo numero carent, quod ad invicem non sunt; atqui personæ si abstraherentur mente relationes non intelligerentur esse ad invicem; ergò non intelligerentur habere numerum; ergo intelligerentur carere numero. [Distinguit majorem. Quod ad invicem sunt formaliter vel radicaliter concedit; quod ad invicem sunt formaliter tantùm negat & distinguit minorem, non intelligerentur esse ad invicem radicaliter negat, formaliter concedit. Et ideò negat consequentiam. Ratio hujus distinctionis est, quia illæ proprietates absolutæ sunt relationes radicaliter, hoc est, sunt radices relationum. Et Concilium quando dicit Personas vel distingui vel constitui relationibus, aut agit tantùm de radicalibus, aut agit de radicalibus & formalibus simul, non verò de solis formalibus.]

Contrà sic. Hæc Concilii Toletani expositio, quam adhibetis, vel est vera, vel falsa. Si falsa, est contra Concilii mentem, & in materia fidei erratis: ergò est vera. Ergò de fide est Personas constitui per se primò proprietatibus absolutis: quia de fide est, quod docent Concilia juxta expositionem veram. Ergò non est falsum constitui proprietatibus absolutis. Et hoc contra vestram secundam Conclusionem.

THESIS.

Spiratio activa non constituit, sed necessariò præsupponit personas, in quibus est, iam constitutas. Secus esset, si primò adveniret, & uni soli competeret.

MDCII. *An spiratio activa, sit personalis?*

CONTRÀ. Ratio personæ divinæ, vel est aliquid positivū vel negativū, atqui, quidquid sit de humanis, in Divinis non est aliquid negativum, ergo est aliquid positivum.

Conceduntur omnia.

Tunc sic. Illa ratio personæ divinæ, vel reperitur in spiratione activa vel non reperitur. Si reperitur: etiam nunc est personalitas quarta; si non reperitur, nec tunc personalitas esset, quando primò adveniret & uni soli competeret.

Pr. Quia si ratio animalis rationalis constituit hominem, ubicumque ipsa sit, erit homo: & si nunc aliqua substantia non est homo, homo non erit ex eo quod hic aut alibi, primariò aut secundariò ponatur.

THESIS.

Illud axioma (Quæ identificantur uni tertio, identificantur inter se) in hoc altissimo mysterio locum non habet, nisi cum limitationibus, quibuscum nec artem syllogisticam dirigit, nec Philosophis naturalibus innotuit.

MDCIII. CONTRA. Nulla potest esse expositio & limitatio, quæ locum habeat in Divinis, quæ non habeat locum etiam in humanis: ergo hoc axioma sub illis limitationibus, sub quibus locum habet in Divinis, dirigit artem syllogisticam.

Pr.consequentia. Ex vi hujus axiomatis, sub tot & talibus limitationibus expositi, ut locum in Divinis habeat, non potest in humanis sequi ex antecedentibus veris consequens falsum: atqui solùm hoc requirit ars syllogistica: ergo illud axioma, etiam sub illis limitationibus, sub quibus locum habet in Divinis, dirigit artem syllogisticam.

Pr.major. Non potest dari syllogismus innitens huic principio, cujus præmissæ sint veræ & cōsequens falsum. Vel qui contrarium sentiat, assignet talem syllogismum.

THESIS.

MDCIV. *Quomodo Angeli existant in loco?*

DE Angelorum existentia in loco, celebres sunt Authorum sententiæ: aliqui voluerunt eorum substantiam non esse in loco, sed solùm in loco sentiri effectus operationum Angelicarum. Est tamen ad Thomistarum mentem.

I. Angeli substantia est verè & realiter in loco aliquo determinato extra quem non sit.

II. Ratio propter quam Angelus est in loco, est operatio.

III. Vbi idem materiale, quod circumscribit corpus, definit Angelum: ipsi corpus unitur per inhæsionem, Angelus per operationem.

CONTRA. Priùs est rem esse quàm operari: ergo priùs est esse in loco quàm operari in loco.

Pr.consequentia. Sicut se habet esse ut sic ad operationem ut sic, sic tale esse ad talem operationem: atqui ad operationem ut sic præerequiritur esse ut sic: ergo ad operationem in loco prærequiritur esse in loco.

Dabitur aliqua disparitas.

Contrà. Si non esset in tali loco non operaretur in eodem loco: ergo prærequiritur, quod priùs sit in illo loco ad hoc, ut operetur in illo.

Pr.consequentia. Requiritur quod sit in tali loco ut operetur in illo: atqui non sufficit quòd sit posteriùs: concomitanter esse non potest: ergo debet esse priùs in loco quàm operetur in loco.

Pr.minor quoad secundam partem. Si non esset priùs in loco quàm operaretur in loco, esset posteriùs: ergo non concomitanter.

Pr.antecedens. Haberet ab operatione quòd esset in loco: ergo priùs operaretur, & posteriùs esset in loco. Ergo non concomitanter.

Pr.prima consequentia. Illa operatio daret Angelo duos effectus formales: primarium, quòd esset operans, secundarium quod esset in loco, atqui effectus primarius secundario prior est, ergo Angelus priùs operaretur in loco, & posteriùs esset.

Probatur

Pr. major. Primarius effectus est essentialis, & accidentalis non est primarius sed secundarius. Atqui, quòd operatio reddat suam causam operantem essentiale est: quòd illam reddat existentem in loco, accidentale: ergo effectus operationis primarios est reddere Angelum operantem, & reddere illum existentem in loco secundarius.

Pr. minor. Effectus Primarius non potest separari à sua causa formali: atqui hoc quod est reddere causam existentem in loco, separatur ab operatione; ergo non est effectus primarius, sed secundarius.

Pr. minor. Operationes corporeæ sunt veræ operationes: atqui non constituunt suas causas in loco: ergo hoc quod est causam constituere in loco, separatur ab operatione.

Distinguitur major: negatur corporeas operationes esse Angelicas, conceditur esse non-angelicas: conceditur minor: & eodem prorsus modo distinguitur etiam consequentia.

Contrà. Atqui etiam in operationibus Angelicis hoc quod est reddere Angelum existentē in loco, separatur ab hoc quod est reddere illum operantem: ergo solutio nulla.

Pr. antecedens. Sit Angelus Michael v.g. in hoc loco per aliquam operationem: eliciat actionem secundam erga idem corpus erga quod elicuit primam: tunc hæc secunda reddet illum operantem & non reddet illum existentem in loco (quia iam per priorem operationem io loco illo existebat) ergo datur Angelica operatio io qua reddere existentem in loco deficiat.

THESIS.

MDCV. H*Æc omnia simul tempore infusa accipit homo per Iesum Christum, cui inserimur, Fidem, Spem, & Charitatē. An qualitates naturales? An supernaturales in substantia? An solùm quoad modum Quia ex Fide nihil habemus, examinare licebit.* Pragæ in Monasterio S. Mariæ ad nives, Præside P. Ludovico Cōnæo, anno 1650. Ergo siquidem non resolvitur qualis sit horum habituum supernaturalitas, illa in genere poterit oppugnari. *Sic igitur argumentabimur.*

An dentur habitus & virtutes supernaturales?

Omnes habitus, qui vocantur supernaturales, sunt entitativè & quoad substantiam supernatorales: ergo non dantur habitus supernaturales.

Pr. antecedens. Tales habitus sunt in ordine gratiæ: ergo sunt purè naturales.

Pr. consequentia. Ipsa gratia est qualitas purè naturalis: atqui hujusmodi habitus sunt in ordine gratiæ; ergo sunt purè naturales.

Probatur major. Natura rationalis habet appetitum naturalem ad recipiendum omnes formas naturales, non verò ad supernaturales: atqui habet appetitum naturalem ad recipiendum gratiam: ergo gratia est habitus purè naturalis.

Pr. minor. Anima rationalis habet appetitum innatum ad eliminandum peccatum: ergo ad recipiendum illa, sine quorum receptione non potest eliminari peccatum. Atqui non potest de lege ordinaria eliminari nisi per receptionem gratiæ; ergo anima rationalis habet appetitum innatum ad recipiendum gratiam.

Pr. major. Omne ens habet appetitum & inclinationem naturalem ad eliminandum malum, quod dissonat naturæ ipsius: atqui peccatum est malum, quod dissonat naturæ rationali; ergo anima rationalis habet appetitum innatum ad eliminandum peccatum.

Consequentia est legitima; major est certa, minor ab omnibus Patribus admissa.

THESIS.

Fidei supernaturali non potest subesse falsum.

CONTRA. Potest quis fide credere hæresim; hæresis est propositio falsa; ergo fidei potest subesse propositio falsa. MDCVI.

Pr. major. Puer, cùm instruitur in fide, fide supernaturali credit articulos quos ipsi magister proponit: atqui vel errore vel malitiâ potest magister illi proponere aliquam hæresim; ergo illam puer credet fide supernaturali.

Distinguitur major, si propositi articuli sint revelati, conceditur: aliàs negatur; ille enim puer propositiones divinitùs revelatas credet fide supernaturali, & non revelatas naturali.

Contrà. Puer ille conceditur credere illos articulos: atqui non credit fide naturali: ergo supernaturali.

Pr. minor. Fides non necessitat intellectum, sed est habitus quo quis liberè potest uti & non uti (aliàs enim si necessitaret, nulla esset libertas in fide, nullum meritum) nullus igitur credit invitus: nullus credit, quando non vult. Atqui ille puer non vult credere fide naturali: ergo non credit fide naturali; ergo credit supernaturali. *An fides sit habitus liber?*

Respondetur, esse liberum uti fide, aut non uti, non verò uti naturali aut supernaturali, sed alterutrâ secundùm qualitatem objecti: supernaturali nimirùm si objectum sit divinitùs revelatum, aliàs naturali.

Contrà. Præmittatur hypothesis, cùm nulla sit facultas in parte corporea aut spirituali, quæ vel à Deo non possit tolli vel saltem impediri, supponatur Deus ab illo puero fidem naturalem abstulisse, vel saltem concursum suum negando aut impedimentum inferendo illum reddidisse operationis incapacem. His positis argumentor sic. *Hypothesis.*

Cùm puer malè à magistro instruitur, vel credit omnia quæ magister proponit, vel non credit. Si credit, jam fidei supernaturali subest falsum: si non credit, peccat; (debet enim puer ignorans credere & non dijudicare magistrum; esset enim judicium temerarium in ignorante condemnare magistri legitimi doctrinam) si peccat, ergo potuit non peccare, ergo potuit proposita à magistro credere tametsi falsa: atqui supponitur non habere fidem naturalem; ergo potuit falsum credere fide supernaturali.

Respondetur, illum non credere & tamen

non

non peccare, quia nemo ad impossibile tenetur.

An omissio rei impossibilis peccatum sit?

Sed contrà. Quia etiam omittendo rem impossibilem peccatur, quando omittens non cognoscit rem esse impossibilem (ut si quis omitteret officium divinum, tametsi revera careret Breviario, si nondum animadvertisset se carere) atqui ille puer in casu dato non posset animadvertere se carere fide naturali (quia & hæretici carent supernaturali nobiliori, & non percipiunt se carere.) Ergo peccaret ille puer.

Negabitur major, non enim est peccatum omittere rem impossibilem cognitam ut possibilem, sed velle omittere: quia tametsi necessarium sit omittere, velle omittere necessarium non est.

Infero: ergo ille puer non tenebitur credere, sed tenebitur velle credere, atqui credere est impossibile; ergo tenebitur velle id, quod est impossibile.

Concessâ majori distinguitur minor; credere est illi puero impossibile, secundùm rem, conceditur: secundùm opinionem, negatur; & distinguitur eodem modo consequens. Ratio est, quia sicut tenemur velle facere malum, quamdiu invincibiliter putamus esse bonum præceptum: sic etiam tenemur velle facere impossibile: quamdiu putamus possibile & præceptum.

Sed contrà. Per te judicat actum illum fidei esse possibilem; atqui revera non est possibilis: ergo illi judicio subest falsum. Atqui illud est judicium fidei supernaturalis; ergo fidei supernaturali subest falsum.

Probatur secunda minor. Est judicium fidei, & tamen non naturalis (quia ille puer supponitur carere fide naturali) ergo supernaturalis.

Probatur major. Ille puer credit se teneri; sed credere est judicium fidei: ergo ille puer elicit judicium fidei.

Negatur major, quia ille puer non credit se teneri, sed putat se teneri, putare autem non est assensus fidei.

Sed contrà. Per te ille puer putat se teneri; atqui putat ex motivo fidei superoaturalis; ergo credit fide sopernaturali; ergo falsum.

Probatur minor. Assensum præbet huic propositioni, *debeo credere meo magistro legitimo*; ergo vel movente ratione vel authoritate. Non ratione (quia hæc propositio apud doctos à ratione improbabilis est, non enim teneremur credere si Deus non jussisset, idque jussisse Deum à ratione probari non potest.) Ergo authoritate. Atqui non authoritate humanâ, ergo divinâ.)

Probatur minor: quia ille puer supponitur habere fidem humanam, adeòque nec posse acquiescere ex motivo authoritatis humanæ.

THESIS.

Fidei supernaturali non potest subesse falsum.

MDCVII. CONTRA. In fide supernaturali reperiuntur duæ formalitates, nimirùm formalitas fidei & formalitas supernaturalitatis: atqui falsitas non repugnat fidei ut fidei, nec fidei ut supernaturali: igitur supernaturali fidei potest subesse falsum.

Minor quoad priorem partem necessariò debet concedi, vel si negetur, habebo evidenter intentum, instabo enim; ergo fidei naturali non potest subesse falsum; atqui sæpè credimus mentientibus: ergo illis credimus fide supernaturali: igitur neganda est illa minor quoad posteriorem partem.

An rectitudine carere possit supernaturalitas?

Probatur minor: Supernaturalitas potest perdere rectitudinem; ergo fides supernaturalis potest perdere rectitudinem; ergo potest aliquid credere non rectè. Atqui qui falsum credit, non rectè credit: ergo fides supernaturalis potest credere falsum.

Probatur primum antecedens. Charitas potest perdere rectitudinem: ergo supernaturalitas potest perdere rectitudinem.

Probatur antecedens: Charitas potest amare malum sub specie boni: ergo fides potest credere falsum sub specie veri: ergo utraque tam charitas quàm fides possunt perdere rectitudinem.

An charitas amare possit materialiter malum: & spes non futura speraverit

Probatur antecedens: Qui amat malum sub specie boni, interdictum sub specie præcepti, si aliàs sit in gratiâ, merebitur, ergò in istum amorem influit charitas: (non enim datur meritum sine charitate) ergo charitas potest amare malum sub specie boni.

Si dicatur ad meritum non requiri influxum charitatis, sed sufficere charitatem concomitanter se habere, recurri potest ad spem.

Probatur consequentia. Spes supernaturalis potest, imò & solet sperare non-futurum sub specie futuri: ergo & charitas malum sub specie boni, & fides falsum sub specie veri.

Probatur antecedens. Iudas v.g. spe supernaturali speravit salutem; ergo non-futuram sub specie futuræ.

Patet consequentia, Quia objectum spei, non est purè possibile, quia aliàs unionem hypostaticam vel gratiam majorem illâ, quæ est in Christo, possemus sperare. Neque est purè futurum, quia multa speramus, quæ non assequimur. Sed est opinione futurum, arduum tamen. Antecedens constat, quia Iudas ante proditionem bonus fuerat, & salutem æternam speraverat. Nec contra Iudam militant peccata illa avaritiæ, de quibus aliquando arguitur, quoniam ante illa peccata bonus fuit, & illa non militabant contra fidem, neque spem supernaturalem.

THESIS.

Tam ratione naturali, quam fide certum est, Deum falsum dicere, vel falsum revelare non posse. MDCVIII.

Hæc thesis est modalis, & modus directè impugnabitur.

CONTR. Oppositum ejus, quod est certum ratione naturali & de fide, probabile esse non potest: atqui oppositum hujus theseos est probabile; ergo hæc thesis nec est certa ratione naturali, nec de fide.

Probatur minor. Probabile est Deum de facto

cto revelasse seu dixisse falsum; ergo probabile est Deum posse revelare seu dicere falsum.

Probatur antecedens. Probabile est, Deum de facto revelasse seu dixisse contradictoria: atqui alterum contradictoriorum necessariò est falsum: ergo probabile est Deum de facto revelasse seu dixisse falsum.

An dentur revelationes oppositæ?

Probatur major. Probabile est Deum revelasse quòd B. Virgo sit concepta sine peccato originali: & probabile est, Deum revelasse quòd sit concepta cum peccato originali: atqui hæc sunt contradictoria, ergo probabile est, Deum revelasse contradictoria.

Prima majoris pars patet ex multitudine Doctorũ, imò Patrum, qui id renuerunt propter generales S. Scripturæ sententias asserentes, omnes in Adam peccasse: altera pars etiam ex multitudine modernorum id tenentium, & ex decreto Ecclesiæ, quæ, ut ait Malderus 1. 2. *qu.* 81. *ar.* 4. non vult tanquam certum de fide doceri, B. Virginem peccatum originale contraxisse, quod tamen facere non posset, nisi haberet rationes evidentes, vel per traditionem Ecclesiasticam probabiliter constaret Deum id revelasse: atqui non habet rationes evidentes, ergo habet probabilitatem de revelatione divina. Requiro autem rationes evidentes, quia si rationes solùm probabiles & verisimiles possent prævalere contra generales & Scripturæ propositiones claras & distinctas, non video quid in fide possit esse certum, quia non video nec intelligo, quid in hac re potiùs habeant privilegii probabiles & verisimiles Catholicorum rationes, quàm hæreticorum.

Quid requiratur ut aliqua opinio sit probabilis.

Sed sic responde: Hæreticorum quà talium rationes non posse esse probabiles, quia carent primâ ratione probabilitatis; propositio enim, quæ damnatur aut non toleratur ab Ecclesia, non est probabilis.

Nota hîc obiter circumferri revelationes contrarias de conceptione B. Virginis: de ejus peregrinationibus, de ejus transitu, & assumptione. Sed quantæ sunt singulæ authoritatis? quantæ declarabit Ecclesia, quæ multa reliquit disputationi, pietati, aut etiam urbanitati.

THESIS.

Summus Pontifex in definiendis rebus fidei non potest errare.

MDCIX. De infallibilitate Pontificis.

CONTRA. Urbanus VIII. ante promotionem in singulis rebus potuit errare; ergo post promotionem.

Pr. conseq. Si post promotionem non potest errare, inde est, quod error nõ compatiatur cum tali promotione, atqui potest compati: ergo post promotionem potest errare.

Probatur minor. In electione illa potuerunt errare electores; ergo promotioni potest subesse error.

An in electione Summi Pontificis eligatur dignior?

Patet antecedens, quia non semper ad Summum Pontificatum promovetur dignior, nec doctior, nec sanctior, temporibus enim Basilii, Chrysostomi, Hieronymi, Ambrosii, Augustini, Benedicti, Bernardi; Thomæ, Scoti & Lessii fuerunt Pontifices; non tamen est evidens fuisse doctiores aut sanctiores Doctoribus prænominatis.

Cardinales errant.

Respondebitur in ipsa electione posse errorem committi, positâ tamen canonicâ electione Pontificem non posse errare.

Sed contrà. Illa electio non potest proscribere potentiam errandi, ergo positâ electione canonicâ adhuc Pontifex potest errare.

Pr. antecedens. Omne agens potentius est quando est præsens, quàm quando est absens; ergo illa electio potentior erit quando est præsens, quàm quando est absens; atqui quando est præsens non proscribit potentiam errandi, ergo minus illam proscribit quando non est præsens, hoc est quando est præterita.

Majorem probant omnia agentia physica: ignis enim fortiùs calefacit præsens quàm absens. Minorem convincit id quod de electione dicebamus, non enim semper promovetur ad Pontificatum dignior.

Respondebitur promotionem non esse causam formalem infallibilitatis, sed conditionem quâ positâ proscribitur potentia errandi in definitionibus fidei.

Sed contrà. Si electio non est formalis causa infallibilitatis, alia formalis causa est necessariò assignanda: atqui nulla suppetit, ergò non datur talis infallibilitas.

Probatur minor. Si aliqua causa præter electionem suppeteret, vel esset divina aut humana: humana non sufficeret, divina non datur: ergo non datur formalis causa talis infallibilitatis.

Minor quoad primam partem certa est: non enim infallibile testimonium humanum.

Pr. minor quoad posteriorem partem. Si esset aliqua causa divina, maximè promissio: nullibi autem promisit Deus se facturum esse ut Pontifex non posset errare, sed ut plurimùm se facturum esse, ne Pontifex erraret; ergo non datur causa divina illius infallibilitatis.

Aliud est dicere Pontifex non errabit: & aliud non potest errare.

Major videtur certa, qui minorem neget, tenebitur dare aliquod testimonium sacræ paginæ, in quo Pontifici impotentia errandi promittatur: quod cùm reperiri non possit, aliò est recurrendum. Dici debet, Deum promisisse expresse se manutenturum Pontificem, ne erret, & compromisisse implicitè se daturum esse impotentiam errandi, hæc enim impotentia necessaria erat ad definitionum securitatem.

Sed contrà. Illa errandi impotentia non est expresse promissa, non est implicitè: ergo.

Probatur minor. Illud implicitè promittitur quod indirectè: atqui hæc errandi impotentia non est indirectè promissa: ergo nec implicitè.

Pr. minor. Illa promittuntur implicitè & indirectè, quæ habent necessariam connexionem cum his, quæ promittuntur expresse & directè: atqui actus non errandi non habet necessariam connexionem cum impotentia errandi: ergo quando promittitur directè

Pon-

Pontificem erraturum non esse, non promittitur indirectè aut implicitè illum esse habiturum impotentiam errandi.

Pr. minor. Potest benè componi actus verax cum potentia errandi: ergo actus verax & impotentia errandi non habent necessariam connexionem.

Distinguitur antecedens, actum veracem admixtum errandi periculo posse componi cum potentia errandi, conceditur: actum tamen veracem expertem omnis periculi de errore posse cum illa componi, negatur: cùmque definitiones fidei omne erroris periculum eliminent; consectarium est, ut cum potentia errandi non possint componi.

Sed contra. Atqui actus verax immunis ab omni erroris periculo potest componi cum potentia errandi: ergo solutio non est bona.

Pr. minor. Tam de fide est ista propositio, *Petrus* (determinando personam physicam Petri) *antequam Gallus cantet, ter me negabis* quàm ista, *Petrus* (determinando personam moralem Petri habentem Pontificiam dignitatem) *in definiendis articulis fidei nunquam errabit*: atqui tametsi prima propositio fuerit vera & immunis ab omni periculo erroris, non effecit quòd Petrus habuerit impotentiam non-negandi aut necessitatem negandi: ergo potest bene stare quòd secunda sit vera & immunis ab omni erroris periculo, & tamen Pontifex habeat potentiam errandi.

Hæc omnia possent confirmari exemplis quæ possent retundere incautas & soboriententes responsiones; Non est bona consequentia. *Non potest esse error in articulo fidei; ergò Pontifex cùm illum definivit non potuit errare.* Neque ista est bona *Petrus potest errare in suis assertionibus, ergo omnes assertiones ipsius possunt esse erroneæ.* Ratio est; quia si Petrus dicat, *Deus est trinus & unus*, quàndo hoc assertum profert, errare potest; potest enim contrarium efferre, hoc tamen assertum, tametsi dictum sit ab homine potente errare, erroneum esse nequit; quia veritas & falsitas non respiciunt proferentem, sed objectum; ergo stare posset articulum fidei incapacem erroris, imò & periculi esse, quippe qui corresponderet exactè suo objecto, & interim proveniret à Linguâ potente decipere. Nec recurrendum est ad securitatem Ecclesiæ, quia siquidem symbolum Athanasij, tametsi compositum ab homine potente errare, de fide est, eo quod Ecclesia definierit ipsum non erravisse; idem dicito de multis Augustini periodis, quas Ecclesia Catholica convertit in Canones: ergò etiam Concilium Trident. de fide esset, etiamsi potuisset errare, modò Deus declararet non erravisse. Quod jam declarasse dignoscitur, cùm Petro promisit Ecclesiam nunquam erraturã esse. Hinc est non malè Lovanienses in similibus difficultatibus se expedire distinguendo potentiam, in reducendam ad actum, & non reducendam ad actum; cùm enim audiunt hanc propositionem, *Pontifex potest errare,* ad distinctionem recurrunt, & eũ errare posse potentiâ reducenda ad actum, negant; potentiâ non reducendâ ad actum, concedunt. Videntur negare potestatem, sed re benè examinatâ actum negant, & à potentiâ præscindũt, nec videntur plus dicere, quàm D. Ludovicus Connæus, qui Pragæ in Thesibus sub se defensis anno 1650. sic inquit. *Eius* (B. Petri) *legitimi successores gerunt secundum Ius divinum, qui ex traditione Apostolica, & communi Ecclesia consensu hactenus creduntur Romani Pontifices, quique in decidendis controversiis circa sensum Sacræ Scripturæ in Decretis Fidei & morum toti Ecclesia præscribendis, in canonizatione Sanctorum, &c. hactenus non erraruni, neque errabunt.* adeòque non habent potentiam reductam aut reducendam ad actum. Ergo neque potentiam errandi practicam: quidquid sit de speculativa, quam posset oticulosus Metaphysicus invenire vel fingere.

Subtilia sunt & ingeniis vexandis sufficientia; modò per modũ argumentationis proponuntur, suo loco radicitùs examinanda.

THESIS.

Petrus fuit Episcopus Romanus.

CONTRA. Si Petrus sedit Romæ, aliquando sedit; sed non est designabile tempus quo potuerit illic sedere: ergo non sedit: ergo non fuit Episcopus Romanus. *MDCX. An Petrus fuerit Romæ?*

Pr. minor. PRIMÒ, Petrus non sedit Romæ ante suum Apostolatum: non ante Christi mortem; non ante illapsum Spiritus Sancti, ut apud omnes in confesso est.

Secundò, Anno Christi 37. nondum Petrus erat Romę, tunc enim tertius erat annus conversionis D. Pauli, & Paulus venit Hierosolymas & egit apud Petrum 15. diebus.

Tertiò, Post annos 8. hoc est anno Christi 45. Petrus nondum iverat Romam.

Probatur, Eo enim anno detinebatur in carcere ab Herode, ut constat ex Act. 12.

Quartò. Nequidem post 6. annos Romam advenerat: nam anno Chr. 51. Adhuc Petrus erat Hierosolymis teste Paulo ad Gal. 2. 1. Vbi scribit se post annos 14. à priore illo cum Petro congressu, habito anno 37. rediisse Hierosolymam unà cum Barnaba, & Hierosolymis egisse cum Petro.

Quintò, Anno 18. à morte Chr. teste Hieronymo in epistola ad Galatas, celebratum fuit Hierosolymis consilium Apostolorum, cujus fit mentio Act. 15. ergo anno 9. à creatione Imperatoris Claudii, 18. à passione, 51. à nativitate Christi Petrus erat Hierosolymis.

Sextò, non potest dici Petrum fuisse schismaticum, atqui in illo Concilio Apostolico resolutum est, quod Petrus evangelizaret Iudæis, & Paulus Gentilibus: Petrus igitur apud Iudæos remansit.

Septimò, Anno 63. adhuc non erat Petrus Romæ, & ostenditur, quia Paulus in epistolà ad Romanos, quam dicto anno scripsit, plurimos amicos Romæ degentes salvere jubet, & Petri non meminit: esset autem absurdum, & tanto Apostolo indignũ, contemnere summũ Pontificẽ & salutare alios Petro non salutato.

Octavò, Sub 4. annum à scripta epistola,

Hoc

hoc est, 67. Chri. Paulus Romam venit, neque ibi invenit Petrum, aliàs enim relatum fuisset in Actibus Apostolorum. Posteà cum Actor. 28. Paulus Romæ duobus annis liber à custodiâ servaretur, non erat Petrus Romæ, quia in Epistolâ ad Timoth. Paulus conqueritur se ab omnibus Romæ derelictum fuisse, unde colligitur aut Petrum Romæ non fuisse; aut fuisse quidem, sed deseruisse Paulum; aut fuisse & astitisse Paulo, Paulum verò iniquè suo summo Pontifici hoc crimen imposuisse: secundum & tertium de viris in gratia confirmatis dici non potest, igitur dicendum est primum, nempe Petrum Romæ non fuisse.

Tandem, Eusebius (citatur à Keckermanno tom. 1. Philos. p. 2. Systematis logici plenioris cap. 3. mihi col. 994.) perspicuis verbis dicit Petrum diem suum obiisse Hierosolymæ.

Resolutio. Hæc argumenta Chronologica sunt, & indigent gravissimo examine, & nihilominus cum his si componi debent. Componentur, si notet Respondens, Actor. 28. dici multos esse Christianos Romæ, antequam eò appelleret Paulus, qui potuerūt esse instructi & conversi à Petro; Item sub Tyberio & Cajo repertuntur Christiani Romæ, asserente Eusebio lib. 2. cap. 2. Quod etiam affirmat Clemens Alexandrinus. Irenæus & Epiphanius scribunt Romanam Ecclesiam à Petro esse fundatam. Marcus Evangelista Historiam Christi scripsit Romæ Petro dictante, prout referunt Clemens Alexandrinus, Hieronymus, & Tertullianus. Multi etiam asserunt eum Romæ contra Simonem Magum disputasse, qui temerè rejici non debent. Romæ passus ab Ecclesia asseritur, & Romæ jacere tenent universi Catholici. Testimonium Eusebij contra nos citatum fortè ab hæreticis confingitur, cum nec locus nec liber citentur. Tenendum igitur est, ipsum Romæ fuisse, imò & Romæ sedisse; & ad testimonia Scripturæ respondemus supponentes calculum annorum bene esse examinatum, tametsi exorbitare videatur, in interstitiis mancre multos annos, in quibus non Romam solùm potuisset adire Petrus, sed & Provincias remotiores.

THESIS.

De fide est Vrbanum VIII. esse Romanum Pontificem.

MDCXI. CONTRA. Nihil est de fide, quod à Deo revelatum non sit, atqui Urbanum VIII. esse summum Pontificem à Deo revelatum non est: ergo non est de fide.

Probatur minor. Ante centum annos non erat de fide Urbanum esse Pontificem; ergo revelatum nondum fuerat illum fore Pontificem, aliàs enim de fide fuisset. Atqui post centum annos hæc propositio revelata non est: ergo numquam fuit revelata.

Patet hæc ultima minor, quia nihil de novo revelatur, nec in Ecclesiâ crescunt articuli fidei, sed Concilia articulos antiquos exponunt.

Revelatio alia est generica, alia particularis: alia absoluta & alia conditionalis. Respondetur ante centum annos revelatum quidem fuisse, sed illam revelationem ante electionem nobis non constitisse.

Sed contrà. Est revelatum in genere, quod legitimè electus futurus sit summus Pontifex: ergo de fide est Urbanum, si legitimè sit electus, esse summum Pontificem: ergo non est de fide, quod absolute sit summus Pontifex.

Probatur consequentia. Non est de fide ipsum esse legitimè electum; atqui, si non est legitimè electus, de fide est quod non sit Pontifex; ergo non est de fide, quod absolutè sit Pontifex, sed quod sit Pontifex ex hypothesi nimirùm, si sit benè electus.

Probatur major. Non est de fide quod sit Sacerdos; atqui nullus non Sacerdos potest eligi legitimè in Pontificem: ergo non est de fide, quod legitimè electus sit.

Probatur major. Nemo potest esse verus Sacerdos, qui non sit ordinatus à vero Episcopo habente legitimam intentionem; atqui non est de fide quod Episcopus, qui ordinavit Urbanū VIII. fuerit verus Episcop⁹, nec est de fide quod habuerit legitimam intentionem; ergo non est de fide, quod Urbanus VIII. sit Sacerdos.

Consequentia est legitima, major est certa, & solùm circa minorem versatur difficultas. Si illa negetur, debebit dari processus, si non in infinitum, saltem usque ad Apostolos, debebitque dici esse de fide quòd Urbanus VIII. sit promotus ad Sacerdotium à vero Episcopo, habente legitimam intentionem, qui quidem Episcopus sit etiam promotus ab alio vero Episcopo habente veram intentionem, & sic usque ad Jesum Christum. Ergò si hoc admittatur, pleræque Statûs Ecclesiastici dignitates reducentur ad securitatem fidei, aliàs enim tot Pontificū fide tenenda promotio stare non posset.

THESIS.

Potest Deus condemnationem alicuius cuicumque hominum revelare.

CONTRA. Non potest Deus aliquem injustè condemnare: atqui si revelaret ejus condemnationem, injustè condemnaret, ergo hujusmodi condemnationē revelare nō potest. MDCXII. *An post revelationem peccatis sequatur peccandi necessitas?*

Probatur minor. Injustè condemnatur, qui sine culpâ condemnatur: talis condemnaretur sine culpâ; ergo.

Probatur minor. In necessariis non est culpa nec meritum: atqui illius condemnatio esset necessaria; ergo sine culpâ.

Probatur minor. Non esset in potestate Petri, quòd poneretur condēnationis revelatio; atqui positâ hujusmodi revelatione, nequit non condemnari; ergo illius condēnatio esset necessaria

Probatur minor. Non potest Petrus facere, quòd revelatio illa sit falsa; atqui si posset non condemnari, posset reddere illam revelationem falsam; ergo nequit non condemnari.

Probatur minor. Si Petrus nō condemnaretur de facto, de facto redderet falsam illam revelationē; ergo si posset nō condēnari de facto, de facto posset reddere falsam illam revelationē.

Quotiescumq; argumentum libertatem humanam opponit divinæ certitudini, magnâ advertentiâ indiget Responsalis. Illud ultimum argumentorum est simile huic; *Si Petrus curreret de facto de facto moveretur; ergo si de facto potest currere, de facto potest moveri.* Sane, si non concedatur

potentia ad præteritum, & dicatur, posse Deum facere quòd non fuerit talis revelatio, nunquam dabitur resolutio, quæ præpositæ difficultati satisfaciat.

Si respondeatur posse quidem in sensu diviso, non verò in sensu composito, arguam sic:

Si Petrus in sensu diviso non condemnaretur de facto, de facto redderet falsam revelationem Dei, saltem in sensu diviso, atqui potest in sensu diviso non condemnari; ergo potest in sensu diviso reddere falsam illam revelationem.

Respondent majorem esse impossibilem; & sanè mihi sæpissimè sic responderunt: verùm sobintuli; ergo non habet potentiam in sensu diviso, ut in distinctione concedebatur: vel si illam habet, major non est impossibilis.

THESIS.

Positâ revelatione propria condemnationis, adhuc homo tenetur sperare.

MDCXIII. CONTRA. Qui operatur secundùm infallibilem rationis regulam, non peccat; atqui ille, qui positâ tali revelatione desperaret, operaretur secundum infallibilem rationis regulam; ergo non peccaret.

Probatur minor. Posita tali revelatione infallibilis rationis regula proponeret actum sperasse peccaminosum, actum desperationis esse obligatorium: ergo qui positâ tali revelatione desperaret, operaretur secundum infallibilem rationis regulam.

Probatur antecedens quoad utramque partem. Infallibilis rationis regula proponit actum spei, & desperationis, quales in se sunt: prior in se est interdictus, secundus præceptus: ergo infallibilis rationis regula proponit actum spei ut interdictum, desperationis ut præceptum.

An spes sit contra fidem? *Probatur minor.* Spes nô potest esse contra fidem: ergo interdicitur illa spes, quæ contra fidê sit. Atqui posita illa revelatione, fide tenendum esset Petrû damnatû iri: ergo quæcûq; spes salutis ipsius impingeret in fidê debitâ revelationi.

Respondetur, de fide esse Petrum damnatû iri liberè, adeòq; posse non damnari. Cùmque maneat potentia ad salutem, manet locus spei.

Contrà. Objectum spei non est salus purè possibilis (aliàs enim majorem gratiam sperares, quàm Christus obtinet, est enim major possibilis) nec verè futura (multi enim sunt in inferno, qui aliquando fuerunt sancti & salutem actu supernaturali sperarunt) sed est salus prudenter credita esse futura; atqui salutem illius hominis non esse futuram, esset articulus fidei; ergo imprudenter crederet, qui crederet ipsam futuram; ergo non est locus spei.

Hîc attentè consideranda est responsio, & videndum quomodo possit ex thesi, quæ defenditur, nasci, & non impingere contra definitionem spei, aut contra fidê debitam revelationi; quia si liceret contra fidem sperare ex motivo meræ possibilitatis, posset prudenter peccator impœnitens discedere ex hac vitâ cum spe salutis æternæ, quia tametsi de fide sit discedentes in peccato mortali æternùm perituros esse, potentiam tamen habet Deus, ut ex inferni pœnis extrahat quemcunq; condemnatum. Imò prudentiùs posset sperare salutem ex merâ Dei liberalitate vir impœnitens, quàm ille, cui facta fuisset suæ condemnationis revelatio. Ratio est, quia primo faveret experientia, non secundo. Fuisse alicui condemnationem revelatam, qui posteà non fuerit condemnatus, non legitur, nec dici debet: fuisse autem aliquos ex inferno extractos apud probatissimos Authores legimus; ergo verosimilius esset, Petrum ex inferno fore extrahendum, tametsi eò iverit, quàm adepturum esse salutem, quamvis Deus contrarium revelaverit. Atqui vanè speraret, qui vellet præcipitari in infernum sub spe liberationis futuræ: ergo magis vanè, qui speraret revelationem divinam adimpliendam non esse. *An aliqui ab inferno fuerint extracti?*

Sed quia dixi legisse me apud probatissimos Authores, aliquos ex inferno fuisse extractos, rationi consentaneum est, ut loca & nomina brevissimè notem. Platonem descêdente Christo Domino ad inferos fuisse liberatum, videtur approbare Nicætas Nazianzeni interpres *Orat. 2. in Pascha.* & Salmeronius *tom. 4. D. 26.* Falconillam cultricem idolorum B. Theclæ primæ martyris precibus asseruit Damascenus *Sermone de defunctis* ereptam fuisse. Idem de Trajano Romanorum Imperatore, cujus crudelitas ditavit cœlum multis martyribus, affirmant Alphonsus Ciaconius, Corduba, Rebuffus, Altisiodorensis, Medina, Abulensis, Cassanæus, Navarrus, Vigerius, D. Thomas, Durandus, Richard^9^, Gabriel, Carthusianus, Orbelius, quos citat & sequitur Pater Henricus *libr. 9. de missâ cap. 16.* Villalobos fortissimè hanc sententiam propugnat; *in summâ casuum conscientia quam edidit Hispanicè.* Bellarminus, Suarius & Mendoza *libr. 2. de florib. Sacris problemat. 6. num. 37.* Ita sequuntur contrariam, ut hanc sententiam probabilem sentiant. Volui eam recensere, quia rarò occurrit, & proderit Authores ipsos consulere, & ponderare rationû momenta, quę adducuntur. *Plato. Falconilla. Trajanus.*

THESIS.

Positâ revelatione condemnationis tenetur Petrus desperare salutem: cæterùm quotiescumque, post revelationem violaret Decalogum, peccaret.

MDCXIV. CONTRA argumentor ponendo hypothesim possibilem. Sit condemnandus Petrus propter unicum actum desperationis; multi enim in inferno sunt propter desperationem, & ipsa sola ad condemnationem sufficeret. *Consideretur bene hypothesis.*

Admissâ hypothesi revelet Deus Petro suam condemnationem.

Argue sic. Si Petrus teneretur credere Deo & desperare salutem, non peccaret credendo & desperando, sed mereretur; atqui propter actû meritorijû non potest Petrus côdemnari; ergo posita illa revelatio impleri non posset. Vel si impleri potest, peccaret Petrus desperando; ergo positâ revelatione condemnationis teneretur Petrus non desperare.

Admissâ hypothesi multifariam Authores conantur huic ratiocinio satisfacere; sed cùm peccatum defendunt aut nô defendunt, in thesim & hypothesin sæpiùs impingunt. Quapropter argumêtator attentè debet responsionem cum thesi & hypothesi supradictis conferre, ut oppositionem cognoscat. Alij hypothesin negant, *Resolutio.*

gãne; cùmq; certum sit posse quempiam propter solam desperationem condemnari, & nemo dubitet, quòd talis hominis condemnatio posset cuicumq; alteri homini vel Angelo revelari, non apparet cur dicendum sit, non posse revelari ipsi Petro: quidquid enim futurum Deus cognoscit, potest dicere, & Petrus audire. *Et quidem* admissâ hypothesi mihi videtur hoc argumentum insolutum & insolubile.

THESIS.

Ille, cui revelata est damnatio, tenetur desperare.

MDCXV. CONTRA. Datur præceptũ de spe obligans universos: ergo & Petrum, tametsi facta ei sit condemnationis suæ revelatio.

Probatur consequentia. Revelatio illa non est dispensatio; atqui præceptum solâ dispensatione tollitur: ergo positâ revelatione adhuc manet præceptum.

Dispensatio est duplex: directa & indirecta.

Respondetur, concessâ majori, minorem distinguendam esse; concedetur solâ dispensatione præceptum tolli, si remaneat materia; tolli sine dispensatione si materia tollatur; addetur revelationẽ nõ posse tollere præceptum spei & relinquere objectum; sed tollere de facto objectũ, ac propterea consequenter præceptũ ipsũ.

Sed contrà. Revelatio non potest tollere directè præceptum, ut asseritis: atqui non tollit indirectè destruendo objectum: ergo nullo modo tollit præceptum spei: ergo solutio est nulla.

Probatur minor. Adhuc Petrus poterit salvari: ergo adhuc salus ipsius est possibilis; atqui salus possibilis est objectum spei; ergo positâ revelatione manet adhuc objectum spei.

Probatur subsumptum antecedens. Si salus Petri esset impossibilis, non esset objectum spei: ergo est objectum spei, quia est possibilis.

Respondetur, objectum spei non esse salutem purè possibilem, sed futuram & arduam.

Objectum spei.

Sed contrà. Ad objectum spei requiritur quod salus sit possibilis, non requiritur quod sit futura: ergo objectum spei non est salus quà futura, sed quà possibilis.

Probatur antecedens quoad secundam partem. Multi sunt hodie in inferno, qui aliquando fuerunt sancti & sperarunt salutem æternam; atqui isti non sperarunt salutem futuram, salus enim ipsorum erat non futura: ergo sperarunt salutem purè possibilem.

Respondebitur objectum spei non esse salutem realiter futuram, sed opinione futuram.

Sed contrà. Atqui, positâ revelatione, adhuc salus potest esse opinione futura, ergo adhuc Petrus poterit sperare.

Probatur antecedens. Posset Petrus opinari Deum esse mutabilem: ergo positâ revelatione suæ condemnationis posset adhuc opinari suam salutem esse futuram.

Respondetur Petrum posse quidem opinari Deum esse mutabilem erroneè, non verè.

Sed contrà. Potest Petrus probabiliter opinari Deum esse mutabilem: ergo poterit prudenter opinari & non erroneè.

Probatur antecedens. Potest Petrus invincibiliter ignorare rationes quibus demonstratur Dei immutabilitas: ergo posset probabiliter opinari Deum esse mutabilem.

Casus iste rarus est; nescio tamen cur possit Petro negari ignorantia invincibilis de immutabilitatis attributo: hac concessa, non capio cur Petro non esset probabile Deum mutari posse. Positâ hujus asserti probabilitate maneret salus Petri non solùm purè possibilis, sed probabiliter futura.

Contra eandem Thesin.

SI Petrus esset condemnandus, propter aliquod peccatum esset condemnandus: ergo si existenti in gratiâ fieret condemnationis revelatio, adhuc teneretur sperare. MDCXVI.

Probatur consequentia. Posset sperare se nullum peccatum commissurum esse: ergo posset sperare se condemnandum non esse.

Probatur antecedens. Posset sperare se ad singulas obligationes habiturum esse auxilium sufficiens, vel posset hoc non sperare; ergo quidquid dicatur, posset sperare se nunquam peccaturum esse. Dici non poterit illum debere desperare auxilia sufficientia, quia his negatis nullum peccatum possibile maneret, sublatis enim auxiliis sufficientibus Petrus non posset obedire, ac propterea nec posset peccare: igitur respondendum est debere Petrum sperare auxilia sufficientia ad singulas obligationes, & nihilominùs desperare salutem.

Sed contrà. Nullum esset peccatum possibile, quod non posset Petrus sperare se non esse commissurum; nullum ergo peccatum erit, ex vi cujus teneatur Petrus desperare salutem.

Respondebitur nullũ esse in particulari peccatum, quod Petrus non possit impedire, nullũ de quo non possit benè sperare, debere tamen firmiter credere se aliquod peccatum mortale commissurũ, videlicet hoc vel illud, ac propterea damnandũ: & poterit exponi exemplo certissimo & frequentissimo. Nullum est peccatum veniale in particulari, quod vitari non possit; interim impossibile est ita in carne mortali vivere, ut nullum peccatum veniale committatur. Sic similiter de Petro deberet dici; quia tametsi vitare posset singula peccata mortalia, impossibile esset vivere quin in aliquod præcipitaretur.

Sed contrà. Impossibile est quod Petrus non committat aliquod peccatum mortale antequam moriatur: Ergo impossibile est quod imputetur illud peccatum; Ergo & impossibile quòd propter illud condemnetur. Ergo potest sperare salutẽ. *An necessitas cum imputabilitate componatur?*

Probatur prima consequentia. Impossibilitas excludit libertatem & obediendi obligationem; atqui est impossibile quod Petrus non committat aliquod peccatum antequam moriatur; ergo hæc impossibilitas tollit libertatem & obediendi obligationem. Ergo impossibile est quod imputetur illud peccatum.

Respondetur illam impossibilitatẽ esse moralem, non physicam, adeòq; non tollere libertatẽ.

Sed contrà. Impossibilitas physica tollit libertatem physicam, ergo impossibilitas moralis tollet libertatem moralem; atqui impossibile est Petro vitare omnia peccata mortalia: Ergo hæc moralis impossibilitas tollit in Petro libertatem moralem: atqui ubi non est libertas moralis, nec meritum nec demeritum est; moralia enim opera moraliter elici debent: ergo.

THESIS.

MDCXVII PRimò. *Gratia & peccatum in uno instanti coexistunt.* Ita Lorca, multi Cistertienses & alij.

Secundò. *Beata Virgo peccavit in Adamo & habuit debitum incurrendi peccatum originale: imò & illud incurrisset, si divinitùs non fuisset præservata.*

Tertiò. *Habuit gratiam originalem, & ideò originali labe caruit.*

Consideretur hæc instantia, quæ est fortis.

CONTRA. Beata Virgo habuit debitum incurrendi peccatum originale; ergo si in primo conceptionis instanti non habuisset gratiam, habuisset peccatum originale; ergo de facto habuit peccatum originale.

Probatur secunda consequentia. Gratia illa expulit peccatum originale per incompossibilitatem: atqui in primo conceptionis instanti non erat incompossibilis cum peccato, tametsi in reliquis esset incompossibilis; ergo in primo conceptionis instanti non expulit peccatum.

Probatur minor. Gratia & peccatum in uno instanti coëxistunt, hoc est, in primo; ergo in primo conceptionis instanti non erat incompossibilis gratia cum peccato.

Gratia originalis & habitualis differentia.

Nec juvaret recurrere ad originalis & habitualis distinctionem; distinguuntur enim secundum denominationem extrinsecam; nam eadé habitualis gratia, quam nunc habem⁹, originalis diceretur, si infusa fuisset ab origine, hoc est, à conceptione; unde quæ cum peccato habituali cóponitur, posset etiam componi cú originali.

Videretur alicui Loreistæ posse assignari distinctionem, & in distinctione ipsâ summam paritaté. Aliud est, diceret, quod peccatum superveniens componatur cum gratiâ; aliud, quod gratia superveniens expellat peccatum. Secundum priorem considerationem peccatú actuale componitur cum gratiâ, non verò secundum posteriorem; gratia enim nunquam expellit actuale, nec est verum dicere, quod homo in instanti, in quo graviter peccat, mereatur gratiam habitualem. Analogiâ servatâ posset ad originale transire, peccatú mortale quod in uno instanti committitur, in primo instanti dicitur actuale, habituale in sequentibus: ergo pariformiter peccatú originale dicetur actuale in primo instanti, habituale in reliquis. Igitur sicut primú esse gratiæ non compatitur cum peccato mortali actuali, sic nec compatietur cum originali actuali. Ergo sicut Angeli asserétè D. Thomâ non potuerunt peccare mortaliter in primo instanti, & hoc propter gratiam habitualem, similiter dici debebit B. Virginem non potuisse contrahere peccatum originale actuale in illo primo instanti, in quo introducebatur gratia.

Sed hæc solutio subtilis quidé, sed solida non est. Non peccavim⁹ actualiter in primo instanti conceptionis, sed diù ante in Adamo, adeòq; in primo conceptionis instanti peccatum originale est & contrahitur, non verò committitur; unde etiam in primo instanti est habituale non actuale, ac propterea non subsistit solutio.

THESIS.

Omnia peccata sunt peccata, quia prohibita; ita videlicet ut abstrahendo à lege nihil intelligatur moraliter malum.

MDC XVIII. *Ante legem*

CONTRA. Si nihil sit peccatum ante prohibitionem, nihil est peccatum post prohibitionem: atqui consequens est falsum; ergo & antecedens. *datur obediendi obligatio.*

Probatur major. Ubi nulla est obligatio, non est peccatum; atqui si ante prohibitionem nulla est obligatio, nulla est post prohibitionem; ergo si ante prohibitionem non est peccatum, non est post prohibitionem.

Probatur minor. Si ante prohibitionem nulla est obligatio, nulla ante prohibitionem erit obligatio obediendi Deo (quia obligatio obediendi Deo est aliqua obligatio: aliqua vero & nulla opponuntur contradictoriè.) Atqui si nulla est obligatio obediendi Deo ante prohibitionem, nulla erit obligatio obediendi ejus prohibitioni; ergo si ante prohibitionem nulla est obligatio, nulla est prohibitionem.

Respondebis distinguendo majorem; quia ex prohibitione actuali nascitur obligatio actualis; nam quia Deus obligat, homo obligatur. Ex prohibitione potentiali sequitur obligatio potentialis; nam quia Deus potest obligare, homo potest obligari. Dicis igitur obligatione actualem reperiri post præceptum actuale, obligationem verò potentialem reperiri post præceptum potentiale ante actuale. Nunc ad formam: si ante prohibitioné (nempe actualem) nulla est obligatio, neq; est obligatio obediendi Deo: distinguo, si nulla sit obligatio actualis, nego: si nulla potentialis, concedo. Minorem eodem modo distingue: si nó est obligatio (potentialis) obediendi &c. concedo minorem: si non est obligatio actualis obediendi &c. nego minore. Et ita etiá distinguendú est consequens

Consideretur hæc instantia.

Sed contrà Hic actus, quo diceret quis ante omne præceptum actuale, *etiamsi prohiberet mihi Deus egredi hoc cubiculo, egrederer*; esset actuale peccatum ante omne præceptum actuale; ergo.

Respondeo distinguendo: esset actuale peccatum ante actuale præceptum realiter actualiter positum, concedo: esset peccatum actuale ante præceptum actuale apprehensum, nego. Sicut qui ex errore putat aliquid esse præceptum, quod præceptum non est, si faciat contrarium, peccat ante præceptum actuale realiter positum, non verò ante præceptum actuale apprehensum. *Adhuc manet scrupulus, & solutionem commodiorem optarem.*

THESIS.

MDCXIX *SI utraq; pars contradictionis æquè grave peccatum apprehendatur, quidquid sequêre, non peccabis secus si dispar & elegeris gravius.* Ita P. Ignatius Derkennis die 17. Junij in Thesibus; cui consonat P. Joannes de Jongbe, ejusdem anni 1641, mense Julio, die 15. & 16. dicens, *si decepti⁹ putaveris utramq; contradictionis partem esse æqualiter malam, non peccabis eligendo alterutram.*

Necessitas opponitur libero arbitrio.

Videtur prima Theseos pars necessariò admittenda, ne admittatur status in quo aliquis necessariò peccaturus sit. Nam necessitas tollit libertatem, & sine hac peccatum intelligi non potest. Cæterùm secunda pars videtur inconsequenter subjungi; & majoris claritatis gratiâ demus hypothesim examinandam. Apprehendat Joannes esse æque peccatum occidere Petrum se defendendo, quàm ipsum non occidere se exponendo mortis periculo cùm ab eo invaditur; & hoc abstrahendo à circumstantiis loci & temporis. Posteà animadvertat se esse in

eccle-

ecclesia, & cum homicidium locum sacrum profanet, & non homicidium non profanet, apprehendet quidem gravius esse occidere Petrum, quàm non occidere; gravius quidem non ratione homicidij, sed ratione circumstantiæ adiacentis. His potius argumentor sic.

Joannes potest occidere Petrum in ecclesia, quin peccet; atqui supponitur Joannes apprehendere esse gravius peccatum occidere in illo casu, quàm non occidere: ergo, si utraque pars contradictionis dispar peccatum apprehendatur, non peccabis, tametsi eligas gravius.

De circumstantiâ homicidij.

Probatur major. Joannes in illo casu non erit homicidij reus, sed solius circumstantiæ ecclesiasticæ; sed esse in ecclesia, non est peccatum: ergo non peccabit, tametsi occidat in ecclesia.

Respondetur non esse peccatum esse in ecclesia ut sic, peccatum tamen esse, esse occidentem in ecclesia.

Probatur minor. Illa circumstantia est abstracta & condistincta à ratione homicidij, atqui esse in ecclesia prout ab homicidio condistinguitur, rationem peccati non imbibit: ergo esse in ecclesia occidentem non est peccatum.

Probatur major. Cùm homicidium incommissum in ecclesia & commissum extra ecclesiam dividitur, vel dividitur, ut genus in species, aut ut subjectum in accidentia; Utroq; modo dividatur, debet per differentias à se ipso condistinctas dividi: ergo illa circumstantia est abstracta & condistincta à ratione homicidij.

Patet major, quia genus & differentia ut *vivens & sensibile*; item subjectum & accidens ut *homo & albus*, sunt duo conceptus condistincti.

Dicebatur illa circumstantia secundum se considerata non esse quidem mala, infici tamen malitiâ homicidij.

Impugno. In dato casu homicidium quà homicidium peccatum non est: esse in ecclesia secundum se peccatum non est: ergo hoc aggregatum, quod est, homicidium commissum in ecclesia, non est peccatum.

Probatur consequentia. Si illa circumstantia esset peccaminosa, cùm non habeat malitiam secundū se, deberet esse peccaminosa malitiâ & peccaminositate homicidij; atqui hoc nullam malitiam, nullam peccaminositatem habet: illa igitur circumstantia peccaminosa non est.

Responderi posset, nec illam circumstantiam esse malam ratione propriâ, nec ratione homicidij, sed ratione copulæ interdictæ; & dari instantia. Cum civitas vovet jejunare tali die, nemo tenetur illâ die manere inibi, nemo exire; nemo tenetur extra civitatem jejunare. Ibi igitur nec esse in civitate esset malū, nec comedere carnes extra civitatem esset malum: esset tamen malum illas in civitate comedere. Ecce duorum extremorum indifferentiū copula est mala, quia est interdicta. Ideò tametsi & occidere & esse in ecclesia in casu posito, seorsim considerata, peccata non sint; nec ab homicidio ad ecclesiæ circumstantiam, aut contrà, aliqua possit malitia derivari: tamen connexio illa homicidij & ecclesiæ interdicta est, & ideò peccaminosa est. Peccaretque lictor, qui & esse in ecclesia, & interimere morti adjudicatum potest, si illum decapitaret in ecclesia.

Impugnatur solutio. Vel homicidium factum in ecclesia apprehendetur à Joanne esse duplex peccatum, vel esse majus peccatum. Si esse duplex, tollitur casus jam admissus: ergo dicendū est apprehendi à Joanne esse majus peccatum.

Totū debet admitti, aut casus admissus negari.

Subsumitur. Atqui majoritas peccati non est novum peccatum: ergo qui eligit gravius non peccat. *An majoritas peccati sit peccatum?*

Patet consequentia, quia Joannes non peccat ratione peccati mortalis apprehensi commissi, sed ratione solius majoritatis; hæc enim illi sola fuit libera.

Probatur antecedens. Majoritas, quæ est inter duos homines inæquales, sive illa moralis sit sive physica (puta, si sint dignitate, aut corpore aut aliter inæquales) non est novus homo: ergo majoritas, quæ est inter duo peccata, nō est novum peccatū. Vel si novum peccatū, jam cōmittere gravius, est cōmittere duo gravia peccata.

Notanda.

MDCXX.

Dicunt aliqui (an bene aut male, alibi examinabo.) primò, *hominem ad tales angustias redactum, ut apprehendat utramq; cōtradictionis partem esse æquè peccaminosam, posse alterutram sine scrupulo eligere.* Error enim Lutheri & Calvini est, asserere voluntatem posse necessariò peccare.

Secundò, *si peccata sint disparia, ita ut inæqualitas ex aliquâ circumstantiâ aggravante oriatur, posse eligi alterutrum.* Circumstantiæ enim, etiam maximè aggravantes, nova peccata non sunt, nec debent in confessione exponi. Unde qui furatus fuisset mille scuta, bene confiteretur, si diceret. *Furatus sum gravem materiam,* aut, *Furatus sum tot scuta* designando materiam sufficientem pro peccato mortali, bene confiteretur. Malè absolveres dicentem, *Domine furatus fueram mille scuta & in confessione præcedenti me accusavi de furto gravi, puta tot aut tot scutorum, omittens hanc aggravantem circumstantiam; nunc me accuso non quidem de peccati substantiâ jam confessa, sed de solâ illâ circumstantia omissâ.* Malè, inquiunt, absolveres, quia illa circumstantia abstracta à substantiâ peccati nec peccatum est, imò nec mala est, sed malitiæ majoritas; non enim quantitas est homo, sed hominis magnitudo. *An circumstantia aggravans sit materia confessionis*

Tertiò, *adhuc posse eligi alterutrum si inæqualitas sit specifica.* Ratio est, quia nec ille excessus est peccatum, sed peccati taleitas. Verbi gratiâ. Sit divisio animalis in hominem & brutum generis per duas differentias positivas inæquales: neutra differentia erit animal, & à fortiori, nec ille excessus quo rationalis brutum excedit erit animal: ergo cùm peccatum mortale in duas species per differentias positivas dividitur, non dividitur per differentias, quæ peccata sint, sed per differentias, quæ sint taleitates peccati. Ergo à fortiori excessus gravitatis, qui inter duas illas differentias reperitur peccatum non est. *Peccati taleitas non est peccatum.*

Confirmatur. In realibus formalitas illa quę secundum se considerata non sit animal, non potest contrahi specificè ut sit tale animal: ergo in moralibus, quæ non est peccatum, non potest contrahi specificè, ut sit tale peccatum.

Quartò, *illum, qui apprehendit graviter vulnerare, ne vulneretur, & vulnerari ne vulneret esse mortalia peccata, paria aut non, si simul apprehendat vul-*

tur arein ecclesia esse duo peccata debere prius eligere unum, quàm duo.

An praestet unum committere peccatum, quàm duo? Sed petis. Si apprehendat Petrus occidere in ecclesia ne occidatur esse duo peccata, & item esse unum peccatum occidi ne occidat, quid facturus est? sine occidi ne occidat. Sed instas, ergo est electurus suam damnationem æternam peccando semel, quàm suam salutem peccando bis. Ergo ille, qui scit ex suâ benè explorata fragilitate se sæpissime peccaturum esse graviter si supervivat, debebit laqueo se suspendendo omnia illa peccata prævertere, & uno peccato & animæ propriæ perditione aliis omnibus peccatis obviam ire.

Dura est & mala consequentia, hic argumentativè proponitur, alibi radicitùs examinabitur.

THESIS.

Idem jus matri adversus fœtum inanimatum, etsi sanum, concedimus, quod cuilibet adversus eum injustum vita invasorem. Fuit defensa Lovanii apud Patres Iesuitas.

MDCXXI. CONTRA. Potest mater fœtum inanimatum, si noxius, arte medicâ emittere; ergo & animatum.

Considerantur singula. *Probatur consequentia.* Contra fœtum inanimatum tanquam contra injustum vitæ invasorem potest agere; atqui qui injustè invadirur, ut se defendat, non tenetur invasoris quidditatem distinguere; ergo si mater potest propriam vitam defendere contra fœtum noxium, non tenebitur examinare an sit inanimatus. Ergo poterit fœtum noxium arte medicâ emittere, tametsi sit animatus.

Probatur minor. Qui impetitur non justè (hoc est circa solemnitatem & æquitatem juris) potest suam vitam tueri, & occidere quodcumque animal sit sui ultimi discriminis causa, quin teneatur inquirere, An sit equus, an taurus, an simius, an homo. Quod si per accidens internoscat, quod homo est, adhuc potest eum interimere. Mater igitur, cui fœtus noxius, si in ultimo periculo sit, poterit contra eum procedere quin examinet, sitne animatus aut inanimatus; imò si per accidens noscat, quod animatus sit, adhuc poterit abortum procurare.

THESIS.

Speculativè loquendo perinde est, sive quis per judicem, sive gladio injustè te invadat. Lovanii apud PP. Iesuitas.

MDCXXII *Quàm multa ex hac sententia consequantur; sed multa in sententia ex ipsâ orientia sequuntur.* CONTRA hanc thesim argues ab inconvenienti; videntur enim ex illâ multa sequi, quæ absurda creduntur. Nam cum injustum invasorem possis interimere, si aliter te tueri nõ possis, sequitur, te posse, speculativè loquendo, occidere *primò* quemcunq; injustum accusatorem, *secundò* quemcunq; falsum testem, *tertiò* quemcumq; subornatum judicem, & *quartò*, ut verbo dicam, qualemcumq; personam, quæ authoritate legum & tribunalium potestate abutens te injustè persequitur.

Cùmque injustè patiatur innocens, non solùm quando inquè & culpabiliter, sed etiam quando sanctè & inculpabiliter impeditur; videtur *primò* debere consequenter dici, te virum probum, si à Petro invincibiliter putante te esse illum hominem, qui se exspoliavit, & te exspoliare vicissim volente, posse tua contra invasorem defendere. *Secundò* te posse lictorem interimere, si ipse aliquem ex edicto publico occisurus, te invaderet, sinceriò putans te illum esse qui plectendus quæritur. *Tertiò* quemcumque innocentem malitiâ aut ignorantiâ invincibili aliorum periclitantem, posse illum aut illos occidere, quorum morte possis liberari. Nam, qui sesto impetitur, potest occidere quemcunque qui sibi sit impedimento ne vitam suam tueatur; puta te, si sanctè putans sic debere fieri, eum detineres, ne gladio antagonistam suum transverberaret; ergo similiter cum injustè ab accusatore non ferro sed falsis criminationibus impetor, non solùm potero actorem iniquum interimere, sed ipsummet carceris custodem, qui sanctè putans sic debere fieri, me impedit ut actorem iniquum secretò interimendo seu vitam, seu honorem propugnem. Igitur cautè legenda est sententia ex qua tales consequentiæ inferuntur. Interim hæc consequentia non est bona, *Ex assertione A. multa inconvenientia sequuntur: ergo est improbabilis*: quoniam interdum ex revelatione veritatis multa inconvenientia suboriri videmus, nec ideò dicimus veritatem esse falsitatem. Tu igitur iterùm monitus hanc conclusionem cautè lege.

THESIS.

Pœnitentia est dolor de peccato præterito propter, &c.

CONTRA. Definitio, quæ militat contra Deum, non explicat naturam definiti, sed hæc militat contra Deum; ergo non explicat naturam pœnitentiæ. MDCXXIII. *An hæc definitio confundat divinas scientias?*

Probatur minor. Confundit scientiam divinam; ergo militat contra Deum.

Probatur antecedens. Confundit scientiam visionis cum scientia simplicis intelligentiæ; ergo confundit scientias Dei.

Probatur antecedens. Scientiâ simplicis intelligentiæ cognoscit Deus purè possibilia, scientia visionis futura: atqui positâ hac pœnitentiæ definitione, scientiâ simplicis intelligentiæ cognosceret Deus futura; ergo hæc pœnitentiæ definitio confundit scientiam simplicis intelligentiæ & scientiam visionis.

Probatur minor. Positâ hac pœnitentiæ definitione cognosceret Deus præterita: atqui præterita prius fuerunt futura; ergo scientia simplicis intelligentiæ cognosceret Deus futura.

Probatur major. Scientiâ simplicis intelligentiæ cognoscit Deus pœnitentiam: atqui supposita vestra definitione, pœnitentia est dolor de peccato præterito; ergo scientiâ simplicis intelligentiæ cognosceret Deus dolorem de peccato præterito, ergo scientiâ simplicis intelligentiæ Deus cognosceret peccata præterita.

Major patet, quia nihil cognoscitur à Deo scientiâ visionis, quin prius fuerit cognitum à Deo scientiâ simplicis intelligentiæ, Petrus enim futurus cognoscitur à Deo scientiâ visionis, & scientiâ simplicis intelligentiæ quà possibilis.

Debet respondere, scientiâ simplicis intelligentiæ non cognosci pœnitentiâ quà præteritâ, præsentè aut futuram, sed qua purè possibilem, adeòque definitionem illam cognosci instanti possi-

possibilitatis, quia sicut pœnitentia præsens definitur dolor de peccato præterito; sic pœnitentia futura erit dolor de peccato, quod erit præteritum quando fit præsens illa pœnitentia, quæ dicitur futura, ac propterea pœnitentia possibilis erit dolor possibilis de peccato, quod potest esse præteritum, hoc est præteribili. Sed hoc ipsum subtile est, & potest ulterius impugnari.

Peccatum præteribile.

Contrà. Pœnitentia possibilis est dolor de peccato, quod potest esse præteritum; ergo de peccato præteribili: atqui nullum est peccatum, quod præteribile non sit; ergo nullum est peccatum, quod non possis confiteri. Pœnitentia possibilis est de peccato, quod potest esse præteritum, distinguis, quod potest esse præteritũ quando pœnitentia dicitur esse possibilis, concedis: quod aliàs potest esse præteritum, negas. Consequens eodem modo distinguis. Minorem subsumptam eodem modo, nego omne peccatum esse præteribile in illo instanti determinato, in quo dicitur pœnitentia esse possibilis: in indeterminato, concedo. Ratio est, quia hoc nunc mihi possibilis est pœnitentia, non tamen sunt præteribilia omnia peccata, sed tantummodò quæ de facto præterita. Unde quando dicimus, dolorem de peccato præterito, debet intelligi de peccato, quod sit præteritum, quando fuerit ille dolor; Unde si dolor erit cras, sufficit, quod peccatum cras sit præteritum; & si dolor possit esse cras, sufficit quod cras possit esse præteritum.

Contra. Secundum te pœnitentia possibilis est dolor de peccato, quod potest esse præteritum, quando pœnitentia est possibilis: ergo secundum te pœnitentia, quæ nũc est possibilis, est dolor quem nũc possum habere de peccato, quod nunc est præteribile: atqui nullum est peccatum, quod nunc præteribile non sit, etiamsi commissum non sit; ergo nullum est peccatum, de quo nunc non possim dolere, & non possim confiteri tametsi commissum non sit.

Probatur minor. Nullum est peccatum, quod nunc committere non possim, ergo nullum est peccatum, quod nunc non possit esse præsens; ergo nullum est peccatum, quod nunc præteribile non sit.

Patet consequentia, quia omnia præsentia, quæ non sunt æterna, non solùm sunt præteribilia sed & præteritura; peccatum autem actuale seu peccati commissio, non æterna sed temporanea, imò frequenter instantanea est.

Respondes concedendo antecedens & primam consequentiam & distinguendo secundã eâdem distinctione, quâ prius alias propositiones. Nullum esse peccatum quod nunc præteribile non sit distinguis, quod nunc non sit præteribile respectu hujus *nunc*, negas: quod non sit præteribile respectu alterius *nunc*, concedis. Ratio est, quia nunc in instanti A respectu alterius *nunc* nempe finis mundi omnia peccata sunt præteribilia, quia *nunc* potest fieri quod *tunc* sint præterita; cumq; nunc non possit fieri, quod nunc sint præterita, quæ præterita non sunt, non est verum dicere, omnia peccata esse præteribilia respectu hujus *nunc*.

Atqui respectu hujus *nunc* sunt præteribilia;

ergo pœnitentia est dolor de peccato etiam non commisso.

Probatur subsump. Possum facere quod illa peccata sint præterita; ergo possum facere, quod respectu hujus *nunc* sint præteribilia.

Probatur antecedens. Possum facere quod actio aliqua, quæ non fuerit peccatum, fuerit peccatum; ergo possum facere, quod peccatum quod nunc non est præteritum, fuerit præteritum.

Probo antecedens. Ponatur casus: heri dixi, *crastinâ die veritatem dicturus sum*, nunc possum dicere & non dicere; ergo possum facere quod illa dictio fuerit mendacium, & non fuerit mendacium; ergo quod fuerit peccatum, & non fuerit peccatum.

Respondes, te posse facere, quod illa dictio fuerit falsa vel vera, non verò quod fuerit mendax; quia si illud dixisti secundum mentem, mendacium non dixisti, tametsi facias quod dixeris falsum, quia ad mendacium requiritur, quod verba sint contra mentem.

Atqui possum facere, quod verba fuerint contra mentem; ergo possum illam dictionem, quæ mendacium non fuit, reddere mendacem, ac propterea facere quod illa dictio, quæ peccatum non fuit, fuerit peccatum.

Probatur minor. Nunc possum non dicere veritatem: atqui si non dicerem, verba illa essent contra mentem, ergo possum facere, quod verba illa fuerint contra mentem.

Distinguis, quod illa verba, quæ nunc dico, sint vel non sint contra mentem, concedis: quod illa verba, quæ heri dixi, negas.

Probo. Possum facere, quod illa verba quæ heri non fuerunt dicta, fuerint dicta; ergo possum facere quod illa quæ heri non fuerunt contra mentem, fuerint contra mentem.

Potentia ad præteritum.

Patet consequentia, quia si ego sentiebam heri hominem non esse equum, & possim facere hodie, quod heri dixissem, homo est equus, possum facere hodie, quod heri mentitus fuerim.

Probatur antecedens. Sim Rex vel Pontifex, & Petrus filius illegitimus. Tunc sic: verba matrimonalia non fuerunt dicta: atqui possum facere, quod fuerint dicta: ergo possum facere quod verba quæ non fuerunt dicta, fuerint dicta.

Nomine verborum in majore intelligo quæcumque signa ad valorem matrimonij sufficientia, quia cum agitur de potentia ad præteritum, eadem in utrisq; reperitur difficultas.

Probatur minor. Ideò Petrus est illegitimus, quia illa verba non fuerunt dicta validè, nempè ita ut parentes ejus matrimonium contraherent, si enim illa dixissent & matrimonium contraxissent, Petrus non esset illegitimus: atqui possum ego facere quod Petrus nunc sit legitimus; ergo possum facere, quod parentes ejus contraxerint matrimonium, tametsi non contraxerint, & quod dixerint illa verba, tametsi non dixerint.

Concedis majorem expositione accommodâ & minorem distinguis, me posse facere, quod Petrus sit legitimus moraliter vel virtualiter, concedis: quod sit physicè, negas

minorem, & eodem modo distinguis consequens.

Contra sic. Per te possum facere quod virtualiter & moraliter fuerit contractum matrimonium, quod de facto non fuit; ergo possum facere, quod commissum non fuerit peccatum virtualiter & moraliter, quod physicè commissum fuit; ergo è converso possum facere, quod commissum sit peccatum, quod commissum non fuit; ergo nunc nullum est committibile, quod non possit esse materia doloris & pœnitentiæ.

Concesso antecedenti negas primam consequentiam.

Probatur consequentia. Si ante copulam verè & realiter contractum fuisset matrimonium, ipsa non fuisset verè & realiter peccaminosa; atqui per te possum facere, quod contractus matrimonialis fuerit virtualiter & moraliter, ergo possum facere quod illa copula moraliter loquendo non fuerit peccaminosa; ergo possum facere, quod illa quæ fuit materia contritionis non fuerit materia confessionis.

Confessionis materia.

Probatur. Actio quæ in genere moris peccatum non est, materia confessionis non est, atqui possum facere quod illa copula moraliter peccatum non sit; ergo possum facere, quod non sit materia confessionis.

Distinguis majorem, actio quæ in genere moris, hoc est moralitate Theologâ, quæ desumitur ex habitudine actionis & legis divinæ, peccatum non est nec materia confessionis cōcedis: sed si agatur de moralitate purè politica, & purè pœnali, (qualis est illegitimatio, quæ est pœna civilis propter deordinatam copulam) negas. Distinguis minorem eodem modo, in sensu morali politico, concedis: in sensu morali Theologo, negas. Adeòque negas consequentiam, neque enim sunt materia confessionis peccata politica sed Theologa; quod si aliquando confiteamur politica, illa confitemur, quia non sunt merè politica, hoc est pœnalia, sed sunt partim politica, partim Theologa, id est, mixta, & quà Theologa pertinent ad materiam confessionis.

NOTA.

Nota bene.

HÆc verba *præteribile*, *præsentibile*, *futuribile* exposuimus, quod potest esse præteritum, quod potest esse præsens, quod potest esse futurum, *præteriturum*, quod erit præteritum; sed nimis subtilis est hæc speculatio, & si lynceis oculis examinetur, reperietur discrimen in singulis vocibus, quæ putabantur synonimæ. Tua nativitas nunc præterita est; ergo præteritura non est, interim hæc propositio est vera, Crastina die mea nativitas erit præterita; ergo non est omnino idem, *præteritum erit ac præteriturum est*.

THESIS.

MDCXXIV. An utilis sit Scientia media?

P*Ræter Scientiam Simplicis Intelligentiæ & Visionis, quidam Recentiores aliam adstruunt in Deo scientiam, dictam Mediam; quæ, velut de cœlo lapsa, divina cum humanis omnia conciliat, tamdem alij à prædicta distinctam mordaciter negant. Sed à puncto hujus controversiæ tanquam minus utili abstrahendo, solùm assero scientiam dictam Mediam, nihil attulisse Ecclesiæ utilitatis, aut solatij, quidquid in ea sibi complaceat Molina. Imò inter sententias Catholicas mysterium divinæ prædestinationa cum libertate nostra reconciliantes, eam judico difficiliorē, quo innititur scientia media & futuritioni conditionata.* Pater Ludovicus Conneus S. Th. Professor Pragæ anno 1650. mense Decembr. Thesi VIII.

HAnc ergo sententiam *sic impugno.* Cùm consuluit David Deum, *An-ne, si Saul ascenderet, Ceilita se traderent?* respondit illi Deus, *Tradent.* Et inquiro, An certò cognoverit Davidem à Ceilitis tradendum, an solùm probabiliter & conjecturaliter? Et quia ultimum dici non debet, primum suppono,

Et sic discurro. Hanc veritatem non cognovit Deus Scientiâ Visionis [quia hæc scientia pertingit ea quæ existunt in aliquâ differentiâ temporis: & illa traditio in nullâ exstitit aut exstitura est.] Sed neque Scientiâ simplicis intelligentiæ: Ergo aliâ Scientiâ. Sed nulla est assignabilis præter Mediam: Ergo cognovit Mediâ. *Objectum Scientiæ visionis.* *Objectum simplicis intelligentiæ.*

Probo minorem. Scientiâ simplicis intelligentiæ cognoscuntur purè aut præcisivè possibilia: Sed illa notitia terminatur ad rem majorem possibili, minorem existente, adeòque inter possibilem & existentem mediam. Ergo non est notitia simplicis intelligentiæ nec visionis, sed media.

Probo minorem. Quia plus est dicere, *Si Saul ascendat, Ceilitæ te tradent*, quàm *Et Saul potest ascendere, & Ceilitæ te possunt tradere.* [hoc enim ultimum sciebat David, & interrogabat illud prius.] Atqui hoc posterius pertinet ad scientiā simplicis intelligentiæ: Ergo ad aliam scientiam [nimirùm, ad Mediam] illud prius.

Respondebunt negari non posse Scientiam conditionatam, posse & debere mediam: datur enim in Deo scientia de propositionibus conditionatis, sed quæ non sit ante simplicem intelligentiam & decretum conditionatū media; sed, quæ hoc sequatur. Sic Thomistæ contra Molinistas se expedient. *Inter scientiam mediam & conditionatam differentia.*

THESIS.

MDCXXV. An detur subsistentia in divinis communis?

P*Ræter tres hypostases relativas & incommunicabiles, quibus tres personæ Divinæ differentialiter constituuntur, oculatus Metaphysicus facilè plures et periet in hoc mysterio, & inter ipsas præcipuè unam relativam communicabilem & prædicabilem de singulis Divinis personis.*

CUm dicimus, *Pater est persona divina, Filius est persona divina.* &c. prædicatur ille terminus, qui fortè est æquivocus, aut saltem non relativus, *quod sic probo.*

Hoc prædicatum non est relativum: Ergo non conveniunt in illo Personalitates relativæ. *An officio relativa, si daretur?*

Probo antecedens. Non habet terminum, quem respiciat: Ergo non est relativum.

Probo

Probo antecedens. Terminus, qui respicitur à personalitate divinâ, debet esse realiter distinctus; Sed nullus est realiter distinctus, quem possit respicere illa personalitas communis. Ergo non est relativa.

Relativum debet habere terminum.

Probo minorem. Nihil in mundo est, quod ab illâ personalitate relativâ distinguatur, quod possit illam terminare. Vel qui contrarium dicis, illud assigna. *Erit ne aliqua increata formalitas?* Non. Quia omnes & singulæ identificantur personalitati communi: hæc enim & Naturæ & Relationibus notionalibus identificatur. *Erit-ne aliqua creata realitas?* Minimè. Quia relationum divinarum, de quibus agimus, termini sunt personæ divinæ, & non Entitates creatæ. Ergo cùm illa Personalitas communis terminum habere nón possit, debet dici absoluta: nisi fortè velimus formalitates respectivas adstruere, ubi terminum reperiri repugnat.

Difficiliùs te expedies ab hoc argumento, quàm putes. Qui dicunt cum D. Thomâ & Scoto illud prædicatum *Persona divina* esse indiffinitum, & ratione ratiocinatâ aut naturâ rei à suis differentiis præcisum, non facilè reperire poterunt terminum relationis, quem quæris. Qui autem sectantur fundamenta expressiva, & indefinitum terminum à particulari seu individuo vago non distinguunt, minùs difficulter (difficulter tamen) se expedient. Sicut enim dico, *Aliquis homo respicit alium hominem realiter distinctum à se*: sic etiam possum dicere, *Aliqua persona divina respicit aliam personam divinam realiter distinctam à se.*

Nota id bene.

THESIS.

MDC XXVI. *Personæ sunt tres: Pater, Filius, & Spiritus-Sanctus.*

Unus Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filij: unus Spiritus-Sanctus, non tres Spiritus-Sancti.

Si essent duo Filij, etiam essent infiniti: cùm ergo infiniti non sint aut esse possint, duo non sunt. Unus igitur est.

Consideratur hoc argumentũ: quia sæpè ponuntur conditionales isti similes.

NOn placuit tertia, quia videtur reducere ad rationem, quod tantum habemus à fide.

Sic arguo. Hæc conclusio ponit loco absurdi, quod deberet loco principij. Ergo est falsa.

Probo antecedens. Ponit loco absurdi esse infinitas personas: sed hoc deberet ponere loco principij: ergo ponit loco absurdi, quod deberet loco principij.

Probo minorem. In Deo sunt infinitæ personæ. Ergo.

Probo antecedens. Conceptus infinitarum personarum vel repugnat, quà Personas, vel quà Infinitatem, vel quà connexionem dicit: nihil ex his potest asseri. Ergo in Deo sunt infinitæ Personæ.

Probo totum. Quia pluralitas personarum in Deo non repugnat; nec infinitas & innumerabilitas; habet enim ille perfectiones infinitas & innumerabiles.

Sed non repugnat Personarum & Infinitatis connexio, Ergo nulla est repugnantia, [Distinguitur minor: non repugnat Fidei nego: non repugnat rationi transeat.]

Tum sic. Non repugnat Fidei, dari innumerabiles personas in divinis: sed neque repugnat rationi: ergo non repugnat ullo modo.

Probo majorem. Modò præscindimus à Fide, quando hanc controversiam ventilamus: Ergo nihil poterimus dicere, quod Fidei opponatur.

Nota id bene.

Probo antecedens. Quando inquirimus, Utrùm Spiritusanctus, si non procederet à Verbo, distingueretur ab illo? & Thomistæ dicunt, quod non; non debemus nec possumus dicere eos errare, & contra fidem procedere, quia ipsamet hypothesis, *Si Spiritusanctus non procederet à Verbo*, ponitur præscindendo à Fide. Malè igitur impræsentiarum ad Fidem recurritur, quia ipsa hypothesis, *Si essent plures Filij Divini*, ponitur præscindendo à Fide. Ergo ex eo quod personæ sint infinitæ nullum sequitur inconveniens.

De Spiritusancti processione.

Præscindendo igitur à Fide insistamus rationi. *Ergo sic arguo.* Non repugnat rationi dari infinitas Personas divinas: ergo.

Probo antecedens. Positis infinitis personis divinis non debebo admittere duas contradictorias: Sed ubi non dantur duæ contradictoriæ simul veræ, non datur ulla repugnantia: ergo infinitæ personæ divinæ non repugnant. [Responderent: si darentur infinita principia productiva, nulla daretur repugnantia: at quia duo tantùm dantur, (videlicet; Intellectus & Voluntas) & ista sunt adæquata ideò repugnantia resultat.]

Quomodo probetur non repugnantia.

Omitto examinare, utrùm legitimè principia hæc esse adæquata dicantur, aliam partem impugno. *Sic ingquam.* Non repugnat dari infinitas personas, si dentur infinita principia illarum productiva: Sed non repugnat dari infinita principia: Ergo non repugnant infinitæ personæ.

Probo minorem. Si darentur in Deo infinita principia productiva, non darentur adhuc duæ contradictoriæ simul veræ: Ergo non repugnant in Deo plura principia productiva. [Vel qui dubitet, assignet quæso illas cõtradictorias.]

Tum sic: omnia colligimus, & dicimus. Si darentur duo filij, darentur infiniti. Si infiniti requirerent infinita principia: si autem darentur infinita principia, nullum daretur inconveniens, Ergo, si darentur in divinis duo filij, nullum daretur inconveniens.

THESIS.

MDC XXVII. *PUra omissio libera possibilis est, & peccaminosa esse solet, quando nimirum, omittitur actio præcepta. Ut aliquis omittat liberè requiritur ex parte intellectûs operis obligatorij cognitio; at ex parte voluntatis non requiritur ullus realis & positivus actus.*

Sed Contra. Peccatum omissionis, vel est volitio omissionis, vel nolitio actûs debiti: Sed utraque est actus positivus: Ergo peccatum omissionis est actus positivus.

Probatur

Hîs inquirenda eſt differentia inter actũ primum & ſecundum, quæ difficulter aſſignatûr.

Probatur major. Eſt operatio voluntatis: Ergo eſt vel volitio omiſſionis, vel nolitio actûs debiti.

Probatur antecedens. Mutat phyſicè & poſitivè voluntatem; Atqui, niſi eſſet actus realis & poſitivus, id non faceret: Ergo eſt actus realis & poſitivus.

Probatur major. Voluntas tranſit de actu primo ad actum ſecundum: Ergo mutatur phyſicè realiter & poſitivè.

Probatur conſequentia. Actus primus ſecundusque eſſe debent proportionati: At actus primus eſt realis, phyſicus, & poſitivus: Ergo & ſecundus.

Probatur minor. Quidquid eſt actus primus in potentiâ, id ipſum eſt actus ſecundus in exercitio. Sed actus primus in potentiâ conſideratus eſt entitas realis, phyſica, & poſitiva: Ergo etiam actus ſecundus.

Probatur conſequentia. Mutatur realiter, cùm tranſit voluntas de actu primo ad ſecundum; (nimirùm, in actu omiſſionis, de hac enim impræſentiarùm agimus.) Ergo actus ſecundus eſt realis, phyſicus, & poſitivus.

Probatur antecedens. Ut tranſeat voluntas de actu primo ad ſecundum, debet ſe aliter habere nunc quàm priùs. Sed, ſi non mutetur phyſicè, ſe non habebit aliter nunc, quàm prius. Ergo mutatur realiter: videlicet, phyſicè & poſitivè.

Probatur minor. In actu primo haberet privationem actûs: in actu ſecundo haberet privationem actûs. Ergo non mutatetur.

Reſpondetur eſſe diverſam privationem: nam in actu primo voluntas habet privationem actûs indebiti, & in ſecundo privationem actûs debiti: unde prima privatio erit phyſica, ſecunda ethica.

Et contrà. Hæc mutatio non ſufficit: ergo debet admitti mutatio realis & poſitiva. Ergo omiſſio eſt actus realis & poſitivus.

Probatur antecedens. Hæc mutatio eſt libera: ergo vitalis; ergo intrinſeca. Atqui mutatio privationis ea phyſicâ in ethicam (hoc eſt, ex omiſſione actûs indebiti in omiſſionem actûs debiti) non eſt intrinſeca: Ergo hæc mutatio, quam vos adſignatis non ſufficit.

Voluntas tranſit ex carentiâ actûs in defectum actûs.

Probatur minor. Mutatur privatio ea circumſtantiâ actûs debiti ad circumſtantiam actûs indebiti: ſed tota iſta mutatio eſt extrinſeca: Ergo mutatio, quam vos adſignatis, eſt extrinſeca.

Probatur minor. Ratio debiti & indebiti, quæ mutatur, pendet à lege: Sed lex eſt extrinſeca: Ergo non eſt intrinſeca.

Probatur minor. Lex ſe tenet ex parte legiſlatoris, & ex parte ſubditi: Ergo lex ſubdito eſt extrinſeca. Ergo ratio debiti & indebiti, quæ reperitur in actibus, eſt extrinſeca ſubdito.

Reſpondetur legem quidem eſſe realiter extrinſecam: ſed reſultare inde quamdam obligationis denominationem moralem, quæ moraliter eſt intrinſeca.

Et contrà. At non eſt intrinſeca ut debet eſſe, ut ſit libera & vitalis: Ergo non eſt admittenda ſolutio.

Probatur antecedens. Mutatio actûs primi in ſecundum eſſe debet intrinſeca & ab intrinſeco: Sed hæc mutatio, intrinſeca ſit aut non ſit, non eſt ab intrinſeco. Ergo non eſt vitalis & libera.

Probatur minor. Eſt ab extrinſeco: non igitur eſt ab intrinſeco.

Probatur antecedens. Eſt à lege, eſt à legiſlatore. Ergo ab extrinſeco.

Probatur antecedens. Sublatâ lege tolleretur illa mutatio: tota igitur eſt à lege. Lex eſt extrinſeca: tota igitur eſt ab extrinſeco.

N o t a. Volui has rationes contra puras omiſſiones urgere, ut meus Lector ſingulas bene conſideret, non enim ſunt faciles, licet poſſint probabiliter ſolvi. Sed quomodo? Cùm puris omiſſionibus in Theologicis utar, tunc ab his & multis aliis ſimilibus argumentis me expediam.

THESIS.

Deus non concurrit ad formale peccati. Peccatum formaliter conſiſtit in negativo.

Prima Concluſio certiſſima eſt: ſecunda *MDC*
ideò aſſerta, quia contraria videretur primæ *XXVIII.*
iſti repugnare: multi enim Authores illuſtriſſimi non intelligentes, qui fieri poſſit, ut peccatum formaliter ſit poſitivum, & formaliter non ſit à Deo, ne ejuſmodi concurſum aut dependentiam admitterent, illud in poſitivo conſiſtere negarunt. Cæterùm ſi res curioſè examinetur, eiſdem ferè aut ſaltem æqualibus inſtantiis utraque ſententia eſt obnoxia. *Sed concluſionem ſecundam impugnemus.*

Si peccatum formaliter conſiſtit in negativo, ratio ipſa formalis quâ conſtituitur, erit privatio vel negatio; neutrum poteſt dici: ergo peccatum non conſiſtit formaliter in negativo.

Patet major; quia carentia in negationem & privationem dividitur; non enim datur carentia aliqua, quæ nec ſit negatio, nec privatio.

Probatur minor. Illa carentia bonitatis ſeu rectitudinis non eſt negatio; (eſt enim mala, & negatio mala eſſe non poteſt, aliàs enim malum eſſet Angelo non eſſe album, Deo non eſſe finitum; &c.) Atqui nec illa carentia eſt privatio: ergo nec eſt privatio, nec negatio.

Carentia ſemper habet ſubjectum.

Probatur minor. Nulla privatio eſt ſine ſubjecto: ergo ſi ratio formalis peccati eſt privatio, in aliquo ſubjecto debet eſſe: Atqui non eſt adſignabile ſubjectum in quo ſit: ergo ratio formalis peccati non eſt privatio.

Debet negari major, & adſignari hujuſmodi privationis ſubjectum. Sed hîc diſſentiunt inter ſe Theſeos propugnatores. Alij enim putant rationem formalem peccati eſſe in ipſâmet animâ, ne in alio ſubjecto gratiam, & peccatum in alio conſtituant; alij in voluntate; & alij in volitione; ſed contrà.

Probatur, rationem formalem peccati nec eſſe in animâ, nec in voluntate. Omnis forma denominat ſubjectum quod afficit; (albedo enim denominat album, nigredo nigrum, calor calidum) ergo ratio formalis conſtitutiva peccati denominabit peccatum, ſed nec anima,

nec

nec voluntas denominatur peccatum, (actio enim sola est quæ peccatum dicitur:) ergo subjectum rationis formalis, quæ peccatum constituit, nec anima, nec voluntas est, sed operatio.

Probatur, rationem, quæ formaliter peccatum constituit, non esse in volitione, hoc est, in actu voluntatis. Si privatio hæc rectitudinis, quam asseritis esse rationem constitutivam peccati, dicatur actum voluntatis afficere, consequenter oportet etiam dici malitiam illam, quâ odium Dei in esse peccati constituitur, esse rectitudinis & bonitatis privationem; Atqui hoc dici non potest: ergo malitia, quæ constituit peccatum in esse talis, non est privatio.

Major necessariò concedenda est; non enim alio modo de odio Dei, alio de peccatis reliquis licet philosophari: & neganda erit minor.

Probatur minor. Privatio est carentia formæ in subjecto capaci: ergo privatio rectitudinis erit carentia rectitudinis in subjecto capaci. Atqui odium Dei non est capax rectitudinis: ergo non potest dari privatio rectitudinis in odio Dei.

Odium Dei est rectitudinis incapax.

Probatur minor. Fieri non potest, quod odium Dei sit bonum aut rectum: ergo odium Dei non est rectitudinis capax.

Si respondeant distinguendo antecedens & concedendo fieri non posse, ut odium Dei secundum rationem formalem specificam sumptum, possit esse bonum, negando non posse esse bonum secundum rationem genericam: & similiter distinguendo consequens, affirmando odium Dei secundum rationem genericam esse rectitudinis capax, non verò secundum specificam; poterunt hoc argumento impugnari.

Per vos odium Dei est capax rectitudinis secundum rationem genericam, non verò secundum specificam: ergo secundum rationem genericam & non secundum specificam habet privationem rectitudinis; ergo inferuntur duo absurda. Primum, odium Dei quà actum voluntarium esse peccatum: Secundum, non esse peccatum quà odium Dei.

Subsumo: Odium Dei quà actus voluntatis, est peccatum; ergo & actus contritionis est peccatum.

Patet consequentia; quia etiam est actus voluntatis. *Hic discursus est similis sequenti*: Homo quà animal est sensibilis; ergo & Leo est sensibilis, quoniam etiam est animal. Ergo vel dicendum est, omnem actum voluntatis seu voluntarium, esse peccatum: vel negandum, quod odium Dei secundum rationem genericam & non secundum specificam sit malum.

Præterea: si in odio Dei ratio generica esset peccatum, non verò ratio specifica, non darentur peccata distincta specie, & tenenda esset Stoicorum opinio, peccatorum distinctionem & inæqualitatem negantium.

* *
*

Contra eamdem Thesin.

MDC. XXIX.

Respondebatur rationem formalem peccati afficere immediatè operationem voluntatis: sed hanc solutionem etiam possemus impugnare probando privationem illam esse in animâ immediatè. *Videlicet.*

Hæc privatio rectitudinis per vos est in operatione voluntariâ (urgeri etiam possent æquè fortiter, si dixissent esse in voluntate.) Atqui malitia constitutiva peccati est in animâ: ergo rectitudinis privatio non est ratio constitutiva peccati.

Probatur minor. Ibi est malitia constitutiva peccati, ubi est gratia; atqui gratia non est in voluntatis actu, non in habitibus, non in potentiâ volitivâ, sed in ipsamet anima: ergo & malitia peccati est immediatè in anima, non verò in volitione, aut voluntate.

Probatur major. Gratia & peccati malitia opponuntur; atqui gratia est in anima: ergo & peccati malitia. (Nota bene: Nam gratia non opponitur materialitati peccati, sed formalitati: eadem enim numero actio physica (homicidium, exempli gratiâ) quæ fit contra præceptum & est peccaminosa, & opponitur gratiæ: non opponeretur, nec esset peccaminosa, si esset legitimè præcepta.) Sed hic bifariam possunt respondere.

Gratia duplex: habitualis & actualis: hæc autem gratiæ non opponitur.

Primò. Distinguendo majorem, concedendoque gratiam & habituale peccatum opponi, negando verò opponi gratiam & actuale: & concessâ minori condistinguendo consequens, nimirùm concedendo peccati habitualis malitiam esse in animâ, non verò malitiam actualis.

Secundò. Concedendo majorem & minorem, negando tamen consequentiam. Sed hæc secunda responsio indefensabilis est, nam opposita (contraria aut contradictoria illa sint) ab eodem subjecto mutuò se expellunt: non enim respectu diversorum subjectorum opposita dicuntur, quia non est contra calorem ignis quod nix sit frigida, nec contra albedinem cygni quod corvus sit niger: ergo si gratia & peccati malitia opponi dicunt, debent esse in eodem subjecto. *Impugnemus igitur primam solutionem.*

Probatur malè dici malitiam peccati habitualis esse in animâ, malitiam verò actualis in ipsâ voluntate: malè dici actualis peccati malitiam, & gratiam non opponi.

Illa, quæ non opponuntur, non solùm possunt coexistere, sed sæpè de facto coëxistunt: atqui gratia secundum vos non opponitur peccato actuali: ergo gratia actuali peccato coexistit.

Consequentia est legitima: consequens est absurdum: ergo falsum est, quod supponebatis, antecedens.

Si hæc doctrina subsisteret gratia & actuale peccatum essent simul, non solùm in unico instanti, ut vult noster Lorca: sed etiam in multis, ut asseruit Bayus: & probatur sic.

Si peccatum actuale non opponitur gratiæ, non expellit gratiam: ergo peccatum actuale & gratia sunt simul: atqui peccatum actuale

actuale sæpissimè per longum tempus perseverat: ergo peccatum actuale & gratia longo tempore sunt simul.

Nec prodest dicere, gratiam expelli ab habituali peccato: quia id est ipsummet actuale moraliter perseverans, adeòque videtur peccatum habituale non inciperet, quousque desinat actuale.

An charitas & gratia distinguantur? Scotistæ gratiam à charitate non distinguunt, imò nec animam à voluntate. Ex eorumdem principiis inferunt aliqui gratiam & charitatem esse in animâ, alij utramque esse in voluntate: nonnulli utramque inhærere utrobique; subtiliores verò unâ & eâdem qualitate supernaturali animam & voluntatem afficiunt, quam quidem qualitatem prout in animâ gratiam, prout in voluntate charitatem appellat.

Viderentur hi posse vim istius argumenti fugere asserendo gratiam non esse in animâ, sed in voluntate. Cæterùm si peccati malitiam in ipsa substantia animæ vel voluntatis operatione constituerent, essent obnoxij eidem difficultati; nam peccatum habituale opponitur gratiæ vel non: si non, non expellit gratiam: si opponitur, est in eodem subjecto. Si autem gratiam & peccati malitiam in voluntate constituerent, deberent instantiis sub initium positis satisfacere.

THESIS.

Deus non concurrit ad formale peccati, id tamen formaliter consistit in positivo.

MDCXXX CONTRA. Peccatum sumptum formaliter est totaliter malum; ergo malitia peccati formaliter constitutiva nihil bonitatis includit, Ergo nihil dicit positivum.

An omne Ens sit bonum? *Probatur secunda consequentia.* Omne ens positivum dicit bonitatem (bonitas enim est attributum entis) ergo omne ens positivum-realiter dicet bonitatem realem, & omne ens positivum-moraliter, dicet bonitatem moralem. Ergo quod non dicit bonitatem moralem non est ens positivum-moraliter.

Subsumo: atqui ratio constitutiva peccati quà talis, nullam dicit bonitatem moralem: ergo non est ratio positiva.

Probatur minor. Malitia peccati supponebatur esse totaliter mala, & meritò. Nam illa formalitas per quam homo ultimò distinguitur à Leone, nec leonina est, nec aliquid leoninum imbibit; ergo similiter illa formalitas per quam peccatum distinguitur ab actu bono, nec bona est, nec quidpiam imbibit bonitatis.

Realitatũ & moralitatum analogia. Ne autem ad bonitatem transcendentalem metaphysicam fugiant, notandum est id quod sæpè probavimus, oportere sic disputare de moralibus moraliter, ut de physicis physicè; addendum rationem constitutivam formaliter peccati non esse formalitatem physicam, sed moralem: quamobrem si sit ens positivum-moraliter, erit una-moraliter, & bona-moraliter. Quod si aliquis velit peccatum formaliter physicè constituere (puta relatione difformitatis inter actum & legem) poterit hac ratione urgeri.

Omne ens physicum positivum aut dependet à Deo, aut non. Si non, Deus est: si dependet, creatura. Igitur si peccatum formaliter constituitur formalitate physicâ positivâ, aut Deus concurrit realiter ad formale peccati, ut asseruit insolenter Calvinus, aut peccatum Deus est. Ergo vel Deus ille, quem colimus, vel alius ab illo diversus. Si primum dicatur, Deus noster infinite bonus non est; non enim tale potest dici, quod inficitur malitiâ peccati sive secundum, stabit thesis Manichæorum asserentiũ dari duos Deos, alterum infinitè bonum, & alterum infinitè malum.

THESIS.

Datur in Deo voluntas efficax, cui resisti non possit. Datur etiam voluntas inefficax, cui resistitur, cum effectum non habet.

CONTRA. Voluntas Dei prædiffiniens liberos hominum actus nec est inefficax nec efficax; malè igitur dividitur Dei voluntas in efficacem & inefficacem. MDCXXXI.

Probatur antecedens. Et primò quòd illa voluntas non sit efficax. Voluntas efficax est, cui resistere non possumus; atqui voluntati Divinæ, quæ diffinit actus hominum liberos, resistere possumus, imò nonnunquam resistimus; ergo non est voluntas efficax.

Probatur minor. Deus efficaciter voluit Petrum dolere de peccato negationis commisso: atqui Petrus huic voluntati resistere potuit; ergo vel resisti potest voluntati divinæ efficaci, vel non datur voluntas Dei efficax circa liberos hominum actus.

Probatur minor. Petrus potuit non dolere de peccato commisso; ergo potuit resistere Dei voluntati prædiffinienti quòd doleret.

Respondebitur, Deum non prædiffiniuisse dolorem qualemcumque, sed dolorem liberum, hoc est, voluisse Deum ut Petrus doleret de peccato, ita ut simul posset non dolere, quamobrem potentia ad non dolendum non opponitur divinæ voluntati, sed est illi conformis. *Quale sit Dei voluntas?*

Sed contra. Si Petrus de facto non doluisset, de facto restitisset voluntati Dei efficaci; ergo si potuit non dolere, potuit resistere.

Concessâ majori difficillima evadit hæc instantia; est enim similis huic: *si paries haberet albedinem, esset albus: potest habere albedinem: ergo potest esse albus*; quamobrem neganda est absolutè major, voluntas enim efficax de actu libero & actus liberi carentia componi non possunt; hæc autem incomponibilitas non infert quòd posito decreto non possit non poni actus ab illo prædiffinitus; sed quòd non possit esse verum dicere, *Non est talis actus*, quin simul etiam verum sit dicere. *Non est decretum quod illum prædiffiniat.* Ratio est, quia decretum Dei liberum est, cum supponitur de facto esse, supponitur de facto esse liberum & consequenter ita esse ut possit non esse. *Nota hanc instantiam.*

Contra

Contra eamdem Thesin.

An in Deo sit volũtas inefficax?

IMpugnavimus decreta efficacia Dei, fortiùs poterimus inefficacia. Hæc Calvinus proscribit, quia cum negatione humanæ indifferentiæ & sufficientium auxiliorum componi non possunt: Calvinus autem indifferentiam activam arbitrij & auxilia sufficientia negat. Nos igitur nominis divini authoritati consulentes thesim sic impugnabimus.

Voluntas illa, quâ Deus vult omnes homines salvos fieri inefficax est: atqui talis ipsa est ut homo ei resistere non possit; ergo voluntati Divinæ inefficaci resisti non potest. Ergo aut nulla datur voluntas inefficax in Deo, aut perperam illa diffinitur.

Probatur minor. Hæc divina voluntas infinitæ perfectionis est; ergo infinitè efficax est; ergo nullus ipsi resistere potest.

Patet consequentia, quia si quis illi posset resistere, infinitè efficax non esset.

Probatur utraque consequentia. Ideò voluntas efficax in Deo est infinitè efficax, hoc est, talis ut nemo ei resistere possit, quia est infinitè perfecta, ille actus, quo Deus vult omnes homines salvos fieri, infinitæ perfectionis etiam est, ergo infinitè efficax est, nempè talis cui nemo resistere possit.

Probatur major. Si voluntas efficax Dei finitæ perfectionis esset, esset finitè efficax, ac proptereà talis cui resisti posset: voluntati enim perfectæ ut quatuor resistere posset perfecta ut decem; ergo si divina voluntas infinitæ perfectionis non esset, non esset infinitè efficax sed sæpè resistentiam reperiret.

Voluntatis divinæ efficacia explicatur.

Nota. Omnem Dei voluntatem secundum se consideratam esse infinitæ efficaciæ & effectu carere non posse, apud prudentes in confesso est; esset enim summa imperfectio, quòd Deus haberet decreta, quibus homo posset resistere & quæ posset frustrari; cùm autem voluntatem Dei in efficacem & inefficacem dividimus, virtutem mediorum consideramus; quamborem voluntatem Dei efficacem diffinimus esse irresistibile Dei decretum concedens homini auxilia efficacia; inefficacem verò irresistibile Dei decretum concedens homini auxilia sufficientia seu inefficacia: unde tametsi æquè efficaciter attingat medium utraque Dei voluntas, non tamen utrumque medium (nimirùm, auxilium efficax & sufficiens) æquè efficaciter conducit ad obtinendum finem. Ac proinde illa denominatio & distinctio est voluntati Dei extrinseca, cùm non desumatur ex tendentiâ voluntatis ad auxilium volitum, sed ex conducentiâ auxilij ad obtinendum finem. Si actus humanus divinitus prædefinitus necessariò fieret, non esset irresistibilis illa prædefinitio; quia cùm Deus vellet Petrum operari liberè, Petrus Deo resisteret, si operaretur necessariò; non enim faceret, quod Deus decerneret.

***

THESIS.

Physica prædeterminatio tollit libertatem. Illa distinctio sensûs compositi & divisi, non sufficit, ut salvetur libertas. MDCXXXIII.

Contra. Physica prædeterminatio est forma constitutiva libertatis: Ergo non opponitur libertati. Ergo non tollit aut destruit libertatem.

Qualis sit physica prædeterminatio?

Probatur antecedens. Illa est forma constitutiva libertatis, quâ positâ ponitur, & quâ ablatâ aufertur libertas: Atqui positâ physicâ prædeterminatione ponitur, & ablatâ aufertur libertas: Ergo physica prædeterminatio est forma constitutiva libertatis.

Quid requirat humana libertas?

Probatur minor. Humana libertas consistit in indifferentiâ, vi cujus positis omnibus ad operandum prærequisitis possum operari & possum non operari: Sed hæc indifferentia, & potentia ad utrumlibet tollitur sublatâ physicâ prædeterminatione: Sublatâ igitur physicâ prædeterminatione tollitur libertas.

Probatur minor. Sublatâ physicâ prædeterminatione, qualiscumque maneat Anima, debet hærere & actum necessariò omittere: Ergo indifferentia & potentia ad utrumlibet tollitur physicâ prædeterminatione sublatâ.

THESIS.

NOn est improbabile licere aliquando Matrem vita privare, ut baptizetur infans. Pragæ annò 1650. sub P. Ludovico Comazo. MDCXXXIV.

IMpugnari potest hæc conclusio: & præcipuè, Quia non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Sed occidere matrem est malum: Ergo non licebit illam occidere, ut eveniat hoc bonum; nimirùm, quod infans baptizetur.

Probatur minor. Occidere innocentem est malum: Sed mater est innocens: Igitur illam occidere malum est.

THESIS.

IN principio creavit Deus Cœlum & Terram non ergo ab æterno, ut deliravit Aristoteles. MDCXXXV.

Quomodo debeat interpretari Sacra Pagina?

Contra. Illa Sacræ Paginæ authoritas ita debet exponi, ut ei consentiat Aristoteles; non ergo infert Mundum non fuisse productum ab æterno. Resp. Nec posse illam nec debere aliter exponi.

Probatur Ant. Illâ authoritate non obstante Catholici veteres tenuerunt Mundum fuisse ab æterno: at standum est veterum doctrinæ in materiâ Fidei & Scripturæ. Ergo ita nos illam authoritatem debemus tenere & exponere, ut Mundi æternitatem non negemus.

An mũdus fuerit ab æterno?

Probatur Major. Nyssenus illam S. Scripturæ authoritatem admisit, & tamen æternitatem Mundi

X

Mundi tenuit: Eum sunt sequuti ejus Discipuli: Ergo illâ authoritate non obstante multi tenuerunt Mundum fuisse ab æterno.

Probatur Nysseni sententiâ Mundum fuisse ab æterno. Si Mundus ab æterno non fuit, nec Homines fuerunt ab æterno. At isti fuerunt ab æterno opinione Nysseni: Ergo & Mundus.

An detur primus homo. *Probatur Minor.* Si homines non fuerunt ab æterno, conditus primus homo fuit; At Nysseni opinione nemo fuit primus homo. Ergo homines non fuerunt ab æterno.

Probatur Minor. Si conditus fuit primus homo, hic naturali cæterorum lege non est productus. At opinione Nysseni Adam fuit generatus; & hoc aliorum naturali lege. Ergo non fuit homo primus. *Patet*; quia generatio est origo viventis à vivente in similitudinem naturæ. *Patet*, quia naturalis lex postulat, ut homo ab homine gignatur.

Probatur Minor. Nam Nyssenus in editione Græco-Latinâ Parisiensi anno Domini 1615. apud Michaëlem Sonnium de fide hanc habet clausulam, *Adam naturali hominum lege est generatus.*

Quomodo Authores debeant aliquando explicari? Respondeo duas esse dictiones, aut saltem unam in hac authoritate castigandas: quoniam Interpres pro *generatus* meliùs transtulisset *productus*; & pro *naturali lege* debuisset ponere *non-naturali lege*, aut posuit fortè, & Exscriptorum negligentia excidit illud *Non*. Sic hunc Nysseni locum castigat Euthymius *in Panopliâ*: sic Poza *Elucidarij libr. 4. tract. 3. cap. 4.* Id postulare videtur Textus Græcus: & vis exempli, quo etiam utitur Gregorius Nazianzenus in sancta lumina.

THESIS.

MDC XXXVI. *Terra est unum è quatuor elementis, & non composita ex elementis. Statim medio universi, à nullo corpore sustentata. Terra stat in medio, ut stando Vesta vocatur. &c. Cœlum est solidum: & non est quintum elementum. &c.*

Contra hanc doctrinam & omnes has Propositiones militant Ecclesiæ antiquæ Patres; inter quos S. Basilius Orientalium Religiosorum Pater, pientissimè & sanctissimè vixit, & scripsit doctissimè. Alij ejus vitam & miracula immensis libris, ego brevissimè ejusdem doctrinam propono.

MDC XXXVII. *S. Basilius non fuit Peripateticus.* In Philosophicis abit ab Aristotele toto cœlo, totâ terrâ. De illo Poza Elucidar. l. 4. tract. 4. cap. 10. pag. 1153. *Circa Temporis naturam & Artis practica atque speculativæ qualitates docet non pauca, in quibus non omnes Philosophi conveniunt. Terram non puram sed elementis mixtam procreatam esse ab initio. Cælos non esse solidiores aere fuso, sed molles, & faciles instar nebulæ. Ibidem anxiè est ac dubius de fulcro in quo terra & aqua conniteuntur; &, an Cælum quintum elementum nominent. Quæ omnia non tam statuit, quàm à Philosophis ejus temporis extracta supponit, atque adeò immeritò quidam Basilium afferunt pro nonnullis philosophicis sententiis, quæ nunc à pluribus repudiantur.* Præter hæc habet multa, quibus etiam nonnullas Theologicas sententias in ædificat; multas quas inferiùs etiam referemus.

Ejus Philosophia Naturalis: *Cœlestis:* *Homil. 3. habet non pauca*, ait idem Poza, *de firmamento; de pluviâ & nive, & salorum numero,*

Meteorologica. *quæ non omnes Philosophi probaverunt: quemadmodū & illud de multitudine aquarum, ne ab incendio vel terra vel cœli absorberi queant. Hujus Sanctissimi Viri doctrinas philosophicas plures hujus temporis Philosophi probaverunt, nec in eo leges ullam, quæ non sit summo Viro digna. Homil. 4. Proprietates aquæ & ignis non ab eorum naturâ sed à Dei precepto & voluntate fluxisse docuit.*

THESIS.

Christus est Rex plenipotentiarius totius Orbis; sed spiritualis tantum. MDC XXXVIII.

An Christus habuerit potestatem & jurisdictionē temporalē? *Contrà sic.* Christus est Rex spiritualis: ergo aliquam potestatem habet: Christus non est Rex temporalis: ergo aliquam potestatem non habet. [Concedi debent omnia.]

Progredior. Hæc propositio est, *Aliquam potestatem non habet Christus*: Ergo ejus contradictoria debet esse falsa: nimirùm *Omnem potestatem habet Christus*. Atqui similiter est vera: Ergo dantur duæ contradictoriæ simul veræ.

Probatur minor. Quia dixit Christus Matthæi ultimo, *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* [Dicis hunc locum intelligi de spirituali debere; non de temporali.]

Sed contrà. Quia Christus dicitur *Princeps Regum terræ*, Apoc. 1. & *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, Apoc. 19. Atqui Reges terræ, de quibus hîc sermo, non sunt Principes spirituales, sed temporales: Ergo Christus non solùm est Rex spiritualis, sed temporalis.

THESIS.

Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur: ait Apostolus. MDC XXXIX.

An D. Paulus peccet in Dialecticam? Contra urgeri posset, quod hîc malè ab Apostolo asseratur similitudo inter mortem omnium in Adamo, & vivificationem omnium in Christo, quia de facto in Adamo moriuntur omnes, & tamen de facto non omnes in Christo vivificantur; cùm certum sit, multos ob peccata sua aut alia justâ de causâ nullum unquam habitualem, id est vivificantem formaliter, gratiam recepisse, & ita obiisse, & plurimos similiter obituros, ut vel inde evidenter constat, quod plurimi infantes moriantur sine baptismo.

Responderi poterit nihilominùs esse perfectissimam similitudinem, & ostenditur; quia omnes de facto ex Adam nascuntur, ideòque omnes de facto in Adam moriuntur: sic similiter, si omnes in Christo de facto renascerentur, omnes de facto in Christo vivificarentur; attamen verum est absolute, quod omnes, qui de facto in Christo renascuntur, de facto in Christo vivificantur. Similitudo igitur consistit in hoc

{ *Omnes, qui de facto ex Adam nascuntur, de facto in Adam moriuntur.*
& } *Omnes qui de facto in Christo renascuntur, in Christo vivificantur.*

Item { *Omnes, qui ex Adam nasci possunt, in Adam mori possunt.*
& } *Omnes, qui in Christo renasci possunt, in Christo vivificari possunt.*

THE-

THESIS.

Anima Christi omnipotens non fuit. Christusque miracula non fecit physicè, sed tantùm impetratoriè.

CONTRA illud *tantùm* volo aliquas consequentias proponere: non enim negare volo in Christo miraculorum patrandorum potestatē moralem, sed quia puto præter hanc etiam habuisse physicam, illud *tantùm* oppugno, & sic arguo. Christus habuit omnem operandi potestatē: Sed potestas faciendi miracula physicè, est aliqua potestas: Ergo Christus habuit potestatem miracula patrandi physicè.

Probo majorem. Ipsemet ait Matthæi ultimo capite, *Data est mihi omnis potentia in cœlo & in terrâ.* Ergo habuit omnem operandi potestatem. [explicas verba Christi, & dicis duplici illa sensu posse accipi, nempè in sensu physico, & in sensu morali, & ea in morali fuisse à Christo domino dicta, fateris: in physico autem fuisse dicta negas. Et transiens ad consequens illud distinguis. Omnem potestatem physicam Christo Domino negas: & moralem concedis. Addis vocem ipsam *Potestas* debere bene considerari; quæ enim in physicis *Potentia*, in moralibus *Potestas* nominatur.]

Sed contrà. Christus omnem potestatem operandi physicè vel habuit, vel non habuit. Si omnem habuit, & miracula operatus est physicè. Si omnem non habuit: Ergo omni potentiâ physicâ caruit. Non ergo vidit audivit, &c. physicè, sed tantùm impetratoriè & moraliter. [Negabitur illa disiunctiva, quæ primo loco ponitur. Quia hæ positiones, *Omnem potestatem habet*, & *Omnem potestatem non habet*, non sunt contradictoriæ, sed contrariæ, adeòque non videbitur mirum, si simul esse falsæ dicantur. Et esse contrarias ostenditur, quia æquipollent istis, *Omnis potestas habetur*, & *Omnis potestas non habetur*, quæ sunt contrariæ.]

Hic poterit aliquis dialecticari, & fortè contendere, an-non istæ sint, vel inferant contradictiones: missas tricas faciens, alia via eamdem Conclusionem impugno.

THESIS.

MDCXLI. *Christus Dominus miracula fecit moraliter.*

Sic arguo. Hæc Conclusio opponitur Evangelicæ historiæ: ergo est falsitatis damnanda. Ergo dicendum Christum Dominum miracula fecisse physicè.

Probo antecedens. Marc. 5. legitur; *Iesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de se, versus ad turbam ajebat, quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei discipuli sui, Vides turbam comprimentem te & dicis, quis me tetigit.* Consonat etiam Lucas cap. 8. in quo eadem recensetur historia. Hoc posito testimonio sic arguo.

Hanc mulierem recuravit virtus, quæ exierat è Christo: Sed non exierat moralis, sed physica. Ergo hanc mulierem Christus recuravit virtute physicâ.

Caramuelis Metalog. Lib. X.

Probatur minor. Virtus moralis & impetratoria egreditur ab animâ, & non à corpore: Sed hæc virtus, quæ recuravit istam fœminam, non est egressa ab animâ, sed à corpore. Ergo non erat moralis, sed physicâ. [Fuit egressa à Christo; & non à solo corpore.]

Probo minorem. Fuit egressa ab eâ parte Christi, quæ tangi potuit: Sed non potuit tangi anima Christi, sed corpus: Ergo egressa fuit à corpore. *An virtus quâ Christus sanabat morbos egrediatur à corpore?*

Probo majorem. Sequuta fuit tactum; ait enim Christus, *Quis me tetigit?* & ideò egressa fuit, quia Christus fuit tactus: ergo egressa fuit à Christi corpore.

Probo majorem. Ista est bona consequentia, *Virtus, quâ recuravitur fœmina, emanavit à Christo: Ergo aliquis Christum tetigit.* Ergo illa virtus oritur è contactu physico: Non igitur à causa morali.

Probo antecedens. Ex emanatione virtutis Christus intulit ut certum se fuisse tactum: Ergo est bona consequentia.

Probatur antecedens. Ubi sensit Christus virtutem à se exiisse, non rogavit, An aliquis tetigerit se? sed se ab aliquo tactum supponens, quisnam se tetigerit, petiit. Ergo ex hoc antecedente *Virtus exiit à Christo*, benè infertur hoc consequens, *Ergo aliquis Christum tetigit.* Ergo ut compleatur syllogismus debet addi alia propositio: videlicet, *Quotiescumquè Christum ab aliquo tangitur, virtus medicinalis ab eo egreditur.* Ergo virtus physica & non moralis,

Patet, quia in nostra sententia sic discurrit Christus.

Quotiescumque virtus medicinalis à me egreditur, ideò illa egreditur, quia aliquis tangit me.
Atqui modò illa fuit egressa.
Ergo aliquis me tetigit. Quis igitur tetigit me?

THESIS.

In profundissimo Incarnationis mysterio duarum naturarum, humanæ scilicet & divinæ, quoad proprietates verè & realiter denominantes utrimque, tanta, saltem in concreto, facta est communicatio, ut verè & approbatè dicere valeamus, Deus factus est homo, imò Homo factus est Deus. Deus mortalis, Homo immortalis. Creator creatura, Immensus parvus, Verbum infans, Æternus tēporalis. *&c. nec video amplius, cur sepultis Nestorianis & Arianis erroribus tantopere cavendum aut abstinendum sit, ut quidam volunt, ab illâ assertione simpliciter verâ,* Christus est creatura: *maximè Hieronymo id detente, nos liberè proclamamus non esse periculum eum dicere creaturam.* Ita Pragæ apud S. Mariam ad nives anno 1650. Conorzo Præside. MDCXLII *De idiomatum communicatione.*

ANte viginti aut plures annos, cùm tomum Lorcæ de Incarnatione, Compluti propugnare deberem, non poteram ullo modo intelligere differentias, quæ ab hoc Authore asseruntur etiam ab aliis, quos relegere placuit, ponebātur in expositione harum Propositionum: adeòq; sustinui, omnes eodem sensu debere necessariò concedi. Atqui modò P. Ludovicus Connæus eamdem positionem propugnat, veritati congratulor, & oppositam puto debere à Scholâ proscribi. Interim excitetur gratiâ, eamdem opinionem, quam puto summè veram, *An debeāt admitti istæ propositiones?*

Impugno. Sic arguo. Creatura dicitur, quæ creationis est terminus. At Christus nequit esse creationis terminus: Ergo non est creatura.

Probo minorem. Christum duæ realitates constituunt, Natura & Personalitas. Neutra potuit creari: Ergo Christus non potuit creari.

Probo minorem : & primo Personalitatem creari non posse. Quia est divina: quia est Deus: & Deus creari non potest. Et secundò Naturam non posse creari. Quia non naturæ sed supposita, non abstracta, sed concreta creantur.

Probo hoc ultimum. Quia asserente D. Thomâ 2. *sent. dist.* 1. *quæst.* 1. *art* 2. creatio est emanatio universalis Entis ex nihilo. Et quidem universalissimum Ens est idem quod *Habens*, hoc est, Suppositum. Personalitas igitur creatur, cætera concreantur.

Sic discurrere placuit contra doctrinam, quæ videtur tam clara, ut vix opperi queat. Sanè in propositionibus in Thesi positis si *Christus* subjectum sit, considerandum est prædicatum: nam si hoc nullam imperfectionem involvat poterit afficere & denominare Personalitatem, si involvat, humanam naturam: quoniam istæ propositiones, *Christus est creatura, est servus, est mortalis, est temporaneus*, æquivalent his, *Christus habet aliquam naturã (nempè, humanam) creatam, ancillantem Deo, mortalem, temporaneam*.&c. quæ sunt veræ.

THESIS.

MDC XLIII. *Sacrosanctum Incarnationis Mysterium, quo Verbum caro factum (licet non factum, nec creatum, nec genitum) ab intellectu creato naturaliter investigabile fuit.* Pragæ apud Patres Franciscanos, anno 1650.

An expositio contradicat textui?

Relego illa verba *Verbum caro factum*: & transeo ad parenthesin sequentem, quæ est commentarius & expositio illorum, & lego *non factum*: & quia textui contradicit commentarius, *sic arguo.*

Si ista Thesis stat, stabit Martini Lutheri doctrina & religio. Atqui hæ stare non poterunt: Ergo hæc Thesis non potest subsistere.

Probo majorem. Eodem modo Martinus Lutherus exponit Sacram Scripturam, quo vos. Ergo vel vos exponitis benè, vel malè. Si bene: etiam Lutherus benè. Et, si Lutherus malè, etiam vos malè.

Probo antecedens. Martinus Lutherus in quæstionibus summi momenti exponit Sacram Paginam contradictoriè [nimirùm, dicendo *Est*, ubi Spiritussanctus dixerat, *Non est*: & dicendo *Non est*, ubi Spiritussanctus dixerat, *Est.*] Atqui idem facitis vos [Textus: est *Verbum caro factum*, & expositio est *Non factum.*] Ergo eodem modo Martinus Lutherus exponit Sacram Scripturam, quo vos.

Quomodo Sacram Paginam Martinus Lutherus exponat?

Probatur, quia vos facitis, quæ Martinus Lutherus præcepit. Ipse enim, *tomo V. Witt. Latino fol.* 171. *b. num.* 5. & *Comment. in Psalm. V.* & *tom.* I. *Witt. Latin. fol.* 144. 147. & 155. & præcipuè *Comment in Cap.* 3. *ad Galatas.* sic inquit. *Hæc tibi norma & regula esto, quam in Scripturis-sacris intelligendis sequaris. Vbicumq; Scriptura jubet bona opera facere, tu id sic intelligas, quod Scriptura prohibeat bona opera facere.* Ergo ex mente Lutheri, ubi scriptum est, *Facite*, debemus legere, *Non facite*: Ergo ubi reperimus scriptum, *Verbum caro factum*, legere debemus, *Non factum.* Vos igitur in vestrâ expositione sequimini doctrinam Lutheri, quam tota Ecclesia rejicit & condemnat. [De hac doctrinâ Lutheri vide Theologiam meam fundamentalem num. 39.

THESIS.

Regula immediata Actionis humanæ, seu actus liberi est conscientia, saltem probabilis, qualem multa Dianæ placita non constituunt. Propugnata fuit Pragæ anno 1650. mense Decembr. à Patribus Franciscanis Monasterij S. Mariæ ad nives Præside P. Ludovico Connæo S. Theologiæ Professore. Hanc eamdem, aut simillimam Thesin defenderunt ante pauculos annos Patres Jesuitæ Antuerpiæ, illam enim exhibuit, legit, & admisit P. Molitor S. I. S. Theologię Doctor & Professor hìc Pragę in quâdam Promotione, cui interfui. MDCXLIV

Amo Dianam, & existimo ejus labores Herculeos à nemine contemni debere. Amo hominem, quem nunquam vidi, propter scripta, & fateor nullum esse authorem hodie in mundo, cujus Operibus non sim libentiùs cariturus, quam aureis Dianæ Resolutionibus. Interim, quia sic placuit de doctissimo Viro opinari: hanc eamdem Thesin oppugnandam suscipiam: *Quanti sit faciendus Diana?*

Et sic arguam. Probabilitas authentica sufficit ad securitatem conscientiæ. At nulla est in Dianâ opinio, quæ non sit probabilis authenticè: Ergo nulla quæ non sit sufficienter probabilis: Ergo nulla, quæ morum Regula esse non possit.

Probabilitas duplex: rationalis, & authentica. Alterutra in conscientiâ sufficit.

Probo minorem. Nulla est, quæ præter Dianam non habeat alios multos Authores. Sed multi Authores constituunt opinionem probabilem authenticè: Ergo nulla est opinio in Diana, quæ non sit probabilis authenticè. [Negant majorem: quia, ut ajunt, interdum Diana malè citat, interdum, quos benè citat malè exponit. Ergo non semper pro se non habet multos Authores.]

Subsumo. Sed his non obstantibus est probabile, quod benè citet suos Authores Diana; & est probabile, quod illos bene intelligat. Ergo adhuc ejus placita manent sufficienter probabilia.

Probo antec. Diana putat se benè illos Authores citare; & putat se benè illos intelligere & interpretari. Tu contra. At evidens est illũ magis versatum esse in materijs moralibus, quàm tu [à triginta enim annis docet linguâ & calamo cum summo applausu.] evidens est pluribus annis studuisse quam tu: evidens est plures libros edidisse quàm tu. Ergo probabiliùs stabimus à Diana, quam à Te. [Dices, non tibi soli, sed Lugoni & alijs Dianam malè citare Authores, & malè explicare videri.] *An Diana benè citet Authores?*

Sed

Sed quid inde? *Sic arguo.* Tu Eruditissime P. Ludovice Connæe numero X. agis de Angelis, & hanc Thesin defendendam assumis: videlicet, *Locutionem Angelicam non explicat Scotus per extraproductionem intellectionis in alieno intellectu elicitivè: quidquid dicant alij etiam Scotistæ, Scotum non satis explicantes.* Et inquiro, An hæc tua expositio Scoti sit probabilis? Et si est probabilis, quia tu dicis, tametsi omnium Scotistarum torrens contradicat, cur non patieris esse probabiles ut minimum, citationes & expositiones Authorum, quæ in Diana; siquidem torrens Theologorum subscribit & applaudit, & pauculi solùm contradicunt?

THESIS.

MDCXLV *Baptismus est janua Ecclesiæ, & introitus ad cætera omnia Sacramenta: & est necessarius in re vel in voto: juxta illud Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritusancto, non potest introire regnum Dei.*

Ex hac conclusione sequitur puellos, etiam Christianorum, imò & Christianorum filios, qui moriuntur sine baptismo, non salvari. Negat hoc Campanella: & memini me varias censuras legisse de Campanellæ dogmate, inter quas erat una cui subscribebat P. Lugo (jam Cardinalis) asserens, esse quidem temeratiam, &c. sed non hæreticam. Pragæ sub P. Ludovico Connæo propugnata est hæc Thesis. *Baptismus lavacrum regenerationis, Sacramentum Fidei, janua est cæterorum, medium regulariter* (nota hoc adverbium) *necessarium ad salutem, in re, vel in voto. An autem votum istud ipsius baptizati debeat esse proprium de necessitate, & non sufficiat Ecclesiæ, vel Parentum, non videtur asserere, qui dixit, Absit ut ego dicam non credere infantes, nam credit in altero, qui peccavit in altero.* Unde sic possem dicere, Credit in altero, qui peccavit in altero: Ergo desiderat & petit baptismum in altero, qui fuit maculatus in altero. Hanc paritatem alibi persequar: nunc hoc ratiocinium propono.

Baptismus in voto sufficit. An in voto parentum?

Infantes Christianorum, qui sine baptismo moriuntur, salvantur: ergò baptismus non est necessarius in re: &, si agatur de voto suscipientis, non est necessarius in voto.

Probo antecedens. Si non salvarentur, baptismus non esset privilegium, sed gravamen: Atqui est privilegium: Ergo sine baptismo infantes Christianorum salvantur.

Probò majorem. In lege naturæ solâ fide aut etiam oratione Parentum liberabantur à peccato originali. Ergo baptismus, siquidem privilegium est, aliquid debet concedere, nihil tollere: Ergo etiam hodie fide Parentum, aut etiam oratione, etsi desit baptismus, à peccato originali liberantur. *Patet:* quia aliàs essent hodie pejoris conditionis infantes, quam erant in lege naturæ: tunc enim sufficiebat Parentum fides, & oratio: modò requiritur Parentum fides & voluntas, ablutio physica, verborum pronunciatio, & intentio ministri. Ergo, ne omnia hæc absurda concedantur, dicamus baptismum necessarium non esse.

Sic placuit contra meam communem & ab omnibus receptam doctrinam arguere: sed tibi placeat dare claram & evidentem solutionem.

THESIS.

Orare, non tantùm non est vanum, sed etiam ad salutem necessarium, tam necessitate præcepti quàm medij, non quidem simpliciter & ex naturâ rei, sed æterno decreto divinæ providentiæ, quo decrevit Deus auxilia ad salutem necessaria conferre mediâ oratione. MDCXLVI.

Res absolutè necessaria vel impossibilis sub votum non cadit. Viennæ in Austriâ apud Patres Dominicanos die Mart. 14. anni 1647.

An vota opponantur auxiliis.

Considero orationem, auxilia, votumque. In illa humilitatem humanam laudo; in illis insufficientiam humanæ conditionis cognosco. Hæc intelligo: at in voto animositatem, præsumptionem, superbiam. Id non intelligo; elementorum oppositorum connexionem non capio, & argumentor sic.

I. Si datur oratio & auxilia, non dantur vota (*agò de efficacibus auxiliis & de validis votis.*) Si dantur vota, non datur oratio & auxilia: Ergo altera ex his thesibus delenda est. [*Probatur antecedens.*

II. Si dantur auxilia quidquid voveri poterit vel erit futurum necessariò vel necessariò non futurum. Atqui nec impossibilia nec necessaria cadunt sub votum validum: Ergo si dentur auxilia non dantur vota valida. [*Probatur major.*]

III. Tempore, quod dicetur obligare votum, vel erit auxilium, vel erit auxilij carentia (nec datur medium.) Si erit auxilium, actio erit necessaria; si non erit auxilium, impossibilis. Ergo si dantur auxilia, quidquid voveri poterit, vel erit necessariò futurum, vel necessariò non futurum. [*Probatur minor*]

IV. Illa actio aut omissio antequam sit est necessariò futura, quæ quando est, ponitur necessariò: atqui quando ponitur auxilium actio necessariò etiam ponitur; quando non ponitur auxilium necessariò ponitur actionis omissio; ergo si erit auxilium, actio erit necessariò; si non erit auxilium actio erit impossibilis (hoc est, erit necessariò non-actio, aut actionis omissio.) [*Probatur minor.*]

Ponamus claritatis gratia Petrum heri vovisse in honorem D. Thomæ, cujus octavam celebramus, se hodie ad hanc visitationem venturum, & tamen non obstante voto esse absentem; & sic arguo.

V. Petrus vovit se venturum ad disputationem, nec tamen venit; ergo non habet auxiliũ efficax; ergo non potest venire: ergo quando non ponitur auxilium necessariò ponitur omissio; & quando ponitur auxilium, necessariò ponitur actio. [*Antecedens supponitur; prima consequentia est manifesta, probatur secunda.*]

An auxilium sufficiens esse possit efficax?

VI. Si Petrus veniret de facto auxilium sufficiens quod habet esset efficax; atqui repugnat quod auxilium sufficiens sit efficax: ergo repugnat quod quando nõ venit, possit venire: igitur non potest venire.

Tres solutiones solent dari, quæ meris verbis differunt inter se; *Alij dicunt*, Petrum non posse venire in sensu composito, componendo adventum cum carentia efficacis auxilij; sed posse in sensu diviso. *Alij*, non posse quidem ex parte consequentis, sed posse ex parte antecedentis. *Alij tandem*, non posse potentiâ reducendâ ad actum, sed posse potentia non reducenda ad actum. Et primus loquendi modus placet Salmanticensibus, secundus Complutensibus, tertius Lovaniensibus; tametsi aliquando misceantur & confundantur inter se. Tametsi coincidant, uberioris doctrinæ gratiâ singulos sigillatim impugno.

THESIS.

MDC XLVII.

S*I res, cujus jus sine licentia sibi usurpat Religiosus, sit fortè concessa Religioso ab aliquo amico, qui rei dominium sibi retineat, usum autem illi concedat, non lædet paupertatem absolutè, sed paupertatem religiosam:* & illam impugno hunc casum proponendo & expendendo.

Casus proponitur.

Capucinus (ponatur hoc exemplum, ut strictiùs argumentum concludat) recepit auream catenam ab amico dicente. *Pater, ego retinebo penes me hujus catenæ aureæ dominium, tu illâ nomine meo utaris, & meo si placeat nomine in usus bonos aut indifferentes impendas.* Tunc Capucinus illam dedit Sorori suæ in dotem. Et dico Sororem adquisivisse verum catenæ illius dominium; & concludo religiosam paupertatem non fuisse ab illo Capucino læsam. Quod sic probo.

Impugnatur conclusio.

Non læditur paupertas absolutè, ergo nec paupertas religiosa.] Antecedens admittitur in thesi: Consequentia probatur [Paupertas religiosa est paupertas absolutè, in hoc casu non læditur paupertas absolutè, ergo nec religiosa.] Probatur major: pauper religiosus est pauper absolutè, ergo paupertas religiosa est paupertas absolutè.] Patet consequentia quia à paupertate pauper denominatur, unde qualis fuerit paupertas talis erit & pauper: unde si paupertas fuerit simplex, solennis, totalis aut partialis, ille erit pauper simpliciter, solenniter, totaliter, aut partialiter. Probatur antecedens. [Pauper religiosus non est proprietarius absolutè; at si non esset pauper absolutè, esset proprietarius absolutè; ergo est pauper absolutè.] Probatur minor. [Pauper & proprietarius opponuntur contradictorie. At prædicata contradictoria de eodem subjecto nec possunt simul verificari, nec simul falsificari: ergo nec idem subjectum poterit esse pauper absolute & proprietarius absolutè: nec poterit esse non pauper absolutè & non proprietarius absolutè.]

An paupertas religiosa addat aliquid supra paupertatem absolutam?

Prætereà. [Illud quod addit paupertas religiosa supra paupertatem absolutam vel pertinet ad lineam paupertatis, vel non; si non pertineat ad lineam paupertatis in voto paupertatis non clauditur; si pertineat, actione hujus capucini non læditur: ergo manet difficultas in suo statu.] Prima pars minoris ex eo patet, quia paupertatis voto teneor ad observandam paupertatem, non verò ad observanda jejunia aut aliquid quod non sit paupertas. Patet etiam posterior, [Quia si clauditur, Paupertas religiosa erit talis paupertas absolutè: ergò erit vera propositio, quæ prius fuerat negata. Darentur igitur duæ contradictoriæ simul veræ.]

Vel esto non arguamus ad hominem, nec negata priùs urgeamus, adhuc hæc solutio non subsistit, & probo.] A superiori ad inferiùs valet consequentia negativè; benè enim dicimus; non est animal, ergo neque homo; non est homo, ergo nec talis homo. Ergo si paupertas absoluta clauditur in paupertate religiosâ, à superiore ad inferiùs valebit consequentia negativè. Benè ergo dicam; Id quod læditur non est paupertas absolutè, ergo nec est paupertas religiosa.]

Sed neque hoc est absolutè verum: nam Studiosi Societatis sunt verò religiosi & pauperes, & tamen habent suarū rerum dominium.

Vel sumamus rem ipsam radicitùs. [Paupertas ut sic est carentia proprietatis, non tamen carentia usûs: ergo voluntaria paupertas est voluntaria carentia proprietatis: ergo voluntaria & promissa solenniter paupertas, erit voluntaria & promissa solenniter carentia proprietatis; non verò usûs: At paupertas voluntaria & promissa solenniter est paupertas religiosa; ergo paupertas religiosa est voluntaria & promissa solenniter carentia proprietatis: ergo usus non militat contra paupertatem religiosam.] Omnia fluunt, & solùm primum illud antecedens, quà parte negat, videtur habere difficultatem. Quoniam paupertas ut sic, vel læditur rerum usu vel non; si non, stat illud antecedens, quod tanquam basis ponitur; si læditur, etiam læditur omnis paupertas, ergo etiam paupertas absolutè, quod est contra Thesin propositam.

Si recurratur ad solennitatem, [Solennitas addit aliquid quod est commune omnibus tribus votis, nec reperitur extra vota.]

QUÆSTIO INCIDENS.

MDC XLVIII.

AUdis interdum syllogismum proponi, quem non intelligis; & ideò examinari jubes, & postulas Amicorum Censuras. Ille est,

An sit bonus iste modus argumentandi?

Et decet.
Et non repugnat:
Ergo est.

In quâ figurâ? quæso: in quo modo? An est efficaciæ alicujus? Efficacissimum eum putavit Scotus; efficacissimum putant Scotistæ universi; magnâ enim devotione immaculatam Conceptionem propugnant, & se ab Adversariorum telis hoc clypeo præcipuè tuentur. Puto hunc, tametsi reduci ad Scholasticos possit, ut inferiùs videbimus, esse Syllogismum Moralem, & non concludere evidenter, sed tantùm probabiliter; aut si volueris, probabiliùs. Proderit legere Conclusiones sequentes, quæ fuerunt defensæ cum gloriâ & impugnatæ cum applausu.

THESIS.

Maculam originalis culpæ, quam reliquos Adæ posteros incurrere sola fides convincit. Augustissima pietas Ferdinandæa, & potior Theologorum numerus cum Scoto semper immaculatæ Deiparæ inurere meritò abhorret.

Neque Imperator, neque Pontifex neque ullus alius habet dominium directum proprietatis aut jurisdictionis in totum globum terrestrem.

MDCXLIX. Die XIII. Decembris Anno 1650. Neopragæ in Monasterio B. Mariæ ad nives Præside Eruditissimo Viro, P. Ludovico Connæo fuerunt doctissimæ hæ Theses propugnatæ. Ponebatur ob oculos post titulum Icon subtili cœlo sculpta, in quâ inter parthenios nubium candidissimarum splendores Virgo divina videbatur. Illam Religio & Ratio intentis oculis contemplabantur: suspiciebat Scotus. Pronunciabat Religio, ET DECET: subsumebat Ratio, ET NON REPUGNAT: Inferebat Scotus, ERGO EST CONCEPTA SINE PECCATO. Assumpsi Conclusionem priorem, & ex illâ posteriorem oppetij. Sic dixi.

An hæc consequentia sit exorbitans?

B. Virgo est concepta sine peccato originali: Ergo Pontifex est Imperator totius orbis terrarum. [Mirabilis alicui videri poterit hæc consequentia: sed est efficax & securissima. Attendite.

Rationis identitas.

Probo consequens. Eadem ratio, quæ probat B. Virginem conceptam fuisse sine culpâ, eadem probat Pontificem esse Regem & Imperatorem totius mundi. Ergo vel est efficax, vel inefficax. Si est efficax, utrumque est verum, Si inefficax, utrumque est falsum. Ergo.

Probo Antecedens. Ratio, quâ probatur immaculata Beatissimæ Virginis conceptio est hæc, *Et decet, Et non repugnat; Ergo est sine culpâ concepta.* Atqui hæc ratio æquè probat Pontificem esse Imperatorem totius mundi. Ergo ratio, quæ probat prius, probat etiam posterius.

Probatur minor. Possum similiter dicere. *Et decet Pontificem esse Imperatorem totius mundi. Et hoc ipsum non repugnat: Ergo est Imperator totius mundi.* Ergo ratio, quæ probat Deiparam fuisse sine culpâ conceptam, æquè probat Pontificem esse Imperatorem totius mundi. {Fuit doctissimè responsum illâ die: sed quia multæ sunt viæ, quas inire quis posset, ut se extricaret, volo singulas brevissimè intercipere.]

Si negetur illud, DECET, *probetur sic.* Decet Summum Pontificem habere potestatem continendi Catholicos in religione Catholicâ, & Infideles ad eamdem reducendi: Sed non repugnat, ut hoc possit effectivè præstare, si sit Imperator totius Mundi: Ergo est Imperator totius Mundi.

Si distinguant hanc minorem, & de imperio & jurisdictione Ecclesiasticâ concedant, negent de seculari: subsumo. Sed non repugnat, ut contineat Catholicos in Religione Catholicâ, ad eamdem Infideles reducat, si sit sæcularis dominus & Imperator totius Orbis: Ergo est Imperator, & sæcularis dominus totius Orbis.

Probatur minor. Ideò Augustissimus noster Cæsar felicissimè progreditur in reformatione hæreticorum in Bohemiâ, quia est Rex sæcularis Bohemiæ: & ideò non potest reformare vel unum Calvinistam in Galliâ, quia non est Rex sæcularis in Galliâ. Ergo Innocentius X. posset reformare Hæreticos Bohemiæ, si esset Rex sæcularis Bohemiæ: Ergo posset Hæreticos Galliæ, si esset Rex sæcularis Galliæ: Ergo posset infideles totius Mundi, si esset sæcularis Dominus & Imperator totius Mundi.

Si dicatur, hoc argumento probari posse fieri à Deo ut Pontifex sit Imperator & Dominus sæcularis totius Mundi, non autem probari hoc jam factum. contra sic arguo.

Ex his præmissis, *Decet, Et non repugnat,* non infert Scotus, *Ergo potuit Deus, si voluisset, Matrem suam ab omni labe præservare:* sed infert, *Ergo illam de facto præservavit.* Igitur ex eisdem præmissis *Decet, Et non repugnat,* in materiâ aliâ non est inferenda hæc consequentia, *Ergo Deus potuit totum Mundum sæculariter subjicere Summo Pontifici;* sed hanc: *Ergo Deus de facto totum illi subjecit.*

Iterùm, concessâ non repugnantiâ si negetur decentia, hunc Syllogismum ne contemne. Non repugnat Pontifici subjici à Deo totum terrarum orbem sæculariter. Ergo Deus potest eumdem Pontificem constituere Imperatorem & Dominum sæcularem totius Mundi. Atqui Deus nihil indecens potest facere: & tamen, ut dicitis, hoc potest facere: Ergo hoc non est indecens.

Si dicatur repugnare, ut unus homo possit regere bene totum orbem terrarum, quia capacitas humana minor est tantâ mole: repone hoc non esse verum, nec ad rem. *An unus homo possit totum mundum gubernare?*

Non esse verum primò; Quia de facto Adamus fuit Dominus & Imperator totius Mundi, quem vidit miro modo hominibus & urbibus auctum, antequam moreretur: idem de Nohe poterit dici. Idem de Augusto, qui totum Orbem ad pacem & concordiam reduxit. *Fuerit-ne Adamus Dominus totius orbis terrarum? An Noe? An Augustus?*

Non est verum secundò. Quia, licet nemo fuisset in Mundo, qui ton imperasset, adhuc non deberet dici Imperij hujus pondus humanam capacitatem superare. Videmus enim Homines summæ prudentiæ, qui multa possunt præstantque; & qui non possunt omnia, ab aliis consilio & authoritate juvantur. Ideò sunt Tribunalia, Cameræ, & Concilia superiora instituta, quibus suppletur Principis incapacitas.

Et ut sit verum, non est ad rem primò. Quia potest homo, qui secundum naturalia sua consideratus, sit insufficiens regimini, ita divinâ gratiâ illuminari & elevari, ut sit capax. Atqui non repugnat talem gratiam concedi. Ergo.

Non est ad rem secundò. Quia neque Beatissima Virgo secundum naturalia considerata, neque secundum communem fluxum gratiæ dicitur concepta sine culpâ: sed ex privilegio speciali. Ergo, si iste Syllogismus,

Docet Deiparam esse sine culpa conceptam: Et licet hoc repugnet secundum communem cursum naturæ & gratiæ, non repugnat secundum absolutam omnipotentiam Dei, & supernaturalis privilegij virtutẽ: Ergo Deipara non solùm concipi potuit, sed de facto concepta fuit sine peccato, est bonus, etiam erit bonus iste. *Docet Pontificem, ut contineat Catholicos in Orthodoxâ Fide, & ad eamdem Infideles reducat, esse Imperatorem & Dominum sæcularem totius Orbis. Et licet hoc repugnet secundum communem cursum naturæ & gratiæ, non repugnat secundum absolutam omnipotentiam Dei, & supernaturalis privilegij virtutem: Ergo Pontifex, non solùm dicendus est potuisse præfici, sed esse de facto præfectum toti Orbi; & esse totius Mundi Dominus & Imperator sæcularis.*

NOTA.

Videretur alicui hæc rationum paritas solutione carere; cæterùm dum alij alias producunt, Ego istam profero.

Concedo B. Virginem esse sine culpâ conceptam, nego consequentiam illatam, adeòque Pontificem esse Imperatorem & Dominum sæcularem totius Orbis terrarum. Ad probationem nego eâdem ratione, quâ convincitur prius, suaderi etiam posteriùs. Venis ad probationem hujus positionis negatæ, & ajs:

MDCL. *An sit inter illas duas rationes disparitas?* *Ratio, quâ probatur immaculata Beatissimæ Virginis conceptio, est hæc*: Et decet. Et non repugnat. Ergo est sine culpâ concepta. *Et ratio, quâ probatur immensa Summi Pontificis authoritas est hæc*, Et decet. Et non repugnat: Ergo Pontifex est sæcularis & verus Imperator totius Mundi. *Ergo est eadem ratio.*

Ego respondeo, & primò ad rationem pro Virgine. Sic inquam, *Et decet*, concedo majorem: *Et non repugnat*, concedo minorem: *Ergo est sine culpâ concepta*, distinguo consequens. Est certò, nego consequentiam: est probabiliter, subdistinguo; est, & esset, etiam si constaret contrarium, nego: est, & erit, quamdiu non constabit contrarium, concedo. Et quidem constaret contrarium si vel Ecclesia pro opinione Angelici Doctoris diffiniret, vel ratio inveniretur aliqua vel experientia, quæ monstraret contrarium. Et hinc ad rationem pro Pontifice Summo militantem subveniens, sic respondeo. *Et decet*, transeat major. *Et non repugnat*, transeat minor. *Ergo Pontifex est sæcularis & verus Dominus & Imperator totius Mundi*, distinguo. Est certò, nego: esset probabiliter, subdistinguo. Esset probabiliter, si aliunde non constaret certò contrarium, concedo: erit probabiliter, non obstante, quòd constet contrarium, nego. Et quidem jam constat contrarium, quia in Conciliis etiam generalibus Pontificem non esse directum rerum sæcularium Dominum & Imperatorem supponitur; quia Principes sunt in possessione: quia hæc possessio habet bonum titulum, quia est annorum multorum, ac propterea etiam juxta Canonici Juris rigorem legitima præscriptaque, & tanto nisu ab omnibus Principibus Christianis defensa, ut contraria rejiciatur ubique, & in Galliâ jubeatur juramento damnari, & Carnificis manu comburi: sed tamen adhuc Romæ interdum cum plausu defenditur. *His tamen non obstantibus alterius ordinis authoritatem & potestatem in totum mundum nemo Pontifici negare poterit. Et hæc in idem videntur recidere.*

RETORSIO.

Ex conceptione immaculatâ B. Virginis ad probandam Jurisdictionem Pontificis progressi sumus: possumus contrà è nimissum, ab authoritate Pontificis ad B. Virginis conceptionem venire. Subscribo specimen. Sic arguo: MDCLI.

Pontifex non est Imperator & Dominus totius Orbis terrarum: Ergo B. Virgo non fuit concepta sine maculâ. [Antecedens est vestra conclusio. Et consequens opponitur vestræ doctrinæ.]

Probo consequentiam. Eadem omninò ratio, quæ probat B. Virginem fuisse sine culpa conceptam, eadem ipsa probat Pontificem esse Dominum & Imperatorem totius Mundi. Ergo vel est efficax, vel inefficax. Si efficax, utrumque probat; si inefficax, neutrum.

Atqui est certum quod utrumque non probat ista ratio: quia Pontificem esse totius Mundi Imperatorem non probat. Ergo neutrum probat. Ergo B. Virgo fuit cum culpa originali concepta.

Hinc est bene attendendum, & videndum, cur hæc ratio, cùm agitur de Jurisdictione Pontificis, nihil probet; & cùm agitur de conceptione Virginis efficax sit? Ergo singula quæ dicantur, aut debent dici non esse ad rem, aut erunt in aliam partem retorquenda.

THESIS.

B. *Virgo concepta fuit sine peccato originali.* MDCLII.
Christus Rex est plenipotentiarius totius Orbis: sed spiritualis tantùm. Pragæ in Seminario Archiepiscopali mense Decembr. Anno 1650.

Sic arguo. B. Virgo est concepta sine peccato originali; Ergo Christus est Imperator temporalis totius orbis terrarum.

Probo consequentiam. Eadem ratio, quâ probatur B. Virginem caruisse peccato originali, evincit Christum fuisse temporalem Imperatorem totius Mundi. Utrumque igitur asserere debemus, vel neutrum.

Probo antecedens. Ratio, quâ probatur immaculata conceptio est hæc: *Et decet: Et non repugnat: Ergo est concepta sine maculâ.* Atqui æquè bene possemus dicere, *Et decet, Et non repugnat: Ergo Christus est Imperator, & temporalis Dominus totius Orbis terrarum.* Eadem igitur ratio, quæ probat prius, probat etiam posterius.

Et hîc.

Et hîc bene attendendum, An possit Respondens assignare aut repugnantiam, aut indecentiam.

Et hinc posset etiam retorqueri argumentum à negatâ Jurisdictione Christi ad negandam immaculatam conceptionem, quia si eadem ratio in Christo deficit, etiam in Virgine-Matre deficiet.

THESIS.

MDCLIII **B.** *Virgo sine originali macula concepta fuit.*

Christum in similitudinem carnis peccati absque peccato factum, potuit nihilominùs quamcumque aliam naturam subsistentia capacem, rationalem vel irrationalem, sanctam vel infectam, quaque assumpta manens infici posset, completam vel incompletam assumpsisse.

Meruit autem tam per actum portionis superioris correspondentis visioni beatæ & scientia infusa, quàm per actum portionis inferioris, ad quorum multos ex præcepto obligabatur.

De Christi & Deipara impeccabilitate. LEgo has Theses, & non sine admiratione, nam cùm omnes sint consideratione dignissimæ, hoc videtur omnem rationem superare, nimirùm, Scotistas tanto nisu B. Virginem velle ab originali peccato præservare, & tamen Christo tantummodo affingere peccabilitatem: ergo ex tertiâ Thesi secundam diluceido, [nam, si merebatur per opera, ad quæ tenebatur ex præcepto, peccare poterat: nam meritum libertatem requirit, & posse violare præcepta, infert posse peccare:] & hanc ipsam ex primâ oppugno, & ajo.

Deipara fuit sine peccato concepta: Ergo Christus fuit impeccabilis.

Probo consequentiam. Eadem ratio, quæ evincit immaculatam Virginis conceptionem, eadem ipsa Christum Dominum impeccabilem fuisse persuadet: Ergo si primum dicitur, etiam debet secundum; & si secundum negetur, debebit & primum negari.

Probo antecedens. Ratio, quæ evincit Beatæ Virginis conceptionem caruisse originali maculâ, ista est: *Et decet: Et non repugnat: Fuit igitur sine culpâ concepta.* Sed servatâ eâdem formâ possumus Christi impeccabilitatem evincere; Ergo ratio, quæ Conceptionem fuisse immaculatam evincit, æquè probat Christum fuisse impeccabilem.

Proba minorem Possum dicere, *Et decet*, *Et non repugnat*, *Ergo Christus est impeccabilis.* Ergo eadem ratio, quæ probaverat immaculatam Virginis Conceptionem, mutatâ materiâ & servatâ dialecticandi formâ, probat Christum fuisse impeccabilem.

Et quid quæso negabitur in hoc Syllogismo, *Et decet; Et non repugnat: Ergo Christus est impeccabilis.* An-ne major? Ergo ostendatur obsecro indecentia, quæ ab impeccabilitate nascatur; nam & ipsa peccabilitas à plerisque hoc solo nomine negatur, quia indecens est. An-ne minor? Ergo dentur duæ contradictoriæ, quæ ab impeccabilitate Christi oriantur; nam ubi non est contradictio, nec ibi repugnantia est. Quid dicent ergo? Si recurrant ad privilegia indebita & sensum compositum, illa habuit Virgo, & eadem nec dedecebant Christum, nec assumptæ naturæ repugnabant: ergo. [Relegantur, quæ paulò antè de Pontificis Jurisdictione expensa, quæ omnia per analogiam huc poterunt etiam reduci.]

RETORSIO I.

A Puritate Matris ad Christi puritatem transivimus: modò contrà, ex Christi admissâ peccabilitate ad probandum maculatam Virginis conceptionem transeamus. Sic inquam. MDCLIV.

Christus est peccabilis: Ergo Virgo est peccatrix.

Probo consequentiam. Una & eadem ratio æquè probat Virginem caruisse peccato originali, & Christum impeccabilem esse. Sed non obstante istâ ratione, tenetis Christum esse peccabilem: Ergo non obstante eâdem ratione debetis consequenter tenere, fuisse Virginem in peccato conceptam.

Probo majorem. Ratio, quâ probatur à vobis immaculata conceptio Virginis, est hæc, *Et decet, Et non repugnat: Ergo est concepta sine peccato.* Ratio, quâ probatur à nobis impeccabilitas Christi, est hæc, *Et decet; Et non repugnat: Ergo Christus fuit impeccabilis.* Atqui hi duo Syllogismi non formâ, sed materiâ differunt: Ergo una & eadem ratio utrumque probat. [Expectanda hîc esset responsio; & tamen attentè considerandum, An aliquid dici de Christi impeccabilitate possit, quod in Conceptione non habeat locum; vel è contrà. Opus est enim, ut omnia, quæ dicantur, retorqueantur in alterum paritatis extremum.]

RETORSIO II.

UT probetis B. Virginem fuisse sine culpâ conceptam, sic discurritis, *Et decet, Et non repugnat: Ergo fuit.* At Ego contra Thesin, & contra probationem, sic arguo. MDCLV.

Non dedecet, Et non repugnat, Ergo B. Virgo concepta cum peccato fuit. [Consequentia est legitima; minor certa, nam & nos omnes fuimus in peccato concepti: ergo probanda major.]

Illam probo. Non dedecet Christum Dominum habere peccatum: Ergo nec B. Virginem. [Videtur consequentia legitimè & à fortiore, ut loquuntur Dialectici, convincere.]

Probo antecedens. Christus potuit peccare: ergo.

Ulteriùs; Cùm dicitis, *Et decet; Et non repugnat, Ergo fuit sine culpâ concepta*, potestis bifariam explicare majorem: videlicet, ita ut sit sensus, *Decet Virginem, quòd ipsa Virgo sit immaculatè concepta*, vel fortè, *Decet Deum quòd Virgo sit immaculatè concepta* (vel detur alius, quem hoc deceat.) Sed neutrum potest dici: ergo.

Non

Non primum. Quia decebat Petrum, decebat Judam, & decet nos non peccare, & tamen illi peccarunt, & nos peccamus. Et quod mirabilius est, tametsi Christum dedeceat omnis culpa, peccare potuit. Ergo si Christus habere potuit aliquid sibi indecens, cur Virgo non potuit? Erit magnus Apollo, qui rationem assignet. In quocumque enim gratiarum genere Christum Deiparæ debere anteponi putamus.

Non secundum: Quia non dedecet Creatorem, quòd creatura abutatur arbitrio, & mortaliter peccet. Non dedecet Verbum habere naturam humanam maculatam, ergo minùs omninò dedecebit immaculatam naturam sumpsisse à matre maculatâ.

Ergo vel neganda Christo est peccabilitas, vel Deiparæ illibata conceptio; cùm ergo hanc nolimus, consentaneum rationi est, ut Christum Dominum impeccabilem fuisse dicamus.

NOTA I.

HAc eâdem argumentandi formâ possemus in totâ materiâ Incarnationis procedere, & qualemcumque prærogativam, quæ Christo negetur, probare. Sic in materiâ Jurisdictionis Ecclesiasticæ, sic etiam in materiâ Jurisdictionis Secularis; nam si Deiparæ omnia quæ decent & non repugnant, conceduntur: etiam eadem concedentur Christo; etiam Pontifici, etiam Episcopis, etiam Prælatis. Eadem etiam Imperatori, etiam Regibus, etiam quibuscumque Rerumpublicarum Rectoribus: imò etiam Amicis, Cognatis & aliis.

NOTA II.

MDCLVI. HAnc subtilis Doctoris argumentationem,

Et decet:
Et non repugnat:
Ergo B. Virgo concepta fuit sine peccato.

An Scoti argumentum possit ad formam aut figuram reduci

Esse moralem & probabilem diximus; inquiris tamen, An possit ad formam aliquam Scholasticam & certiorem efficaciam converti? Et respondeo assertivè, & illam ad *Darij* reduco. Sic ajo:

DA *Omnia, quæ decent & non repugnant debent adtribui B. Virgini.*
RI *At immaculata conceptio decet & non repugnat.*
I *Ergo immaculata conceptio debet B. Virgini adtribui.*

Consequentia est legitima. Minor certa: major probabilissima, quæ à nemine, qui B. Virginem diligat, negari debeat.

NOTA III.

MDCLVII COnsequentia & similitudo doctrinæ postulare videtur, ut unum ratiocinium liberiùs & minùs regulis obligatum subjiciam, ne pereat. Concepti illud aliquando, non protuli, ne syllogisticæ formæ & severiori methodo arguendi nocerem. Sic volui eloqui.

IN subtilium gymnasio omnia debent esse subtilia; & quia Scotistæ estis, ac propterea subtiles, multas Theses proponitis, quæ meum superant captum; & quidem desiderarem hodie etiam esse subtilis, ut illas intelligere possem. *B. Virginem sine culpâ conceptam*, pronunciatis. Assentior. In hanc me opinionem impellit Pietas, me Ratio, me propria & aliena devotio. Rationem, quam æri vos, & Ferdinandus Cæsar marmori, cordi ego insculpo, & cùm dicitis, *Et decet*, *Et non repugnat*, *Ergo Virgo fuit sine culpâ concepta*: do manus. utramque liberè præmissam, & illatam consequentiam concedo. At quia subsumitis, *Christum Dominum totius Orbis terrarum Regem fuisse; non quidem temporalem, sed spiritualem*, hæreo totus, & eodem argumento, quo vincitis, vos vincendos pronuncio.

Et ut aliquid sinceriùs dicam, videretur mihi hæc Assertio, non Christo uni, sed etiam toti mundo, quà Ecclesiastico, & quà sæculari nociva. Si enim Christus non fuit totius Mundi directus Dominus, nec hanc potestatem Vicario suo Petro & Successoribus suis delegavit: & si non delegavit, frustra Pontifices, & nominatim Innocentius X. ternas coronas & binas claves habent. Puto enim illos habere claves duas, alteram cœli; alteram terræ, habere gladios duos alterum spiritualem, alterum temporalem. Et illos habere tres coronas; quarum prima sæcularem potestatem designet: & secunda Ecclesiasticam: utramque supremam, & toto orbe extensam, utramque practicam & imperativam, & tertia definitivam potestatem, quæ speculativa est, & Articulos Fidei concernit.

Et quidem, si Pontifex non est ut Imperator: Eminentissimi Domini Cardinales non sunt ut Reges; frustrà igitur hoc cultu prosequimur Ernestum Adalbertum, Eminentissimi Senatûs gloriam; Principem benignissimum & clementissimum, qui hodie præsentiâ suâ nobilitat istud gymnasium.

Et iterùm, si Pontifex non fuit supremus rerum Dominus, frustrà Cæsareâ authoritate exuit Græcos, & investivit Francos: Ergo Carolus Magnus Imperator Germanorum non fuit: Ergo nec Rudolphus Austriacus; ergo nec nostri Ferdinandi.

Et tandem, si Pontifex non est sæcularis Rex Regum, quis dedit Hispano Regi Siciliam? quis Neapolim? quis Navarram? quis Africam? quis Hierosolymas? quis Indias? O quàm fuerunt ignorantes Castellani & Lusitani ante annos centum, cùm de Brasiliâ disputarunt. Non illi contra Pontificis Mundum dividentis potestatem excipiunt; sed lineam à Pontifice ductam supponunt, & inquirunt tantummodò, An Brasilia ulterior, vel citerior sit? O quàm prudens fuit Athabaliba, barbarorum Monarcha, qui solus contra Pontificis potestatem excepit, & suas ab eo posse provincias Hispano concedi, negavit!

Nimia

Nimia sunt hæc; & ne dicamus nobis barbaros esse doctiores, Christum Ecclesiasticum & secularem terrarum & cælorum Dominum, ore pleno dicamus.

Sed mussitans: audio. Ergo debebo istam propositionem, non affirmare solùm, sed probare. Virginem Matrem sine originali labe conceptam dicitis, & sic suadetis: *Et decet, Et non repugnat: Ergo est.* Convincor. Et hæc eadem arma, quia fortissima judico, contra vestram doctrinam pro Christo assumo, & discursum parallelum efformo. Sic ajo: *Et decet, Et non repugnat, Ergo Christus est temporalis Dominus totius Orbis terrarum.* Et quidem, si decet, non repugnat: &, si non repugnat, etiam decet: quia cùm indecentia patrare Deus non possit, quidquid ab eo posse fieri dicatur, non est indecens.

Ecclesiasticam & sæcularem Jurisdictionē Christi venerabatur Joannes Apostolus, cum dixit, *Regum terrestrium Principem* (Apocalips. 1.) & iterùm *Regem Regum & Dominum dominantium.* Quod, si aliquis hæc verba velit de potestate Ecclesiasticâ, & non de Sæculari intelligere, audiet nos inclamantes, *Et decet intelligi de utraque. Et non repugnat sic intelligi: Ergo de utraque debent.*

Quamobrem, si decuit Ferdinandum Austriacum, hujus invictissimi nominis Primum, dicere, *Neque enim jam Frater judicat quemquam, in Germaniâ: sed omne in Imperio, aut etiam conterminis Provinciis dedit Fratri.* Et si decuit Philippum Prudentem, Hispaniarum Regem, assumere. *Neque enim Pater Carolus in Hispaniâ & utrâq; India judicat quemquam, sed omne judicium dedit Filio;* & decebit, & non repugnabit, quòd Jesus-Christus dicat, *Neque enim Pater (in toto Orbe terrarum) judicat quemquam, sed omne judicium (Ecclesiasticum & sæculare) dedit Filio ut omnes honorificent Filium, sicut honorificant Patrem.* Ubi notari debet illud *sicut*: nam si Christus sit Judex, sicut Pater æternus, cùm certum sit Patrem æternum Ecclesiasticam & sæcularem jurisdictionem habere: etiam erit indubitatum Christum Dominū esse totius Orbis terrarum Principem spiritualiter & temporaliter.

Et iterùm. Si decet & non repugnat Philippum Magnum dicere, *Data est mihi omnis potestas in Hispaniâ*: Et si decet & non repugnat Ludovicum XIV. dicere, *Data est mihi omnis potestas in Galliâ*: Et si decet, & non repugnat, Ferdinandum III. dicere, *Data est mihi omnis potentia in Germaniâ.* Et si Octavianus Augustus potuit dicere, *Data est mihi omnis potestas secularium in toto Orbe terrarum*: & si potuit olim Petrus, & hodie potest Innocentius edicere, *Data est mihi omnis potestas Spiritualis in toto Orbe Ecclesiastico, hoc est, in cælo & terrâ*, & decebit, & non repugnabit, quod Christus dicat, *Data est mihi omnis potestas universim, Ecclesiastica & Secularis, Spiritualis & Temporalis, nullâ exceptâ, in toto cælo; nullo excepto: & in totâ terrâ; nullâ exceptâ.*

Et tandem, si in nomine Philippi omne genu Hispanorum flectitur; & in nomine Ludovici omne genu Gallorum curvatur: & in nomine Ferdinandi, omne genu Germanorum submittitur; & in nomine Innocentii omne genu Sæcularium & Ecclesiasticorum provolvitur, quis indecentiam, aut etiam repugnantiam ostendet, si cum Paulo dicamus, *In nomine Iesu omne genu flectatur Cœlestium, & Terrestrium: Ecclesiasticorum & Secularium; Triumphantium, Purgantium, Militantium: & etiam Infernorum; & omnis lingua (Angelica, Humana; Ecclesiastica & Secularis; Spiritualis & Corporalis) confiteatur, quia Dominus sit Iesus Christus in gloriam Patris.* [Sic legit Isidorus Clarius ad Philipp. 2.] Ergo & Ecclesiasticorum, & Sæcularium Iesus Christus est Dominus.

Nec obsunt Christi Domini verba, Fateor enim dixisse Pontio: *Regnum meum non est de hoc Mundo*: & tamen nego illa oppositæ opinioni favere. Quod sic suadeo. Et decet, & non repugnat hoc Christi testimonium eo sensu intelligi, quo acceptum ab Ecclesiæ Patribus. Sed isti existimant hoc eodem sæcularem potestatem firmari: non ergo illa negatur aut excluditur. Et quia multis testimoniis regravare non volo, unum vel alterum adjungo. Audiamus aureas & melleas Patrum Veterum linguas, & Chrysostomi & Bernardi præcipuè. Ille homil. 82. in Joann. ait. *An ne est Mundi hujus Christi regnum? Quomodo non esset? Non quòd hoc non possideat (puta, dixit regnum suum non esse de hoc Mundo) sed, quòd in cælo habeat Imperium, non humanum, sed longe melius & præstantius.* Iste verò lib. 3. de Consideratione ad Eugenium Pontificem Maximum, *Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat & jure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris: cui enim alteri dictum est; Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, possessionem tuam, terminos terræ?* & Sermon. 2. de Epiph. *Ubique Rex est: licet enim Regnum ejus non sit de hoc Mundo, tamen Rex est etiam in hoc Mundo. interrogatus siquidem, Ergo Rex es tu? Ego, inquit, in hoc natus sum, & in hoc veni in Mundum.* Unde bene Molina expendens illa verba Apostoli 2. Corinth. 8. *Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut inopiâ vos divites essetis*; Sic ait, *Loquitur hic de Christo ut homine, qui tùm esset dives, quoad jus & potestatem, quam habebat usurpandi sibi omnia tanquam dominus omnium, propter vos egenus factus est, nihil eorum volens. &c.*

THESIS.

PRæter scientiam visionis habuit cognitionem abstractivam rerum per species; & intuitivam morè naturalem, de se intuitiva Angelorum imperfectiorem; quidquid Scotum immoderatè Cajetanus censuret. Pragæ defensa in Monasterio ad Nives, sub P. Ludovico Connæo: Anno 1650. MDC LVIII.

SUnt multi, qui volunt ligare nostra ingenia, ut non audeamus contra Seniores mussitare. Sed hæc thesis non instruit. Licuit Cajetano Scotum, Scholiarcham, Virum doctissimum & pientissimum immoderatè censurare: licet junioribus Cajetanum reprehendere, ubi reprehensibilis visus. Ergo licebit etiam nobis, stare pro veritate, ubi detur occasio. *Interim Thesin impugno sic.*

Decet

Qualis esse debeat opinionum delectus?

Decet tales habere opiniones & sententias de Christo, quæ nulli Viro magno videantur erroneę, temerariæ aut hæreticę. Atqui opinio, quæ docet intuitivam Christi Domini scientiam esse ignobiliorem Angelicâ Cajetano & aliis viris magnis videtur censura Ecclesiastica digna: Ergo decet habere opinionem contrariam: & habere istam dedecet.

Non repugnat concedi homini notitiā intuitivā nobiliorē Angelicâ: at Christus est homo. Non ergo repugnat Christo notitia intuitiva, quæ sit Angelica nobilior.

Tunc sic. Et decet: Et non repugnat: Ergo Christus habuit notitiam intuitivam naturalem perfectiorem Angelicâ.

THESIS.

MDCLIX. **B.** *Virgo fuit sine ullâ maculâ peccati originalis concepta.*

Anima Christi omnipotens non fuit, Christus miracula non fecit physicè; sed tantum moraliter & impetratoriè.

Et potest eodem modo impugnari. [Quia si prima est vera: etiam secunda: ergo vel utraq; vel neutra.]

An Christi corpus habuerit virtutem realem & physicam curandi morbos?

Probatur. Quia decet corpus Christi habuisse virtutem physicam medicinalem: Et non repugnat eam habuisse: Ergo habuit. [Minor videtur non posse negari: virtutem enim quam lapidibus, metallis, & herbis dedit Deus, cur non potuisset etiam Christi corpori dare; maximè cùm habeamus etiam hodie in Europa homines, qui gratiâ physicâ sanitatis donati.]

Majorem igitur sic probo. Capite V. suæ Historiæ Marcus sic inquit. *Iesus in semetipso cognoscens virtutem, quæ exierat de se, conversus ad turbam ajebat: quis tetigit vestimenta mea? Et dicebant ei discipuli: Vides turbam comprimentem te, & dicis, Quis me tetigit?* Consonat Lucas cap. 8. & posset aliis etiam testimoniis dilucidari, quibus positis sic argumentor.

Et decet hoc testimonium intelligi in sensu physico: Et non repugnat illud intelligi in sensu physico: Ergo intelligendum est in sensu physico.

Probatur major. Decet, ut intelligamus testimonia scripturæ juxta sensum Doctorum & Patrum: At isti ex hoc & aliis locis inferunt potestatem faciendi miracula physicè: Ergo decet ut asseramus illa fuisse facta à Christo physicè.

Probatur minor. Quia Gregorius lib. 2. Dialogor. cap. 30. sic inquit: *Qui devotâ mente Deo adhærent, exhibere signa utroque modo solent; ut miraquæque aliquando ex prece faciant: aliquando ex potestate. Cùm enim Ioannes dicat*, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. *Qui filii Dei ex potestate sunt, quid mirum, si signa facere ex potestate valeant.* Consonat Euthymius cap. 19. in 7. Lucæ, comparans humanitatem ferro candenti; & quidem certum est ejusmodi ferrum physicam habere virtutē, & non moralem. Et consonat uterq; Concilio Ephesino, in quo Anathemate II. lego. *Si quis ipsam Domini carnem vivificam negaverit, eò quòd Verbi, quod omnia vivificat, facta sit propria: Anathema sit.*

Et hîc Oppugnator attendat, & videat, an Defendens audeat vel dicere repugnare vel dedecere, ut sacræ Scripturę testimonia intelligantur eo sensu, qui à Patribus tradita sunt. Nam testimonia Patrum & Concilij producta, clara sunt.

Duas virtutes patrandi miracula habuit Christus.

Dices Gregorium duas potentias operandi miracula admisisse, sed utramque moralem. Operantur enim miracula ex potestate, illi quibus compromisit concursum Deus, quoties velint prodigia facere: at ex prece illi, quibus nihil promisit. Cum illis enim Deus concurrit ex pacto, & cum istis ex gratia.

Hæc solutio aliquando mihi fuit data. At neque prioribus, neque posterioribus hæret. Petit Petrus, *Velim nosse, si hæc tanta miracula virtute semper orationis impetrabat, an aliquando etiam solo voluntatis exhibebat nutu?* Cui respondet Gregorius, eos qui adhærent Deo bifariam patrare miracula; nimirùm, prece (hoc est, impetratoriè & moraliter) & potestate (hoc est, physicè & solo voluntatis nutu,) & probat, *Quia enim utroque modo miracula exhibeant, testatur Petrus, qui Tabitham mortuam* (Act. 9. f.) *orando suscitavit: Ananiam verò & Saphiram mentientes* (Act. 5. a.) *morti increpando tradidit. Neque enim orasse in eorum extinctione legitur* (N. B.) *sed solummodò culpam, quam perpetraverant, increpasse. Constat ergo quod aliquando hæc ex potestate* (hoc est, ex virtute physica operandi miracula) *aliquando verò exhibentur ex postulatione* (hoc est, moraliter & impetratoriè) *dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando. Nam duo quoque fidelis famuli Dei Benedicti facta nunc replico, in quibus apertè clareat, aliud hunc acceptâ divinitùs potestate* (realiter & physicè;) *aliud oratione* (moraliter & impetratoriè) *potuisse.*

THESIS.

TEnemus *Beatam Virginem sapiùs, Moysem semel aut iterùm; S. Paulum Apostolum semel; S. Benedictum semel: (fortè & alios Patriarchas possemus addere) per modum transeuntis, non verò per modum permanentis vidisse Essentiam Divinam, dum viverent.* MDCLX.

CONTRA. Potuit Deus concedere Beatissimæ Virgini Mariæ, ut totâ vitâ Essentiam divinam incessanter & per modum permanentis respiceret. Non constat hoc non concessisse. Ergo concessit.

Probatur consequentia. Est bonus argumentandi modus: Conceditur Major & Minor: Ergo & debet consequentia concedi.

Probatur Major. Virginem esse conceptam sine peccato originali bene probant fideles. (aliàs enim pia sententia improbabilis esset, & temerè defenderetur) at simili utuntur argumento: Ergo nostrum argumentum est efficax.

Probatur Minor. Argumentum Scotistarum fundatur illis ejusdem Pientissimi Doctoris verbis, [Non succurrunt formalia verba, sed meis verbis sensum Scoti dabo.]

Si nihil

simile est in sacrâ Paginâ contrà, auderem dicere Virginem sine culpâ conceptam: ex quibus Scotistæ. *Deus potuit illam præservare à peccato, Non dicunt sacra littera non fecisse: Ergo fecit.* Nostrum argumentum est hoc, *Deus potuit Beatissima Virgini concedere permanentem visionem sua essentia: non dicunt sacra littera non fecisse: Ergo fecit.* Ergo sunt simillima argumenta. Ergo utrumque convincit vel neutrum.

Contra Eamdem Thesin.

NUllam prærogativam Deus concessit alij Sancto, quam negaverit Matri: Sed Moysi concessit visionem beatificam permanentem: Ergo & sanctissimæ Virgini.

Probatur Minor. Sic docuit Basilius: At S. Patris sententiæ veræ sunt, & receptæ ab Ecclesiâ: Ergo Moysi Deus, ut permanenter videret divinam essentiam, concessit.

Probatur Maior. Concessit Moysi Deus, asserente Basilio, ut essentiam divinam ita intueretur, ut beati Angeli: At isti Deum permanenter respiciunt (*Angeli eorum semper vident faciem Patris mei, qui in Cælis est.*) Ergo Moyses vidit essentiam Divinam permanenter.

Probatur Maior. Quoniam hæc sunt verba Basilij homil. 1. in Hexam. *Moyses dignus habitus est spectator, ut esset peræquè ac Angeli, faciei Divina.*

Nota.

Quales gratias fuerint concessa Deipara in primo sua conceptionis instanti.

ANgelorum Reginam in primo conceptionis suæ instanti vidisse essentiam Divinam sunt qui asserant, pauci tamen: at eam in Incarnationis Verbi momento vidisse essentiam Divinam multi dicunt. An vitæ suæ decursu sæpius Deum clarè viderit incertum est. Paulum, cùm raptus est ad tertium cœlum, hoc est, ad Paradisum, & audivit verba arcana, quæ non licet homini loqui, vidisse Dei essentiam, multi affirmant. Sed cur se arcana audivisse ait Apostolus, non se vidisse? An gloriæ lumen in ordine supernaturali est auri similior quàm oculo? non puto. Cur ergo? alibi examinabo. Sanctissimum Patrem nostrum Benedictum vidisse etiam Dei essentiam, defenditur à nostris Religiosis Salmanticæ ferè singulis annis, sunt enim summæ virtutis illa Gregorij Magni verba: *In uno radio solis totum mundum collectum conspexit, quoniam videnti Deum angusta est omnis creatura.* De alijs Patriarchis pro devotione & pietate filiorum multa doctissimè asserta in Ecclesijs & Scholis dicuntur.

THESIS.

MDCLXI. *An repugnet status pura natura?*

A*Ngelos creatos esse, & etiamnum existere Fides docet. Eos in primo sua creationis instanti donis tantùm naturalibus ornatos extitisse, non est improbabile.* Ita P. Ludovicus Connæus Pragæ anno 1658. Thesi x.

OPponitur ex diametro opinioni Cornelij Jansenij, asserentis, *Repugnare statum pura natura. Non posse Deum creare substantiam rationalem sine gratiâ. Gratiam esse substantia intellectuali innocenti naturalem.* Inter quam & Connæum reperitur via media, quæ affirmat, potuisse quidem Deum, Hominem & Angelũ in puris naturalibus condere, noluisse tamen: quam viam mediam hodie ferè omnes Theologi, & Concionatores sequuntur. *Resolutio.*

Ut igitur impugnem hanc sententiam, sic inquam. Et decet: Et non repugnat: Ergo Angeli in primo suæ creationis instanti gratiâ prædici sunt. [Consequentia est legitima, & qualis in præcedentibus: Minor certa: Major sola videtur probatione indigere.] *Ergo.*

Probo maiorẽ. Decens erat ut tã nobiles creaturę, quales erãt Angeli, in primo suę creationis instanti possent creatorẽ suũ super omnia diligere: At hoc nõ poterant facere sine charitate [quæ vel identificatur gratiæ, vel nunquam separatur à gratiâ:] Ergo in primo suæ creationis instanti habuerunt gratiam. [Distinguitur major: de amore naturali conceditur, & de supernaturali negatur.

Contra sic. Decens erat, ut in primo suæ creationis instanti amarent Deum super omnia: Sed amor Dei super omnia non est naturalis: Ergo decens erat ut elicerent actum supernaturalem. At iste elicitur à Charitate: Ergo.

Probatur prima minor. Ita debet Deus amari super omnia ut nihil sit creatum aut creabile, supra quod non ametur Deus: At hoc non potest fieri actu naturali: Ergo amor Dei super omnia consistit in amore supernaturali.

Probatur minor. Actus naturalis non attingit objecta supernaturalia: Ergo qui diceret amare Deum super omnia amore naturali, amaret Deum super omnia naturalia: non ergo super omnia creata & creabilia: Ergo non absolutè super omnia.

Probatur minor. Visus non egreditur limites visibilium: Auditus audibilium: &c. Ergo Intellectus & Voluntas naturales duæ sunt potentiæ quæ se continent intra ordinem rerum naturalium: Ergo non attingunt ordinem supernaturalem.

THESIS.

C*Hristi humanitas non est immensa, aterna, omniscia. &c. Sed quidquid sit de fictitiâ, hactenùs non satis ab ipsis explicatâ, secluso scandalo, non video contra quod Theologia aut Philosophia principium erraret, qui assereret humanitatem Christi saltem definitivè esse ubique.* Ita Ludovicus Connæus S. Th. Professi. Pragæ in disput. habitâ mense Decembri anni 1658. MDCLXII.

HÆc posset Thesis ex multis impugnari capitibus: interim arguere possem

Primò.

QUia non occurrit, in quo differat hæc asseria à vobis ubiquitas, ab ubiquitate, quam Christi humanitati Lutheranorum illi, qui dicuntur *Ubiquista*, accensent; Sed ubiquitas Lutheranorum est fictitia; ut fatemini: Ergo etiam vestra. [Exspectanda esset hic differentia: puto enim vix posse illam proferri: & *An humanitas Christi sit ubique?*

concludendum ex hac Thesi Lutheranorum Ubiquistarum opinionem in nullum principium Philosophiæ & in nullum Theologiæ impacturam.]

Secundò.

An possit esse creatura infinita?

QUia repugnat in rebus creatis infinitas, tam secundum essentiam, quàm secundum quantitatem & qualitatem: & Christi humanitas, si ubique esset, immensa esset. Vel scire vellem, quid aliud esset Deum immensum, quàm esse ubique.

Tertiò.

QUia humanitas Christi non est semper: ergo non est ubique.

Probo consequentiam. Personalitas Verbi & semper & ubique est. Et tamen humanitas Christi non est semper: hoc est, in omni tempore: nam ante conceptionis diem non fuit: Ergo nec est ubique.

Probo consequentiam. Non occurrit ratio, propter quam debeamus potiùs dicere, quòd Verbum divinum communicat ubiquitatem suam humanitati, quam æternitatem. Ergo de utraque eodem modo philosophabimur. Ergo vel utramque communicat, vel neutram communicat. At non utramque: quia non sempiternitatem. Ergo neutram. [Etiam hîc explananda esset, & bene discutienda disparitas.]

Quartò.

POssemus in contrarium vertere folium & impugnare ejusdem Theseos primas lineas, probando humanitatem Christi esse immensam.

Quod sic probo. Et decet; & non repugnat esse ubique: ergo est immensa. Patet; quia immensitas non distinguitur ab ubiquitate. [Distinguitur antecedens, de ubiquitate definitivâ conceditur: de circumscriptivâ negatur.]

Tunc sic. Est ubique definitivè: Ergo est immensa.

Probo consequentiam. Deus est immensus: At Deus non est ubique circumscriptivè sed definitive: Ergo sufficit ubiquitas definitiva ut res sit immensa. At humanitas Christi est ubique definitivè: Ergo est immensa.

THESIS.

MDCLXII. *De Sacramentorum efficientia.*

SAcramenta moraliter causant gratiam, licèt potentia obedientialis, & influxus physicus non repugnet. Pragæ anno 1650.

EAdem viâ possum etiam istam Conclusionem oppetere: *Sic enim arguo.*

B. Virgo concepta fuit sine peccato originali. Ergo Sacramenta causant physicè gratiam.

Probo consequentiam. Una & eadem ratio probat utrumque: ergo vel utrumque est verum, vel utrumque falsum. At non dicetis utrumque falsum: Ergo dicetis utrumque verum.

Probo antecedens. Ratio, quâ probatur immaculata conceptio est, *Et decet: Et non repugnat: Ergo.* Atqui eadem ratin probat sacramenta concurrere physicè. Ergo.

Probo minorem. Possum pariformiter argumentari, & dicere. *Et decet Sacramenta habere influxum physicum. Et non repugnat illum habere. Ergo illa operantur physicè.* Ergo una ratio probat utrumque. [Considerari debebit hic syllogismus: consequentia enim est bona, aut aliàs Scotus Conceptionis Immaculatæ privilegium non probat. Minor est expressè admissa in Thesi. Ergn sola debebit probari major.]

Quomodo debeant exponi verba sacræ Scripturæ?

Igitur probo majorem. Decet sacræ Scripturæ verba sumere in sensu rigoroso ubi non datur repugnantia. Atqui hîc datur repugnantia. Ergo decet S. Scripturæ verba in sensu rigoroso sumere. [Minor constat ex Thesi: & nescio quis possit majorem absolutè negare. Quod si illam distinguere aut limitare velit aliquis, me habebit intentum auditorem.]

THESIS.

MDLXV.

DElirat Martinus Lutherus, cum asserit Infantes dum baptizantur actu credere: Sancti enim Martyres Innocentes, sanguine baptizati sunt, nec tamen ullum actum fidei aut charitatis elicuerunt teste Bernardo, qui sermone, quem die Sanctorum innocentum habuit, asserit Ioannem fuisse voluntate tantùm; Infantes opere tantùm; Stephanum voluntate & opere simul.

An Infantes dum actu baptizantur, actu credant?

HAnc etiam Assertionem eodem medio, quo Scotistæ B. Virginis Conceptionem immaculatam fuisse probant, oppugno.

Sic inquam. Et decet, Et non repugnat: Ergo Infantes, dum baptizantur, credunt.

Probo decentiam. Non enim reperitur indecentia ut credens & alios actus supernaturales eliciens, illud Sacramentum suscipiat. Imò est decens ut non nisi cum supernaturalium actuum dispositione omnia Sacramenta suscipiantur: ubi si Anabaptistas audire nolimus, non enim expedit tanto tempore hoc divinum Sacramentum negare, audire poterimus multos Catholicos, qui Communionem negant pueris & deliris, quod putent ad decentiam requiri, ut sciant illi quid recipiant, & actibus condignis se disponant.

An aliqui habuerint usum rationis in primo suæ conceptionis instanti?

Probo non repugnantiam, nā si Christus, si Deipara, & ut altiùs memoriam promoveam, si Adamus, si Eva, eo ipso instanti, quo Anima creata & infusa, ratione liberâ sunt usi, cur non poterunt Infantes reddi liberi, cum Deus voluerit?

At inquies hoc non potest fieri secundum communem cursum rerum, & ordinariam Dei potentiam: sed tantummodò miraculosè.

Et repono hanc solutionem, non sufficere. quia ut aliquid dicatur non repugnâre, sufficit, ut miraculosè de absolutâ Dei potentiâ possit fieri.

Retorsio.

VEl si placet dicamus esse bonam tuam solutionem, & meum argumentum nihil omninò

mninò evincere, quia non probabit non-repugnantiam secundum ordinariam potentiam & cursum communem causarum.

Infero. Ergo neque Scotistæ probant B. Virginem fuisse sine culpâ conceptam.

Probo consequentiam. Nam argumentum eorum est, *Et decet, Et non repugnat, Ergo.* Et nos possemus eodem modo distinguere minorem & dicere: Non repugnat, secundum legem & potentiam Dei ordinariam, nego: non repugnat secundum absolutam, extraordinariam, & miraculosam: concedo.

Ergo hæc ratio, vel probat utrumque (nimirùm, & B. Virginem fuisse conceptam sine maculâ, & Infantes actu credere dum baptizentur) vel neutrum.

Atqui evincit illud prius: Ergo hoc posterius.

Atqui non probat hoc posterius: Ergo neque illud prius.

Atqui non persuadet utrumque: Ergo neutrum.

THESIS.

OMnes, qui in peccato mortali decedunt, condemnantur: eorumque pœna erit perpetua.

MDCLXVI. POssumus etiam hanc conclusionem certissimam eodem argumento arietare: quid enim vetat, ut aliquis imitetur Scotum, *& affirmat*; [Et decet; Et non repugnat; Ergo non est Infernus.] Argumentandi forma est eadē, quæ hucusque: præmissæ similes; & si hæ admittantur, consequens negari non poterit.

Non repugnat nullum esse peccatum.

Non repugnantiam quis negare aut in dubium revocare auderet? Omnipotens Deus est, & multis modis & titulis potuit aut non condere infernum, aut jam conditum etiam delere.

An deceret omnes ad cœlum ire?

Decentiam posset aliquis suadere sic. Quia deceret infinitè misericordem Deum, nemini negare auxilia, nemini gratiam efficacem. Et ostenditur. De Deo enim, quia illum intuitivè non vidimus, non aliter possumus, quàm de Patre providentissimo & potentissimo ratiocinari. At ille decentiùs gubernat, cui meliùs obediunt filij & servi: Ergo decentissimè, cui obedirent exactè. Ergo, ut decentissimè etiam Deus homines gubernet in hoc mundo, requiritur ut nullum peccare permittat.

Dicea, ideò Deum permittere peccata, quia non vult impedire causas liberas, & decrevit cum illis concurrere ad omnes actus etiam sceleratos.

At hæc solutio non excusat Thomistas, & eos omnes, qui admittunt prædeterminationes, etiam ad materiale peccati. Sed esto, æquè excuset Thomistas, Scotistas, & Molinistas: an aliquos ea istis bene? Non credo: & ut sciaa cur non credā hunc casum ponderandū propono.

In Monasterio N. execrabilia sacrilegia patrantur, & Titius loci Antistea dissimulat: posset omnia ad unum impedire, nec tamen vult. Sed cur? Quia non vult impedire suorum Religiosorum libertatem, & eâ die, quâ fuit inauguratus, decrevit concurrere cum Religiosis suis, aut eos ad materiale flagitiorum prædeterminando; vel si hoc non, saltem nunquam negare concursum & Cooperationem, etiam ad sacrilegia, quoties fuerit ab eis oratus aut prædeterminatus.

An præstat Titius, quæ sanctum & sincerum decent? An deceret eum amovere & punire gravissimè? An-non totum Ordinem dedecet talem Prælatum tolerare? Concedis omnia. Ergo transeamus ad Deum, & me doceas, cur hæc omnia Titiom dedeceant, & Deum deceant: & quidquid dixeris, periclitaodi ingenij causâ ex fundamentis positis impugnabo.

THESIS.

I. *NVlla datur in Deo virtualis distinctio intrinseca.* X. *Pater constituitur Paternitatis & inspirationis activa relatione: est æquè simul determinatus ad generandum & spirandum.* XV. *Peccatum Luciferi fuit superbia. Est creatus in gratiâ supernaturali: probabile est ad illam se disposuisse.* XL. *Minister (*sacramenti*) dum operatur regulariter tenetur esse in gratiâ. Inter probabiles probabilioresque sententias, dum certa nulla est, potest sequi quam volet.* XLIV. *Hæc (*confessio*) absenti fieri nequit. Potest absenti Sacerdoti fieri confessio per literas: deinde præsenti pœnitenti & confessionem moraliter unienti impendi absolutio.* VL. *Dolor potest idem servire ad plures confessiones.* XLVI. *Expedit peccata dubia confiteri: probabile tamen est non esse obligationem.* XLVII. *Satisfactio regulariter imponenda est.* XLVIII. *Extrema unctio, ut validè suscipiatur, sufficit si sit implicitè petita.* IL. *Ordo sacer habet ex præcepto annexum cælibatum. In præsbyterio duplex traditur potestas. Approbatus in unâ diœcesi, est approbatus pro omni.* Sunt propugnatæ Viennæ in Austriâ sub R.P. Nicolai Avancini S. I. præsidio, à D. Iacobo Zottinis Decano Soboticensi in Bohemiâ, pro supremâ Theologiæ laureâ: anno M. DC. LIII, mense Junio.

MDCLXVII. Præcipuæ Avancini & Zottini Positiones.

MDCLXVIII. ALiquid de his Positionibus edisserere placet: cæterùm, antequam vel verbum loquar, monere meum Lectorem volo earum titulum esse: *Assertiones ex universâ Theologiâ, quas authoritate & consensu Reverendissimorum, adm. Reverendorum, Magnificorum, & Clarissimorum Dominorum, Spectabilis Decani, Venerabilium Seniorum, cæterorumque Dominorum Doctorum inclyti Collegij Theologici &c. publicè propugnabit. &c.* Nemo erit igitur, nisi velit abuti ingenio, qui audeat dicere aliquam ex his Positionibus non esse probabilem: quæ enim ab integrâ approbantur Universitate, etiam si aliàs tales non essent, hoc ipso probabiles sunt.

An sint probabiles.

Quanta authoritas sit unæ Universitatis classium.

Dices hanc esse inscribendi formulam, quæ in omnibus ponitur: at theses à Facultate Theologicâ non examinari nec approbari. Et respondeo, me ipsum in eodem Viennensi Patrum Societatis gymnasio totam Facultatem rogasse, & mihi fuisse responsum, Theses pro Doctorali Laureâ, à totâ Facultate legi, examinari, & approbari. Ergo impossibile est, ut aliquid contra harum Thesium probabilitatem objiciatur, quod mereatur responsum. Veniamus igitur ad veritatem, & quid occurrat, ut has falsas quis dicat aut veras, argumentationis

[illegible] gratiâ

gratiâ adjiciâ: breviter tamen sunt enim multæ & indigerent libro integro, si uberiùs deberent impugnari, aut firmari. *Contra omnes has ratio generalis insurgit.*

Decet, Non repugnat, Ergo est. Decet Universitatem hanc nullâ opinionē novam, & periculosam defendere. Nec repugnat fieri illud quod decens est: Ergo hæ sententiæ non sunt in hac Universitate defendendæ.

Probatur consequentia. Pleræque opiniones, quæ hic ponuntur; sunt novæ, Pleræque periculosæ, & obnoxiæ magnis inconvenientibus. At, ut dicebamus, ejusmodi opiniones istam Universitatem non decent: Ergo defendendæ non sunt.

Maior nullo alio modo efficaciùs poterit probari, quàm Theses singulas examinando.

MDCLX-IX. An inter divinitatem & relationes detur aliqua distinctio? PRIMA divinam simplicitatem commendat, sed eâ positâ difficultee Mysterium Trinitatis defenditur: malè salvantur contradictoria prædicata. Nam si Paternitas nullâ distinctione intrinsecâ distinguitur à Divinitate: & Filio communicabitur Divinitas, etiam Paternitas communicabitur. Nec valet dicere rem quæ est Paternitas & non ipsam Paternitatem communicari: quoniam statim dicam. Res quæ est Paternitas, & ipsamet Paternitas, vel sunt omninò idem, vel non. Si primum: ergo etiam communicatur Filio Paternitas: ergo inter rem quæ est Paternitas & ipsammet Paternitatem datur aliqua objectiva distinctio, vocetur virtualis aut formalis.

An Paternitas à spiratione activâ distinguatur? DECIMA videtur supponere eamdem relationem in Parte prout producit Filium vocari generationem & Paternitatem: & prout producit Spiritum Sanctum vocari spirationem activam. Qui tuentur hanc thesin, non urgebuntur argumentis ex Durando desumptis, ut in Divinis quarta persona admittatur: quibus licèt Durandus & alij conentur satisfacere, semper indigent clariori solutione. At ipsi difficulter tueri poterunt Patrem & Filium esse unicum principium Spiritus Sancti: si enim Spiratio activa non distinguitur ne quidem formaliter à Paternitate in Patre, non distinguetur à Filiatione in Filio: & quia Paternitas realiter distinguitur à Filio: spiratio activa erit composita ex duabus inspirationibus realiter distinctis: ergo à duobus spiratoribus procedet Spiritus Sanctus.

An Spiritus Sanctus habeat duo principia?

An status purè naturæ sit possibilis? QUINTA-DECIMA est contra Jansenianos: nam si Angeli se disposuerunt ad gratiam, possibilis est status purè naturæ, quem negat Cornelius Jansenius.

Posset aliquis dicere: assertionem hanc esse veram, & nihilominùs statum puræ naturæ repugnare. Nam Angeli boni in primo instanti se disponentes, in eodem habuerunt gratiam: & mali in primo etiam instanti superbientes in eodem habuerunt peccatum.

An Dæmones habuerint gratiam? Sed contra hanc solutionem militat ipsa solutio: quia communis Theologorum sententia asserit Dæmones in primo saltem suæ durationis instanti habuisse gratiam.

QUADRAGESIMA heri erat communis: hodie videtur esse omnium.

De confess. QUADRAGESIMA-QUARTA est consideratione dignissima. Et non debet ita exponi ut confessio realiter sit præsens, sed ut sit absens (sic enim Author sentit & loquitur) si enim ita exponeretur ut confessio esset præsens, nihil doceremus speciale. Et quidem hæc doctrina videtur esse media inter Suarium & Clementem VIII. Interim semper insurgent argumenta, quibus debebent Zottinus; & Avancinus respondere. *Bene sibi absens.*

Qualis sit Pœnitentiæ tribunal. Arguo sic. Pœnitentiæ tribunal est simile Politicis alijs, tribunalibus: at in Politicis tribunalibus potest & solet absolvi absens, Ergo etiam in Sacramentali. Nec valet recurrere ad inconvenientia: non enim est bona consequentia; *Habet inconvenientia: Ergo est falsum.* Multa enim eaque gravissima inconvenientia è veritate solent nasci. *An inconvenientia reddant propositionem falsam?*

An matrimonium inter absentes sit contrahibile? Præterea potest argumentum sumi à simili. Nam Matrimonium inter absentes aliquando contrahitur: Ergo & absolutio absenti potest dari. Vel detur disparitas.

Tandem fortiùs contra Avancinum & Zottinum, quia in eorumdem sententia, ut videmus, confessio potest absenti fieri: Ergo & absolutio absenti potest dari. Probatur consequentia: quoniam utraque est pars Sacramenti Pœnitentiæ: ergo, si altera potest per breveas aut internuncium fieri, etiam poterit altera. Et, si ad alteram, sufficit præsentia moralis, etiam ad alteram sufficiet. Ergo præsentia physica non est ad absolutionem necessaria. *De præsentia physicâ & morali.*

De peccato dubio. Duplex sententiæ interpretatio. QUADRAGESIMA-SEXTA dupliciter potest intelligi: *vel* enim, qui hanc sententiam teneat, *dicet*, eum qui dubitat, an commiserit peccatum mortale hærendo in tali malâ cogitatione v. gr. & tamen nullum aliud peccatum mortale habet certum, non debet confiteri, sed potest sine ullâ confessione ad Eucharistiæ Sacramentum accedere. *vel dicet*, eumdem debere quidem confessionem præmittere, at in ipsâ illud peccatum dubium subjicere clavibus Ecclesiæ non debere. *Sanè*, qui cum conscientiâ mortalis dubij accedit ad Sacramentum pœnitentiæ, benefacit: &, si in confessione omittit illud peccatum dubium non facit malè, quia sequitur opinionem probabilem, quam Doctorum authoritas reddit probabilissimam; quam rationes, si solæ consideretur, certam. In tali casu absolutio esset certa, & indirectè absolveretur ab illo peccato dubio eo casu, quo esset verum peccatum. Post confessionem careret omni peccato dubio; & si moreretur, certò moreretur in Domino. Alterius esset omninò diversa conditio: nam, si nullam confessionem præmitteret, & tamen cum dubio peccato moreretur, poneret suam salutem in dubio, eo enim casu, quo esset verum quod haberet peccatum mortale, etiam esset verum quod ipse in æternum periret. Et hoc ipsum potest hoc exemplo explicari. Datur Petro scyphus vino plenus, & dubitat, An aliquo ille mortifero veneno infectus sit; & tamen bibit: & interrogas, an à veneno dubio occidetur? & respondeo, dubium esse an occidendus sit: nam, si revera vinum illud infectum est, peribit: aliàs non. Ergo eodem modo qui moreretur in statu peccati mortalis dubij,

bij, inire viam æternæ damnationis dubiam; &, si fortè esset illud peccatum verum, esset etiam verum, quod ipse deberet in æternum perire.

Dubium incidens.

Et hîc iterum nota: aliud esse mori in peccato dubio morte subitaneâ & improvisâ: & aliud prævidendo ipsam mortem: hîc enim posset aliquis quærere, *An non esset certum peccatum se exponere tanto æternæ damnationis periculo?* Diana & multi cum ipso docent non esse mortale velle mori in statu peccati mortalis probabilis: ergo à fortiori debebunt dicere non esse peccatum velle mori in statu peccati mortalis dubij: plus enim est peccatum probabile, quàm dubiũ, est enim in statu peccati mortalis dubij negativè, qui nullas rationes habet vi quarum dicat se consensum gravi suggestioni præbuisse, & nullas vi quarum dicat se non præbuisse: positivè, qui habet rationes quasdam leves, quæ illum succubuisse tentationi suadeant. At est in statu peccati mortalis probabilis, qui habet quidem rationes graves & fortes, non tamen evidentes & certas: rationes inquam tantas, ut earum vi prudenter possit credere & dicere se peccavisse mortaliter.

Quid sit dubium negativũ? quid positivum? quid probabilitas?

MDCLXIV. *Resolutio.*

Hîc ego sic discurro. *Primò*, est summa stultitia & temeritas egredi ex hac vitâ cum conscientiâ peccati mortalis dubij aut probabilis. *Secundò*, voluntas moriendi tali modo à ratione videretur damnanda: cæterùm, cùm sint multi Authores gravissimi, qui illam excusent, & asserant non esse mortaliter peccaminosam, qui illis subscriberet, esset imprudentissimus, at tamen non committeret novum peccatum. Sed tu Lector illo abire in gehennam probabilem aut dubiam permisso, omnia tua sic dispo-nas, ut nullus scrupulus, nullum dubium, nulla probabilitas tuam pungat conscientiam, cùm moriaris.

Monitum morale.

De absolutione moribundi.

QUADRAGESIMA-OCTAVA infert posse absolutionem dari moribundo sensibus destituto etsi nullo signo expresso confessionem petierit. Nam Sacramentum non potest ulli adulto non petenti conferri. At in Extremâ-unctione sufficit petitio implicita: ergo in cæteris. Probatur consequentia. Quia hoc, quod est sufficere ut petatur implicitè, vel habet Extrema-unctio ex ratione generali Sacramenti, vel ex speciali talis Sacramenti. Non ex speciali: Ergo ex generali. Ergo id ipsum omnibus Sacramentis commune est. Probatur minor, quoniam Extrema-unctio nullum speciale quoad hoc habet privilegium à Christo; vel, qui contrarium dixerit, illud ostendat.

An in Sacramentorum susceptione sufficiat voluntas implicita?

MDCLXV. *De Presbyterorum cœlibatu & castitate.*

UNDEQUINQUAGESIMA agit de castitate Ordini sacro adnexâ. Est enim certa & recepta obligatio, at in origine hujus obligationis non-conveniunt Authores. Communis opinio ad votum solenne implicitum recurrit. Sed quid, si Fridericus cum intentione recipiendi Sacramentum & voluntate non vovendi castitatem accederet, & Ordines sacros susciperet? Posset aliquis negare casum esse possibilem, quia cùm connexa sint Ordo & Votum, repugnat ut unus & idem homo, velit efficaciter suscipere Ordinem, & nolit implicitè saltem vovere. Et posset hanc responsionem roborare hoc exemplo: nam qui vult calamo formare hunc △ triangulum, necessariò debet velle concomitanter tres lineas ducere. Sed hæc responsio displicet; quoniam in hac figurâ △, trium angulorum & trium linearum est indispensabilis & inseparabilis connexio: & Ordinis sacri Votique connexio non est essentialis, sed ab Ecclesiæ voluntate dependens.

An qui vult ordinari indevotè & implicitè, velit vovere?

Posset alius asserere Fridericum in tali casu validè quidem suscepisse Ordinis Sacramentum, sed illicitè propter voluntatem non vovendi, quam habuit: at nihilominùs non teneri voto; illud enim non emisit, & votum non emissum non obligat. Posset etiam asserere Ecclesiam non posse præscribere leges actibus internis, adeòque nec jubere ut voveant castitatem, qui ad Ordines altiores promoventur. Hæc opinio, sic exposita, esset laxa, multisque obnoxia periculis & inconvenientibus, & ideò debet non duceri.

An Ecclesia judicet de occultis.

Alij ad præceptum disiunctivum recurrunt, ita ut Ecclesia, dicat, *Ego iubeo tibi, ut voveas castitatem: ex suppositione quod eam non voveris (vel quia dicis me non posse actus internos indicere, vel quia non vis mihi obedire in actu interno) declaro te voto castitatis non obstringi: at iubeo ut castitatem serves, & declaro te præcepto teneri.* Sed hæc omnia videntur quæsita ab Authoribus, ut obligationem Castitatis servandæ manuteneant.

De præcepto conditionato.

Ergo dicendum est meliorem, faciliorem & probabiliorem videri Avancini & Zottini sententiam, licèt nova & paucorum sit, quia mirabili compendio satisfacit magnis difficultatibus.

Resolutio.

Hîc tamen ipsi debebant addere præceptum illud esse solenne: nam sicut Votum duplex est, simplex solenneque, sic & præceptum, ille enim, cui simplici præcepto cælibatus indiceretur, uxorem duceret illicitè, sed validè: At Hypodiaconus, Diaconus, & Presbyter, quibus præcepto solenni indicitur, ducerent uxores illicitè simul & invalidè.

Votum, præceptũque in simplicia & solennia dividuntur.

Hîc posset aliquis inquirere, *An in obligatione servanda castitatis, quam habent Presbyteri, Diaconi & Hypodiaconi, possit Pontifex dispensare?* Et respondebo, probabilem esse D. Thomæ & Patrum Dominicanorum opinionem, quæ docet summum Pontificem non posse: & nihilominus huic stando sententiæ subjicio, ad mentem Avancini & Zottini in Sacerdotum & aliorum cœlibatu posse, non enim illi voto, sed præcepto tenentur: & præcepta pendere à Legislatorum voluntate certum est. Et quia de S. Thomæ opinione nonnihil diximus, addo hodie in omni voto posse Pontificem dispensare. Et, si iuferas inconvenientia, quæ in Theologiâ Fundamentali insinuavi, illa transglutiam; quia causæ liberæ ultra voluntatem non operantur, & hodie in nullâ religione aliter profitentur Religiosi, quàm Ecclesiâ acceptante & approbante professionem; & hodie Ecclesia votum, in quo teneatur non dispensare, aut in quo non possit dispensare, non acceptat.

Dubium occurrens.

Resolutio.

An possit Pontifex in omni voto dispensare?

MDCLX-XVI. De Confessarijs approbatione.

Subjicit Thesis, approbatum in unâ diœcesi esse approbatum pro omni. Haec loquendo de Religiosis multi tenent : at hîc ponitur universaliter & contra torrentem Doctorum. Et quidem hæc doctrina nec invidiâ nec inconvenientibus carere poterit. Damnari non poterit ; quoniam hoc solo quod sit Viennensis Universitatis, probabilem esse suppono ; at interdici ab Episcopis posset aut fortè deberet.

An Episcopi hanc possint doctrinam interdicere?

Sed quid, inquies, Religiosi hanc interdictionem ab Episcopis factam curarent ? Curarent, aio ; quoniam præceptum illud non poneret Episcopus Confessarijs Regularibus, sed pœnitentibus sæcularibus sibi subjectis. Sed hîc etiam lucem aliunde suborientem aspicio :

An privilegium uni concessum, etiam alteri correlativo concedatur?

Probabile enim est, quod privilegium concessum uni etiam concedatur alteri correlativo : Ergo, si Pontifex concessit Religiosis, ut semel approbati ubique possint audire confessiones, etiam concessit pœnitentibus, ut ubique terrarum possint confiteri Religioso alicubi approbato. Sed hîc iterum aliunde video nebulas, quia probabile est hanc esse Pontificis mentem, ut nemo subditus possit uti privilegio Apostolico invito superiori suo ;

An religiosus uti possit privilegio Pontificis contra voluntatem sui Prælati?

nam, si Deus tanti facit Hierarchiam, ut nullum unquam Christianum à Pontificis obedientiâ exemerit ; &, si Christus privilegium quod S. Francisco concessit, voluit sortiri effectum cum conscientia & consensu Pontificis, congruum est, ut ita summus Pontifex privilegia concedat, ut nunquam subordinationem superiorum & inferiorum interrumpat. Ergo stando huic sententiæ, sicut Prælatus potest præcipere suo Religioso ne audiat confessiones talium aut talium, & hoc præcepto limitare gratiam concessam à summo Pontifice ; non quòd summi Pontificis authoritas Prælato subsit, sed quòd ipse summus Pontifex nolit concedere gratiam vi cujus Religiosus possit insultare Prælato : sic etiam Episcopus potest præcipere suis sæcularibus, ne accedant ad Confessarios à se non approbatos, & hoc etiam præcepto gratiam illis à Pontifice concessam limitare. Sed hæc omnia merè sunt probabilia, & manet Thesis, cujus probabilitati nihil derogare poterit, quod non sit evidens.

F I N I S.

